John Adams Library.

IN THE CUSTODY OF THE
BOSTON PUBLIC LIBRARY.

SHELF No.
ADAMS
260.12

Digitized by the Internet Archive
in 2010

http://www.archive.org/details/johannescluverih00cl

JOHANNIS CLUVERI

HISTORIARUM

Totius Mundi

EPITOME,

A prima rerum Origine usque ad annum Christi M DC XXX,

E sexcentis amplius Authoribus sacris profanisque, ad marginem adscriptis, deducta, & historia unaquæque ex sui seculi scriptoribus, ubi haberi potuerunt, fideliter asserta.

Accessit per ipsum Authorem continuatio Historiæ ad annum M DC XXXIII. nunc aucta usque ad conclusionem pacis inter Anglos & Batavos initæ, anno M DC LXVII.

Editio septima multo correctior & emendatior.

CUM UBERRIMO INDICE.

AMSTELÆDAMI,

Apud JOANNEM RAVESTEINIUM,
Civitatis & Illustris Scholæ Typographum Ordinarium.

cIↃ IↃC LXVIII.

Cum Sacræ Cæs. Majest. Privilegio.

SACRÆ CÆSAREÆ MAJESTATIS PRIVILEGIUM.

LEopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtembergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoscimus & notum facimus, tenore præsentium universis, quod cum Nobis *Johannes Petrus Zubrodt*, Civis & Bibliopola Francofurtensis, humillimè exposuerit, quem in modum *Joannis Cluveri Epitomen Historiarum totius mundi, usque ad annum* M DC LIII, suis sumptibus typo committere, atque addita *usque ad annum* M. DC. LXVII. *continuatione*, in quarto edere constituerit; vereatur autem ne quis alius, hanc editionem imitando, se non dictis tantum sumptibus, sed sperato juxta fructu frustretur, supplicando, ut suæ hac in parte indemnitati consulere, seque adversus omnem fraudem Privilegio nostro Cæsareo munire dignaremur; Nos ejusmodi precibus æquitati consentaneis, benignè attentis, omnibus & singulis nostris ac Sacri Rom. Imperii subditis, præcipue vero Typographis, Bibliopolis, Bibliopegis, aliisque quibuscumque rem librariam exercentibus, serio atque districtè inhibuimus atque vetuimus, prout vigore præsentium inhibemus atque vetamus, ne quisquam eorum prædictam *Joannis Cluveri Epitomen* per quinque annos, à prima editionis die computandos, intra sacri Romani Imperii fines recudere, vel alibi impressa vendere, vel sub quocumque nomine distrahere, citra voluntatem & absque ipsius *Joannis Petri Zubrodt* consensu præsumat. Si quis vero secus fecerit, eum non modo omnibus exemplaribus, (quæ quidem prædictus *Johannes Petrus Zubrodt* ejusque hæredes, ubicunque deprehensa, sive propria authoritate, sive Magistratus loci auxilio sibi vendicare poterit,) de facto privandum, sed & pœna insuper decem Marcarum auri, ex semisse Fisco nostro Cæsareo, & ex reliqua parte injuriam passo, sive ipsius hæredibus, pendenda, omni spe veniæ sublata, decernimus multandum. Dummodo quaterna prædicti libri exemplaria, ad Cancellariam nostram Imperialem Aulicam transmittantur; ac hujus etiam privilegii tenorem, pro publica aliorum notitia atque cautela fronti impressum exhibeant. Datum in Civitate nostra Vienna, die 18 Martii, Anno MDCLXVII. Regnorum nostrorum Romani nono, Hungarici duodecimo, Bohemici vero undecimo.

V^t.
WILDERICUS BARO de WALDERDORFF, V. C.

Ad Mandatum Sac. Cæs. Majestatis proprium
WILHELMUS SCHRÖDER.

Prædictus *Johannes Petrus Zubrodt*, Jus Privilegii sui concessit *Johanni Ravesteinio*, Bibliopolæ Amstelodamensi; ut latius patet ex literis publicis in hunc finem conscriptis & signatis Francofurti, die 11 Aprilis, 1667.

A BARTHOLOMÆO WILLIO, Not. Cæs. Publ.

PRÆFATIO

Ad

LECTOREM.

VNiversi Orbis historiam exiguo includere libro aggredior, opus non meas tantum, sed humani generis vires egrediens. In eo si non omni respondeo expectationi, veniam; imo si alicui, laudem mihi polliceor à bonis. Nam cùm ab ineunte ætate hoc studiorum genus non prorsus frigidè tractassem, nec compendia, quæ exstabant, seu mihi, seu aliis facerent satis, commune desiderium ab eruditiore aliquo pridem expletum concupivi. Sed frustra hactenus. Superioribus sanè annis, post alios Horatius Tursellinus *famosa ex nomine Jesu Societatis scriptor, singularem in contrahenda historia operam posuit, cum mediocri rerum copia & delectu, autorum, unde historia quæque petitur nomina pleraque, ac styli insuper elegantiam adstrictamque brevitatem conjungens. At sic tamen idem, in recentioris præsertim ævi actis, suæ factionis opinionibus indulsit, ut teneræ juventuti veritatis nesciæ, haud parum abinde periculi cordatiores extimescant. Etenim eò nunc res humanæ devenerunt, ut, quicquid potentiorum quorundam placitis adversatur, quantavis veterum autoritate in literas relatum sit, tanquam hæreticum & falsum traducatur, id solum juri aut veritati habeatur consentaneum, quod corruptæ, ut nunc est, Ecclesiæ Christianæ, & malè satis Rebusp. publicis aliquam seu excusationem, seu robur & stabilimentum videtur allaturum: Accedunt Chronologorum dissidia, historiarum studioso haud parum molesta; ac proinde ante omnia è medio, quantumcunque fieri potest, tollenda. Cui rei annis proximis opellam quoque nostram commodavimus, successu utinam felici; Factam tunc supputationem in hoc libello sequor, nihil dubitans, eam, quod certissimis Scripturarum fundamentis nititur, quam minimum erroris continere, juvandæque simul memoriæ esse rudiusculorum, queis hunc imprimis sudorem nostrum impendimus.*

Igitur levandæ memoriæ, peculiares temporum periodis titulos facere, & quasi notas

tas imponere placuit, sacræ juxta profanæque historiæ haud malè, ni fallor, competentes. Primum seculum, ubi nulla Ethnicorum historia juvamur, LONGÆVORUM *appellavi, causa ut opinor, satis evidenti. Tantum enim illo ævo vivendi hominibus spatium fuit, ut quemlibet Patriarcharum ambulantem posses Bibliothecam salutare.*

Alterum DISPERSIONIS GENTIUM *est, scilicet ex præcipua re gesta, quam sacra monumenta illis temporibus deputant.*

Tertium, in quo manifesta Abrahamicæ familiæ ab Idololatris segregatio contigit, PATRIARCHARUM AC DEORUM ÆVUM *haud injuria nobiscum appellaverit, qui populi sancti conditores, Abrahamum dico, Isaacum, Jacobum, Josephum, communia habuisse cum gentium Saturnis, Jovibus, Bacchis, tempora reputaverit.*

Quartum deinde JUDICUM ET HEROUM SECULUM *est. Nam potissimi gentium Heroës, quibus illæ secundas, post fictitia sua numina, partes delegarunt, Hercules inquam, Pelops, Perseus, Theseus, Minos, eadem tempestate orbem pererrarunt, quum Josua, Gedeon, Jephtes, Samson, Samuel, aliique Hebræorum Judices insignibus ex Deo factis claruere.*

Mox mutata Reipublicæ sanctæ forma, Samuel cum Regibus prophetarum agmina profudit, apertè dicente Scriptura, pretiosum fuisse ante eum verbum Domini raramque prophetiam. *Igitur David & Salomon reges non minus regni fastigio, quam prophetico spiritu insignes, novæ præbent initium Epochæ, quæ ab initio templi usque ad ejus destructionem extenditur. Durante enim templo, perpetuæ & fæcundissimæ prophetarum Scholæ viguerunt, quorum scripta nunc usque æternam mundo facem præferunt.*

Cum autem eodem tempore inflati à mundi spiritu Poëtæ, Homerus, Hesiodus, alii, vanissimas de Diis opiniones nationibus proseminârint, quintum hoc SECULUM PROPHETARUM POËTARUMQUE *cognomento insigniendum duximus. Etsi enim destructo templo non desiit omnino utriusque gentis, Propheticæ inquam & Poëticæ, progenies, minùs tamen illustres, qui secuti sunt, majoribus illis fuere.*

Joseph. lib. 1. contra Appionem.

Porrò concordi veterum testimonio constat, Pherecydem Syrum prosaicæ orationis, Cadmum Milesium historiæ conditores eodem tempore ortos, quo nos Poëtarum Prophetarumque seculum terminamus, & sapientum atque Monarcharum, qui maxime historia digni, ætatem aperimus. Eum temporis tractum, quum velut in exilio egit sancta

Plin. l. 7. cap. 56.

civitas, SAPIENTUM *vocamus* SECULUM, *quia tunc Daniel sapientum Coryphæus, & Chaldæi Ægyptiique, septemque illi Græciæ, Sapientum nomine eluxerunt. Vocamus &* MONARCHARUM, *quia tunc primus Monarcha Babylonius, mox etiam Cyrus Persa, maxima mundi imperia tum affectasse, tum tenuisse produntur. Nam Assyriacum imperium ante periisse vel è solo Ezechiele liquet, cap.* XXXI & XXXII. *Assyrios inter devictarum projectarumque gentium exempla numerat, quorum regnum imperitè quidam cum Babylonico confundunt. Nam verissimè equidem addiderim, ne comparandam quidem Assyriorum esse potentiam cum illa, quam Babylonii, Persæ, Macedones, & tandem Romani possederunt. Ante Phulem enim, ejusque filium Tiglathpulassarem, quo loco habebimus Assyriaca ista voluptatum mancipia, quorum vel nomina ægre à perpetuis tenebris vindicavit nobis Eusebius? Quantas interim Ægyptiorum, quantas Arabum, quantas Palæstinorum, quantas Hebræorum, Tyriorum*

riorum, Æthiopum, & Syrorum opes produnt divina monumenta? Ideo secus quàm vulgus Scriptorum solet, de Assyriis judicat Herodotus, eosque quingentis saltem annis superioris Asiæ tenuisse imperium memorat, & quintâ ætate, hoc est, centum quinquaginta annis, antiquiorem facit Nitocri Semiramidem, quæ Nitocris Labyniti à Cyro devicti mater fuit. Non ergo mirabitur Lector, quod Danielis secuti prophetiam, Monarcharum quatuor initium à Nabuchodonosore Rege ducimus, quandoquidem in quatuor summa imperia Assyrii, ut & Medici, rationem habendam non putemus. Nec vitio nobis vertet, quod septimum seculum alio Charactere, quam Monarcharum insignimus, sub quo tamen Persarum dominationis ampliùs quàm dimidium, Græcorum totum decurrit. Nostri enim instituti scopus est, monstratis mutationum initiis momentisque gravioribus, historiam secundum tempora divinitus constituta digerere, ut simul veritas Dei Opt. Max. & gubernationis ejus sapientia eluceſcant. Eam enim vel præcipuam Historiæ laudem credimus. Inter illas temporum portiones non minima est, quam LXX *hebdomadibus apud Danielem definivit, intra quem limitem salutem mundo, omnisque prophetiæ, visionis & justitiæ complementum pollicetur. Hæc meritò nobis septimam mundi ætatem septimumque facit seculum, id quod* PHILOSOPHORUM ET SCRIBARUM *haud absurda observatione nominamus. Ejus initium Esdras Scriba & Socrates Philosophus præstant. Ab illo Scribarum & Legisperitorum, ab hoc Philosophorum scholæ defluxerunt. Post illum Pharisæi, Sadducæi, Esseni; post hunc Academici, Peripatetici, Stoici, Epicuræi, aliique philosophantium greges pulpita implevêre. Exit in Christum hæc periodus, non in præsepio jacentem, sed in cœlis jam regnantem, quum & Judaicas nugas, & Ethnicas vanitates divina luce discussit, quum tota hebdomade, septem puta annorum spatio, ea fecit, ea docuit, quæ omnia deinceps secula, omnibus populis loquerentur. Initium periodi est adventus Esdræ in Judæam, & Remp. Hebræam reparandi data potestas. Finis, septennale Christi opus, cum medio septennio hostiam se Patri obtulit, peccatum obsignavit, iniquitatem mundi expunxit: altero semiquadriennio Spiritum Sanctum in Judæos primùm, mox in gentes effudit, semenque sui regni in omnes populos sparsit, pervicacibus Judæorum exitio interim maturatis.*

Circumactis igitur septem temporum periodis, tres novæ sub regno cœlesti decurrunt, ut decem revolutionibus universa mundi gubernatio compleatur.

Octavam ergo facit Apocalypsis Apostolica ECCLESIÆ ENITENTIS, *quando eam Draco septiceps infestat de septem Romæ collibus. Id tempus est imperii veteris Ethnici, quod in fine Cæsaris Tiberii, usque ad principium Constantini, Romam Christianismo occupantis, annorum est* CCLXXIX. *Toto enim illo tempore pugnam & insidias facessit Draco, gentiumque dominos deceptioni tenet innexos. Ei nona successit ætas, post diluvium longissima pariter & beatissima, (septennium Christi excipio) quam felici Ecclesiæ enixu, & draconis deturbati alligatione repræsentat Joannes Apostolus, expressoque* MILLE ANNORUM *spatio determinat. Tantum enim imperii Christiani tempus est, quod à Constantino Magno usque ad Magogitam Othomanum perducitur. Hoc annorum tractu potiti rerum Christiani, delitescentibus in terrarum angulis, qui postmodum progressi in mediam latitudinem, imperium corripuerunt, Turcis, Gogo, & Magogo, Nomadibus, Scythis, Tartaris. Hanc ergo* VIGENTIS ECCLESIÆ *magnæque aquilæ alis volantis periodum cum S. Joanne dicimus. In quam tamen*

idem

idem tria Væ celeberrima conjicit, primum LOCUSTARUM, *id est, doctorum, garritu Scorpionico pungentium: Alterum* EQUITUM, *hoc est, potentium barbarorum fumo, igni & sulphure grassantium: Tertium* DUARUM FERARUM, *vi doloque reliquias Ecclesiæ infestantium, salva interim aliqua Christiani imperii dignitate.*

Decima & ultima periodus est Ecclesiæ forinsecus obsidionem patientis, & cum feris intus consligentis. Magogitæ obsidio eam premunt foris, feræ intus oppugnant, quibus datum etiam occidere sanctos, habentes fidem Jesu & mandata Dei tenentes. *Conculcatur ipsum sanctæ civitatis atrium, testes lugubri veste præconium suum agunt, spiritus & sponsa clamant:* Veni Domine Jesu.

Hæc Epitomes nostræ digestio est ad sacras tabulas accommodata. Rerum narratarum veritatem, aut citati in margine Autores adstruunt, aut in ipso orationis decursu nominati. Exuto partium studio nudam, ut est, veritatem, in ea Dei veri gloriam sectamur. Privati judicii parci, quotiescunque apponere aliquem calculum decet, aut divini canonis, aut aliorum scriptorum vestigiis insistimus. Verba eorundem bene multa huc transcripta reperies. Historiarum ad liberatæ Dei beneficio patriæ felicem metam deduximus. Cætera aliis curæ erunt. Tantum te initio alloqui, Lector bone, voluimus: tu porrò nobiscum recta hoc rerum humanarum theatridion, Deo duce, ingredere.

JOHAN.

JOHANNIS CLUVERI
EPITOMES HISTORIARUM

LIBER PRIMUS,

Seculum Longævorum.

A Mundo condito ad Diluvium, Epocham Annorum CIↃ IↃ LVI. *complectens.*

Geneſis 1. 2. 3. *Pſ.* 104. *Joh.* 1.

A. M. I.

PRincipio *Deus* per Filium ſuum, æternumque Spiritum, è nihilo excitata hac mundi machina, ſexto operationis ſuæ die, *Hominem* à ſe formatum principem rebus impoſuit, addita ei compare fœmina, ex coſta dormientis admirabiliter fabrefacta. Eodemque tempore præter res ſenſibus obvias, inviſibiles etiam ſubſtantias produxerat. E quibus magna pars, uno malitiæ magiſtro, originis ſuæ fœde oblita, factori Opt. M. rebellavit. Dux nefarii agminis, ab inimicitiis in Deum *Satanas*, à repertis calumniis *Diabolus* appellatus; qui mox ſcelere ſcelus cumulans, dirum quiddam & horribile machinatus eſt. Etenim conſpicatus hominem in amœniſſimis hortis verſari, ac ſapientia juſtitiaque præditum exacta, toti rerum naturæ præeſſe, dempta una arbore, ſubjectionis & obedientiæ erga creatorem ſymbolo, in id conſilium intendit, ut eum à conditoris obſequio abſtractum, ſuarum partium faceret. Quare ſerpentis habitu perſonatus, *mulierem* aggreditur, eique perſuadet, latere in fructu prohibitæ arboris boni malique ſcientiam, & quaſi ſemen ingentis & incredibilis excellentiæ, quam homini Deus inviderat. Illa ſtulta cupiditate accenſa paret ſeductori Angelo, eodemque mox crimine maritum ſuum involvit. Sic avulſa à Deo, in turpiſſimi inſidiatoris caſſes pertrahitur. Confeſtim perpetrati ſacrilegii teſtes pudor & ignominia ſubiêre. Nam cum antea nil in ſe pudendum homines reperiſſent, tum continuo propriæ carnis intuitu erubeſcentes, mortis & corruptionis præſentiſſima deprehenderunt indicia. Igitur finiente jam die Deum in horto ambulantem paventes, arborum latebras quærunt. È quibus conditoris voce protracti, conſcientia arguente, excuſare culpam ambo, inficiari minime poſſe. Ita Deus majorem ſuæ miſericordiæ, quam facinoris eorum rationem habens, non eos Diabolo inimico excruciandos tradidit, ſed malorum autorem exſecratus, è Muliere *ſemen* oriturum prædixit, quod caput ejus contereret, hominemque inſultibus interim ejus obnoxium, perfectæ libertati felicitatique vindicaret. Interea homines è Paradiſo ejectos multo ſequioris conditionis fecit, quod meliorem moderato & obedienti animo ferre non potuiſſent.

Gen. 2. 3. *Sap.* 1. 13, 14.

ADAMUS igitur primus hominum conditus, primus conditionis beatiſſimæ deſertor, è lapſu Dei voce erectus, eique nova fide addictus denuo, uxorem ſuam, ut ex mortua viventem, Hebraice *Hevam* appellavit, ſpem vitæ à Deo factam, ipſamque viventium omnium matrem futuram ſuavi appellatione teſtificatus. Ita primus in lucem hanc editus eſt Cainus, deinde Abel, Sethus, & utriuſque ſexus alii. Sic Adamus ad nongenteſimum triceſimumque annum producta vita obiit.

Viventem.

A. M. c. 15.

A. M. c. 30.

CAINUS.

AT *Cainus*, inſtigatore Satana, indignè ferens Abelis pietatem & juſtitiam, conatus & ipſe eſt aliquo pietatis exemplo Deo ſe parentibuſque ſuis probare, quamtumvis Deum juxta ac fratrem

Gen. 4 1. *Joh.* 3. 12. *Joſeph. l.* 1. *Antiq. Judaicarum.* c. 3.

A

trem ipsomet corde averſaretur. Quare cum ſacrificandi ritum creatori placere cognoviſſet, ad memoriam promiſſionis de ſemine mulieris conterendo quidem à Satana, at viciſſim Satanam contrituro conſervandam, ſtato eum tempore ſimul cum fratre excercendum duxit. Ibi vero Deus cordium ſcrutator, *Abelis* ſacrificium igne cœlitus demiſſo approbat, Cainum aſpernatur, addita comminatione, ni deinceps pravis, quas animo concepiſſet, cupiditatibus reſiſtat, ac pietatem juſtitiamque colat, pœnas peccati
A. M. C. 100. ejus haud ſemper quieturas. Ille vero tantum abfuit ut divino monitu reſipiſceret, ut paulo poſt fratri nihil mali metuenti *vitam* nefariè *ademerit*, apertumque ſe Dei juſtitiæque omnis hoſtem profeſſus ſit. Quare à parentum excluſus conſortio, ad orientales mundi plagas profugus à Deo boniſque omnibus exul, vitam agreſtem & feram amplexus eſt, filioſque deinde ac nepotes ſibi ſimilimos propagavit. Nihilominus homo demens *urbem* primus condere, eique primogeniti ſui
A. M. C. 250. *Hanochi*, tanquam novi mundi dedicatoris nomen imponere auſus eſt, quaſi non exilium ſibi, ſed Dominium totius orbis ſcelere acquiſiviſſet.

Sethus.

Gen 4.25. VEruntamen Deus hominum ſibi adhærentium partibus non defuit, ſed pro Caino tanquam mortuo aliud Adamo ſemen ſtatuit, *Sethum* à divino
A. M. C. 130. poſitu Hebræis appellatum. Is ducenteſimo jam & trigeſimo mundi anno pro-
A. M. C. 230. duxit *Enoſchum*, qui ſanctis à Dei nomine appellationem tribuere, & Cainæos ab impietate & injuſtitia ad Dei amorem & reverentiam revocare, graviſſimis exhortationibus inſtituit. Huic filius fuit *Kenan*, *Kenani Mahalaleel*, iſti *Jaredus*,
395. 460. pietatis & amicitiæ Dei cum progenitoribus ſuis præcones & promotores acerrimi.

Lamechus.

Gen. 4. 19. ABnepos Caini *Lamechus*, impietatis avitæ hæres & æmulus, conju-
Gen. 1. 27. & 2. 14. gium ipſum generis humani fontem maculare exorſus eſt. Nam cum viris divino inſtituto uni tantum uxori jungi liceret, ille *duas* duxit, haud abſurdum ratus, ſi hoc pacto alteros piorum cœtus numero filiorum ſuperaret, ac mundi poſſeſſionem ad ſe traheret. Ejus filii auſpicia patris ſecuti, totos ſe rebus mundanis manciparunt, vias ac rationes commenti, quibus populos terrarum, qua Marte, qua arte, ſibi obnoxios redderent. Eorum primus *Jabal* (à proventibus He- *Gen. 4.* braeis dictus) rationem multiplicandorum pecorum & jumentorum monſtravit mortalibus. Alter *Jubal* à cornibus arietinis ducto nomine, cornibus animalium & inteſtinis ad lætitiam & bella uti docuit. Tertius *Tubalcain* (ex quo gentibus Dei Vulcani nomen) ipſo nomine orbis imperium Caino pollicitus, ferramentorum & armorum faciendorum artem primus adinvenit. Itaque *Lamechus* tali prole elatus, cædibus graſſari nihil dubitavit, majoremque ſibi, quam avo olim fuiſſet, fundendi ſanguinis impunitatem arrogavit publicè. Sic anno mundi 500 libido inſana cædeſque, exemplis introductæ peſſimis, vires in mundo ſumſere.

Henochus.

IGitur viſum Deo eſt generatione hominum ſeptima ſingularem plane virum excitare de Sethi familia. Natus an- *A. M. C. 622.* no mundi 622 Jaredo *Henochus* (Latinè *Gen. 5. 21, 22.* melioris mundi dedicatorem dixeris) *Hebr. 11. 5.* magno ſpiritu impiis Dei ob oculos po- *Sir. 44. 16.* ſuit judicium, deque beatiore ſeculo piis *Joſeph.* præparato, ultra 300 annos fidentiſſimè *l. 1. Antiquit.* concionatus, tandem non guſtata mor- *c. 4.* te ad *ſuperos vivus* tranſiit, univerſæ poſteritati ſpecimen pietatis perenne, præmiorumque ejus quaſi ſponſor futurus. Itaque cum anno mundi 930 humani generis parens Adamus diem extremum clauſiſſet, ne ex communi mortis lege ſomniare pergerent mali, nihil inter ſe Deique filios intereſſe, quod uni fato utrique debeientur, per Enochi vitam, migrationemque

Matth. 19. 5. 6. A. M. C. 600.

nemque beatam patuit, nimium eos falli, qui in hujus mundi cæno spem universam defigunt, æternitatis cognitione ex animis plane deleta. Vivebant eo tempore, quando Enochus ad Deum raptus est, majores ejus, *Patriarchæ* merito dicti, solus Adamus ante 57 annos obierat. Videbat Enochum Lamechus, è Mathusale filio nepos; filius ipse *Mathusales* extremum mundi casum, diutissimè omnium vivendo penè assecutus, patris sui exemplum omnibus posteris, pro efficacissimo ad pietatem spectaculo, jugiter memoravit.

A. M. C. 687. *Scilicet.* 969. *Gen.5.27.*

Noes.

SExagesimo nono post avi translationem anno nascebatur Lamecho *Noës*, à quo pater refectionem speravit in terra, divinis diris obnoxia. Noës usque ad annum ætatis 500 ipso etiam conjugio abstinuit, vitamque plane divinam in confertissima improborum hominum multitudine constantissimè duxit. Nam Cainæi nihil Enochi exemplo meliores, subinde deterius profecerant, totique jam rapinis fœdisque voluptatibus dediti, totius dominium orbis quocunque modo sibi vindicare non cessabant. Unde filiarum ex illis prognatarum venustate (nam accendendis libidinibus se totas componebant) illecti Dei familiares, amores illarum divino amori prætulere, moxque ipsa conjugia in augmentum impietatis & tyrannidis vertere. Nam progeniti ex illis paterno maternoque jure, sibi dominatum asserebant mundi: cumque artes & violentiam Cainitarum imitarentur, stemmatis etiam & titulorum dignitate, corporumque grandium mole, scelerum turpitudinem velabant. Quare Noës mundi morum pertæsus, implicari matrimonio noluit, vitæ longitudinem ad pietatis & justitiæ incrementum, non ad diuturniorem voluptatum usum divinitus dari, professus. At cum surdis ille divina judicia ingereret, pervicaciam eorum detestatus Omnipotens, universos delere minatur, nisi intra 120 annos à viis, quas elegerant, pessimis in pœnitentiam mutarentur. At vero conspicatus Noës incassum minas cadere, ac stare sententiam Dei de exitio mundi immotam, gratiam sibi humiliter precatus impetravit, ductaque uxore, conservando hominum generi, tres ex ea filios sustulit, *Semum*, *Japhetum* & *Chamum*, anno mundi 1556. Nec interim segnius incubuit officio, si quos approperantis pœnæ metu ex incendio posset eripere. Ferunt, eum duabus columnis, uni lateritiæ, alteri lapideæ, cœlestium rerum scientiam inscripsisse, è quibus lapideam suo tempore superfuisse narrat Josephus in Syria. Inde filiis de matrimonio prospiciens, ut essent reparandi generis seminarium, omnia tanquam ad finem mundo imminentem comparavit, mandato *Dei Arcam*, ad instar navis struens, in qua ipse cum uxore, tribusque filiis ac nuribus servaretur. Longitudo erat trecentum cubitorum, 50 latitudo, altitudo 30. Eam in tria tabulata distinxit, omnia undique cellulis & promptuariis intersecans, ut animantes rectè secludi, & suus singulis cibus commodè ministrari posset. Habuit & fenestram Arca supernè, per quam lucis aliquid ad habitationem penetraret. Tectum quoque ad altitudinem cubiti extans super Arcam, sub quo aër commearet, & per tubos ad singulas mansiones se diffunderet. Interim Lamechus pater Noæ, quinquennio antequam minæ Dei in nervum erumperent; Mathusales vero avus ipsomet exitii anno mortem obiere. Tandem Noës à Deo monitus, Arcam cum suis intrat, procurante Dei manu, ut ex omnibus animalibus, ad vermiculum usque minimum aliqua, ex immundis bina, ex mundis septena, in Arcam convenirent, instaurando deinceps mundo vivum semen præbitura. Tum vero occluso Arcæ ostio, derepentè omnes abyssi fontes, ætherisque cataractæ patuerunt, pluitque Deus diebus continuis 40, à 17 die mensis secundi, qui Romanis Aprilis est, usque ad Maii vicesimum tertium. Sic adeo in-

A. M. C. 1056. *Gen.5.28.* Ad. A. 1566. *Gen. 6.* *Joseph.1. Antiq. cap. 4. Aug. l. 15. de Civ. Dei c.22.* Ad A. M. 1656. *Gen.6. 7, 8. Aug. xv. de Civit. Dei c. 27.*

valuerunt aquæ, ut altissimos montes xv cubitus supergrederentur, prout observatum Noæ est die CL, cum arca montibus altissimis Armeniæ fato quodam impacta, undæ jam decrescere inciperent. Kalendis tandem Decembribus montium cacumina apparuëre, reliquas terras aquis adhuc obsidentibus. Noës igitur exploratum emissis avibus, per *columbam* olivæ folium referentem, arborum nudari cacumina intellexit. Itaque remoto tecto arcæ, ineunte anno 1657, jussus à Deo exire, ex arca in siccum descendit, terramque ex integro cœpit incolere. Ita expiatus lustratusque aquis est orbis terrarum; Ita flagrantem ubique libidinem atque numinis contemptum divinæ indignationis imbre, totiusque orbis eluvio, justissima pœna exstinxit.

Liber II.

Ab Instauratione Mundi usque ad vocationem Abrahæ: Epocha annorum 368.

Seculum dispersionis gentium.

Anno Mundi 1657. *Gen.* 8. 20. & 9. 1, 2, &c. *Joseph. lib.* 1. *Antiquit. c.* 5. *Sulpit. Sev. l.* 1.

EGressus ex arca *Noës* cum novi mundi seminario, primum *aram* Domino statuit, hostiasque ex volucribus immolavit. Mox à Domino cum filiis *benedicitur*, præceptumque accipit, ne sanguine vesceretur, aut sanguinem hominis effunderet, quia prioris mundi primordia Cainus cæde maculaverat; secus qui faceret, non impune ferret, sed sanguinem alterius fusum proprio statim elueret. Tum vis & vita hominum imminuta, & ad subsidium imbecillitatis carnes concessæ sunt: signum quoque conservandis à diluvio terris, *IRIS* in nubibus fixa. *Vites* deinde à Noa plantatæ vim suam in ipso mox satore ostenderunt. Ebrium vino ac nudatum parentem Chamus ludibrio habuit, & fratribus demonstrare cœpit. At Semus & Japhetus aversi, injecto eum pallio contegunt. Re cognita Noës Chamum diris devovit, fratribus ejus omnia fausta precatus est. *A tribus hisce* Noæ filiis *gentes* toto terrarum orbe deinceps propagatæ. Semus inprimis Orientem, Japhetus Aquilonem & Occidentem, Chamus Meridionales partes obtinuit. *Japhetus* produxit Galatas, aut Celtas, Scythas, Medos, Græcos, Iberos, Cappadoces, Thraces, Cilices, Paphlagonas, Cyprios, Rhodios. *A Chamo* orti sunt Æthiopes, Ægyptii, Libyes, Getuli, Palæstini, Phœnices. *A Semo*, Elymæi, Assyrii, Chaldæi, Lydi, Syri, Arabes, Armeni, Cares, Indi. Itaque *Noës* cum universa domo sua principio Armeniam, Assyriamque incoluit, ut frustra olim Ægyptii cum Scythis de vetustatis prærogativa contenderint. Moses enim, cujus libri divinam habent auctoritatem, Orientem primò habitatum docet. Nec dubium montana primum culta, deinde in planum descensum, ad extremum tandem mari vicina insulasque ausos occupare mortales. Igitur in Assyria Armeniaque primis centum annis Noës paterno posteros omnes imperio rexit, & ad veram unius Dei reverentiam verbo eis exemploque præivit. Agebatque jam annum ætatis suæ 700, quum de pronepotibus suis unus dominatum sibi in reliquos sumere fratres ausus, universo orbi ingentis mali causam præbuit.

Strabo. Geo. l. 13.

Gen. 10. *Hier. in quæst. Hebr. Zonar. Tomo* 1. *Joseph. l.* 1. *c.* 7. *Herod. l.* 2. *Plato de leg. l.* 3.

Nimrodus.

IS erat *Nimrodus*, execrabilis istius Chami ex Chuso nepos, qui reliquos mortales venatoris instar agere, rapere, persequi, suamque in potestatem trahere, primusque urbes condere, reparare & munire ad securitatem suam cœpit. Cumque ex montanis in planitiem descendissent, jubente Deo, ut propagandi generis, cavendæque dissensionis gratia co-

A. M. C. 1757. *Gen.* 10. *v.* 11. *Sulp. Severus l.* 1. *Zonar. Tomo* 1.

colonias deducerent, totamque excolerent terram, homines ſtulti non paruerunt. Ibi Nimrodus autor factus eſt cæteris, ut coctis lateribus, collectoque bitumine, *urbem*, ſummæque altitudinis
A. M. C. 1758. *turrim* excitarent, fortitudinis & prudentiæ ſuæ monimentum, &, ſi qua denuo eſſet futura, inundationis perfugium. Procedente opere, contemptor
Joſeph. l. 1. Antiquit. c. 6. Numinis animus ad cœlum perducere faſtigium ſperavit, unde Græcis deinceps fabulandi occaſio, Gigantes cœlum occupare aggreſſos. Cæterum ſuperbis mortalium conatibus divina obſtitit ma-
A. M. C. 1758. nus. Repentè una, qua hactenus uſi fuerant, *lingua in duas & ſeptuaginta*, quot
Gen. 10. v. 11. erant familiæ, diviſa eſt. Sublato ſermonis commercio, ædificatio abrumpitur;
Aug. l. 16. de Civit. Dei. c. 10. 11. ædificantes, quo quemque ſors & Deus tulit, per totum orbem diſperguntur. Lingua, quæ communis antea fuerat, in *Heberi* (Semi is erat pronepos) poſteris hæſit, qui eodem tempore natum ſibi filium, *Pelegum* Hebraicè, à diviſione or-
Gen. 10. v. 25. bis appellavit. Urbs inchoata ex linguarum operiſque confuſione, *Babel* Hebræis, Græcis Latiniſque deinde Babylon appellata eſt.

Regni Aſſyriorum primordia.

Diod. Sic. l. 2. Bibliot. PLurium hiſtoricorum ſuffragio conſtat, *Aſſyriorum* regnum ad mille trecentos ſexaginta annos ſtetiſſe. Quos ſi à Cyaxare Medo, iſtius imperii deſtructore, retro numeres, (Joſiæ is coætaneus fuit,) incidet ejus initium fere in
Herod. l. 1. Vellejus l. 1. Juſtin. lib. 1. annum mundi 2030. Sed Herodotus ei imperio tantum quingentos annos tribuit: Vellejus MLXX. Quod planiſſimum documentum eſt, veteribus parum certi de antiquiſſimo iſto regno conſtitiſſe. *E-*
A. M. C. 1843. *jus conditor* omnino fuit *Aſſur* vel Belus, Semi progenies, nec eſt paſſus Chami
Aug. l. 16. de Civit. Dei. c. 3. poſteros dominari in Oriente. Erat au-
Gen. 10. 2. tem Nimrodus Chamo, Aſſur Semo genitus, teſte certiſſimo Moſe, qui etiam diſertè ſcribit, Niniven ab Aſſure conditam, aliaſque urbes prægrandes. Itaque ab Orientalibus populis *Bel* ſeu Beel, quæ vox Dominum notat, cognominatus *Aſſur*, poſt exceſſum ſuum *pro Deo* cœpit haberi, primamque idolorum vanitati originem præbuit. Unde poſterorum ſuperſtitio varios ſibi Belos vel Baalos excogitavit, quos divina humanaque monumenta memorant. Eupolemus apud *Euſebium* tradit, hunc gentium Saturnum eſſe, cujus filius Ninus, ſeu alter Belus Jupiter fuerit. *Epiphanius* autor eſt, initium profani cultus à picturis & imaginibus ductum, poſtea aureas argenteaſque ſtatuas fieri cœptas. Ac mirum, quantos ſubito progreſſus fecerit ſtulta impietas, Tyrannis venerationem humana majorem ſuis ſive majoribus, ſive præmaturo funere exſtinctis filiis, deferri poſtulantibus: Aliiſque adulatione ſpontanea potentum accendentibus ambitionem. Paulatim Solis, Lunæ ſtellarumque nomina regibus demortuis, eorumque ſtatuis indita, & divinitatis aliquid iis ineſſe creditum. Spiritus enim deſertores, divinitatis affectatores, ſimulachris illapſi, ut honores ſibi Deorum vindicarent, fallendis hominibus reſponſa dederunt, ſub nominibus mortuorum viventibus imponentes. Hujus inſaniæ contagio *Tharam* quoque virum ea ætate apud Chaldæos eximium invaſerat, cui tamen Deus Ure Chaldæorum excedere cum familia, aliaſque ſibi ſedes quærere imperavit.

Origo. Superſtitionum.
Euſeb. l. 9. Præpa. Evangel. cap. 4. Epiph. l. 1. adverſ. hær.
Sap. 4.
Avent. lib. 1. Annal.
Joſ. 24.
A. M. C. 1897.

NINUS.

INterim non fuerat ſatis *Nino* Beli filio, de quo Aſſur, ejus pater, Ninon urbem à ſe conditam denominaverat, idola reperiſſe, & exſecranda mortales ſuperſtitione maculaſſe: quin etiam imperandi ardore flagrans, peſſimo exemplo intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, ad terminos uſque Libyæ perdomuit. Unde omnes gentium ſcriptores à *Nini* imperio capiunt initium. Sunt ſane, qui paulo antiquiores faciunt *Vexorin* Ægypti, & Scythiæ regem *Thanin*, quorum alter in Pontum, alter in
A. M. C. 1908. *Oroſ. l. 2. c. 10. Macr. in ſom. Scip. l. 2. c. 10.*

Ægyptum receſſiſſe fertur, ſed longinqua non finitima bella gerebant. *Ninus*, domitis proximis cum acceſſione virium fortior ad alios tranſiret, & proxima quæque victoria inſtrumentum ſequentis eſſet, totius Orientis populos ſubegit. Poſtremum illi bellum cum *Zoroaſtro* rege Bactrianorum tribuitur, qui primus dicitur artes Magicas inveniſſe, & ſiderum motus curioſius ſpectaſſe, quem tamen alii multo poſteriorem Nino fuiſſe volunt, unde Suidas duos Zoroaſtros memorat. Illo vero occiſo, & ipſe Ninus deceſſit, relicto impubere adhuc filio *Ninia* (qui & Ninus junior) & uxore Semiramide, eo fere tempore, quo Abrahamus Tharæ filius, ſapientiæ deinde laude illuſtris, apud Chaldæos innotuit: Noës autem alter generis humani parens, cum 950 annos vixiſſet, & ſobolem ſuam jam 350 annis in immenſum multiplicatam vidiſſet, ad beatiores ſedes tranſiit. Nino Ægialeus, primus Sicyoniorum rex, ab Euſebio æqualis numeratur.

Juſtin. l. 1 Diod. Sic. l. 2.

Suidas.

Euſ. in Chron.

A. M. C. 1880.

A. M. C. 1860.

Semiramis.

Juſt. l. 1. Diod. l. 2. Strabo lib. 16. Oroſ. l. 1. cap. 24.

Semiramis virago, Nini conjux, regnum præſtigiis quibuſdam intervertit, atque apud ſubditos ſexum mentita, calliditate & aſtu pluſquam muliebri illud tenuit. Ab ea *Babylon* magnificentiſſimè munita, aggeres paſſim ſtructi, horti item penſiles: maximæ res geſtæ. Nec enim contenta acquiſitos viro regni terminos tueri, arma in *Ægyptum* protulit, & *Æthiopiam* imperio adjecit. Denique & *Indis* bellum fecit formidoloſiſſimum, Staurobatis tamen Indorum regis conſtantia fortiter repulſum. Sed mulier virorum audaciam ſupergreſſa, à libidinibus ſuis victa eſt, cumque tandem inceſtum filii concubitum petiiſſet, ab eodem interfecta periit, 42 annos poſt Ninum regno potita.

Ninus Junior.

Diod. l 2. Juſt. l. 1. Euſ. in Chron.

Hic ſublata matre, ſi luxuriam & fraudem excipias, nihil parentum æmulatus, abjecto armorum ſtudio, ad *otium* & voluptatem ſe contulit. Interea ſemper quaſi ſubitum moliretur bellum, frequenti delectu juventutem in armis tenuit, ut populos præſentium copiarum metu à defectione cohiberet. Ipſe interim præfectis commiſſa rerum adminiſtratione, inter Eunuchos & puellarum greges turpiter conſenuit, rerum potitus annos 38.

Ejus veſtigia *alii* plerique, qui poſt illum in Aſſyria regnarunt, nihilo meliore fama ſecuti ſunt, *nomine reges*, re autem ipſa vitiorum ſervi abjectiſſimi.

Euſeb. in Chron. ad Sardanap. numerat 1240.

Itaque inſtaurata jam hominum gente, & coloniis hinc inde propagatis, cum vires paſſim ſibi acquireret impietas, vehementes tamen Patriarcharum monitus obſtabant, inter quos *Semus* Aſſyriorum progenitor, tantam filiorum iniquitatem indignatus, longe lateque verum Dei cultum propagavit. Et quanquam in Oriente ultra Euphratem à patribus accepta religio nutabat, populis ad idololatriam propendentibus; tamen eodem tempore reges adhuc alibi ſacerdotio Dei altiſſimi fungebantur. Inter quos *Melchiſedecus* in Palæſtina, inter impios Chami poſteros degens, excelluit, vir planè admirabilis: cui non abſimiles alii per Ægyptum, Geraris, viciniſque in locis extitere.

Joſ. 24. 2. Jud 5. 6. 7 Aug. de Civit. Dei lib. 16. c. 13.

Gen. 12. 14. 20.

Hiſce temporibus *Tuiſconem* Germanorum regem ac parentem, ejuſque filios Mannum, Ingævonem, Marſumque reges floruiſſe; Tuiſconis comitem fuiſſe *Danum*, Danorum conditorem, Aventinus & Annius Viterbienſis ex ſuppoſititio Beroſo memorant. Atque fuiſſe quidem illos gentium harum conditores, antiquiſſimis Germanorum carminibus decantari, memorat Cornelius Tacitus; quod autem hiſce temporibus fuerint, haud ſcio an ullis è veterum monumentis ulli ſit exploratum.

A. M. C. 1463.

Avent. l. 1. Beroſus Annii Viterbienſis. Gen. 12. 14. 20. Cornelius Tacitus de moribus Germanorum.

LIBER III.

A Vocatione Abrahæ, usque ad exitum Israëlis ex Ægypto, annos 430 continens.

ABRAHAMUS.

Apud gentes seculum Deorum.

Apud Christianos seculum Patriarcharum.

A. M. 2024.

NOndum abierat è mortalibus Semus, sed ætatis annos expleverat quingentos viginti quinque, quum *Abramus* aliquot annos Charris Mesopotamiæ cum patre totaque cognatione moratus, parente mortuo in *Palæstinam* iter dirigere jussus est. In consiliis enim erat Deo, nominis sui prædicationem per omnes Orientis regiones circumferre, & ad ipsos impii Chami posteros virum pietate & sapientia excellentem mittere, qui intermorientem apud illos sui cognitionem resuscitaret, & Messiæ, mundi servatoris, adventum clarius distinctiusque prænunciaret. Quare differtè ei promisit, fore ut *semen*, è quo omnibus populis salus oriretur, ex ipsius lumbis proveniret suo tempore. Hoc ille oracilo fretus in Palæstinam pergit, ibidemque prope Sichemum novo firmatur numinis alloquio de totius Palæstinæ possessione suis posteris donanda. Sed fame exorta in *Ægyptum* migrat, cujus reges Pharaones appellabantur. Qui tunc ibidem regnabat, pulchritudine illectus conjugis Abrami (Sara ei nomen erat) sibi associare mulierem cogitavit. Mox vero repentinis percussus malis, marito eam honorificè restituit intactam: Sic in Ægypto Deus ab Abramo prædicatus innotuit. Sic Ægyptus *Arithmeticam* & *Astronomiam*, Abramo doctore accepit: quas disciplinas ab Ægyptiis multis post seculis edocti Pythagoras, Thales, Democritus, & Græcorum alii, in varias terras propagarunt. Ex Ægypto rediens Abramus amicus Dei mirè collocupletatus, *Lothum* fratris filium, universæ peregrinationis socium, à se dimisit. Quæ prophetarum Dei separatio, paulò post ad ingentem Divinitatis gloriam redundavit. *Res autem ita gesta est.* Latè eo tempore Assyrii dominabantur in Oriente, prout superiori libro annotatum est. Ninus Junior (qui Bacchus senior Græcorum nonnullis creditus) distributo inter Satrapas regno, voluptatibus suis serviebat, ideoque duces illi præfecturarum suarum Reges sunt appellati. Itaque Amraphel Babyloniæ, Ariochus Elassari, hoc est, Ponti, Kedor Laomor Elymæorum, Thideal Pamphyliorum reges erant, qui societate inter se inita, rebelles Sodomæ, vicinarumque regionum rectores, ad obedientiam Assyriorum armis revocare instituebant. Initio eis feliciter cessit expeditio: Nam Arabiam omniaque Jordani finitima victricibus armis pervagati, magnam Gigantum (erant illi Chamo progeniti) stragem ediderunt, insuper quinque earum regionum regulos, acie devictos, in captivitatem secum rapientes, interque eorum subditos etiam *Lothum*, recentem Sodomis advenam factum. Ibi *Abramus* fama cladis excitatus, agnati calamitatem non tulit, sed Deo fidens, qui omnes ipsius adversarios diris se suppliciis persecuturum promiserat, victorem exercitum exigua manu aggressus fudit fugavitque, captivis omnibus receptis. Sic cunctis populis patuit, quantum Dei veri virtus fictitia numina antecelleret. Quare *Melchizedecus* Solymorum rex, Abramo à secundo prælio redeunti cum benedictionibus & commeatu occurrit, ac vicissim ab eo in gratitudinis & reverentiæ testimonium decimas omnium bonorum consequitur. Cæterum Abramus tantis Dei immortalis beneficiis auctus orbitatem tamen suam mœrebat, quod nullam è sterili conjuge sobolem susciperet, jam octogenario major. Ergo ratus aliam complendis oraculis Uxorem destinari, suadente Sara, *ex Agare* Ægyptia, *Ismaëlem* genuit, cujus posteri deinde Arabiam

Sichem

Gen. 12. 2,3,6.

Nicol. Damascen. apud Joseph. l.1.c.9.

Alexand. apud. Euseb.l.9. Præpar. Evang. c.4. & l. 10. c. 2.

Gen. 13.

*Gen.*14. *Joseph.*

l.1.Antiq. c. 10. 12. Hieron. in quæst. Hebr.

*Gen.*12.3. *Es.*41. 2,3. *Gen.*14. 18. *Heb.* 7. 1,3. *Gen.*15. 16. *Joseph. l.1. Antiq. c.* 11.13.

A. M. C. 2035.

Arabiam ab Assyriis evastatam occuparunt, ac hodiernum retinent. Verum Abramus hoc consilio lapsus est, semen à Deo promissum incredibili mentis ardore expetens. Quare Deus virum sibi deditum hospitis instar invisens, ex ipsa Sara ei prolem est pollicitus eodem tempore, quo *Sodomorum* terram, Abrami antea fide servatam, ob nova scelera cœlesti incendio consumpsit. Lacus Asphaltites iræ Numinis æternum monumentum factus est. Nihilominus patruelem ejus *Lothum* cum filiabus, Abrami preces diro supplicio exemere. *Uxorem* Lothi, quod contra educentis angeli præceptum ad urbem sceleratam respexisset, propria stultitia perdidit. *Filiæ* ejus mortalium genus interiisse arbitratæ, patrem vino sopitum ad incestos complexus solicitant. Ex nefaria commixtione *Moabus* & *Ammon*, potentium populorum conditores prodiêre eodem anno, quo Abramo (quem Deus *Abrahamum* ob incrementum sobolis dixerat) jam centenario, è conjuge effœta & sterili filius obvenit, die partus octavo secundum oraculum circumcisus, qui ex rei novæ & admirandæ risu *Isaaci* nomen obtinuit. Inde Judæis vicinisque populis mos circumcidendi parvulos inolevit, certum posteritati documentum, singulare semen ex illo populo proventurum, è quo salus universis terris existeret. Qui istius spei participes esse cupiebant, eundem ritum amplectebantur. Cæterum *immolandum* illud semen Deo, moxque incolume è morte revicturum, in Isaaco demonstratum est. Hunc enim pater immolare jussus in monte *Moria*, in quo sequentibus seculis templum Jerosolymitanum stetit, cum animo obtemperandi Deo cultrum admoveret jugulo filii, revocatus ab Angelo est, arietesque fato oblatus, qui filii loco mactaretur. *Ex eo tempore* illo in loco semper *sacrificia* viguëre, perpetuum populis testimonium, futurum aliquando, ut ibidem filius iste Abrahæ benedictus pro mundi vita moreretur, & ex morte redivivus humano generi salutis æternæ auctor fieret. *Verum* omnia in pejus rapiente Satana, proximæ gentes sacrificium illud æmulatæ, Saturno similiter (is rex Belus fuerat, quem scriptura divina Moloch, id est, regem, & Baal, hoc est, Dominum ex gentium consuetudine cognominat) *filiorum carissimos* mactare cœperunt, quod detestabile cacoëthes à Phœnicibus Tyriisque acceptum, coloni eorum Pœni in Africam propagarunt, ut multis adeo populis exinde execrandarum hostiarum occasio & origo nata sit.

Sed redeo ad *Abrahamum*. Agebat is annum ætatis 137, cum Sara conjuge orbatus *Ceturam* duxit, receptaque virtute generandi, sex ex ea filios genuit, qui late deinceps Arabiam, Troglodytidem, vicinaque loca complevêre. Tunc vero Semus annum egressus 600 excessit è vita, quem Abrahamus decimus ab illo nepos, 25 annis post secutus est, exactis vitæ annis 175.

Mal.2.15. Gen. 18. Joseph. l. 5. de bello Jud. c. 5. Tacit. 5. A. M. 2047. Histor. Plin. l. 2. c. 103. & 5. c. 15. Gen. 19. Luc. 17. Joseph. l. 1. Antiq. c. 12. Deut. 2. 10.11.20. 21. Gen. 17. 21. Rom.4.11. A. M. 2048. Herodot. l. 2. Gen. 22. Heb. 11. 17.18.12. Joseph. lib. 1. Antiq. c. 14. 2 Par.3.1. August. 16. de Civit. Dei.c.32. De Isaaco mirabilis historia. A. M. 2062.

Lev. 18. 21. & 20. 2. Diod. Sic. l.20. Biblioth. Gen. 25.

A. M. 2086.

Isaacus.

EJus virtutum bonorumque hæres *Isaacus* anno diluvii 492 *Rebeccam* ex Mesopotamia uxorem accepit, patruele suo prognatam. Ea viginti annis sterilem torum experta, exorato tandem Deo, *Esavum* ei & *Jacobum* gemellos peperit, superstite etiam tum Abrahamo; eodem fere tempore, quo Inachus, primus *Argivorum rex*, in Græcia regnavit, cujus filiæ Io (Isidem deinceps vocarunt) Jupiter Cretensium rex, Deus postea stulta gentium credulitate habitus, stuprum intulit. Pauciscque post annis Eusebius *Apin* Ægypto præfuisse indicat, quem eâdem dementiâ Deum Serapin appellarunt, addito capitis supplicio, si quis eum hominem fuisse diceret. Ita Jacobus, Israëlitici generis parens, præcipuis Ægyptiorum Græcorumque Numinibus ætate haud multo minor extitit. Sed auctam terræ impietatem *fame* castigavit cœli Dominus, inque Ægyptum cogitantem Isaacum, Geraris subsistere coëgit, iteratis ei Palæstinæ terræ pro-

A. M. 2089. *An. diluvii 492. Gen.24. 25. 26. Joseph. l. 1. Antiq. c. 18.*

A. M. 2109. *Euseb.in Chron. Aug.l.18. de civitat. Dei. c.5.*

A. M. 2113.

A. M. 2129.

promissionibus. Quarum mox primitias ipse degustavit, arctissima annona centuplam messem divina benignitate adeptus. Quare indignantibus livore (ut fit) indigenis, rex *Abimelechus* potentiam viri & felicitatem veneratus, fœdus cum ipso pepigit, manifesta Dei, quem colebat, manu insigniter collaudata. Centesimo Isaaci anno *Esavus* invitis parentibus inito matrimonio, mox
A. M. 2149. vindicem Dei oculum persensit primo-
Gen. 25. 29. 26. 34. 27. 28. geniturae privilegio in Jacobum fratrem divinitus translato. Ipse à rufo ferculo, quo jus suum homo profanus & intemperans fratri vendiderat, Edom cognominatus, *Idumæa* nomen fecit. Igitur
Gen. 28. 29, 30. multiplicatis jam per orbem idolis, Ja-
A. M. 2185. cobum in Mesopotamiam ablegavit pa-
Joseph. l. 1. *Antiq. cap.* 19. ter; ubi avitæ religionis vestigia adhuc clariora supereſſe judicabat. Veruntamen ibi quoque pietas justitiaque refrixerant, & Rebeccæ frater Laban animum ad idola adjicere cœperat. Corruptam religionem morum corruptio secuta. *Laban Jacobo* filiam *Rachelem* tanquam nundinatus septenni servitio *elocavit*, exactis servitii annis *Liam*, de-
A. M. C. 2193. formiorem filiam, contra datam fidem suppositi, compulitque Jacobum pro
A. M. C. 2186. Rachele alterum septennium servire. Sed Deus, qui *scalæ* ad cœlum pertingenti insistens, Jacobum in Mesopotamiam euntem in somnis allocutus fuerat, Labanis fraudes reddidit irritas, quantumque inter ipsum & idola, quæ elegerat Laban, interesset domestico exemplo ostendit. Etenim Jacobo greges optimos & fœcundissimos, Labani deterrimos effecit, divitiæque avari soceri ad
Gen. 31. 32. pium generum migrarunt. Rem familiarem Jacobi filiorum copia & felicitas adauxit. Hinc invidia in eum ingens, cui declinandæ, cum divino monitu in Palæstinam reverteretur, *in via Deum atque Angelos habuit obvios*, efficacissimum posteris ad pietatem incitamentum. Isaacus interim Hebrone vivebat, ubi utriusque filii familiam longe lateque florentem conspicatus, tandem mortalis vitæ satur, anno ætatis 180. animam Deo reddidit.

Jacobus.

A. M. C. 2206. *Gen.* 32. 33. 34. *Joseph. lib.* 2. *Antiq. cap.* 1. A. M. C. 2215. *Gen.* 35. *Euseb. in Chron. Paulus. Oros. l.* 1. *c.* 7. *Vives in Comment. Aug. l.* 18. *C. D. c.* 8.

Jacobo de primogenitura grande cum fratre litigium fuerat, quod Deo arbitro compositum, à quo benedictione solenniter renovata, *Israël* ex divina victoria dictus est. *Ejus filii* erant *undecim*, sex è Lia, quatuor ex ancillis, unus Josephus è Rachele, omnes in Mesopotamia prognati: *Filia* tantum *una Dina* nomine. Hanc Sichemus principum Palæstinæ unus deamavit, stupratæque ut potiretur conjugio, circumcisionis ritu cum universis subditis initiatus est. Sed *Levis & Simeon* Dinæ fratres, ægram ex vulneribus civitatem ferro depopulati, necessitatem discedendi Jacobo attraxere, ne finitimis præda fieret. Cum Hebronem ad patrem valde senem proficisceretur, Rachelem carissimam ejus conjugum partus dolor extinxit, filio, quem pepererat, Benjaminis nomen inditum. Sic *duodecim Israëlis filii fuere*, Ruben, Simeon, Levis, Judas, Dan, Naphthalis, Gad, Aser, Isaschar, Zabulon, Josephus, Benjamin. Dum illi unius Dei cultum in Palæstina propagant & tuentur, in Græcia jam superstitionibus tincta, Jove progenita Græcorum numina floruere, Apollo, Mars, Vulcanus, Liber, Minerva, Venus, & superstitionum Patriarchæ alii. Illis coætaneus fuit Phoroneus, Inachi & Niobes filius, qui primus leges judiciaque Græcis conscripsisse traditur. Idololatriæ insaniam Deus *novo diluvio* ultus est, nequaquam tamen omni carni, ut olim, exitiali. In Græcia enim sola sub Ogyge Atticæ rege, plurimos mortales absorpsit, anno ante Romam conditam (ut volunt) M L.

Josephus.

Gen. 37. *Jos. lib.* 2. *Antiq. cap* 2. 3. *Gen.* 39. Israëlis è Rachele filius *Josephus* fratres omnes animi solertia & altitudine superavit, ac Deus illi valde puero *per somnia imperium* in fratres adumbravit.

Hinc odium & invidia, & ex odio cœca fatis obluctandi cupiditas, quibus tamen viam nemo præcluſerit. *Venditus* enim mercatoribus puer in Ægyptum deportatur, regioque miniſtro emptus *Potiphari*, familiæ ejus præficitur. Ibi *heræ* laſcivis *amoribus* præclaro pudicitiæ amore refutatis ex amante infeſtam ſibi procacem dominam reddidit. Suum mulier crimen innocentis Joſephi capiti impingit, tentatæque pudicitiæ accuſat apud maritum, qui eam defenderat. Sic Joſephus *carceri* includitur. Hanc calamitatem pio in Deum affectu non tantum evaſit, ſed ſummos etiam inſuper honores perſpicuo æterni Numinis favore adeptus eſt. Etenim comperto, eum in ſomniis conjiciendis mira eſſe ſolertia, à rege evocatus, *ſomnium* de fertilitate & ſterilitate Ægyptii ſoli interpretatur. Cui cum ultra hominem videretur ſapere, totius Ægypti adminiſtrationem, dignitatemque regiæ proximam obtinuit. Hinc fabulis jactatum, *Hermen*, hoc eſt, interpretem diſciplinas apud Ægyptios arteſque reperiſſe. Joſepho enim Ægyptiorum ſapientia debetur, qui regis autoritate illos divinas humanaſque artes edocuit. Paulo poſt *famis* flagello compulſis ad emendam ibidem annonam fratribus, explorata prius fide ipſorum & integritate in Benjaminem, ſeſe patefecit, injuriæque ſibi illatæ negligens, patri totique familiæ de victu & habitatione proſpexit. Ita *migrarunt in Ægyptum Hebræi*, 70 numero, & quod mireris, poſt annos 215 ſexcenta virorum millia ab ipſis procreata exiverunt. Quamvis enim defuncto Joſepho immemor beneficiorum ejus Ægyptus, indigna ſervitute Iſraëlitas preſſit, tamen illi ſub ipſis creſcere oneribus, atque ad invidiam indigenarum in immenſum multiplicari non deſiêre. Eadem tempeſtate *Jobus* Auſanitidis princeps, filiorum bonorumque omnium jacturam fortiter ferens, nec in atrociſſima corporis afflictione deficiens, immortale patientiæ exemplum dedit poſteris & ex calamitate vegetior feliciorque emerſit. Iſtis ex Deo ſapientibus ſuppares fuere *magiſtri gentium*, quos fabuloſa Græcorum carmina extollunt. *Argus* Argorum conditor, ob incredibilem perſpicaciam centoculus appellatus. Item *Prometheus* vanitatis imperitiæque humanæ expulſor, qui ob id homines feciſſe fingitur. Ejuſque frater *Atlas*, ſideralis ſcientiæ cultor ſtrenuus, qui idcirco cœlum humeris ſuſtinuiſſe creditus. Hi procul dubio à Joſepho, communi Ægyptiorum magiſtro, hauſta ſapientia, quod cum rudibus eam populis communicarent, tanquam ignem Deorum furati memorantur. *Jacobus* interim 17 annis in Ægypto, 147 in terris hoſpes, inter manus filiorum *mortalitatem explevit*, ſingulis antea ſortes in terra ſuas fatidico ſpiritu ominatus, ex majoribus ſuis nulli pietate ſecundus, cujus digna præmia Dei benignitate conſecutus eſt. *Joſephus* permittente rege (cui Euſebius ex vetuſtis Chronographis Amaſis nomen ponit) deportatum patris corpus in Palæſtinam, avito quod Hebrone erat monumento, magnificè intulit, cui ſupervixit annos 54. Numquam non fratres, pro conſcientia admiſſi in eum ſceleris paventes, ſumma benevolentia complexus *moriens* pietatis in Deum, certæque gentilibus ſuis fiduciæ monumentum relicturus, teſtamento ſanxit, ut Ægypto egredientes oſſa ſua promiſſo patribus ſolo conderent.

A. M. C. 2217. *Gen.40. 41.* A. M. C. 2217. A. M. C. 2250. *Diod. Sic.l.1. bibl. Pſal. 105. 22.* A. M. C. 2239. *Gen.42. 43,44 45. Joſeph.l.1. Antiq.c.4. Gen.46.* *Job.1. 2,40.* *Euſeb. in Chron.* A. M. C. 2256. *Gen.47. 48,49,50.* *Gen.50. Hebr.11. 22.* A. M. C. 2310.

EPHRAIMES.

Ephraimes Joſephi filius, Manaſſen ætate ſuperiorem, filiorum copia & felicitate ſuperavit. Sed proſperitatem ejus univerſam una clades repentè corrupit. Cum enim ejus poſteri, præmatura expeditione Palæſtinam intercepturi, Gathæorum armenta abigerent, ad internecionem cæſi, ingentem progenitori & diuturnam mœſtitiam pepererunt. Et actum de hujus Patriarchæ prole fuiſſet, niſi vegeta ſenis virtus divino munere novam ſobolem procreaſſet, quæ (dictu

Gen.48. 1 Par.7. *1 Par.7.*

(dictu mirandum) ad octavam generationem excreverat iterum, cum fatale
Exod.1.2. illud tempus illuxit, quo Israëlitico populo sedes firmæ ac stabiles in Palæstina obtigere. Nec *Ephraimi* tantum hæc fuit felicitas, sed omne genus Israëliticum, præ reliquis mortalibus, per Ægyptum auctum confirmatumque, Deo per id Numen suum gentibus manifestante, jam timori esse regi omnibusque indigenis cœpit. Igitur Ægyptii, voluptatibus
Joseph. l. 2. Antiq. c. 5. solum, & captandis undecunque lucris dediti, Hebræorum industriam & felicitatem iniquissimo animo tulêre. Cumque Josephi beneficiorum memoriam tempus obliterasset, atque Ægypti regnum in aliam demigrasset familiam, inhumano tractabant Israëlitas odio, variisque laboribus atterebant.

Amramus.

A. M. C. 2303. *Exod. 2. Ioseph. l. 2. Antiq. c 56.* A *Mramus* Jacobi pronepos, Levin Josephi fratrem avum habuit. Sub illo *Hierophanta* quidam Ægyptius, si Josepho fides, nasciturum Israëlitis quendam prædixit, qui adultam ætatem adeptus, res Ægyptiorum gravissime affligeret. Hinc rex præsagio territus palam edixit, omne Hebræorum masculum in flumen projectum necare. Tunc Amramus Jochebeda uxore susceptam prolem trimestri spatio clam educavit, invocatoque tandem ad defensionem ejus
A. M. 2349. Deo paterno, imminens sibi filioque exitium aversurus, capsulæ eum è papyro contextæ, probeque oblinitæ inclusum, ad ripam fluminis exposuit. Sic extortus parentibus *Moses*, Jacobi abnepos, singulari fato à regis Chenephris filia Thermuti seu Meride receptus est, &
Artab. apud Euseb. l. 10. Præpar. Evang. in aula literis artibusque Ægyptiis imbutus, mira indole efloruit. Cum adoleviset, originis suæ gnarus, gentilium
A. M. 2374. calamitates acerbissimè tulit, occasionemque nactus ex Ægyptii cujusdam evidenti injuria, eum *occidit*, libertatis spem non obscuram Israëlitis prælucens.
Act. 7. 25. Cognito autem emanasse ad regem facinus, declinando periculo ad Arabes profugit, ibique reguli cujusdam gener, ducta ejus filia, factus, pecuariæ locavit operam. In agro gregibus pascendis, pro instituto majorum & seculi istius, vacantem *Deus* ex ardenti rubo *compellat*, inque Ægyptum proficisci jubet, & populum inde Hebræorum educere. Adopus humanis majus viribus, miraculorum cum splendore, fratrisque Aaronis consortio animat. Accedit regem Moses, Deique Hebræorum mandatum exponit, sed frustra. Ille enim suis intentus commodis, servientem sibi populum dimittere recusabat, miraculis Mosis, arte Jannis & Jambris Magorum Ægyptiacorum, aliquandiu elusis. Sed brevi patuit, quantumvis divina diabolorum fraudes excederet. Nam post ingentem horribilium malorum experientiam, Deus una nocte omne universæ Ægypti primogenitum occidit, solis Israëlitis, qui agni mactati sanguine postes ex divino oraculo conspersérant, communi clade exceptis. Itaque Ægyptii majoris mali metu, ne una omnes nocte interirent, pervicerunt regem obstinatè stolidum, ut Israëlitas Ægypto excedere compelleret. Quos deinde, ut mox dicetur, stolidius insecutus, cum omnibus copiis rubro mari absorptus est. C. Tacitus memorat, regnante Ægyptiis Iside, exundantem ibi Hebræorum multitudinem in proximas terras exoneratam, plurimis tamen authoribus, *Bocchoris* regi nomen fuisse. Sed is, teste Eusebio, successit Cenchri, qui mari submersus interierat. Ante eum Inachus antea Apis dictus (ut Epiphanius memorat) cujus filia fuit ea, quæ & Isis & Atthis, unde Attica dicta, Memphin eximiam Ægypti urbem condiderat. Sed quam *incerta* sint *Ægyptiaca*, ante Psammetichum & Necon ejus filium, tum dissonantia scriptorum à divinis monumentis, tum Josephus lib. 1. contra Appionem refutans Manethonem, Chæremonem & Lysimachum, tum ipsa veterum dissidia, satis superque coarguunt: Theophilus ad Autolicum

2414.

2453.

Exod. 3. 4.

2 Tim. 3. 16.

Exod. 7. 8. 9.

Strabo lib. 16.

A. M. 2453.

Ægypti Geograph. Orosius l. 1. c. 8. 9. 10. 11. Iustin. l. 36. Diod. Sicul. l. 40. Eccl. 1. Tac. hist. lib. 5.

Epiph. l. 1. cont. hæreses.

Theoph. ad Autol.

ex Manethone Ægyptio nomen regi ſubmerſo ponit Thetmoſin. Lyſimachus certe à Joſepho citatus, veriorem ſecutus calculum videtur, qui Bocchorin regem Judæos Ægypto emiſiſſe ſcripſit, à quo Joſephus ad ſua tempora mille ſeptingentos annos numerat. Tunc Cecrops Athenienſium rex vixiſſe traditur, poſt quem omnia Græcorum mirabilia hiſtoriis fabuliſque jactata contigere, ceu Phaëthontis incendium; Deucalionis diluvium; nativitas Erichthonii, raptus Proſerpinæ; Cereris myſteria; Eleuſiniorum conſtitutio; Triptolemi ſatio; Apollinis partus; Cadmi ad Thebas adventus; & iis ſimilia alia, fabulis quam hiſtoriæ affiniora, quæ ſatis eſt à nobis, vera tradituris, velut in tranſcurſu dici.

Joſeph. l. contra Appionem.

Euſeb. l. 10. de præpar. Evang. c. 3. & in Chron.

Liber IV.

Ab Exitu Iſraëlitarum tabernaculoque Dei conſtituto, uſque ad templum Salomonis. Epocha annorum CCCCLXXX.

Judæis ſeculum Judicum, Gentibus ſeculum Heroum. A. Mundi 2413. Diluvii 857. *Euſeb. in Chr. Aug. civit. Dei l. 18. c. 39. Ex. 3. 4, 5, 6, 7, 8, 9. Joſeph. l. 3. c. 1.*

Moses.

CUm Cecrops in Græcia primus Jovi aram, & Areopagi judicium conſtitueret, Mercurius vero Atlantis nepos, Deorum colloquia fingeret, opportunum Deo vero viſum eſt, nomen ſuum per omnes terras propagare. Quare Hebræorum querelis imploratus, non tantum Ægyptum, terrarum nobiliſſimam, miraculis replevit, ut regi neceſſitatem faceret dimittendi devotum ſibi populum; ſed deinceps etiam in mari rubro, & deſertis Arabiæ fulgentiſſima æternaque divinitatis ſuæ documenta dedit. Primum *libertatis*, quam invitus Hebræis conceſſerat, pœnitens Ægyptius, cum delectis copiis eos inſequitur, montibus mariquè circumcluſos aut fame conficere, aut ferro certus, ni properè ſub excuſſum antea jugum redirent. Illis metu trepidis, & cœlum ſuſpectantibus, *Moſes* à Deo monitus, percuſſos *virga maris fluctus* ſubito in montes *ſtatuminat.* viamque Hebræis per fundum Oceani aperit. Rei novitate attoniti paulum Ægyptii, ut incolumes illos terram attingere perſpiciunt, inſequi cedentes, qua patebat mare, auſi ſunt, ignari idipſum malis exitio vertere, quod piis ſaluti eſſe conſuevit. Mox vero redeunte in alveos mari, omnes obruuntur, ventis etiam eodem illud impellentibus, nec ulla earum rerum ceſſante, quæ ab irato Deo ad perniciem immitti ſolent mortalibus. *Moſes* incolumitate ſuorum, exitio hoſtium, virtuteque Dei exultans, *canticum* ſervatori *cecinit*, populumque armis atque opibus Ægyptiorum inſtructum, quo vocabatur, ducere inſtituit. Ingreſſus eremum, confecto aliquot dierum itinere, omnium rerum penuria invadit. Ægypti ſervitium cum ſaturitate ventris deſideratur: ægre ab duce cohibentur manus contumaces. At Deus columna nubis interdiu, ignis noctu præcedens, fluentis amaris dulcedinem intulit, coturnicum ingentem vim caſtris circumfudit, panem cœlitus deplutum toto deſerto ſpargit, è petris largiſſimam aquam prolicit, clariſſima ubique potentiſſimi favoris præbet argumenta. Sic promotum agmen, in itinere ab *Amalecitis* infenſatur. Moſes ſuis in prælium eductis *Jeſum* præficit, ipſe precibus incumbens, promtam à Deo victoriam conſequitur. Exin ad *Sinai* montem perventum. Huic ubi Deus inſtitit, validis tubarum clangoribus aër quatitur, craſſæque nubes crebris cum fulminibus advolvuntur. Inter hæc Dei vox longe lateque perſonat, cujus hæc ſententia: *Solus* Iſraëlis Deus pro Deo habendus.

Moſes ducit populum in deſertum.

A. M. 2454.

Exod. 13. 14.

Exod. 7. Exod. 19. 20. Joſeph. l. 3. c. 1. 2. 4. Sulp. Sever. l. 1.

Decalogi promulgatio.

habendus. Simulacris is non repræſentandus. Nomine ejus ſanctè utendum. Feriæ ipſi ſolennes agendæ. Parentes honorandi. Vitæ proximi cujuſque parcendum. Honeſtas corporis libidinibus haud inceſtanda. Nemini opes fortunæque corrumpendæ. Nemo mendacio lædendus. Poſſeſſiones alterius non appetendæ. Denique nec minima cupiditate aut cogitatione quiſquam violandus. His à Deo dictis, cum tubæ circumſtreperent, lampades inardeſcerent, montem fumus obtegeret, populus intolerans terroris, mediatorem poſtulavit, quo intercedente pleniorem propitiandi Dei modum addiſceret. Itaque promiſſus eſt alius, ſuo tempore ex Iſraëlitico ſanguine proventurus, quem facile omnes ſuſtinerent. Is *Meſſias* deſignabatur, qui ut Dei filius jam tum populum ducebat, ac cum Moſe in monte collocutus, religionis ac morum viam tum edocebat. Sed immorante diutius Moſe, quippe qui jejunus XL dies apud Dominum duceret, flammis conſumtum ducem ſuſpicati Hebræi, per Aaronem *vituli* ſignum conflatilis erexere, Deum ſibi hoc pacto propitiare cogitantes. Regreſſus Moſes cum *duas ex lapide tabulas* manu Dei ſcriptas detuliſſet, populumque luxui & ſacrilegio deditum conſpicatus, confregit tabulas, indignam eſſe gentem teſtatus, cui lex Domini traderetur. Separatoque tabernaculo quadraginta dierum ſpatio Deum exoravit, ne improbum populum deleret, ſed uti conſueverat, eum antecedere majeſtate propria perdius atque pernox non deſiſteret. Sic tabulæ refectæ, ſtructum Dei tabernaculum, Aaron ſacerdotio inunctus; facies Moſis tanta claritudine illuſtrata, ut mandata Dei relaturus velamento eam tegeret. Levitica tribu in ſacerdotium ſegregata, reperta ſunt Hebræorum DC. & IIII. M. Sic prolatis caſtris in deſertum *Pharan* perventum, miſſique exploratores in Palæſtinam. Plerique felicem quidem terram, ſed gentes pervalidas & munita ingentibus muris oppida, vanamque de expugnatione earum ſpem renuntiarunt. Id ubi populo compertum, deſperato Dei auxilio in Ægyptum reverti pararunt. Sed conſternante ſubitanea Dei apparitione cohibuere impetum, retro convertere iter juſſi. Sic totos quadraginta annos in deſertis demorati, Palæſtinam non occuparunt, donec variis cladibus conſumerentur, quicunque Deo tot experimentis cognito fidem denegaſſent. Nihilominus cœleſti eos cibo pavit Deus, aquaſque è rupibus produxit, coturnicibus iterum caſtra circumfudit, aliaque gloriæ ſuæ monumenta tum Hebræis, tum omnibus per orbem terrarum gentibus memoranda reliquit. Interim fato abſumptis, qui per ætatem & experientiam certiora de Numine arbitrari debuerant, Moſi quoque vitæ terminus appropinquabat. Sed antequam è mortali vita migraret, Aradum, Sihonem, & Ogum, interjacentes inter Idumæam, Euphratem ac Jordanem reges ſubegit, caſtraque ſuper Jordanem haud longe ab Hierichunte molitus eſt. *Deceſſit* anno ætatis centeſimo & viceſimo, vir Deo chariſſimus, perque omnes gentes & tunc & omni ævo celeberrimus. Nam etiam Ethnicis ſcriptoribus Beroſo, Diodoro, Trogo Pompejo, Juſtino, Tacito, Plinio, Straboni, Treb. Pollioni, Juvenali, & pleriſque aliis notum fuiſſe reperimus: De *ſepulchri* loco nihil compertum. Eodem temporis tractu *Eryſichthon* Cecropis filius Apollini Delio templum excitare, & *Lycaon* in Arcadia humanis victimis litare auſus eſt, Satana Deum æmulante.

Lycaone prognatus *OEnotrus* primus omnium coloniam in occiduas Europæ partes deduxit, cujus ſocii in Italia ab incerta origine *Aborigines*, deinde ab Italo rege Itali appellati ſunt.

Ægyptus quoque, ſi Græcis fides, ſub id tempus nomen imperiumque mutavit. Nam Danaum regem Ægyptus expulit, regno à ſe nomen fecit, Danaus exul primus navem advexit in Græciam,

Deut. 18. 19. — *1 Cor.* 10. 4, 5. — *Exod.* 20. 31, 32, 33, 34. — *Joſeph. l.* 3. *c.* 6. 7. 8. — L. L. A. M. C. 2453. — *Num.* 3. 4, 13, 14. — *Num.* 13. — *Num.* 14. *Deut.* 8. *Hebr.* 4. *Joſeph. l.* 3. *c.* 12. 13. — *Num.* 11. 20. *Deut.* 8. — *Num.* 27. 27. *Deut.* 2. 3. *Joſeph. l.* 4 *c.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. — *Diod. Sic. lib.* 40. — *Juſtin. lib.* 36. *Joſeph. l.* 1. *Appio. Euſeb. Chr. Georg. Cedren. Tacitus hiſtor. l.* 5. *Pauſ. l* 9. *Plinius. l.* 30. *c.* 1. *Dionyſ. Halic. l.* 1. *Euſ. Chr. Aug. l.* 18. *de civit. Dei. c.* 12. *Plin. l.* 7. *c.* 56.

Orosius l.1.c.11. Theoph. ad Autolic. Anno Exitus 12. Mundi 2454. Ios. 1. 2. 5. 6. Joseph. lib.5. c.1. Procop. l.2. Euag. l.4.c.18. Joseph. l.5. c.8.9.10.

cum ante ratibus navigaretur. Is ejecto Stenelo Argos urbem tenuit, ubi per quinquaginta filias totidem Ægypti fratris filios interemit, uno superstite Lynceo, qui sceleris pœnas exegit, occisoque patruo regnum obtinuit. Theophilus Antiochenus ex Manethone Ægyptio Danaum Armen vocatum, Ægyptum Sethon scribit, eorumque imperium in 180 ab exitu annum incidit.

Jesus vel Josua.

A. M. C. 2494. *Aug. l.18. de civit. Dei. c.11. Plinius l.7. c.56. Thorn. de natura Deorum.*

Jesus seu Josua, vir sanctus & armis egregius, Mosi à Deo substitutus; deficiente navium copia, *Jordanem* plene undique ripis stagnantem divino munere *discidit*, omnemque exercitum per siccum alveum traduxit. Mox solo tubarum clangore expugnata Hierichunte, cujus validissima mœnia Dei nutu conciderant, omnes Palæstinæ gentes aut excidit aut terrore compressit. Alii qui indigenarum Africæ littora tenuëre, ex quibus postea illustris *Pœnorum* populus, linguam Cananæam referens, exstitit. *Gabaonitæ*, gens valida, ultro se dediderunt. Deditio hæc proximarum urbium regibus iras concivit. Obsessis subvenientes Ebræi, ope subnixi Numinis, reges in fugam egere. Cumque dies cædentes deficeret, ne nox victis præsidio esset, precatu ducis *sol jussus cursum sistere*, diemque diei continuare, ut nullum hostibus Dei effugium supperet. Tantum viri unius fides valuit. Diviso per tribus captivo solo, partaque pace, *mortuus* est *Josua* anno ætatis decimo & centesimo, regnante, ut ait Augustinus, apud Assyrios rege octavo decimo Aminta, apud Sicyonios Sexto decimo Corace, apud Argivos decimo Danao, apud Athenienses quarto Erichtonio.

A. M. C. 2517.

Sic dum Hebræi Palæstinam colere incipiunt, *Ceres* frumenta conficere molereque in Attica, Italia, Siciliaque invenisse scribitur, ob id à posteris Dea judicata. A qua acceptas fruges *Triptolemus* Eleusina veniens distribuit, terramque diligentius colere edocuit. *Jupiter* vero frater Cereris, alii Xanthum vocant, Eusebius Asterium, Europam Agenoris Phœnicis filiam, Minois Rhadamanthi & Sarpedonis postea matrem violavit. Ibi *Cadmus* sororem ab Jove raptam, inquirens, ex Ægypto ad Phœnices, à Phœnicibus ad Græcos literarum characteres detulit. Ex cujus filia deinde Semele *Bacchus*, vitium in Græcia repertor, ingens Poëtarum fabula, procreatus: Atque hic est Bacchus tertius, Jovis postremi & Semeles filius. Nam duo alii aliis Jovibus geniti, supra nobis memorati sunt. Nec enim absurdè scripsit, qui illustrium familiarum primogenitos Joves & Junones, nepotes fortissimos, Hercules Græcis dictos, prodidit; Cicero quoque plures Joves, Mercurios, Minervas agnoscit.

A. M. C. 2520. *Aug. l.18. c.12. Diod. Sic. l.3. & 4. Xenoph. in Æquivoc.*

Cic. lib.1. de nat. Deor.

Pinehas.

Jud.17. 18,19, 20,21. Jos. lib.5. cap.1.2. Sulpit. Sev. l.1. Zonar. Annal. tom.1.

Defuncto Josua, *Cananæi*, spe Hebræos superandi concepta, *Adonibesecum* ducem creant. Hebræi consulto per *Pineham* sacerdotem Deo, congressi cum idololatris ducem Adonibesecum, multorum antea populorum victorem, capiunt mutilantque; multa oppida in potestatem redigunt, inter alia Jerosolymam, occisis habitatoribus. Sed Benjamitæ, quibus superior pars urbis sorte obvenerat, tributo impositio incolis, contra divinum mandatum eis pepercerunt. Idem aliæ tribus imitatæ: Sic secundis rebus florentes luxuria corrupit, ut violata religione ignaviæ insuescerent. Desieratque & optimatium magistratus, neque Senatus ex instituto legebatur. Itaque reperti, qui domi suæ sacra & penates gentium ritu facerent, imo publicè præposteram Venerem exercerent, nefandasque etiam libidines defendere non erubescerent. Talia ausi Benjamitæ à tribulibus pene ad internecionem cæsi sunt, ægre reparata tribu. Constat eo bello Benjamitarum viginti quinque millia, Hebræorum quadraginta M. cecidisse. Sed Israëlitas nepos Aaronis *Pinehas* graviter increpavit, obtenta-

Judic.20. 21.

que

que ad modicum pœnitentia, mox relapsos ad profanas consuetudines Cusanrisathanus Mesopotamiæ Rex bello adortus subjugavit, immitique imperio habuit octennium; quo tempore Busiris, Neptuno natus & Lybia, in hospites sæviisse secus flumen Nilum traditur, occisus tandem ab Hercule Ægyptio.

Aug. l. 18. c. 12.
Apoll. l. 2.

Othoniel.

A. M. 2512. *Buchol. Alsted.* 2510. Exitus Ægyptiaci 58. *Jud. 3. Joseph. l. 5. c. 3 4. Solinus Pol. c. 12. Palæphatus de fab. narrat. Euseb. in Chron. Clem. Alex. l. 1. Strom.*

Israëlitæ malis pressi Deo supplicant, qui Calebi fratrem virum strenuum, cui *Othoniel* nomen, eis excitavit libertatis vindicem. Is coactis copiis vincit Syros, ac re bene gesta primus post Josuam *judex* & gubernator deligitur, quem magistratum ad quadragesimum à morte Josuæ annum gessit.

Eo tempore *Amphion* & *Zetus*, conciliatis eloquentia concentuque musico agrestibus, *Thebas* dicuntur occupasse & muniisse, expulso Cadmo Agenoris filio *Sisyphus* in Achaia Ephyram, quæ postea Corinthus dicta, condidit.

Linus Amphionis æqualis, Herculem Jovis & Alcmenæ filium erudivit. Rhadamanthus in Lycia, Minos in Creta, Acrisius apud Argivos, magnam justitiæ & severitatis laudem adepti. Acrisius Amphictionas popularem Græciæ Senatum instituit.

Ehudus.

Strab. l. 9. Diod. Sic. l. 5. Anno Exit. 98. Mundi. 2550. *Jud. 3. Joseph. l. 5. c. 5.*

Defuncto Othoniele, Hebræi iterum sine Magistratu, sine metu Numinis agentes, ab *Eglone* Moabitarum Rege subacti, annua tributa pensitarunt. Eglon Hierichunte structa regia, per annos decem & octo variis illos malis exagitavit, cum interim adolescens *Ehudus*, robore corporis animique fiducia præstans, in familiaritatem se insinuavit tyranni. Cui aliquando munera ferens, arcanum fingit, nactusque solum uno *ictu transfigit*. Digressus, fit autor recuperandæ libertatis, occupatoque Jordanis trajectu, fortissimos *Moabitarum* ad decem millia occidit. Sic barbarum jugum excutitur. *Ehudus* princeps creatus LXXV post Othonielem anno *decedit*, extremis temporibus Samgarem socium nactus, qui Phœnicum sexcentos una sude interfecisse proditur.

Divinam horum Heroum fortitudinem quodammodo æmulati feruntur, Græcorum carminibus celebres, Perseus, Bellerophontes, Pelops.

Perseus Jove natus & Danae, filia regis Argivorum Acrisii, Gorgonem Medusam meretricem, secundum Pausaniam, Afrorum ad Tritonidem paludem dominam, amatores suos miris philtris dementantem, secundum alios bellatricem strenuam, capite truncavit, celerrimaque Bellerophontis navi, cui nomen Pegasus, trajecto mari Barbaros Asiæ domuit. *Bellerophontes* ab Antæa (Hygino Stenobæa est) Præti uxore, de stupro appellatus, lascivam fœminam repulit. Ardescens repulsa mulier maritum accendit, ut datis codicillis, queis interfici mandabatur, Bellerophontem ad Jobatem socerum in Lyciam mitteret. Jobates in ultionem intentati criminis, ad Solymos domandos Bellerophontem amandat, ut sub prætextu memorabilis pugnæ interiret. Reducis autem (nam & alia pericula feliciter ab eo superata cognoverat) virtutem admiratus, filiam ei cum parte regni uxorem dedit. Porro Dardanus item Jove genitus, Teucri gener Dardaniæ, ejus filius Tros, Dardaniæ à se Troadis nomen fecit. Cujus filium Ganymedum quod Tantalus rapuisset, bello a Troë ac Paphlagone petitus, varia fortuna restitit. Tantali autem filius *Pelops* curuli certamine victor, cum Hippodamia OEnomai regis filia, pulcherrima virgine, esset potitus, deductis in Græciam colonis, *Peloponneso* nomen indidit. Hujus soror Niobe fuit, quæ ex amissione liberorum stupefacta, aut imposita sepulchro eorum imagine sui lapidea, Poëtis fingendi dedit materiam. Pelops postmodum ludos *Olympicos* Jovi instituit, deinceps ab Atreo & Hercule instauratos, Prætum vero & Acrisium inter se bellantes, clypeos invenisse

Tatian. orat. contra Græc. Euseb. in Chron. Paus. l. 2. Clem. str. l. 5. Palæph. de fab. narrat. Jul. Hyg. Fab. 57. Furius. Fulg. l. 3. Myth. Strab. l. 14. Homer. Iliad. 6. Euseb. Chron. Diod. l. 4. Cicer. Tusc. lib. 3. Palæph. de fab. narrat. Plin. l. 7. cap. 57. Aug. l. 7. C. D. c. 4.

nisse tradit Plinius. Eodem fere tractu temporis *Janus* in Latio Aboriginum Rex fuit, successore Saturno, quem hospitio susceperat; Quo regnante aureum fuisse seculum ex rerum communitate, inventoque in locis occiduis vinearum atque agrorum cultu memorant. In Palæstina ob annonæ gravitatem aliqui solum vertêre. Ex quibus Naëmis vidua Rutham nurum suam è Moabitide terra secum reducens, illustri eam marito e- locavit, Boazo scilicet jam seni, ex qua Obedus Davidis regis avus procreatur.

Ruth. 1. 2. 3. 4.

Debora.

A. M. 2632. *Bucholz. Alsted.* 2512. Exitus 179. *Jud.* 4. 5. *Joseph. l.* 5. *c.* 6.

INterim Israëlitæ ob violatas religiones iterum perpessi tyrannum Chananæorum regem Jabinum, finitimorum injuriis ac deprædationibus patuëre. Jabini Ducem Siseram *Debora* Prophetis, adjuncto sibi Baraco Naphtalita profligavit cum exercitu, Deo grandine & imbribus in hostes pugnante. Profugus imperator muliebri manu cecidit. *Jael* è Mosis affinitate prognata mulier, illectum in ædes suas sopitumque aggressa, clavis per tempora adactis, humo affixit, & Baraco mortuum hostem ostendit. Qui armis in Jabinum regem conversis, & ipsum excidit & regiam. Deboræ divinæ vati æqualis fertur prima Hexametri Carminis inventrix apud Græcos *Phæmonoë*, filia Apollinis credita, quo recenti Deo plenam se gerens, oracula reddere vicinis cœpit, oppido Delphis sub Parnasso monte sito. Specus erat subterraneus, cujus orificio impositio tripodi insistens, exhalatione voraginis temulenta futura præcinebat. Nam antea quicunque in specum oraculorum causa insilierant, è conspectu hominum ablati disparuerant. Itaque impositus orificio tripus est ab accolis, quem ascendens mulier ad id consecrata, statim à dæmonio corripiebatur, interrogantibusque futura præcinebat. Celeberrimum multis seculis *oraculum Christo nato conticuit.*

Diod. Sic. l. 16. *Euseb. in Chron. Paus. l.* 10. *Plin. l.* 2. *c.* 93. *& l.* 10. *c.* 2. *Clem.* 1. *Strom. Strab. l.* 9. *Geogr. Euseb. Chron. Ovid.* 11. *Metamorph. Dionys. lib.* 1. *Clem.* 1. *Strom. Plin. Diod. l.* 4. *Euseb. in Chron. Paus. in Corinth.*

Eadem tempestate fuit *Midas*, Gordiæ filius, in Phrygia divitiis quam artibus instructior, qui, quod Apollini Pana prætulisset in Musicis, aures habuisse asininas fingitur. *Pana* tamen Arcades magnis religionibus coluere. *Orpheus* quoque sub id temporis Deos celebrare versibus cœpit: Sed unum omnium supremum prædicavit. *Car*, à quo Caria, auguria ex avibus invenit, adjecit ex cæteris animalibus Orpheus. Sic aruspicium Delphus, ignispicium Amphiaraus, auspicia avium Tiresias Thebanus, interpretationem ostentorum & somniorum Amphictyon Græcis tradidere. *Dædalus* imagines primus animatis persimiles fabricavit, ut visum, incessum, totumque viventium habitum exprimerent. Is postmodum è Creta elapsus, ob investigabilem fugam pennis avolasse fingitur. Eodem tempore, *Acrisio* non sponte Persei interfecto, Argivorum Reges defecerunt, cum usque ad Pelopem regnatum Argis esset annos 544. Translato Mycenas imperio, regnarunt post Acrisium, Perseus, hinc Eurystheus Stheneli filius, deinde occiso ab Heraclidis Eurystheo, Atreus, Thyestes, Agamemnon, Ægistus, Orestes, Tisamenos, Penthilus & Cometes, usque ad Heraclidarum descensum, de quo suo loco.

Thuc. l. 1.

Gedeon.

A. M. C. 2654. *Discrepant Bucholz. Helvic. Alsted. Turcellin. Alii.* Exitus 217. *Jud.* 6. 7. *Joseph. l.* 5. *c.* 7. 8.

INvalescente per Græciam superstitione, nec Hebræi sibi caverunt à profanorum numinum obsequiis. Quare indignante Deo *Midianitæ* & *Arabes*, immensa multitudine, otio deditos oppressere, frumentumque & pecus omne annuis incursionibus deprædati, ad extremam eos egestatem & famem redegerunt. Increpatis per vatem Israëlitis, & ad Deum refugis, nunquam ejus clementia defuit. Itaque excitatus *Gedeon*, Manassææ tribus vir, signisque confirmatus, idolum *Baalis* ante omnia destruit. Inde ex decem armatorum millibus quæ coëgerat, deligere jussus promptissimum quemque, trecentos ex iis tubis facibusque instituit, castraque hostium tripartito agmine circumsistens noctu, maxima-

marum copiarum opinionem iis ingessit. Quare panico correpti terrore fugam arripiunt, gladiis se invicem pedibusque obterentes. Fugientibus insistit Gedeon, vocatis ad arma finitimis, reges ducesque comprehendit, hostiumque ad *centum viginti millia cadunt.* Ea victoria tantum sibi authoritatis peperit, ut Hebræi ultro hæreditarium ipsi filiisque ejus imperium offerrent. Quo ille modestissime recusato, quadraginta annis jus dixit populo, ut parum aut nihil à privato differret; in eo præcipuè culpandus, quod injussu Dei *vestem sacravit è manubiis*, quam familiares incesta religione coluerunt. Superstitionem eam adeo aversatus est Deus, ut omnes fere Gedeonis filii (erant autem LXX è plusculis uxoribus susceptí) interirent, scelere unius *Abimelechi* spurii. Qui ut per nefas invasit dominationem, sic cum ignominia amisit, fragmine molaris saxi transverberatus caput, devolvente id è turri fœmina. Sic fratrum cædem probrosa morte expiavit.

Buchol. 2672. *Jud.* 2. 9. *Alsted.* 2692. *Buchol.* 2712. A. M. C. 2710.

Dum Hebræi à se Arabes ejiciunt, Pelasgi gens Thessalica, Italiæ maritima, qua Siciliæ obvertitur, occupant: ab iis regio Magna Græcia nominata. Pelasgi Umbros exegere: Hos Lydi, à quorum rege Tyrrheno Tyrrheni dicti sunt. Mox à sacrificio ritu, lingua Græcorum, quam intulerant, Thusci sunt cognominati. Similiter Siculus, Itali filius, à Pelasgis pulsus, in proximam traduxit insulam populares, quam olim Cyclopes tenuerant, tunc Sicani, Hispanica gens, incolebant: ab eo insula Sicilia dicta, ante bellum Trojanum ætate tertia.

Plin. l. 3. cap. 5. Dion. l. 1. Thuc. l. 6.

Paulo post Evander Arcas, factionibus in patria agitatus, duabus navibus in Latium appulit & à Fauno rege (is Pici filius, ab Jano quartus erat) Palantium habitandum suscepit, eundem locum, qui postea Romæ Palatium dictus. Mater ejus Græcis Themis, Latinis Carmenta vocata, fatidico spiritu celebratur. Fauni uxor Latinarum literarum mater audit.

Dion. Hal. l. 1. Liv. l. 1. Auct. in Ant. Apoll. lib. 3.

Suppar illis Minos Junior, Lycasti filius, Athenienses ob necem filii sui Androgei bello aggressus vicit, tributi nomine pueros imperavit, quos Minotaurus, seu ex Pasiphaës adulterio genitus, seu adulter ipse, in carcere flexuoso, quem Labyrinthum vocarunt, confecit. Ad extremum Theseus ad eundem specum damnatus, impetrato ab Ariadne filia Minois subsidio, sævum hominem interemit, mortuoque patre Ægeo, Pandionis filio, Athenienses libertatem dedit, ipsa urbe è circumjectis vicis frequentata. Idem postea Orcum Molossorum regem, Pirithoo comite, exspoliare Proserpina conatus, exitium sibi audacia attraxisset, nisi ab Hercule superveniente esset periculo exemptus; Pirithoum Cerberus canis discerpsit. Extrema Gedeonis ætate *Tyrus* est condita, annis 240 ante Templum Salomonis.

Plut. in Theseo. Thucydid. lib. 2. Euseb. Chron. Palæph. de fab. narrat. Oros. l. 1. c. 12. Plutar. in Thes. Joseph. l. 8. c. 3.

Tholas & Jairus.

EXempto rebus humanis Gedeone, non destituit Deus populum sibi addictum, sed per *Tholam* Issascharia tribu ortum, salutem ei victoriamque à circumjectis gentibus comparavit; Eoque post viginti tres annos defuncto, per *Jairum* Gileaditam, prole & opibus potentem, 22 annis. Quibus mortuis, pudendum dictu, Hebræi illos cœperunt Deos colere, quorum veneratores veri Dei ope ipsimet subjugaverant. Dii isti nec Græcos, superstitionum Asiaticarum æmulos, quiescere sunt passi. Cum enim Phryxus & Helle Athamante geniti, novercæ Inus insidiis peterentur, corruptaque auro Pythia ad cædem poscerentur, congestis opibus fugam arripiunt, & ad Æetem Colchidis regem properant. Ibi Helle è navi in mare prolapsa Hellesponto nomen imposuit. Phryxus ad Colchos pervenit. Exportatos ab eo thesauros repetituri, aut novos reperturi Heroës Græciæ, navem Argo dictam conscendunt Jason, Admetus, Castor, Pollux, Hercules, Peleus,

A. M. 2713. Exitus 260. *Jud.* 10. *Sulpit. Sever. l. 1.* A. M. 2736. *Buchol.* 2738. *Hyg. fab. 2. 3. poët. Arist. l. 2. Apoll. l. 1. Palæph. de fab. narrat. Diod. l. 4. Plin. l. 33.*

leus, multique alii, fabulis potius Græcorum quam veritate celebrati. Pervecti ad Colchos, filiæ Æetæ regis, Medeæ nomine, persuadent nuptias Jasonis, deceptisque ejus artificio custodibus, opes auferunt. Renavigantes in Thessaliam Laomedontem Trojæ regem, Ili filium, quod pactam pro filiæ salute mercedem negasset, obtruncant, regnum Priamo filio tradunt. Inde Jasonis patruum Medeæ veneficiis perimunt. *Apoll. l. 4. Diod. l. 4. Strabo l. 12.* Ex Argonautis istis Hercules, percursata etiam deinceps Hispania, per Gallias in Italiam penetravit, captivis adhuc Ilienses multaque præda gravis. *Plutar. in Thes.* Eum Evander benigne susceptit, nec paucos comitum ejus, seu amœnitate locorum, seu expeditionis tædio, in Latio detinuit. Idem Hercules Amazonibus ad Thermodoontem Ponti fluvium habitantibus, bellum intulit: Theseus iisdem Hippolyten eripuit. Quibus irritatæ injuriis mulieres, quæ olim conjugum suorum cædem finitimorum exitio erant ultæ, cum Asiam *Oros. l. 1. cap. 15.* percurrissent, in Græciam irrumpunt, iras suas in Atticam Thesei patriam effundunt. Cum iis bello congressus Theseus, vincit quidem, at superstites fœdere inito dimittit. Amazones patria desperata, *Diod. l. 3.* cum Scythis belli sociis communes occupatum sedes remigrant. Epheso antea, aliisque in Asia urbibus conditis. *Fæmin. generosa facinora.* *Apud eas viri mulierum, mulieres virorum operas administrabant; Fæmellis adusta mamillarum altera, ut expeditiores arcum tenderent. Sic muliebre imperium per multas ætates continuatum ferunt.* Africanas Amazonas Herculem deleviisse, scribit Diodorus. Asiaticarum reliquias ad Alexandri tempora durasse perhibent. Hercules plurimis laboribus exantlatis *Olympicos* ludos, Theseus *Isthmios* edidit, ante primam Olympiadem 430. Theseus tandem à Lycomede Scytio de rupe præcipitatus: Hercules toxico Deianiræ cruciatus, flammis rogi à se ipso constructi periit. Ambos Græcia, Herculem reliquus etiam orbis, quem peragraverat, divinis honoribus coluit. Thesei cineres è Scyto insula post 400 annos reportavit Cimon, Plutarcho teste. Cæterum Eurystheo ab Herculis, cui ærumnas faceisserat, filiis tandem trucidato, successit Atreus, qui cum Thyeste fratre capitales inimicitias exercuit. Thyestes enim Atrei uxorem adulterio macularat, Atreus Thyestis filios clam peremtos ipsimet epulandos apposuit, atrocem injuriam atrociori ultus. Fœdum quoque Laji Thebani domus spectaculum edidit. *Oros. l. 2. cap. 12. Apoll. l. 3. Paus. in Bœotic.* *Oedipus patris interfector, matris maritus, filiorum frater, suus vitricus factus est.* Lajus enim oraculo territus Oedipum filium, trajectis ferro pedibus, exposuerat. Servatus à pastore filius cum viriles annos attigisset, patrem sibi in Phocide obvium, per rixam ignarus occidit. Idem paulo post, quod agrum Thebanum Sphyngis cujusdam præferocis atque insidiosæ mulieris latrocinio liberasset, regno potitur, matremque Jocastam inscius matrimonio sibi copulat, & ex ea Etheoclem & Polynicen filios procreat. Illi per Tyresiam vatem de piaculo edocti, regnum sibi vendicant, patrem domi tenent, turpitudinis conscientia excæcatum, mox & ipsi sceleratis se natalibus dignos gerunt. Etheocles enim Polynicen alternis secum annis regnare, *Diod. l. 4.* ut convenerat, non passus, ex fratre hostem reddidit. Polynices Adrasti soceri potentia adjutus, comitibus Tydeo, Capaneo, Amphiarao, & aliis Thebas oppugnat. *Apoll. l. 3. Paus. in Bœotic. Diod. Sicul. 4.* *Scelerati belli tristis exitus fuit.* Nam fratres mutuis vulneribus consumti, Amphiaraus, perfidiam uxoris Eriphyles, à qua proditus ad bellum fuerat, parricida manu filii ulturus, hiatu terræ periit; duces reliqui omnes, præter Adrastum belli tempestatibus hausti sunt. Eorum filii, Epigoni dicti, Thebanos ingenti strage affectos urbe tandem expulerunt.

Euseb. in Chronic. Diod. l. 4. Apoll. l. 2. Alberic. de Deor. imag.

Jephtes.

PEr id tempus Gileaditæ Hebræi *Jephten* virum strenuum hæreditate sua ejece-

A. M. 2760. *Bucholz.* 2758. *Alſted. Exitus Ægyptiaci* 307. *Jud.* 11.

ejecerant, maternæ originis inhoneſtatem ei objectantes, cum ipſi Deo fidem nefariè frangerent. Itaque ſervitute preſſis poſtquam remedium à vanis numinibus nullum ſuppetebat, Jephtem Deo fidum ducem poſtulant. Is privatam ignominiam publicæ ſaluti condonans, ut nihil ſe non Dei cauſa facturum teſtaretur, vovet ſe ei daturum, quicquid victoria potito primum domo obviam procederet, votique reus *filia ſe* unica *orbat*, ut fidem Deo datam omnibus modis ſervandam demonſtret. Inde hoſtibus juxta ac ſuperbis popularibus formidabilis, ſexto ducatus anno obiit, ſuccedente *Ebzone* Bethlehemita, qui tranquillis rebus exacto imperio, ſeptimo anno deceſſit, xxx filiorum, totidemque filiarum pater, omniumque vivo adhuc ſeniore in matrimonio degentium. Poſt Ebzonem *Allon* Zebulonites annis decem, itemque *Abdon*, Græcis Labdon, annis octo rerum potiti, nihil ſingulare, quod Hiſtoria eloqueretur ediderunt. Abdon numero filiorum nobilitatus eſt. Filios enim LX, nepotes XXX habuit. Iſtis ut LXX egregiis equitibus ſtipatus circumvectabatur. Majores rerum *motus* eo tempore *in Græcia Aſiaque* fuere. Etenim Priamus, quem Argonautæ, juſtitiæ opinione, Laomedonti occiſo ſubſtituerant, Antenorem miſit in Græciam, de iniqua patris cæde expoſtulaturum. Ut verbis parum profici intelligit, injuriam injuria penſare conſtituit. Alexandro filio mandat, ut ſeu vi, ſeu fraude Græcis noceat. Is claſſe advectus Spartam, ex inſidiis Helenam Menelai regis uxorem abducit. Qua non reddita, principes Græciæ conjurant in Aſiam, communem contumeliam rati communi Marte vindicandam. Agamemnon Menelai frater, nepos Atrei, imperator decernitur. Bellum varia utrinque clade maximiſque viribus geritur per decennium: Achille, Ajace, Diomede, Ulyſſe Græcorum; Hectore, Memnone que Trojanorum ducibus. Tandem excidio Trojæ, Priamique ipſius ac filiorum omnium

Judic. 12. 13.

Jud. 11. 9. *Dictys Cretenſis. Dares Phryg. Meſſ. Corvinus de progenie Auguſti. Georg. Cedrenus Synop. Hiſtor. Herod. initio lib.* 1. *Diod. Sic. lib.* 2. *Oroſius l.* 1. *c.* 17. *Dion. lib.* 1.

exitio finitur, quum quindecies centena hominum millia ex utraque acie cecidiſſent. Nam & Aſſyriorum Monarcha Tautamus, multæque gentes aliæ auxilia Priamo ſubmiſerant.

Dum *Troja capitur*, Æneas Anchiſe genitus, è ſemine Phrygum regio, arcem Pergami ſubito occupat, Græcoſque in urbe furentes ſuſtinet, quoad imbellis multitudo præſidio munita Idam montem conſcenderet. Inde pactus ſibi ſuiſque incolumitatem, navibus reliquias Trojanorum imponit, variiſque pelagi erroribus jactatus, tertio anno Laurentum Italiæ appellit, regnante ibi Latino, apud Athenienſes Meneſtheo, apud Aſſyrios Tautamo, apud Judæos Abdone. *Troja everſa*, ſecundum Euſebii computum, ante primam Olympiadem annis 406, ante Romam conditam 432, anno à mundo condito, ut nos ſupputamus ſecundum ſacrarum fundamenta literarum, 2843, qui annus Abdonis Judicis primus. Ægyptum tenebat Veſores, Proteus dictus aliis, qui, dum omnia bellis miſcet, Scythas laceſſit. Scythæ Ægypto vaſtata, paludibus ejus magis quam viribus in Aſiam retroacti ſunt. Perdomitam cædibus infinitis Aſiam, vectigalem feciſſe dicuntur, cumque quindecim annis ei ſine pace eſſent immorati, uxorum flagitatione revocati ſunt, denunciantium, ni redeant, ſobolem ſe à finitimis quæſituras.

Euſeb. in Chron. Auguſt. l. 18. *C. D. cap.* 19.

Solinus c. 2. *Dion. Halyc. c.* 1. *Oroſ. l.* 1. *cap.* 14.

Samson.

A. M. 2789. *Exitus* 337. *Judic.* 13. 14. 15. 16. *Joſeph l.* 5. *Antiq. c.* 10. *Sulp. Severus lib.* 1.

EA tempeſtate *Samſon*, mortalium fortiſſimus, matre ſterili naſcitur. Deo devotus ab utero perpetuam illi comam, voti ſymbolum, aluit, tantæ ex divino ſpiritu virtutis, ut *leonem* in via obvium manu diſcerperet. Uxorem ex Allophylis duxit, quæ cum abſente viro in alterius matrimonium conveniſſet, Samſon contumeliam totius gentis ludibrio ultus eſt. Vulpium caudis lampadas illigavit, quibus maturæ meſſes conflagrarunt, omnibuſque aliis incommodis profanum vulgus urgere non deſtitit.

Quare vinctus ab Hebræis, ut supplicia Philistæis, quorum imperio tenebantur, hostibus daret, ruptis vinculis, arreptoque *osse asinino*, quod casus telum dederat, *mille eorum prostravit*, nec, dum fidem Deo servat, ulla humana virtute superari potuit. Nam & portas urbis *Gazæ* quibus claudebatur, manibus correptas convulsasque, per aliquot miliaria in montem Hebroni vicinum asportavit. Sed blandimento *Dalilæ*, mulieris impudicæ, delusus, vir bello insuperabilis, cum secretum fortitudinis enunciasset, detonso crine ope Spiritus Sancti excidit. Sic proditus à meretrice, auro corrupta ab Philistinis, oculis miser privatur, & in pristinum detruditur. Postmodum tamen redintegratis cum capillo viribus, *columnas templi disjecit*, in quo publicum Idolo epulum dabatur, turbaque hostili universa, cum ruina domus obruta, ipse non inultus *occubuit*, cum vindictam Dei exercuisset in idololatras annis xx.

A. M. 2810.

T. liv. lib. 1.

Meliori tum fide Latinus, Latii Rex, Æneam Troja profugum habuit. Is hospiti cum parte agrorum Laviniam ex se natam conjugem dedit, publico fœderi domesticum adjungens: unde Lavinii nomen coloniæ impositum. Cæterum injuriam suam ratus advenæ hominis honorem Turnus, ad Rutulos transfugit, simul Æneæ Latinoque bellum intulit. Ex qua acie cum neutra pars læta abiret, Turno Latinoque peremptis, Æneas victoriæ fructum tulit, regnoque Latinorum potitus est, cum quinque reges ex ordine, Janus, Saturnus, Picus, Faunus ac Latinus, id tenuissent annis 150. Tum Phryges, Latinorum nomine legibusque assumtis, in unam cum iis civitatem coalescunt. Æneas quarto regni anno à Mezentio Tyrrhenorum rege oppugnatus interiit, corpore non reperto pro Heroë cultus est. Ejus civem Antenorem eodem tempore cum multitudine Henetum in intimum maris Adriatici sinum venisse, gentique ibi Venetæ nomen intulisse memorant. Sic Romanum Venetumque populum Trojanæ originis censent, victosque à Græcis, aliorum postea populorum, ipsorumque Græcorum evasisse victores. Cæterum Ascanius Ænea natus, abundante Lavinii multitudine, florentem, ut tum res erant, urbem matri suæ novercæ reliquit: novam ipse aliam sub Albano monte condidit, ab situ Albam Longam appellatam. Inter Lavinium & Albam colonias, triginta ferme anni interfuere, quos Ascanius tranquillos pacatosque habuit, Philistinis interim Hebræos servitute prementibus.

Euseb. Chron. Dionys. l. 1. Aug. l. 18. de civit. Dei c. 19. Liv. l. 1.

Messal. Corvin. de prog. August.

Helis Sacerdos.

HEbræis cum alii Heroës deessent, *Helis* Sacerdos jus dixit quadraginta annis. Quo præsidente domi forisque labefacta est Respublica. Nam filii ejus Hophnis & Pinehas sacerdotium in quæstum vertêre, munera à sacrificantibus exigentes, matronasque Deo devotas nefariè violantes, leviorque patris castigatio non satisfecit juvenum disciplinæ. Et Allophyli à Samsone repressi pridem, quam in Judæam iterum irruerent, Israëlitas acie devicerunt. Restituturi bellum Hebræi arcam Dei in castra accersunt, ut præsentia ejus in terrorem hostes fugamque ageret. Sed qui animo Deum exuerant, symbolica ejus præsentia non tam adjuti quam prostrati sunt. Iterum enim conflictu succumbunt, arca capitur, filii sacerdotis cadunt. *Helis* delato ad se mali nuncio consternatus, animam *exspirat*, luctuque & lamentis omnia personant. At Deus Hebræorum arcæ insidens, victricem terram deosque Philistinos gravissime afflixit. Ubi arca fano illata est Dagonis, *idolum corruit*, cumque restitutum esset ab Azotiis, postridie etiam capite truncatum reperitur & manibus; Philistæi ipsi inguinum ægritudine & pestilentia percussi, nullum malis remedium invenire, donec de sacerdotum suorum consilio arcam Hebræis redderent. Imposita vehiculo *arca fœminis bobus* juncto, iter nullo

A. M. C. 2811. Exitus 357.

1 Sam. 1. v. 2, 3, 4. Joseph. l. 5. Antiq. c. 11. 12.

1 Sam. 5. 6.

Apoll. l. 2. pag. 82. & Diod. Sicul. l. 4. Vellejus lib. 1.

Thucyd. l.1. Pauſ. in Lac. Herod. l.6.

nullo duce in Judæam direxit, ubi irreverentius à Bethſemitis excepta, ſupra quinquaginta hominum millia repentina clade dejecit. Quamobrem trepidi incolæ *Carathiarim* eam tranſtulerunt, ubi Levitæ religioſum ei officium præſtiterunt viginti annis.

Dum illis Palæſtina motibus concutitur, haud paulo minores *in Græcia* exſtitiſſe memorant. Cum enim Herculis poſteri quinquaginta annis à Peloponneſo exulaſſent, tandem ductu Creſphontis, Temenis & Ariſtodemi claſſe eam repetunt & obtinent, pulſa Selopis progenie, quam ſemper ſibi majoribuſque ſuis inimicam ſenſerant. Ariſtodemus Spartanorum Rex creatus eſt, anno poſt Trojam captam octogeſimo, cui mox Euryſthenes & Procles ambo filii pari imperio ſucceſſere, unde mos invaluit, ut bini Spartanis reges, ſinguli è ſua familia præeſſent.

Euſeb. in Chron. Diod. l.1. Liv l.1. Meſſalæ Corv. de prog. Auguſt. de Civ. Dei. l.18.c.20.

Athenis eodem tempore Erechtheidarum imperium deſiit; Et Melanthus Pylius ob interfectum duello Xanthum Bœotium, Timœti in regno Athenarum ſubſtitutus eſt.

In Latio Æneas Sylvius, Ænea ex Lavinia filius poſthumus, à ſylva, ubi natus erat, nomen gerens, regnavit poſt Aſcanium, omnibuſque deinceps Albæ regnantibus Sylviorum cognomen dedit. Julo Aſcanii filio Sacerdotii dignitas populo autore tributa, quam ex eo orta gens Julia hæreditariam tenuit.

SAMUEL.

MOx collapſas Hebræorum res erexit *Samuël* Levita, qui per omnium honeſtarum artium cultum, pueritiam & adoleſcentiam tranſegerat. Is Judicum poſtremus, idemque Propheta eximius, tam ſancte adminiſtravit rempublicam, ut à nemine cupiditatis poſſet aut injuriæ ullius convinci. Amotis Idolis, veri Dei Numine fretus *Philiſtæos* ingenti prælio *fudit*. Cum ſenuiſſet, diſſimiles patri ac *degeneres filii* avaritia alienarunt liberioris populi animos, adeo ut avitam libertatem ſpontaneo mutare ſervitio cuperent, regiumque nomen, pleriſque tunc gentium familiare & acceptum, divinæ gubernationi anteferrent. Illa eorum vecordia commotus Deus, qui per Prophetas & Heroës mitiſſimo eos imperio habuiſſet, obſtinate ad deteriora ruentibus beneficia exprobravit, ſuam teſtatus injuriam eſſe, quam Legato ſuo inferrent. At Hebræi deſtinationis certi, non deſtiterunt cœptis, donec voti compotes fierent, regemque petitum obtinerent. Eodem fere tempore *Sicyoniorum* regnum, quod ſub regibus 862 annos duraverat, ſub ſacerdotibus Carnei Apollinis defecit, Charidemo ſacerdotum ultimo ſumtuum onera effugiente.

Hebræarum rerum ſumma penes Judices fuit, à Moſe uſque ad Samuelem, ad annos quadringentos & viginti.

A. M. 2849. Exitus 397.

1 Sam. 7. v. 8, 12. 1 Par. 7. v. 28. Joſeph. l.6. Antiq. c.2.3.4.

A. M. 2868.

Euſeb. in Chron. Alii. A. M. 2844.

REGES HEBRÆORUM,

SAULUS.

A. M. 2879. Exitus Ægypt. 417.

REx primus Hebræorum *Saulus*, dum de amiſſis aſinis Samuëlem conſulit, regnum reperit, Deique monitu ſacro unguento perfuſus, regium ſpiritum induit. Modeſtus animi, forma excellenti, belli egregius, nihil regium præter conſtantiam deerat. Incipientes regni curas *Nahas* Ammonitarum Rex oneravit. Hic Galaaditas exitiali bello premens, Jabenſibus deditionem offerentibus dexteros ſe oculos effoſſurum minabatur. Inſolenter novis ſubditis inſultantem Saulus, adjuncto ſibi Samuële, devicit, dignumque ſe regali fortuna obtrectatoribus oſtendere, quam ultione in eos ſævire maluit. Cum paratas

1 Sam. 9. 10. Joſeph. l.6. c.5.6. 1 Sam. 11. 12. Joſeph. l.6. c.7.8.

ratas ſempet copias ſecum haberet, partem earum Jonathæ filio in Philiſtæos ducendam tradidit, qui cæſis eorum præſidiariis, ingens Hebræis bellum concivit. In quo nihil ſegnior, quod ſuos armis exutos, animis concidiſſe noverat, ſolus cum armigero hoſtiles munitiones aggreſſus, tantum terroris intulit, ut univerſa multitudo, deſperata victoria, in effuſiſſimam ſe fugam daret. Fugientibus à tergo inſiſtentes Hebræi facilem victoriam, cum victoria libertatem adepti ſunt. Inde Saulus *Amalechitas*, infeſtiſſimam Hebræis gentem, cum fortunis delere juſſus, bona imperii initia dedecoroſo faſtu obliteravit: Prædam divinæ voluntati antetulit, Agagum regem latrociniis infamem conſervare, quam Dei obſequi mandatis maluit. Quo facto offenſus Deus *Davidem* valde tum adoleſcentem, unguento regali perlini, regnoque inaugurari jubet, Saulo inſcio. Hinc recrudeſcente cum Philiſtæis bello, *David* regias ante annos curas animoſque gerens, *Goliathum* gigantem duello proſtravit, ac perilluſtris victoriæ Hebræis autor, fortibus factis, amorem ſibi totius populi decuſque maximum comparavit. Illius gloriam ſuum caſum interpretatus Saulus, neque fas neque fidem deinceps penſi habuit, *Filiam* ei Goliathi capite licitatus non dedit, alteram nova conditione deſpondit, ſi centum præputia ex hoſtibus retuliſſet. Sperabat enim juvenem periculoſa audentem facile periturum. Sed conditione præter ſpem impleta, promiſſum exſolvere coactus eſt, cum interim filio & amicis imperaret, ut quem invitus adſciviſſet generum, dolo tollerent. Verum Jonathas *paternæ autoritati honeſtam, incorruptamque fidem ſimulationis incerto prætulit.* Sic Sauli fævitia ad modicum repreſſa. David in ſpeciem recuperata gratia, graviora pro republica ſubiit. Sed *ſemel inviſum, ſeu bene, ſeu male facta premunt.* Ita *Saulus Spiritu furoris* per intervalla agitatus, bis Davidem lancea trajicere voluit, bis David propera fuga lethalem ictum declinavit, nec ultra ſe inimico credidit. Primum ad Samuëlem, inde ad Philiſtæos, poſtremo ad Moabitas confugit. Hinc revocatus per Gadum Prophetam, varia vitæ pericula divina ſemper virtute evaſit. Bis regem in poteſtate habuit, exitioque ejus per ſanctiſſimam animi moderationem abſtinuit, ut pateret omnibus, *malos, cum maximè nitantur in bonorum exitium, fruſtra eſſe; bonos, cum in promptu habeant nocere nolle.* Interim ad Davidem afflictiſſimus quiſque, ac fortiſſimus Hebræorum, tanquam ad commune aſylum vindicemque injuriarum ſe recipiebat, quam manum exul è rapinis gentium aluit, donec *Saulus* bello Philiſtino caderet. Victus enim acie tyrannus, ne in hoſtium manus veniret, gladio ſuo incubuit. Pridie quam occumberet, Samuëlis manes per fatiloquam mulierem, ut plenæ ſunt talibus dæmonum artes præſtigiis, evocatos exhorruit, triſtemque mortis nuncium infelici dextera ſubſecutus eſt. Cadaver ejus victores de Bethſanis (quæ Scythopolis poſtea) muro ſuſpenderunt, caput Dagonis in fano fixum. Sed Jabenſes diſcuſſæ olim obſidionis memores, detractum manibus corpus regium ſepulcro intulere. *David* carminibus deplorato infeſti ſoceri exitio, collaudataque Jabenſum fide, pridem deſtinato regno potitur, poſtquam à Samuële & Saulo adminiſtrata eſſet res Hebræa annis quadraginta.

Glorioſior ſub id temporis *apud Græcos* Codri Athenienſium Regis mors fuit. Nam Peloponnenſibus, bellum facturis Atticæ, reſpondiſſe fertur Apollo, victoria potituros, quorum Rex interiiſſet. Igitur *Codrus*, mentito pauperis habitu, caſtra hoſtium ingreſſus, in ſuam eos necem per jurgia provocavit. Secuta Laconum deſperatio & clades, regiſque ſui morte Athenienſibus victoria ſtetit. Cum eo regia poteſtas exſtincta, Atticæ deinceps Archontes jus dixere; quorum primus Medon, Codro genitus,

1 *Sam.* 13. 14.

1 *Sam.* 15. 16. 17. *Joſeph l.* 6. A. M. C. 2880. *Antiq. c.* 9. 10. 11. 12. A. M. C. 2885.

A. M. C. 2887.

1 *Sam.* 18. 19. 20. *Ioſeph. l.* 9. *c.* 13. 14. 15.

1 *Sam.* 22. 23. *&c.*

2 *Sam.* 1. *Act.* 13. *v.* 21.

Vell. l. 1. *Euſeb. in Chr. Aug. l.* 18. *c.* 19. *Pauſ. l.* 7. *Valer. Max. l.* 5. *c.* 6. *Suidas.*

nitus, posteris suis Medontidarum nomen reliquit. Tota tum Græcia magnis motibus concussa est. Orestes olim Clytemnestræ matris, Ægistique adulteri ejus cæde, patris sui Agamemnonis manibus parentaverat, avitoque regno diu ac feliciter præfuerat. Ejus nunc filii ab Heraclidis Peloponneso excluſi, variisque jactati casibus, quintodecimo anno sedem cepere circa Lesbum insulam, Achæi vero ex Laconica pulsi, eas sedes occupavere, quæ ab illis Achaiæ nomen ferunt. Pelasgi gens vaga & populosa, Athenas commigravere: acerque belli juvenis nomine Thessalus, natione Thesprotius eam regionem armis cepit, quæ nunc ab ejus nomine Thessalia appellatur, antea Myrmidonum vocata civitas. Paulo ante Haletes, sextus ab Hercule, Hippotis filius, Corinthum, quæ antea fuerat Ephyre clausstra Peloponnesi continentem, in Isthmo condiderat. Lacedæmonii in Asia Magnesiam, Athenienses in Eubœa Chalcida & Eretriam coloniis occupavere. Nec multo post Chalcidenses orti Atticis, Cumas in Italia, magnoque post intervallo Neapolin condidere.

Pauſ. in Achaicis & Corinth. Strabo l. 5. Geogr.

David.

A. M. C. 2889. *Exitus Ægypt.* 437.

TUne *David* secundus Hebræorum Rex, idemque è Schola Samuëlis Propheta eximius, pietate in Deum, justitia in subditos, moderatione in hostes, cunctos reges antecelluit, dignus à Deo judicatus, cujus posteris æternum sponderet imperium, sexcentis triginta quinque annis post Jacobi Patriarchæ de eodem regno vaticinium. Nec promisso fides defuit. Posteri enim ejus res Hebræas moderati sunt, donec ex eis Christus affloruit, quem genus humanum pro Rege Deoque colit. Initia regni turbavit *Abnerus*, Saulis militiæ magister & patruelis, dum regis sui filio imperium parat. Crebris præliis inter regum duces concurrebatur, quoad Abnerus ad Davidem perfugeret, æmuli sui Joabi dolo peremptus, Davide inscio.

2 *Sam.* 1. 2. 3. 7. *Ioſeph. l. 7 c.* 1. 2. 3. 4. *Gen.* 49. *Pſalm* 89. 132.

2 *Par* 14. 2 *Sam.* 4. 5. 6.

Octavo sic regni anno David totius Hebræorum gentis imperium nactus, ante omnes alios Philistæorum superbiam secundis præliis edomuit. Hierosolymam à Jebusæis obsessam vi expugnavit, arcamque divini fœderis Kiriathiaris in munitissimam Sionis arcem transtulit. Quietem deinde à bellis propagandæ religioni struendoque Dei templo impendens, ædificationis istius gloriam filio reservari oraculo edocetur. Inde Moabitas Syriamque pene omnem subegit, victisque stipendium imposuit. Auri, argenti, æris, ex præda immensum pondus retulit. Magna adhuc erat Ammonitarum Regis potentia, qua fisus legatos Davidis, amicitiæ causa missos, ludibrio habet, contumeliæ vim adjungit, bellumque adscitis in auxilium Syris ingens parat. Id Rex David partim Joabi opera, partim ipse per se feliciſſime repulit, totumque Ammonitarum regnum, vindicatis acriter injuriis, sibi subdidit.

2 *Par.* 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.

2 *Sam.* 8. 9. 10. 1 *Par.* 18. 19. 20. 2 *Sam.* 10.

Sed mox patuit *secundas res acutioribus animum stimulis explorare. Miseriæ enim tolerantur, felicitate corrumpimur.* Illectus enim David *Bathsebæ*, mulieris cujusdam primariæ, pulchritudine, stuprum ei infert, adulterium cæde mariti ejus *Uriæ* viri fortissimi cumulat. Nec id impune. Increpatus à Nathane Propheta agnoscit quidem flagitium, amoremque Numinis recipit, sed ut documentum esset regibus, ne summi regis jussa contemnerent, aliquot annis post in filii sui contumacia didicit, quantum scelus esset Patri Opt. Maximo rebellare. Qui conjugem alienam maculaverat, idem dedecus in aliquot genialis tori sociis & una filiarum est expertus. Sed quia errores agnoverat, pœnitentiaque emendarat, ex infortunio major emersit. Regnum enim, ex quo pulsus erat ab Absolone filio, brevi recuperavit. Absolonis perdecora cæsaries quercui illigata, dum prælium adversus paternas copias init, pendulum Joabo objecit, cujus cruenta dextera confossus, impietatis

2 *Sam.* 11. 12.

2 *Sam.* 13. 14. 15. 16. 17. 18. *Ioſeph. lib. 7. Antiq. c.* 9. 10. 11. 12. 2 *Sam.* 23. 24. 1 *Par.* 21. 22. &c.

in

in patrem pœnas luit. David compressis exteris domesticisque motibus, regnum in pace florentissimum mira pietate excoluit. Aluit ultra cantorum quatuor millia, qui Dei laudes diesque noctesque personarent. Recensitis per curiositatem subditis, quibus militaris ætas esset, ultra sedecies centena millia reperit. Sed ut non tam numero hominum, quam pietati attenderet, uno triduo LXX millia peste interierunt. Tandem septuagenarius mortalitatem exuit, anno regni quadragesimo inter rara humanæ felicitatis virtutisque exempla numerandus.

Euseb. Chronic. Vell. l. 1. Ælian. l. 1. varia. hist. c. 5. Paus. in Achaicis.

In ejus tempora confert Eusebius *Ionum migrationem* Asiaticam. Magna vis Græciæ juventutis, ait Paterculus, abundantia virium sedes quæritans, in Asiam se effudit. Nam & Iones duce Ione (Ælianus Neleum vocat Codri filium) profecti Athenis, nobilissimam partem regionis maritimæ occupavere, quæ exinde appellata Ionia, urbesque constituere, Ephesum, Miletum, Colophona, Prienen, Lebedum, Myuntem, Erythram, Clazomenas, Phoceam: multasque in Ægeo atque Icario cepere insulas, Samum, Chium, Andrum, Tenum, Delum, aliasque ignobiles. Et mox Æolii eadem profecti Græcia, longissimisque acti erroribus, non minus illustres obtinuerunt locos, clarasque urbes condiderunt, Smyrnam, Cymen, Larissam, Myrinam, Mitylenem & alias.

Vell. l. 1. Joseph. l. 7. ἀρχαιολ. & l. 1. contra App.

Amicus etiam Davidi Hiromus Tyriorum Rex, Abibali filius, classem habuit, plurimum potentem mari. Ea Gades in extremo Hispaniæ littore, & in Africa Uticam condidit.

Salomon.

DAvidi successit *Salomon* filius, tertius Hebræorum Rex, jussu patris & Prophetarum inunctus, spretis Adoniæ ac gregalium ejus conatibus, mox etiam punitis, cum res novas moliri pergerent. Salomon optione sibi à Deo data petendi quod vellet, *sapientiam* omnibus aliis rebus prætulit. Eam divino munere consecutus est tantam, ut in admirationem omnes terrarum principes raperet, certatimque eorum legationibus donisque ambiretur. Sapientiam pax, divitiæ, reliquaque mundi bona affatim comitabantur, ut Regum sui seculi longe esset clarissimus, populusque Hebræorum numquam lætius beatiusque vixerit. Tenebat universam Syriam ab Ægypto usque ad Euphratem. In ea rerum tranquillitate cum tertio Salomonis anno complentur ab liberatione Ægyptiaca anni quadringenti octoginta. Quam temporis periodum quia divinis in monumentis singulariter annotatam legimus, placuit hic, ut seculo quarto, sic libro finem ponere, ut à structura templi magnificentissimi novi nobis libelli structura incipiat.

A. M. 2928. Exitus 477. *1 Reg. 1. v. 2, 3. Joseph. l. 7. c. ult. & Antiq. cap. 1, 2.*

1 Reg. 6.

Liber V.

Complectens annos CCCLXXII. *à templo Salomonis usque ad ejus destructionem.*

A. M. 2933. Christianis seculum Prophetarum. Ethnicis Poëtarum. *Alsted.* 2939.

SPlendidissimus regum *Salomon templum* Dei immensi operis excitare aggressus, paratis per triennium impendiis, undecimo illud regni anno absolvit, dedicavitque innumeris victimis, cum à mundo condito præcise fluxissent annorum tria millia, Sesostre, ut vult Josephus, Ægyptiorum rege, Alba Sylvio Latinorum, ut placet Eusebio. Sesostris quidem ab Herodoro & Diodoro prioribus narratur seculis, sed accuratior vetustatis Josephus, erratum ab illis, ac Sesostrin eum regem putat, quem libri Sacri Sesacum nominant. Is Ægypti re-

Herod. l. 2. Diod. l. 2. Joseph. l. 8.

Naucl. Gen. 34.

1 Reg. 10. v. 11. A. M. 2952.

regum maximus cum Salomone affinitatem junxit, filia ei aut sorore in matrimonium collata. Interea Salomon adornata sibi regia, cui parem sol non aspexerat, sapientiæ fama excivit reginam felicis Arabiæ *Nicaulam*, ut viscere gloriam, audireque voces tanti regis concupisceret. Ab ea cultus donis elogiisque societatem cum Hiromo init classicam, instructisque ambo navibus, ex remotissimis insulis aurum, aliaque pretiosa convehunt tanta copia, ut argenti vix ratio haberetur amplius. Sed qui ordo rerum esse solet, *ab nimiis opibus in luxum & vitia delapsus* Salomon, cum adversum interdictum Dei ex alienigenis conjugia sumsisset, & jam septingentas uxores & trecentas haberet concubinas, Idola eis ritu gentium suarum, quibus litarent, constituit. Quam ingratitudinem aversatus Deus, graviter objurgato regi pœnam denunciavit, fore nimirum ut regnum ex parte majore ademptum filio, servo illius traderetur. Sed qui opum abundantiâ corruperat animum, postea ad se rediens vanitatis damnavit publice, quicquid solis radius illustrat, ut vere dixeris, felicitatem externam à nemine despectius habitam, quam qui eam maximam fuit expertus. Nam vitæ extremo competit, *inter voluptates nimias difficillimum esse sapere etiam sapientissimis*, castigatusque à Deo Rezonis Syri, Hadadi Edomæi & Jeroboami Ephraitæ defectionibus, decessit anno regni quadragesimo, ingens humanæ fragilitatis exemplum. *Post Salomonis obitum* Damascæni iterum Palæstinæ & Cavæ-Syriæ imperium affectare ausi sunt, qui per ipsum patremque ejus erant edomiti. Verè dixeris, floruisse hoc *seculum sapientiæ* studiis, cum non tantum Salomon, Hiromus, Regina Arabica, Sesostris, aliique reges ea impensissime colerent, verum etiam apud Hebræos *Prophetarum*, apud Græcos *Poëtarum scholæ* imprimis efflorescerent. Nam apud illos hoc tempore excelluerunt divinæ sapientiæ doctores, Sancto Spiritu pleni, Gadus, Nathan, Asaphus, Hemam, Jeduthun, Etham, Achias. Apud hos *Homeri* eluxit ingenium, qui fulgore carminum solus appellari Poëta meruit, in eo culpatus à sapientioribus, quod narrationes rerum gestarum fœdissimis sæpe fabulis conspurcavit, primus diis nomina flagitiaque attribuere ausus.

Eccles. cap. 1. & ultimo.

A. M. C. 2868. *Dius in Phæ. hist. ap. Joseph. lib. 1. cont. App. Vellejus. lib. 1. Herod. l. 2. & in vita Hom. Solin. cap. 43. Gellius lib. 17. cap. 21. Suid. in voc. Homer.*

Roboamus.

Roboamus ab Hebræis rogatus, ut laxaret onera, à Salomone patre, ædificationibus intento, imposita, preces supplicum superbo stultoque juvenum consilio repudiavit; *minatus atrociora*, quam à patre pertulissent antea. Hinc orta indignatio, regnumque in partes sciissum, Judæis & Benjamitis Roboamum, reliquis Israëlitis Jeroboamum regem sequentibus, quæ discordia ingentium *malorum originem præbuit*. Nam ex hoc tempore sacræ profanæque res Hebræorum corrumpi, intestinisque bellis agitari tribules cœpere. Domus Davidica jure & religione, diversis stirpibus orti Israëlitarum reges multitudine subditorum superstitioneque nitebantur. Roboamus mox à defectione centum octoginta bellatorum millia coëgit, armis recuperaturus totius gentis imperium; sed territus à Propheta abstinuit prælio, quod Deus diminutione potestatis punire constituisset familiæ Davidicæ insolentiam. Jeroboamus contra veritus, ne ab se plebem religio averteret, statuit animos ejus superstitione occupare. Itaque boves aureos ad utrosque regni terminos consecravit, quibus litaret de more populus; sacerdotes spretis legibus è vulgo delegit, pessimum exemplum factus successoribus. Omnes enim post eum reges, contempto Salomonis templo, quod Deus majestate sua repleverat, eoque omnes ferre hostias imperaverat, suopte arbitrio de religione statuerunt, adscitis etiam subinde commentitiis gentium numinibus, sacrisque sceleratis, quibus se suosque tandem pessundederunt. Hierosolymitani autem

A. M. 2969. *Helvic. Temp. 37. 1 Reg. 12. v. 13. 2 Par. 10. v. 11. Joseph. lib. 8. c. 3.*

Herod. l. 2. Diod.

Sic. l. 1. Strab. l. 4. 35. autem reges partim Davidis & Salomonis, partim etiam æmulorum suorum de sacris sententiam secuti, talem semper Deum experti sunt, qualem ipsi seu fide, seu perfidia, merebantur. Ac Roboamus quidem documento fuit posteris. Dum Deum rite coluit, felicia ei omnia quietaque evenere, mox ut defecit cum populo, *Sisaco* seu Sesostri præda factus est. Ille Ægypti rex celeberrimus, ad Indos, Æthiopes & Scythas penetrasse scribitur, occiduas etiam partes ad Thraces usque pervagatus, totius orbis imperium animo agitasse. Pompis solennioribus currum egit, devictorum ei regum cervicibus junctis. Sacra Historia eum innumeras peditum copias ductasse refert, ex Ægypto, Libya, Æthiopibus, Sce-

Plin. l. 33. cap. 3. Joseph. l. 8. Antiq. c. 5. nitis lectas, equitumque sexaginta millia. Expilatis Jerosolyma temploque, & reliquis Judææ urbibus, experimentum dedit Hebræis externi imperii, quod jam ultra centum annos non degustaverant. Plinius Sesostrin ab Esubope Colchorum rege victum, aureasque inde cameras, trabes columnasque argenteas Colchorum fuisse regibus memorat. Certum est, placatum supplicatione Hebræorum Deum effecisse, ut præda contentus abscederet, nec universum Regnum everteret. Pervicacior Roboamo fuit *Jeroboamus*, Sichemi Rex. Etsi enim manus sacrificantis, qua Prophetam ab idololatria avocantem comprehendere conabatur, aruerat, arefecta ad ejusdem Prophetæ preces revaluerat; Mox etiam ipse Propheta in exemplum iverat, ob violatum Dei præceptum, à leone interfectus. Nihil tamen mutatus sententia Jeroboamus, plus sibi de suis inventis, quam divina sanctione placuit. Quamobrem horribiles impietatis pœ-

2 Par. 13. 17. nas ei indixit Achias Silonita Vates, qui idem antea regnum ipsi, cum Deum adhuc timeret, prædixerat. Nec irritæ minæ fuerunt. Nam memorabili prælio ab *Abia* Roboami filio victus, suorum quinquies centena millia amisit. Abias enim legi divinæ adhæresebat, ac veritate religionis confisus, Deum causæ implorabat vindicem. Sed victoriæ illustri paucis supervixit annis, triennium duntaxat in regno moratus, majori tamen cum laude quam pater annos septendecim. Mox etiam Jeroboamus ira percussus Numinis exspiravit, posteritasque ejus omnis ultore gladio exstincta est, Baëza regnum occupante. Tunc Achias, Semaias, Iddo, aliique Prophetæ studiis pietatis in Palæstina præerant; *Hesiodus*, secundum aliquos, profanorum numinum generationes in Bœotia decantabat. Et, si Herodoto fides, Sesostri successerat in cæcitatem potius quam virtutem Pheron seu Pharao Sesostris, qui, curandis oculis quum matronam castam ex oraculo adhibendam intelligeret, nullam in tota Ægypto reperire potuit, præter olitoris cujusdam conjugem; quam idcirco in matrimonium accepit, suamque & cæteros omnes igni adjudicavit. Ejus successorum Amasin devicit Actisanes Æthiops, qui Seras is forte erit quem in Judæam irrupisse dicemus, Asæ regis temporibus.

Herod. l. 2. Diod. l. 2.

A S A.

A.Templi 55. A. M. 2988. *2 Chron.* 14. 15. 16. *1 Reg.* 15. 16. *Joseph. l. 8. Antiq. c. 6. 7.*

Abiæ enim successit *Asa* sextus Hebræorum Rex, patre avoque melior, & ad Davidis virtutes assurgens, si *aras* è collibus amovisset, quibus jam pridem populus assueverat, ratus se Deo præstare, quod sola imitatione majorum præter ipsius jussa faciebat. Rex ipse patrium Numen sincera pietate coluit, templi thesauros egregie auxit, simulacrum Veneris seu Priapi turpissimum, ut à matre sua consecratum, in torrentem Cedron projecit, longe majorem Dei quam parentum rationem testatus ducendam. Ea mente longum & felix imperium adeptus, septem reges decem tribuum regnantes exstinctosque vidit. Jeroboamum anno sui regni secundo, Nadabum Jeroboami filium tertio, Baësam Nadabi interfectorem vicesimo sexto, Ellam Baësæ filium vicesimo septimo, Semrin Ellæ, & mox suum percus-

sorem

forem uno eodemque octiduo. Hinc Amrin & Thibnim de regno discordantes, alterumque ex alterius morte breve capientes gaudium, anno tricesimo octavo: *Unus pius septem malis longe apud Deum potior.* Et mirum sane tantis Dei judiciis non profeciſſe spectatores. Etenim Baësa nihil emendatior internecione anteceſſorum familiæ, eadem in Deum hominesque improbitate fuit, ac proinde iisdem fatis est consumptus. *Asa* interim incredibilem, omniumque ab orbe condito maximam victoriam, ex Æthiopibus in Judæam irruentibus retulit; *Zaram* Æthiopum regem, divicta Ægypto, decies centena militum millia, trecentosque currus militares rapientem prope Maresam Judææ oppidum, in valle latissima, fortiter excepit, oppositis eis copiis duplo fere minoribus. His enim, implorato Dei auxilio, ad internecionem cecidit Æthiopas omnes Libyasque, locupletissima ex illis viciniſque urbibus præda parta. Quo ingenti Dei beneficio firmatus, quicquid erat alienorum numinum abstulit, regnumque è Baësæ subditis plurimum adauxit. Ista rerum tranquillitate septendecim annis usus, omnesque suæ ætatis reges felicitate supergressus, tricesimo sexto Hierosolymitani imperii anno diffidentia offendit Deum. Nam Baësæ molitiones veritus, qui Rama munita commeatu eum intercludere parabat, auro sacro profanoque manum injecit, ut Benhadadum Syriæ regem muneribus sibi devinciret, cujus opera Baësæ munitiones dissipavit. Objurgatus ab Hanano Propheta, quod Deum, multo majoribus periculis cognitum, humanis viribus posthabuisset, animi ejus fiduciam injectis vinculis insolenter comprimere ausus est. Quare ab eo tempore partim bellis, partim valetudine vexatus, id ipsum docuit, quod Regum ante & post ipsum plerique, *neminem scilicet sapientum omnibus horis sapere. Multos regum accepta affligere imperia, multos bona perdere, & ultimis mergere suppliciis. Ut alia impropria non sint, certe ne lasseſſat fortuna, timendum, metuque semel recepto, solidam felicitatem non esse.* Sed indulgenter sane Asa habitus à Deo, à quo nec plane defecit, quanquam nimium Medicis fisus, convalescere è pedum malis nequivit. Sepultus est pluſquam regiè anno regni XLI. Peſſimus contra & simul infeliciſſimus regum Samris, occiso inter pocula Ella Domino, regiam regnumque ejus invasit, idque post septiduum, cum vita amisit; nulla re alia celebris, quam quod regiam Thirzæ rogum sibi fecit, succeſſoremque Amrim ad novam aulæ sedem quærendam vel morte sua, cum vita non posset, adegit. Is emptum à Semero quodam montem inclyta urbe exornavit, quam à priſtino loci domino Samariam dixit, quæ sedes exinde Israëliticis regibus facta: sed præclarius sibi nomen pariturus fuisset Amris, si cum regia religiones quoque anteceſſorum mutasset, patriumque Deum ex priſco inſtituto coluisset. Quod cum non faceret, principia regni turbulenta, quietem brevem habuit, sexennium solum post Thibnis æmuli sui mortem dominatus. Sic regnum transmisit ad *Achabum* filium, Samariæ regum deterrimum.

A. M. 3002.

2 *Par.* 14. *v.* 9, 10.

1 *Reg.* 16.

1 *Reg.* 16. *v.* 24.

Plin. 7. *cap.* 40.

Dum hi rem Hebræam vel corrumpunt vel restituunt, *Lycurgus* apud Lacedæmonios vir generis regii, & patruelis sui Leobotæ seu Charilai tutor, pupillo regnum, rara gentium fide, cum eripere posset, conservavit, deteſtatus etiam matrem ejus, quod, uxor regis, quam mater esse, præoptaret, sibique dominatum filii mercari cæde cuperet. Hinc conspicatus *corruptas* passim *respublicas, dum quisque, suis commodis intentus, commune bonum aut negligit, aut subvertit*, popularibus suis severiſſimarum legum & disciplinæ adstrictiſſimæ autor factus est. Perſuadendæ rei difficillimæ Delphici Apollinis auctoritatem prætexit. Avaritiam ante omnia malorum radicem amputaturus, Spartanum agrum viritim diviſit, positaque mensis lege,

Plut. in Lyc.

cives gregatim epulari volùit. Sic cum nulla esset opum ostentatio, cœna omnibus æqualis, habendi cupido luxuriaque exaruerunt. Fastigia domuum securi, januas serra tantum adhibita confieri statuit: Magistratus non divitiis, non generi, non ætati soli, *sed ætati & virtutibus* attribuit. *Liberos, publicum civitatis thesaurum ratus, publica cura sumtuque alendos & educandos curavit.* Regibus senatum moderatorem addidit, quibus in officio arctius tenendis, post centum triginta annos Ephororum accessit potestas. *Leges* non literis sed *moribus reliquit* scriptas, quas in perpetuum firmaturus reipublicæ, sacramento cives adegit, nihil mutaturos, donec ipse Delphis ab oraculo Spartam rediisset. Unde nunquam reversus, vi religionis obnoxiam legibus civitatem habuit, quarum quamdiu illa fuit diligens (fuit autem ad quingentos annos) excelsissime floruit. Leges latæ Agesilao Durissi & Charillao Polydectæ filiis regnantibus, annis ante Olympiades CL. post migrationem Ionicam centum, prout ex Apollodoro Clemens Alexandrinus annotat. Quatuordecim ex eo tempore reges, Spartanorum nihil in statutis immutaverunt, donec sub Agide, Archidami filio, numisma argenteum (Lycurgus enim ferreum sanciverat) & cum numismate avaritia intraret Spartam, per quam tandem concussa urbs & labefactata est. Eo tempore apud Tyrios Ithobaalus Astartes (Veneris cœlestis puta) sacerdos, cæso Philete regnum occupavit, tenuitque annos XXXII. Ejus filia Jezabel Achabo Israëlitarum regi nupsit, cumque opibus Phœniciæ impietatem in Samariam intulit. Apud *Latinos* Capyn, Capuæ conditorem, excepit Capetus, Albanorum regum septimus. Thraces à Strymone fluvio progressi, Bebriciam, quæ post Bithynia, occuparunt.

Vell. l. 1. Paus. l. 3. Clem. Alexan. Strom. l. 1.

Plato apud Plut. in Lyc. Menander Eph. apud Joseph. lib. 1. cont. App. Liv. l. 1. 1 Reg. 16. v. 31, 32. Sueton. in Jul. Cæsar. cap. 18. Euseb. in Chron.

Josaphatus.

A. M. 3033. DUm Spartana Respublica à Lycurgo legibus constituitur, multo melioribus Hebræa à *Josaphato* regitur. Is enim sextus à Davide Jerosolymorum Rex, à Saulo septimus, primam sibi præcipuamque veri Numinis curam duxit, dimissisque oppidatim viris, sacri juris peritissimis, ad divina Mosis statuta reformavit subditos. *Religioni* judiciorum sanctitatem adjunxit, præcipiens ut velut in Dei conspectu judicarent tanquam summi judicis, quotquot de aliis sententias ferrent. Talium rerum autorem fama per orbem terrarum circumtulit, opes ejus in immensum auctæ, metus incussus finitimis. Philistæi & Arabes tributum sponte pependerunt, aspectu virtutis, veritique robur militum, quorum ultra undecies centena & sexaginta millia in armis habebat Josaphatus. Sed in tanto principe id *vitii* notatur à divinis scriptoribus, quod nimio pacis studio, cum impiis Samariæ regibus affinitates fœderaque junxit, ingenti suo filiorumque incommodo. *Achabi* & Jezabelis Sidoniæ filiam suo Joramo uxorem dedit, cumque impia progenie impietatem, cum impietate mala omnia in familiam invexit *Jezabel*, ut erat sacris assueta Sidoniis, peregrinos Deos importarat in regnum Samariæ, raptoque in sententiam eandem Achabo, jam plus honoris Phœnicum numinibus, quam cœli Domino tribuebatur. Ad quam profanitatem indignatus *Elias* Thesbita, Dei sui virtute cœlum se clausurum minatur, ne pluvia aut rore perfunderetur terra, nisi ad vota sua. Et contemtus perfecit minas. Triennium & semestre suspensæ cœlo aquæ, omnia solis ardoribus adusta sunt, non victus hominibus, non pabulum jumentis suppetiit. Ipse in solitudine, *corvis* cibum ministrantibus, vixit; aquam torrens Crithus, donec & ipse aruit, dedit: Inde Dei monitu Sareptam Sidoniorum missus ad mulierem viduam, pauxillo farre oleoque illam, seque aluit, divinis nutibus accrescente quotidie, quantum ad victum detrahebatur. Ejusdem viduæ filium mortuum precibus suis in

Buchol. Alii 3029. Templi 97. 1 Reg. 22. v. 41. 2 Par. 17, 18, 19. Joseph. lib. 8. Antiq. 8, 9, 10.

1 Reg. 16. 17, 18, 19. 2 Par. 18.

1 *Reg.*18. *Sulpit. Severus lib.*1. in vitam reduxit. Quæſitus ad necem per omnia mundi regna, tandem ultro ſe regi ingeſſit, exprobrataque idolorum vanitate, populi ac ſacerdotum conventum popoſcit. Quo dato, placuit fieri periculum, ut ſi cujus cæſam hoſtiam miſſus cœlo ignis abſumeret, rata eſſet
2 *Reg.* 19. religio, quæ virtutem edidiſſet. Ibi fruſtra conſumptis Baalitarum invocationibus, ad preces Eliæ ſubito delapſus ignis, hoſtiam largiſſima aqua circumfuſam combuſſit. Patefacta veri Numinis gloria, ſacrilegi *Sacerdotes* numero
A. M. 3041. octingenti quinquaginta confuſi *necatique* ſunt: cœlum mox imbres reddidit.
2 *Reg.*18. Regina Jezabel nihil emendata tantis rerum miraculis, in Eliæ necem dejeravit. *Elias* ad Sinam Arabiæ montem profugus, ſemel iterumque refectus ab An-
A. M. 3042. gelo eſt, & quadraginta dierum *iter ſine cibo* confecit. Ibi de Achabi interitu,
2 *Reg.*19. 1 *Reg.*20. ſervandiſque piorum reliquiis oraculo edoctus, in Palæſtinam revertitur. Tum
*v.*21,23. *Joſeph. Antiq. l.*1.*c.*8. *Benhadadus* Syrorum Rex, adſcitis in auxilium triginta duobus regulis, Samariam obſidione cingit, atque Achabo ſe ſuoſque offerenti deditiios illudit acerbè, omnes ſubditorum opes pariter ſe ablaturum minatus. Pavidum ad hæc Achabum Prophetarum aliquis accendit ad eruptionem, ſi Deo vero fidat, de Syris victoriam pollicitus. Extemplo
A. M. 3043. verborum fidem res ipſa probavit. Exiguis enim Achabi copiis innumeræ hoſtium *fuſæ* fugatæque ſunt, copioſiſſima præda parta. Vertente anno, Syrus re-
A. M. 3044. paratis viribus in Samariam regreſſus, dum acceptam cladem ultum it, *novam* accipit. Centum Syrorum millia conciſi, viginti duo millia Apheci murorum ruina proſtrati memorantur, Rex ipſe mortalium arrogantiſſimus, captus eſt. Ei regnum Achabus, imprudens victor reſtituit, oblitus *eripiendum tyranno gladium, non reddendum eſſe.* At-
Antiq. 2 *Reg.*22. 2 *Par.* 18. *Joſeph. l.*8.*c.*10. que idem hoc truculentior in ſubditum, quo mitior in hoſtem, *Nabotho* viro innocenti *vineam* adimere voluit. Negantem, patria ſe ceſſurum hæreditate, fi-
Dubium an 3045. cto majeſtatis crimine circumvenit Jezabel, & lapidibus *obrui* curavit, interfecti bona tradidit marito. In hujus ſceleris ultionem, Achabi ſanguinem à canibus lingendum, Jezabelem devorandam prædixit Elias, poſteritatem eradicandam funditus. Rex temporaria pœnitentia diſtulit ſupplicium, non abſtulit. Pœnis maturo Joſaphatus ſe aſ- A. M.
ſociat, atque una *in Syros* militatum pro- 3047.
ficiſcitur, *Micha* Vate cladem eis, exitiumque Achabo præcinente. Id quidem Joſaphatus in prælio pro Achabo ſe gerens, cum in manu fere hoſtium eſſet, implorata Dei ope effugit, Achabus autem, etſi ſtrenuè pugnans, pertulit, *ſagitta* caſu miſſa *transfixus*, defluentem- A. M.
que è curru ſanguinem *canes* ſorbillarunt. Qui tyrannum ſervaverat, civemque occiderat, tali morte occubuit. Occiſo ſucceſſit *Ochozias*, ſimilis patri filius. Ejus ſocietatem initio recuſavit Joſaphatus, ſoluſque Ammonitas, Idu- A. M.
mæos, Syroſque devicit, fretus Dei 3047.
auxilio, quem jejunio & precibus adjutorem ſibi conciliaverat. Mirum dictu, 3045.
quomodo vicerit. Nam dum præcedentes exercitum tubicines cantoreſque, *Joſeph.*
conſuetas Dei laudes perſonant, diverſarum nationum acies converſis in ſeſe mucronibus inardeſcunt, Idumæi in Ammonitas, ſocii in ſocios, Hebræis incruentam ac ſine pulvere victoriam tradunt. Hebræi omnes incolumes ditatique ſpoliis, cum tripudio & gaudiis Jeroſolymam redeunt ovantes, Deique ſui
laudes concinunt. Mox majoribus O- 2 *Chro.*20.
choziæ precibus evictus Rex Joſaphatus, claſſem conjunctis cum eo ſumtibus inſtruxit, adverſo plane Numine, atque impium ſimul regem, Joſaphatumque ejus ſocium peroſo. Itaque claſſis tempeſtatibus disjecta, Ochozias paulo poſt è feneſtra prolapſus modicas vitæ ſpes ex Beelzebubi Accaronitarum Dei oraculo firmare ſperavit. Cumque ad Eliam, durioris fati prænuncium, milites bis quinquagenos mitteret, in- 2 *Reg.*1.
vitum Dei virum in aulam pertracturos, A. M.
3048.

ille ſuperba *agmina igni* cœlitus devocato exſtinxit, cum jam Jeroſolymæ Joramus Joſaphato patri collega eſſet. Sic mortuum Ochoziam in regno ſequutus *Joramus* frater, novo Jeroſolymæ regi, ut ſanguine, ſic moribus nomineque ſimilis; hoc tantum parentibus melior, qnod, tot experimentis edoctus, Sidonios ſprevit Deos, aureiſque tantum in 2 *Reg.* 2. vitulis Iſraëlis Deum Jeroboameo ritu colere inſtituit.

A. M. 3050. *Bucholz.* Interim *Elias* Propheta, ſiccato in tranſitum Jordane fluvio, turbine rapitur, quadrigiſque igneis *ſublimis in cœlum evolat*, ſpectante Eliſæo, quem ab aratro in ſpiritualem ſapientiæ ſementem faciendam evocarat. *Eliſæus* ilico arefacto iterum percuſſu Eliani pallii Jordane, redit in Judæam. Hierichuntis aquas ſanat, inque pueros ſibi maledicentes è 2 *Reg.* 3. ſylva *urſos* verbo extrahit. Unde ſtatim cognitum, Spiritum Eliæ Eliſæo incubuiſſe, cujus vis Moabitico mox bello, ingenti cum fama per omnes nationes enituit. Erant in deſertis reges cum exercitu, Joſaphatus, Joramus & Idumæus, perfidam Moabitarum defectionem bello caſtigaturi. Longius procedentes aqua deficit, nec regredi erat integrum. Ibi accerſitus Eliſæus, tribus exercitibus aquarum immenſam copiam ſolis precibus impetrat; mox etiam ex hoſtibus victoriam facillimam. Nam Moabitæ gnari ſiccam eremum eſſe, ubi caſtra Reges fixerant, ut rubentem à ſolis radiis aquam procul intuentur, ſanguinem eſſe hoſtium ſtatuunt; attritos inteſtinis cladibus, ut putabant, adoriuntur, repulſi fortiſſime fugiunt, fugientes cæduntur, tota eorum regio corrumpitur. Rex in deſperationem actus filii primogeniti cruore crudeles placat Deos, quem ob id deteſtati Hebræi, ne tantæ indignitatis auctores viderentur, in propria remeant. *Eliſæus* indies ſeipſo major, *doctrina & miraculis* totum late Orientem illuſtrat. Viduæ cuidam honeſtæ ære alieno oppreſſæ ex una Lecytho tantum olei elicuit, quo divendito, & creditori ſatisfaceret, & ſe cum duobus filiis honeſte aleret. Hoſpitæ ſterili filium à Deo impetravit, mortuumque revocavit in vitam precibus. Diſcipulis lethales cibos ſalubres effecit; fame urgente centum viros panibus exſaturavit, Naëmanum Syrorum ducem cum lepra purgaſſet, eandem avaro & mendaci famulo, ceu permutatione facta inflixit. Ferrum è fundo Jordanis aſcendit ipſo imperante. Syrorum occultas machinationes, tanquam conſilio interiſſet, referebat ſuis. Ob id armatis copiis circumſeſſus, cæcitate percuſſos hoſtes in mediam deduxit Samariam, cum Syri ſe Damaſcum ſuam ire 2 *Reg.* 7. 8. arbitrarentur. Iiſdem hoſpitaliter habitis, Damaſcumque remiſſis effecit, ut diffiſi conſiliis Syri irruptionibus abſtinerent impoſterum. Nec tantis tamen mitigatus eſt beneficiis Benhadadus, quin manifeſte iterum vi Samariam adoriretur: qui urbem pervicaciter obſidendo, ad tantam omnium rerum adegit penuriam, ut infelices matrum ventres filiorum carnibus paſcerentur, caputque aſini octoginta veniret argenteis. Tantas rerum tenebras fauſtum Eliſæi ſidus iterum ſubito diſcuſſit. Syri enim panicis conſternati pavoribus, tanquam ingentes adventarent copiæ, ſoluta obſidione aufugere, commeatu omni derelicto, quo direpto ab obſeſſis ex arctiſſima annona, intra viginti quatuor horas, maxima vilitas exorta eſt. Inter quæ rerum miracula *Joſaphatus*, Dei cultor A. M. eximius, *mortalitatem explevit*, anno 3055. regni quinto & viceſimo, fame tunc quoque urgente terram Palæſtinam, quam Eliſæus & prædixerat aliis, & ipſe effugerat. Iſque Damaſci interim Benhadado mortem, Haſaëli regnum vaticinatur, cum *Latinis* præeſſet *Agrippa Sylvius*, filius Tyberini, qui ex prælio in Albulam *Liv. l.* 1. amnem præcipitatus nomen à ſe aquis impoſuit. Eodemque temporis tractu Aſſyriis Orphratanem, Ægyptiis Amenophin & Oſochoren, reges aſſignat Eu- *Euſeb. in* ſebius. Apud Lacedæmonios Archelaus & *Chron.* Charillus Argivorum agros igne ferro- *Pauſan.* que

que populabantur, & ambigui Apollinis auctoritatem secuti Tegeatas subigere frustra appetebant. Archelai filius & successor Teleclus, Amyclas aliaque oppida finitima, Lacedæmoniis bello capta evertit, occisus tandem in templo Dianæ à Messeniis.

Ebræis certiora tum oracula Iddo, Jehasiel, Jehus, Michas, aliique Prophetæ edebant, præsertim Elisæus, Sapientum ea tempestate caput & magister celeberrimus.

Joramus.

A. M. *Bucholz.* 3052. *Alii* 3054. *Templi* 123. 2 *Chro.* 21. 2 *Reg.* 8. *Joseph. l.* 2. *Antiq. cap.* 2. 3.

DEfuncto Josaphato, duo eodem nomine reges in Palæstina uterque rerum potiebantur. *Joramus* Hierosolymorum Rex alterius Jorami, Samariæ regis, sororem in matrimonio habebat, materna plus superstitione & improbitate, quam Hebræis sacris imbutam. Ea auctore tantum à paterna pietate diversus abiit, ut à *fratrum cæde* regnum auspicaretur, peregrinaque sacra & ceremonias anteferret divinis patrum suorum institutis; quodque majoris erat dementiæ, populum à vera religione ad Dæmonum venerationem vi abstrahebat. Quibus malis inquinatus in varias incidit clades. Idumæi ab eo defecere, exemplum secuta Libna, civitatesque aliæ. Noviſſime Arabes Palæstinam adorti, omnem campestrem regionem ferro & igne populati sunt, regia insuper direpta, uxores liberique regii, præter Ochoziam natu minimum, qui fuga servatus est, subito hostium incursu periere. Ipse ventris profluvio diu conflictatus (quæ omnia ex Eliæ Epistola antea cognoverat) anno post mortem patris quinto, infeliciter consumptus est. Exstinctum neque funere regio extulit populus, neque Majorum sepulchro inferri permisit.

A. M. 3059.

Euseb. in Chron.

Eo tempore Psusennem in Ægypto regnasse, & Rhodios maris tenuisse imperium, è veteribus notat Eusebius, & Baci apud Corinthios defuncto successisse regem Agelum. Apud Hebræos præaliis *Jojada* summus Sacerdos egregia in Deum populumque fide claruit.

Ochozias.

A. M. 3058. *Templi* 131. 1 *Reg.* 22. *v.* 52. 1 *Reg.* 1. *Joseph. lib.* 9. *Antiq. cap.* 4. 5. 2 *Reg.* 9. 10. 2 *Par.* 22. A. M. 3056.

JOramo successit *Ochozias* nonus Hebræorum Rex, mali corvi, quod ajunt, malum ovum. Tanquam oblitus stirpis Davidicæ, totus ad maternæ originis exempla deflexit, magistra ad omne nefas matre Otholia, quæ patrem quoque ejus corruperat. Itaque brevi imperio fuit vergente ad interitum Amris familia, quæ jam quadragesimum secundum annum in Palæstina dominabatur. Cum Joramo avunculo fœdus percussit, junctisque viribus in Syros bellum gerebat. Ibi accidit, ut Joramus, acceptis in prælio vulneribus, Jezraëlem discederet, refovendi sui causa, eumque Ochozias viseret. Interea Elisæus discipulorum aliquem Ramothas mittit, præfectumque militiæ *Jehum* inungi regno curat, præcipiens Dei nomine, ut de scelerata Achabi domo impietatis exigat pœnas. Ille confestim à ducibus Rex consalutatus, occurrentes sibi ambos reges interfecit. Jezabelem Jorami matrem, Ochoziæ aviam, quæ incantamentis & latrociniis totam terram cruentaverat, de fenestra præcipitari in plateas imperat, in quam statim irruentes ex oracuło canes, in frusta discerptam devorarunt. Tam magno ei Prophetarum sanguis stetit.

A. M. 3059.

Othalia ejus filia, furens nece filii sui, iram omnem in Davidis posteros evomuit, in quos adeo est horribiliter grassata, ut neminem crederet superesse, cui parricidiorum supplicia penderet. Sed Jojadas Sacerdos affinem suum Joam (cujus amitam uxorem habebat) subduxit diræ aviæ, occulteque in templo occultatum, sexennio post ad patrium avitumque regnum produxit, ingenti studio populi, Davidis prolem in regali solio desiderantis, quæ Otholiæ tyrannidem comprimeret. Illa in templum ruens ut seditionem (sic vocabat dissolutionem tyrannidis) præsentia sua compesceret,

1 *Reg.* 11. *Joseph. l.* 9. *Antiq. c.* 7.

2 *Reg.* 10.

ſceret, extracta eſt in aream à militibus, & gladiis *confoſſa*. Sexennio ante Jehu, ſeptuaginta ejus fratres, Achabi filios necaverat, & Baalitas univerſos tanquam in ſolenni ſacrificio Deo ſuo mactaverat, templumque Baalis cum idolo funditus everterat. Sic luſtratum purgatumque ab improborum colluvie regnum ad quartum hæredem tranſmiſit, princeps cætera laudatiſſimus, ni communi anteceſſorum veſania faſcinatus, aureos Jeroboami vitulos adoraſſet. Quod nefandæ conſuetudinis venenum, cum nullis licet aſperrimis medicamentis cederet, Jonadabus Rechabi filius autor ſuis fuit, ut nec domos ſtruerent, nec vino ſe recrearent, futurum nempe prævidens, ut exſpueret illos terra, qui Dei gloriam boum ſimilitudine effigurarent, nec tot exemplis caſtigati meliora ſapere diſcerent.

Jer. 35. 2 *Reg.* 10. *v.* 15.

Joas.

A. M. 3101. *Bucholz. Alii* 3069. *Templi* 135. 2 *Reg.* 12. *Joſeph. l.* 9. *Antiq. c.* 7.

INter hæc *Ioas*, Regum Hebræorum decimus, præreptum ab avia imperium ſeptennis puer recuperavit. Initio præceptore uſus Jojada, divini cultus obſervantiſſimus fuit, ſublatiſque è terra idolorum altaribus, Templum veri Dei collectis ſumptibus inſtauravit, invitatis ad ſanctam liberalitatem ſubditis, miniſtriſque Dei ad diligentiam officio ſuo dignam. Viceſimo tertio regni anno, comperta Sacerdotum avaritia, ſacram pecuniam in ſuos uſus vertentium, gazophylacium in veſtibulo templi poſuit, in quod ſinguli munera ſua conjicerent, ex eo deinceps operariis merces numeraretur, per Pontificem & Scribam regium. Sic templum ſuo decori reſtitutum, idem, qui reparaverat, deſeruit. Poſtquam enim Jojadas expletis vitæ annis centum triginta, raram longævitatem beatiſſimo exitu clauſiſſet, adulatione Principum corruptus *Ioas* ad lucos deoſque *defecit*. Nec *Zachariam* Jojadæ filium audiit, qui deſertori Numinis deſertionem à Numine prænunciabat, ſed (impium & crudele facinus) Dei nuncium benefactoris ſui filium, intra templum & altare æneum *lapidibus obruit*, ingenti ſuo totiuſque populi malo. Etenim Haſaël Syriæ Rex, qui Peræam & Galaaditidem ante dirum in modum vaſtaverat, in Judæam quoque & Jeroſolymam irruit, cæſiſque principibus nefariæ defectionis autoribus, in tantum terrorem egit Joam, ut theſauris Templi ſuiſque emercari pacem cuperet. Quibus effuſis, manum Dei vindicem effugere nequivit. Nam ægritudinibus correptus diuturnis & gravibus eandem ſuorum ſenſit perfidiam quam ipſe in Jojadæ filios exercuerat, cæſus in cubili ſuo à propriis ſatellitibus, anno regni XL. Corpus regiè funeratum non fuit, qui honor Jojadæ exuviis contigerat, ſapientibus populi ex animo & moribus, non è fortuna reges æſtimantibus.

2 *Par.* 24. *Joſeph. l.* 9. *Antiq. c.* 8.

Joæ poſt Jehum coævus fuit *Joachus*, Samariæ regum pene afflictiſſimus. Nam quod à vitulorum cultu non abſiſteret, pertæſus hominum temporis illius Deus, Haſaëli regnum Iſraëliticum deprædandum objecit, qui ex immenſa Iſraëlitarum multitudine nihil Joachæ reliquit militum, præter decem millia peditum, & quinquaginta equites; reliquos variis præliis conciſos palearum inſtar diſſipavit. His edomitus infortuniis Joachas, tandem verum Numen ſeriis ambire precibus didicit, & quæ eſt ejus in pœnitentes indulgentia, priſtinam regno tranquillitatem ſecundis in Syros præliis recuperavit. 2 *Reg.* 13.

Tunc *Eliſæus*, qui ad ſexaginta annos Regum Hebræorum, totiuſque Orientis Oraculum fuerat, valde ſenex *deceſſit*, nec æger, nec mortuus à miraculis vacuus. Ægrum cum viſeret Joas, Joachæ filius, triplicem ei de Syris victoriam promiſit, ſagittam in nomine Dei ejaculanti. Mortui oſſa cum forte cadaver attingeret, repente velut ex mortuo vitam recepit: Jam tum prænonſtrante Deo, & Iſraëlitas mortuos revicturos, & reliquos mortales ex Chriſto 2 *Reg.* 13. *v.* 14.

Christo quondam mortuo vitam recepturos. Quod ipsum paucis post annis Jonas quoque à ceto absorptus redditusque præfiguravit.

Raban. & Nic. Lyra in Glossis. Dionys. Halic. l. 1. Liv. lib. 1.

In *Romulum* etiam *Sylvium* per id tempus divinæ eluxit majestatis specimen. Eum Dionysius Alladium nominat, Albanorum regum duodecimum. Tyrannicum, ait, Diisque invisum ingenium fuit, quos cum contemneret, commentus est, qua ratione fulmina & tonitrua imitaretur, ut civibus hoc terrore attonitis haberetur pro Deo. Sed imbribus & veris fulminibus in ædes ejus irruentibus, stagnoque juxta quod habitabat, præter solitum exundante, diluvio cum tota domo absorptus est. Sic Aventino regnum cessit, qui sepultus in eo colle, qui pars Romanæ urbis factus postea, cognomen ei fecit.

Herod. l. 2. Plin. l. 36. cap. 11. Herod. l. 4.

Nisi nimium à vero abit series Ægyptiorum regum apud Herodotum, in hæc tempora incidet Cheops legum Deorumque Ægyptiorum contemptor maximus, qui pyramidem quinque stadia longam, altam octo ὀργυιὰς, id est, XXIV cubitos struxit. Nam centum ὀργυιαὶ stadium constituunt, Herodoto docente. Adhibuit ad id opus centum millia hominum. Eum antecesserat Rampsinitus, qui furi perquam ingenioso ob miram animi solertiam, cum impunitate filiam conjugem dedit. Sed recte de insanis Ægyptiorum regum operibus Plinius annotat, non constare, à quibus pyramides factæ sint, justissimo casu obliteratis tantæ vanitatis autoribus. Certius est, quod Josephus è Phœnicum annalibus de Elisa Tyria memorat. Ejus frater Pygmalion Matgeno patri in regno succedens, Acerbam avunculum, Elisæ (quæ Dido aliis) maritum interfecerat, ut Thesauris ejus potiretur. Quam tyrannidem illa perosa in Cyprum primum, inde in Africam, imposita in naves gaza, appulit, ubi tantum agri, quantum corio bovis tegi posset, mercata, secto in tenuissimas partes corio, novam condidit urbem Punice Carthaginem appellatam, anno templi, ut vult Josephus, centesimo quadragesimo tertio, qui & Joæ regis octavus. Sed ante Romam conditam, quemadmodum Justino placet, secundus & septuagesimus, ut Dionysio, post captam Trojam CCCLXX. Cum successu rerum florentes Carthaginis opes essent, rex Maxitanorum Hiarbas, Elisæ nuptias sub denunciatione belli petit. Illa simulans se marito inferias ante novas nuptias missuram, sumto gladio pyram conscendit, mortemque sævam barbaricis complexibus prætulit. Quamdiu Carthago invicta fuit, pro Dea culta, sueta tunc mortalium dementia.

Joseph. l. 1. contr. Appian.

Just. l. 18. Dion. l. 1. Strab. l. 17. Jul. Solin. cap. 40.

Amazias.

OCrazapen Assyriis præfuisse vult Eusebius annum vicesimum octavum, quando *Amazias* Joæ filius regnum paternum suscepit Jerosolymis. Is laudatioribus patris vestigiis insistens initio, eadem senior inconstantia fuit, mores cum ætate, fortunamque cum moribus mutavit. Principio, ut Deum sincere coluit, fusum patris sanguinem morte parricidarum ultus, filiis eorum ignovit, memor *culpas in eo capite plectendas, quod noxæ illigatum est, nec hæreditaria esse odia, sed amicitias oportere.* Inde lecto milite, trecenta millia in Idumæos duxit, adscitis pretio è regno Samariæ centum millibus. Id tribuebat victoriis clarissimis, quas Joas Samariæ Rex de Syris reportaverat, ut militem ejus suis quoque rebus præsidio fore existimaret. Nam Benhadadus Syriæ Rex tribus Joæ præliis succubuerat, amiseratque loca, quæ pater ejus Hesaël injustis armis occupaverat. Verum ea, Deo miserante potius gemitus suorum, quam militum illorum virtute gesta, non ea pietate acceperant Israëlitæ, ut duraret eis felicitas. Qua de re monitus per Prophetam Amazias, ut Deo morem gereret, exautoravit exosum illi militem, non habita rati one stipendii, quod ipsi jam persolverat, nec damni istius pœnituit. Idumæi enim nihilominus inferiores acie,

A. M. 3105. *Alii* 3109. *Templi* 175. *Euseb. Chronic.* 2 *Reg* 14. 2 *Par.* 25. *Josep. l. 9. Antiq. c. 9.*

2 *Reg.* 13. 14.

2 *Par.* 25.

decem millia ſuorum in prælio deſiderarunt: decem millia Hebræus miles de rupe præcipitatos grandi ſupplicio exſtinxit. Quam cladem cum Dii Idumæorum à ſe in cultorum impietatem transferrent, à quibus irreverentius eſſent habiti, deceptus mendacio Amazias eos ſecum avexit, ut diligentius culti felicitatis ei autores fierent, immemor cui Deo victoriam de ipſis partam deberet. Qui irritatus contumelia, per Prophetam regem increpuit, quod victos Deos victori ingratus amenſque prætuliſſet. Cum nihil objurgando proficeret, nova Amaziæ clade docuit, infirmiores eſſe Idumæorum Deos, quam ut cultorem ſuum è malis eruerent. Amazias enim ſecundis rebus clarior, Joam Samariæ regem, quietis cupidum ad bellum temere laceſſivit. Concurrerunt infeſtis ſignis prope oppidum Bethſemen, adverſo Amaziæ fato. Nam fuſo exercitu, vivus in hoſtis provocati manus venit, theſauroſque omnes amiſit. Muri Jeroſolymæ, qua Samariam ſpectabant, diruti, obſides imperati victis. Victor Joas in regnum ſuum reverſus, & paulo poſt ſatis conſumtus, ſuſpicionem præbuit, odio potius Dei in Amaziam, quam erga ſe favore, ſuperiores in bello partes tuliſſe. Amazias illi quindecim annis ſupervixit, conſpiratione tandem ſuorum interemptus, quemadmodum antea pater, cujus ut peccata, ſic exitium imitatus eſt, regnaverat annos XXIX.

Lib. de Heb. quæſt. apud Hieron.

Euſeb. Chron. Oroſ. l. 1. cap. 19.

In hæc tempora conjicit Euſebius Tonos-concoleron, extremum Aſſyriorum regem, quem Græci *Sardanapalum* nominant. Ad hunc videndum, quod nemini ante eum permiſſum fuerat, præfectus ipſius, nomine Arbactus (Diodorus ex Cteſia Cnidio Arbacem vocat) cum admitti magna ambitione obtinuiſſet, invenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem: & muliebri habitu, cum mollitia corporis & oculorum laſcivia omnes fœminas anteiret, penſa inter virgines partientem. Quibus viſis, indignatus tali fœminæ tantum virorum ſubjectum, negat apud ſocios, ſe ei parere poſſe, qui ſe mulierem malit eſſe quam virum. Fit igitur conjuratio, bellum Sardanapalo infertur, flagranti imprimis ſtudio Beleſis Babyloniorum Satrapæ, qui ſidera etiam Aſſyriis infeſta eſſe jactabat. Sardanapalus excitis in rebelles ſubditis, triplici eos acie ſuperat, ad extremum tamen Bactrianis ſe Arbaci ſociantibus, victus in regiam ſe recipit. Ninos urbs maxima & prævalida obſidione clauditur, quam cum ſolvi poſſe deſperaret Sardanapalus, extructa incenſaque pyra & ſe & divitias ſuas in incendium miſit, hoc ſolo imitatus virum. Sepulchro inſcriptum tradunt literis ei vernaculis:

Hæc habeo quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit; at illa jacent multa & præclara relicta.

Plut. 2. de Alex. fort. Cicero Thuſ. V. Strab. lib. 14.

Poſt hunc rex conſtituitur *Arbaces*, qui præfectus Medis fuerat. Sic imperium ab Aſſyriis ad Medos tranſlatum refert Diodorus ex Cteſia Cnidio, additque, *Ninon* ſolo æquatam ab Arbace. Idem nonum ab Arbace regem facit *Aſtyagen*, quem Cyrus devicit, adeo ut collectis Medorum imperii annis (qui ſunt numero 317 apud Cteſiam) neceſſe ſit Sardanapali Hiſtoriam ad paulo antiquiora revolvere ſecula. Sed nobis è divinis monumentis, quibus ſuffragatur etiam Herodotus, certum eſt, *Ninon* urbem uſque ad Cyaxaris, Medorum regis, tempora viguiſſe, & cum Nino quoque imperium Aſſyriacum, utcumque illud poſt Sannacharibi in Judæos expeditionem ad ruinam vergere cœperit; Sardanapalum quidem Satrapæ, Medus & Babylonius, occiderint, populoſque ſuos in libertatem vindicaverint: At Ninon urbem eos excidiſſe, imperiumque Aſſyriorum prorſus evertiſſe vaniſſimum eſt. Vixit hoc ſeculo *Jonas*, Vates Hebræorum, quo victoriam prædicente, Jeroboamus ſecundus, Samariæ rex in Syros egregie dimicavit, ſecundiſque prœliis recepit Damaſcum, Ematham, & quicquid terrarum Syri

Diod. l. 2. Herod. lib. 1.

Alii 292.

1 Reg. 14. Jonas c. 1. 2. 3. 4.

A. M. 3119. *Buſholt.* 2124. *Alſted.*

Syri antea Samariæ regno ademerant. Illum Vatem Deus Hebræorum ad *Ninivitas* ablegavit, exitium urbi maximæ prædicturum, ni intra dies XL è sceleribus flagitiisque suis resipiscceret. Reluctantem & profugum *ceto* immani devorandum objecit, cujus ille viscceribus *clausus* triduum, miserante Deo in littus ejectus est, imperiumque ejus ante detractatum peregit. Ac si verum est, quod plerisque placet historiarum consultis, Medos occupasse Assyriorum imperium exstincto Sardanapalo, atque tot annis ab iis regnatum, quot Ctesias è diphtheris prodidit, oportuit *Ninon* à Mandauce Arbacis filio esse gubernatam, quando exitium ei Jonas prænunciavit. Etenim rex Assyrius, ut peregrinum Vatem tanta autoritate scelera urbis reprehendere, præsentissimamque ei cladem imminere cognovit, præveniendam Dei iram pœnitentia ratus, supplicationes Deo Israëlis faciendas per præconem indixit, mutataque in melius vita certam perniciem humillima pietate antevertit.

Ozias.

A. M. 3145. *Buchol. Templi* 198. 2 *Reg.* 15. 2 *Par.* 26. *Joseph. l.* 9. *c.* 11.

TUnc *Ozias* admodum puer, vacans ex morte Patris Amaziæ regnum administrare non poterat; sed decimo sexto ætatis anno id tandem adeptus, dignum se majoribus suis regem ostendit, præcipuam Dei cognoscendi curam arbitratus. Igitur *Zacharia* Propheta plurimum usus est, quemadmodum Jeroboamus Samariæ Rex Jona. Isthac mente prosperè pugnavit in finitimos. De Philistæis Gethum, Jamniam, Azotum urbes cepit, captasque mœnibus nudavit. Pari successu Arabes & Ammonitas subegit, regnique fines Ægypto tenus protulit. Cum victoria reversus Hierosolymam, urbis mœnia vetustate priorumque regum cladibus collapsa validè instauravit, aquæductibus, castellis & propugnaculis exornavit terram: habuitque interim sub signis florentissimas copias, ultra tercentum millia, omni armorum genere egregiè instructa.

Amos 1. *Nicol. Lyra in Glossa.*

Nec agrorum cultum est aspernatus, vineis, rei pecuariæ & hortensi apprimè deditus. Rex omnino laudatissimus, ni omnium bonorum affluentiam, prosperrimumque rerum cursum, animi elatione, ac sacerdotum contemptu corrupisset. Magnæ illi *cum Azaria* Pontifice, & universo Sacerdotum ordine, de sacrorum ritu *altercationes* in ipso templo fuere. Nam sua manu sacrificare, quodque solis Sacerdotibus fas erat, sibi sumere, in Sacerdotes, suas officii partes strenuè asserentes, graviter stomachari. Sed incandescente in Sacerdotes rege *Deus* ipse *litem diremit.* Nam & terra horribiliter contremuit, & lepra regem invasit prodigiosa, ut etiam mox regia sua ultro confusus excederet, qui templi imperium injustè arripuerat. Igitur deinceps parum pro rege egit, filioque ad Reip. administrationem admoto privata in domo consenuit, consumptus anno regni secundo & quinquagesimo.

Esaias cap. 1. *Hos. c.* 1. *Amos c.* 1.

Ejus temporibus *Prophetarum scholæ* eximiis doctoribus florebant. Nam præter Jonam & Zachariam, qui initia regni Oziæ collustraverunt *Hoseas* & *Amos* regno Samariæ, *Esaias*, *Joël*, *Obadias*, aliique, & illi regno & aliis circum regionibus, cœlestis sapientiæ facem latissimè præferebant; quorum etiam monumenta supersunt, perfectæ felicitatis iter omnibus seculis nationibusque demonstrantia.

Amos 6. 9. 11.

Samariæ regnum tunc pessime habuit. *Jeroboamus* quidem Joa genitus, initio magna felicitate illud restituerat, sed cum ab avita superstitione & impietate non recederet, quadragesimo primo regni anno, gladio cæsus occubuit, nec relictus est quisquam familiæ ejus, qui rebus gerendis haberetur idoneus. Vicesimo secundo demum anno, postquam Jeroboamus interierat, filius ejus *Zacharias* successit, semestri tantum imperio, cum quo posteritas Jehu exstincta omnis est, generatione scilicet quarta, ad quem gradum Deus illi regiam successionem promise-

2 *Reg.* 16. *v.* 8.

rat. Ejus percussor *Sallumus* eodem scelere amisit regnum, quo pepererat, elapso mense trucidatus Samariæ à *Menachemo* Thirzæ regulo, qui tam crudeliter exercuit victoriam, ut Thirzæ incolas, ad unum omnes occiderit, nec ipsis prægnantium pepercerit uteris. Mox is vicissim vindicem Deum experitur, quæ perpetua Judiciorum Dei catena est. Nam *Phul Belochus* Assyriorum rex, pervagatus Syriam, in Samariæ quoque regnum irrupit, inque eas redegit Menachemum angustias, ut raptam potestatem mille talentis argenti redimere cogeretur, eamque deinceps precariam tributariamque tenere annos decem. Filium ejus Pecajam regno vitaque spoliavit Pecas Remaljæ filius, eodem anno quo Ozias Hierosolymorum Rex decessit, & Esaias propheta Deum solio insidentem, Hebræisque dira minantem conspexit.

2 *Reg.* 15. 14.

2 *Reg.* 15. 24.

Vell. l. 1. *Just. l.* 7. *Solin. cap.* 14. *Suidas. Pausl. l.* 9.

Ante annos circiter LX quam urbs Roma conderetur, Caranus, vir generis regii, sextus decimus ab Hercule, profectus Argis, Emathiam, quæ jam tum à Macedone Deucalionis filio Macedonia vocabatur, occupavit, condita urbe quam Ægas dixit, in qua sepeliri deinceps reges mos fuit. Pulso Mida aliisque regulis, in locum omnium solus successit, ac primus adjunctis gentibus, veluti unum corpus Macedoniæ fecit, crescentique regno valida incrementorum fundamenta constituit. Ab eo Magnus Alexander cum fuerit decimus septimus, jure materni generis Achille autore, paterni Hercule gloriatus est. Caranus ne victis spem reconciliationis præcideret, nec trophæum ullum excitavit ipse, nec posteros excitare voluit.

Liv. lib. 1. *Dion. l.* 1. *Plutar. in Rom.*

Apud *Latinos* Proca Numitorem atque Amulium procreaverat, Numitori stirpis maximo regnum vetustum Sylviæ gentis legarat: Plus tamen vis potuit, quam voluntas patris, aut verecundia ætatis. Pulso enim fratre Amulius regnat: addit sceleri scelus, stirpem fratris virilem interimit, fratris filiæ Rheæ Sylviæ (quam & Iliam nominant scriptores) per speciem honoris, cum Vestalem eam legisset, perpetua virginitate spem partus adimit. Sed vi compressa Vestalis, cum è Martis luco aquam puram peteret, geminum fœtum edidit, cujus patrem quod is, facinus patraturus, armis ad terrorem se sepserat, ut Deus autor esset culpæ honestior, Martem illa, ut incertæ prolis autorem nuncupavit. Hinc suspicionis metusque major Amulius Sacerdotem vinctam in custodiam dat, pueroque in profluentem aquam mitti jubet. Ibi forte quadam restagnans Tiberis, ad justi cursum amnis adiri non poterat, adeoque in proxima alluvie exponuntur pueri, mox defluente aqua, in sicco destituti. Eos seu à fera, seu muliere lupa (utrumque enim traditur) præbitis mammis alitos, & à Faustulo pastore educatos constat, Deo maximum mundi imperium è tenuissimis principiis auspicante. Dum vero illi nequaquam ad pecora segnes, venando saltus peragrare occipiunt Latii, apud Græcos clarissimum omnium ludicrum certamen, & ad exercitandam corporis virtutem efficacissimum, Olympiorum, novum initium habuit, autore Iphito Elio, qui eos Ludos mercatumque diu intermissa instauravit. *Olympia* enim primum ab Hercule Ideo ejusque fratribus instituta, & quod quinque fratres essent, Curetes appellati, quinto quoque anno, seu quaternis expletis, celebrata memorant. Alii eorum originem ad Saturnum ac Jovem referunt. A Pelope postea, itemque ab Hercule, Amphictionis filio, renovata constat Iphito ea instaurante, prorsus jam veterum ludorum obsoleverat memoria. Primum tunc cursus certamen fuit, in quo vicit Coribus Elæus.

Aug. de Civit. l. 18. *c.* 21.

Pausl. l. 5. *Vell.* 1. *Pheleg. de Olymp. Strabo lib.* 8.

Restitutio hæc ex præcepto fiebat Apollinis Delphici, quasi ludi isti pestilentiæ, & intestinis Græcorum bellis remedium essent allaturi. Athletis omnibus & gymnasii magistris solenne fuit, super exsectis suis testibus, verbis conceptis jura-

jurare, nihil se fraudis facturos, quo minus Olympici ludi ritè fiant. Athletæ etiam jurabant, se decem perpetuos menses exercitationi certaminis insumsisse. Hellanodicæ insuper, se ob rem judicandam munera non accepturos, neque causam, ex qua probent quemquam vel improbent, in vulgus prolaturos. Ex hoc tempore Græci annorum supputationes, secundum Olympiadas facere aggressi, historiam rerum apud ipsos gestarum multo certiorem tradunt. Nam ante Olympiadas pleraque aut incerta, aut fabulosa, aut temporum intervallis male distincta reperias. Initium Olympiadum qui curiosius rimantur, in annum Oziæ tricesimum quintum incidere deprehendunt. Sic Clemens Alexandrinus, Eusebius Cæsarienſis, aliique autores magni, excidium templi in Olympiadis quadragesimæ septimæ secundum annum conjiciunt, hoc est, annum 183, ab Epochæ Olympiadicæ primordio. Verum illa accuratius disceptare, alterius loci fuerit: Mihi in tam præcipiti festinatione, ni formam proposîti velim excedere, pene magis necessaria prætereunda, quam supervacua amplectenda sunt. Ideoque ad historias redeo. Cum enim Ozias vita excederet, Athenis Alcmæon Archon ultimus fuit eorum, qui magistratum illum per totam vitam gesserunt; cœperuntque in denos annos creari. Quæ consuetudo in annos LXX mansit, ac deinde annuis commissa est magistratibus respublica. Ex iis qui denis annis præfuerunt, primus fuit Charops, ultimus Eryx, omnes adhuc Medontidæ, Codri filio procreati.

Varr. apud Cens. c. 21. African. 3. Annal. Justin. Dial. cum Tryph. Euseb. Chron. Strom. 1.

Vellejus lib. 1.

Jothamus.

A. M. 3212. *Templi* 265. 2 *Reg.* 15. 2 *Par.* 27. *Joseph. l.* 9. *Antiq. c.* 1.

APud Hebræos Ozia defuncto, *Jothamus*, qui pridem leprosi patris partes gesserat, plenam regni administrationem suscepit, paternisque insistens vestigiis, Deum rite veneratus, munitiones urbis regiæ & aliarum studiosè perfecit. Ammonitis iterum bello domitis gravius jugum imposuit, ut supra centena argenti talenta annua, coros tritici decies mille, tantundemque hordei penderent. Templum Dei editissima porta exornavit. Felicissimus utique, ni acriter offendisset Deum stultitia populi, præ collibus ac lucis templum Dei sanctissimum spernentis, profanaque numina identidem respectantis. Hac enim de causa Judaicum regnum vicinis regibus, Rezini Syriæ & Pecæ Samariæ, tanquam in prædam cessit, finesque ejus late devastati sunt. Similis fere Peloponnesi tum facies fuit. Lacedæmonii enim primum Rege Alcamene, eoque post longissimum imperium defuncto, Theopompo & Polydoro ducibus, cupidine potius imperii, quam justa causa ducti, bellum intulerunt Messeniis atrox & diuturnum, quod cum magna utriusque civitatis & vicinorum clade 20 annis gestum est. Occasionem malis præbuerant Philochares Messenius, & Euæphnes Lacedæmonius, quorum hic alterius filium paterna debita exigentem occiderat; ille vindictam cædis à Lacedæmoniis neglectam, privato ausu sumserat. Dum neutra civitas sontes ad supplicium dedit, singulorum injuriæ in publicas inimicitias vertere. Excisa Amphæa, infestis aciebus concurrerunt, nec finis cædibus fuit, quoad sævitiam nox abrumperet. Lacedæmonii gravissima se execratione obstrinxerant, non prius quam Messeniam expugnassent, domum reversuros. Sed cum contra præsumtionem suam, annis decem in obsidione urbis tenerentur, querelis uxorum revocati, juvenes delectos Spartam misere, ex quibus nati, Partheniæ ob notam materni pudoris appellati sunt. Illi adulti, duce Phalantho, ad sedes inquirendas proficiscuntur, occupataque post varios casus in Italia arce Tarentinorum, expugnatis veteribus incolis, ibi constituunt. Inter Spartanos Messenioque sæpius iteratis præliis, cruentisque sacrificiis certatum, illudente utrisque Apolline, donec pertæsi cladium pacem facerent. Cœptum bellum circa nonam Olympia-

Paus. l. 4.

Just. l. 1. Oros. l. 3. cap. 21. Strab. l. 6.

Paus. l. 4. Dionys. Hal. l. 1. & 2. Plut. in Romul.

T. Liv. l. 1. Vellejus l. 1. A. M. 3201. Sextus Aur. de vir. illustr. c 2. Cass. chr. Flor. l. 1. Aug. l. 18. Civit. Dei. c. 22. Oros. l. 2. cap. 4.

dem, tradit Pausanias. At septima ineunte in Latio emersit urbs rerum domina *Roma*, tenuissimis certe initiis, sed talibus tamen, ut bellatricem, & sanguinis humani prodigam fore jam tum prædicere res. *Conditores ejus Romulus Remusque* gemini, dum latronibus prædas eripiunt, ipsi præda fiunt. Remus pro pastore improbo adductus ad regem Amulium, fratri ejus Numitori traditur puniendus. Periculum juvenis excitavit nutritorem ejus Faustulum, ut secretum originis Romulo, ipsique Numitori proderet, ac nepotem esse doceret, qui prædonis instar haberetur. Communicato exinde consilio, vindicandas familiæ injurias statuit Romulus, occupataque à globo juvenum regia, Amulium obtruncat, regnum Numitori avo ex multitudinis consensu restituit, ejusque fretus opibus, novam urbem molitur iisdem in locis, ubi cum fratre expositus educatusque fuerat. Flagrantem utriusque cupiditatem turbavit avitum malum ambitio: gemini erant, uter auspicaretur & regeret, piacula adhibenda placuit. Remus montem Aventinum, Romulus Palatinum capit. Prior ille sex vultures, hic postea, sed duodecim vidit. Victor augurio Romulus adversante fratris factione, urbem excitat, plenus spei bellatricem fore, quoniam id aves sanguine ac præda assuetæ pollicerentur. Ad tutelam novæ urbis sufficere *vallum* videbatur, cujus cum irridet angustias Remus, idque saltu increpat, occisus est, munitionemque urbis vultureæ sanguine suo prima victima dedicavit. Sed Romulus rerum solus potitus, tum cætero habitu se reliquis augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim sumtis fecit. Erant in universum ter mille pedites, & pauciores trecentis equites, qui urbi condendæ se accinxerant. Quare adjiciendæ multitudini, rex *Asylum* inter duos lucos muniit, quo ex finitimis turba omnis rerum novarum avida confugeret. Id primum ad captatam magnitudinem roboris fuerat. Consilium deinde viribus parat, centum creat *senatores*, qui ab honore officioque Patres, atque eorum progenies Patricii sunt appellati. Illos patronos plebis, plebem Patrum clientes constituit, egregieque communicatis inter se officiis utrosque devincit. Prima novæ civitati difficultas rei uxoriæ accidit. Nam vicini populi ægerrimè ferebant, tantam convenarum in medio molem crescere, ideoque sanguinem & genus cum iis miscere recusabant, repulsæque adjecta irrisione rogitabant, ecquod fœminis quoque asylum aperuissent? Igitur ad vim, astu temperatam, confugiendum duxit Romulus. Simulatis Ludis Consualibus, invitat ad spectacula *virgines*, spectantes *rapi*, raptas connubio sociari imperat. Ex ea nuptiarum via bellum exarsit, parentibus raptarum & propinquis injuriam bello vindicandam decernentibus.

Dionys. Halic. l. 2.

Primi in certamen prosiliere *Cenini*, impares Romanis viribus. Dux eorum Acron à Romulo obtruncatus, urbs capta, prima spolia opima Jovi Feretrio dicata. Ea origo Capitolini templi fuit. Simile huic prælium cum *Antemnatibus* factum, fusi fugatique hostes, sed deprecante Hersilia, principe fœmina, in civitatem accepti. Ita res facili concordia coaluit. Mox *Crustumeni* etiam minore certamine victi, eadem victoribus humanitate conciliati sunt. Atrocius cum *Sabinis* pugnatum, qui armis consilium, consilio dolum junxerant. Tarpeia virgo arcem eis Romanam prodiderat, in pretium rei clypeis obruta, cum armillas aureosque annulos se pactam existimaret. Ad arcem recuperandam subeuntes in adversa Romanos acie sternunt Sabini, & in præcipitem fugam conjiciunt. Ei sistendæ Romulus Statori Jovi templum vovet, sumtaque audacia resistere suos, & iterare pugnam jubet. Fit prælium acerrimum & haud dubiè utrisque exitiale, ni raptæ laceris comis passisque manibus sævitiam inhibuissent. Earum interventu placatis generorum socerorumque animis, *pax cum Tito Tatio*

Liv. l. Val. Max. l. 3; c. 2.

Tatio Rege facta, fœduſque percuſſum. Sabinorum plurimi relictis ſedibus in urbem demigrarunt, avitas opes cum generis pro dote ſociaturi. Ita geminata urbe, ut aliquid Sabinis daretur, Romani *Quirites* à Curibus, Sabinorum urbe, appellati, ſenatus è Sabinis auctus, triginta curiis, in quas populus erat diviſus, nomina à raptis primariis impoſita. *Equitum centuriæ tres* conſcriptæ, Ramnenſes, Titienſes, Luteres. Matronis communio bonorum omnium cum viris ſancita: viris ut una contenti uxore viverent; ſtupri & temulentiæ uxorum vindictam ipſi, adhibitis earum cognatis, exercerent. Parentibus perpetua in filios, maximaque poteſtas tributa. Præcipuæ ac prope ſolæ Romanorum artes militare, agrumque colere, reliquæ extraneorum fuere. Nonus quiſque dies nundinis datus. His ita conſtitutis, Tatioque à Lavinienſibus interfecto, poſtrema Romulo bella cum Fidenatibus Veientibuſque geſta ſunt. Illorum urbs rapta, hi agrorum parte multati, centum annorum inducias impetrarunt. Tantis rebus geſtis, anno regni triceſimo octavo, cum recenſeret ante urbem milites, deficiente ſole, repente è conſpectu *Romulus ablatus* eſt. Diſcerptum à ſenatu tradunt, ob aſperius ſibi ingenium, cariſſimum contra multitudini, ob popularis auræ affectationem. Orta inde ſeditione ſuppoſitus teſtis, ſed unus, Julius *Proculus* nomine, qui fidem fecit, ad ſuperos tranſiiſſe Romulum, ſibique viſum, & *Quirinum* appellari in cœlo. Peditum reliquit Romulus ſex & quadraginta millia, & mille ferme equites: Tantum civitatis novæ manſuetudo in exules & peregrinos profuit, ut ſubitis atque invidendis adeo incrementis invaleſceret. Sub hæc Romæ tempora *Syracuſæ* etiam & *Catina* Siciliæ oppida initium habuere. Eodem tempore nonnulli Sibyllam Erythræam vaticinatam ferunt, quam ſecutæ aliæ de regno Dei in mediis tenebris lumina circumferentes. Lactantius & hanc Sibyllam, & alias ex M. Varrone multo antiquiores facit.

Dionyſ. Hal. l.2.

A. M. 2356. *Euchol.*

Lact. l.1. inſt. cap.6. Caſſ. in Chron. Aug.18. de Civit. Dei c.23. Lud. Vives in comm.

ACHAS.

CReſcente Roma pene peſſum ivit ſancta Iſraëlis progenies. *Achas* decimus quartus à Saulo Rex, impius in Deum patrium, hypocrita, filiorum parricida, Jothamo patri ſucceſſerat diſſimilis & degener filius. Filios dum luſtrare igni cupit, partim idolo cremavit, partim nefandis piaculis polluit, atque extraneæ impietatis totum regnum implevit. Ergo Rezin Syrus ingentem Judæorum multitudinem in ſervitium abduxit. Pecas Samariæ Rex CXX millia uno die occidit. Inhiabant ambo reges Hieroſolymæ, cepiſſentque, niſi *Eſaias* Vates precibus, monitiſque divinis civitatem protexiſſet. Ducenta mulierum millia eodem tempore Obedus Propheta è Samaritanorum ſervitute retraxit, cum generoſa audacia minas eis cæleſtes ob oculos poneret. Interim Achas ſe ipſo deterior in dies, Prophetarum medicinam aſpernabatur. Ab Idumæis & Philiſtinis, viris oppidiſque non paucis ſpoliatus, cum Syriæ, Samariæque Reges timeret, ad peregrina auxilia animum convertit. Erant ea tempeſtate Aſſyriorum maximæ in ſuperiori Aſia vires; Phulbeloch ſucceſſerat Tiglatphulaſſar, è domitis gentibus altos ſpiritus gerens. Hinc muneribus ſibi conciliat Achas, attractumque in Syriam ad bellum Rezini inferendum, parum abfuit, quin pro amico hoſtem experiretur, Rezin tamen regno vitaque ſpoliatus ab Aſſyrio. Syri Damaſceni Cyrenem translati ſunt. Similiter Pecas Samariæ Rex tota Galilæa & Galaaditide exutus, Iſraëlitæ illarum regionum in triſtem ſervitutem abrepti, cladibus ſuis comprobarunt, quam veri Vates eſſent Eſaias, Joël, Amos, Michas, aliique, ad ſolidam eos pietatem fruſtra invitantes. Hinc Hieroſolymitanum regnum adortus Phulaſſar, vix plurimo auro emollitus eſt, ne clientis ſui regnum excinderet.

A. M. 3212. *Templi* 172. *2 Reg.16. 2 Par.28. Joſeph. l.9. Antiq. c.12.13.*

1 Par.6. 2 Par.28. 2 Reg.15. 16.

deret. Tantum malorum *Achas* ſibi populoque conciverat, addito ad priorem profanitatem Damaſcenorum Deorum cultu, ut per futiles Deos eriperetur anguſtiis, quas veri Dei offenſa ſibimet ſtultus circumdederat; Sic finivit regnum anno decimo ſexto, indignus judicatus, qui regum ſepulcro inferretur.

Ptol. l. 4. Almag. cap. 8. Aſſyrio Tiglatphulaſſari æqualis fuit Babyloniorum *Nabonaſſar*, cujus creberrima apud Ptolomæum Alexandrinum mentio eſt. Is regnavit Babylone annis XIV, aditumque ſtruxit ad potentiam ſucceſſoribus. Viginti ſex annis *2 Reg. 17.* poſt eum *Mardocempades* adeptus eſt regnum Babylonicum, quem Merodachum divina monumenta nominant. Apparet tamen, quod interim Aſſyriorum Reges defuncto Nabonaſſaro, tributarios habuerint Babylonios, quandoquidem Salmanaſſarus è Babylonia quoque traduxit in Samariam colonos, haudquaquam id facturus, niſi imperium ei in Babylonios, ac poteſtas fuiſſet.

EZECHIAS.

A. M. 3227. *Templi* 288. *2 Par. 29. 2 Reg. 18. Joſeph. l. 9. Antiq. cap. 13.* ACHas diſſimilem ingenii ſui reliquit filium *Ezechiam*, regem Hebræorum decimum quintum, omnis pietatis virtutumque exemplo prælucentem ſubditis. Is ante omnia patris ſui ſacrilega inſtituta abrogavit, expiatoque Dei templo, ſacra illi legitima, prout divinis legibus præſcriptum erat, fecit. Ita converſis ad religionem Judæorum animis, è Samariæ regno per literas accivit incolas, ut Paſchales, pridem intermiſſas ferias, Hieroſolymæ ſecum recolerent. Pleriſque irridentibus nuncios, frequentiſſimo tamen conventu dies ſacri publicaque lætitia exacti, cum, poſt Salomonis deceſſum, abalienatæ tribus jus faſque avitum deſpectui habuiſſent, ad du- *2 Reg. 17.* centos nonaginta annos. Præerat tum Samariæ Hoſeas Elæ filius, regnumque Domini ſui cæde quæſitum, eodem modo adminiſtrabat, quo paraverat. Populi nec plagis nec minis mutabantur, ut à legum contemtu ad pietatem, à ſceleribus flagitiiſque ad virtutem revocarent animos. Quare Deus tot annorum patientia in furorem tandem verſa, Salmanaſſarum, qui Tiglathphulaſſaro in Aſſyriorum principatu ſucceſſerat, in eos induxit, à quo primum bello ſubacti tributa pependere, quemadmodum etiam Syri & Phœnices, quibus tunc Elulæus Tyriorum *Joſeph. 9. cap. 14.* Rex præerat. At mox defectionis anſam nactus Hoſeas, fidem fregit Aſſyrio. *ex Men. Epheſ. Herod. lib. 2.* Conſiderata enim Ægyptiorum regis potentia, quem prophetica ſcriptura Soum, Herodotus Sabacon nominant, totamque Ægyptum (cum Æthiops eſſet) ſubjugaſſe, & L annis tenuiſſe memorant; ad eum clam legatos miſit & munera, ſocietatemque & fœdus adverſus Salmanaſſarum iniit. Quo ille comperto, reverſus cum exercitu in Syriam, primo impetu quicquid erat terrarum extra Samariam, occupavit armis, habitatores in Perſiam Mediamque relegavit, & urbem regiam arctiſſima obſi- *2 Reg. 17. v. 5, 6.* dione circumdedit. Quæ cum tertio demum anno fame expugnata, victas manus dediſſet, ſolo æquata ipſa, regnumque Samariæ miſerabiliter deſtructum eſt; Rex in captivitatem abiit, cum regnatum eſſet Sichemi prius, & Thirzæ, poſtmodum Samariæ, à regibus in univerſum XX, per annos CCLVIII. Inter illos decem cruenta occubuerunt morte; reliqui item omnes impii triſtem à Deo ſententiam, antequam occumberent, acceperunt. *Tam illis difficile fuit regnare ſimul, & rite Deum colere.*

Tyriorum quoque regnum pervetuſtum, Cypri tunc, Sidonis & Palætyri *Joſeph. Antiq. cap. 14.* defectione labefactatum, pene in Salmanaſſari poteſtatem venit. Sed Elulæus recuperata Cypro, Tyrum, licet quinquennii obſidione fatigatam maſcule adverſus Aſſyrios tutatus eſt. At Iſraëlitis *2 Reg. 17.* in exilium ejectis, aliæ gentes è ſuperioris Aſiæ provinciis evocatæ ſucceſſerunt, quas antea Aſſyrii imperii ſui fecerant. Illæ, cum ſuos Deos rituſque inferrent *Joſeph. l. 11. c. 3.* in terram Hebræorum, immiſſis à Deo leonibus confertim laniatæ ſunt. Nec

finis

finis malo fuit, donec à sacerdote quodam Hebræorum edocti sacra gentilia populi, propitiare sibi Numen Israëlitico more instituerent. Populi hi Samaritanorum sibi nomen indidere, religionem ex utilitate metiri assueti. Florentibus enim Judæorum rebus, illorum se sanguinis & legum finxere; arctis alienam originem, qua erant, atque instituta extranea professi, reliquis se gentium aggregabant. Sic amotis è Palæstina decem Israëlitarum tribubus, *Ezechias* Judæos exulumque reliquias ad sanctum Dei cultum reducere studuit, pari industria rem divinam bellicamque procurans, Philistæos rerum tum potientes, frequentibus præliis contudit, prosperrimoque usus regno est, donec ei *Sannacharibus*, Salmanassaro genitus, bellum totis viribus intulit, lateque vastatis agris munitiores urbes pleraque expugnavit. Ezechias multitudine inferior, non ausus manum conferere cum Assyrio, tot terrarum Domino, stipendiarium se ei obtulit, pacemque, ingenti auro redemtam, pauxillo tempore obtinuit. Nam Sannacharibus robore fretus militum, cum in Arabia, & alibi prospere ei universa cederent, promtam sibi de infirmo, pecuniisque emuncto rege victoriam pollicebatur. Itaque portis Jerosolymæ insultans, minitari excidium, deditionem imperare, Ezechiam frustra Deo fidere, se Dei nutu arma sumsisse, victorem omnium gentium, eversorem regnorum effugi non posse, ni matura sibi deditione Jerosolymitæ consulerent. Talia jactante illo, *Ezechias* ad Deum conversus Esaiæ Prophetæ responso edocetur, nihil ex hoste periculi esse, Deum cultori suo haudquaquam defuturum. Nec multo post *Thirhacas* Æthiops, (Megastheni apud Strabonem Tearcos est, & in Europam usque ad columnas Herculeas bello penetrasse scribitur) non ferens Assyriorum insolentiam, qui Ægyptum, Æthiopiamque fœdissime devastarant, regnum eorum invadit. Josephus autor est Tearcon in auxilium vocatum ab Ægyptio, cui Herodotus Sethonis nomen tribuit. Eum minaciter contemnebat Sannacharibus, quum per legatum Rabsacen Judæis deditionem imperaret. Sed potentissimi Æthiopis expeditione territus, ad exercitum in Judæa, sub Rabsacis imperio relictum, festinavit. Ad Pelusium interim exorta agrestium multitudo murium lora arcuum scutorumque corrosit Assyriis, exarmatumque tyrannum, retro ferre pedem compulit. Ibi fremens & clamitans victori sibi victoriam eripi, missis ad Ezechiam literis, cum gravibus in Deum contumeliis, Jerosolymæ exitium denunciat. Sed iis nihil fractior *Ezechias* exoravit Deum, ne hanc tantam hominis blasphemiam inultam sineret. Annuit æternum Numen justis precibus, missoque eadem nocte Angelo, plerosque omnes Assyriorum principes, & militum ad 185000. letho dedit. Tanta tamque improvisa clade consternatus Sannacharibus Ninon properanter refugit, ibique à filiis trucidatus dignum blasphemo tulit exitium. Ea victorum Asiæ pernicies longe lateque percrebuit, & multæ gentium fama commotæ, Deo Israëlis vota sacrificiaque exsolvere. *Sethon* Ægyptius statuam sibi poni curavit, inscripto emblemate; *In me quis intuens pius esto.* Ezechiam mox majus, præter illud, quod dictum, *miraculum* illustravit. Nam per idem tempus, quo Sannacharibus dira minabatur Jerosolymæ, ipse æger corpore, morbo infestabatur lethali, intellectoque vitæ fine flens precabatur Deum, ne se orbum è vita tolleret, regnique hærede spoliaret, qui superiores vitæ annos sanctè pièque exegisset. Exaudito xv vitæ anni ad priores additi, promissioque divina retrocessione solis stabilita. Id portentum tanti fuit apud exteros, ut Baladan Merodachus, quem Ptolomæus Mardocempadem appellat, è Babylonia legatos Jerosolymam mitteret, qui de rei veritate accuratius inquirerent, atque Ezechiæ societatem adversus Assyrios pete-

2 *Reg.* 18. *Esa.* 36. *v.* 37, 38. 2 *Par.* 32. *Joseph. lib.* 10. *Antiq. cap.* 1. 2.

Strabo. l. 1. *&* 15. *Geogr. Herod. lib.* 2.

2 *Reg.* 19. 2 *Par.* 32. *Esa.* 10.

Herod. lib. 2.

2 *Par.* 32. *v.* 24. 2 *Reg.* 20. *v.* 11. *Esa.* 38. 39. *Berof. apud Joseph. lib.* 10. *cap.* 2.

Ptolom. in can. Liv. l. 1. *Dionys. Halic. l.* 2.

Aurel. Victor. Flor. l. 1. cap. 2. Val. Max. l. 1. cap. 1. Plin. l. 13. Natural. hist. c. 13.

peterent. Illis magnificentius suas opes ostentando, offendit Deum Ezechias, & jam tum audire coactus est, Babyloniis prædæ fore gazam, quibus tantum tunc ipse tribueret.

Cæterum *apud Assyrios* successit Sanacharibo *Assaradinus* filius, ejusque majores natu fratres, quod patrem in Idolio interfecissent, in Armeniam profugere. *Apud Romanos* post annuum interregnum, & deliberationes plurimas, regno potitus est *Numa Pompilius*, evocatus Curibus Sabinorum metropoli, religionum imprimis scientia nobilis. Ille urbem Martiam sacris, ceremoniisque adstrinxit. Ille Pontifices, Augures, Salios, cæteraque sacerdotia, annum quoque in duodecim menses, fastos dies nefastosque descripsit. Ille Ancilia & Palladium, secreta quædam imperii pignora, Janumque geminum, fidem pacis & belli, imprimis focum Vestæ æternum virginibus colendum dedit, ut ad similitudinem siderum custos imperii flamma vigilaret. Hæc omnia quasi monitu Deæ *Ægeriæ*, quo magis Barbari acciperent. Nullum bellum gessit, Remp. XLIII annis in alta pace tenuit. Ejus *libros* multis post annis è terra erutos, quia ad solvendam religionem pertinere existimabantur, Prætor Urbanus in conspectu populi cremavit.

Numæ haud absimilis fuit eodem tempore *Gyges*, homo itidem præstigiator & Magus, qui annuli cujusdam pala ad se conversa inconspicuum se fecisse legitur. Hic summa Candaulis Myrsili, Lydorum regis, gratia florens, ut reginam stulta heri ostentatione nudam contemplatus est, odium ei apud conjugem, & interitum, sibi vero regnum ac regias nuptias peperit. Sic Lydorum regnum ab Heraclidis in Mermnades (hæc Gygis familia erat) transiit, qui id annis 170 tenuere. Gyges 38, Ardys 49, Sadyattes 12, Halyattes 57, Crœsus 14 annis dominatus est. Meliori via *Dejoces* Medus, debilitato jam Assyriorum robore, justitiæ ac prudentiæ fama, apud liberam Medorum gentem principatum initio, tandem etiam regnum sibi comparavit, & Ecbatanis, clarissima in Medis urbe condita, novi imperii autor LIII annos viguit. Tunc, præter Esaiam, regio genere Vatem, *Micheas Nahumus*, aliique in Judæa Prophetæ; apud Græcos Neoptolemus Parianus, Archilochus Parius, aliique nonnulli doctrinæ laude floruerunt.

Plato l. 2. de Rep. Cicer. l. 3. offic. Herod. lib. 1. Joseph. lib. 9. a. 11. & 10. c. 3. Euseb. in Chron.

MANASSES.

INterim Ezechiæ post annum regni vicesimum nonum mortuo, successit *Manasses* filius, Rex Hebræorum XVI, impiorum crudelissimus, Prophetarum parricida, augurum, præstigiatorum & incantatorum cultor & asslecla, qui tam fœdis institutis vixit, ut impietate velut certare cum paterna religione videretur. Magistros quidem sacrorum meliora monentes, & regi, populoque, ni resipiscerent, exitium comminantes, sprevit; *Esaiam* vero eorum præcipuum, jam ultra LXX annos divinis oraculis conspicuum, *serra dissecuit*. Hierosolymam innoxii sanguinis piaculis adeo incestavit, ut nullis ea lustrationibus cederent. Populum Hebræum profanissimis gentibus, quas Deus de terra illa deleverat, dissolutiorem reddidit. His morum viis captivitatem, & cladem, quam pius Pater averterat, capiti suo facile acceleravit. *Assyriacum* tunc imperium cum Babylonico (cui per octo annos rex defuerat) tenebat *Assaradinus*, quemadmodum è Ptolomæi canone intelligitur. Is plurimos in Samariam colonos deduxit, duce Osnapharo, quem alias in Scriptura *Olofernem* vocari credimus. Idemque missis in Judæam copiis, Manassi victo catenas injecit, captivumque Babylonem traxit. Hinc, ut appparet è Judithæ libro, postquam Medos acie superasset, universam Asiam duce Oloferne sub jugum mittere destinavit. Syriam sane, Ciliciam, Mesopotamiam, Arabiamque subegit, atque universæ Judææ diriissima quæque minatus est. Sed quæ

A. M. 3250. *Templi* 317. 2 *Reg.* 21. 2 *Par.* 33. *Joseph. lib.* 10. *Ant. c.* 4.

Esd. 4. 2. 10.

Ptol. canon. Esd. 4. 2. 10. *Judith* 1. &c.

quæ divina manus fuit, Olofernes ducum maximus, *Judithæ* cujusdam, lectissimæ viduæ, quam deperibat, insidiis trucidatus, in ipso thalamo interiit, libidinisque juxta & tyrannidis promeritas pœnas luit. *Joachas* tunc Pontifex & seniores Judæam regebant, Manasse captivo apud Babylonios, qui tandem confusus animi, quod carceres & vincula suapte sibi profanitate, & in Deum patrium contumacia accersivisset, cum lacrimis ac suspiriis veniam petiit sceleribus suis, &, quæ est Numinis clementia in pœnitentes, impetravit. Nam Assaradino, post tredecimum Babylonici imperii annum, vita functo, successit *Saosduches*, à quo Manasses in regnum remissus est. Forte ad liberationem ejus multum momenti attulit Phraortis, Medorum regis, in Persas expeditio, qui devictis illis Asiæ agitabat imperium, Assyriisque ipsis, Ninon tenentibus, bellum atrox inferebat. Sed hoc ut pro explorato non confirmaverim. Ita illud scriptum reliquit Herodotus, Assyrios tunc à sociis fuisse desertos, *Herod. in Clejo.* & *Ægyptum* quoque eadem tempestate maximam subiisse mutationem. Etenim Sethone defuncto, cui cum Sannacharibo bellum fuerat, libertatem adeptos Ægyptios, ait, duodecim sibi reges pari potestate præfecisse, quorum opus *Labyrinthus* ille fuerit apud Mærin, stagnum manu factum, situs, qui inter septem mundi miracula connumeratus est. Hi Reges oraculi cujusdam monitu, suspicione onerarunt *Psammetichum*, unum è collegio suo, tanquam tyrannidem affectaret, eumque ne res novare posset, *Herod. lib. 2.* in palustria loca expulerunt; Psammetichus contra injuriæ intolerans, cum Iones Caresque ex Asia pulsi in Ægyptum transfugissent, eorum sibi conciliavit auxilia, & collegas undecim armis aggressus subegit, totiusque Ægypti potitus est annos LIV. Ex quo tempore exploratior Græcis Ægypti historia fuit, ipsis Græcis in ea colonis res gestas accuratius annotantibus, quibus circa Bubastum urbem ad Peluſiacum ostium sedes sunt attributæ. Psammeticho *Necos* filius successit, qui Josiam regem prælio interemit, ut suo loco monebitur.

Iis vero temporibus *Peloponnesus* quoque novis bellis exarsit. Unde quadraginta anni effluxerant, ex quo Ithome eversa Messenii Lacedæmoniis bello succubuerant. Victi igitur palabundique per civitates Græciæ, dum mortem præoptant servitio, denuo arma induunt Olympiade vicesima quarta exeunte, Anaxandro Eurycratis, & Anaxidamo Zeuxidami Spartæ regnantibus, Aristomene Messeniis præsidente. Athenis jam annui magistratus erant, civitate pertæsa rectorum decennalium, atque tunc Tlesias prætura fungebatur. Tunc *bellum Messenium secundum* sumtum. Argivi, Arcades, Elei & Sicyonii Messeniis, Corinthii Laconibus se junxerant, Athenienses ex oracuIo Tyrtæum Poëtam, ne Spartanis ex Attica dux deesset, miserant. Congressis inter se populis, Messeniis pro libertate, pro imperio Lacedæmoniis, initia belli his admodum tristia, illis læta fuere, infaustisque prœliis Laconum res valde attritæ sunt. Qui tum primum à virtute in fraudem versi, Aristocratemque Arcadum ducem pecunia aggressi, perpulerunt eum, Messenios in ipsa acie perfidiose derelinquere. Quo pacto pene ad internecionem cæsis Messeniis, Aristomenes assumtis prælii reliquiis Iram montem, adversus obsidentes Spartanos, totos undecim annos tutatus est, cum oram ei maritimam Pylii, Methonæique præstarent incolumem. Excursionibus interim in hostilem agrum crebris se suosque aluit, captusque è prælio fere exanimis, & in foveam projectus, ut fame interiret, crudeles hostium manus miro stratagemate evasit. Vulpeculam enim cuniculo ingressam conspicatus, ut cadaveribus se pasceret, injecto ei pallio ad cavernam se trahi fecit, qua ipsa irrepserat. Ea deinde manibus aperta, viam reperit, qua clam

Pauſ. l. 4. Oroſius l. 1. c. 21.

Strab. l. 8. Suid. in Voc. Tyr.

Polyb. l. 2. Pauſ. l. 4.

erepens ad suos in Iræ munitiones refugit. Tandem proditione cujusdam adulteri, qui cubili occultatus, sermones secretos mariti cum uxore de omissis excubiis exceperat, exceptosque hostibus Spartanis vulgaverat, capti Messenii, & confertim cæsi sunt. Aristomenes cum fortissima manu erupit, per mediam Laconum aciem, susceptusque ab Arcadibus, cum lapidatum vidisset proditorem Aristocratem, cives suos in Siciliam dimisit, qui occupata ibidem Zancla urbe, Messanæ ei nomen à patria imposuere. Ita finitum bellum anno primo Olympiadis XXVIII, Zanclæi subacti sunt undetricesima. Aristomenes honestissime elocatis filiabus, dum Sardeis ad Ardyn Lydorum regem, Gygæ filium, indeque Ecbatana in Medos ad Phraortem regem transmittere cogitat, morbo prævenitur, deceditque Rhodi, vir Græcorum suæ ætatis fortissimus. Messenii in Hilotarum (publici hi Lacedæmonii servi sunt) censum redacti eodem fere tempore, quo Cypselus Eetione genitus, qui olim infantulus, Telestis Bacchiadæ insidias, arcæ inclusus à matre, effugerat, pulsis Bacchiadis (qui annuo imperio Corinthum ad quinque ætates rexerant) tyrannidem invasit apud Corinthios. Inter expulsos annotatur & Demaratus, cujus filius Lucumo Tarquinius Romanum postea regnum obtinuit.

Strabo lib. 6. Paus. l. 4.

Paus. l. 2. & 5. Herod. lib. 5. Dionys. Hal. l. 3.

Dum illa geruntur Corinthi, anno altero Olympiadis vicesimæ septimæ, *apud Romanos* regnum consequitur *Tullus Hostilius*, è Medullia Romanorum colonia, ob virtutis opinionem, evocatus. Hic exercita ad bellum juventute militarem disciplinam condidit, agrum regium pauperibus distribuit, professus, patrimonium sibi suum in sumtus domesticos sufficere. Cœlium montem urbi adjunxit. Militari viro *bella* non defuere. Albanos, gravem & diu principem populum, quod prædones ad supplicium dedere recusassent, adortus, quum frequentibus præliis, parirobore, utrumque populum comminui animadverteret, persuasus à Metio Suffetio, Albanorum duce est, ut Horatiis Curiatiisque, tergeminis hinc atque inde fratribus, Romæ Albæque fata committerentur. Anceps & dira contentio, quod inter consobrinos, exituque ipso horribilis. Tribus quippe illinc vulneratis, hinc duobus occisis, qui supererat Horatius, addito ad virtutem dolo ut distraheret hostem, simulat fugam, singulosque prout sequi poterant, aggressus exuperat. Sic, rarum, unius manu parta victoria, mox parricidio fœdata. Soror ejus virgo, desponsa uni ex Curiatiis fuerat. Ea victori fratri obvia, cognito super humeros ejus paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines, & flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. Hanc ille importunam complorationem ratus, ferro punit, transfixaque puella, Abi, inquit, cum immaturo amore ad sponsum, oblita fratrum mortuorum, vivique, oblita patriæ. Citavere leges nefas, sed abstulit virtus parricidam, & facinus intra gloriam fuit. Nec diu in fide Albanus. Nam Fidenates bello missi in auxilium ex fœdere, medii inter duos exspectavere fortunam. Sed rex callidus, ubi inclinare socios ad hostem videt, tollit animos, quasi ipse mandasset. Spes inde Romanis, metus hostibus. Sic fraus proditorum irrita fuit. Itaque victis Fidenatibus Vejentibusque, ruptorem fœderis Metium Suffetium religatum inter duos currus, pernicibus equis distraxit; Albamque ipsam quamvis Romæ parentem, æmulam tamen, diruit, quum prius omnes opes urbis, ipsumque populum Romam transtulisset. Principes Albanorum Tullios, Servilios, Quintios, Geganios, Curiatios, Cœlios in patres legit, templumque ordini abs se aucto curiam fecit, quæ Hostilia appellata est. Hac fiducia virium, Sabinis etiam bellum indicit, vincitque. Redux cum exercitu, morboque implicitus, dum Numam Pompilium occultis sacrificiis imitatur, à Jove Elicio ignem infaustum elicuit, quo ictus ipse cum regia

Liv l. 1.

A. M. 3300. *Alii* 3279. *V. C.* 82. *Livius lib. 1. Flor. l. 1. cap. 3. Aurel Vict. cap. 3. 4.*

gia conflagravit, anno regni XXXII.

2 *Par.*33. 13, 14. 21. 2 *Reg.*21. Dum ita crescit res Romana, *Manasses* Judææ sibique redditus, patrium cultum, antea nefarie violatum, quantum in se est, restituit. Abolere enim semel introductas superstitiones, & consuetudine roboratas, etiam sapientibus arduum. Itaque defunctus rex anno gubernationis LV.

Amonem filium ut regni, sic impietatis, non vero pœnitentiæ successorem habuit. Is Domini negligens, vicissimque ab ipso neglectus, suorum insidiis periit, ad Josiam filium imperium devolutum.

Euseb. Chron. Suidas. Cassiodor. in Chron. Manasse regnante celebres passim *urbes conditæ* memorantur, inter quas in Propontide Cyzicus; in Bithynia Nicomedia; in Pamphylia Phaselis; in Italia Croton, Locri, Sybaris; in Græcia Corcyra; in Thracia Byzantium; in Sicilia Selinus, & Gela; Lampsacus, Chalcedon & Abdera in Asia. *Sapientiæ laude floruerunt* apud Hebræos Esaias, Nachumus, Holda: apud Græcos Sibylla Samia, quam Herophilen appellarunt, Hipponax Ephesius Jambographus, Alcman Spartanus, Archilochus & Simonides Poëtæ: Aristoxenus & Terpander Musici.

Josias.

A. M. 3304. *Buchol.* *Alii* 3308. *Templi* 374. 2 *Reg.*22. *Aliqui* 3310. DEcimus octavus Hebræorum rex fuit *Josias*, improbi patris filius optimus & religiosissimus, qui, pupillari ætate regnum consecutus, tanta pietatis incrementa hausit, ut nulli Hebræorum regum secundus exstiterit. *Helcia* sacerdote bene usus, anno regni octavo cœpit accuratius in religionis leges inquirere, & mox duodecimo, cum viginti annorum vir esset, reformare Judæam & Jerosolymam. Altaria, vasaque omnia, anteriorum regum superstitionibus consecrata, combussit. Illi enim lucos colleſque partim Diis gentium variis, partim ipsi Deo Israëlis, præter legem ejus sacraverant, atque eo deflexerant profanitatis, ut Soli ac Lunæ divinos honores darent, iisdemque è metallis statuas erigerent. Quibus Josias in pulverem redactis, sacerdotes profanarum ædicularum occidit, inque aris idololatricis eruta è sepulcris *ossa cremavit*, quod ab ipso faciendum Propheta ante 360 annos prædixerat. Sequenti anno Deus sacerdotem quendam, nomine *Jeremiam* allocutus est, jussitque principibus & populo denunciare, ut desisterent à profanorum cultu numinum, & quibus insueverant, sceleribus remitterent nuncium, ni graviora vellent supplicia pendere, quam populares eorum, jam pridem in Media, Assyria, Persia, & Colchide exulantes. Cum parum proficeretur apud pertinaces animos, accidit ut decimo octavo Josiæ anno, dum summus sacerdos thesauros reparando templo eruit, inveniret *Autographum Mosis*, quo divina ille oracula conscripserat. Ex eo Rex didicit, Hebræam gentem, ob crebras impietates & sacrilegia, ejiciendam è Palæstina, eamque cladem supplicationibus & lacrymis avertere studuit. Responsum est per *Holdam* Prophetissam, regi quidem pio parcere æternum Numen, sed nequaquam perduellibus ejus subditis. Itaque Josias universam regionem Hebræorum perambulavit, regnique olim Samariæ incolas, qui captivitatem Assyriorum evitaverant, aggressus persuasit, ut omissis religionibus externis, Deum maximum patrio ritu colerent. Lustrata terra Hierosolymam omnes convocavit ad solennes azymorum ferias, quas in liberationis Ægyptiacæ monumentum Deus ipse jusserat, ingratique mortales multis retro seculis intermiserant. Rex pietati munificentiam addidit, populis epulum dedit XXX agnorum millia, trium boum. Principes regem imitati, ingentique gaudio priscæ ceremoniæ reductæ. Tum quicquid reges Samariæ & Jerosolymæ, vel è suo cerebro excogitaverant, vel à vicinis gentibus acceptum, temerandis Dei summi sacris adjecerant, id omne ardenti hujus regis zelo antiqua-

A. M. 3325. *Bucholz.* *Alii* 3320. *Aliqui* 3319.

2 *Reg.*23. 2 *Par.*35.

2 *Par.*34. 2 *Reg* 22. *Joseph. l.*10. *c.*5. *Jer.*1.

tum est, populusque juramento obstrictus, ut ne à divinis legibus ad dæmoniorum fraudes deviaret. Huc accedebant Vatum monita, imprimis Jeremiæ, qui è XIII Josiæ anno, usque ad ipsum gentis suæ exitium, non destitit, magnis parvisque Dei & regis hujus instituta inculcare, quantumvis ob hæc atrocissimas perferret injurias. Incredibile enim dictu, quam flagranti impietate deceptus à fanaticis populus, propheticis regiisque jussibus obnixus sit.

Jer. 1. & 25. & 44.

Josia regnante, Medorum rex *Cyaxares*, ulturus patris sui Phraortis cladem, quem Assyrii in obsidione Nini cum exercitu deleverant, collectis ex omni Asia copiis, urbem illam maximam ad Tigrim flumen, XV milliarium Germanicorum ambitu expansam, excindere statuit, cujus eversionem Prophetæ Hebræorum, Nahumus, Habacuc, & Sophonias disertè prædicebant, ut ipsis quoque gentibus iram à Deo Opt. Max. imminentem ob oculos statuerent. Et sane jam vicerat acie Assyrios, & *Ninon* circumsedebat Cyaxares, cum victoriam intervertit Madyas Scytharum imperator innumeram hominum multitudinem in Medorum terra rapiens. Erant hi Scythæ Nomades, & Cimmerios ex Europa in Asiam ejecerant, à quibus vicissim in fugam acti, tunc temporis Mediam pervagabantur. Quamobrem relicta Nino, ad sua defendenda versus Cyaxares, vincitur à Scythis, qui crudeliter usi victoria, XXVIII annis infestam habuere Asiam. In Ægyptum tendentes, donis delinivit rex Psammetichus, pervicitque ut in Palæstinam retrocederent. Tandem vino ebrios aggressi Medi plerosque trucidant, Asiamque denuo sui imperii faciunt. Hinc statim conversо in Assyrios impetu, adscitis in societatem Babyloniis, Ninon capiunt & exscindunt, ac dominatui Assyriaco, quem Oriens ad mille quadringentos annos vario marte, casibus ambiguis sustinuerat, finem imponunt. Babyloniis tunc rex erat *Nabolassar*, in quem duxit Necos Ægypti Rex, Psammetichо genitus, indignatus auctam ejus potentiam, eversis Assyriorum opibus. Pater Neco Psammetichus Azotum Palæstinæ urbem, XXIX annis obsessam, obstinatione tandem ceperat. Ejus par animis Necos, omissa, quam à Nilo in mare rubrum perducere constituerat, fossa, classem è mari rubro emisit: quæ trienni navigatione Africam circumlegens, & septentrionalem oceanum lustrans, in Ægyptum rediit. Inde ad Cercusium, (alii Carcamesam vocant) circumfluum Euphrate & Habora fluviis oppidum, egit copias. In itinere coactus est acie confligere cum Josia Rege, transitum ei per suos fines pertinacius intercludente. Id prælium temere susceptum à rege, cætera laudatissimo, ipsius quidem morte haud ingloria, at populi & filiorum ejus sceleratorum ingenti malo finitum est. Etenim Josia ex vulnere mortuo, victor Necos, feliciter expeditione Euphratea defunctus, Joachazum, degenerem Josiæ filium, & successorem, regno exuit, captivumque in Ægyptum misit, Regnum Judaïcum auro & argento plurimo multatum, in alterum Josiæ filium, nihilo meliorem fratre, transtulit. Ei Joachimi nomen dedit, antea Eliacimus fuerat. Hæc prima libertatis Judæorum labes, *qui Deo suo infideles, dæmonum servitio semet addixerant, servis dæmonum servire coacti postmodum.*

Herod. lib. 1. *Diod. Sicul. l.* 2. *Nah.* 2. 8. *Hab.* 3. *Soph.* 2. 13. *Herod. lib.* 1.

Strabo lib. 1. *Joseph. l.* 10. *c.* 6. 2 *Par.* 25. *v.* 20. 2 *Reg.* 23. *v.* 23.

2 *Par.* 36. 2 *Reg.* 23.

Eodem tempore Cimmerii, in Asiam attracti à Scythis, Lydiam incursabant, Sardesque ipsas excepta arce, occupaverant. Interim Sadyattes, Lydorum rex è Mileto quotannis prædas egit: Filius tamen ejus Halyattes Cimmerios tandem ejecit, & cum Milesiis undecenni bello exhaustis, fecit pacem, deceptus astu Thrasybuli ducis eorum, qui in summa inopia epulari populum & deliciari, præsente Lydorum legato, jusserat, & re arcta fecerat opinionem opulentiæ. Milesii pervagantes maria Sinopen Ponti urbem occuparunt, & in Ægypto Naucratem condiderunt.

Herod. lib. 1. *Strabo lib.* 12. & 17.

Dictis

A. M. 3333. *V. C.* 114. Dictis regibus suppar ætate fuit *Ancus Martius*, Pompilii ex filia nepos, æquitate & religione avo similis, Tullo fortitudine. Inauguratus Romanorum regno, anno secundo Olympiadis xxxv, Latinos diuturno bello domuit, mox etiam Fidenates, Veientes, & Sabinos. Aventinum collem muro & fossa cinxit, traductosque è subactis oppidis inquilinos, ibi collocavit. Janiculum quoque transtiberinum montem, præsidio munitum, ponte sublicio, veteri urbi conjunxit. Aiunt, & sylvas eum publicasse ad usum navium; salinarum vectigal instituisse; carcerem primum ædificasse. Ad ostium Tiberis coloniam maritimis commeatibus opportunam posuit. Jus feciale, quo legati ad res repetundas uterentur, ab Æquicolis Romam transtulit. His rebus confectis decessit, anno regni xxiv, cum *Draco* Athenienses leges conderet, quas Demades postea sanguine scriptas, Canon Draconis non hominis esse dicebat. Peccatis enim minimis, ut pomorum olerumque furtis, capitis pœnam sanxerat, majorem sanciturus magnis sceleribus, ut ipse aiebat, si quid morte atrocius sciviset. Suidas narrat, ab Æginensibus Draconem in theatro petasorum conjectibus oppressum. Crudeli gratulatione crudelis legislator periit.

Flor. l. 4. Aurel. Vict. c. 7. Livius lib. 1. Dion. l. 3.

Plut. Clem. Stromat. 1. Suidas.

Euseb. in Chron. Eo tempore Liparam, Æolidum insularum urbem maximam, Prusiam in Bithynia & Epidamnum, post Dyrrhachium dictam in Calabria conditas ferunt.

Joachimus.

A. M. 3398. Templi 403. 2 *Reg.* 24. 25. 2 *Par.* 36. *Jer.* 26. *Joseph. lib.* 10. *Antiq. c.* 7. 8. 9. *Jer.* 36. 2. Vicesimus Hebræorum rex *Joachimus*, moribus fratri Joachæ quam patri Josiæ propior, sacrilegio invisus Deo fuit. Objurgatus à Prophetis Uria & Jeremia, eversionem Judæ, ni resipisceret, obnunciantibus, illum ex Ægypto retractum decollari jussit, hunc ægre principum aliquot, meliora sapientium, precibus donavit. Librum Jeremiæ prælectum publice Judis scriba concidit coram rege, & in ignem projecit. Sed contumaci tyranno haud lentior ob id pœna venit. Cum enim tributum penderet annuum Neco Ægyptiorum regi, omnis tunc Syriæ domino, accidit ut Nabuchodonosor, filius Nabolassaris, bello vinceret Necon, ad Carcamesam; omnique cum Syria & quicquid inter Euphratem & Nilum terrarum interjacet, exueret. Eadem igitur tempestate perculsa Jerosolyma, Joachimus captus, multi stemmatis regii Babylonem abducti sunt, inter quos Daniel, Hananias, Misaël, Azarias pueri. Sic tributarius Babylonico factus imperio Joachimus, de priori impietate nihil immutavit.

2 *Reg.* 24. v. 7.

Dan. 1.

Annus erat regni ipsius quartus, cum, Nabolassare post xxix regni annos mortuo, Nabuchodonosor capessit imperium, rex cunctis majoribus suis major, & quo vix quisquam potentior ullo exstitisse seculo creditur. Primo anno dubiis valde rebus ejus, prædixit Jeremias Vates, non tantum superandum ab eo Necon, sed universum insuper Orientem & Occidentem cum Insulis Oceani imperio ejus accessurum. Prophetiam Vates ipse publicavit, & ad omnes postmodum reges ac dynastas circummisit per legatos gentium, Hierosolymæ Zedeciam in fœdera sollicitantes, præcipiens Dei nomine, ut jugum Babylonicum susciperent, ni omnes gladio, fame & peste consumi præoptarent. Sed quanquam veritatis divinæ idonea documenta daret, pseudoprophetarum etiam aliquibus subito ad ipsius prædictionem exitio exstinctis; tamen paucis persuasit, cum ad Ægyptiacam potentiam magis, quam ad Dei minas respectarent populi. Interim Nabuchodonosor *Babylonem triplici muro circumdedit*, ex manubiis templum Beli magnificentissimè excoluit, in uxoris Medæ gratiam hortos pensiles exstruxit. Ei divino in somnio adumbrata est imperii mundani varietas vanitasque. Statuam vidit in *somniis* ingentem, capite aureo, pectore & brachiis argenteis,

Megast. ap. Joseph. l. 10. *Antiq. cap.* 11. *Jer.* 25. v. 27, 46.

Beros. apud Joseph. l. 1. *contr. App. Joseph. l.* 10. *Antiq. c.* 11. *Dan.* 2.

genteis, ventre ac lumbis æneis, pedibus ferreis simul & testaceis, in quos incurrens lapis totam comminuebat, comminutamque in pulverem vento dabat dispergendam. Id somnium cum nemo alius posset, *Daniel* & in memoriam redegit Monarchæ, & *interpretatus* est. Aureum imperium vocavit Babylonicum, succedura deinceps sequiora, quæ tandem omnia cœli Rex Christus contereret dissiparetque. Rex obstupefactus juvenis sapientia, *Proregem* eum Babyloniæ constituit omniumque Chaldæorum & Magorum Ephorum. Daniel in partem administrationis adscivit populares & sodales suos, Hananiam, Misaëlem, & Azariam, ipse in aula consiliariorum præcipuus vixit, fama per universum Orientem maximus.

Ezech. 14.14. & 28.3. 2 *Reg.*24. 1, 2. 2 *Par.*36. 8. *Joseph.* *l.*10. *c.*7. *Jer.*36. 30. & 22.19. A. M. 3354.

Dum hæc Babylone fiunt, *Joachimus* ad Ægyptium deficit, sperans ejus se opibus libertatem Judæis recuperaturum, consilio stulto juxta atque impio, quod & fidem Nabuchodonosori jurasset, & imperium terrarum omnibus argumentis ad Babylonios inclinaret. Perfidia regis irritatus Nabuchodonosor, ingentes in eum & è variis populis conflatos exercitus misit, qui catenis chalybeis vinctum, & mox trucidatum abjecerunt, ne sepulcri quidem honore habito ei, qui Deo hominibusque fidem violasset. Eo cæso ultra tria Judæorum millia exulatum missi sunt. Suffectus est Joachimo statim *Jechonias* filius, jam ante paternæ consors tam potestatis, quam malitiæ. Quare trimestre tantum imperium habuit; hoc duntaxat patre melior, quod Jeremiæ autoritatem secutus, ultro se dedidit Babyloniis, ut urbi populoque parceretur. Cum eo præcipuum militiæ, ac reipubl. robur abductum, octodecim millibus virorum sedes in Babylonia attributæ, ut novæ rebellioni ansa præcideretur.

*Jer.*52. 28.

Anno. Mund. 3355. *Templi* 416.

Zedecias.

Vicesimus secundus regum Hebræorum, idemque ultimus fuit *Zedecias*, patruus Jechoniæ, Babyloniorum beneficio Judææ præpositus, cum jam flos populi in Babyloniam demigrasset. Ille prædecessorum malis nihilo correctior, nec Deum purè coluit, nec justè præfuit subditis, nec fidem Babylonio juratam servavit. Cum anno regni sui quarto in Babyloniam profectus, fidem regni renovasset, adducto etiam pontifice Sarea, (cui Jeremias vaticinium de excidio Babylonis, ibidem publicandum, commiserat) nihilominus in patriam redux, defecit ad Ægyptios, cumque iis fœdus adversum Assyrios iniit. Transversum agebant Pseudoprophetæ, & Principes vaniloqui, quorum consiliis homo inconstantissimus plus detulit, quam sanctissimis Jeremiæ & Ezechielis vocibus atque literis. Ezechiel sacerdotum exulum unus, sexto sui exilii, regnique Zedeciæ, anno, aperte ei denunciavit, fore, ut propter perjurium Babylonem abduceretur, nec terram tamen adspiceret exilii, orbatus scilicet oculis, quemadmodum ei evenit postea. Sed tunc mentis inops, tyrannus, in perduellione permansit, confisus opibus Apriæ regis Ægyptii. Itaque frequens rebellio Judæorum movit Nabuchodonosorem, Tyri tunc obsidione implicatum, ut de exscindenda Jerosolyma totoque regno cogitationem susciperet. Quare compulsum intra muros Zedeciam, in tertium usque annum obsidione fatigavit. Interim Jeremias, cœlestis iræ gnarus, deditionem suadet; ni faciant, captivitatem & miserandam mortem, ait, imminere.

2 *Reg.*24. 2 *Par.* 36. *Joseph.* *lib.*10. *Antiq.c.*1. *Ezech.* 17. *Jerem.* 44.30. *Herod.* *l.*2.

Tum vero in iram excitatus Zedecias, in carcerem trudit Prophetam; mox crudelis facti pœnitens, dum absolvere eum cupit, non audet, obsistente manu principum, quibus pridem solens erat, bonos innocentesque premere. Propheta intrepidus pergit vaticinando, additque futurum, quod etiam ante præmonuerat, ut post septuaginta annos redeant exules, Jerosolyma instauretur, Babylon vero corruat turpissimè.

Jerem. 32.

sime. Interim Ægyptius, audito, quibus in anguſtiis eſſent ſocii, aſſumpto valido exercitu, obſidionem ſolvere conatur. At Babylonius ea aliquantiſper intermiſſa, obviam Apriæ profectus, uno prælio victum tota Syria expulit. Hinc inſtaurata obſidione, eam per XVIII menſes continuat. Jeremias vero, abſentibus Chaldæis, ſolum natale Anathotas viſurus, transfugii inſimulatur, & de ſententia procerum in lacum demittitur cœno ac ſordibus fœdum, ut ne ſimplici quidem mortis genere interiret. Mitigatus tamen rex, Æthiopis cujuſdam Ebedmelechi interceſſione, extrahi eum lacu & carceris cuſtodiis reddi jubet. Tandem obſeſſos vis hoſtium & penuria urget undique, conſumtiſque omnibus, quæ mandi poterant, fatiſcunt inedia propugnatores mœnium, capitur urbs noctu & incenditur, Rex è fuga retractus, Riblathæ ſiſtitur Nabuchodonoſori, qui filios principeſque ejus mortis, ipſum cæcitatis damnat, æternique exilii. Hieremias miſericordia hoſtili carcere exemtus, donatuſque liberaliter, habitare in ruinis patriæ, quam cum Nabuzaradano duce in Babyloniam migrare maluit. Denique ipſum etiam templum conflagravit, auri argentique multa talenta, veſtes, vaſa, columnæ, aliaque pretioſiſſima Babylonem tranſlata.

Jerem. 37. 11. *Joſeph.* *l.*13.*c.*10. *Ier.*38.6. 13.

Puberes omnes, qui aliquantivis pretii eſſent, in exilium abrepti, relictis quorum ætas, aut imbecillitas faſtidio victoribus fuit. Ea turba inutilis ſervitio, colendis agris, ne efferaretur ſolum, deputata, eique Godolias præpoſitus eſt, abſque ullo inſigni regio, quod præeſſe paucis & calamitoſis nulla dignitas haberetur. Sed tanta fuit Dei in nefarium genus indignatio, ut paulo poſt Godolias etiam *Iſmaëlis* cujuſdam regii juvenis fraude perierit & quicquid erat populi reliquum, inſano conſilio in Ægyptum profugerit, ibidem deinceps Babyloniorum gladiis conficiendum. Deleta Hieroſolyma, exuſtumque templum longe pulcherrimum poſt annos 427 quàm conditum à Salomone fuerat. Summi Sacerdotes in eo miniſtraverant XVI, hoc ordine: Zadocus, Achimaas, Azarias, Johannes qui & Jojadas, Azarias, Amarias, Achitobus, Zadocus, aliter Urias, Nerias, Azarias vel Hodeas, Sallumus, Helzias, Azarias, Sareas, Jozadacus. Tempus ipſum & exitii cauſam, Ezechiel Propheta ante ſexennium præfiguraverat, teſtificatus Iſraëlitarum iniquitatem 390 annis, Judæorum XL portari à Deo, iiſque elapſis urbem gentemque exſcindendas. Nam à Jeroboamo ad cladem totius populi anni CCCLXXX, à Joſiæ reformatione & Jeremiæ XL numerantur. Per hæc tempora Romanas res adminiſtrabat *Priſcus Tarquinius*, Græcus origine, qui Anci Martii liberis datus tutor, fidei prætulerat regnum, acceptumque ita adminiſtrabat, quaſi jure adeptus fuiſſet. Sed nobis ut cum templo Dei ſtrui liber cœpit, ſic cum ejus deſtructione deſinet, ut novo Babyloniorum imperio nova oratio impendatur.

1 *Chro.*7. *Ioſeph.* *l.*10.*c.*11.

*Ezech.*4.

A. M. 3357.

2 *Reg.*25. *Ierem.*40. 41.42.43. 44.

Seculum Monarcharum & Sapientium. Ethnicis & Tyrannorum.

LIBER VI.

A Templi & politiæ Iudaicæ deſtructione, uſque ad Plenam utriuſque reparationem, tempus annorum CXXXII.

NABUCHODONOSOR.

*Ierem.*27. 40.45.46. 47.48.49. 50.51.

EVerſa *Judæorum politia*, mirum quantæ paſſim rerum publicarum ſtrages, quantæ gentium & populorum *ruinæ* vel *migrationes* exſtiterint. E Prophetarum certè monumentis conſtat, quibus etiam Joſephus Judaicus

Ezech. 25.26.27. 28.29.30. 31.

daicus autor ſuffragatur, Phœnices, Palæſtinos, Ammonitas, Moabitas, Idumæos, Syros, Aſſyrios, Medos, Perſas, Elymæos, Ægyptios, Troglodytas, Æthiopes, alioſque ejus ætatis celebriores populos, unius Nabuchodonoſoris armis ſuccubuiſſe, partim gladiis militum mactatos, partim diſperſos, partim jugo Babylonico illigatos. Item Joſephus ex Megaſthene Indicarum rerum ſcriptore annotat, Nabuchodonoſorem præter univerſam Aſiam, Africæ quoque partem maximam & Iberiam ſubjugaſſe, majoremque Hercule habitum, ad columnas, ab ipſo denominatas, perveniſſe. Strabo addit, Nabuchodonoſorem ex Iberia in Thraciam, & Pontum ductaſſe copias. Ægyptum quinto poſt captam Jeroſolymam anno ingreſſus, totam imperio ſuo ſubjecit, fortunatiſſimumque ante Regum Apryen, opulentiſſimo exuit regno, atque, ut Joſephus tradit, etiam occidit. Ex Herodoto autem colligitur, Apryen à Cyrenæis victum, regno excidiſſe, jubente haud dubiè Nebucadnezare, poſteaque ab Ægyptiis interfectum, cum jactaſſet ſtolidiſſime, ſe nec per Deum quidem regno excuti poſſe. Ita eum fortunæ benignitas dementaverat, dementatumque expoſuit ludibrio. Nec melior Tyriorum ſors fuit. Eorum enim ditione occupata, Tyrum ipſam urbium potentiſſimam, tredecenni obſidione exagitatam ingenti labore expugnavit *Nabuchodonoſor*, expugnatamque diruit. Unde jam minus mirabuntur aliqui, cur Daniel Propheta Babylonicum imperium aureum, Perſicum argenteum, Græcum æneum, Romanum autem ferreum appellaverit. Nam ad magnitudinem Babylonici quâ nulli ſecundum exſtitit, acceſſit ingens literarum & ſapientiæ ſtudium, *ſine quo nulla unquam poteſtas diuturna & ſtabilis eſſe potuit. Vis enim conſilii expers mole ruit ſua.* Itaque *Nabuchodonoſor* (quem alii Nabynitum, libri divini Nebucadnezarem, Herodotus Labynitum appellat) neminem ad miniſteria aulica adhibuit, qui liberalibus ſtudiis triennium innutritus non eſſet. Cumque Danielem regio Hebræorum ſtemmate ortum, præter artium humanarum peritiam, Numinis etiam gaudere familiaritate comperiſſet, eum omnibus terrarum Sapientibus magiſtrum præpoſuit, cujus tanta extitit fama, ut qui nimium ſibi ſapere videbatur, per irriſionem Daniele ſapientior diceretur, quod illius viri ingenium ſupra omnem æmulationem foret. Acceſſit longævitas, maximum ad prudentiam momentum. Nam dum imperium Babylonicum ſtetit (ſtetit autem annos LXX.) floruit etiam pariter *Daniel*, quippe qui Cyro jam regnante, ſubactaque à Perſis Babylone, divinas adhunc revelationes ediderit. Bene igitur rebus ſuis conſuluiſſe tunc dixeris Græcos, qui in Perſiam & Babyloniam, tanquam ad ſolennem ſapientiæ mercatum, excurriſſe leguntur, & quidem Daniele ibidem *ſcholas* habente, cui Ezechiel Propheta, Hananias item, Miſaël, Azarias, aliique Hebræorum Sapientes, divina eruditione ſuppares fuere. Excurſum quoque à Græcis in Ægyptum eſt, ubi Jeremias & Baruchus Prophetæ eadem ætate degebant. Unde conſtat, quod res erat, dixiſſe, qui Philoſophiam Græcorum à Barbaris acceptam prodidere. Chaldæi enim & Ægyptii Græcos illos, utroſque Hebræi erudierunt. Pherecydes natione Syrus, Pythagoræ præceptor fuit, ſacerdotes Ægyptii Thaletis, qui primus apud Græcos Sapiens appellatus eſt. A Thalete Ionica, à Pythagora Italica Philoſophia deſcendit, quæ utraque deinceps in multas familias diſcerpta, innumera Philoſophantium agmina produxit. *Daniele* autem vigente, primum apud Græcos *Sapientum* nomen eluxit, *ſeptenario* quoque numero nobile. Erant hi Tales Mileſius, Solon Athenienſis, Periander Corinthius, Cleobulus Lydius, Chilon Lacedæmonius, Bias Prienæus, Pittacus Mitylenæus, omnes Daniele juniores quidem, ſed ita, ut videre ipſum & alloqui potuerint. Adjungas iis licet

Joſeph. lib. 10. Ant. & 1. contr. Appionem. Strab. lib. 1.

Herod. lib. 2. & 4. Jer. 44. Ezech. cap. 29. 30. 31. 32. Joſeph. 10. Antiq. cap. 11. è Beroſo. Megaſthene, Diocle, Philoſtrato.

Daniel 2. Horat. III. Car. Ode 4.

Dan. c. 1.

Ezech. 28. 3. Dan. c. 10. 1.

Diog. Laërt. in procæmio.

Euſeb. lib. 9. Præpar. Euang. cap. 2. Aug. lib. 18. C. D. c. 25. Lud. Viv. in comm. ibid. Euſeb. Chron. Pauſ. in Phocicis.

licet Pythagoram Samium, Myſonem Chenæum, Epimenidem Cretenſem, Anacharſin Scytham, & fabularum Philoſophum Æſopum, *Chaldæorum* certe *dogmata verioris* haud dubiè originis ſunt. Duo eſſe principia, bonum & malum, alterum Orimaſdam, ignis dominum, alterum Orcum, Deum ſcilicet & Diabolum à Daniele audiverant. Deum ignis eſſe Dominum, ſervatis in flagrantiſſimo camino cultoribus ſuis exploratum. Item revicturos eſſe homines, immortaleſque futuros; Rerum naturam ſanctorum precibus obtemperare; Ridendos imaginum fabricatores, & illos, qui Deos mares & fœminas fingunt. Hæc à Daniele hauſta, planum eſt. *Pythagoræ*, qui ſimiliter Orientem adierat, id ſapientiſſimum effatum fuit, *nullum hominum ſapientem dicendum, niſi ſolum Deum.* Itaque non ſapiens, ſed ſtudioſus ſapientiæ dici voluit. *Thales* itidem animas immortales docuit; Deum etiam cogitata hominum inſpicere; principio ac fine carere. Primus prædixit Eclipſin, quæ Halyatte & Cyaxare inter ſe confligentibus accidit. Erat enim inter illos bellum, quod Lydi Scythas, Medorum hoſtes ſuſciperent. Eos reges Nabunetes ſeu vi, ſeu autoritate in concordiam redegit, & firmandæ paci Arienam, Halyattis Lydi filiam, Aſtyagi Cyaxaris filio uxorem comparavit. Ipſe ingentibus malis ſummam ſapientiam & moderationem edoctus eſt: ſtatuas nulli eſſe venerationi debere, experimento didicit. Cum enim ex ſolido auro coloſſum ſexaginta cubitorum erexiſſet, præſentique ignis metu adorare eum omnes coëgiſſet, tres Hebræi, Babyloniarum provinciarum præfecti, devorari ignibus, quam piaculum committere maluerunt. Itaque vincti manibus pedibuſque, in medias flammas conjiciuntur. Sed miniſtros infandi operis, dum promtius damnatos in ignem propellunt, flamma abſorbuit, Hebræos ignis non attigit, cum aſpectantibus quartus iis comes additus cerneretur, quem rex filium eſſe Dei confeſſus eſt. Quare divina obſtupefactus virtute, miſſis per omne regnum ſuum edictis, facti miraculum promulgavit, ſoli Hebræorum Deo honorem deferendum profeſſus. Deinde ſomnio, voceque cœlitus demiſſa præmonitus, quod rebus ſecundis nimium gloriaretur, mota mente regiam poteſtatem amiſit, herbiſque ad jumentorum inſtar vitam, ad ſeptem annos, ſuſtinuit. Servatum tamen Dei nutu imperium eſt, & à Nitocri regina (ut innuit Herodotus, qui Labynitum Juniorem Nitocris, magnanimæ & prudentiſſimæ mulieris filium, ſcripſit) adminiſtratum, filioque Evilmerodacho, donec expiata ſuperbia Rex ſibi dignitatique priſtinæ reſtitutus, major è lapſu ſuo ſurrexit. Nam cum Babylonis ambitus 480 ſtadiorum, murus 200 cubitorum altitudine, L latitudine eſſet, Nitocris Euphratem quoque urbi interfluentem utrinque munivit, & ponte utramque ejus regionem conjunxit. Flumen ipſum tortuoſum, ut placidius mearet, effecit, viaſque ex Medis in Babylonem ducentas interſepſit, ne compendiarium iis aut facile ad urbem iter foret. Nabuchodonoſor poſt devictum Zedechiam XXVI annos regnavit ſolidos, in univerſum XLV, cum maximum Hebræorum Numen iterum per omnes populos ſeriò honorandum præcepiſſet. Eo regnante *Tarquinius Priſcus* Romæ Græcum ingenium Italicis artibus miſcuit. Senatus majeſtatem numero ampliavit, allectis centum, qui minorum gentium Patres ſunt appellati. Et Attius Navius augur artis ſuæ fidem, ſecta cote novacula, approbavit, unde Romanis ſacer Auguratus. Priſcus Latinos bello domuit; Circum maximum ædificavit; Ludos magnos inſtituit. Duodecim Thuſciæ populos frequentibus armis ſubegit. Inde faſces, trabeæ, curules, anuli, phaleræ, paludamenta, prætextæ: inde, quod aureo curru quatuor equis Romæ triumphatum. Togæ pictæ, tunicæque palmatæ, omnia denique decora & inſignia, quibus imperii

Laërt. Proœmio.
Diogenes Laërt. lib. 8.
Herod. lib. 1.
Dan. 3.
Dan. 4.
Herod. lib. 1.
Herod. lib. 1.
Sulp. Sev. lib. 2.
Dionyſ. lib. 3.
Liv. l. 1.
Florus l. 1. cap. 5.
Aurel. Victor.

poſtmodum dignitas eminuit. Idem murum lapideum urbi circumdedit, & cloacas fieri curavit. Capitolium inchoavit. Cum triginta octo annis regnaſſet, per Anci filios immiſſis percuſſoribus occiſus eſt, regis ejus, cui ipſe ſucceſſerat. *Pauſ. 2. Eliacis.* Dum Priſcus ludos Romæ facere inſtituit, *Græci* quoque Iſthmios, Pythios, Nemeos, Panathenaicos, aut renovant, aut amplificant, imo Piſæi Eleis de Olympicis certaminibus certamen dirum moventes, dum præſidere ludis ambiunt, patriam ipſam ſeriis pugnis amittunt, Olympiade XLVIII.

Plin. l. 7. c. 49. & 34. cap. 8. Suidas. Epiſtol. Phalaridis. Oroſ. l. 1. cap. 20. Liv. l. 5. Aventinus lib. 1. Crudeliores ludos *Phalaris* Agrigentinorum tyrannus edebat Siculis, quem neſcio Græcine immaniorem, an ipſe Epiſtolis ſe ſuis moderatiorem ſcripſerit. De Perillo conſtat, quod taurum ei fecerit, mugitus de eo hominis pollicitus igne ſubdito, primuſque eum expertus ſit, juſtiore ſævitia Regis, quam arte artificis.

Eodem tractu temporum *Galli* in Italiam ſe Germaniamque effudere. *Ambigatus*, Celtarum Rex, prægravante turba exonerare terram cupiens, Bellovesum ac Sigovesum, ſororis ſuæ filios, cum tanta hominum multitudine dimiſit, ne qua gens arcere advenientes poſſet. *Salinus cap. 11.* Sigoveſo Hercynii ſaltus ſortibus obtigere, Belloveſo Italia. Hic ergo Bituriges, Ambarros, Carnutes excivit, & per Taurinos Alpes tranſcendit, cum Phocæenſes Maſſiliam conderent, Tarquinius Romam exornaret. Fuſis acie Thuſcis haud procul Ticino flumine, Galli Inſubrium agros nacti, Mediolanum urbem exſtruxere: mox alia Germanorum manu, quæ Elitovio duce intraverat, aucti, locos ubi nunc Brixia & Verona ſunt, occuparunt. Secuti Boii Lingoneſque, cum jam inter Padum atque Alpes omnia tenerentur, Pado ratibus trajecto, non Hetruſcos modo, ſed etiam Umbros agro pellunt, intra tamen Apenninum ſe continentes, quibuſcum poſtea graves Romanis pugnæ fuere. *Herod. l. 2. & 4.* Undecim annis ante mortem Nebucadnezaris periit Apryes Ægypti Rex, qui Adricam Pœnorum regem reſtituturus, Batto Cyrenæorum regi ingens bellum fecerat. Sed ab illo, Græcorum auxiliis adjuto (Cyrenæi enim Græcorum coloni erant) gravi clade affectus, majorique mox domi à ſubditis ſeditione exceptus eſt. Ægyptii enim, corruptum, regis culpa, exercitum rati, rebellarunt, regemque dixerunt Amaſin, à quo captus Apryes, traditusque Ægyptiis, laqueo abrupit vitam, anno regni viceſimo quinto.

Evilmerodachus.

NAbuchodonoſore rebus humanis exemto, Babylonici imperii dominium in filium ejus tranſiit *Evilmerodachum*, anno primæ tranſmigrationis Judæorum XXXVII, ſecundæ XXVI. Is miſeratus captivitatem Jechoniæ regis, qui olim deditione facta regni & urbis Jeroſolymæ, Babyloniorum fidei ſe permiſiſſet, ſummis eum affecit honoribus, omnibuſque aliis imperii ſui regibus antepoſuit. At ipſe ob iniquitates & libidines in odium adductus ſubditorum, à ſororis ſuæ marito Nerigliſſoro, fraude peremtus eſt, cum annos regnaſſet duos. Joſephus ponit XVIII, Sulpitius Severus è libro perveteri XII, connumeratis haud dubiè annis, quos pater mente captus vacuos filio reliquerat, ac reſtitutus communes ſecum fecerat. *Nerigliſſorus* iſte ſeu Nigliſar, ſicut eum nominat Joſephus, quatuor annis, ut Beroſo & Megaſtheni placet, præfuit nomine filii ſui Laboroſordachi, qui cum ineptiſſimus imperio haberetur, defuncto patre, nono regni menſe oppreſſus ab aulicis & exſtinctus eſt, ſuffecto in regnum *Nabonito*, (quem Herodotus vocat Labynitum, Daniel Balſchazarum cognominat) filio Nabuchodonoſoris natu minimo, matre Nitocri, quemadmodum memorat Herodotus. Is fuit annus tranſmigrationis Hebræorum præcipuæ quadrageſimus quartus, cum Olympias ageretur quinta & quinquageſima, in quem an-

A. M. 3390. *Captivitatis. Babyloniæ. 37. 2 Reg. 25. v. 27. Ierem. 52. v. 31.*

Sulp. Sev. lib. 2.

Beroſ. apud Ioſeph. lib. 1. contra Appion. & 10. Antiq. cap. 22. Alexand. Polyhiſt. apud. Euſ. præpar. Euang. lib. 9. cap. 4. Euſeb. lib. 10. præp. c. 3.

A. M. 3413.

annum *Cyri* Perſarum regis, *exordia* collocant, qui diligentius Olympiadas ſcrutantur. Dum enim Babylonii, potentiæ ſecuri, voluptatibus indulgent, ſeque mutuis cædibus perimunt, novi apud Medos Perſaſque imperii fundamenta jaciuntur. Medis jam multis annis præerat *Aſtyages*, cujus patre Aſtibara, id eſt, Aſſuero ſeu Cyaxare (Nam Daniel Aſſuerum, Cteſias & Alexander Polyhiſtor Aſtibaren, Herodotus Cyaxaren, corrupto per græcanicam inflexionem, aut referentium imperitiam vocabulo, appellant) in Hebræos commilitone uſus erat Magnus Nabonitus. Illi Aſtyagi è Mandane filia & Cambyſe Perſa nepos fuit *Cyrus*, vir omnibus bonis artibus, ac militari imprimis robore & magnanimitate præſtans, quem infantulum, ſi Herodoto fides, avus exponi juſſerat, quod Aſiæ dominatum fatis ei deſtinari, per ſomnia cognoviſſet. At Cyrus Dei proviſu ſervatus, comperta per Harpagum Medum Aſtyagis injuria, Perſas ab Aſtyage alienos, facile ad res novandas incitavit, ſumendæque libertatis autor factus, avum eo redegit, ut precarium à nepote imperium vitamque habere videretur. Interim Laboroſordachus, Nigliſaris filius, peractis nuptiis, quaſi per venationem deprædatus Mediam, conſultu Cyri ab Aſtyage repellitur, magnique belli ſemina ſpargunturs. Paulo poſt Aſtyages, dum ad Cyrum molitur iter, à Peteſaca Eunucho in deſertis occiditur, anno regni 35, cujus percuſſor à filia occiſi Mandane cruci ſuffixus, ſuaſorque ſceleris OEbaras fame exſtinctus eſt, Cyaxare Aſtyagis filio in regnum Medorum ſuccedente.

Dan. 9. 1. *Cteſias apud Photium.* *Alex. Polyhiſtor apud Euſeb.* *Juſt. lib. 1.* *Herod. l. 1.*

Joh. Tzetzes Chil. 1. hiſt. 1. *Cteſias Cnidius apud Photium p. 107. edit. And. Scotti.*

Juxta hæc tempora fuit ſextus Romanorum Rex, à patre *Tullius*, ſervitute matris *Servius* dictus, atque in familia Tarquinii Priſci genitus, qua cum ſe dignum gereret, filiæ ejus conjugio honoratus eſt. Occiſo ſocero, Tanaquil ſocrus ad populum deſpiciens ait; Priſcum regem gravi quidem, ſed non lethali vulnere accepto, petere ut interim dum convaleſcit, Servio Tullio dicto audientes eſſent. Sic ille quaſi precario regnare inceptans, anno quarto Olympiadis L, tam induſtrie regnum egit, ut etiam jure id adeptus videretur. Etruſcos ſæpe domuit, collem Quirinalem & Viminalem & Eſquilias urbi addidit. Ab eo *populus* Romanus *relatus in cenſum*, digeſtus in claſſes, curiis atque collegiis diſtributus. Latinis populis perſuaſum, ut exemplo Epheſiorum, qui à Crœſo obſeſſi, Dianæ ſe devoviſſent, & ipſi ædem Dianæ in Aventino dedicarent. Cenſu acto, reperta civium Romanorum LXXXIV millia, cum his qui in agris degebant. Periit anno regni XIV, Cyro jam univerſam Aſiam tenente, cujus prudentiam, ſi in hiſtoria opinari licet, in ordinanda Republica æmulatum eſſe dixerim Servium. Idem primus *ſignavit æs*, cum antea rudi uterentur Romani, ſignatumque eſt nota pecudum, unde & *pecunia* appellata.

Livius l. 1.

Flor. lib. 1. *Dionyſ.* *Halyc. l. 4.*

Herod. l. 1. *Sextus Aurel. Eutrop. lib. 1.*

Plinius l. 33. c. 3.

Balthazar.

A. M. 3418. *Captivitatis Babyloniæ* 45.

Regnabat temporibus Cyri ac Tullii *Balthazar*, à Babyloniorum Belo cognominatus, illuſtris apud autores alios patris nomine; quod Nabonitus, Labynitus, Nabuchodonoſor, varia literarum commutatione, fecerunt ſcriptores. Hic conſpicatus Cyri & Medorum potentiam coaleſcere, Crœſum ad infringendas eorum vires incitat, quod Crœſi tum præcipua per Aſiam gloria erat. Etenim Crœſus, præter paternum Lydorum regnum, Ionas, Æoleſque, & omnes reliquos intra Halyn fluvium populos, exceptis tantum Lyciis, ac Cilicibus ſubegerat, Inſulanos Pittaci inductus feſtivitate ſocios adſciverat. Accenſus igitur à Babylonio & Amaſi Ægyptiorum rege, conſulit oracula, Apollinem præſertim Delphicum, quem bello adverſus Perſas eventum deſtinarent. Apollinem immenſis donariis veneratus audit, ſi Halyn tranſeat, magnam poteſtatem everſurum. Id ambigue dictum, pro ſe interpretatus, mit-

Herod. l. 1. *Beroſ. & Megaſth. apud Joſeph. lib. 10. Antiq. & 1. adverſ. Appion.* *Euſeb. præpar. l. 9. cap. 4.* *Xenoph. l. 2. de diſcipl. Cyri & ſeqq.* *Plut. in Solono* *Diogen. Laert.*

tit ad Athenienſes & Lacedæmonios fœdus auxiliaque oratum. Athenas antea exitio vicinas ob divitum in pauperes inſolentiam, Solon æquiſſimis latis legibus conſervarat, introducta etiam æris alieni levatione, quam σεισάχθειαν appellavit. Cum regnare potuiſſet, noluerat, profeſſus *tyrannidem prædium eſſe pulcrum, ſed ex quo egredi non liceat. In jus rapere injurium, etiam non læſis permiſerat, communes ratus injurias, quæ ſingulis contigiſſent. In ſeditione neutram partem ſecutus omni honore arcuerat, ignavum arbitratus eum & malum, qui otioſus ſpectaret turbas patriæ. Sponſas ſine ulla dote nubere juſſerat, ne quis lucroſas potius quam liberales nuptias faceret, ſed ut uxores per ſe, non per nummos ducerentur. Filius nothus & artium rudis ne patrem aleret, atque ut rationem, unde quiſque viveret, Areopagitarum ſenatui redderet, ſanxerat.* Quam quidem legem in Ægypto obſervarat. Latis legibus, ut Piſiſtratum caverent cives, monuerat, ſpretuſque in voluntarium exilium ierat. Eo digreſſo, Piſiſtratus, vulneribus ſibi ſua manu inflictis, perſuaſit Athenienſibus, ut *Herod. lib. 2.* 400 ei corporis cuſtodes darent, iiſque aſſumtis arcem occupavit, ac civibus libertatem eripuit. Is tunc Athenis præſidebat, Crœſoque per legatos roganti auxilia eſt pollicitus. Lacedæmoniis Chilon Ephorus erat, rex Euthydemus. Chi- *Laërtius in Chilon.* lonis verbum ferebatur, *cotibus lapideis aurum, auro homines explorari*, aliaque ejuſmodi, ob quæ ſeptem Sapientibus connumeratus eſt. Etiam Lacedæmonii cum Crœſo ſocietatem pacti ſunt, qui tunc victis tandem Arcadum Tegeatibus, quibuſcum anceps bellum geſſerant, pleræque Peloponneſo dominabantur. Periander vero Corinthi traditam à Cypſelo patre tyrannidem tenebat, Corinthiis ſemper faceſſens negotium, ne ſibi ab ipſis fieret, ſenatu etiam conſtituto, qui provideret ne quis plus abſumeret, quam proprii reditus ferrent. Contra Thales Mileſius autor exſtitit, ne Crœſo in Cyrum opem ferrent. *Cyrus* itidem, *Diog. Laërt. l. 1.* conſulto Daniele principe Chaldæorum, victoriam ſibi à ſummo Numine præparatam didicit, fidenterque in Lydos duxit. Ac primum ſane prælium in Cappadocibus dubii Martis viſum, Lydis equitatu prævalentibus. Xenophon autem viciſſe Cyrum, ſoloſque exercitus Crœſiani Ægyptios egregie pugnaſſe memorat, qui partim venia impetrata domum redierunt, partim etiam Cyro commilitones facti ſint. Herodotus autor eſt, Crœſum exautoratis mercenariis militibus, Sardes refugiſſe, ut novam ex ſociis Babyloniis, Græcis atque Ægyptiis aciem, ſequentem in annum pararet. At Græcos, priuſquam promiſſa mitterent auxilia, captum *Crœſum* regnoque everſum accepiſſe. Conſentiunt ſcriptores, victorem Cyrum mox Sardes ipſas, contra quam Crœſus crediderat, adortum. Itaque Lydos iterum contractos in unum, Cyrus in fugam vertit, equis eorum inſolenti camelorum adſpectu exterritis. Inde Sardes captæ, Crœſus ſe Cyro dedidit. Fama eſt pyræ admotum, cum magna voce Solonem invocaſſet, reſtincto igni veniam meruiſſe, quod incerta humanorum caſuum à Solone ſibi commemorata Cyro recitaret, qui veriſſimum eſſe profeſſus eſt Solonis dictum, olim Crœſo ingratum, cum divitias ſuas oſtentanti ſuggereret, *neminem ante obitum beatum eſſe appellandum.* Veritatem dicti Crœſus ſuopte caſu cognovit, à Cyro tamen deinceps inter præcipuos amicos habitus, & Barce Suſianes provinciæ urbe donatus. Cæterum *Apollo Delphicus* per nuncios à Crœſo increpatus, quod benefactorem ſuum tanta in re fefelliſſet, mendax ut erat reſpondit, fatis nec Deum quidem poſſe obſiſtere. Templum ejus paulo poſt incenſum à Piſiſtratidis, Alcmæonidæ alterius factionis cives inſtaurarunt, Amaſi Ægyptio impenſas ſublevante. Sic *Mermnadum* in Lydia *Regnum deſiit*, Olympiade ſexageſima, cum referente Alexandrino Clemente, auſpicatus id eſſet Nyges Olympiade XVIII. Duravit annos 170. Paulo poſt Lydis,

Suidas & Cedrenus. Xenoph. l. 7. de Cyri diſciplin. Herod. l. 1.

Juſtin. l. 1. Herod. l. 1. Euſeb. in Chron.

Clemens Stromatum 1.

dis, Pactya autore, rebellantibus, Cyrus per Mazarem Medum arma ademit, permisitque deliciis in mollitiem vertit gentem. Pactyas à Chiis, ad quos confugerat, Persis auro traditus. Inde *Harpagus* Ionas omnes subegit, exceptis Phocæensibus, qui in Corsicam Rhegiumque, & Tejis, qui Abderam Thraciæ, profugerunt. Milesii vero ex Thaletis consilio fœderati Cyro, libertate illibata fruebantur. Reliqui Iones Biantis sententiam aspernati, qui junctis viribus alias petere sedes suaserat, libertati patriam posthabuere. Redacti & Cares in servitutem. Lycii autem libertatis tenentissimi, non prius eam quam vitam ipsam posuere. Dum ita inferiorem Asiam Harpagus perdomat, *Cyrus* superiorem aggreditur, in quam Babylonii adhuc opibus animisque præeminebant, sustentati etiam subditorum atque clientum ingentibus opibus atque copiis. Artacamas eis magnæ Phrygiæ Rex, Gabæus Hellesponti, Arybæus Cappadociæ, Maragdus Arabum, aliique non pauci suppetias ferebant. Cyrus Medos rege Cyaxare, Persas item populares Susianosque ducens, (quorum rex Abradates in conflictu perierat) subjugavit in itinere offensos sibi quosque populos, ac Babylonios acie victos in urbem compulit. Ei Nabonitus, qui & Balthazar, pridem de xx annorum commeatu prospexerat, civitatemque seu vi, seu fame fecerat inexpugnabilem. Itaque Cyrus longo tempore inops consilii, ab obsessis ridebatur, donec tandem astu eos superavit, superiores cunctis sibi viribus visos humanis. Strategema ejusmodi fuit. *Nitocris* olim regina lacum immensi operis, ambitu 420 stadiorum foderat, in quem derivata parte Euphratis, & aquas ejus diminuerat, & ex egesto limo vallum utrique fluminis ripæ obduxerat. Huc Cyrus deducta parte exercitus imbecilliori, jubet renovare fossas, reliquasque copias in procinctu stare, ut simul Euphrates defluceret, in urbem nocturnæ irrumperent. Babylonii interim festos dies agitabant, Rex ipse ganeæ vacabat & luxui, feralis eos hostium contemtus incesserat. Dum hilluantur, Deosque fusiles honorant, productis in contumeliam vasis Deo sacris, quæ Magnus ille Nabonitus Jerosolymis asportaverat, en tibi derepente manum in pariete palatii conspicuam, regis regnique fata ductis literis describentem. Eas cum nemo legeret, monitu reginæ matris *Daniel* accitus, legit statim & interpretatus est; scilicet ob delicta regi temeratamque religionem exitium imminere, regnumque inter Medos ac Persas partiendum. Et mox factum est. Persæ Medique eadem nocte femorum tenus aquis immersi, in urbem penetrarunt, Babylonioque somno vinoque sepultos confertim trucidarunt. Gadatas, & Gobrias tribuni, oppressis arcis excubitoribus, regem ipsum, districto acinace nequicquam se defendentem, obtruncant, cum XVII annos regnasset, anno Babylonici imperii 70. Darius Medus, qui & Cyaxares, avito nomine dictus, permittente Cyro, opulentissimum regnum adiit, sexaginta duos annos natus. Ipse ut erat senex, otii amans, omnem regni curam in Medos Persasque consiliarios devolvit, Danielem illustri opinione compertum, additis duobus aliis, universo imperio præposuit, secutus Cyri, superiorumque regum judicium. Iis reliquos Satrapas, numero 120, rationes administrationum reddere præcepit. Sed Danieli, viro Hebræo, invidiæ statim fuit nimia apud exteros potentia, exitioque præsenti vertisset, nisi à Numine Opt. Max. cui totum se addixerat, mirabiliter esset protectus. Dario enim consueta regum arrogantia decepto, persuaserant aulici, ut se solum ad xxx dies adorandum præberet omnibus, lege lata, ut si quis intra illud tempus alium quemcumque, seu Deum, seu hominem precaretur, bestiis objiceretur laniandus. Danieli *pluris pietas quam vita erat*. In genua ter prostratum coram Deo, versa Jerosolymam facie, deprehendunt facile æmuli, statimque reum faciunt,

Herod. l. 1.
Herod. l. 1.
Xenophon. l. 7. disciplinæ Cyri Tzetzes histor. 3.
Herod. l. 1. Orosius l. 2. c. 6.
Dan. 5. Herod. l. 1. Xenophon. l. 7. Joseph: l. 10. Antiq. c. 11.
Xenoph. l. 7. Joseph. l. 10. Antiq. c. 12. Dan. 6.

ciunt, magna contentione, ut supplicium nupera lege sancitum luat efflagitantes, ac rege nequicquam obluctante, *in lacum* eum *leonum* abjiciunt. Sed postridie obstructum sigillo suo antrum aperiens Darius, ut incolumem Danielem reperit, egredi magna voce innocentem, accusatores præcipitari imperat, qui continuo laniati, exemplum dedere omnibus populis, *tam benignum piis Deum Opt. Max. quam infestum improbis habendum.* Id cum publico edicto omnibus invulgasset Darius, relictisque superstitionibus Deum Danielis ubique colendum præcepisset, aliquanto post obiit, Cyro Sororis filio & genero, omnium, quas
Dan.7.8. subegerant terrarum, solo hærede relicto. *Daniel* clarus ante, clarior haberi cœpit. Exstant æternæ visiones ejus, quibus consequentium seculorum ordinem, divinitus sibi revelatum, satis manifeste exposuit, quas & anno primo tertioque Balthazaris, Susiana nondum de-
Dan.9. victa, vidisse sese memorat. Sub Dario Deum precatus, ut Jerosolymam templumque, septuagesimum pene annum deserta, clemens respiceret, annorum etiam numerum ab Angelo accepit, intra quem Christus, sicut factum est, è cœlo ad terras descenderet, & Judæi jacentem rempublicam instaurarent.

Ejus ætatis Sapientes novum *Poëtarum agmen* secutum est. *Arion* Methymnæus Dithyrambum reperit. Renavigans è Silicia Corinthum, mortis adiit periculum ob pecunias, arte musica lucrifactas. Eum vero cum cantu in mare desilientem, Delphinus citharæ suavitate demulsus, dorso excepisse traditur, & in Tænarum insulam deportasse; unde ad Periandrum incolumis redierit. Eo paulo *inferiores* narrantur Ibycus, Stesichorus, Phocylides, Theognis, Simonides, & Anacreon Lyrici. Eodem tempore *Pherecyden* Syrum prosaicam condidisse orationem, Historiæ scriptionem *Cadmum* Milesium & Anaxilaum, referunt Plinius & Josephus. *Epimenidem* vero Cretensium vatem, æstu & itinere fessum, multi tradunt in specu VII & L dormiisse annis, rerumque faciem & mutationes admiratum, veluti postero experrectum die. Hinc pari numero dierum, senio ingruente, centum & quinquaginta septem annos durasse. Hic è Creta evocatus Athenas lustravit, positisque ignoto Deo aris, pestem Attica urbe profligavit.

Herod.l.1. Suidas. Plutarchus in Symp. Gellius l.16.c.19. Euseb. Chron. Plin.l.7. cap.56. Ioseph. lib.1. cont. App. Diogen. Laërt.l.1. Plin.l.7. cap.52. Plutarchus. Solone.

IMPERIUM PERSICUM

Cyrus.

A. M. 3413. *Captiv.* 70. *Ioseph. lib.11. Antiq. cap.1.2. Esa* 45. *2 Par.36. Esdr.1. c.1.2.3.*

ANno post abductum Jechoniam septuagesimo, regni sui vicesimo septimo, *Cyrus* Persa solus toto Oriente potitus est. Babylonii quoque, defuncto Dario Medo, in potestatem ditionemque ejus concessere. Id ante ducentos annos per Esaiam Hebræorum Vatem clarissimè prænunciatum, Danielis indicio comperit. Igitur Deum Israëlis supra omnia gentium numina extollens, initio imperii propositis publice edictis, dat potestatem Judæis in Solum patrium redeundi: sacra etiam vasa, quæ Nebucadnezar templo Jerosolymæ abstulerat, reddidit, templumque summi Dei suo sumtu instaurandum præcipit. Illi magno numero (ultra XLII millia hominum fuere) ducibus Jesu sacerdote & Zorobabele, Jechoniæ nepote, itineri se accingunt, altare Deo struunt Jerosolymæ, sacrificiis eum solennibus placant. Sequenti anno templum moliuntur, cujus fundamenta, qui priscum illud non viderant, ingenti cum exultatione; qui viderant, lacrymantes adspexere. Sed gentium vicinarum odiis vexati, plerique etiam rei familiari potius quam publicæ intenti, parum proficiebant, Cyro

Esd.4. Agg.1.2.

ro præſertim novis bellis implicito, per cujus abſentiam accuſati apud filium, ſubſidiis à patre decretis exciderunt. Cyrus enim ultra Araxen fluvium in Maſſagetas, gentem latrociniis & prædationibus infamem tendens, Cambyſen filium regem pronunciavit, addito ei Crœſo amico & rectore. Cumque initio feliciter rem geſſiſſet, allectis ad vinum & epulas barbaris, ſubitaque oppreſſione trucidatis, capto etiam Spargapiſe Tomyris reginæ filio; tamen poſt, ut fit, verſa fortuna, decem militum millia amiſit. Equitatus ab Elephantis, quos Indi adduxerant, in fugam actus, Cyrus ipſe equo excuſſus, ac vulnus ei grave ab Indo inflictum eſt: viciſſentque Scythæ, niſi Amorges Sacorum Rex antea devictus, jam Cyri ſocius, laborantibus Perſis ſuccurriſſet. Illo enim viginti equitum millia opportune in auxilium rapiente, recollecti Perſæ hoſtem fuderunt, atque, ut ait Cteſias, Amoræum regem Derbicum, cum duobus filiis, ac xxx militum M concidere. *Cyrus* paulo poſt ex vulnere *deceſſit* & à filiis in Paraſgadis humatus eſt, anno vitæ, ut Cicero ex Dione refert, LXX, regni triceſimo.

Her. l. 1.

Cteſias lib. 11. Xenoph. lib. 8. Strabo lib. 11. Oroſius l. 2. c. 7.

Fatis vicinus *Tanyoxarem*, minorem filium, Mediæ, Armeniæ, Bactrianæ, Carmaniæque regem conſtituit, imperium Cambyſi dederat. Herodotus præciſum Cyro caput à Tomyri, atque in utrem ſanguine plenum humano merſum memorat, additis ludibriis, ut ſaturaretur tandem ſanguine, cujus ſitientiſſimus fuiſſet. Diodorus crucifixum ſcribit. Sed & Herodotus fatetur, alios de Cyri morte ſermones fuiſſe. Et Xenophon atque Cteſias, imo ipſum Cyri ſepulcrum à Strabone, Curtio, aliiſque autoribus deſcriptum, documento ſunt, eum haud ex alieno arbitrio mortem habuiſſe. Regnavit à Ponto Euxino uſque ad mare rubrum, & ab Indis uſque in Ægyptum, rex veri Dei imbutus notitia, fœderum & juris ſervantiſſimus, in ſubditos affectu paterno, in amicos militeſque liberaliſſimus.

Cicero in Catone. & 1. de div. Cteſ. l. 11. Xenoph. lib. 8.

Tertio imperii ejus anno, Daniel ab angelo Gabriele Dei arcana edoctus, inter alia comperit, tres fore poſt Cyrum reges Perſidis, & quartum potentiſſimum omnem vim in Græcos converſurum. Is Xerxes fuit, ut ſuo loco dicetur. Idem Daniel Alexandri Magni, & ſucceſſorum ejus fata tam accurate prædixit, ut vel hoc ſolo redargui teſtimonio poſſint, qui vel de veritate religionis Hebræorum, vel divina providentia hæſitant. *Mortuus* eſt *Cyrus* Olympiade LXII, florente per Italiam Pythagora Philoſopho, qui Zaleucum Locrorum, & Charondam Thuriorum, egregios Legumlatores fecit. Luxuriantes, poſt cladem è Locris acceptam, Crotoniatas ad frugalitatis uſum revocavit. Fœminis perſuaſit, *vera matronarum ornamenta pudicitiam, non veſtes* eſſe. Quo tempore Carthaginenſes Liparam occuparunt, Tarquinius Superbus Romæ regnum iniit.

Daniel 11. 2.

Diogen. Laert. l 8. Juſtin. lib. 20. Strabo lib. 6.

Cambyses, qui & Assuerus.

UBi Cyrus è vivis exceſſit, *Cambyſes* jam ante imperio præpoſitus, licentius ſe gerere cœpit, parum memor paternæ moderationis monituſque. Erat enim laxiori diſciplina domi habitus, quum pater, per continuata fere bella abſens, educationi liberorum minus poſſet attendere. Ei ſcripſerunt præſides Syriæ, non eſſe dandam Judæis reſtituendæ urbis copiam, ne pro contumaci ingenio, reſumtis viribus, aliis gentibus imperare ſoliti, non paterentur ſub alieno imperio degere. Ita ceſſavit templi urbiſque Jeroſolymæ ædificatio. Cambyſes ab avo paterno *Cambyſis*, ab avunculo aviſque maternis *Aſſueri* nomen traxit.

A. M. 2444. *Deſtructionis Templi* 63. *Plato 3. de legib. Eſ. 4. 6.*

Cæterum perſuaſus de Ægyptiarum mulierum præſtantia Cambyſes, ab Amaſi rege filiam petit. Amaſis ad pellicatum, non ad conjugium poſtulari filiam ratus, aliam ei Virginem, prædeceſſore ſuo Apria genitam, mittit, ſimulans, ſuam prolem eſſe. Erat enim

Herod. lib. 2. Athen. Dipnoſ. lib. 13.

Amaſis rex ſcommatibus deditus, & poculis, furtis etiam ante regnum, quam natalibus nobilior. Quamobrem ſpernentibus eum Ægyptiis, idolum è pelluvio conflatum erexit, eoque à prætereuntibus adorato, rem iniquam, inquit, *Aurum, quo pedes lavabam, quum conſecratum eſt, veneramini, regem ex ignobili factum contemnitis.* Ægyptum, hic bellis Babylonicis & inteſtinis miſere exhauſtam, reſtituerat, exſtructis aut reparatis ad vicies mille urbibus; Cyprios quoque primus ſubegerat. At à Cambyſe, ob fraudem matrimonio factam, bello petitus interiit, priuſquam Perſæ Ægyptum attingerent, cum regnaſſet annos XLIV. Succeſſor ejus filius, nomine *Pſammenitus*, ſexto quum regnare cœperat, menſe vincitur, cadunt acie Ægyptiorum LM, expugnatur Memphis, tota Ægyptus in ſervitutem redigitur. Cadaver Amaſis effoſſum, poſt verborum ludibria, flammis exuſſit Cambyſes. Pſammenitus procuratione Ægypti honorandus, quod regis filius eſſet, mox ob attentatam rebellionem damnatus, epoto cruore taurino exſpiravit animam.

Herod. lib. 2.

Dum hæc in Oriente & Ægypto geruntur, *Lacedæmonii* ab exulibus Samiorum incitati, Polycrati bellum intulerant, quod ille præter Samum, Lesbum quoque, & alias Græcorum inſulas oppidaque occupaſſet. Sed & Lacedæmoniorum fuit irrita expeditio, & Polycrates, nimiæ jam felicitati metuens, cum pretioſiſſimam *Smaragdum* mari merſiſſet, in piſce eam donato recepit. Hanc rem edoctus Amaſis, amicitiam cum Polycrate cultam diſſolvit, præſagus fore, ut rara & jugis felicitas maximo Tyranni infortunio terminaretur. Id quod accidit. Nam Orætes Sardium præfectus, fraudibus allectum ad ſe Polycratem, tamquam ingentibus inſtruendum opibus, queis Perſarum imperio inſidiaretur, cruci ſuffixit improbiſſime, maximaſque ejus ſpes tetro exitio abrupit, ipſe viciſſim à Dario rege ob ſcelera occidendus.

Herod. lib. 2.

Plin. lib. 37. cap. 2.

Interea temporis Afri, Cyrenæi, & Æthiopes Ichthyophagi, clade Ægyptiorum conſternati, ultro Perſicum jugum accepere. Carthaginenſibus quo minus id imponeretur, Phœnices obſtiterunt, qui, poſtulante commilitium Cambyſe, in poſteros ſuos bellare recuſabant. Nec ſuppetebant aliunde navales copiæ, ad tantam rem idoneæ. Ibi in Æthiopas Longævos properanter ducens *Cambyſes*, commeatus penuria corrupit exercitum, milites, fame in furorem ſtimulati, ſorte legerunt decimum quemque, &, horrendum dictu, commilitones ſuos devorarunt. Ita tandem retro egit Cambyſes copias. Memphin reverſus, lætantes invenit Ægyptios & ferias celebrantes ob repertum Apim. Bos erat *Apis*, certis maculis diſtinctus, pro Deo Ægyptiis habitus. Fremens igitur importunitate gaudii Cambyſes, deductum ad ſe bovem occidit, reliquaque Ægyptiorum numina partim irriſit, partim igni delevit. Nec mitior in judices injuſtos, quam in falſa numina. *Siſamnem*, corrupti judicii convictum, cute nudari, eaque, inſtrato tribunali, Otanem filium imponi præcepit, ut domeſticæ exemplo vindictæ ſtudioſior juris æquique efficeretur. Dum hæc fiunt à Cambyſe, frater ejus *Artaxerxes*, quem Xenophon Tanyoxarem, Cteſias Tanyoxerxen, Herodotus Smerdin nominat, ſuperiori Aſiæ præſidens, calumniis oneratur, tanquam imperio inſidias ſtrueret. Vocatus cum non compareret, roboratur obtrectatio. Tertia demum vice accitus ut venit, clam mortis damnatus eſt, ſuppoſituſque pro eo Magus, interfecti nomen & ſpeciem ad miraculum uſque repræſentans. Ita matrem & amicos quinquennium, cædes facta latuit. Quam ut tandem reſcivit mater, dira imprecata Cambyſi majori filio, præ dolore mortem ſumſit. Soror eundem caſum miſerata, comes funeri, Cambyſe imperante, data. Prexaſpes ebrietatem heri caſtigans, in filio experiri coactus eſt, Cambyſen etiam ebrium bene torquere jacula-

Herod. l. 2.

Diod. Sicul. l. 1. Amm. Marc. lib. 22. Oroſius l. 2. c. 3. Herodot. lib. 5.

Cteſias apud Photium. Herod. lib. 2.

jacula. Crœſus quoque ob liberiora monita in periculo vitæ fuit. Tantopere efferatum principis ingenium haud diu Deus tulit. Ecce enim, dum Ecbatanis Syriæ moratur Cambyſes, Caduceator Suſis venit, miſſus à Mago Oropaſte, qui magna voce omnibus à Cambyſe deficere, fratrique ejus, quem Magus ſe eſſe fingebat, parere imperat. Ad comprimendam ſeditionem feſtinans Cambyſes, gladio forte è vagina delapſo ſeipſum vulnerat, ex eoque ictu perit, cum ſolus (ut recte Joſephus annotat) ſexennium regnaſſet. Primum enim imperii annum cum patre communem habuerat, quæ cauſa eſt, ut ab Herodoto ſeptem Cambyſi, Cyro xxix aſſignentur, quem tamen alii xxxxi annos regnaſſe conſentiunt. Cteſias dum xxii Cambyſi annos tribuit, haud dubiè à prima ejus ad regnum deſtinatione tempus computat.

Joſeph. l. 11. c. 3.

Artaxerxes Magus

A. M. 3489. *Deſtructionis Templi* 69.

DUm ita Cambyſes perit, *Magi* duo fratres ſeſe in imperio confirmant. Regnantis nomen Juſtino Oropaſtes eſt, Eſdræ Artaſaſtes, aliis aliud. Ejus fraus tanto efficacior fuit, quod perſona regis apud Perſas ſub ſpecie Majeſtatis occulebatur. Ipſe relaxatis in triennium tributis, indulgentia & largitionibus ſubditorum animos facile ſibi acquirit, arbitrantium Cyri ſe beneficentiſſimi regis filio obedire. Ad eum literæ venerunt e Syria, atrocius accuſantes Judæos, qui ad templum reparandum Cyri juſſu confluxerant. Magus approbata præſidum ſententia, prohibuit ædificationem, priſcam Judæorum felicitatem, Deique illorum potentiam extimeſcens. Jamque ipſi Perſarum principes credebant, fratrem Cambyſis regnare, cum *Otanes* vir nobilis, & in conjecturis ſagaciſſimus, quod principes excludi animadvertit è regia, dolum odoratus, per filiam, quæ inter regias pellices erat, rei veritatem cognoſcit. Mago olim privato Cyrus aurem utramque præciderat. Contrectatus hic per ſomnum à pellice, ſine auribus eſſe proditur. Res hoc indicio prodita, defertur ad Optimates, in cædem falſi regis conjuratur. Septem tantum conſcios fuiſſe conſtat, qui ex continenti, non dato in pœnitentiam ſpatio, occultato ſub veſte ferro, ad regiam pergunt, interfectiſque, ſi qui impedire cuperent, ad Magos fratres penetrant. Illi ſtricto ferro Aſpatinis femur, Intaphernis oculum ſauciant, at mox à reliquis conciduntur, ubi Gobriæ imprimis & Darii Hyſtaſpis robur enituit. Re ad populum delata, reliqui Magi pari ſorte mactantur, *feſtumque Magophonias* annuum inſtituitur. Sic Perſicum imperium à fictitii regis fraude liberatum eodem tempore, quo Cumani in Italia ab Umbris, Hetruſcis, aliiſque Barbaris ſuam Rempubl. vindicarunt. Illorum enim divitiis inſidiantes Hetruſci, peditum quingenta millia, equitum duo de viginti contraxerant, quam multitudinem ſecuriſſimè irruentem ſex millia Cumanorum, intra vallem montibus paludibuſque clauſam adorti, in fugam conjecerunt, Olympiade 64.

Cteſias apud Photium. Herod. lib. 3. Juſtin. hiſt. l. 1. Eſdr. 4. v. 7. 17.

Dionyſ. Hal. l. 7. cap. 2.

Darius Hystaspis.

A. M. 3451. *Everſ. templi* 70. *Herod. lib. 3. Juſtin. lib. 1. Cteſias apud Photium.*

SUblato Mago, principes Perſarum deliberatione habita paciſcuntur, ut rex ſit, cujus equus inter ſolis ortum primus hinniiſſet. Nam & ſolem Perſæ Deum credunt, & equos eidem ſacratos. Ibi equus Darii deſiderio equæ, cui admiſſus fuerat eo loco pridie, propero hinnitu auſpicium regni dedit. *Darius* patruele Cyri genitus, rex à collegis ſalutatur, qui ducta Cyri filia, regalibus nuptiis regni initia firmavit. Primus ipſe imperium totum xx ſatrapiis, regionibus 127 deſcripſit, annuoſque exinde cenſus in fiſcum intulit; Perſiam regum matrem, cui pater pro Præſide fuiſſet, liberam eſſe juſſit. Hinc ſubditi Cyrum patrem, Cambyſen dominum, Darium inſtitorem appellarunt, quod regnum quæſtui habere videretur. Mox gratitudo regis in bene meritos eluxit. Siloſonti fratri Polycratis, à quo amicu-

Juſtin. lib. 1.

lo erat olim donatus purpureo, Samum
Eſra.5.6. inſulam reſtituit. Addita in Deum pietas, quæ in prædeceſſore ejus Cyro fulſerat. Regulis enim ſuis præſidibuſque imperavit, ut ædificationem ſacræ ædis
Agg.1.2. Zacha.1. v.4. Joſeph. lib. 11. Antiq. cap.4. Zach.1. v. 12. Jer. 25. v. 29. Agg.2.4. Aug.l.18. cap.26. Hieron. prologo in Hag-gæum. Zacha.3. v. 4. Herod. lib.3. Hieroſolymitanæ, præbitis impendiis maturarent. Itaque hortantibus id ipſum Prophetis, Aggæo & Zacharia, templum quadriennio conſummatum eſt, ſexto poſt anno quam Darius regnare cœperat. Eodemque fere tempore Babylon deſtructa, Jeroſolyma reſtituta eſt. Templum enim Dei, quum LXX annis in faviſſis jacuiſſet, ſecundo Darii anno novum ſurrexit. Tam accurate divinæ prædictiones per omnia eventis conſonant. Erantque ſuperſtites non pauci, qui Jeremiam Vatem hæc olim præcinentem audierant, ædemque priorem cum ſecunda non ſine fletu comparabant. Judæis Zorobabel, vir ſtemmatis Davidici, & Jeſus ſacerdotes de ſtirpe Aaronis præerant, iidem qui populum ante XI annos è Babylonia in patriam reduxerant. Babylonii vero per id temporis rebellantes, graviorem, quam à Cyro antea, cladem acceperunt. Ipſi obſidionis metu mulieres ſuas, paucis exceptis, omnes ſtrangulaverant, ut viris militaribus uberior commeatus ſuppeteret; excubias ſtrenuè obibant, omnia ad ſufferenda diuturnæ obſidionis incommoda pridem comparaverant. *Darius* contractis in unum copiis, vigeſimum jam menſem inexpugnabilem urbem circumſedebat. Ibi *Zopyrus* Megabyzi filius, unius è Magicidis, dolo urbem capit, viribus cunctis ſuperiorem. Naſo auribuſque præciſis fidem facit Babyloniis, à Dario ſe contumelia iſta affectum. Mox trucidatis, ex compoſito, aliquot Perſarum turmis, transfugio adjungit gloriam: Sic cuſtodiæ urbis præfectus, Dario eam prodit; capta Babylon denuo, diruitur, muri portæque ejus deſtruuntur, nobiliorum civium tria millia ſuffiguntur crucibus, novi habitatores è vicinia in eam immigrant, ſitque pago deinceps quam urbi ſimilior, quæ orbi terrarum imperaverat. Ita impletum Babyloni, quod continuata Hebræorum Vatum oracula à tribus jam ſeculis prædixerant.

Iuſtin.l.1. Polyanus Strateg. lib.3. Front.l.3. cap.1. Campoſ. l.7. c.4.

Melior *Athenienſium* ſors fuit eo tempore, quos Tyrannide Piſiſtratidarum Harmodius & Ariſtogiton, audaces duo juvenes, cœperunt liberare. Hipparchus, qui & Diocles, Piſiſtrato genitus, Harmodii ſororem, cum ipſum non poſſet, violarat. Harmodius, adjuncto ſibi Ariſtogitone, amaſio ſuo, tyrannum obtruncat, & dum cædem facit, ipſe occiditur. Ariſtogiton comprehenſus ab Hippia, interfecti fratre, & per tormenta conſcios cædis edere juſſus, omnes tyranni amicos nominavit. Quibus interfectis, quærenti tyranno, an adhuc aliqui ſupereſſent? Nemo, inquit, præter te, quem amplius mori geſtiam. Ejus virtute admonita libertatis civitas, Lacedæmoniorum ope captis Piſiſtratidarum liberis, Hippiam excedere ex urbe coëgit, qui, profectus ad Perſas, ducem ſe Dario adverſus patriam ſuam obtulit.

Thucyd. l.1. & 6. *Iuſtin.l.1. Herod. l.5. & 6. Thucyd. lib.6.*

Herod. lib.4. Iuſt.l.2. Oroſius l.2. c.8.

Antequam vero pelleretur Hippias, Darius deleturus ignominiam, quam regnante Cyaxare Aſiæ intulerant Scythæ, in fines eorum ſeptingenta armatorum millia duxit, naveſque ſexcentas. Tranſgreſſus fretum, Aſiam ab Europa diſterminares, primum Thraces Getaſque ſubegit, Scythæ ſui copiam non fecere. Eorum regiones latiſſimas, juncto ponte Danubio, pervagatus, omnium rerum inopiam extimuit, & pontis Ionibus crediti reſciſſionem, trepiduſque refugit in Aſiam, relictis ad detinendos hoſtes, amiſſiſque octoginta hominum millibus; quæ jactura, abundante multitudine, inter damna numerata non eſt. Inde Perinthios, Pæonaſque per Megabyzum domuit. *Amyntas* Macedonum rex legatis ſe ſuaque dedidit, quos mox Alexander regis filius, ob laſcivius attrectatas fœminas, in convivio trucidavit, ſubmiſſis juvenibus fœmineum in modum comtis, quos mulieres rati Perſæ, nimium

mium viros experti ſunt. Facinuſque impunitum manſit, delinitis vel argento, vel nuptiis regis filiæ inquiſitoribus. Explorato deinde Oriente Darius, qua flumen Indus miſcetur Oceano, Indiam miſſis ducibus in poteſtatem redegit. Quin & in Africam fines imperii longius extendit.

Pulſus enim à Cyrenæis Arceſilaus, cum Samiorum auxilio, regnum recuperaſſet, à Barcæis Afris erat occiſus. Ejus mater Pheretima Aryandem Ægypti proregem, perpulit, ut miſſo exercitu de Pœnis vindictam ſumeret. Capta dolo Barca & direpta, cives captivi à Dario in Bactrianos relegati ſunt, Cyrenæi Perſis ſubjecti. Proximum *bellum Ionicum* fuit, cui poſtmodum omnis Græcia involuta. Ejus concitores Iſtiæus & Ariſtagoras Mileſii, quorum ille in honore apud Darium erat ob ſolertiam, hic Mileto præpoſitus, volente Iſtiæo, cujus filiam duxerat. Verum Iſtiæus præpoſtero amore reverſionis in patriam, primum Ariſtagoram, hinc Mileſios, mox totam Ioniam in rebellionem propellit. Athenienſes jam pulſo Hippia liberos, Ariſtagoras in ſocietatem pellicit, Cyprum inſulam iiſdem conſiliis implicat. Hinc Iones Sardes occupant, urbem incendunt, Byzantium capiunt, Cares in rebellionem agunt. Iis factis excandeſcens Darius, per Otanem & Artaphernem, alioſque duces amiſſa recuperat; Cyprios per Artybium in ſervitutem redigit. Cares Æoleſque arma jungentes perdomat. Ariſtagoram præ metu in Thraciam migrantem, Thraces cum exercitu occidunt. Miletus expugnata, incolæ aut cæſi aut in captivitatem rapti. Chios à Perſis exhauſtos, Iſtiæus tot malorum autor ad excidium deduxit. Sed dum prædando mare infeſtum habet, mox ab Harpago victus, atque ab Artapherne in crucem ſublatus, pœnas dedit perditæ patriæ.

Herod. lib. 4.

Herod. lib. 5.

Interim Macedonum domitor Mardonius, naufragio amiſſis circa Athon montem copiis, præfectura privatur, Græci per legatos, quod Ionas adjuviſſent, terram & aquam poſtulantur. Negant imprimis Athenienſes & Eretrii. Itur Datis & Artaphernes è Ponto in Græciam tranſire juſſi, inſulas paſſim & continentem vaſtant, Eretriam captam diripiunt. Inde ducenta peditum, decem equitum millia in campum *Marathona* deducunt. Athenienſes, tardantibus Lacedæmoniis, perſuaſi à *Miltiade* cive ſuo, quondam Cherſonneſi tyranno, vincunt Perſas, ipſo etiam occumbente Date, cujus cadaver petentibus victis denegatum eſt.

Quidam 3480.

Herodotus ſex Perſarum millia prælio cecidiſſe, Juſtinus ducenta memorat. Conſtat à decem millibus, ducenta millia in fugam acta, rariſſimo exemplo fortitudinis. Nec enim facile tam exigua manus tantas opes proſtravit. Tantaque virtus ſingulorum fuit Athenienſium, ut cujus laus prima eſſet, difficile judicium videretur. Inter cæteros tamen *Themiſtoclis* adoleſcentis gloria emicuit, & Cynegiri, qui truncatis manibus navem, in quam Perſæ confugerant, morſu detinuiſſe ſcribitur. Cecidit & Hippias tyrannus Athenienſis, patriæque funeſtum ſpiritum reddidit.

Herod. lib. 6. Juſtin. lib. 2. Nepos in Miltiade. Oroſius. lib. 2. cap. 8.

Similibus fere fatis *Roma* functa eſt. Eodem certe anno (is erat Olympiadis ſexageſimæ ſeptimæ quartus) Athenienſes tyrannicidis ſtatuas poſuere, & Romani tyrannos ejecere.

Plin. l. 34. c. 4. Livius. lib. 1. Aug. l. 18. de C. Dei cap. 26.

Poſtremus enim regum Romanorum fuit *Tarquinius*, cui cognomen Superbo ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod à Servio tenebatur, rapere maluerat quam ſperare, immiſſiſque in ſocerum percuſſoribus, ſcelere partam poteſtatem non melius egerat quam acquiſiverat. Nec abhorrebat moribus *Tullia*, quæ ut virum regem ſalutaret, ſuper cruentum patrem carpento invehi ſuſtinuit. Ipſe Tarquinius in ſenatum cædibus, in omnes ſuperbia graſſatus, corpus armatis circumſepſit, latomias, compedes, catenas primus Romæ uſurpavit. Quum domi ſævitiam fatigaſſet, tandem in hoſtes vertit. Sic vali-

Florus l. 1. c. 7. Dionyſ. lib. 4.

Liv. l. 1. & 2. da oppida in Latio capta sunt, Ardea, Ocriculum, Suessa, Pometia, Gabii. Gabios *Sextus Tarquinus*, facta ex vulneribus sponte sumtis fide transfugii, dolo occupavit, & de consilio patris, spectante nuncio, papaverum cacumina decutientis, principes civitatis interfecit. Superbus è manubiis *Capitolium* struens, in fundamentis caput humanum reperit, portentum imperii, per aliorum decisa capita incrementa habituri.

Gellius l. 1. Noct. Att. c. 19. Plin. l. 13. Nat. Hist. cap. 13. Ad illum *Sibylla Cumæa* anus venisse fertur, *novemque libros carminum* venales obtulisse, sed magno pretio. Parcius licitante Tarquinio, illa tres exussit, reliquis idem pretium statuit: & jam magis abnuente rege, alteros tres cremavit, superstitibus tantumdem arrogans pretii. Tum rex miratus mulieris consilium, suasu augurum numeravit ei, quanti indicaverat, librosque emtos duobus viris illustribus custodiendos dedit, quorum alterum mox, quod describendos communicasset Petronio Sabino, culeo insutum in profluentem abjecit. Hi libri incolumes mansere usque ad Olympiadem CLXX, quando exustis cum capitolio, alii Sibyllæ Erythreæ, aliarumque versus substituti sunt, inter quos aliqui etiam nothi irrepsere. Cumæam enim præcesserat Heriphile Erythræa, illam Delphica, cujus versus plurimos fertur Homerus operi suo inseruisse.

Solinus c. 8.

Cæterum Tarquinii fastum tamdiu perpessus est populus, donec libido aberat. Filius vero ejus *Sextus*, cum ornatissimæ fœminæ *Lucretiæ stuprum* intulisset, illa dedecus ferro excidit, amici id regum exilio ulti sunt. Autoribus enim *Junio Bruto*, (qui brutum se ad id temporis metu regis avunculi simulaverat) & *Collatino* marito Lucretiæ, Tarquinio imperium abrogatum, bona ejus direpta, ager Marti consecratus, potestas in libertatis vindices translata est, mutato tamen tempore & nomine. Quippe ex perpetuo annuum placuit imperium, ex singulari duplex, ne solitudine vel mora corrumperetur, *Consules* pro regibus appellati, ut consulendum à se meminissent civibus. Et dignum se consultis nomine Brutus præbuit. Filios suos fratrisque, quod cum Aquiliis & Vitelliis ad recipiendum in urbem Tarquinios conjurassent, virgis cæsos, securi percussit. Collatino quod Tarquinii nominis sensusque videretur, fasces patriamque abrogavit. Substitutus est *Valerius Publicola*, qui legem de provocatione ad populum tulit, fasceisque plebi submisit. Regnatum Romæ à VII regibus annos 244, cum adhuc, ubi plurimum, vix ad decimum quintum milliarium urbs possideret.

A. M. 3463.

A. M. 3464.

Flor. l. 1. cap. 7. Sext. Aur. Victor. Livius l. 1.

Hanc *infantiam* populi Romani facit Florus. Sequens ætas à Bruto Collatinoque Coss. in Appium Claudium; Q. Fulvium Coss. ducentos annos patet, quibus Italiam subegit, tempus viris armisque incitatissimum, ideo quis jure *adolescentiam* dixerit. Dehinc ad Cæsarem 250 anni sunt, quibus totum orbem pacavit vel potius impugnavit. Hæc jam *juventa* imperii, & quasi quædam robusta maturitas fuit.

A Cæsare Augusto usque ad Alexandrum Mammææ lacertos movit *viriles*. Post eum varium genus Cæsarum, noxios humores jugiter inter se confligentes intulit reipublicæ, quibus dum medetur Christianismus, receptus à Magno Constantino, stetit *senectute* cruda, vegetaque. Sed post Valentinianum III infusis gentibus barbaris, tanquam potionibus venenatis emortua, sub Carolo M. refloruit: Novisque firmata regnis, velut à se genitis liberis, ipsa parens emarcuit, vim opesque ejus pristinas filii reges, Roma ipsa, effœta anus, autoritatem tamen priscam Papæo dominatu sibi asserit.

Florus l. 1. Dion. l. 4. Livius l. 2.

Simul liberatus est populus, prima adversus exteros arma pro libertate corripuit, mox pro finibus: deinde pro sociis, tandem pro gloria & imperio, lacessentibus usquequaque finitimis. Prima *cum Tarquiniis pugna*, Aruns Tarquinius & Brutus Coss. se invicem occiderunt.

Hinc

Hinc *Porſena* rex Hetruſcorum, Tarquinium tentat reſtituere, primoque impetu Janiculum capit. Ibi *Horatius Cocles* pro ponte ſublicio ſtetit, & aciem hoſtium ſolus ſuſtinuit, donec pons à tergo interrumperetur, cum quo ſtatim in Tiberim decidit, & armatus ad ſuos tranſnavit. Mox in caſtra Porſenæ venit *Mutius Scævola*, purpuratumque pro rege, cum neutrum noſſet, occidit. Apprehenſus & ad regem pertractus, dextram igni exuſſit, hoc ſupplicii à rea exigens, quod in cæde aberraſſet. Unde cum miſericordia regis abſtraheretur, quaſi beneficium referens ait, trecentos adverſus eum ſui ſimiles conjuraſſe. Qua re ille territus, bellum acceptis obſidibus depoſuit. Inter illos *Cœlia* virgo fuit, quæ deceptis cuſtodibus noctu caſtris egreſſa, equum quem fors dederat arripuit, & Tiberim trajecit. Redditæ ſibi virtutem admiratus Porſenna, cum quibus optaſſet captivis, in patriam dimiſit. Sic dejectus Porſennæ præſidio Tarquinius, Thuſculum, & mox Cumas ad Ariſtodemum ſe contulit, ibique per XIV annos cum uxore privatus perſenuit.

Dionyſ. Halic. l. 5. Interim Romani per conſules, *Valerium Poplicolam, Menenium, Virginiumque*, Sabinos quadrienni bello edomant, & varias Tarquiniorum molitiones & conjurationes compeſcunt. Inter eas fuit Latinorum omnium ad Romam excindendam conſpiratio, quam *T. Largius* primus *Dictator* creatus, magiſtro Equitum Sp. Caſſio, compeſcuit. Is magiſtratus ſine provocatione fuit, ſeditioni ſedandæ, aut rei bene gerendæ in ſummis periculis dari ſolitus. Mox alius *Dictator A. Poſthumius* Latinos ad Regillum lacum acri prælio ſuperat, ex quo præter ipſum nemo ducum incolumis exceſſit. Capti Latinorum XXXM, cæteris pax indulta, fœduſque priſcum renovatum. Id cum religioſe ſervarent, & Volſcorum conſilia Romanis aperirent, ſex captivorum M recipiunt. Volſci item Arunci vincuntur eodem anno, quo rex *Tarquinius* Cumis *periit*.

A. M. 3472.

Eo defuncto vix modum libertati Roma reperiebat. *Plebs* à patribus vexata, trans Anienem in montem ſacrum *ſeceſſit*, tributi, uſurarum, militiæque onera incuſans, nec revocari in urbem potuit. Ibi *Menenius Agrippa*, qui de Sabinis triumphaverat, concordiæ commoda inſigni apologo demonſtravit. *Olim*, inquit, *humani artus cum ventrem otioſum cernerent, ſuum illi negarunt miniſterium. Cum eo pacto & ipſi deficerent, intellexerunt ventrem acceptos cibos per omnia membra diſſerere: & cum eo ingratiam redierunt. Sic ſenatus & populus quaſi unum corpus, diſcordia pereunt, concordia valent.* Hac fabula populus regreſſus eſt. Creavit tamen Tribunos plebis, qui libertatem ſuam adverſum nobilitatis ſuperbiam defenderent.

A. M. 3479.

Agrippæ Apologus.

Dum Roma Athenæque libertatem ſtrenuè tuentur, *Sybaritæ* luxu opibuſque ſuperbi, vitam cum libertate profundunt. In Crotoniatas Tely duce trecenta hominum millia educunt, vi eos ad exules reddendos coacturi. At Crotoniatæ centum millium exercitum opponunt, eique Milonem præficiunt omnium certaminum victorem, prodigioſæ fortitudinis virum, qui acie devicit Sybaritas, captoſque omnes occidit. Sybaris ipſa capta & ſolo æquata, ejuſque loco deinde à Græcis Thuriorum civitas condita, cui Charondas præclaras leges tulit. Milonis filiam Democedes Medicus, qui Atoſſam Perſiæ reginam ex ulcere, ipſumque Darium luxatione lethaliter decumbentes curaverat, cum dolo in patriam effugiſſet, matrimonio ſibi junxit. Milo quercum in agro fiſſam divellere manibus conatus, quum arbor excuſſis cuneis in naturam ſuam revocaretur, feris præda factus eſt. Interea Darius cum bellum in Græcos reſtauraret, in ipſo apparatu decidit, relictis multis filiis; regnavit annos ſex & triginta.

Diod. Sicul. lib. 12. Solin. c. 4.

Herod. lib. 3. Valer. Max. l. 9. cap. 12.

Herod. l. 7.

Ejus imperium non armis tantum ſed etiam liberalibus diſciplinis, veraque Dei notitia floruit. Per Judæam, præaliis, *Zacharias & Aggæus* prophetæ divina

vina sapientia enitebant. In Mileto florebat *Hecareus* Historiographus, Athenis *Æschilus* Tragicus. Alexandro Amyntæ filio Macedonii in deliciis erat *Pindarus* Lyricus. Epheso evocabat Darius *Heraclitum* philosophum, illum qui omnia humana tanquam meras miserias flebat; Democrito contra omnia tanquam ineptias ridente. Heraclitus etiam Ephesios omnes mortis damnabat, quod civem suum Hermodorum urbe ejecissent, dicentes: Nemo nostrum solus frugi sit. At Europa Occidentalis pleraque erat eo tempore Asiaticis Græcisque incognita. Herodotus neminem noverat, cui visus esset Eridanus, Italiæ fluvius, Celtas Europæorum postremos facit, apud quos Ister oritur: Nos eos esse Germanos novimus, Europæorum haudquaquam ultimos.

Herod. l. 5. Solinus cap. 14. Diog. Laërt. l. 9.

Seneca. Tranquil. cap. 15. Cicero 5. Tusc. quæst. Herod. l. 2.

Xerxes.

A. M. 3489. *Destru. Judaicæ 106. Herod. l. 7.*

Darius adhuc superstes *Xerxen*, quem Atossa Cyri filia genuerat, Artabazani licet natu majori præposuit, maternæ originis dignitatem veneratus. Is Ægyptum, quæ à patre defecerat, secundo regni anno recepit, arctiorique adstrinxit servitio, præposito ei fratre Achemene, eodem pene tempore, quo Gelon Dinomenis filius, prætextu tutelæ filiorum Hippocratis, tyranni Siciliæ, Syracusana urbe totaque Sicilia potiebatur. Ab eo emtum frumentum Marcius Coriolanus consul plebi Romanæ magno pretio dandum curabat, ut egestate coacta agros, non seditiones coleret. Ergo à Trib. Plebis Decio die dicta, ad Volscos patriæ infestos concessit: eosque duce Attio Tullo adversus Romanos concitavit, & ad quartum ab urbe lapidem castra posuit. Cumque nullis civium legationibus flecteretur, à Veturia matre & Volumnia uxore, matronarum numero comitatis, motus, bellum omisit. Dum autem exercitum domum reducit, à Volscis ut proditor acceptus, lapidibus obruitur, qui tamen mox occiso, per quem vicerant à Romanis victi & subjugati sunt. Juxta idem tempus Hernicorum victor *Sp. Cassius legem agrariam*, de agris plebi dividendis, primus promulgavit, nunquam deinde sine maximis Romæ motibus agitatam. Sed cum largitione periculosas libertati opes strueret, regni affectati damnatus necatusque est. At vero *Xerxes*, devicta Ægypto, paternum in Græcos odium haud diu suppressit, convocatisque, & lautissimo convivio exceptis proceribus, de bello eis terra marique inferendo consultavit. Ibi vino hilarior, *Vastim* reginam forma præcellentem, principibus conspiciendam dare cupiens, repulsam tulit. Vastis, quod regis mariti imperium spreviisset, de sententia Persarum, regali toro depulsa est. Rex bellum adversus Græciam totis viribus instruxit, Athon montem, toto longe dorso in pelagus procedentem, qua continenti adhærebat, perfodit, fretoque navigabili pervium fecit. Erat exul apud eum *Demaratus* Lacedæmonius, quem collega Cleomenes spurium criminatus, quod septimestris fœtus esset, regno dejecerat, substituto *Leotychide*. Is post fugam patriæ amicior, quam post beneficia Xerxi Domino, omnia belli consilia Spartanis magistratibus occultis tabellis perscripsit. Jam vero Xerxes septingenta millia de regno, trecenta de auxiliis armaverat, exceptis lixis. & calonibus, classiariis item militibus, qui amplius ter mille navibus vehebantur, copiasque suas, quia numero non poterat, spatio mensus fuerat, ut non immerito proditum sit, flumina ab exercitu ejus siccata, terras pelago pontibus junctas, omnemque Græciam vix capiendæ multitudini fuisse. Herodotus ultra ter vicies centena millia fuisse prodit. Adversus eum Græcia non tam armis, quam consiliis stetit. In itinere Xerxis omnia *Asiæ templa flammis data*, excepto Dianæ Ephesiæ, Thessali, Dolopes, Perædii, Locri, Magnetes, Achæi, Phthiotæ, Thebanique, per legatos in deditionem accepti. Thespii & Pla-

Sext. Aurel. Vict. Valer. Max. l. 5. cap. 4. Dionys. l. 8. Livius l. 2.

Herod. l. 7. Esther. 1. 2.

Pomp. Mela l. 2. c. 9.

Herod. l. 6.

Diodor. l. 11. Olymp. 75. Solinus cap. 53.

Platæenſes ſoli è Bœotiis, cum reliquis Græcis fœdus percuſſere. Athenienſes enim, autore Themiſtocle, horrendis Apollinis oraculis nihil territi, quicquid erat Græciæ reliquum, in Medos pro communi libertate erexerunt, tantaque animorum magnitudo fuit, ut Gelonis potentiſſimi Siculorum principis ſocietatem, ob conjunctam imperandi ambitionem ſpernerent, & deditionis faciendæ autores lapidibus obruerent. Itaque tanti exercitus introitus in Græciam, quam terribilis, tam turpis ac fœdus diſceſſus fuit. Primam claſſi cladem cælum ipſum intulit, ſubverſis procellarum vi ad Magneſiam navibus cccc. Alteram copiis pedeſtribus Lacedæmonii, qui Leonida duce Thermopylarum anguſtias occupaverant. Triduana enim pugna, cum hoſtes innumeros ſuſtinuiſſent, ad poſtremum, diſcedentibus aliis Græcis, circumventi Spartani, nec tam victi quam vincendo fatigati, inter ingentes ſtratorum Perſarum catervas occiderunt. Viginti Perſarum millia à trecentis Lacedæmoniis, pauciſque numero ſociis, jugulata ferunt. Eademque die pugnatum ad Artemiſium claſſe eſt, æquo ferè marte, niſi quod iterum naufragio complures Xerxianæ naves periere. Sed hæc detrimenta confluxus devictarum gentium facile reſarſit. Quartam vero cladem, eamque maximam, Xerxes ad Salaminem inſulam accepit. Athenienſes, autore Themiſtocle, urbe ſua exceſſerant, navibus ſe ſuaque omnia impoſuerant. Perſæ interim Athenas, Theſpias, Platæas, vacuas hominibus nacti, incenderant. Itaque adunata Græcorum claſſis trecentarum navium, anguſtias Salaminii freti tenebat, ibique potius, quam circa Iſthmum, fortunam maris experiundam ſuadebat *Themiſtocles*, quod in arcto pugnare, pro Græcis duceret, ne uſui multitudo hoſtibus foret. Jungit conſilio dolos. Ionas, pro quibus cœptum ſub Dario bellum fuerat, inſcriptis lapidibus literis dubiæ fidei reddit. Xerxi ſimulata proditione perſuadet, ut prælium ineat, antequam Græci dilabantur. Metuebat enim, ne ſociis ad ſua tuenda feſtinantibus, vires Graiorum minuerentur. Ergo fit atrox prælium & anceps, in quo à parte Xerxis Artemiſiæ Carum reginæ virtus emicuit. At cum Iones monitu Themiſtoclis, paulatim ſe regiis ſubtraherent, fractiores illi animis fugam circumſpiciunt. In ea trepidatione captæ naves multæ, multæ merſæ, plures non minus ſævitiam regis, quam hoſtem metuentes, domum dilapſæ. Hac clade perculſum & dubium conſilii Xerxem, *Mardonius* aggreditur. Hortatur ut in regnum abeat: ſibi ccc millia armatorum, lecta ex omnicus copiis relinquat: qua manu aut cum gloria ejus perdomiturum ſe Græciam, aut ſi aliter eventus ferat, ſine regis infamia hoſtibus ceſſurum. Probatur conſilium, deducuntur copiæ, rex Abydo contendit: Soluto tempeſtatibus ponte, fretum navi trajicit. Exercitus dum trepidi iter faciunt, inopia primum, mox etiam peſte laborarunt, tanta morientium fœditate, ut viæ cadaveribus implerentur, aliteſque & beſtiæ illecebris ſuis ſollicitatæ, proficiſcentes ſequerentur. Interim Artabazus, in Græcia Olynthum expugnat. Mardonius, Athenienſibus fruſtra in fœdus ſollicitatis, in Bœotiam ducit, Thebanorum fretus commilitio. Græci, coacto centum & decem millium exercitu, duce Lacedæmoniorum *Pauſania* Cleombroti, Athenienſium *Ariſtide* Meoclis filio, Maſiſtium equitatus Perſici præfectum, in conflictu interimunt. Inde commiſſo ad Platæas prælio, univerſam Perſarum ſociorumque Græcorum aciem profligant, profugiente velut ex naufragio cum XLM Artabazo. Cecidit dux ipſe Mardonius, caſtra referta regalis opulentiæ capta, ſplendidiſſima Græcis victoria data: quos, diviſo inter ſe auro Perſico, divitiarum tum primum luxuria invaſit, victoribus tandem ipſis exitialis.

Eodem die in Ionia ſub monte Mycale adverſus Perſas dimicatum; Leotychide

Herod. lib. 7.

Herod. lib. 7. Juſtin. lib. 2. Oroſius l. 2. c. 9. Olymp. 74. anno 4.

Herod. l. 8. c. 10.

Plut. in Themiſtocle. Nepos Themiſtocle. Diodor. Sic. l. 11.

Oroſius l. 2. c. 10.

Herod. lib 9.

Diodor. Sic. l. 11. Juſtin. lib. 2. Oroſius l. 2. c. 4.

chide & Xantippo ductoribus, Persarum plus XL millia cecidere: fama victoriæ ad utrosque exercitus dimanante, die quo pugnatum velocitate incredibili: nisi rectius dixeris, *quæ divinitus fiunt, certis solere signis antea declarari mortalibus.* Sic Ionia Persarum jugo liberata, Europæorum se fidei addixit.

Esther. 2. 3. 4. &c. Joseph. l. 11. c. 6.

Ut servitutis periculum Græci, sic extremi interitus *Judæi* eodem tempore adierunt, evitaruntque. Erat in aula Xerxis *Hamanus*, Amalecita, homo fastu intolerando. Eum rex ad supremos honores evectum regia adoratione coli præceperat. At *Mardochæus* natione Israëlita, divini quam humani juris observantior, profanum hominem, & de gente Hebræis execrabili oriundum, nullo cultu prosequebatur. Ob id invisus Hamano, seque suosque gentiles universos prope exitium esse intellexit. Hamanus enim à rege edictum impetraverat, quo Judæi omnes stato die necandi curabantur. Et factum esset, nisi *Esther*, quæ & Atossa, olim pupilla Mardochæi, tunc Xerxis post abdicatam Vastim conjux, malum intercessione sua avertisset. Ejus enim erga Deum pietate, apud regem precibus, præsentissima à Judæis clades in caput machinatoris retorta, Mardochæo secunda à rege dignitas, hostibusque Hebræorum pernicies procurata est. Judæis se defensantibus, 75000 adversariorum interiisse constat. Mutatio sortis annuis feriis, festaque gratulatione celebratur.

Herod. lib. 7. Diodor. Sic. l. 11.

Compertum præterea est, eodem die à *Gelone* Syracusanorum rege, Pœnos ad Himeram devictos, & *Leonidem* cum suis ad Thermopylas, in Xerxis castra irruptione facta, strenuè præliatos.

Herod. lib. 7.

Etenim Carthaginenses inter & Persas convenerat, de Græcis per Siciliam eodem tempore debellandis, cum Persæ Atticam subigerent. Quare missus in Siciliam Magonis, qui imperium Pœnorum condiderat, filius Amilcar, cum

Justin. lib. 19.

validis trecentorum millium copiis, navibus bis mille, ad Himeram castra posuit. Urbem defendebat Theron Agrigentinorum princeps, qui impar Pœnis Gelonem in auxilium vocat. Gelon armatis peditum L millibus, equitum 100, propero agmine in Pœnos profectus, aliquot secunda prælia fecit. Hinc interceptis Selinuntiorum literis edoctus, quo tempore submittere Pœnis subsidium vellent, suos pro Selinuntiis in hostilia castra mittit, classem incendi imperat. Ipse eadem hora ex alio latere Pœnos adoritur. Sic dum securus sacris operatur Amilcar, ad aras ipse suas obtruncatur; Pœni animis consternati ingenti vincuntur strage, nec pauciores L M occumbunt. Reliqua multitudo in tumultum quendam elapsa, etsi manu se fortiter tuetur, tamen siti subacta in Gelonis manus venit, Siciliamque mancipiis implevit. Naves quæ effugerant, tempestatibus subversæ, vix nuncios cladis Carthagini reliquere, ut plane intelligas, quam *nulla hominum sine Deo vires sint.* Tot rebus secundis elatiores Græci, ipsi inter se dissidere incipiunt. Athenienses reductis è Trœzene ac Salamine uxoribus liberisque, urbem flammis absumptam de integro condere, mœniaque majora complecti moliuntur. Lacedæmonii spei urbis invidentes, dehortantur ab incepto, spreti pro imperio agunt. Ibi idem, qui cives antea servarat, nunc quoque patriam consiliis instaurat *Themistocles.* Legatus, Spartam proficiscitur, diemque de die proferendo, spatium consummando operi civibus quærit & obtinet. Refectis muris, senatum Lacedæmoniorum adit, liberrimeque professus communi jure gentium factum, quod fecissent Athenienses, quare si suos legatos recipere vellent, quos Athenas miserant, se remitterent, aliter illos nunquam in patriam redituros. Sic Athenas remissus, Pyræum portum condit, cives ad rei nauticæ studium accendit, inquilinis & artificibus immunitatem impetrat, civitatem à casu multo ampliorem efficit.

Nepos Them. Plut. Them.

Exinde Lacedæmonii adscitis XXX Athe-

thenienſium navibus, illatum à Perſis bellum vindicaturi, duce Pauſania Cypri urbes maritimas, Byzantiumque ſecus Boſphorum Thracium occupant. Ibi *Pauſanias* pro ducatu regnum Græciæ improbiſſime affectans, proditionis præmium cum Xerxe nuptias filiæ ejus paciſcitur, nuncios à ſe miſſos interfici, ne res pateat, curat. Sed dux Athenienſium *Ariſtides*, ejus belli ſocius, collegæ conatibus juſtitia & moderatione obviam eundo, proditionis conſilia diſcuſſit, ſibi & Athenienſibus imperium maris peperit. Pauſanias tandem Argilii indicio proditus cum in Minervæ ædem confugiſſet, obſtructis valvis, quibus primum Alcithea mater lapidem appoſuerat, turpi morte magnam belli gloriam maculavit.

Thucyd. lib. 1. Diod. l. 11. Nepos Pauſ. Juſtin. lib. 2.

Glorioſior *mors Fabiorum & Themiſtoclis* eo tempore fertur. Romani enim cum adverſum Veientes bellarent, familia Fabiorum illuſtris, hoſtes ſibi privato nomine ſubigendos depopoſcit, & profecti trecenti ſex, aſſumtis clientibus, duce Fabio conſule, ſæpe victores, ad Cremeram fluvium caſtra poſuerunt. Veientes vero ad dolos converſi, pecora ex adverſo in conſpectu illorum poſuerunt: ad quæ progreſſi Fabii, & in inſidias delapſi, ad unum occiſione perierunt. Unus ex ea gente propter impuberem ætatem domi relictus, genus propagavit. At Themiſtocles ob timorem potentiæ, teſtularum ſuffragiis è patria ejectus, quam ſervaverat, mox Lacedæmoniorum invidia & cruentis accuſationibus exagitatus, ad Moloſſorum regem Admetum, & ab eo in Perſiam profugit. Ibi calliditate animique magnitudine ſingulari apud Xerxem, ejuſque filium gratiam adeptus, Magneſiæ domicilium fixit, ac ne bellum ingratæ patriæ inferret, voluntaria morte obiit. *Romæ Appius Claudius* conſularis, tumultuantis iratique populi judicium infelici dextra prævenit. *Græci* interim ducem conſtituunt *Cimonem*, Miltiadis filium, qui patrem, ob peculatus crimen, in carcere mortuum, tranſlatis in ſe vinculis, ad ſepulturam redemerat. Is non inferior virtutibus Miltiadis patris, Xerxeis terreſtri navalique bello ſuperatis, xx virorum millia, triremes CCCXL in poteſtatem redegit, Athenienſes ad ſummam Græciæ dignitatem provehit, cum interim Lacedæmoniorum urbs terræ motu pene everſa ægre ſe adverſus Hilotas & Meſſenios defenderet, Argivi vero Mycænas, oppidum quondam nobiliſſimum, ſolo æquarent.

Sextus Aurel. Livius. Dionyſ. Hal. l. 9.

Thucyd. lib. 1.

Mors Themiſtoclis in quod tempus inciderit, dubium Propabile A. M. 3509. Dionyſ. l. 9. c. 97.

Diod. l. 11.

Etiam *Siculi* tunc recuperatæ libertatis laude floruerunt. Nam poſt Gelonem quidem Germanum ejus Hieronem, Catanenſis coloniæ parentem, tulerant, at Thraſybulum, alterum ejus fratrem, improbiſſime dominantem, armis expulere, qui exul apud Locros privata in domo conſenuit; Syracuſæ popularis imperii ſtatum LX annos conſervarunt.

Eodem tempore exeunte Olympiade 78, *Xerxes* Perſarum Monarcha, cum ultra viginti annos imperium varia fortuna geſſiſſet, ab Artabano, corporis cuſtode, in cubiculo ſuo *interfectus* eſt, addituſque funeri filius natu maximus Darius, cui parricidium ſceleratus interfector imputaverat. Succeſſit *Artaxerxes*, qui cognitis proditione *Bacabaſi* inſidiis, dolum dolo ultus eſt, & *Artabanum* cum ſeptem filiis neci dedit.

Diod. Sic. l. 11. Juſt. l. 3.

ARTAXERXES.

REgiæ vero Perſarum domeſticam cladem odorati Ægyptii, occaſionem ſibi rebellandi ſumunt creato rege *Inaro*, qui Africam tenebat, imploratiſque Athenienſium ſuppetiis, à quibus trecentas naves impetrant. Adverſus eos mittitur *Achæmenes*, Artaxerxis patruus, cum inſtructiſſimo trecentorum millium exercitu. Sed conflictu habito, virtute Athenienſium ſuperatur, ſeque Memphiticis tueri muris cogitur. Interim è Perſis ſupplementum adducunt ingens *Artabazus* & *Megabyzus*, qui militem ſuum exercitatione ad laborem

A. M. 3508. *Epoch.* 126. *Diod. l. 11. Thucyd. lib. 1. Cteſias lib. 17.*

& fortitudinem duraverant. Igitur ſtatim obſidionem diſſolvunt Inari, averſoque fluvio, in quo ſtabat claſſis Athenienſium, in ſicco eam deſtituunt. Eam mox ipſi claſſiarii cremant, ne uſui fiat Perſis. Qua clade fracti Ægyptii ſe dedunt, Inarus proditione captus in crucem agitur, Athenienſibus ad pugnam paratis datur venia, ne eorum audacia cladem victoribus concieat. Sic è multis pauci incolumes in patriam reverſi ſunt, victis tum Corinthiis & Epidauriis, Æginetarum etiam deditione triumphantem. *Roma* per id tempus è peſtilentia ægre eluctata, inteſtinis vexabatur diſſidiis, Tribunis plebis patricios novis rogationibus, mox utroſque Appio Hordonio infeſtante, qui armatis clientum 4000 capitolium inſederat. Inde gravi cum cæde tandem dejectus eſt, Valerio Coſ. in prælio occumbente, qui plebi perferendarum de communi jure legum ſpem ingentem fecerat.

Dionyſ. Hal. l. 9. & 10. Oroſius l. 2. c. 12.

Judæorum tunc *reſp.* ab Optimatibus regebatur, ſuberatque imperio Perſico, vectigalibus tributiſque variis obnoxia. Nam Zorobabele defuncto, Præſides eam exhauriebant: & ſacerdotes ac primores populi, patriarum legum incurioſi, cum profanis gentibus commixti, mores earum ac linguam imitari cœperant. At ineunte ſeptimo anno *Artaxerxis*, nova lux populo Hebræorum affulſit, totaque politia eorum priſcam integritatem recuperavit, prout jam ſequenti libro dicetur. Nam huic finem in tribulationis Judaicæ fine conſtituere placuit, ubi hoc ſaltem admonuero, viguiſſe hoc tempore *hiſtoriarum conditores* Herodotum Halicarnaſſæum & Hellanicum, *Philoſophos*, Democritum & Anaxagoram, item Protagoram, quod de diis dubitaſſet, ab Athenienſibus damnatum. Viguiſſe & *Poëtas*, Chærilum, & Phryniſcum, Sophoclem & Euripidem Tragicos, Platonem & Cratinum Comicos. *Pictores* quoque Zeuxin, Timantem Parrhaſium, Polycletum & Phidiam *ſtatuarios*.

Euſeb. in Chron. Diogen. Laërt. l. 7. Plinius l. 34. c. 8.

Nehem. 5. 15. Eſra. 9.

Liber VII.

A reparata Judæorum Republica & urbe, uſque ad regnum Meſſiæ, *Periodus annorum* CCCCXC.

A. M. 3514. Chriſtian. ſeculum. Scribarum, Philoſophorum Gentibus.

POſtquam ſeptimum imperii inivit annum *Artaxerxes*, *Longimanus* à dexteræ prominentia appellatus, ablegavit in Judæam *Eſram* ſacerdotem, rei divinæ peritiſſimum, ſcribarum & legiſperitorum magiſtrum, quem diplomatis inſtruxit, quibus Hebræis omnibus facultas in patriam revertendi dabatur, ſuiſque utendi legibus. Et quod præcipuum libertatis fundamentum, poteſtas fiebat Eſræ Hebræos judices præficiendi popularibus, totamque Judæorum Rempublicam ex divinarum præſcripto legum inſtaurandi. Mandatis munificentiam adjunxit Artaxerxes plane regiam, donato Sacerdote ſexcentis & L talentis argenti, C auri, vaſiſque inſuper aureis & argenteis, juſſitque Præſides provinciarum conata ejus adjuvare omnibus opibus & copiis. Eam felicitatem *Daniel* antea ab Angelo cognoverat, atque ex hoc tempore uſque ad reſtitutionem mundi, per Chriſtum procurandam, 490 annos definierat.

Plutarchus in Artax. Eſræ 1. Joſeph. l. 11. c. 5.

Eſr. 8. 20.

Eſræ legationem decimo-quarto poſt anno excepit *Nehemias*, Pincerna Artaxerxis, qui præfecturam Judææ conſecutus eſt, & poteſtatem muniendi Jeroſolymam; à qua re Perſarum Reges hactenus abhorruerant, priſcam Judæorum potentiam ac Jeroſolymæ rebellionem animis reputantes. At Nehemias, exemplar principum, tanta pietate & vigilantia rempubl. Judæorum erexit, tanta

Initium Hebdomadum Danielis. vide eum cap. 9. Nehem. 1. v. 2. &c.

tanta celeritate, animique magnitudine urbis muros absolvit, ut novus patriæ pater & Jerosolymæ conditor appellari mereatur.

Nehem. 12. *Mal.*1.2. Ei fidus aderat collega *Malachias*, prophetarum Hebræorum ultimus, qui sacerdotes & populum ad prisca Dei statuta reformavit, Christumque ipsum, & ei præmittendum legatum exspectare præcepit. Tunc conditum *Synedrium*, cui præsiderent è stirpe Davidis Judices, & posteri Aaronis summi sacerdotes, memores legis Mosis & oraculorum, quæ divini vates scriptis consignaverant. Qui status Reipubl. mansit, donec summus legislator cœlo descendens, æternum terris lumen intulit.

Nehem. 10. *Mal.*4. *Deut.*17.

Dum ita civitas Dei instauratur, & Artaxerxes mansuetudine ac munificentia summa regit Asiam, gentium Europæarum Respublicæ magnis concussæ motibus, inter malos mores, vix bonas leges repererunt.

Romanis pervicacissimi & cotidiani fere hostes *Æqui* & *Volsci* erant, Tribunis interim jugibus litigiis æquiores plebi leges exposcentibus.

*Florus. l.*1.*c.*11. Et Volscos quidem cum alii duces, tum præcipue *L. Quintius Cincinnatus* domuit. Dictator ab aratro, qui obsessa, ac pœne jam capta Minucii Cos. castra, egregia virtute servavit, victosque hostes more pecudum sub jugum misit. Expeditione intra XV dies finita, rediit ad boves rursus, triumphalis agricola. At *Tribuni* quotannis fatigato senatu & consulibus, urgente bello impetrant, ut decem Tribuni fiant annui, ut plebs Aventinum collem sibi habeat, ut singulis magistratibus fas sit suæ potestatis violatores multare, id quod solis Coss. licuerat. Tandem anno urbis trecentesimo, Olympiade LXXXII perficiunt, ut legati *Athenas* eant, æquissimas Solonis leges descripturi. Mittuntur *P. Posthumius*, *S. Sulpitius*, *A. Manlius*, exhauriente interim peste civitatem, quam nulli Romanorum Dii quomodocunque culti propulsare poterant. Reversi post bien-

*Dion. lib.*10. *Livius lib.*3. *Diodo. lib.*12.

A. M. 3519. *V.C.*300. *Orosius l.*2.*c.*13.

nium, in decemvirorum adsciscuntur collegium, qui antiquitatis Romæ omnibus magistratibus, principes Reip. constituendæ, sine provocatione facti sunt. Hi *duodecim tabulas* confecere, fontem publici privatique juris, & cum primo anno bene egissent, secundo corruperunt Rempublicam. Tertio protracta sine autoritate senatus & populi potestate, omnium à se bonorum animos alienarunt. Nec patribus consilium, nec plebi libertas erat reliqua, melior senatus pars urbe excedebat, quidam factioni resistentes, inter quos *L. Siccius* dentatus, vir fortissimus, decemvirorum scelere interibant. Tandem princeps eorum *Appius Claudius*, amore amens *Virginiæ*, virginis pulcherrimæ, ut ea potiretur, clientem subornavit, qui puellam ex ancilla sua natam confirmando, amatore judice in servitutem eam abriperet. Sed accitus è castris puellæ pater *Virginius* ira furens, rapto è lanii officina cultro, in filiæ eum viscera adigit, morte amitti melius ratus, quam contumelia liberos. Cruentus sanguine filiæ ad milites, cum Volscis Sabinisque bellantes, procurrit, motoque tumultu eos in urbem trahit. Hi convulsis signis Aventinum insidunt, creatisque ducibus in sacrum secedunt montem, decemviros magistratum ejurare, senatum tribunos plebis restituere cogunt. Sic ob libidinem decemviralis tyrannis exstincta ob quam etiam regia fuerat, reductum *ad Coss.* imperium. Creati post decemviratum primi *L. Valerius*, *M. Horatius*, plebi gratissimi, cum ob majores popularitate claros, tum quod tollendo decemviratui promptissimam operam tulissent. Hi leges promulgarunt, ut populum senatumque obligaret, quod plebs tributim sciscret. Unde Tribunitiis rogationibus acerrimum telum datum. Item, ne quis magistratus sine provocatione fieret. Mox accusati *Appius & Oppius* decemviri, & in carcerem deducti, judicium morte præveniunt, reliqui antequam ad plebem deferrentur, exilio solum vertêre, bona eorum pu-

*Flor. l.*1. *cap.*24.

blicata sunt. Coss. domitis bello Volscis & Sabinis, ob plebis studia maligniorem experti senatum, solius plebis jussu triumpharunt.

Dion. lib. 11. Livius lib. 4.

Procedente deinde Republica, non contenta libertatis incremento plebs, honores sibi cum patribus æquari postulat, extractoque litigiis tempore pervincit tandem, ut misceantur patriciorum & plebis connubia, atque ut *Tribuni militares, consulari imperio*, ex patriciis & plebe promiscuè fiant. Facti anno urbis CCCX (dum Herodotus apud Thurios historiam edit) *A. Sempronius, L. Attilius, T. Clælius*, omnes patricii, singulari documento levitatis vulgi, cito in alteram recidentis partem, summaque contentione ambitum honorem nec usurpare quidem audentis.

Plinius l. 12. c. 4.

Dum hæc agunt Romani, primosque describendæ civitati censores creant, è nimia libertate pene in servitutem resolvuntur *Sp. Melii* insidiis. Is arctissima annona coëmptum frumentum plebi dividit, allectisque civibus, insatiabili honorum animo regnum agitat. Ei opprimendo *Dictator* creatus *Quintius Cincinnatus*, senex octogenarius, citatum, nec comparentem, sed plebis implorantem auxilia, per Caium Servilium Equitum magistrum obtruncat, bona publicat, domum diruit. Id solum Æquimelium appellatum est.

A. M. 3535.

Livius lib. 4.

Demto hoc periculo, Fidenates adjunctis sibi Veientibus, grande bellum excitant; cruentas Romanis victorias faciunt. Ibi spolia de Larte Volumnio Veientium rege, quem A. Cornelius Cossus occiderat, ad Jovem Feretrium reportata. Denique non scalis, non irruptione, non fame, sed cuniculo peractum urbis excidium, Dictatore Q. Servilio. Veientes, implorato Hetruriæ auxilio, jussi sunt bellum suo consilio initum suis viribus exsequi. Romanis pestilentia aliarum rerum otium præbuit.

Thucyd. lib. 1. Diod. lib. 11.

Dum hæc Romæ fiunt, interea *Græcia* omnis, ducibus Lacedæmoniis & Athenienses, in duas divisa partes, ab externis bellis velut in sua viscera convertitur. Occasio à *Messeniis* fuit, afflictam terræ motu Spartam infestantibus. In eos Ithomen tunc tenentes, Lacedæmonii Athenienses etiam socios adhibuerant. Sed protracta obsidione, metuentes eorum audaciam, supervacaneos esse simulando, à bello domum dimiserant. Hanc rati injuriam Athenienses, argentum, quod in stipendium Persici belli ab universa Græcia in Delo deponebatur, Athenas transferunt, & Pericli ejus administrationem committunt. Lacedæmonii contra Peloponnesios in Athenienses incitant, quibuscum vario marte est dimicatum. Imprimis vero cum Thebanis paciscuntur, ut Bœotiorum imperium, Persica societate amissum, recipiant, bellumque adversus Athenienses pro Lacedæmoniis sustineant. Eos aggressus *Myronides*, alacerrimos Athenienium ducens, secundis præliis vincit, demptisque Thebis, Bœotiam omnem, & Locros ac Phocenses subigit. Ejus successor *Tolmides* Messenios à Lacedæmoniis dimissos, Naupacti collocat, Zephaleniamque insulam expugnat. Mox etiam *Pericles* Acarnaniam infestat bello. Igitur *Cimon* ostracismo damnatus antea, ut revocatus Athenas est, pacem condidit inter suos cives & Lacedæmonios quinquennalem. Post neque ita multo, in Cyprum cum ducentis navibus missus, quum ejus majorem partem insulæ deviciset, ac Salaminem obsidione premeret, missis etiam ad Amyrræum, paludum Ægypti regem, LX navibus Artaxerxem perpulit, ut pacis causa Græcis per Asiam universis libertatem concederet, satrapisque suis intercideret maris Ionii navigatione. Ita jurarunt Athenienses, se in provincias ejus arma non expedituros. At Cimon morbo implicitus Citii decessit, vir vitæ securus suæ, morte acerba aliis, de quibus optime meritus fuerat. Exinde finitis induciis, Lacones templum Delphicum, Phocensibus ereptum, vindicant Delphis, Athenienses contra Phocensibus illud restituere nituntur. Megaren-

Justin. lib. 3.

Plutar. & Nepos in Cimone. Thucyd. lib. 1.

Diod. lib. 12.

garenſes vero à fide Attica deficientes, adſcito Laconum exercitu, populantur Atticam, prædaque abacta recedunt. Tolmides Chæronæ expugnator, inſidiis Bœotorum cum ingenti Athenienſium multitudine occiditur, cogunturque Athenienſes; pro captivis redimendis, præſidia ex oppidis deducere. At Eubœam deficientem Pericles, capta Iſtiæa, ad obedientiam redegit. Hinc malis fracti, in annos triginta pacem ineunt Græci, eaque tempeſtate totus orbis quietem habuiſſe ſcribitur. *Diod. lib. 12.*

Sexto autem anno *bellum inter Samios & Mileſios* pro Priene eſt excitatum, in quo armis inferiores Mileſii imploraruntopem Atticam, Samii ad Piſſuthnem Sardibus præfectum confugêre. Ea expeditione Pericles præfuit copiis Atticis, primuſque machinas bellicas, quas Arietes & Teſtudines vocant, adornavit, Artemonis maxime Lacedæmonii adjutus ingenio. Mox etiam Thucydides Athenis miſſus adfuit, XL navibus inſtructus. Sic devicta Samus, dirutis mœnibus, Athenis coacta tributum ſolvere. *Thucyd. lib. 1.*

Poſt hæc *bellum Corinthiacum* exarſit, majoris initium mali.

Epidamnii Adriatici maris accolæ, ab exulibus ſuis & Illyriis bello vexati, Corcyræorum opem poſtulaverant, & ab illis ſpreti, Corinthiorum. Corinthii faciunt quod noluerant Corcyræi. Ea æmulatio bellum inter illos accendit. Corcyræi jure potius quam armis experiundum, Corinthii re non amplius integra, colonis ſe ſuis juſte opitulari aſſerunt. Ergo infeſta utrinque claſſe concurritur, Corcyræi vincunt: capiunt Epidamnum. Sequenti anno reparato prælio, Athenienſes aſſociantur Corcyræis, dubiaque acie diſcedituri. Hac clade irritati Corinthii, Potidæam in Pallenes Iſthmo ſitam, ſuam quidem coloniam, at Athenienſibus vectigalem, ad defectionem ſollicitant. Perdiccas quoque Macedonum Rex, infenſus Athenienſibus, quod fratres ejus Philippum & Derdam armis adjuviſſent, Chalcidenſes & Bottiæos in partes trahit, & deſtructis urbibus, Olynthum perſuadet migrare, agris de ſuo donatis. Hanc belli molem feliciter Athenienſes propulſant, Corinthiorum ſubſidiarias profligant copias, & Potidæam profugientes arcta obſidione claudunt, Corinthios ad circumſpicienda auxilia adigunt.

Igitur inviſa multis Græciæ civitatibus Athenienſium potentia, qui Ægineta navibus multaſſent, Megarenſes urbe & portu ſuo prohibuiſſent, ſociis durius imperarent, Corinthiorum exercitum obſiderent Sthenelaidis Ephorus rupta ab illis fœdera, belloque perſequendos decernit, Archidamo Spartanorum rege mitiora nequicquam civibus ſuadente. *Thucyd. lib. 1. Juſtin. lib. 3.*

Ita ſuſcipitur *bellum*, quod *Peloponneſiacum* appellatum, & viginti ſeptem annis communi cum Græcorum pernicie geſtum eſt, L ferme annis poſtquam Xerxen communibus armis diſcedere è Græcia coëgiſſent. A. M. 3541. *Olymp.* 87 *anno ſecundo.*

Ac initio quidem componi diſſidia facile potuerant, ni utrinque ambitioſi conſultores nihil paribus concedendum diſſeruiſſent. Inter eos fuit *Pericles*, qui ne rationes ærarii male adminiſtrati redderet, patriam maluit bello objectare, quam domi paupertatem colere. Is jubentibus Spartanis, Megarenſes ad communionem fori & portus Attici recipere, ſic bellum nullum fore, reſpondendum ſuadet: Id tum demum Athenienſes facturos ſi ſimiliter Lacedæmonii peregrinis ſuæ civitatis uſum permittant. Interim nihil illis in pares juriſdictionis competere, nec re minima, quæ quidem imperetur, Athenienſes Spartanis obedituros. Ita flagrantibus diſſidiis multi Græcorum populi implicantur. Cum Lacedæmoniis faciebat tota Peloponneſus, præter Argivos & Achæos. Extra Peloponneſum Megarenſes, Locri, Bœoti, Phocenſes, Ambraciotæ, Leucadii, Anactorii. Cum Athenienſibus Chii, Lesbii, Platæenſes, Meſſenii, Acarnanes, *Diod. Sic. l. 12.* *Thucy. l. 2.*

nanes, Corcyræi, Zacynthii, Cares maritimi, Dorienſes, Iones, Helleſpontus, Amphipolis Thraciæ, inſulæ Cyclades, exceptis Melo & Thera. Initium malorum à Thebanis fuit, quos intra mœnia receptos Platæenſia, cives, cum ſe proditos intelligerent, animoſa audacia trucidarunt. Inde Archidamus in Atticos irrumpens agros, late eos populatur, hoſtes ad pugnam provocat. Sed Athenienſes à Pericle moniti, ſupervacuam cenſebant pugnam, cum ulciſci injuriam ſine periculo poſſent.

Itaque viciſſim claſſe excurrunt in Laconiam, & ex hoſtili agro plura quam amiſerant, auferunt. *Pericles* agros ſuos, quibus ad ſuſpicionem ei proditionis acquirendam, Spartani pepercerant, dono dedit Reip. & pro infamia ab hoſtibus intenta gloriam ſibi peperit apud cives. Mox etiam Sitalces Thracum, & Perdiccas Macedonum reges adjungunt ſe Athenienſibus, & Æginetæ inſula expulſi, Spartam profugiunt, majoreſque Athenienſium vires videntur, quam ut iis pares eſſe Peloponneſii poſſint. Tum vero ſubito horribilis & contagioſus *morbus* pleraſque jam Africæ atque Aſiæ regiones pervagatus, *Atticæ urbi* incubuit, quo infeſtati cives militeſque confertim interibant, nec erat Deorum Græcorum quiſquam, qui mederi poſſet malo, adeoque nec hominum qui imbecilles Deos venerari amplius vellet. Ea numinis indignatione perculſi Athenienſes, culpam moti belli in Periclem conjiciunt, ſeque elaboratis orationibus defendentem multant pecunia, multatum, ſolita vulgi levitate, iterum rei ſummæ præficiunt.

Juſtin. lib. 3. Thucy. lib. 2.

A. M. 3542.

Erat enim *Pericles* prudentia animique magnitudine facile civitatis ſuæ princeps, qui Athenienſes bellum fortiter cauteque doceret propulſare, viriumque diſtractionem, atque omnia plena periculi auſa, niſi certam fere & exploratam ducerent utilitatem, damnaret. Verum is tertio belli anno *obiit*. Interim Potidæatæ, dira fame ſubacti, ſe ſuaque dedunt Athenienſibus. Legati Peloponneſiorum, quos ad Artaxerxen expedierant, apud Helleſpontum intercepti, Athenis interficiuntur. Sitalces Thracum Rex, centum quinquaginta hominum millia in Macedoniam trahit, vaſtatoque Perdiccæ regno, quem violatæ fidei inſimulabat, cum Macedones intra munitiones ſe tenerent, nec copiam facerent prælii, commeatu laborans retro refert pedem. Interjectis diebus, Peloponneſii navalibus præliis à Phormione Athenienſium duce ſuperati, Salaminem clam adoriuntur, ut Athenis metum injiciant: ſed concurſu civium territi, ipſi refugiunt Megaram. Agebatur tunc Olympias 88.

Diod. l. 2.

Paulo poſt *Platæenſes*, à Lacedæmoniis ad omnium rerum penuriam redacti, partim erumpentes nocturno ſtrategemate effugiunt, partim ſe fidei permittentes obſidentium, ſuppliciis pereunt indignis. Platæa funditus excinditur. Idem pene eveniſſet Lesbiis, quibus Lacedæmonii, ad quos defecerant, ſeram opem ferebant. Paches enim, Athenienſium præfectus, celeritate Spartanos præveniens, poteſtatis eos ſuæ fecit, ac de ſententia populi Attici, defectionis autores, mille viros circiter, affecit ſuppliciis, cum *Cleon* præcipitis vir ingenii, Mytilenæos omnes cenſeret trucidandos. Gravior clades Corcyræorum primores abſtulit. Cum enim oborta inter illos & plebem ſeditione, armis inferiores eſſent Optimates, imploratam Peloponneſiorum opem Athenienſium claſſis ſubvertiſſet; à plebe nullum crudelitatis genus intermiſſum eſt, omneſque qui in re lautiori eſſent, fœdiſſimis exemplis ſunt perempti. Idem malum alias Græcorum civitates corripuit, optimatibus ad Lacedæmonios, quod Ariſtocratico regerentur imperio, plebe ad Athenienſes ſubinde reſpectante, quod populari faverent regimini, utriſque ſuæ utilitati potius ac libidini, perpaucis Reip. conſulentibus, ac *belli occaſione deterrimum quemque ad maxima facinora ſtimulante.*

Thucy. lib. 3. Juſtin. lib. 3. Diod. l. 4.

Quinto

Quinto belli anno Sicilienſes turbis iiſdem ſunt implicati. Leontinis quos Syracuſani vexabant, Rheginos & Athenienſes, Syracuſanis contra Locros Italiæ, & Liparæos ſibi adjungentibus, qui variis inter ſe cædibus ſævire ſtudio invicem habebant. *Thucy. lib.3.*

Alius Athenienſium dux *Demoſthenes*, cum Ætolos infeliciter invaſiſſet, Ambraciotas cum Peloponneſiis, dum Argis inſidiantur, pene ad internecionem cædit: & anno ſequenti claſſiarios, ad Pylum in Laconica muniendam inducit; eique recuperandæ adnavigantes Peloponneſios, grandi afficit clade. Ita Lacones quotannis in Atticam irrumpere ſolitos, ad ſua defendenda cogit. Spartani ergo, cum in Sphacteriam inſulam inſidiatores deduxiſſent, Demoſthenes eos circumeundo navibus cuſtodivit, & fractos malis adegit inducias petere. Iis vero Athenienſes, importuno Cleonis conſilio ſeducti, atrocius reſpondent. Cleon, audacius quam prudentius, clauſos Sphacteria Spartanos vi aggreſſus, partim occidit, partim vivos Athenas mittit, eodem anno quo Artaxerxes à Lacedæmoniis non ſemel imploratus, priuſquam Græcis diſſidentibus regias opes miſceret, è vita emigravit. Is erat annus Peloponneſiaci belli ſeptimus, regni ipſius quadrageſimus, Olympiadis 89 primus. *Thucy. lib.4.* *Diod. lib.12.*

Ejus imperium inſigni in Dei populum munificentia & pietate, *viriſque divinarum literarum peritiſſimis* claruit, quales erant Eſra, Nehemias, Eliaſibus ſacerdos, Malachias propheta, Hananias præfectus urbis, & viri Synagogæ magnæ qui erant Jeroſolymis. *Nehem. 7. 2.*

Apud gentes eluxere *Philoſophi*, Democritus Abderites, Empedocles Pythagoræus, Zeno & Parmenides, *Hippocrates* Medicus, *Gorgias* Leontinus Rhetor. Et cunctis clarior *Socrates*, è cujus quaſi ore integra philoſophorum ſchola defluxit. *Ariſtophanes* quoque facetiſſimus, ſi non etiam ſpurciſſimus comœdiarum autor, Athenis luſit. *Meton* Aſtronomus Enneadecaëteridem indicandis luminarium revolutionibus condidit. *Laërtius. Suidas. Euſebius in Chron. Diod. lib.12.*

Darius Nothus.

CÆterum Artaxerxi Longimano complures filii fuere, XVII è pellicibus, unus è Damaſpia regina ſuſceptus, Xerxes nomine. Eum crapulam edormientem aggreſſus Secundianus (Pauſanias Iſogæum vocat) ex Alogune pellice natus, una cum matre Damaſpia interfecit, quadrageſimo poſt Artaxerxis obitum die. Sed & ipſi parricidio quæſitum imperium paucos dies ſtetit. Peroſus enim ſcelera ejus exercitus, Ochum fratrem è Bactrianis advocat. Eum Artaxerxes è Coſmartidene genuerat Babylonia, & filiæ Xerxis Pariſatidos, ſororis ſuæ, maritum fecerat. Igitur *Nothum* dixere Græci, quod eſſet è pellice, uſitata regum libidine procreatus. Hic ſuis copiis principumque auxiliis fultus ad regnum producitur, aliena magis voluntate quam ſua. A. M. 3548. *Hebdomade V. finiente. Olymp. 89. Juſtin. Diodorus Sicul. lib.12. Plutarchus in Artaxerxe. Pauſanias El.2. Cteſias. Guid. lib.18.*

Secundianum promiſſionibus illectum ad ſe perduci curat, perductum in cineres dejici: Perſicum id genus ſupplicii erat. Ita exſtinctus eſt, cum menſes VI imperaſſet, dies XV. Regno potitus *Ochus*, regium Darii nomen aſſumit, & opes principum amore firmat. Judæam & Jeroſolymam, præſidente Nehemia, egregiis incrementis provexit, ringentibus licet Sanaballete Samariæ, & Tobia Ammonitarum præfectis. *Val. Max. l.9. cap.2. Hiſt. externa 5.*

Sub eo ſeries generationum, & familiarum propagationes, ſacris tabulis mandarunt Judæi, quæ divinis promiſſionibus uſque ad Chriſtum teſtimonio & documento forent. Cumque nepos Eliaſibi, filius Jojadæ Pontificis, matrimonio ſibi copulaſſet extraneam, Sanaballetis cognatam, ſacerdotio eum Nehemias dejecit, ne profanaretur ſacrum altari Aaronis genus, deditque ſedulo operam, ut ne gentium contagio ſeſe pollueret Dei populus. *Neh.12. v.22.* *Neh.13. v.28.*

Interim vero Græci atrocius ſe invicem inteſtino bello conſumebant. Athe- *Thucyd. lib.4.*

nienſes ſucceſſu elatiores inſulam Laconicæ finitimam, deditione occupant, Æginetas è Thyrea, ubi eos Lacedæmonii collocarant, abductos Athenas transferunt, duces ſuos Pythodorum & Sophoclem, quod Siciliæ pacem non interpellaſſent, in exilium ejiciunt.

Contra Lacedæmonii, Braſida duce, multas in Thracia urbes ab Athenienſibus pelliciunt ad ſe, atque ut domi res tutiores eſſent, duo ſervorum millia quorum ſpectata virtus, & ob id ſuſpecta ſervitus erat, crudeli conſilio, ſed occulto, enecant. Inde tamen Athenienſes clade aliqua à Thebanis affecti, & amiſſa Amphipoli perturbatiores, annuas cum Spartanis inducias faciunt. Iis durantibus, Braſidas Perdiccæ regi auxilia adducens, ut ab eo ſe fraudulenter habitum, objectumque Illyriis videt, iram vertit in Macedonas, eorumque agros vaſtat. Quamobrem orto inter ipſum & Perdiccam odio, Athenienſibus accedit Perdiccas, qui tunc Torone recuperata, Scionæas obſidebant; quibus captis poſtea occiſiſque ereptam iis urbem Platæenſibus aſſignarunt. Mox ad Amphipolin recipiendam profectus *Celon*, dicacior miles quam fortior, cum imperitè adverſus Braſidam prudentiſſimum ducem dimicaret, in fuga cecidit, ſexcentis Athenienſium amiſſis; *Braſidas* quoque, accepto vulnere, paulo poſt deceſſit, tanti factus ab Amphipolitis, ut ei tanquam urbis conditori præſtarent honores, qui Agnoni Athenienſi coloniæ iſtius deductori debebantur, fidamque deinceps cum Spartanis ſocietatem colerent. Tum vero *Pliſtoanax* Rex Spartanorum, & *Nicias* dux Athenienſium, decennalium jam cladium pertæſi, utramque Rempubl. ad compoſitionem trahunt, Lacedæmoniis etiam Argivos metuentibus, qui exſpirantibus, quas diu ſervaverant, induciis, ſe juncturi Athenienſibus videbantur. Fit ergo *pax* in annos L. ſed quæ male fida perparum à bello abfuit. Nam cum Spartani Amphipolin non redderent, & Panactum Bœoti everterent, quod integrum fuerat tradendum Athenienſibus, Athenienſes quoque Pylum ſibi retinent, adnitente interim *Alcibiade*, juvene callido & ambitioſo, ut Lacedæmonios inconſtantiæ ruptique fœderis convinceret. Et dolo id effecit, cum alia non poſſet via. Itaque Athenienſes Argivis, Lacones Epidauriis ferunt ſuppetias, quaſi minus perjurii contraherent, ſi ferentes ſociis auxilia potius quam aperto bello dimicarent. Ibi Argivi, dum Tegeates infeſtant, gravi clade affecti à Spartanis, fœdus cum iis percutiunt, & rempubl. ad eorum placitum reformant. Quam mutationem indignè ferens populus, ductu Alcibiadis exturbat optimates, eiſque etiam trucidatis, poſtea Democratiam pro lubitu reſtituit. Athenienſes Melum inſulam, ſervatis tantum, qui infra pubertatem erant incolis, reliquiſque omnibus interfectis, ſibi ſubdidêre, miſſiſque è ſua civitate colonis, inhabitare eam cœperunt.

Thucyd. lib.5. Diodor. Sicul. lib.12.

A. M. 3550.

A. M. 3553.

Decimo ſeptimo belli anno, qui erat Darii decimus, ſuadente Alcibiade, multum reſiſtente Nicia, *bellum in Siciliam* tranſlatum, ſpecie ferendi Ægeſtanis & Catanienſibus auxilii, quibus Syracuſani graves erant. Creantur duces Nicias & Alcibiades & Lamachos, tantiſque viribus Sicilia aditur, ut ipſis terrori eſſent, in quorum auxilia mittebantur. Brevi poſt tempore revocato ad reatum Alcibiade, qui tyrannidis & violatorum ſacrorum inſimulabatur, duo prælia ſecunda Nicias & Lamachos faciunt, & munitionibus circumdatas Syracuſas, commeatibus laborant intercludere. Quibus rebus fracti Syracuſani, auxilium à Lacedæmoniis petiverunt, ad quos Alcibiades metu judicii profugerat, eoſque ad bellum patriæ gnaviter inferendum, cruentis conſiliis incitabat. Ergo mittitur in Siciliam Gylippus, Corinthiis quoque præ aliis ad juvandas Syracuſas incumbentibus. Gylippus inclinato ſtatu, opportuna bello loca occupat, & principio victus, poſtea victor, hoſtes compellit

Thucyd. lib.6. Plutarchus in Nicia. Oroſius lib.2.c.14.

Thucyd. lib.2.

pellit in fugam, Syracusanos ab obsidione liberat. Sed cum Athenienses à bello terrestri in navale se transtulissent, Gylippus classem Lacedæmone cum auxiliis accersit, Athenienses in locum amissi Lamachi, Demosthenem & Eurymedonta cum supplemento copiarum mittunt. Peloponnesii quoque, communi civitatum decreto, Syracusanis subveniunt, summisque ex utraque parte viribus dimicatur à tota Græcia. Verum Athenienses, ut belli autores exstiterant, ita documentum dedere, *nequis non provocatus alteri malum creet.* Nam primum pedestri certamine victi, & castra eorum cum omni publica privataque pecunia capta sunt. Cumque interim Argivis Spartiatas vastantibus se conjunxissent, Lacedæmonii manifeste ruptum fœdus vociferantes, in Atticum agrum irrumpunt, duce Agide, & Deceleam, propinquum urbi castellum, exstruunt. Huc ad viginti servorum millia Athenis profugêre, nihilque tuti extra muros civitati mansit Atticæ. In Sicilia vero Demosthenes, clade etiam navali perculsus, *afflictas res haud in casum dandas*, neque in bello male auspicato perseverandum censuit: Nicias contra manere contendit, tandemque stulta etiam ex deliquio lunari superstitione retentus, pessumdedit Rempub. Revocati enim ad certaminis spem *Athenienses*, inscitia ducum, qui Syracusanos intra angustias maris facile se tuentes aggressi fuerant, magno *cæduntur* numero. Eurymedon dux in prima acie fortissime dimicans, primus cadit; triginta naves, quibus præfuerat, incenduntur. Demosthenes, & Nicias, & ipsi victi, exercitum in terram exponunt, tutiorem fugam rati itinere pedestri. Ab his relictas centum triginta naves Gylippus invadit, ipsos deinde insequitur, insessis viis carpit, capit, moratur, cædit. Demosthenes lentus incedens circumvallatur ab hoste, inde proceditur ad Niciam.

Justin. lib 4. Diod. lib.13.

Thucyd. lib.7. Plutarchus in Nicia.

A. M. 3559.

Sic XL hominum millia amissa tradit Thucydides, qui hoc bellum descripsit, & cum ob amissam sua tarditate Amphipolin, Athenis pulsus esset, ob conditam deinde historiam patria redonatus est. Duces Atticos dum servare vellent moderatiores aliqui, Syracusani contra virtutem Demosthenis, divitias veriti Niciæ, ambos occiderunt. Militum quicunque non occubuerat, aut à privatis occultatus fuerat, in lapidicinas datus est, & plus quam barbara crudelitate habitus: donec plerique venditione ab interitu vindicati, Siciliam mancipiis implevêre. Atque hac clade omnium gravissima, Athenienstum opes conciderunt.

Plin. l.7. cap.7.

Tunc enim, ut fit, *quo se fortuna, eodem etiam favore inclinante hominum*, certatim ab Athenensibus socii deficiunt, plerique tamen haud impunè. Etenim Athenienses opibus quam animis minores, classem novam cupidissime ædificant, Lesbum & Clazomenas recipiunt, Chios, qui inter primos defecerant, tribus prælis navalibus superant. E Mileto vix excedunt, cum quidem Hermocrates Syracusanus, Dionysii postea Tyranni socer, ingentia Peloponnesiis auxilia adduxisset, & Tissaphernes à Dario & Artaxerxe missus, suas quoque copias iisdem sociasset. Queis subacti Athenienses copiis in Samon se recipiunt. Amorges Pissuthne Persa genitus, qui Cares ad defectionem à Persis pellexerat, capta à Peloponnesiis Jaso, ad Darium mittitur. Inde facto iterum prælio, & accepta utrinque clade, Rhodii deficiunt ab Athenensibus, Lichas vero, dum nimium Dario in fœdere attributum disputat, Tissaphernem offendit, quem porro *Alcibiades* ad Lacedæmoniorum prævertendam invidiam, ab quibus exitium sibi strui, ex regina Lacedæmoniorum, Agidi nupta, & adulterio sibi cognita, didicerat, ab illis alienandum sumsit, vir animi varius, *& morum vitia comitatis & eloquentiæ umbra obtegens.* Itaque persuasit homini, haud nimis enixè juvandos opibus Lacedæmonios, ut dissentientibus Græcis Darius arbiter

Justin. lib.5. Thucyd. lib.8. Diodor. lib.13.

pacis & belli maneat, nec victis Athenienſibus cum victoribus dimicare cogatur. Grata oratio Tiſſapherni fuit. Itaque ſtipendia maligne præbere, claſſem Phœnicum non mittere, ne aut victoriam daret, aut neceſſitatem deponendi belli imponeret. Cauſatus eſt eam caſtigando Amyrtæo regi, qui Ægyptios in defectionem impulerat, conſulto detineri. Interea Alcibiades hanc operam venditat civibus pollicitans amicitiam Darii, ſi Reſp. ab levi populo tranſlata ad optimates foret. Sic permittente populo, adnitentibus Antiphone, Piſandro, Phrynico, Theramene & aliis, imperium Atticum ad 400 proceres devolvitur, eademque mutatio apud Samios, alioſque ſociorum, multa cum diſſentientium clade, urgetur. At cum delecti, inſita genti ſuperbia, crudeliter in plebem conſulerent, ab exercitu apud Samum Alcibiades exul revocatur, eique claſſis imperium decernitur. Interim Lacedæmonii urbem ſeditione laborantem aſſultant, fortiterque repulſi, Eubœam bello aggrediuntur maritimo, & Athenienſes tumultuariè erumpentes magna clade ſuperant. Quo infortunio territi optimates, accedentibus etiam minis Alcibiadis, plerique ad Lacones transfugiunt, cæteri reddunt jura populo, exercitumque una cum Alcibiade in urbem revocant. Interim *Thraſybulus* & *Thraſillus*, duces Athenienſium, Peloponneſios apud Helleſpontum navali pugna vincunt, unde civitati fortunæ ſpes melioris cœpit refulgere, anno ferme poſt expulſum Hippiam centeſimo, quemadmodum videtur Thucydidi. Liberatis enim inteſtino malo Athenis, Alcibiades ſumma cura inſtruxit claſſem, & caſu advectus prælio, quod duces Athenienſium cum *Mindaro* & *Pharnabazo* committebant, victoriam peperit ſuis. Cumque id certamen paulo poſt inſtauraſſent Lacedæmonii, ſubito totam Athenienſium claſſem in unum contraxit Alcibiades, occultataque multitudine, paucas naves in hoſtem ducit: Hinc ſimulata fuga, cum interim reditum ſciret Lacedæmoniis à ſociis intercluſum, cunctis eos navibus inſectatus, ad exſcenſionem in terram faciendam adigit. Ibi expoſito etiam ſuo milite, pedeſtri acie *Mindarum* fortiſſimè pugnantem *occidit*, Pharnabazi profligat copias, naveſque LXXX capit. Quibus malis fracti Lacedæmonii, pacem petiêre: quam ne acciperent, Cleophonis aliorumque opera effectum eſt, quibus turbatæ res præbebant quæſtum, ſtultiſſimo errore Athenienſium, honeſtam pacem incerto bello poſthabentium. A. M. 3562.

Interea & Syracuſanorum auxilia illatum à Carthaginenſibus Siciliæ bellum, domum revocavit. Etenim Ægeſtani iterum à Selinuntiis exagitati, cum nihil æqui obtinerent, ſicut Athenienſes antea, ita nunc Pœnos in Siciliam attraxerant. *Hannibal*, Amilcaris olim à Gelone cæſi nepos, ingenti ſtudio per Africam Hiſpaniamque omnem egerat delectus, ut cladem olim familiæ ſuæ à Siculis illatam, glorioſo quodam facinore expiaret. Itaque ultra centum hominum millia ducit in Siculos, *Selinuntem* continua novem dierum oppugnatione capit, incolas omnes miſerabiliter jugulat, urbemque excindit; quam tamen poſtea ab amico exoratus, paucis quibuſdam exulibus iterum conceſſit habitandam, ſub tributo pendendo Carthaginenſibus. Eadem ſors *Himeræ* fuit, niſi quod ejus expugnatio plurimo ſtetit ſanguine Pœnis. *Diod. Siculus l.13. ex Ephoro & Timæo. Xenophon Hellen. lib. 1.* A. M. 3563.

Ob hoc ergo bellum Syracuſani claſſem à Lacedæmoniis repetunt, cujus ducem Hermocratem, inſtigante Diocle legiſlatore, exilio multaverant, eaque erga civem egregium ingratitudine, digreſſo jam Hannibale, inteſtinum conflaverunt bellum Siciliæ. Deſtitutis autem hoc auxilio Lacedæmoniis, interim *Alcibiades* cum claſſe victrici Aſiam vaſtat, multis locis facit prælia, ubique propemodum victor, Chalcedonem, Byzantium, aliaſque civitates recepit Athenienſibus, multas hoſtium naves, prædam ingentem capit. *Juſtin. lib. 5. Diod. lib. 13. Plutarchus in Alcibiade. Xenophon Hiſtor. Græc. l. 1.*

Thucyd. lib. 8. in fine hiſt.

Diod. lib. 13. Xenophon Hellen. lib. 1.

Ce-

Celebrabatur tunc Olympias nonagesima tertia, & Darius Medos, qui defecerant, ad imperata facienda redigebat. Campani Cumas, urbem à Græcis habitatam, occupaverant. *Romani* cum Vejentibus, Volscis, Æquisque interdum ambiguè, sæpius feliciter prœliati domi Tribunitiis actionibus perturbati subinde fuerant. Æquorum velut anniversariis armis assueverat civitas. Eo verò anno, quo Olympias hæc acta est, M. Papyrius, & Sp. Nautius ab Æquis fugabantur: At P. Servilius, Dictator à filio dictus, filium creavit magistrum equitum, Æquos castris exuit, Lavicum oppidum cepit & diripuit: Idque senatui placuit missis ex urbe colonis MD frequentari.

Livius lib. 4.

A. M. 3565. Athenis vero *Alcibiades* festa civitatis gratulatione, immoderatisque *honoribus* exceptus, universæ classi præficitur. Ei opponunt Lacedæmonii Lysandrum, & in locum Tissaphernis, Darius rex Persarum, filium suum Cyrum Ioniæ Lydiæque præficit, à quo Lacedæmonii auxiliis opibusque ad spem fortunæ prioris iterum sunt erecti. Aucti igitur viribus, dum Alcibiades, assumpta parte classis, agros Clazomenios & Cumæos longa pace divites, securus populatur, Antiochum ejus legatum apud Notium vincunt, XXII navibus spoliant, ipsumque mox imperatorem repentino adventu opprimunt, tanta palantium cæde, ut plus vulneris Athenienses acciperent eo prælio, quam superioribus dederant. Tantaque in Alcibiadem suborta est *indignatio*, ut ex continenti ei Cononem cum decem collegis successorem mitterent, arbitrantes victos se non fortuna belli, sed fraude imperatoris, in quo vigor ingenii & morum luxuria omnia credibilia faciebant. Veritus igitur multitudinis impetum Alcibiades, iterum *exul* voluntarius, in Thracia tria castella communivit, ibique se Barbarorum præda aluit. Interim Agis, nudatis militum robore Athenis ad triginta hominum millia circumfudit, sed frustra. Cives enim masculè adhuc patriam tuebantur.

Xenephon Hist. Græc. l. 1.

Diod. lib. 13. Justin. lib. 5. Nep. Alcib.

Nec dejectius Syracusani suam. Nam *Hermocratem* exulem cum tribus millibus per amicos intromissum, intra mœnia armati oppressêrunt, Dionysius quoque cum aliis, pro mortuo se inter cadavera tenens, in vindictam civium necis, Siciliæque tyrannidem fato quodam suo servatus est.

Nam cum postea Himilco à Syracusana classe victus, Hannibalem sibi collegam ad persequendos bello Sicilienses adscivisset, iique ad trecenta hominum millia adversus Agrigentinos, Siculorum ditissimos, ducerent, Syracusani quidem initio missis ingentibus auxiliis, Pœnorum partem profligarunt, & castris, circummisso passim equitatu, commeatum intercluserunt aliquandiu: sed postmodum rapto è mari frumento quod Syracusanis advehebatur, refocillati Pœni, Agrigentinorum res ad desperationem redegerunt. Captum Agrigentum, incolæ dispersi aut occisi, exules multi, Dionysio autore Syracusis suscepti sunt. Dionysius vero duces criminando effecit, ut sibi summa belli in Pœnos committeretur, effectoque sibi ab æmulis periculo, sexcentos corporis custodes, ut quondam Athenis Pisistratus, impetravit: atque ex eo conciliatis sibi vulgi militaris studiis, invasit tyrannidem, quam rara talibus institutis felicitate, LXII annos ad finem usque vitæ tenuit.

Diodor. Sicul. lib. 13.

Eodem tempore Athenienses, continua fortunæ varietate absumpti magis quam victi, ad jugum accipiendum præparantur. Lacedæmonii Lysandrum cum Callicratide duce mutaverant. Is Delium Chii propugnaculum, Teios, Methymnamque urbes recipit; ad Mitylenem progressus, à Cononis quidem milite in fugam agitur: at mox coactis in unum viribus, Cononem in portu obsidet, victrices Athenienses naves XXX à reliquis avulsas capit.

Conon significato civibus suis periculo, ad experiundam denuo fortunam maris eos hortatur. Igitur consumpta fere juventute, Athenienses peregrinis

civitatem, libertatem servis, damnatis impunitatem dant, eaque ex colluvione conscripto exercitu, *apud Agrinusas* cruento prælio *vincunt Callicratidem*, amissoque suorum robore, LXXVII Lacedæmoniorum naves corrumpunt, at persequi victoriam suorumque humare corpora insurgente tempestatum vi prohibentur. Quare non tam ad percipiendam rei bene gestæ laudem, quam exsolvendam vindictam negligentiæ, citati Athenas duces, stolido civitatis judicio capitis damnantur, classe Philocli commendata. Sub hæc Lacedæmonii Aratum defuncto Callicratidi substituunt, addito ei consultore Lysandro, qui Thasum Cariæ urbem, quod cum Athenienſibus faceret, solo æquat, Lampsacum capit, instauratisque navibus, Atticos duces ad prælium apud Ægospotamos committendum allicit, allectis pugnandi non facit copiam; sed cognito, Philoclem cum XXX navibus è portu solvisse, eas adortus solas prosternit. Inde verso in reliquam classem impetu, priusquam se ad prælium parare rectores possent, vincit. Dux Conon, desperato Athenas reditu, cum populi furorem pertimesceret, ad Evagoram Cypri principem profugit. Militum plerique terrestri fuga dilapsi, Sestum pervenere. Centum octingenta naves perditæ, demptis octo illis, quas Conon in Cyprum abripuerat. Philocles jugulatus, Sestus oppugnata, victis insultatum barbare, triremis triumphatoria Spartam missa cum spoliis, à quibus cum furaces manus non cohiberet Gylippus, capitis anquisitus, fuga se proripuit, indignus sane victor, qui victrici frueretur patria, quod sibi potius quam illi vincere voluisset. Interim Lysander tributarias Athenienſium civitates quas metus dubiæ belli fortunæ in fide tenuerat, voluntarias recipit, nec aliud ditionis Athenienſium, præter urbem ipsam, relinquit. Defletæ ac prope perditæ urbi ambo Spartanorum reges, Agis & Pausanias superveniunt, & obsidione circumdatam fame urgent, Lysandro pariter cum CCC navibus Pyræum insidente. Igitur longa fame, assiduisque funeribus, subacti Athenienses, pacem petunt, eamque ægre multis reclamantibus impetrant. Data est non sine servitute; nimirum ut demissa Pyræum versus muris brachia dejiciant, & XXX è suo corpore accipiant rectores. In has leges traditos Athenienses, dominos antea maris & Græciæ, Lysandro permittunt Lacedæmonii, à quo Reipublicæ jura accipiant. Erat annus, ex quo cœptum fuerat bellum, vicesimus septimus, à Troja circitur IↃCC octogesimus, quo & *Darius* rex Persarum *decessit* & *Dionysius Syracusana* pene *tyrannide* excidit; quam tamen cum mercenariorum virtute militum (quorum fide stare tyrannis consuevit) brevi recuperasset, transegit cum Pœnis, ut Gelam & Camarinam, reliquasque urbes bello expugnatas sibi haberent, ipse retineret Syracusas, reliqui Siculi suo jure viverent.

Hac tempestate *Sophocles* palmam è fabula adeptus, præ lætitia obiisse traditur, *Euripides* vero apud Archelaum regem Macedoniæ canum laniatu periisse. *Diagoras Melius*, Deos irridens Atticos, proscriptus est, talentumque percussori promissum. *Euclides* Megarensis cum vitæ periculo Socraticam hausit disciplinam, quod Athenis reperiri capitale duceretur Megarensibus.

A. M. 3566.

Xenoph. lib. 2. Hellen. Justin. lib. 5. Diod. l. 13.

Plutarchus Lysandro.

Diodor. Sic. l. 14.

Diodor. Sic. l. 13. Suidas. Gellius l. 15. c. 20. Valer. Max. l. 9. cap. 12.

Artaxerxes Mnemon.

DArio regi Persarum octavo succes- A. M. 3567.
sit *Arsaces* filius, qui ob virtutem *Hebdomade* avi *Artaxerxis* nomen, & ex memoriæ *Dan. 8.* præcellentia *Mnemonis* cognomentum *Olymp.* sumsit. Dominabatur tunc Syracusis Dio- 94.
nysius, firmataque cum Pœnis pace, *Diodor.* totius Siciliæ imperium animo com- *lib. 14.* plexus, dum aliena appetit, pene sua amit- *Ctesias* tit iterum. Constat rebellione civium *lib. 8.* eo desperatione adductum, ut de tyrannide deponenda consultaret. Sed à Philisto historiographo animatus, dicente epitaphium esse egregium tyrannidem, Cam-

Campanorum opera recepit principatum, & paulo post Catanam, Naxon, Ennam, Leontinos, aliaque oppida ditioni suæ adjunxit.

A. M. 3568. *Xenoph. Hellen. l. 2. Diodor. Sic. l. 2. Idem l. 14. Justin. l. 5.*

Deterior interim *Athenienſium* fortuna erat, quibus non unus, ſed triginta ſimul *tyranni* imperitabant. Rectores enim à Lyſandro conſtituti, infeſtiores patriæ hoſtibus ipſis evaſerunt. Cædes civium ab Alcibiade duxerant auſpicandas, ne eſſet qui crudelitatis pœnas exigeret. Hunc ex itinere ad Artaxerxen interceptum, in cubiculo ſuo cremarunt, procurante Pharnabazo, quem calumniis inimicum ei reddiderant. Atque has quidem ille pœnas libidinum & inconſtantiæ ſuæ perſolvit. Tyranni autem hoc ultoris metu liberati, miſeras urbis reliquias cædibus & rapinis exhaurire, pluresque octo menſium ſpatio in pace occidere, aut fugare, quam bellum decem annis abſumſerat. Id cum diſplicere uni de ſuo grege *Therameni* didiciſſent, ipſum quoque ad terrorem omnium cicutam bibere cogunt. Fit igitur ex urbe paſſim fuga omnium, vetitoque ne quis exules reciperet, Argos ſe plerique aut Thebas conferunt. Inter eos erat *Thraſybulus*, vir ſtrenuus & domi nobilis, qui rebus arctis & conclamatis audendum aliquid pro patria, etiam capitis periculo ratus, collecta exulum manu, caſtellum Phylen Atticorum finium occupat. Eum Iſmenias Thebanus & Lyſias Syracuſanus orator privatis opibus liberaliter adjutabant. Tyranni interea immemores, *nihil in bello pro levi habendum*, exulum conata principio aſpernari: propius accedentes, dum repellere cupiunt, vinci, ſuſpecta deinde Athenienſium fide, extraneis militibus tyrannidem tueri: Thraſybulum etiam donis aggredi, ut patriæ amorem vanis opibus commutaret. Omnia fruſtra. *Thraſybulus* enim affluente undiquaque milite auctior, invadit Pyræum; Critiam & Hippolochum, tyrannorum ſæviſſimos, prælio occidit; fugientes cives oratione demulcet, xxx ſe dominis, non patriæ inferre arma proclamat. Itaque reverſus in urbem exercitus (tria civium millia conſcripſerant tyranni) xxx illos in ordinem redigit, alios decem deſignat, mox eandem iniquitatis viam ingreſſos. Tyranni Eleuſinem digreſſi Lacedæmonios in auxilium advocant, Athenienſes accuſant defectionis. Mittitur è credulis *Lyſander*, qui Thraſybulianos in Pyræo obſidet, reddidiſſetque tyrannis civitatem, niſi rex Spartanorum ſuperveniſſet Pauſanias: qui adductis ad pacem petendam Pyræenſibus, *tradidit urbem*, excluſa tyrannorum factione, juſſaque apud Eleuſinem ſubſiſtere. Hos deinde, cum copias parare reſciviſſet populus, in colloquium vocatos, ceu pacis victimas jugulavit. Sic membra civitatis diſſipata in unum corpus coïere rurſus, & ne qua diſſenſio ex ante actis naſceretur, decretum, *jurata injuriarum oblivione ſepeliendas in perpetuum inimicitias*, quæ lex ἀμνηστίας appellata.

Cornel. Nepos Thraſybulo.

An. eod.

Dum Athenis iſta fiunt, *in Aſia* grande inter Artaxerxem & Cyrum fratres *bellum* exardeſcit. Cyrum Darius pater Cappadociæ, Ioniæ, ac Lydiæ præfecerat, Artaxerxi natu majori dederat imperium. Sed Cyrum maternus amor ad ſpes altiores improbius accendebat. Occultè paſſim amicos parantem defert ad regem Tiſſaphernes, imperioque inſidiari criminatur. Arceſſitum ad ſe, atque innocentiam ſimulantem, aureis compedibus vincit Artaxerxes; ne interficeretur, matris precibus datum. Dimiſſus igitur *Cyrus*, inimicior ex periculo illataque contumelia factus, auxilia undique contrahit. Lacedæmonii memores ſe Athenienſi bello enixè ab eo adjutos, ſuppetias decernunt: Tamos Ægyptius adducit claſſem. Stipendiariorum XIII millia Clearchus, Byzantio ob tyrannidem pulſus, Chiriſophus è Samo, Proxenus Thebanus, comite Xenophonte (qui expeditionem deinde literis mandavit) aliique duces conſcripſere. Pecuniam Epyanaxa, Syenneſis Cilicum regis uxor præbebat. Viſuſque eſt

Xenoph. de expeditione Cyri Ibi. 1. Diodor. l. 14. Juſtin. l. 5. Cteſias. l. 19.

Cyrus

Cyrus dignus imperio opes animoſque habere, cum juſtitia & fortitudine ac comprimis liberalitate eniteſceret, quibus artibus effecit, ut plurimi ſuum caput periculis ipſius cauſa objectarent. Comparatis ergo centum & viginti millibus militum, per Phrygiam, Ciliciam, Syriam, Arabiam, Babyloniam, ad Medorum uſque fines duxit, ac virtute Græcorum profligatis pene Artaxerxis copiis, quæ ſecundum Xenophontem millies mille, ſecundum Ephorum autem quadringenta millia excedebant, temeritate propria victoriæ fructum amiſit. Perrupta enim cohorte regia, dum interficiendi fratris laudem, pugnæque ſuo marte diſceptandæ cupidius quam prudentius affectat, vulnerato Artaxerxe, ſed à ſtipatoribus ſubtracto incerto ictu
A. M. 3571. *confoditur*, princeps ſane egregius, ſi mortem hanc non fraternis odiis, ſed patriæ ſaluti impendiſſet. Interfectores ejus ſe profeſſi poſtmodum, reginæ matris inſectatione perierunt.

Cteſias lib. 20. apud Photium, & Plutar. in Artax. Juſtin. lib 6. Xenoph. de expedit. Cyri l. 6. & 7. Diod. lib. 14. Cteſias lib. 21.

Tum vero Spartani *more ingenii humani, quo plura habent, eo majora cupientes*, totius Aſiæ imperium affectant; occaſione impulſi ſocietatis, quam urbes Cyri partium in regios Satrapas expetebant. Etenim Artaxerxes Tiſſapherni ſuam filiam omneſque Cyri provincias dederat, cujus etiam fraude evocatos, velut ad convictum, duces Græcorum, qui Cyro militaverant, occidit omnes excepto Menone Theſſalo. At milites Chiroſopho & Xenophonte ductoribus, neque armis à tanto exercitu vinci, neque dolo capi potuerunt, revertentes, inter indomitas nationes, per immenſa itineris ſpatia, per varios caſus, perpetuaque prælia & pericula, ad Pontum ſe penetrarunt, ubi cum aliquot menſibus Seuthi Thracum regulo militaſſent, tandem Thymbroni Lacedæmoniorum duci in Lydia conjuncti ſunt. Præerant tunc Lydiæ Artimas, Phrygiæ Artacamas, Lycaoniæ & Cappadociæ Mithridates, Ciliciæ Syenneſis, Phœniciæ & Arabiæ Dernes, Syriæ & Aſſyriæ Beleſis, Babyloni Roparas, Mediæ Arbaces: Phaſianis, Heſperitis & Armeniis Teribazus: Paphlagoniæ Corylas, Bithynis Pharnabazus. Charduchi, Chalybes, Chaldæi, Macrones, Colchi, Moſynæci, Getæ, & Tybareni ſui erant juris ſinguli. Perque has gentes univerſas Græci perruperant, cum è decem millibus reliqua ſex millia Thymbroni jungerentur, duce Xenophonte. Reliqui in itinere aut cæſi, aut dilapſi, aut tempeſtatibus enecati, aut capti venditique fuerant. Iis ſubnixus auxiliis Thymbro, Pergamum, Teuthraniam, Haliſarniam, aliaque oppida Tiſſapherni ſubito ademit. Sed cum ad Lariſſam hæreret, ſociis gravis & infeſtus, impar ei bello eſt judicatus, ſuffectuſque illi ab Ephoris Dercyllides advenit in Aſiam: qui ſtatim oſtendit, quantum inter cordatum & ſocordem bellatorem intereſſet. Vires enim aſtu ſibi doctus adſtruere, ſimulata cum Tiſſapherne amicitia, Pharnabazum ſolum aggreſſus eſt, unoque octiduo novem Æoliæ cepit oppida, ac ne ſociis oneri eſſet, in Bithynia hibernavit. Mox per inducias Cherſoneſum adverſus Thraces communivit, magnificiſque honeſtatus muneribus in Aſiam reduxit copias.

Xenoph. lib. 7. *Olymp. 95. Xenoph. Hel. l. 2.*

Dum ille ob præclare obitam militiam præmiis afficitur, & *Cteſias* Cnidius ob medicinæ peritiam in honore eſt Artaxerxi, Athenienſes *Socratem* philoſophum, quod Deos eorum contemneret, *capitis damnant*, mox ſeipſos erroris, quod tanti pretii virum temerè abſumptum fruſtra deſiderarent. Igitur accuſatores ejus *Anytum* & *Melitum*, ne dicta quidem cauſa, mortuo inferias mittunt. *Paryſatis* mater Artaxerxis, in nurum ſuam *Statiram* ferali ardens odio, crudeli eam fraude peremit. Nam diſſecta cultro avicula, cujus alterum latus veneno tinxerat, alterum non, unam partem ipſa incolumis edit, altera reginæ mortem attulit. Tum vero *duobis in locis bellum* ſumma vi inſtruebatur, ab Artaxerxe *in Aſia* adverſus Lacedæmonios.

Diodor. Sicul. lib. 24. Cteſias lib. 21. A. M. 3572. *Plut. Artax.*

nios, cum quibus Pharnabazus & Tissaphernes inducias erant pacti, & à Dionysio *in Sicilia* adversus Carthaginenses, qui Græcas ibidem civitates dura servitute premebant. Alliciebat Dionysium lues, gnarum præcipuas Pœnorum vires ea fœdissime prostratas. Quare benignius habitis Syracusanis, ostensaque præda Punica, haud difficulter expeditionem sumere persuasit. *Diod. l. 14.* Armorum vim stupendam, conquisitis hinc inde artificibus, catapultas quoque & quinqueremes primus tunc comparaverat, stipendioque & præmiis insuper ingenia virorum excitabat. *Liv. l. 5.* Quem æmulati *Romani*, cœperunt itidem æra persolvere militi, atque hoc pacto plebem sibi patres obsequentissimam reddere, adeo ut creatis iterum loco Tribunorum militarium Consulibus, Anxur, quæ nunc *Tarracina* est, animose expugnaretur.

At Dionysio sub signis erant LXXX peditum, tria equitum millia, naves longæ CC, onerariæ 10, summisque viribus *Motyam* Pœnorum coloniam oppugnabat. In hanc, clanculum x triremes immittit *Imilco*, Prætor Carthaginensium, quæ noctu in portum Syracusanum invectæ, centum iis triremes omnibus insciis corrumpunt. Mox adducta centum navium classe, Motyæ obsidionem solvere conatur Imilco, sed fortiter repellitur. *Olymp. 90. Diodor. Sic. l. 14.* Motya plurimo utrinque sanguine defensa oppugnataque, Dionysio dedit manus. Sed Imilco mox fortior ab Carthaginensibus reversus, ultra centum & triginta peditum, quatuor equitum millia, sexcentis advexit navibus, queis Erycem capit, recuperat Motyam, Messanam etiam diruit, Dionysium à multis civitatibus desertum, Syracusis regia urbe includit. Inde Leptinem classis Siculæ præfectum superat, naves Dionysii centum partim captæ, partim obtritæ, cæsa virorum viginti millia, ac portu Syracusano bis mille navium classe obstructo, urbs ab exercitu pedestri circumsessa est. Ea felicitate intumescens *Himilco*, ut nihil sacri profanique habuit, ut mortuorum sepulcra, ut Deorum, qui putabantur, templa expilavit, statim ex adverso ab æterno cæli Numine est oppugnatus. Pestis enim violentissima corripuit exercitum, magnaque ejus partium multitudine absumta, reliquos in stuporem egit. *Justin. l. 19.* Centum & quinquaginta hominum millia ea lue feruntur periisse. Ea occasione bellè usus Dionysius, simul terra marique silente luna invadit hostem, cumque ignem navibus admotum ventus longius tulisset, pleramque Pœnorum classem cremat, milites acie fusos in castra repellit, obsessoresque suos obsidet. Nimirum perbrevi apparuit: *quam sit imbecille hominum adversus cælestes iras robur.* Nam Himilco, rebus desperatis, abitum sibi auro redemit ab Dionysio quem antea extrema sibi coëgerat timere, lectisque Carthaginensibus fugæ sociis, trepidus in Africam refugit. Siculi auxiliares domum quisque dilapsi. Reliquam Barbarorum multitudinem Syracusani addixere servitio, demptis Hispanis, qui cum pro libertate mori decrevissent per Caduceatorem eam impetrarunt, & in stipatores Dionysii allecti sunt. *Diod. Sic. l. 14.*

Tantis Carthaginensium infortuniis exerciti *Afri*, rebellionem moliuntur, aspernatique imbecilles & contusas undique vires Carthaginis, Tunetum occupant, in aciem procedentes intra muros coërcent. Sed ut sunt *vulgi motus inconstantissimi*, colluvies ducentorum millium, deficiente commeatu & consiliis subito dissipata emarcuit, nec Dionysii in Pœnos, nec Pœnorum in Siculos, nec Afrorum in Pœnos consilia & molitiones eum, quem repertores voluerant, exitum habuere.

Imilco pertæsus infamiæ, *inedia* sibi vitam detraxit.

Nec felicior Tissaphernis *per Asiam* fuit *expeditio*, initio læta quidem, sed funesta fine. Primum Artaxerxi autor fuit, ut *Cononem* è Cypro evocatum, navali bello præficeret, Lacedæmoniis interim Eleos per Agidem regem edo-

mantibus, cui Ageſilaus frater ſucceſſit: præterito ejus; ob ſuſpectam originem, filio. Ageſilaus egregiis cum copiis in Aſiam miſſus, petitumque à Nephreo, Ægyptiorum rege (Juſtinus Herſyniomem vocat) claſſis auxilium eſt. Itaque par ducum, quibus omnia pene paria Numen dederat, inter ſe commiſſum. Sed Cononem ſeditio militum invadit, eo inſtantius debita poſcentium quo *graviorem ſub magno duce militiam* præſumebant. Conon diu rege per epiſtolas fruſtra fatigato, ad poſtremum ipſe ad eum pergit, nec ſine adoratione admiſſus, ne patriæ dignitatem violaret, per internuncios agere maluit, quam ſervitutis ſignificationem dare. Ergo unum impenſæ procuratorem poſcit; cauſatus *perniciosum eſſe plurium in re nummaria miniſterium.* Dato ſtipendio, nullam agendis rebus moram paſſus, multa fortiter, multa feliciter facit, agros hoſtiles vaſtat, urbes expugnat: Rhodios à Lacedæmoniorum avellit ſocietate, eorumque etiam urbe recipitur. Tum qui donatum ex Ægypto frumentum advehebant, dum confidenter inſulæ, tanquam amicæ, naves advertunt, totum apparatum Conon intercipit. Mox etiam LXXX Phœniſſis, decem Ciliſſis navibus claſſe aucta, terribilis ſe per univerſum mare infert.

Juſtin. lib.6.

Diod. lib.14. Xenoph. lib.3. Hiſt. Gracor. Plut. in Ageſilao.

Nec ſegnior *Ageſilaus* univerſam Lydiam ad ipſas uſque Sardes prædæ habet, pertractaſque in inſidias Tiſſaphernis copias diſpergit, atque ejus opulentiſſimis caſtris potitus, quæ clades Tiſſapherni, tanto regis amico capite ſtetit. Nam Artaxerxes tam indigne accepit jacturam, ut imperium ei abrogaret, ſucceſſoremque mitteret *Tithrauſten*, qui Coloſſas profectus Phrygiæ, Tiſſapherni in balneis capto caput præcidi, & ad regem deferri mandavit. Non ſine optatiſſimo Paryſatidis reginæ gaudio, ultionem hanc filii ſui Cyri manibus dudum exigentis.

Paulo poſt eadem Nemeſis *Lyſandrum* Athenarum perniciem perdidit. Nam qua invidia Athenæ conciderant, jam occulte etiam in Spartam exardeſcebat, inflammata acrius auro Perſico, quod Tithrauſtes clam dari principibus curaverat. *Intolerabilis quippe inter pares nimia felicitatis potentiæque perſuaſio.* Quare cum Phocenſibus litigiis miſcerentur Lacedæmonii, Athenienſes Bœotis opem ferunt, ducemque Spartanorum *Lyſandrum*, ac Phocenſium non paucos, Haliartum obſidentes *trucidant.* *Pauſanias* dux alter Lacedæmoniorum, quod cæſorum cadavera non marte, ſed per inducias repetiſſet, domi proditionis accuſatus, vitandæ morti Tegeam *in exilium* proficiſcitur.

Xenoph. lib.3. hiſtor. A. M. 3576.

Idem in Lacedæmonios odium Argivos & Corinthios Bœotis adjunxit, quibus ſtatim Eubœa univerſa, Leucadii, Acarnanes, Ambraciotæ & Chalcidenſes, Thraciæ accolæ, unanimi invidia acceſſerunt, fœduſque Lacedæmoniis formidoloſum ictum: Heraclea ipſorum colonia expugnata, Phocenſes ab Iſmenia Thebano cæſi ſunt. Jamque ipſi Spartæ minabantur principes Græcorum populi, cum Ageſilaus ex Aſia, ubi dudum res magnas gerebat, ad defenſionem revocatus patriæ paruit. Ejus quoniam ferus adventus erat, collecto exercitu obviam hoſti procedunt Spartiatæ, duce Archidamo, protractoque in noctem uſque prælio hoſtes pellunt, victoria haud incruenta. Eam tamen Ageſilao, Thraciæ Amphipolin tranſeunti, nunciavit Dercyllides, atque mox ad relictas in Aſia copias famam eandem pertulit, triſtiſſimo confeſtim nuncio interruptam. Etenim *Cononis virtus ad Cnidum Laconicas opes fregerat*, adjuvante è Perſis Pharnabazo, ubi L Lacedæmoniorum triremes captæ, reliquæ in fugam actæ. Piſandro, quem Ageſilaus affinitatis cauſa (erat enim uxoris ejus frater) claſſi præfecerat, navalibus prælis interempto. Idque initium Athenienſibus reſumendæ potentiæ, & Lacedæmoniis habendæ finis fuit. Continuo enim ſocii fortunam maris ſecuti, Coi, Chii, Teii, Mityle-

Plutar. in Ageſilao.

A. M. 3577.

Xenoph. lib.3. Hellen. hiſt.

Juſtin. lib. 6.

tylenæi, Ephesii, ad Persas defecere.

An. eod. Diodor. Sicul. lib. 14. è Theopompo Chio, qui hic desiit. Xenoph. lib 4.

At nihil demissior animi *Agesilaus*, Thebanos, Corinthios, Argivosque *ad Coronæam* aggressus, indurato multis expeditionibus milite, tandem prostravit, acri & cruento prælio, quo ipse graviter sauciatus, Delphos se curavit deportandum, & Gylis polemarchus in Locros pergens periit.

Cæterum Bœoti cum sociis nihilo remissius bellum apparabant, cæsis etiam crudeliter, si qui Persicæ largitionis expertes, studiosius conficiendæ paci incumberent. Eorum quidam exules, Lacedæmonios ad Corinthum occupandam instigant, & notabilem suis populariibus procurant cladem. Murorum enim Corinthiorum partem diruit Praxites, Spartanorum dux, erectoque propugnaculo grandiores eruptiones inhibuit Bœotorum. Interim Conon & Pharnabazus, memores Agesilai injuriarum, ad depopulandos Spartanorum agros veniunt, Cytheram insulam capiunt, vastatisque Laconicæ finibus, Conon Athenas pergit, ac dirutos à Lacedæmoniis muros, ex eorundem spoliis restituit.

Livius lib. 5. Diodor. Sic. l. 14. Olymp. 97.

Dum ita Conon Athenienſibus ſuccurrit ſuis, eadem felicitate *Camillus Romanos* terrore perculſos liberat. Titinius Genutiuſque Tribuni militares ex plebe (paucis ante annis hoc imperium cum plebe communicatum fuerat) bellum adverſus Faliſcos & Capenates majoribus animis quam conſiliis geſſerant, ſeque & exercitum præcipitaverant in inſidias. Miles Romanus ad Veios ægre à fuga retinebatur. Igitur fatalis dux ad excidium Veiorum, ſervandæque patriæ dictus Dictator M. Furius Camillus. Faliſcos & Capenates non tantum prælio fudit, ſed caſtris quoque exuit. Veios acto in arcem cuniculo, & immiſſo repente milite cepit. Urbs Italicarum opulentiſſima direpta, decimæ Apollini Pythio votæ. Hæc urbs decem æſtates hyemeſque continuas circumſeſſa, cum aliquanto plus cladium intuliſſet quam accepiſſet, operibus tandem non vi expugnata, vel ultima clade magnitudinem ſuam indicavit.

Longè pertinacior Sparta Veiis, amiſſumque maris imperium denuo Athenienſibus extorquere annixa eſt. Thraſybulus Therimachum Spartanum in Lesbo inſula vicerat, reges Thracum Amedocam & Seuthen Athenienſibus aſſociaverat, Rhodumque appulerat. Adverſus illum Lacedæmonii miſſa claſſe, Samum Rhodumque inſulas in ſuas traducunt partes, & navibus undique contractis, præſtantiſſimos in eas claſſiarios deſcribunt. Interim Teribazo Satrapæ per Antalcidam legatum pacem offerunt, qua Græcis omnibus libertas ſanciretur; quæ tamen ne rata eſſet, Conon impedivit pro Athenienſibus & Bœotis: Sed Cononi id accidit, quod ſolet mortalibus, *ut inconſideratior in ſecunda, quàm adverſa eſſet fortuna.* Clam enim dare operam cœpit, ut Ioniam & Æoliam reſtitueret Athenienſibus. Id quum male eſſet celatum, à Teribazo, qui Sardibus erat, quaſi magna de re revocatus, in vincula conjicitur, atque in iis periit. Teribazus quidem Spartanis erat amicior, at Struthas novus dux, alia edoctus in Ionia, Thymbronem à Lacedæmoniis ablegatum cum exercitu, ex improviſo adoritur, & in conflictu ſternit. Ejus necem continuo ultus eſt Teleutias, frater Ageſilai, captis aſtu filia Struthæ & genero Tigrane, prædaque ingenti parta, unde & militibus ſtipendia diſſolvit. Mox Thraſybulum quoque ſua fata oppreſſere. Nam quod negligentius haberet milites, & Aſpendiorum agros vaſtari ſineret, ad fl. Eurymedontem in Pamphylia nocturna barbarorum oppreſſione cecidit. Viro fortiſſimo militaris licentia ſtetit capite ſuo.

Nepos Cone. Xenoph. lib. 4. hiſtor.

Eodem tempore Dionyſius Græcos etiam, in Italia habitantes, bello exagitavit. Cum enim Thurios à Lucanis attritos ſciret, Rheginos, Meſſenios, Caulonioſque afflixit graviter, ut magnâ Græciâ de ſuo arbitrio abuteretur. Crotoniatis quidem devictis, inſolita tyran-

Diodor. Sic. l. 14.

nus liberalitate veniam dedit, at Rheginos post multiplices casus fame perdomitos, sub hasta vendidit, demptis tantum iis, qui mina argenti caput redimere suum possent.

In eandem pene calamitatem in altera Italiæ parte *Romani* incidissent, à Gallis infestati, nec sine culpa sua, nisi fatali quadam *Camilli* felicitate è præsenti essent exitio vindicati. Ea res ita habuit.

Justin. lib.10. Livius lib.5.

Ante ducentos annos *Galli in Italiam* transcenderant: recentissimi iis advenæ nuper accesserant *Senones*, & abundante multitudine Clusinorum agris inhiabant. Clusini exterriti legatos Romam, qui auxilium ab senatu peterent, misêre. Datum est nomini Italico, ut tres legati, M. *Fabii* Ambusti filii ad Gallos irent, bellumque amica expostulatione præverterent. Hi cum parum pro Clusinis effecissent, contra jus gentium in Gallos pugnare ausi, præferocem populum in Romanos concitarunt. Cum deinde postulati non dederentur, sed tribuni etiam militares consulari potestate crearentur, flagrantes ira *Galli* citato agmine *Romam* petunt, imparatos apud fl. Alliam fundunt prælio, urbemque *occupant*, dempto Capitolio, in quod pars civium se receperat, potissimis eorum Vejos profugientibus. Capitolium cum diu obsedissent Galli, & jam Romani fame cruciarentur, ac nobilissimi ex iis quique in ipsis honorum insignibus cæsi occubuissent, in summa trepidatione *Camillus absens Dictator creatus est.* Hic antea ob prædam inique, ut ajebant, divisam, iniquius damnatus, Ardeæ exulabat. Jam vero collectis, qui Vejos transfugerant, Gallos improvisos gravissime prostravit, datoque auro removit ex urbe. Quod cum illi maligno pondere admetiendum postularent, iterato prælio ita eos cecidit, ut vix cladis nuncium relinqueret. Ita tertio triumphans urbem ingressus est, & appellatus secundus Romulus: quasi & ipse patriæ conditor. Hic tanta innocentia fuit, ut cum Falisco obsideret, ludi literarii magistrum, qui principum filios ad eum adduxerat, vinctum iisdem pueris in urbem redigendum & verberandum traderet. Senones (qui Suevi Aventino) cum Dionysio Siculo amicitiam & fœdus iniere.

A. M. 3584. V.C 365. Olymp. 98.

Livius l.5. Eutrop. l.1. Florus l.1.c.13. Aurel. Victor. de viris illustribus.

Eutrop. l.1.

Sext. Aurel. Victor.

Justin. lib.10. Avent. lib.1. Xenoph. lib.5.

Insignis is annus tum Romæ casu, tum *pace Græcorum* fuit, quam procuratu *Antalcidæ*, denuo, satisque opportune Artaxerxes promulgavit. Edictum proposuit *Teribazus*, quo rex civitates Asiæ sibi asserebat, ex insulis etiam Cyprum & Clazomenas, reliquas Græcorum urbes, magnas parvasque, liberi juris pronunciabat, præter Lemum, Imbrum, & Scirum, quæ priscitus Athenienſium juris erant. Diversum sentientes hostes judicabat. Fessi igitur tot malis Græci cupide paruere, demptis Thebanis, qui coacti potius cæterorum conspiratione quam volentes tunc quidem quievere.

A. M. 3585. *Justin. lib.6. Diodor. lib.14.*

Mox potentia Persarum in Evagoram Cypri & Acorin Ægypti reges incubuit, haud impares ad resistendum. Evagoras enim octenni præparatione ducentas sibi naves, & firmas pedestres copias contraxerat, Ægyptiisque & Tyriis opibus sustentabatur. At ingens Persarum vis initio ipsa sua mole laborabat, subtracto per Evagoram commeatu. Sed postquam Caos archithalassus tota classe è Cilicia subvexit frumentum, Evagoras navali prælio succubuit. Atque à Teribazo & Oronte captis Cypri oppidis, in Salaminem rex urbem compulsus, priusquam ad extrema veniretur, Salaminis imperium pactus est, atque ut Artaxerxi regia esset, non servili subjectione obstrictus. Durante bello Orontes, gener Artaxerxis Teribazum collegam, virum longè fortissimum, collusionis cum Evagora improbe insimulaverat, sperans properam æmuli perniciem. At rex Caduſiorum bello implicitus, causæ cognitionem distulerat. Hinc pacem nactus ut calumniæ convictum animadvertit generum, ex amicorum eum catalogo expunxit, paratamque Teribazo ignominiam delatori ipsi inflixit justissime. Iniquius contrà pacem Dionysius & Lacedæmo-

Diodor. Sic. l.15.

dæmonii tulere. Dionysius otio lasciviens non minorem se Poëtam, quam bellatorem ferebat. Fuerat enim scriba, priusquam tyrannidem capesseret. Itaque ut *solent fortunati omnia sibi credere*, reprehensus à Platone Philosopho & Poëta Philoxeno, indignissime accepit tyrannicum ingenium liberioris hominis spiritus; illum quidem quinque minis vendidit, hunc vero in lapidicinas dedit. Postea Plato *cum potentibus sibi aut rarissime, aut jucundissime conversandum*, Philoxenus domini reprehensionem erudita comitate condiendam didicit. Interim tyrannus famam non potuit exorare, quin plus libertati humanæ quam potentiæ tribueret. Cui impar, miseranda ambitione totum genus humanum, ut virtutibus suis infensum, criminatus est.

Georgius Gemistus lib. 1. Cornelius Nepos in Dione. Diodor. Sicul. lib 15. Laërt. in Platone.

Inde conflato iterum Charthaginensibus bello, cum clade affecti honestissimam ei pacem offerrent, versa belli fortuna, parte ditionis est exutus: coactusque redimere pretio, quod vendere prius noluerat.

Cæterum Lacedæmonii imperare assueti Græcis, alienam in pace libertatem indignabantur, & omnes reparandæ potentiæ occasiones curiose circumspectabant. Supervenit Gaos Persa, & currentibus addidit calcar. Igitur minora oppida pro arbitrio tractare, Mantinenses vero Arcadum præcipuos, qui in unum semet oppidum collegerant, ad diruendos muros armis cogere instituunt, novique per Græcos dissidii autores, ea spargunt semina, unde ipsis maxima tandem clades fuit metenda. Accendit interim & animos Amyntas, qui ab Illyriis Macedonia pulsus, cum præter spem eam recuperasset, Pellam, aliaque Olynthiis donata oppida repetebat, perque Apollonitates, & Acanthios à Spartanis corrogabat suppetias. Missus Phœbidas dux arcem Cadmæam Thebanorum, à Leontiade proditam occupat, quam gnari à se contra fœdus occupatam Spartani nihilo magis restituunt, sed & diversum sentientes Thebis injurioše ejiciunt. Interim ne iniqui videantur, ducem prætura multant, cujus factum ipsi judices defendere non abhorrebant. Ergo suffectus Phœbidæ Teleutias, ab Olynthiis cum flore exercitus occiditur. Mox tertius dux Agesipolis febri perit: Polybides tandem fame subactos Olynthios ad jungendam cum Spartanis societatem perduxit, unde florentissima iterum Lacedæmoniorum civitas visa. Nam à regibus Persarum, Ægypti & Siciliæ colebatur; Thebanos præsidio coërcebat: Corinthii Argivique demissis erant animis. Athenienses prorsus inglorii.

Xenoph. lib. 1. Diodor. Siculus l. 15.

Olymp. 100.

Sed *magnæ sæpe res non ita magnis copiis sunt gestæ, validissimæque opes ab tenui sæpe initio profligantur.* Idque etiam tum Lacedæmoniis accidit. Septem adolescentuli exules coierunt pro Thebis recuperandis, ductore Pelopida. Ii vesperascente cœlo, vestitu agresti Thebas perveniunt, vinolentos magistratus, Venerique quam Marti intentiores matronali inducti habitu opprimunt. Hinc vulgo ad libertatem vocato, adjutu Athenienšium, præsidium ex arce depellitur. Paulo post Thebani ab Athenienšibus, metu Spartanorum deserti, desertores strategemate ad renovandum secum bellum inducunt. Nam Sphodriæ præfecto Thespiensium oblatis muneribus persuadent, ut Atticos agros vastet, Pyræoque struat insidias. Ea injuria irritati Athenienses, facile iterum Thebanis arma sociant, Chios, Rhodios, Byzantinos, Mitylenæos ad defectionem trahunt, LXX civitates subito in Spartanos armantur. Contra Spartani adhuc multitudine superiores, Agesilao duce in Bœotiam movent, & hostes ad prælium populationibus provocant. Sed frustra. *Chobrias* enim dux præoccupatis, quæ opportuniora erant bello, locis, facultatem dedit suis coërcendi populationes. Ipse *ad Naxum* navali certamine *profligat Lacedæmonios*, atque Athenienšibus priscam fortitudinis existimationem restituit, mox etiam Timotheus clementiæ. Ex-

Xenoph. lib. 5. Nep. Pelop. Diodor. Sicul. l. 15.

A. M. 3595.

pugnata enim Corcyra, à direptione & injuria cohibet militem, eaque justitiæ fama multas civitates ad populare imperium, colendamque cum Athenienſibus ſocietatem allectat.

Interim *Romæ* eodem tempore capitale *M. Manlio* nimium populi ſtudium fuit. *Olymp. 101.* Comperto enim, quod profuſis largitionibus invidiam ſenatui, aditumque ſibi ad regnum ſtrueret, in vincula conjectus eſt, è quibus interventu plebis exemptus, cum populum, cujus precibus evaſerat, ad rebellionem concitaret, de ſaxo Tarpeio, quod olim maſcule adverſus Gallos defenderat, dejectus periit: *locuſque idem in uno homine & eximiæ gloriæ monumentum, & pœnæ ultimæ factus.* *Livius lib. 6.* Similiter Corinthi, Megaris, Sicyone, complures perduellionis ſunt damnati, quod Artaxerxis autoritate, nova per Græciam pax, & cum pace libertas civitatum invaluiſſet, primorumque multi adminiſtratæ reipub. rationes crudelius ſæpe quam juſtius poſtularentur. At Thebani, autore Epaminonda, tranſactioni contradixerunt valide, nec Lacedæmoniis continentis imperium, quod Athenienſes, ut mari potirentur, jam conceſſerant, ratum habuere.

Tum vero Artaxerxes, collectis è Græcia XX mercenariorum millibus, pluribus annis adornatum *bellum adverſus Ægyptios* pridem rebelles geſſit. Iphicrates Athenienſis Pharnabazo collega datus, & claſſis quingentarum navium in Ægyptum ducta eſt, barbarorum millia ducenta. Patefacto Ægypti aditu, quem Nectanebus Rex diligentiſſime obſtruxerat, nihil præterea geſtum, oborto inter Pharnabazum & Iphicratem diſſidio. Cum enim Iphicrates Memphin præſidio vacuam oppugnare cuperet, importuna Pharnabazi cunctatione res extracta, ac mox inundante Nilo terram, infecto bello diſceſſum eſt.

Xenoph. lib. 6. Confeſtim inquietudo iterum inceſſit Græcos, Athenienſibus populari civitatum regimini, Lacedæmoniis Ariſtocratiæ patrocinium venditantibus: Deuſque iraſcens inſanis mortalium tumultibus, *Helicen & Buram*, Achaïæ urbes, *undis marinis terræque hiatibus abſorpſit* Fax quoque ſtupendæ trabis inſtar diu arſit in æthere, vanamque hominum confidentiam cæleſti incendio exterruit. A. M. 3599.

Nihilominus *Lacedæmonii Thebanis bellum* faciunt, jam deſertis ab Athenienſibus, quod Platæenſes & Theſpienſes injuſtius è Bœotia exegiſſent. Quamobrem Cleombrotus per Phocidem copias ad Bœotorum fines produxit, cui Thebani, creato *Epaminonda* imperatore, apud Leuctra occurrunt, ubi quondam Scedaſi filias Spartanorum legati violaverant. Atqui Jaſon quidem Pheræus ambigua fortunæ perpendere, ac jure quam armis experiri juſſerat. Verum Lacedæmonii, alterius ducis Archidami ſuperventu pertinaciores, ferro diſceptandum judicabant. Quare concurrentibus aciebus *cadit Cleombrotus*, Spartanorum quatuor millia ſternuntur, victoria Thebanis cedit, antiquiſſima Lacedæmoniorum Reſpublica, quæ annos quingentos principatum ſibi vendicarat Græciæ, ſuapte ſuperbia, uſurpato pridem honore dejicitur. A. M. 3601. *Olymp. 102.*

Is caſus Jaſonem Pheræum in ſpes fortuna ſua altiores pellexit. Everſa enim Heraclea, Theſſalorum ſe ducem facit, deſcriptoque oppidis tributo VIII equitum, XXX peditum millia cogit, atque imperium Græciæ animo agitat, junctis cum Amynta Macedoniæ rege conſiliis. Sed unus annus mox ambos abſtulit, magnumque incuſſum Græciæ terrorem ſubita regum fata diſſiparunt. *Xenophon lib. 6. Hiſt. Græc. Diod. Sic. lib. 15.*

Secuta & *mors Ageſipolidis* Spartæ regis, & novum pro Arcadum factionibus bellum, quarum una Thebanos, altera Lacedæmonios imploraverat. Mantinenſes iterum à Lacedæmoniis muros reparare vetiti, Thebanorum fulciuntur opibus. Hiſce ergo ſuppetias ituri *Epaminondas & Pelopidas*, adſcitis Locris, Argivis & Eleis, cum L millibus militum *Æmylius Probus aut potius*

Cornel. Nepos in Iphicrate. litum in Laconiam irrumpunt, Spartæque occupandæ spe dejecti, quod eam cives heroice defenderent, & Iphicrates Athenienſium dux auxilia eis adduceret, univerſam terram hoſtiliter depopulantur, inque Arcadiam revertuntur præda graves. Inde Meſſenen quondam à Lacedæmoniis dirutam inſtaurant, urbem irreconciliabili Spartæ odio flagrantem. Lacedæmoniis vero ab Artaxerxe, Dionyſio & Athenienſibus auxilaires veniunt copiæ, quibus ſuffulti, dum Bœoti *Olymp. 103.* Theſſalis opem ferunt, novo ſe de ſumma rerum certamini parant. Pelopidas à Bœotis ad Alexandrum Pheræum, quem arce quadam antea ſpoliarat, ablegatus, inopinato vinculis conſtringitur. Eum expedire volentes Bœoti, ab Alexandri equitatu circumfunduntur. Inque extremo verſantes periculo, Epaminondam, ex ſuſpicione aliqua imperio motum, de gregario milite iterum ducem creant, ejuſque peritia militari ſtatim liberati, Pelopidam quoque Pheræo extorquent. *Pelopidas*, poſtmodum ſumpto exercitu, dum *A. M. 3608. Xenoph. l. 6. Diod. Sic. lib. 15.* acie Alexandrum vincit, *cadit* ipſe, libertate Theſſalis conciliata, qui funus ejus exquiſitiſſimis honoribus affecêre. Tyrannus paulo poſt, à propriæ uxoris fratribus in thalamum introductis jugulatus, ſævitiæ pœnas exſolvit. *Timophanes* quoque Corinthi tyrannidem ſpe complexus, in ipſo conatu à germano fratre Timoleonte perimitur.

A. M. 3604. Nepos Timoleonte. Nepos Dione. Alius tyrannus *ſenex Dionyſius*, è crapula æger, ſoporifero potionatus medicamento *animam exſpiravit*, non invito filio *juniore Dionyſio*, qui regno potius quam moribus ſucceſſit paternis, *otium ratus imperium, quo nihil eſt in mundo negotioſius.* Necdum erat finis Thebanorum Spartanorumque odii. Arcades grandi *Olymp. 104 Xenophon lib. 7. Diod. l. 15.* ſtrage conſternati, Megalopolin condiderant. Inde Mantinenſes paci inter Eleos & Piſanos factæ obluctantes, reliquos in ſe Arcades accendunt. Decurritur iterum ad Thebanos & Lacedæmonios: Iterum *Epaminondas* Spartæ ipſi inhiat, pueris & ſenibus ægre eam tuentibus, donec Agis à Tegeatibus robur exercitus reduceret. Itaque *ad Mantineam* occupandam feſtinans Epaminondas, ſequentibus validiſſimis hoſtium copiis, arduum præ- *A. M. 3609.* lium facit, in quo dum non ducis tantum, ſed fortiſſimi etiam militis officio fungitur, ſuo ſanguine parta Theba- *Valer. Max. l. 1. cap. 2.* nis victoria lætus *decedit*.

Hoc velut mucrone teli ablato, Thebanæ reip. vires hebetatæ ſunt, ut non tam illum amiſiſſe, quam cum illo cecidiſſe viderentur. Fuerat enim vir patriæ quam ſui ſtudioſior, pecuniæ ſummus contemptor, literarum meliorum ſcientiſſimus. Eo defuncto, *pax* tandem *Græciæ* malis feſſæ arriſit, *Georg. Gemi. l. 1.* excluſis tamen Lacedæmoniis, quod antiquos hoſtes Meſſenios patria frui non ſinerent. Ob id etiam Artaxerxi regi, pacis promotori, ſuccenſentes Lacedæmonii cum Tacho Ægyptiorum rege, aliiſque rebellibus Satrapis in Perſas jungunt arma. Ii erant Ariobarzanes Phrygiæ, Mauſolus Cariæ, Orontes Myſiæ, Autophradates Lydiæ principes: Et Ionum Lycii, Piſidæ, Pamphilii & Cilices: Syri quoque & Phœnices. Imo iſtis omnibus fortior bellator *Datames*, qui nuper Aſpim Cataoniæ regulum vivum ceperat, & è ſumma Artaxer- *Cornel. Nepos D* xis benevolentia non minorem erat aulicorum invidiam conſecutus. Itaque livoris prævertendum ratus ictum, Ariobarzanis ſe partibus clam applicavit, conjunctamque Cappadociæ intercepit Paphlagoniam. Mithribarzanem ſocerum ſuum, qui ad Artabazum profu- *Diod. l. 15.* gerat, prius aſſecutus exercitu eſt, & vicit, quam proditionem ille meditatam exſequeretur. Sed qui multos conſilio & celeritate ſuperaverat, ſimulata tandem Mithridatis amicitia captus periit. Idemque pene reliquis defectoribus caſus accidit; quibuſdam illorum muneribus, quibuſdam armis, aliis aliorum inſidiis oppreſſis. Tachon Ægyptium in Phœnicia jam ſtativa habentem, præfectus in Ægypto relictus, regno dejecit, ejuſque Nectanebum

bum filium ad impiam patris proditionem impulit. Nectanebus ab Artaxerxe præpositus militi Ægyptio, insidiasque genitori struens, eo illum indignationis perpulit, ut irato se Domino, quam scelerato filio mallet tradere. Et respondit præcipiti consilio eventus. Tachos enim ad Artaxerxem profectus, non tantum defectionis impetravit veniam, sed & copias ad recuperandum de filio regnum, quod mox etiam virtute & consilio Agesilai, Lacedæmoniorum regis, quem belli habebat socium, inopinatus recepit. Nihilo meliorem rex ipse Artaxerxes in Dario filio pietatem est expertus, quem regem jam pronunciaverat. Cum enim datam ei temere pellicem Aspasiam, qua & ipse & frater Cyrus usi fuerant, sacerdotem solis creasset, ut ab incesto filium amore abduceret, amentibus amantis Darii insidiis petitur. Quibus detectis, occidit quidem furentem amore filium, sed paulo post ipse mœrore confectus obiit, rex quam pater fortunatior. Egisse regnum scribitur annos 43, pacis, si quisquam regum, studiosissimus.

Just. l. 10. Plutarch. Artaxerxe. Ælia. l. 12. Var. hist. cap. 1.

Sub eo liberalibus studiis *scholæ* efflo-
ruerunt. In Judæa summo sacerdote Jo-
natha, qui & Johannes, *legis Divinæ*
Doctores & scribæ erant in pretio. Apud
Græcos *Philosophi* Plato, Xenophon,
Diogenes, Parmenides, Anaximenes
Lampsacenus, Aristippus, Antisthenes:
Rhetores item Isocrates ejusque discipuli:
Mathematici quoque Eudoxus Cnidius,
Archytas Tarentinus: *Historiographi*,
præter Xenophontem, memorantur
Hermias Methymnæus, Duris Samius,
Anaximenes Lampsacenus, Philistus Si-
culus, Dionysiodorus & Anaxis Bœoti,
quos omnes Diodorus Siculus & citat, &
hujus ævi condidisse historias indicat.

Nehem. 12 11. 22.

Diogenes Laert. lib. 3.

Diodor. l. 15.

Hoc rerum statu *apud Romanos* suba-
ctis jam Prænestinis & Latinis securiores,
parva (ut plerumque solet) *rem ingen-*
tem moliundi causa intervenit. M. Fabii
Ambusti filiam malo arbitrio, *quo à pro-*
ximis quisque minime anteiri vult, ple-
bejæ domus, in qua nupta erat, pœni-
tuit, quod risui sorori fuisset, dum hono-
rum insueta lictorem virga fores percu-
tientem tremit. Itaque socer cum gene-
ro C. Licinio, consilia inire cœpit, de ma-
gistratibus patriciorum cum plebe com-
municandis. Fiunt ergo Tribuni plebis
Licinius & L. Sextius, decieſque refecti,
pervicacibus studiis tandem rogationem
perferunt, ut alterum è plebe Cos. ha-
bere liceat. Concessum vicissim, anni-
tente Camillo, patribus, de prætore uno,
qui jus in urbe diceret, è nobilitate crean-
do: additique ædiles Curules è patri-
ciis, qui maximis ludis præessent. Pri-
mus consulatus L. Sextio, cujus lege par-
tus erat, datus, honoris populo adstructi
præmium.

Livius lib. 6. Florus l. 1. c. 26.

Artaxerxes Ochus.

Artaxerxi Mnemoni è 360 pellicibus centum & quindecim filii fuere, sed tres tantum justo matrimonio susceptі, Darius, Ariarathes & Ochus. Darius cum L fratribus in caput patris horrendo scelere conjuraverat, deprehensusque cum sociis, pœnas Deo majestatis paternæ ultori dederat. Conjuges quoque omnium cum liberis interierant, ne quod vestigium tantæ superesset impietatis. Hæreditas imperii Persici *Ocho* tradita, qui ob patris laudes Artaxerxis quidem nomen assumsit, at mores contemsit. Omnes enim Persarum reges crudelitate & sævitia superavit. Initio statim metu paris conjurationis, cognatorum cæde, & strage principum replevit regiam, non sexus, non ætatis permotus misericordia, quasi data opera id ageret, ne innocentior fratribus parricidis haberetur.

A. M. 3610. *Olymp.* 104. *Hebdom.* 15. *Just. l. 10. Diod. Siculus l. 16. & 17. Plutarchus Artaxerxe Ælianus lib. 2. c. 17. & lib. 6. c. 8. Curtius lib. 10.*

Eo regnante *novum ex Europa imperium* emersit, tum Persis, tum Græcis plerisque futurum exitiale. Dum enim utrique in segnitiem ac torporem resoluti, non ut olim in justitiam & virtutem, sed in voluptates & ganeam incumbunt, frequentius scenam & ludos, quam castra visunt & curiam, coquosque & Versificatores pluris, quam consiliarios & duces faciunt, inter ipsorum otia sordidum & obscu-

Justin. l. 9.

obscurum antea Macedonum nomen promicuit, & *Philippus* obses triennio Thebis habitus, Philosophorum disciplinis, & Epaminondæ atque Pelopidæ eruditus virtutibus, regnum Macedoniæ velut jugum, Asiæ Græciæque cervicibus imponendum fabricavit. Genitus erat Amynta rege, matre Eurydice, quæ ut genero regnum, sibi pellicatum filiæ acquireret, non exhorruit insidiis necare filios proprios, Alexandrum & Perdiccam. Tanto major sceleſtæ libidinis, quam materni apud eam amoris vis fuit. Exstinctis ergo fratribus, *Philippo* inopinanter *obvenit regnum*, sed tenue admodum, & Illyriorum servituti, multorumque insuper populorum conspirationi obnoxium. Verum illas difficultates prudentia & moderatione sagacissimus princeps brevi discussit, excogitataque è confertis clypeis phalange, & exercitis in bello Macedonibus, regnum non modo liberum, sed totius etiam Europæ maximum effecit, viginti quatuor annorum spacio.

Diod. lib. 16.

Just. l. 7.

Athenienses primum ad recuperandam Amphipolin, Argæo noverca Philippi genito regnum quærentes, tradita Amphipoli studuit placare: Pœonas & Thraces muneribus & blandimentis. Sed cum Mantias, quem Athenienses Metonæ præfecerant, in reducendo Argæo perseveraret, victor acie Philippus etsi obsessos in colle Athenienses interficere posset, metu gravioris belli ultro dimisit incolumes. Post hæc confirmatior in dies, Illyriorum VII millia cædit, & Macedonum civitates eorum præsidiis liberat. Urbem etiam nobilissimam capit Amphipolin, & Olynthios data Pydna sibi devincit, Crenidas amplificatos de suo nomine Philippos appellat. Aurifodinas circa eam urbem, antea pertenues, operum structuris eo provehit, ut plusquam mille talenta inde fisco inferret annua.

Diod. l. 16.

His ille artibus Macedoniæ regnum erigebat, quum contrariis, id est, socordia & timiditate, *Dionysius junior* lucu-

lentissimum *Siciliæ* principatum, & adamante, ut ajebat, revinctum solvit ac pessum dedit.

Erat ei affinis *Dion* Hipparini, quem ut superiorem ingenio, autoritate & amore populi, quod metueret, Corinthum, amandavit auditoque eum in Peloponneso manum comparare, qua sibi bellum faceret, Areten ejus conjugem, suæque uxoris germanam, alii nuptum dedit, filiumque ipsius indulgendo turpissimis imbuit cupiditatibus; à quibus dum postmodum vi deduceretur, se de superiore ædium parte dejecit, miserequeque interiit. Hisce injuriis irritatus Dion, nec tam suis fretus copiis, quam odio tyranni, maximo animo, duabus onerariis navibus, L annorum imperium, munitum quingentis longis navibus, decem equitum, centumque peditum millibus profectus oppugnatum (quod omnibus gentibus admirabile videbatur) adeo facile perculit, ut post diem tertium, quam Siciliam attigerat, Syracusas introierit.

Diodor. lib. 16. Nepos & Plutarchus Dione. Justin. lib. 21. Georg. gem. Ἑλληνικῶν lib. 1.

Ex quo intelligi potest *nullum esse dominium tutum, nisi munitum benevolentia.* Aberat eo tempore Dionysius apud oppida in Adria condita, ratus neminem ad se sine magnis copiis venturum. Quæ res eum opinioque fefellit. Nam Dion his ipsis, quæ sub adversarii fuerant potestate, regios spiritus repressit, acieque victum amovit dominio, postea quoque, se absente, Syracusas jam recuperatas deprædantem; celerrimo superventu exturbavit iterum, & Dictator creatus omni eum Sicilia exuit. Tam improvisam Dionis prosperitatem subita excepit commutatio, *solita fortunæ mobilitate, quæ quem repente extulit, demergere solet velle.* Orta enim inter Dionem & Heraclidem, periculorum antea socium & classis præfectum, dissensione, cum declarasset Dion, haud bene Remp. multorum imperiis geri, cumque offensum ea oratione Heraclidem occidisset, mox etiam in adversariorum involaret bona, vulgus, à quo paulo ante in cœlum

elatus erat laudibus, non ferendum tyrannum cœpit dictitare. Ille insuetis male audiendi, ut in magno se periculo esse intellexit, Calippi (Nepos Callicratidem nominat) amici sui callidissima proditione subversus est. Persuaserat is, simulandam esse ab familiarium aliquo Dionis inimicitiam, ut sic apertis hominum animis diversa sentientes è medio tollerentur. Ejus consilii executionem, qui dederat, suscepit, simulataque conjuratione, verissimos Dionis inimicos clam sibi conciliat, iisdemque aggregatus amicum sibi firmiter fidentem trucidat, quarto post anno quam Corintho in Siciliam redierat. Mox interfecti Dionis ex odio miseratio incessit populum, quemque necatum optaverant, suo sanguine ab Acheronte redemptum cupierunt: Sed frustra. Calippus heri interfector invasit dominatum, eoque vicissim, vertente anno ab Hipparino Dionis fratre excussus est. Inde cum seditionibus agitaretur Sicilia, Dionysius sexennio libidinose & crudeliter apud Locrenses exacto, ad modicum tempus Syracusas recuperavit, iterumque ab Icetæ factione expulsus est, Olympiade CIX.

Plutarchus in Dione.

Justin. l. 21.

Diodor. lib. 16. Corn. Nepos Timotheo & Iphicrato.

Simili quadam vulgi Athenienſis levitate, Chares dux lectus adversus Chios & Byzantios, criminando alios obtinuit, ut Iphicrates & Timotheus, qui res magnas gesserant, centum talentis damnarentur, & potestate egregie administrata excideret; quoniam præceps imperiti hominis consilium de invadendo Byzantio impedissent, tempestatibus deterriti, quibus nullus non sapiens modeste fateatur cedendum. At paulo post idem Chares, quum Artabazum Ocho rebellantem adjuvans, LXX hostium M multo inferioribus copiis inopinato profligasset, honoribus affectus Athenis, mox accusantibus ejusdem Ochi legatis, notatus ignominia est: bellumque sociale, quod Athenienses adversus deficientes insulanos gesserant, metu Persarum sepultum.

Olymp. 106.

Feliciter interea rem suam fecit Philippus Macedo. Thessalos enim Lycophronis & Tisiphoni tyrannide exemit, eosque adjunxit sibi, prudenti consilio, ut firmior ab equitatu esset. Thracum, Pæonum, & Illyriorum reges, bellum meditantes, priusquam illud perficerent, oppressit. Ex Olympiade, Neoptolemi Molossorum regis filia, Alexandrum sustulit filium, eodem tempore, quo templum Dianæ Ephesiæ ab Herostrato incensum conflagravit, & Deiphicum à Philomelo Phocensi occupatum, posteaque spoliatum ingentes dedit turbas. Id de grandi calamitate Græcis & Asiaticis imminente tunc acceptum, tristis rerum eventus comprobavit. Alexander enim sub id temporis in lucem editus, utrisque servitium attulit, verumque esse professus Judæorum Deum, fictitia Apollinis & Dianæ numina parvo in honore habuit.

Diod. Sicul. l. 16. Georg. Gem. Ἑλληνικῶν lib. 2.

A. M. 3616. *Olymp. 106. V. C. 397.*

Pausanias in Phocicis.

Plutarchus Alexandro.

Cæterum ex fani Delphici violatione bellum natum est, quod sacrum appellant Græci, Thebanis & Phocensibus autoribus. Philomelus enim indignatus Phocenses ob quorundam agrorum usurpationem tantæ pecuniæ damnatos, astu Thebanorum, quantam non possent persolvere, hortator servis factus est occupandi templum, & Amphictyonum sententias columnis ibi incisas erasit. Mox Lacedæmonios & Athenienses, sacro corruptos auro, privatisque inhiantes commodis, suarum fecit partium. Contra Thebani, Locri, & alii Græcorum populi, queis potior templi & juris habenda ratio videbatur, infeliciter rem gerunt principio. Philomelus, invasis templi opibus validam mercenariorum vim contrahit, bellum atrox & cruentum, vario marte, cum Thebanis eorumque sociis agitat, ad ultimum tamen sibi & successoribus suis exitiosum. Redactus enim à Thebanis in angustias, captivitatis mala præcipitio sui antevenit. Onomarchus ejus successor, Lycophronem etiam tyrannum adversus Philippum & Thessalos tutari ausus, vincit quidem Philippum, & in Macedoniam retro agit,

Diod. l. 16. Justin. lib. 8.

Pausanias in Phocicis.

agit, sed postea grandi prælio ab eodem revictus, sex millia amittit militum, cæsusque suspendio afficitur, tribus Phocensium millibus captivitatem subeuntibus Macedonicam. Ei substitutus frater Phayllus, Pheræorum tyrannos nihil sequius defendendos suscipit, auro Delphico haud minores conducit copias, vastat Locros, Bœotos fugat: Sed mox tabe consumptus ipse, tabidum jam bellum fratris relinquit filio, cujus tutor Mnaseas à Bœotis oppressus cecidit. Decimo tandem anno, Phalæcus Onomarchi filius, à Philippo, quem fessi malis Thebani in auxilium advocaverant, pacem coactus petere, dimissus est quidem cum copiis, sed Phocensibus imposito servitio, mœnia eorum diruta, ipsi in vicos distracti miserabile Græcis spectaculum præbúere. Et quia decem millia talentorum è templo Delphico ablata fuerant, annuum Phocensium agris tributum, resarciendo damno, imperatur: Ac ne quid sacrilegis & raptoribus deesset calamitatum, Phalæcus dux, cum sumptus alendo militi deessent, conductis Corinthi navibus Cretam petit, ubi in Cydonii oppidi oppugnatione occiditur, milites impii & prædones dum terram & mare quæstui habent, variis absumuntur cladibus: mulieres sacro auro ornatæ, aut pudicitiæ aut valetudinis jacturam fecisse feruntur. Quanquam enim fictitii Dii erant, quos cultores sui violaverant, tamen quia ipsis Dii erant, impietatem extremam suppliciis vindicavit Deus, ne nullum esse numen stulta mortalium jactaret superbia. Sed quales Dii, tales cultores eorum. Thebani vindices visi sacrilegii, *dum non advertunt omnibus perire, quod singulæ civitates perderent*, se pariter ac Phocenses obvios fecere Macedonum servituti. Philippus enim velut è specula libertati omnium insidiatus, inferioribus auxilium ferendo contentiones aluit Græcorum, victosque juxta ac victores suæ reddidit obnoxios potestati. Primum Deorum vindex habitus, mox contemptor maximus, fœdera non fide, sed utilitate colere manifestus; in seria & jocos artifex, blandus pariter & insidiosus alloquio, promissis dives, gratiam fingere suetus in odio, jurisjurandi negligentissimus, si quæstui foret dejerare, auro doctus expugnare cum castellis munitissimis ipsa pectora mortalium. Unde nullum inexpugnabile dictitabat, in quod asinus auro onustus posset penetrare: Hac fide regulos Thraciæ, à quibus dirimendis controversiis arbiter captus fuerat, improvisos oppressit, & regno spoliavit ambos.

Plut. in Tim. Geniss. l. 2.

Just. l. 10.

Plut. in Regum apoph.

Per hæc succumbente paulatim Græcia, *Romana* se *respublica* erexit, prisca Græcorum studia æmulando & virtutes. A ludis quidem scenicis, quos tum primum Roma inter cælestis iræ placamina recepit, nullum sensit grassantis pestilentiæ levamen: quin etiam medios ludos Tiberis Circo superfusus interrupit. At vero *L. Manlius* Dictator creatus, ut pestilentiam clavo defigeret, bellum maluit quam religionem agere, delectuque imperiosius habito, à *M. Pomponio* Trib. Plebis violatæ accusatus est libertatis. Eum cum prope damnationem esset, filius ob tarditatem ingenii ruri degens, incivili quadam pietate periculo subtraxit. Nam Tribunum summo mane in lecto cubantem adortus, intentata nece jurare compulit se patris ejus accusandi causa consilium plebis nunquam habiturum. Mox rusticæ pietati succesit superstitiosa. *Marcus Curtius in voraginem*, medio foro apertam, *cum equo se immisit armatus*, ut Romanos juvenum virtute & audacia maxime pollere ostenderet. Prudentius idem T. Manlius bello docuit Gallico. Nam quum procero corpore provocatorem duello aggressus prostravisset, ablato jacentis torque aureo, Torquati sibi nomen peperit & posteris.

Livius lib. 7.

Valer. Max. l. 5. cap. 3.

Valer. Max. l. 5. cap. 6.

A. M. 3611. *Livius. Gellius l. 9. c. 13. è Claudii Quad. l. 1. Annalium.*

Crebra exinde Romanis cum Gallis, Tiburtibus, Hernicis & Privernatibus prælia, & prospera pleraque memorantur. Quæ dum fiunt, C. Petilius legem de ambitu frænandæ ambitioni, Duellius

& Menenius aliam de fœnore, reprimendæ avaritiæ tulerunt. Licinius Stolo ſuapte lege damnatus eſt, quod agrorum mille jugera poſſideret. Hinc quadringenteſimo anno, quam urbs Romana erat condita, quinto & triceſimo, quam à Gallis recepta, ablato poſt nonum annum à plebe conſulatu (cum paulo ante C. Martius Rutilius, primus dictator de plebe fuiſſet) ambo patricii Coſ. Sulpitius & Valerius magiſtratum iniere, frementè nequicquam neſcio libertate uti populo.

Livius lib. 7.

Olymp. 107. Diodor. lib. 16.

Dum ita Græci inter ſe de jure Amphictyonum, Romani de communicandis ex lege Licinia honoribus contendunt, *Artaxerxes Ochus* Phœnices & Ægyptios, qui pridem defecerant, ad obedientiam ſceptri Perſici ſtatuit reducere. Nectanebus enim Ægyptius, defuncto parente Tacho, regnum iterum tenebat, miſſaſque ab Ocho copias, ductu Diophanti Athenienſis & Lamiæ Spartani, profligarat ſtrenue, cœperantque in contemptu eſſe apud Ægyptios, Phœnices & Cyprios, opes Perſarum, quod mollitie ac voluptatibus diffluerent. Quare excitus velut è ſomno Ochus, non jam per duces alios, ſed per ſeipſum decreverat bellare, collectiſque peditum trecentis, equitum triginta millibus, triremibus trecentis, quingentis onerariis, primum in Phœnices vertit impetum. Sidon urbs opulentiſſima, à Tenni rege, & Mentore mercenariorum duce prodita, in poteſtatem Ochi venit: cives deſperata ſalute, quod ſupplices Ochus jaculis confixiſſet, cum liberis, & uxoribus ſemetipſos, admotis ædibus flammis, incendunt, quorum numerus excreviſſe ad XLM ſcribitur. Locum incendiis vaſtatum, ob ſpem prædæ, Rex multis talentis vendidit, reliqua Phœnicia deditionem facere coacta. Eam cladem prophetæ Æterni Numinis multo ante prædixerant, ſicut & Judæis ipſis, in Ægyptum profugis vaſtitatem & gladium, quorum reliquias Ochus, ſubacta etiam Ægypto, in Mediam fertur tranſtuliſſe. Nam recepta per Evagoram & Phocionem duces Cypro, in Ægyptum movens, per Lacratem Thebanum expugnavit Peluſium, Bubaſtum Mentoris opera ad deditionem perpulit. Rex Nectanebus deſerta Memphi refugit Æthiopiam. Quo pacto potitus univerſa Ægypto Ochus, inſigniorum urbium muros dejecit, in Deos ædeſque ſacras ſimiliter, ut quondam Cambyſes, ſæviit, occidit Apin, direptiſque fanorum opibus immenſam auri & argenti vim corraſit. Ablatæ ſunt tabulæ etiam antiquiſſimæ, rerum geſtarum indices, quas Sacerdotes Ægyptii à Bagoa poſtmodum ingenti pecunia redemere. Hic enim, juncto cum Mentore arctiſſimæ amicitiæ fœdere, omnia deinceps imperii munia, præter nomen regium, ſuam in poteſtatem redegit: Judæorum quoquegenti, ob fratricidium à Johanne ſummo ſacerdote admiſſum, quotidianum 50 drachmarum tributum irrigavit per integrum ſeptennium, templumque ipſum confidenter ingreſſus, mundiorem ſe aſſeruit cruento ſacerdote, cui iſta paterent adyta.

Diodor. lib. 16. Gemiſtus ἑλληνικῶν lib. 1.

Joſeph. lib. 11. ἀρχαιολογ. 8.

Cum ergo in Ægypto eſſet & Palæſtina debellatum, Philippus Micybernam & Toronem in Helleſponto, & Olynthum in Thracia, auro an ferro expugnatas capit, fruſtra obnitente Demoſthenis eloquentia. *Proditores enim nec ratio, nec oratio in officio continebat.* Mare interim infeſtum habebant Tyranni Siciliæ, & Phocenſes cum iis exules: Eorum aliquos ad Tiberis oſtia appliciuiſſe narrat Livius, & cum terreſtribus (hi Galli erant) maritimos conflixiſſe prædones, marte ambiguo. In illos Romani, à Latinis tunc deſerti ſociis, ex urbana ſimul & agreſti juventute decem legiones ſcribunt, quaternum millium & ducentorum peditum, equitumque trecentorum ſingulas. Tantam jam tum vim mireris in illa fuiſſe Republica. Octo harum legionum L. Furius Camillus Cos. in Gallos ducit, & populationibus eos prohibet. Oppoſitis ſibi invicem caſtris, *M. Valerius Gallum* Romanos pro-

Olymp. 108. A. M. 3624. Diodor. lib. 16. Juſtin. lib. 8. Livius. lib. 7.

Zachar. 9. Jer. 44. Euſeb. Chron.

vo-

vocantem, *auxilio advolantis corvi, duello ſternit*, & Corvini hinc nomen adipiſcitur: Camillus Gallos in fugam agit, Græcoſque littoribus arcet. Qua Romanorum fortitudine moti Carthaginenſes, qui ab Hannonis ſe inſidiis nuperrime vindicaverant, per Legatos fœdus cum eis amicitiamque jungunt, haud dubie ſperantes, adverſus Græcos Sicilienſes Quiritum ſocietatem profuturam. Dionyſius enim Syracuſanus iterum pulſus ab Iceta principe, in arce jam obſidebatur, non ſine Carthaginenſium auxiliis. In hos ergo petitus Siculis Timoleon Imperator, depulſa patriæ tyrannide inclytus, qui advectus Corintho incredibili felicitate tres ſimul hoſtes devicit. Deluſis enim obtentu pacis Afris, ac mox per auxilia Corinthiorum Catanæorumque deterritis, Acradina Icetam, arce expulit Dionyſium, potentiſſimumque ante tyrannum ad Corinthios ablegavit, ludibrium fortunæ Græcis popularibus ſuis oſtenſurum. Inde ob commeatus inopiam illatus in fines ditionis Punicæ, offendit Carthaginenſes, eorumque maximas copias (LXX peditum & equitum millia prodit Diodorus) attraxit in Siciliam. Sed & has pari ſucceſſu apud Criniſſum fl. vincit, X millia occidit, capit XXV M. Carthaginis in Sicilia imperium anguſtis Lyci fl. finibus circumſcribit, Græciſque ibi omnibus libertati, qua tot annis caruerant, reſtitutis, immortali gloria floruit. Syracuſæ colonorum XL M. è Græcia, aliæ urbes ſimiliter novorum acceſſione civium auctæ, legibus firmatæ, arcibus & propugnaculis tyrannorum nudatæ ſunt. Tantus vir Timoleon, *nihil ſuum, omnia divini eſſe muneris* dictabat, Magiſtratus Jovis Amphipolos, i. e. famulos, jubens appellari, dignæ equidem virtutes, quas plurimi populorum rectores medullitus æmulentur.

Juſtin. lib. 21.

Diodor. lib. 16.

Nepos & Plutarchus Timoleonte.

Juſtin. lib. 21.

Olymp. 110.

Gemiſt. lib. 1.

Plut. & Corn. Nepos in Timol.

Diſpar huic ingenio Ochus, triſti occubuit fato. Bagoas eum Eunuchus & militum præfectus, dato per Medicum veneno, rebus humanis exemit, cadaver felibus objecit devorandum, ex oſſibus manubria curavit fieri, ſuppoſito interim, qui pro ipſo regiis ſepulchris inferretur. Talem ſævitia Ochi finem habuit, exercita annis XXIII, additis funeri ejus omnibus filiis, dempto qui erat minimus, Arſe, cui nomen regium circumdatum, poteſtate Bagoæ ſervata.

Diod. Sic. lib. 17. Elianus Var. hiſt. l. 6. c. 3.

Diod. lib. 15.

ARSES autem hic meditatæ jam ultionis manifeſtus, tertii imperii anno ejuſdem parricidæ ſcelere interiit, & crudelitatem exhauſit crudelitas, vergente jam ad interitum Perſarum Monarchia, finemque ſuum, ut fieri aſſolet, in rectorum vitiis præmonſtrante. *ARSES. A. M. 3633.*

Jam enim *Philippus* Aſiæ imperium improba ſpe complexus, victam Græciam in Perſas armare feſtinabat. Ideo rex regnandi inexplebilis, nec à proximis abſtinuit manum. Siquidem defuncto Arriba Epiri rege, uxoris ſuæ vitrico, tranſtulit in Alexandrum fratrem Olympiadis ſceptrum, depulſo Æacida Arribæ filio, legitimo regni hærede. Inde Methonam, faventem Thracibus & Athenienſibus, bello capit, amiſſo in oppugnatione oculo, ſemperque majorum appetens, Perinthum & Byzantium, ob portas ſibi clauſas, diuturna obſidione fatigavit, pecuniæ interim & annonæ copiam de piratica mutuatus. Eam obſidionem ut ſolveret, fecerunt Ochi & Athenienſium auxilia, qui Perinthios omnibus modis adverſus inſurgentem Philippi potentiam tuebantur. Mox acceſſit Atheæ Scytharum animoſitas regis, qui cum in ſubſidium vocaſſet Philippum adverſus Iſtrianorum dynaſtam, defunctus eo periculo per inopinatam mortem adverſarii, auxiliatori mercedem petenti, reſpondit, *non opibus cenſeri Scythas, ſed virtute animi & corporis duritie.* Quibus deriſus Philippus Byzantio diſcedit, deprædatuſque Scythiam, multa hominum & jumentorum millia, in Macedoniam abripit ſecum: ſed revertenti occurrerunt Triballi, portionem prædæ poſtulantes, negantemque prælio excipiunt, in quo ita vulneratus

Juſtin. l. 7. & 8. Diod. lib. 16.

Olymp. 109. & 110. Gemiſt. lib. 2. rerum Græc.

Juſtin. l. 9.

est Philippus, ut per femur ejus equus interficeretur: cumque omnes occisum putarent, perturbato exercitu, præda amissa est.

Diodor. lib.16. Rex ubi ex vulnere primum convaluit, diu dissimulatum bellum Atheniensibus infert, quorum se causæ Thebani à Demosthene persuasi, adjungunt, communem docti hostem communibus viribus summovendum. Prælio commisso ad Chæroneam, Athenienses haud sustinentes induratam bellis Macedonum virtutem, magna vincuntur clade, universæque gloria dominationis & vetusta libertas Græciæ concidit. Ex hac victoria insultantem Græcis Philippum, fregit orator *Demades* licet captivus. *Cum*, inquit, *Agamemnonis tibi personam fortuna tribuerit, quid factis Therſiten refers?* Qua oratione confuso Regi suppressa deinde hujus lætitia est, conducto etiam puero, qui subinde inclamaret, hominem esse Philippum. *Lysiclen* Athenienſium ducem, ob male gestam rempubl. acerbissima Lycurgi oratoris accusatio in exitium egit miserandum. *Philippus* per filium Alexandrum, cui multum de victoria debebat, Athenienses sibi fecit amicos, Thebanos durissime habuit, interfectisque civitatis principibus, ccc eis exules rectores imposuit. Funestum dixeris illum Græcis diem, quo Athenienses & Thebani à Philippo, Spartani in Italia, dum Tarentinis opem ferunt, à Lucanis devicti sunt prælio, regeque etiam Archidamo spoliati. Lætum contra *Romanis* annum, quibus cum Campani à Samnitibus victi se dederent, acerrimis Samnites præliis prostrati, succubuerunt. Alter tantum Consulum Valerius 170 signis militaribus, xl scutorum millibus potitus esse legitur, tanta victorum lætitia, ut Romani milites Capuanis inescati delinitique deliciis, ægre in Latio retinerentur, Capuam patriæ urbi licentius præferentes.

Olymp. 110. anno 3. Ælian. lib.8. variæ Hist.c.15. Gemist. lib.2.

Justin. lib.9. Diod. lib.16. At *Philippi* felicitatem funestus obscuravit exitus. Jam Corinthi convocatis omnium civitatum legatis, Græciæ ducatum induerat, ducenta ei peditum, quindecim equitum destinabantur millia, quibus bellum faceret Persis: Jam Attalum & Parmenionem in Asiam præmiserat, cum inter ipsos genialium nuptiarum apparatus, improvisa morte concidit. De consiliorum successu rogitanti responderat Pythia: *Serta gerit taurus, jamque astat qui immolet illum.* Quod ipse quidem de Persarum Rege interpretatus, suopte exitio in se non minus quam in illum ostendit esse dictum. Ita enim ludibrio habere percunctatores Apollo pridem sueverat, vere Apollyon, id est, perditor dictus Johanni: Nam eodem anno & Persarum rex *Arses*, & Philippus ei insidiatus, utrique alienis insidiis periere: Arses Bagoæ, Philippus Pausaniæ stipatoris sui. Hunc quod flagitiosas Attali injurias, qui stupro adolescentem objecerat, haud pro rege puniisset, infestum sibi Philippus reddiderat. Quare occasionem speculatus juvenis, Philippum ad spectacula euntem, quæ Alexandri Epirotæ & Cleopatræ filiæ nuptiis adornaverat, præcedente inter duodecim deos regio simulacro, bovis instar mactat, & diis se annumerantem, nimium esse hominem demonstrat, diemque lætitiæ dictum, fœdum luctu funeris facit, non invita, ut aiunt, Olympiade regina, quam Philippus, ducta Attali sorore, matrimonio injuste depulerat. Pausanias hic olim militi ingrato, hospitis sui, à quo refectus post naufragium fuerat, villam exoranti, jussu Philippi stigmata inusserat, *ingratum hospitem* testantia.

Apoc. 3.11. Diod. lib.16.

Seneca 4. de benef. cap.37. Calius Rhodig. lect. Antiq. l.7.c.28. Euseb. in Chron. Gellius l.9.c.3. Diogen. Laërt. lib.5.

Inter hasce mundi turbas, enituerunt *ingenia omni ævo memoranda.* Speusippus Platonis in Academia successor, Aristoteles Platonem præceptorem acumine mentis transgressus, tanti habitus Philippo, ut gauderet natum sibi filium eo tempore, quo tanti informatoris copia esset: ac proinde Alexandro præceptor datus. Diogenes item Cynicus, Menedemus Eretrienſis. Et illis coævi *oratores* Demosthenes, Æschines, Demades, Py-

Diodor. lib.16. Suidas.

Python, Lycurgus: *Hiſtoriographi*, Ephorus Cumanus, Demophilus ejus filius, Calliſthenes & Diyllus Athenienſes, Theopompus Chius, Heraclides Ponticus, Manetho Ægyptius, Palæphatus Abydenus.

Darius Codomannus.

Occiſo Arſe, Bagoas de populi ſententia *Codomannum* Armeniæ Satrapam, Ochi patruelem, produxit ad regnum, qui *Darii* nomine, ne quid regiæ Majeſtati deeſſet, honoratus eſt. Paulò poſt ſuetis Bagoæ inſidiis petitus, venenum ſibi paratum in viſcera convertit inſidiatoris, ſuamque & anteceſſorum injuriam in regicidæ capite ultus eſt. Hinc de bello in Macedoniam proferendo conſilia agitans, audito interiiſſe Philippum, contemſit Alexandri adoleſcentiam: Quæ res ipſi & Perſis exitio fuit.

Diod. Sic.l.17. Juſtin. lib.11. Plut. in Alexandro.

Alexander viginti annorum adoleſcens, animo ſupra hominem elatus, vix Philippi filius cenſebatur. Etenim matrem ejus, tanquam ſtupri compertam, repudio dimiſerat Philippus, & Cleopatram Attali ſororem duxerat. Alexander major deinde patre & vitiis & virtutibus factus, deluſuſque fortunæ blanditiis, probrum vertit in gloriam, ac Jovem pro Philippo genitorem voluit credi ſuum. Quam turbidum acceperat imperium Macedoniæ, tam amplum reddidit. Principio erectis colloquio ſubditorum animis, citato gradu in *Græciam* contendit, quæ Attali ſubnixa authoritate defectionem agitabat, & Theſſalos ante omnia ſibi devinxit, & ſenatum Amphictyonum, à quibus dux renunciatus Græciæ, Athenienſes ſubito adventu adeo perterruit, ut miſſis legatis pacem precarentur. Eis mox reliqua conſenſit Græcia. Inde Illyrios, Thraces, Triballos, Dardanos facile compeſcuit, orienteſque nonnullas ſeditiones extinxit; Attalum interim, novercæ ſuæ fratrem per Hecatæum & Parmenionem oppreſſit in Aſia. Obſtabant Thebani, ex veteri in Perſas affectu, obſtinatius Alexandro oblu&tantes. Iis acri prælio proſtratis, in urbem irrupit, Thebas, Tyriorum coloniam antiquiſſimam, excidit, agros civitatis victoribus aſſignat, captivorum xxx m. ſub corona vendit, cujus tamen crudelitatis ſæpe eum pœnituit poſtea. Athenienſes, quod portas aperuiſſent exulum refugis, ſic demum recepit in gratiam, ſi Duces in exilium agerent. Demoſthenes reliquique Oratores ægre eloquentia ſervati ſunt. Corinthi deinde Græciæ Imperator declaratus, cum Diogenem Sinopenſem, Cynicum ex impudentia dictum, ad ſe accerſiviſſet, repulſam tulit, teſtante Philoſopho, nihil ſe Alexandri indigere, ſi quid ſui indigeret, ad ſe veniret. Quo Rex conſpecto, cognitaque ejus rerum humanarum deriſione, dixiſſe fertur ad amicos, *Ego niſi Alexander jam eſſem, Diogenes fierem.*

Arrianus lib.1.

Plut. in Alexandro & Phocione. Cic. V. Tuſc.

Sed mox ejus flagrantiſſima imperandi cupido enituit. Poſthabito enim, quod amici prius ineundum ſuadebant, matrimonio, nullam expeditioni Perſicæ moram interpoſuit: omnes novercæ cognatos ſuoſque, qui apti regno videbantur, ſuſtulit è medio, ne quam domi materiam ſeditionis relinqueret. Patrimonium interim omne diviſit amicis, ſibi ſpem præfatus ſufficere ſolam. Hoc modo parta ſibi benevolentia, in Aſiam quaſi jam ſuam deſcendiſſe viſus eſt, dum milites prædæ inhiantes à populatione prohibet, *non perdenda* aſſerens, quæ *poſſeſſuri venerint*. In exercitu ejus fuere peditum xxxiii, equitum quatuor millia, naves clxxxii. Hac parva quidem ſed ſtrenua manu terrarum orbem aggredi auſus juvenis. Non enim tam milites, quam militiæ magiſtros elegerat, cum ordines nemo niſi ſexagenarius duceret, & principia caſtrorum ejus intuens, ſenatum te diceres priſcæ alicujus videre Reipublicæ.

Juſtin. lib.11.

Contra *Darius* fiducia virium, nihil aſtu agere, cum prohibere ingreſſu potuiſſet Aſiæ, intra regni viſcera exci-

pere

pere hoſtem: Memnonis etiam Rhodii de invadenda Macedonia conſilium faſtidire, quo haud difficulter ad patriam defendendam, revocari Alexander potuiſſet. Sed ut *ſolet occæcare animos Deus, cum vim ſuam ingruentem refringi non vult*, vicit deterior Satraparum ſententia, præliumque ad Granicum amnem (qui Troadem à Propontide diſterminat) commiſſum eſt. In eo Alexander *Spithrobatem* Darii generum qui jam ſcutum ejus perfregerat, retorta in frontem irruentis cuſpide, occidit. Accurrit frater jacentis Raſaces, & vulnus infligit Alexandro, ſed repetiturus ictum, à Clyto truncatur dextra. Mox & alii Perſarum duces generoſe dimicando occumbunt, inter quos Pharnaces uxoris Darii germanus & Mithrobarzanes Cappadocum Satrapa, quorum nece exterriti Perſæ in fugam vertuntur, Macedones tergis inſiſtentes viginti duo millia ſternunt, totidem fere vivos capiunt. Macedonum ferè quingenti oppetierant, quibus magnificè curavit exequias Alexander, *gnarus & funeris honore ad virtutem accendi militem ſolere.* Poſt victoriam Mithrinnes, Sardium præfectus, ſeque & Provinciam dedidit. Expugnata quoque Miletus. Cares benevolentia, & indigenæ magiſtratus reſtitutione allecti, Græci per Aſiam ſola libertatis fama ſubacti ſunt. At Halicarnaſſum Memnon & Ephialtes Athenienſis maſculè tuebantur, erumpenteſque & extrema veteranorum fortitudine repulſi, non deficiebant animis. Tandem vero pertinacia victi Macedonum, diffugiunt. Mox tota littoralis Aſia uſque ad Ciliciam in poteſtatem venit victorum. Et Alexander nodum Gordium gladio diſſecans, violenter inſultabat oraculo, quo diſſolutori ejus Aſiæ imperium promittebatur. Præ aliis *Marmarenſium* atrox memoratur generoſitas, qui incendi cum patria maluere, quam pacem amplecti Macedonum. Itaque juniores ſubdito laribus igni, per noctem evadunt, imbellis turba omnis cremata. Ibi dum Alexandrum in Cilicia morbus attinet, tertio belli anno, Memnon, Chio, Lesbo, aliiſque inſulis expugnatis, jam in Græciam tranſitum parabat, cum valetudine conſumtus decedit, ac res Darii ſuo hactenus imprimis ſuſtentatas conſilio, morte ad perniciem inclinat. Pro eo *Charidemus* Athenienſibus ducem ſe offert, quo ob liberiorem Perſicæ gentis reprehenſionem interemto, Darius non tam copiarum, quam ducum indigus, procurandum ſibi ipſi ſumit bellum; idque *magis imperio, quam prudenti ex conſilio* gerit. Contractis peditum quadringentis, centum equitum millibus, verſus Ciliciam agmina movet, cujus fauces Parmenio jam præoccupaverat. In iſtis anguſtiis altera congreſſio contigit, ubi nulla multitudinis, qua ſola Perſæ nitebantur, utilitas militabat. Maxima tamen circa Darium, Alexandro oppugnante, *ſtrages* facta. Confoſſis Darii equis, cum in mutatione quadrigæ metus eum inceſſiſſet, perturbatio omnem pervaſit exercitum, actique in fugam equites mutuo ſe alliſi confertim obtrivere. Alexander, quanquam femore ſaucius, acriter inſiſtit fugientibus, victoque equitatu, pedites haud diu impetum ſuſtinuere. Fit ubique fuga & cædes, tanta certe, ut de numero cæſorum ſcriptores ipſi diſſentiant. Juſtinus cæſa unum & ſexaginta peditum, decem equitum millia: Diodorus, Plutarchus, Curtius fere duplo plures produnt. Capti XLM. Alexandro vix ducentis militibus tanta victoria ſtetit. In caſtris Perſarum multum auri cæterumque opum inventum: Inter captivos Darii uxor, filiæ duæ nubiles, filiuſque ſexennis fuere. Iis ad genua ſua provolutis, & metum mortis dempſit Alexander, & regium cultum reddidit, virginibus haud ſordidius patris dignitate matrimonium pollicitus. *Orientem enim fortunam moderate tulit & prudenter: ſed ad ultimum ejus magnitudinem non cepit.* Neque vero tunc Barſines captivæ (Memnonis ea uxor fuerat) amori imperare potuit, quamquam caſte

Diodor. Sic. l. 17.

Juſtin. l. 11.

Diod. lib. 17. Plutarch. Alexandro.

Juſtin. lib. 11. Diod. lib. 17. Curt. l. 3. Arian. l. 2. Plutarch. Alexand.

In Alexandro Plut.

caſte regieque haberet uxorem Darii & ſilias, *oculorum eas eſſe cruciatus* profeſſus. Hinc *in Syriam* cogitans, Parmenionem præmittit ad occupandam claſſem, & gazam Perſicam: Amphoterum & Epilochum ad inſulas inter Achaiam & Aſiam ſubigendas. Utrobique eadem fortuna fuit. Damaſcenus Satrapa cum magno auri pondere, fæminiſque Perſarum nobiliſſimis, in poteſtatem venit victorum. Subſequitur Alexander, multoſque Orientis reges cum inſulis obvios reperit, quibus in deditionem acceptis, Sidonem & Aradum inſulam capit. Regno Sidonis Abdolominum, regiæ quidem ſtirpis hominem, ſed hortulanum præficit. *Repentina fortunæ mutatio ſomnio ſimilis viſa.* Sed quæ huic data erat à Deo poteſtas, Amyntas Macedo ſponte ſumtam brevi perdidit. Ab Alexandro enim ad Darium, à Dario acie victo ad Ægyptios transfugerat. Gentem vanam, novandiſque rebus quam gerendis aptiorem, in partes pellexerat. Peluſium capit, præſidia Perſarum delet, regnum ſibi Ægypti ſomniat. Sed paulo poſt ad Memphin à Mazete Satrapa victus, utrique Regi morte pudenda pœnas perfidiæ pependit.

Curt. l. 3. Olymp. 112. Diod. lib. 17.

Alexandri interea impetum Tyrii morabantur, Corona aurea donatum intra urbem ſuam recipere abnuebant, fretique ſocietate Carthaginis & opibus Darii, minas Macedonum aſpernabantur. Exercitu inſulæ applicato, cum fortitudini artes urbanas miſcerent, in ſeptimum menſem obſidionem extrahunt, ingenti cum damno Macedonum. Oppugnantibus Cyprii, qui à Dario defecerant, claſſem mittunt, terra marique bellum acerrimum geritur, è mole in freto excitata pulſantur mœnia, manibus militum jam continenti juncta. Tyrii ſacrilega ſuperſtitione ingenuum Saturno puerum immolant, Apollinem Syracuſis olim devectum aureis onerant vinculis, quaſi invitum & captivum numen in urbe retenturi. Sic Tyro aſſidentem Alexandrum adit *Sanaballates*, quem nuper Darius Samariæ præfecerat, deditaque gente ſua, novas religiones novumque genero Manaſſi ſacerdotium petit. Erat Manaſſes ob illicitas nuptias ſacerdotio motus à Judæis, ideoque æmulatione Jaddi fratris accenſus, deprecante ſocero, Templum in monte Garizimo, Hieroſolymitano ſimile, obtinet, in quo Samaritæ Deum cœperunt venerari, implacabili Judæorum odio, qui id contra patrias leges, in gentis ſuæ dedecus fieri, rectiſſime contendebant. Inter hæc expugnatur *Tyrus*, trucidatiſque armatis, quod reliquum erat habitatorum venditur, juvenum duo millia crucibus ſuffixi. Hinc ad *Gazam* iter, quam Betis Dario defendebat. Ibi acceptis duobus vulneribus, multoque ſanguine & hauſto & dato, victor tandem Alexander, temporaria Græcorum legatione honoratur, primumque è Macedonia ſupplementum poſcit. A Gaza infeſtus *Feroſolymam* tendit, quod Jaddus Pontifex Tyrum obſidenti obſequium negaſſet, fidem Dario juratam obtendens. At Judæis Deo ſuo ſupplicantibus, jubetur in ſomnis Pontifex portas Alexandro aperire, obviiſque Macedones inſulis excipere. Igitur progreſſus in occurſum ſacerdotali habitu, adeo perculit Alexandri animum, ut nomen Dei Cidari inſcriptum, venerabundus adoraret, profeſſus eum hac ſpecie in ſomnis ſibi oblatum in Macedonia, Aſiæ imperium promittentem. In hanc rem confirmatus è divinis monumentis, quibus Daniel diſerte Perſarum regnum à Græcorum principe evertendum vaticinatur, maxima Deo vero ſacrificia fecit, ac Judæos ſuis permiſit legibus.

Curt. l. 3.

Diod. Siculus lib. 17.

Joſeph. lib. 11. Antiq. c. ult.

Curt. l. 4.

Joſeph. lib. 11.

Cæterum Perſis *arcana regum mira fide celantibus, nec quicquam magnæ rei credentibus illi, cui tacere grave ſit*, incertus Alexander, quam regionem Darius petiiſſet, Ægyptum ingredi ſtatuit. Ea fine certamine recepta (dudum enim Perſas oderant) adeo intolerabilis increvit animo tumor, ut deluſus ab Hammonis Jovis ſacerdote, Dei ſe filium ferret. Reverſus, condita ex ſuo nomine *Alexandria*,

dria, coloniam Macedonum caput Ægypto impoſuit Diodori ævo CCC, ingenuorum millia alentem. Hæc gerentem Alexandrum Darius epiſtolis tentat, primo captivorum redemptionem precatus, inde nuptias filiæ omnemque intra Halym Aſiam offert, & auri ingens pondus. Sed Alexander ſua ſibi dari reſcripſit, exprobrans inſuper emtos in caput ſuum percuſſores, ac proinde ſupplici veniendum, regnique arbitria permittenda victori. Tum ſpe pacis abjecta, bellum Darius haud ſegniter reparat, duplicatiſque, quas habuerat, copiis obviam Alexandro vadit, haud ſingulos habenti, quos denis armatis opponeret, niſi quod Dario *hominum*, Alexandro *virorum* eſſet copia. Tranſitur *Tigris* Macedonibus, ubi feſtinatis itineribus, animique ægritudine fatigata Darii uxor decedit. Funeri ejus honor, patrio Perſarum more, ſervatus eſt. Ibi Darius tertio petit pacem, omneſque intra Helleſpontum & Euphratem terras offert, & pro captivis XXX Talentorum M. Reſponſum à Macedone, habiturum pacem, ſi de arbitrio victoris imperium vellet. Nam *nec duos cælum ſoles, nec duo ſumma imperia terram pati.* Quare deſperata tranſactione, in *Ninives* campis prope Arbela concurritur. Plutarchus Gaugamela prodit, ad Lycum flumen ſita. Macedones in ferrum cum contemtu toties à ſe victi hoſtis ruunt: Contra Perſæ mori quam vinci præoptant. Raro ullo prælio tantum humani ſanguinis fuſum eſt. Ut Macedonum impedimenta audivit capta, contemſit Alexander damnum, nec quicquam virium ex acie ſubduci paſſus eſt. Ita anceps victoria ſtetit, donec auriga Darii confoſſo, fugiendi initium ab iis, qui regem periiſſe putabant, ortum eſt. Sic enim nudato Darii latere, Rex ipſe circumſpexit fugam, Mazæo interim ſiniſtrum Macedonum cornu ſtrenue profligante, cui *Parmenio* præerat: quod ægerrime eſt reſtitutum, quum jam totam Perſarum aciem fugientis exemplum regis perterruiſſet. Tum vero inſtantes tergis Græci, maximam ſtragem fecere, & XC hominum millia ferro concidiſſe narrant, multo majori parte cum Dario pulveris beneficio è conſpectu perſequentium ablata. *Hoc prælio Aſia imperium Alexander rapuit*, quinto anno quam regnare cœperat. Confeſtim Babyloniam & Suſianen ultro tradunt ſatrapæ, validumque copiarum ſupplementum è Macedonia Græciaque venit. Ultra tredecim peditum, duo equitum millia fuerunt, Dario ex Mediæ Ecbatanis fruſtra ſuperiores Aſiæ provincias ſollicitante. Acceſſerunt ad felicitatis Alexandreæ cumulum theſauri, longa imperii proſperitate congeſti à Perſarum regibus, qui XLIX talentorum milla exſuperabant, ex quibus larga militibus munera data, ut ad reliqua certaminum obſequentiores efficerentur. Hinc ſubactis *Uxiis*, ad perſequendum Darium Suſianes petras ingreſſus, ab *Ariobarzane* juga tenente montium, gravi clade afficitur, ut retro pedem ferret. Mox aliam viam à captivo edoctus, noctu conſcendit montes, omneſque ibi excubantes obruit copias, ac per Araxen fluvium in Perſiam perrumpit. Occurrentibus ibi Græcis, qui in Perſia ſervitutis pœnas truncatis corporis partibus tulerant, datâ poteſtate redeundi in patriam illi agros peregrinos accipere maluerunt, ne non tam gaudium ſuis quam dolorem, ſibique ipſis ignominiam reportarent. Hinc *Perſepolin*, caput regni, prodente Tiridate, occupat, urbemque toto orbe omnium ditiſſimam militi diripiendam concedit, regia arce excepta, in qua CXX talentorum millia reperta memorantur. Tum quaſi Baccho victori litaretur, *auferente animos extra rationis limites temulentia*, *Thais* Attica meretrix, memor patriam ſuam à Xerxe olim crematam, Alexandrum ad Perſepolin incendendam induxit. Ita per *ludum inſaniæ*, *momento conſumtum eſt*, *quod tanti reges multorum annorum labore*, *maximiſque impenſis ſtruxerant*, *ſpoliaque orbis compari*, *cui qua-*

Curt. l. 4. Diod. lib. 17.

Curtius lib. 5. Arrianus lib. 3.

Juſtin. lib. 11. Diod. lib. 17.

Juſtin. lib. 11. Curtius lib. 4.

Plutarchus in Alexan. Diodor. lib. 17.

Curt. l. 5.

quæsita erant, luxuria momento periere. Alexandrum, ut primum *gravatam ebrietate mentem quies reddidit*, pœnituisse constat, & dixisse, majores pœnas Persas Græcis daturos fuisse, si ipsum in solio regiaque Xerxis, respicere coacti essent. Auctus inde copiis, Darium persequi studuit. At eum Bessi & Nabarzanis perfidia præoccupaverat, qui Bactra festinantem aureis primum compedibus in Parthia vinxere, postea contentissime insectante Alexandro, vehiculo clausum, multisque confossum vulneribus sceleratissime in solitudine reliquerant. Adhuc spirantem *Polystratus* Macedo, forte fortuna reperit, cui postremas voces ad Alexandrum ferendas commisit, grates pro regio ejus non hostili in matrem liberosque animo, exempli causa exigendam de parricidis vindictam, & suo corpori sepulturam.

Curtius lib. 5. Plutarchus Alexandro.

Alexander viso corpore, tam indignam illo fastigio mortem prosequutus est lacrymis, regioque ornatum cultu Darium ad matrem Sisygambim, patrio more sepeliendum atque majorum suorum tumulo inferendum misit. Is *finis Darii*, is Persarum imperii fuit, cum à primo Cyri initio (quemadmodum rectè Curtius, Africanus, aliique scriptores notant) annos stetisset 230. consumptum Olymp. 112. anno 3. Darii septimo.

Curtius l. 4. & 6.

Dum hæc fiunt per Asiam, in Europa *Lacedæmonii*, duce Agide, Cretam vastant, & occasione arrepta è Thracum rebellione, plurimos Græcorum in societatem belli adversus Alexandrum perducunt, rati obviam eundum servituti, quam domitis Persis duriorem ipsi essent subituri. Sed Antipatro Macedoniæ prorege reliquos Græcorum armante, Peloponnesii victi sunt, funesto sanè & ancipiti prælio, quo Lacedæmoniorum ultra V M, Macedonum tria M & quingenti cecidere. Curtius haud amplius CCC prodit, addens tamen, vix quenquam nisi saucium in castra revertisse. Rex ipse Agis animosissime pugnans *felicitate sola inferior* Alexandro, *virtute nequaquam* fuit. Similiter Alexander Epiri Rex, Magni avunculus, in Italiam à Tarentinis adversus Brutios (hi prædones semet è servis & pastoribus pridem fecerant) sollicitatus, ita cupidè profectus est, veluti in divisione orbis fororis suæ filio Oriens, sibi Occidens forte obtigisset, nec minorem rerum materiam in Italia, Africa, Siciliaque quam ille in Asia & Persis, esset habiturus. Primum illi bellum cum Appulis fuit, mox tamen pace finitum, Appulis Brundusium, ab Ætolis quondam, Diomede duce conditum, retinentibus. Inde Brutiorum Lucanorumque multas urbes cepit, cum Metapontinis percussit fedus, itemque cum *Romanis*, qui paulò ante Latinos rebellantes crebris præliis subegerant, Antiatibus eripuerant naves, è quorum rostris suggestum exornatum, nomen sibi Rostra servavit. Bello Latino T. Manlius filium, qui contra edictum pugnasset, victoria licet potitum, occidit. Decius Cos. pro exercitu se patriaque devotum, objecit hostibus. Sed Brutii Lucanique, cum auxilia à finitimis contraxissent, acrius repetito bello, *Alexandrum* juxta urbem Pandosiam & fl. Acherontem *oppressere.* Corpus ejus à Thuriis redemptum publice est, & sepulturæ traditum.

Diod. lib. 17.

Justin. lib. 12. Curtius lib. 6.

A. M. 3636.

Livius. lib. 8.

Sopyrion quoque Ponto ab Alexandro præpositus, dum adunato XXX millium exercitu Scythis bellum facit, cæsus ab iis cum copiis temerariæ inquietudinis pœnas innoxiæ genti luit.

IMPERIUM GRÆCORUM.

ALEXANDER MAGNUS.

EXtincto Dario, *Alexander* XXVII annorum juvenis, jam ſine æmulo, potiſſimarum Aſiæ & Europæ partium, Ægyptique & Cyrenes Dominus, quod reliquum vitæ habuit, in perpetuis ferè expeditionibus conſumpſit. Primus in *Beſſum* impetus fuit qui Bactrianorum ſe regem ferebat, qui populus tertiam videbatur Aſiatici imperii partem efficere, & Darius eo cum XXX militum millibus contenderat. Quæ cauſa, ut Alexander oratione & muneribus de integro incitato exercitu, jam patriam reſpectante, in Hyrcaniam & Mardos moveret. Prope Caſpium mare Artabazus & Phrataphernes, ad extrema Dario fidiſſimi, ſe dedunt Alexandro. Cum iis & Græci, qui Dario militaverant. Dum Mardos ſylveſtrem gentem ſubigit, Nabarzanes quoque in fidem acceptus eſt. Finitimam tradunt multi (ſunt enim qui fabulam eſſe autumant) Hyrcaniæ Amazonum gentem, ejuſque Reginam Thaleſtrin intra Caucaſum montem & Phaſin amnem imperitaſſe. Hanc cupidine viſendi regis accenſam, haud dubitaſſe fateri, ad communicandos cum eo liberos ſe veniſſe, dignam ex qua regni hæredes generaret. XIII illi dies datos, honorificeque donatam illam regnum ſuum. Regem Parthiam petiviſſe. Hic vero palam cupiditates ſuas ſolvit Alexander, & quem *Perſarum arma non fregerant, vitia vicerunt*, intempeſtiva convivia, & *prapotandi pervigilandique inſana dulcedo*, ludique & greges pellicum, omnia in externum lapſa ſunt morem, *Continentiam & moderationem, in altiſſima quaque fortuna eminentia bona, in ſuperbiam & laſciviam vertit, immemor his moribus amitti opes, abſtinentia & fortitudine quæſitas, ſolere.* Principes militum aſpernantes quidem ſed recuſare non auſos, Perſicis ornat veſtibus. Pellicibus CCC & LX, totidem quot Darii fuerant, regiam implet, iis ſpadonum greges miſcentur. Ut patriæ uxorumque amorem militibus eximat, captivarum iis, ſeu matrimonia, ſeu conſuetudinem indulget, pro numero filiorum in caſtris genitorum ordinat præmia, pupillis patrum defunctorum ſtipendia aſſignat. Sarcinas totius exercitus, exceptis admodum neceſſariis, conferri in medium & exuri jubet. Cumque ſermo caſtris ſpargeretur, plus amiſſum victoria quam bello quæſitum eſſe, otium expeditionibus interpellat, datoque Parthis præfecto Andragora, ex quo poſtea Parthorum reges procreati, Satibarzanem Ariorum Satrapam, qui cum Beſſo ſe conjunxerat, acriter perſequitur. Relictos ab eo in montibus milites varia cæde conſumit. Artacanam capit urbem, adjectaque nova ex Illyrico & Lydia manu, Drangas, bellicoſam nationem, adit. Ejus Satrapes Nabarzanes, ſceleris in regem ſuum particeps Beſſo, metu ſupplicium, quæ meruerat, in Indiam profugit. Jam nonum diem ſtativa erant Dranginæ; cum Rex à quibuſdam corporis cuſtodibus inteſtino facinore ſe petitum reſciſcit. Delatum ad ſe Philotas magiſter equitum non indicaverat, *ſcorti eſſe ſermonem relatu indignum*, reputans. Ob id particeps judicatus conjurationis, ſupplicio afficitur: Præfectus equitatus Parmenio pater ejus, amicorum regis vetuſtiſſimus, qui Mediæ præerat, cui rex theſauros CLXXXM Talentorum crediderat, immiſſis percuſſoribus, indicta cauſa extinguitur. Hinc cum inanes proditionum ſpecies anxio animo figuraret, faſces literarum à militibus in patriam mittendarum colligit, cognitoque ex iis ſingulorum de ſe judicio, in unam cohortem contribuit durius opinatos, quam inordinatorum appellavit, & ſeor-

Curt. l. 6. Diod. lib. 17. Juſtin. lib. 12. Arrianus lib. 4.

Strabo. lib. 11. Geogr.

Curt. l. 6.

Diod. lib. 17.

Curt. l. 7.

ſcorſim à cæteris tendere ignominiæ cauſa juſſit, fortitudine eorum uſurus in bello, *libertatem* autem *linguæ ab auribus credulis remoturus.*

Nihil illis deinde ad bella promptius fuit, *incitante virtutem ignominiæ demendæ cupidine.* His ita compoſitis, Ariaſpos, (qui & Evergetæ ob vetera in Cyri exercitum beneficia) Gedroſios, Arachoſios, Parymas, Paropomaſadas, Adaſpios, alioſque in radice Caucaſi populos, vincendo peragrat, ineunte jam Olympiade CXIII, ſeptendecim dierum ſpacio, Caucaſum ſuperat montem, ubi condita è ſuo nomine urbe, ſeptem ſeniorum millibus conſidere permiſſum. Interim Beſſus ferox verbis, & parto per ſcelus regno ſuperbus, Cobaren Medum, quod *canem timidum* vehementius *latrare quam mordere*, occupandamque ſeditione Alexandri gratiam diceret, occidere deſtinat. Illo ad Alexandrum ſe recipiente, Beſſus à Bactrianis deſertus, in Sogdianos refugit. Macedones dum illi inſiſtunt, fame in aridis locis preſſi, jumentorum onera portantium carne vitam miſere trahunt. Sic tandem Bactra perveniunt. Eo venit & Erigyus, occiſi à ſe duello Satibarzanis ſpolia præferens. Non reperto Beſſo, Suſianorum deſerta ingreſſi Macedones plures iſti quam ullo antea prælio pereunt. Rex oblata aqua, ſolus bibere noluit, ut exemplo patientiæ duraret exercitum. Tandem Oxum amnem utribus ſtramine refertis incubantes tranſnavêre, quo comperto, Spitamenes aſſumit doli architectos, Beſſumque ſimulato ſecreto innectit vinculis, qui catena collo inſerta ad Alexandrum ita perducitur. Eum Alexander Oxyarti, Darii Germano, tradit, eodem in loco puniendum, ubi regem ſuum confoderat. Ibi curvatis arboribus, diſcerptus, & in fruſta conciſus eſt parricida perfidus, particulæ carnis ejus per aërem fundis diſjectæ.

Curtius lib. 7.

Curtius. l. 7.

Inde ad Branchidas itum, quorum majores Mileſii, in gratiam Xerxis violato quondam templo, haſce ſedes acceperant. Ob id inermes deditique jubente Alexandro, jugulantur, *crudeli ſententia* majorum culpas ab innoxiis poſteris exigente. Iniquitatem mox ultus eſt Deus. XX latronum millia montes inſederant, qui pabulantes incompoſito agmine Macedones inopina oppreſſere morte. Obſidentem eos regem ſagitta in medio crure fixa acie excedere coëgit. Hinc quarto die ad urbem Maracanda perventum, ubi Scythæ Aſiatici imperata ſe facturos Legatorum verbis teſtati ſunt. At Europæi Scythæ, qui ultra Tanain, Europæ Aſiæque limitem, ad Thraciam uſque habitabant, tantum abeſt ut ceſſerint Alexandro, ut urbem ad Tanain conditam ſubvertere etiam ſint auſi: Cyropolitani cervicem Alexandri ſaxo ita percuſſere, ut oculis caligine offuſa collaberetur, ne mentis quidem compos. Sed cuniculo ſuffoſſis tandem mœnibus, urbs capta dirutaque eſt.

Interim Spitamenes ad coërcendam Bactrianorum defectionem remiſſus, vehementius eam inflammat, depulſiſque Maracanda præſidiariis urbem tenet, Menedemum ad eam recuperandam venientem, locatis oportunè inſidiis, cum exercitu opprimit.

Hanc continuæ felicitati impoſitam labem ægro tulit animo Alexander, ſed diſparem animo vultum induit, nondum percuratis vulneribus, in Scythas bellum parans. Ibi ancipiti implicatus periculo, vates & hariolos conſuli antea deſitos, iterum accerſit, & ad ſuperſtitionum revolutus ludibria, parum exinde ſolatii accipit. Scythæ per legatos nimias Alexandri cupiditates increpant, *fortunam reverenter habendam*, ferocius quam efficacius monent. Mox enim tranſmiſſo Tanai pelluntur locis, eoſque rex, quanquam invalidi corporis vexationem difficillimè patiebatur, tamen per LXXX ſtadia inſequi perſeveravit. Victoriæ fama Sacas ad deditionem, Sogdianos ad veniam petendam compulit. Conditis ergo circa Marginiam ſex oppidis, exercitus ad Petram ducitur, XXX ſtadia altam,

Plutarchus in Alexandro.

tam, unoque tantum angusto perviam aditu, quam Arimazes (Plutarcho Sisimetres) Sogdianus cum xxx armatorum millibus occupaverat. Mirum dictu, trecenti juvenes præmiorum irritati aspectu, in cacumen rupis per aspera & avia enituntur, quibus visis, nec æstimata quidem ob terrorem paucitate, deditionem fecêre Barbari. Duces sub ipsis petræ radicibus suspendio interiere. Sic apparuit, *nihil tam alte constituisse naturam, quo virtus non ascendat.* Post hæc exercitis venatione copiis in Bazaria, Clytus frater Hellanices, quæ Alexandrum enutriverat, Maracandam (Sogdianorum ea erat metropolis) cum imperio dimittendus, ut homo fidissimus infidæ genti præesset, solenni convivio excipitur. Cum mero incaluissent, Clytus fiducia amicitiæ audentior, Philippum impensius laudat, honorificam Parmenionis, sui, aliorumque veteranorum mentionem infert, Alexandrum Epirotam in viros, Macedonem in fœminas incidisse confirmat adversarios. Incandescens dictis Alexander, convivio eum exigit. Abstractus ille, veriora se quam patrem regis (Hammonis illudens nugas) dicere jactat. Ea linguæ ferocientem intemperantia Alexander, rapta è manibus armigeri lancea, transfigit. Postridie discussa silentio noctis ebrietate, magnitudinem facinoris sera æstimatione contemplatus, detestabile carnificis ministerium sua manu occupatum, quæ vino imputari poterant, nefanda cæde ultum, servatorem sui occisum muliebriter lamentatur, ægreque est prohibitus, quin evulsam è corpore jacentis hastam in sua redigeret viscera. Ita triduum inclusus latuit, nec prodire ad milites ausus, donec Macedones Clytum jure cæsum decrevere. Ex hac perturbatione eluctatum adit uxor Spitamenis, qui Bessum tradiderat, & mariti præcisum caput affert. Id exemplum justè aversatus mulierem nefariè iracundam castris ejicit.

Curt. l. 8. Plutarchus. Justin. lib. 12. Arrianus lib. 4.

Appetente vere iter *in Indiam* pronunciatur. Ibi improviso exceptus frigore miles, ægrè corpus à pernicie defendit. Forte gregariorum quispiam in Alexandri tentorium irruit, vix ad arma se sustentans, nec oculis, nec auribus compos. Eum Rex ipse, quanquam maximè admoto igne refovebat artus, in sede collocat sua. Ille recepto calore vitali, ut regem locumque agnovit, trepidus surgit: quem intuens Alexander, Ecquid intelligis, inquit, quanto meliore sorte, quam Persæ, sub rege vivatis; Illis enim in sella regis consedisse, capitale foret, tibi saluti fuit. Quacunque deinde iter fecit, certatim occurrerunt reguli, se suaque dedentes. Inter eos erat Oxyartes satrapa, cujus filia *Roxane* sub epulis introducta, oculos in se convertit regis, *inter obsequia fortunæ minus jam cupiditatibus suis imperantis.* Igitur diviso pane gladio, ex quo uterque libabat, patrimonio sibi jungit captivam, ex ea geniturus, qui victoribus imperaret: Pudebat amicos extemporalis conjugis, sed post Clyti cædem libertate sublata, *vultu, qui maximè servit, taciti assentiebantur.*

Curtius lib. 8. A. M. 3638.

In deditionem acceptis Choraſmis & Dahis, jam CXXM armatorum ducens, Oceano ultimoque Oriente finire destinabat imperium. Cui gloriæ ut etiam exercitus convenirent ornamenta, phaleras equorum & arma inducit argento, nec amplius salutari se ut regem, sed prostrato humi corpore adorari præcipit: Assentiti sunt non pauci Græcorum, qui *professionem honestarum artium malis moribus corruperant.* Acerrimus inter recusantes Callisthenes Philosophus fuit, Aristotelis consobrinus, quæ res homini austero, minimeque aulicis apto moribus vertit exitio. Siquidem sub specie insidiarum, in quas Hermolaus aliique nobiles regii corporis stipatores conjuraverant, excruciatus necatusque est vir morosus, Alexandro in illum torquente classicum illud: *Odi sapientem, qui sibi ipsi non sapit.*

Curtius lib. 8. Livius lib. 9.

Plutarchus Alexandro.

Primam Indiæ urbium resistere ausam incen-

Arrian. lib. 4.

incendit Alexander, trucidatisque incolis etiam in tecta est sævitum, ut reliqui in terrorem agerentur. Cum ad Nysam à Baccho conditam veniſſet, magnificum ei sacrificium fecit. Milites, *licentia à paucis* (ut ferè fit) *in omnes repente vulgata*, Bacchantium in morem subito discurrere, Indis nec mero quidem sopitos per inertiam aggredientibus. Unde patuit, *gloriam fortunæ interdum*, haud semper *virtutis esse beneficium*, *Deo sæpe malorum* ministerio *hominum improbos puniente*. Sic plurimas Indorum urbes Ptolomæus, Alexander maximas cepit, rursusque ad Choaspem fl. quas diviserant, copias ambo conjunxere, Perdicca & Ephæstione Indi fl. trajectum interim præparantibus. Mazagum regioni & urbi munitissimæ, Cleophes regina præerat, cui forma & libidinis obsequium non veniam modo, sed pristinæ etiam fortunæ decus comparavit. Natus ex ea filius Alexander, postea apud Indos rerum potitus fertur. Qui Aornem petram tenebant, subeuntes Alexandri milites cum semel repulissent, perseverantia obsidentium territi tandem aufugere. Quare transmisso fl. Indo, Taxiles aliarum secutus gentium exempla, in deditionem statim venit, cui & regnum servatum, frumentumque quod dederat, largis pensatum muneribus. At Poro ultra Hydaspen regnanti alia mens & sententia stetit. Corporis enim juxta animique magnitudine insignis, haud gratuitam Alexandro dabat Indiam. Commisso prælio, è maximo Elephante pugnans, & quasi se ipso major, plurimos obterebat telis, Alexandri etiam equus Bucephalus prosternebatur: At vicissim Porus omnium expositus ictibus, cum ad postremum non ferret vulnerum multitudinem, è bellua defluxit, captusque est. Sed ob honorem virtutis diligentissimè curatum, ampliore donavit regno Alexander, quam tenuerat, duasque ibi condidit urbes Nicæam & Bucephalen. Secutæ Abiasaris, Sophitæ & Phegei regum deditiones, cognitumque, ultra Hypasin fl. undecim dierum solitudines esse, easque excipere Gangen, fluviorum Indiæ amplissimum: Ulteriores ripas colere Gangaridas & Parrhasios, quorum regem xx equitum, cc peditum millibus, tribusque Elephantorum obsidere vias. Ibi Alexander, quippe orbis imperium mente complexus, & adhuc in operum suorum primordio visus sibi stare, advocat milites, & oratione gravi ad transeundum flumen invitat. Verum surdæ pulsabantur aures, in fine erat vis militum, nemini fatigandam ulterius fortunam orbemve placebat. Itaque coactus ponere victoriis metam, munimenta castrorum extendi, 12 aras statui, cubilia amplioris formæ, quam pro corporis habitu relinqui imperat, posteritatique fallax miraculum strui. Non ullum opus milites lætius fecere.

Sic remensus iter ad fl. Acesinem castra ponit, ubi Cænus, qui oratione sua spem patriæ revisendæ aliis impetraverat, ea ipse præventus morte excidit. Jamque in aqua classis stabat, quam lustrando Oceano præparari ante jusserat. Igitur acceptis è Macedonia novis & armis & copiis, M navigia onerat, varioſque populos fluminum accolas subigit, Sobios, Oxydracas, Mallos, Sabraces, Musicanos, Bracmanes, alias. Septem menses insumpti, ac variis utrimque cladibus est pugnatum, prius quam Oceanus se in conspectum daret. In Oxydracum urbe rex sub mammam sagitta trajectus ex magna desperatione salutem recepit: Illaudabili enim audacia de muro solus in medios desilierat hostes, irrumpentesque ægrè amici jam prope interfectum regem in castra retulerant. Ptolomæus quoque ad Harmateliam venenato ictus telo, vitæ periculum adiit, monstrata regi per quietem herba, mirificè curatus. Oceanus ipse haud sine periculo & clade multorum pavit regios oculos. Classis Nearcho & Onesicrito commissa est, ut reliqua Oceani lustrarentur, iterque versus Euphratis dirigeretur ostia. In Oritis ac vicinis gentibus tanta omnium rerum

Justin. lib. 12 Curt. l. 8.

Diodor. lib. 17.

Curt. l. 6.

Arrianus lib. 5.

Plutar. Alexandro. Curt. l 9. Diodor. lib. 17.

rum inopia laboravit exercitus, ut maxima ejus pars interierit. Tandem per mille casus & detestanda pericula in Carmaniam ut perventum est, bacchantium
Curt. l. 10. ritu de novo processit agmen. Ibi accusati à Gentibus præfecti, sine respectu regiæ amicitiæ spectantibus legatis supplicio affecti perierunt. Apud Susa Calanus, Gymnosophista Indus, qui vitam ad annos 73 propagârat, cum valetudine tentaretur, exstructo rogo vivum se cremavit; ejus exequias Alexander poculorum est prosecutus certamine, unde XLI, qui primas potandi partes tulerant, paucis diebus exstincti, exequias Calano
Arrianus lib. 6. iverunt ad inferos. Secutæ sunt *Alexandri nuptiæ*, quibus Statiram (Arrianus Arsinoen vocat) Darii filiam sibi, Ephæstioni Drypetin ejus sororem, optimatibusque aliis nobilissimas quasque devictarum gentium virgines copulavit. Dimissis veteranis, exsolutoque exercitus ære alieno, (id Talentorum erat millium) ut præmia prædamque integra domos ferrent, XXX Persarum millia in phalangem adscripsit Græcam. Sed seditiosius missionem flagitantibus universis, è tribunali in concionem prosiliit armatam, ac XIII correptos sua manu ad supplicia duci jussit audacia plusquam regiâ.
Plutarch. Alexand. Curtius lib. 10. Hinc triduano vix fletu & modestia flexus est, ut alia XI millia exauctoraret, reliquosque reciperet in gratiam. Adduntur exauctoratis ætate graves amici, Polyperchon, Gorgias, Polydamas, Antigenes, alii. Craterus Macedonibus præponitur, Antipatrum cum supplemento tyronum in locum ejus evocat. Hinc Susis Ecbatana movet agmen, ubi anno imperii quinto, regni Macedonici undecimo, inter ludos & compotationes assiduas Ephæstion præcipuus amicorum decessit, contra decus regium Alexandro luctus, Medico etiam Glauco in crucem acto, *quasi de medicorum arbitrio ebriosi & intemperantes vitam mortemve ducerent.* Cadaver Ephæstionis Babylonem missum, ingenti deinceps sumptu funerandum. Inter hæc Harpalus Babyloniæ præfectus, ob flagitiosam potestatis usurpationem aufugit, assumptisque talentorum quinque millibus, sex cohortibus militum, Athenas concessit. Ibi cum per corruptum auro Demosthenem, non persuaderet populo, ut furem se tuerentur, in Cretam abiit, ubi à Thymbrone familiari suo confossus est. Mercenarii etiam milites, quos præceperat sacramento solvi Alexander, in Græcia coïere duce Leosthene, bellumque excitarunt grande, Lamiacum dictum postea. Interim Alexander Cossæos, Mediæ populum, Persis nunquam subditum, ad internecionem delet, & lento tandem itinere Babylonem incipit tendere. Eo legationes Carthaginiensium, cæterarumque Africæ civitatum, Hispaniarum quoque, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ & maritimarum Italiæ gentium convenerant, Alexandro velut destinato sibi regi exquisitius adulaturæ. Sed Belephantes Magus, ne urbem intraret, suaserat: Anaxarchus contra Philosophus, si divinis futura decretis starent, ignota mortalibus, si naturæ deberentur, immutabilia esse differendo, ut intraret impulit. Auditis igitur ordine legatis, primum, qui sacrorum causa, deinde qui gratulatum, tertio qui jura postulatum, denique qui alios accusatum venissent, omnibusque benignè dimissis, reliquum tempus otio datum, noctes dieque conviviis tracti sunt. Tandem ineunte Olympiade 114, Ephæstioni plusquam humanam impendit sepulturam, profusis in eam XII Talentorum millibus, versoque in insaniam amore, divinos funeri honores tribuit, ac decem victimarum millibus primus mortuo sacrum fecit
Justin. lib. 12. Diodor. lib. 17. Orosius l. 3. c. 20.
Inde reversus ad comessationes, cum aliquando totam noctem perpotasset, instauratis à Medico Thessalo epulis excipitur. Ibi accepto Herculis, quod vocabatur, poculo, repente, velut telo confixus, ingemuit, elatusque è convivio ferrum depoposcit in remedia. Amici causam febrilis ægritudinis intemperiem fuisse ebrietatis disseminarunt. Major fama

fama datum ab Antipatri filiis venenum tulit, Olympiadis criminationes pertimescentibus. Imminente jam fato, quærentibus amicis, *quem imperii hæredem faceret*, respondit, *præstantissimum*: oblitusque filioli Herculis fratris Aridæi, & prægnantis Roxanes, *virtute non sanguine æstimandum judicavit successorem.* Hac voce velut classicum inter amicos ceciniſſet, ea sexto die præcluſa, exemptum digito annulum tradidit Perdiccæ. Ita *rex* armis invictus, voluptatum fractus illecebris, *occubuit*, cum regnaſſet annos XII, menſes ſeptem, vixiſſet 32, menſes octo. Roxane deinde filium enixa, Darii filias per muliebris æmulationis inſaniam, in puteum præcipitari juſſit, adjuvante Perdicca.

Diod. lib.17. Arrianus lib.7. A. M. 3648. Plutarchus Alexandro Olymp. 114.

Hoc temporis tractu *apud Romanos prima de veneficiis quæſtio* extitit. Cum enim primores civitatis ſimilibus morbis, eodemque fere omnes eventu morerentur, ancilla quædam Q. Fabio Max. ædili indicium fecit, matronas venena coquere. Deprehenſæ cum medicamenta ſalubria eſſe contenderent, eis epotis ſuamet ipſæ fraude omnes interiere. Mox aliæ CLXX damnatæ. Prodigii ea res loco habita, *captiſque magis mentibus quam conſceleratis ſimilis viſa.* Ideo luſtrari urbem placuit. Sequentibus annis Volſci Appulique & Lucani in Romanorum fidem venere: Palæopolitani, quod Samnitibus juncti Romanorum colonias damno affeciſſent, bello expugnati ſunt: Decretumque Romæ factum, *ne quis, niſi noxam commeritus, in compedibus aut nervo teneretur: pecuniæ credit æ bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet.*

Livius lib.8.

Artes & diſciplinæ *Alexandro*, ut literatiſſimo, *regnante, in precio* magno fuere. Rex ipſe *Homeri* poëma aureo circumtulit ſcrinio. Cum Thebas caperet, *Pindari* familiæ penatibuſque pepercit. Inflammatus cupidine animalium naturas noſcendi, delegavit hanc commentationem *Ariſtoteli*, juſſis parere ei aliquot millibus hominum, omnium quos venatus, aucupia, piſcatuſque alebant, ne quid uſquam gentium ignoraretur. Adfuere militanti *Calliſthenes & Anaxarchus* Philoſophi, *Oneſicritus* & *Clitarchus* rerum geſtarum ſcriptores; ab Apelle ſolo pingi, à Lyſippo ſculpi voluit, viros in omni ſcientia ſummos ſumme honoravit. *Hiſtoriographos* in vita ejus complures laudat Plutarchus, Anticlidem, Antigenem, Ariſtobulum, Charetem Mitylenæum, Durin Samium, Dinonem, Eratoſthenem, Hermippum, Hecatæum Eretrium, Iſtrum, Polycritum, Philippum Chalcidenſem, Ptolomæum, Philonem Thebanum, Sotionem. Quibus addit Laërtius Anaximenem Lampſacenum, & Archelaum Chorographum. Floruit etiam hoc tempore Calippus *Aſtronomus*, Xenocrates & Theophraſtus Philoſophi. Theophraſtus Ariſtot. in Chalcidem profecto, ſcholæ in regimine ſucceſſit, Olympiade 114.

Plinius l.7.c.29.

Plinius lib.8. Nat.hiſt. cap.16.

Plin. lib.34. cap.8. & l.35.c.10. & lib.36. c.22. & 31. Diogen. Laërt.l.5. Suidas. A. M. 3688. Olymp. 114. Epochæ 136.

ARIDÆUS & TUTORES FILIORUM ALEXANDRI.

ALexandro defuncto in theſauris erant millia talentûm, & in annuis vectigalibus tricena millia. Vulgus Macedonum prædam, duces ſucceſſionem regni cogitabant, *æqualitate ad diſcordiam ſtimulante, cum nemo tantum cæteros excederet cui ſe quiſquam ſponte ſubmittere vellet.* Inter diſcrepantes de rei ſumma ſententias, Meleager, Perdiccæ infenſus, milites ad direptionem opum regiarum incitat, & Aridæum Philippi ex Philinna ſaltatrice filium, inſanabilibus animi vitiis laborantem, ad imperium provehere ſtudet, invitis proceribus, quibus exſpectandum Roxanes partum perſuaſerat Perdiccas, Ptolomæo Rempubl. ad optimatum arbitria trahente. Sed placato verbis peditatu, qui Aridæo adhærebat, aſſumptoque in partem adminiſtrationis Meleagro, Perdiccas quaſi luſtrando exercitum, ſeditionis autores CCC fere, elephantis obterendos projecit, nec prohibente Aridæo, nec autore. Hoc bellorum civilium Macedonibus &

Diodor. lib.18. Curt.l.10. Juſtin. lib.13. Plutarchus Alexandro.

omen & principium fuit. Meleager intellecta fraude, frustra se templi religione defendit. Perdiccas, eo occiso, de sententia principum decernit, ut Aridæus quidem summam imperii teneat, ipse autem regiis copiis, & Alexandri filiis præsit. Inde provincias inter principes dividit, quæ magnorum singulis incrementorum, civilisque discordiæ materiam dedere, *ruente sub pluribus imperio, & in sua viscera sæviente, quod sub uno vigere capite potuisset.* Primo Ptolomæo Ægyptus, & Africæ Arabiæque pars magna sorte venit, confinis ei Syria Laomedonti Mitylenæo, Cilicia Philotæ, Philoni Illyricum cessit. Lyciam cum Pamphylia Nearchus, majorem Phrygiam obtinuit Antigonus, Cariam Cassander, Menander Lydiam, Leonato minor Phrygia obvenit: Thracia & regiones Ponti ci maris Lysimacho. Cappadocia cum Paphlagonia Eumeni data, Pythoni Media, Scyno Susiane. Summus castrorum tribunatus Seleuco obtigit Antiochi filio, Cassandro stipatorum regis, in Bactriana & Indiæ regionibus priores præfecti retenti. Terras inter amnes Hydaspem & Indum Taxiles habebat, Parapamenos, fines Caucasi montis Oxyartes accepit, Aracassos & Gedrosios Sibyrtius, Drancas & Areos Statanor, Bactrianos Amyntas, Sogdianos Scytheus, Nicanor Parthos, Philippus Hyrcanos, Phrataphernes Armenios, Tlepolemus Persas, Peucestes Babylonios, Mesopotamiam Archesilaus: Antipater Macedoniæ & Græciæ præpositus, regiæ pecuniæ Craterus. In colonias superioris Asiæ, quæ defecerant, Python, cum magnis copiis missus, qui vi & fraude eas celeriter ad subjectionem redegit. Perdiccas deinde Ariarathem Cappadociæ regem, nondum ab Alexandro subactum, prælio vincit, & captum in crucem agit. Cum autem crudelius exerceret victoriam, Isauri seipsos domosque suas cremarunt, Perdiccæ *nullum belli præmium, præter incendii spectaculum*, relinquentes. Sic Eumenes in provinciam deductus est.

Curtius lib. 13. Justin. lib. 13. Diodor. Sicul. lib. 18. Arrianus de reb. post. Alexand. lib. 1. Deippus apud Photium. Orosius l. 3. c. 23.

Justin. lib. 13. Diod. lib. 18. Plutarchus Eumene.

Dum hæc geruntur per Asiam *Athenienses* atque Ætoli, Macedonicæ dominationis impatientes, Peloponnenses alioque Græcos ad resumendam libertatem excitant, flagranti imprimis studio Demosthenis, qui patriam, avaritia amissam, dicendi tunc virtute recuperavit. Itaque Antipater nondum idoneis instructus copiis, vincitur à Leosthene duce Athenienium, & in Lamiam urbem compellitur. Quam ibi oppugnans Leosthenes, saxo de muris jacto, occiditur, eique per Hyperidem oratorem solenniter laudato, successit Antiphilus. Interim corrogatis auxiliis, Antipatro Leonnatus è Phrygia suppetias laturus advenit, sed exceptus prælio ab Athenienibus, gravique vulnere ictus exstinguitur. Antipater tam æmulo sublato, quam copiarum accessione recreatus, exemit sese obsidione, & in Macedoniam concessit. Cujus vires Craterus, adductis è Cilicia XI millibus peditum, equitibusque MD, in tantum auxit, ut Græci perterriti victique, pacem peterent. Quam cum singulis seorsim non universis simul promitteret Antipater, Thessalosque admodum premeret, dissociavit hoc modo civitates, & reliquis pacem concessit: exclusis Ætolis & Athenienibus. Hi bello impares, præsidium recepere, Rempublicam ad arbitrium Antipatri corrigere sunt coacti. Demosthenes suo metuens capiti, sumto sponte veneno, periit. Arrianus apud Photium, interfectum narrat decreto Athenienium ab Archia Thurio, & cum eo Hyperidem, Aristonicum, & alios, accusante Demade, quem etiam Cassander jugulârit: Tristissimo certe egregiarum eloquentia virorum casu, qui popularis auræ studio potentibus liberius adversati, exemplo docuerunt, *nihil esse blandiente vulgo levius, nihil crudelius irritato.* Ætoli interim magnis animis pro libertate certare parati, in aspera inviaque loca se receperant: eosque persequuti Craterus & Antipater, commeatus inopiis in extremum adduxerant discri-

Diod. lib. 18. Justin. lib. 13. Arrianus apud Photium. Plutar. Demosthene.

Pausanias in Atticis. Plutarchus in vitis X Oratorum.

crimen, cum, Deo generosa pectora miserante, Antigonus Perdiccam fugiens, allato de ambitione ejus nuncio, inopinatam obsessis liberationem attulit. Etenim Perdiccas, ut suis viribus autoritatem regiam acquireret, ad nuptias Cleopatræ sororis Alexandri, non aspernante Olympiade, matre ejus, intendit, cum paulo ante Nicæam sibi, Antipatri filiam, fallaci amore desponsasset. Nam obtentu affinitatis ab Antipatro sperabat auxilia, quibus Antigonum & Ptolomæum subverteret. Quibus perterriti molitionibus Antipater & Craterus, cum Ætolis pacem, cum Ptolomæo fœdus fecêre, omnes copias in Perdiccam convertere properantes. Eo tempore Aridæus, toto biennio magnificentissimè adornato *Alexandri funere*, ad Jovis Hammonis templum contendebat. Sed exceptus exquisitissimo Ptolomæi apparatu, corpus illi tradit, qui *Alexandriæ* in splendidissimo delubro ingenti cum pompa *sepelivit*. Revertente ita ad Perdiccam Aridæo, Cyrenæi vario marte cum Thymbrone, & militibus, quos ille, perempto Harpalo, sibi adjunxerat, prælati, dum per seditionem Ptolomæi opem implorant, in ipsius potestatem pervenêre, factusque tantus est Ptolomæus, ut non tam timeret Perdiccam, quam timendus ipsi esset. Perdiccas præmissis ad Hellespontum Eumene & Neoptolemo, ut Craterum aditu arcerent Asiæ, ipse validissimis instructus copiis Ægyptum petiit. Sed Perdiccæ *plus odium arrogantiæ, quam vires hostium nocebant*, quam exosi etiam socii, gregatim Antipatri sectari cœperant partes. Neoptolemus quoque invidia stimulatus Eumenis, eaque patefacta prælio victus, ad Craterum transfugit, conjunctisque cum eo copiis, Eumenem celeritate suasit opprimendum. Sed insidiæ in insidiatores versæ, & qui securum aggressuros se putabant, securis in itinere & pervigilio noctis fatigatis occursum est. In eo prælio *Craterus*, amicorum Alexandri potissimus ex equo delapsus, *occubuit*: *Neoptolemus* cum Eumene congressus diu mutuis vulneribus receptis, in summa victus, *periit*. Victor Eumenes afflictas Perdiccæ partes non mediocriter erexit, everssusque vi Ptolomæus esset, nisi *ipsum è justitia & liberalitate orta subditorum benevolentia valide protexisset, Perdiccam è superbia procreatum apud milites odium maturasset exitio*. Ergo Nilum flumen imperite trajiciens, amissis temere duobus militum millibus, in tantam exercitus indignationem incurrit, ut conspiratione Pythonis, Aridæi, aliorumque ducum in tabernaculo occideretur, rerum potitus triennio. Extemplo etiam soror ejus, Atalanta, quæ Attalo classis præfecto nupserat, & familiares plerique iisdem fatis consumpti: Frater Alcetas, Eumenes & alii cum ipsis duces, hostes judicati imperii, habitoque concilio capitis damnati sunt. Autore Ptolomæo, *Python*, qui Græcos superioris Asiæ subegerat, susceptit tutelam regum, paulo post ab exercitu ad Antipatrum translatam, Pythone ob Euridices reginæ arrogantiam, (ea Cynane Alexandri sorore genita, & Aridæo nupta erat) administrationem aspernante. Tum *Polysperchon* Ætolos, Macedoniam vastantes compescuit, Antipater in Syriam profectus imperii curam susceptit, bello adversus Eumenem Antigono delegato, cui Cassander tribunus est datus, ne posset clam privatum negotium agere. Antigonus comparato celeriter exercitu Macedonum, bellum in Cappadocia infert Eumeni, & Apollonidem equitatus ejus ducem ad proditionem pellicit. Quare subito equitum receſſu consternata Eumenis acies vincitur, Dux ipse in Armeniam profugus in Castello Nora obsidetur. Sed ingens erat Eumenis calliditas, animique magnitudo. Cum videret Macedonum reges inanem habere regni speciem, multosque & pari animo viros rerum pro tempore potiri, qui singuli privatim sibi, quam publico consulere mallent, sperabat suam prudentiam, reique militaris peritiam ac fidem, facta

Jubil. 73. A. M. 3650.

Arrianus de rebus post Alexandrum lib. 6.

Diodor. lib. 18. *Justin. lib.* 13. *Arrianus apud Photium.*

Plutarchus in Eumene. Cornelius Nepos Eumene.

Diod Sic. lib. 18.

Arrianus apud Photium.

Cornelius Nepos & Plutarchus Eumene. Justin. lib. 14. *Diodor. lib.* 18.

quadam fortunæ mutatione facile requisitum iri, ideoque obsidionem toto anno constanter perferebat. Interim Alcetam in Pisidia devincit *Antigonus*, Attalum, Docimum & Polemonem, socios Eumenis, capit. Alcetas præsentiens Temesianorum fraudem, sibi ipsi vitam infelici dextra eripuit. At Eumenes consilio se suo haud fefellit. Etenim Antipater moriens interea mutatis quarundam provinciarum Satrapis, Polysperchonti, ducum Alexandri vetustissimo, tutelam regum imperiique administrationem commendarat, addito ei Tribuno Cassandro. Ea mutatio cum pernotuisset, Antigonus animum ad Asiæ imperium extulit, statuitque nec regibus amplius, nec tutoribus eorum parere. Habebat enim peditum LXM, equitum XM, Elephantos XXX. Illis statim annititur Aridæum Phrygiâ, Clytum Lyciâ expellere, Ephesum capit, pecunias in Macedoniam ad reges deportandas intercipit, Eumenem obsidione solutum sibi adjungere parat, omnia denique ut rebellionis manifestus, agere incipit. Nec derat ambitionis societati *Cassander*, turpe sibi ratus, Polysperchontem patris judicio prælatum in administratione imperii. Igitur ad Ptolomæum occultas mittit literas, qui jam capto Laomedonte Syriæ præfecto, totam Syriam ac Phœnicem ditioni suæ adjecerat. Jerosolymam etiam sabbati religione haud defensam, inique occupaverat, opesque tenebat plusquam regias, adeo ut classem è Phœnice in Hellespontum expediret. Transgressus inde in Asiam Cassander, fœdus cum Antigono percutit, & ab eo classem militemque ad excutiendum tutoriâ potestate Polysperchontem impetrat. Contra Eumenes, ab Olympiade & Polysperchonte ad tuendum domum regiam sollicitatus, Argyraspides veteranos, aliasque insignes nactus copias, in superioris Asiæ provincias proficiscitur, relictâ Cassandro & Polysperchonti de Europâ dimicatione. Ita quinto post Alexandri obitum anno, totus pene orbis novis bellis seditionibusque exarsit, ut verissime scriptor historiæ Maccabæorum affirmet, *multiplicata* esse *mala super terram.*

Arrianus lib.10.

Joseph. l.12.c.1.

Olymp. 115.

1 Maccab.1.

Eodem tempore *Romani* cum Samnitibus & Appulis bellum, variis interpellatum cladibus induciisque, trahebant. In quo L. Papyrii Dictatoris severitas, Romanorum ad furcas Caudinas ignominia, & mox ejusdem Papyrii Cursoris de Samnitibus victoria enituere. Expugnata enim Luceria, Samnites viciissim sub jugum misit, quemadmodum illi autore Pontio Romanos sub jugum miserant.

Livius l.8.9. Florus l.1.c.16. Aurel.de viris illustribus.

Inter hæc *Polysperchon* Olympiadem, quæ propter inimicitias cum Antipatro & Cassandro in Epirum secesserat, reducit in Macedoniam. Euridice uxor Aridæi regis muliebri æmulatione perculsa, scribit nomine regis Polysperchonti, Cassandro exercitum tradat, in quem administrationem transtulerit regni: eadem & in Asiam Antigono per epistolas nunciat. Quo beneficio devinctus Cassander, nihil non ex arbitrio muliebris audaciæ gerit. Deinde profectus in Græciam multis civitatibus infert bellum; quarum excidio, veluti vicino incendio, territi Spartani, urbem quam semper armis, non muris defenderant, contra veterem majorum gloriam, murorum præsidio includunt. Sed mox Cassandrum à Græcia turbatus Macedoniæ status revocavit. Nam Olympias mater Alexandri, cum prohiberi finibus Macedoniæ ab Euridice & Aridæo cœpisset, indignitate rei moti Macedones, ad ipsam transiere. Olympias furens impotentis ira animi, Aridæum captum excruciavit stimulis, Euridicem ad suspendium adegit, Nicanorem Cassandri fratrem, ac centum alios Macedones, Cassandro amicissimos, crudeliter mactari jussit. *Aridæus* (quem Macedones Philippum nominaverant) nomen imperii potius quam imperium gesserat sexennio, potestatemque vix rite degustatam miserando commutavit exitio.

Justin. lib.14.

Diodor. lib.19.

A. M. 3655.

Sub

Plutar.& Nepos Eumene. Diodor. lib. 18. Olymp. 116.

Sub hæc in Asia *Antigonus*, postquam victa Polysperchontis & Clyti classe, imperium sibi maris vendicasset, adversus Eumenem proficiscitur, qui contractis in unum Superioris Asiæ copiis, consilio & armis formidolosissimus ducum videbatur. Invidiam honoris, quod se Chersonesium Macedones ducem non ferrent, fictitio diluebat tribunali, cui speciem Alexandri imposuit, ut tanquam præsenti ejus numine de summa rerum decernerent. Itaque in Paræacis ad Cubratem Fl. cum Antigono conflixit, eumque male acceptum in Mediam hyematum coëgit redire, peditum ducentem 28 millia, octo equitum, Elephantos LXV, quos Eudamus ex India, interempto per dolum Poro rege, adduxerat. At Eumeni tamen infortunata hæc militia per Macedonum fraudem ambitionemque provenit. Quanquam enim callidum Antigonum calliditate superasset sæpius, ac postremo etiam prælio omnem ejus peditatum Argyraspides veterani in fugam coëgissent, tamen ob amissa impedimenta irati, Imperatoris sui capite alienam mercari gratiam non erubuerunt, fortissimorumque virorum prodito sanguine, conjuges liberosque suos, quam tot bellis spectata virtute maluerunt recuperare. Igitur traditus Antigono *Eumenes*, & aliquamdiu in vinculis habitus, à custodibus *jugulatur*; *Antigenes*, fortissimus Argyraspidum dux, vivus *exuritur*; *Eudamus* elephantorum magister *trucidatur*, omnia in Antigoni manus veniunt, Orientis victores perfidia partim sua, partim aliena vincuntur. Nec *Olympias* diu regnavit, quæ crudeli principum cæde favorem sui in odium verterat. Cassander enim præposito Athenis Demetrio Phalereo, injurias ab Olympiade suis illatas ultum in Macedoniam proficiscitur. Olympias diffisa Macedonibus, cum nuru Roxane, & nepote Hercule, in Pydnam urbem concedit. Deidamia Æacidæ regis filia, & Thessalonice privigna, multæque aliæ principum matronæ, speciosus magis quam utilis grex, comites reginæ fiunt. Obsidet eas Cassander, Æacidæ auxilia eludit, fame ferroque urget Olympiadem, & ad deditionem compellit faciendam. Hinc in concionem vocato populo, subornat parentes & cognatos interfectorum, qui sumpta lugubri veste, crudelitatem mulieris accusent; à quibus accensi Macedones, nec auditam nec defensam à quopiam, sine respectu pristinæ Majestatis occidendam decernunt Alexandri matrem: Immemores prorsus, quod per filium ejus, virumque non solum vitam ipsi inter finitimos tutam habuissent, verum etiam tantas opes imperiumque orbis quæsiissent.

Diod. l. 19.

Diodor. l. 12. Justin. l. 14.

Cassander fugam suadet Olympiadi, non quod servatam cuperet, sed ut, cum ipsa se fugæ damnasset, & in navigatione periisset, justas dedisse pœnas videretur. Negante ea se fugituram, & ad causam apud Macedones dicendam se offerente, Cassander Macedonum inconstantiam veritus, ducentos milites ad eam necandam mittit, qui majestate attoniti reginæ, re infecta, substiterunt, donec interfectorum *cognati interritam confoderent*, nihil muliebriter querulantem, sed ut Alexandrum posses etiam in moriente matre cognoscere.

Anno eodem.

A. M. 3656.

Hoc facinore perpetrato, *Cassander* Thessalonicen Alexandri sororem matrimonio sibi jungit, filium Alexandri cum matre in arcem Amphipolitanam mittit custodiendos, regiamque se habere authoritatem omnibus patefacit. *Thebas* quoque vigesimo, postquam exisæ fuerant, anno, civium superstitibus *restituit*, Græcorum gratiam populari facto quærens. Itaque finitum certamen inter duces Alexandri videbatur, tenente Ptolomæo Ægyptum, cum Africæ parte majori, & Cypro ac Phœnice, Cassandro Macedoniam cum Græcia, Asiam Antigono, Thraciam & Hellespontum Lysimacho. Sed major erat Antigoni potentia, quam ut reliqui ferendam existimarent.

Justin. l. 15.

Pythonem Media, Peucestem Persia amoverat, Argyraspidas in Arachosiam rele-

Diodor. lib. 19.

relegarat, à Seleuco Babylonis satrapa, tanquam imperator Asiæ, rationes exigere proventuum audebat. Ea arrogantia adeo alienavit Seleuci animum, ut assumptis L equitibus ad Ptolomæum profugeret, à quo perbenigne est susceptus. Igitur Seleucus, accusato gravissime Antigono, facile perfecit, ut Ptolomæus, Cassander & Lysimachus, inita societate, ab Antigono postularent prædæ Eumenianæ, captarumque provinciarum divisionem. Antigonus negavit, se in ejus belli præmia socios admissurum, in cujus periculum solus descendisset. Et ut honestum adversus socios bellum moliri videretur, coacto suarum partium consilio, Cassandrum Macedonum hostem judicat, se Olympiadis vindictam, & regis sui matrisque tutelam suscipere divulgat, Græcosque omnes pronunciat liberos. His cognitis, socii duces bellum terra marique enixe instruunt, Antigonus Tyrum, Joppen, Gazam in potestatem suam redigit, classem ædificat, Cyprum sibi adjungere parat, cum Polysperchonte ejusque filio Alexandro amicitiam firmat, sed infirmatam mox Cassandri astutia, cum is Peloponnesi administrationem Alexandro concederet. Secutæ utrinque urbium in Cypro, Græcia, Asia, insulis, expugnationes, fugæ cædesque hominum innumeræ, Ptolomæus Polyclito duce Antigonianos in Cilicia, vicissim Antigonus Cassandrianos in Caria strategematis opprimunt. Demetrius XXII annorum juvenis, Ptolomæo opponitur, Pater Antigonus transcendit Taurum, Cassandri & Lysimachi molitionibus occursurus. Lysimachus Thraces, qui ad Antigonum defecerant, cruento prælio sternit, Cassander Epirotas, occiso rege Æacida. Antigonus, misso Telesphoro, pleraque Peloponnesi urbes subigit. Tentatur sane pax, sed fluxa, ut inter cupidos regnandi, fide. Infida omnis regni societas ostenditur.

Diod. l. 19.

Olympiade 117. Antigonus duce Ptolomæo patruele, Græciæ urbes, expulso passim Cassandri præsidio, in libertatem asserit.

Ptolomæus per Agin legatum Cyrenæos ad obedientiam reducit. Ipse in Cyprum navigat, victisque rebellibus Nicocreontem totius insulæ ducem creat. In Cilicia quoque & Syria secundis usus consiliis, à Seleuco ad prælium cum Demetrio committendum incitatur. Nec abnuit Demetrius, militum favore subnixus. Sed conflictu superiores veterani duces Ptolomæus & Seleucus, pulso Demetrio, fugientes persequuntur Gazam usque, & urbem ipsam occupant. Cecidit & Python Agenorides, Alexandri ducum haud postremus, Elephanti omnes, militumque VIII millia capti sunt. *Victorum major moderationis, quam fortitudinis gloria celebratur.* Siquidem & amicos Demetrii gratis dimisere, & ipsius privatum instrumentum omne ac familiam reddiderunt, dicentes non propter prædam, sed propter dignitatem iniisse bellum, indignatos, quod *Antigonus* devictis diversæ factionis ducibus solus communis victoriæ præmia corripuisset. Ptolomæus recuperata etiam Tyro, & plerisque Cavæ Syriæ urbibus, Seleuco DCCC pedites, CC equites tradit, cum quibus Babyloniam repetit. Ille divino prorsus favore usus, statim provinciam recepit, Nicanoris Mediæ Præfecti copiosum exercitum ex insidiis fudit, Mediamque & Susianen in suas pellexit partes, subitoque regium sibi splendorem comparavit. Interim Cillas Ptolomæi dux, dum negligentius castra habet, à Demetrio oppressus, cum exercitu capitur, qua clade, & Antigoni à Phrygia reditu, territus Ptolomæus, Joppen, Samariam, Gazam, aliasque Phœnices & Syriæ urbes destruit, inque Ægyptum fugibundus recedit. Antigonus, recuperatis sine negotio Syria & Phœnice, Athenæum ad subigendos Arabes mittit, qui prima *felicitate ad ignaviam seductus*, gravem accepit cladem, quam ulciscens Demetrius, Nabathæos ad petendam adegit pacem.

Joseph. l. 6. contra Appionem. Justin. l. 15. Diodor. lib. 19. Plut. in Demet.

Diodor. lib. 19. Plutarchus Demetrio.

Se-

Sequenti anno, qui erat à morte Alexandri tertius decimus, cum pace constituta, Europæ imperium Cassandro esset promissum, donec Alexander Junior adolevisset, veritus ille, ne per adolescentem favore paterni nominis, regno Macedoniæ deturbaretur, occidi eum tacite cum matre Roxane jubet, corporaque terra obrui, ne cædes sepultura proderetur. Et quasi parum facinoris in matre Alexandri, conjuge, filioque admisisset, XV post decessum ejus anno, alterum quoque filium Herculem, jam septendecim annos natum, quem Polysperchon reducere in regnum conabatur, pellecto ad parricidium ipso tutore, cum matre Barsine veneno interficit: Scilicet quasi regnum Macedoniæ quod affectabat, aliter consequi quam scelere non posset. Eo anno *Eclipsis Solis* tanta fuit, ut plane diem noctem diceres, stellis undique apparentibus, ipsumque adeo solem detestari regnantum scelera pronunciares. Tum *Agathocles*, qui adolescens figulinam ob paupertatem didicerat, & postea uxoris suæ locupletatus divitiis, per fraudes & sceleratam audaciam, Syracusanæ corripuerat imperium urbis, varia cum Siculis & Carthaginiensibus fortuna per octennium belligeratus, atque ad extremum prope Syracusas victus, *exercitum in Africam* transtulit, relictoque in patria præsidio, Carthaginienses ad sua tuenda revocare studuit. Itaque Magnam & Tunetem urbes capit, acie Carthaginienses improvisos superat, magnumque Pœnis metum incutit. Illi cum Deos sibi iratos judicarent suos, Saturno ducentos è nobilissimis juvenes immolant, Herculi Tyrio supplicationes faciunt, & Amilcarem (id quod in votis erat Agathocli) è Sicilia deducere jubent copias, qui dimissis in Africam VII millibus, dum Syracusas obsidet, paulo post à paucis Syracusanorum superatur, & miserabili cum cruciatu occiditur. Agathocles oppidis Africæ plusquam ducentis potitus, Carthaginienses quoque Tunetem obsidentes, non parva afficit clade. Unde planissime patuit, quam parum illos dæmonia cruentis placata hostiis adjuvarent.

Iustin. l. 5.

Diodor. lib. 20.

Diodor. lib. 19.

Quidam 3661. Diodor. lib. 20. Justin. lib. 22.

Inter Macedonum quoque Duces recrudescebat bellum. Ptolomæus fratre Antigoni genitus, cui copias in Peloponneso commiserat, ad Cassandrum deficit. Ptolomæus Ægypti princeps, ob præsidiis munitas Græcorum civitates, quas liberas esse oportebat, Antigono bellum faciens, repellitur quidem a Demetrio: At Nicoclem, Paphiorum regem, cum propinquis mori cogit. Nec diu post patruelem Antigoni Ptolomæum, ad se pellectum, cicuta tollit, hominem novarum rerum cupidissimum, qui hac morte patruo suo Antigono perfidiæ pœnas dedit. Supererat de Alexandri stirpe soror *Cleopatra*, quam certatim duces ambiebant, matrimonii dignitate imperium firmaturi. Ea ad Ptolomæum, nuper occupatis Græcis civitatibus celebrem, animum adjecisse comperta, Antigoni fraude Sardibus primum custoditur, mox per corruptas quasdam mulieres nefarie *interimitur*. Talibus consumpti fatis Philippi posteri, documentum dedere eximium humanæ fragilitatis, & pœnarum perjuros eorumque hæredes manentium. Nam intra triginta annorum spatium, partas fraude & cædibus totius pene orbis opes, iisdem, quibus acquisiverat artibus, Philippi posteritas amisit. Cæterum annus post Alexandrum decimus tertius, quo Seleucus Orientem recepit, & Ptolomæus Palæstinæ Syriæque afflixit civitates, victo ad Gazam Demetrio, novum imperio Græcorum initium præbuit, ex quo scriptoribus Judæorum annos supputare Græci regiminis visum. Tum etiam Ptolomæus multos Judæorum deportavit in Ægyptum, quorum perspecta fide & religione, in honore eos habuit, & Alexandriam pari cum Macedonibus jure inhabitare permisit, Onia Jaddi filio Pontifice Hierosolymorum.

Diodor. lib. 20.

Olymp. 117. Ioseph. lib. 12. Antiq. c. 7. & 14. Maccabæorum libri.

Nec multum intervenit temporis, cum Duces Macedonum præcipui Regium sibi

sibi nomen palam sumere sunt ausi. Nam *Demetrius*, Antigoni filius, Athenas aggressus, Pyræum cepit, sine quo Athenæ esse non poterant. Dedita urbe Demetrium Phalereum dimisit in Ægyptum, expugnatisque Cassandri præsidiis, Athenienses, Megarenses, aliasque civitates Græciæ libertati restituit: ob quam rem summis eum ac pene divinis honoribus vana Græcorum ingenia affecere. Abhinc in Cyprum navigavit, captisque nonnullis oppidis, Salaminem terribili machinarum apparatu perseveranter oppugnavit, donec Ptolomæus suis auxilio veniens prælii navalis fecit copiam, quo nec sine clade, egregie victor Demetrius, Cyprum subegit totam, & ad patrem tunc temporis Antigoniam urbem ædificantem, gratulabundum misit nuncium Aristodemum Milesium.

Plutarchus Demetrio.

Diodor. lib. 20. Plutarchus Demetrio.

Ptolomæus, ne ob acceptam cladem minoris apud suos autoritatis haberetur, se quoque regem dicit. Quibus auditis, Seleucus, Cassander & Lysimachus, & ipsi regiam sibi vendicant majestatem, ac pro uno multi subito emergunt reges. Hujus honoris ornamentis tamdiu omnes abstinuerant, quoad Alexandro justus hæres fuit, verecundia justitiæ ardentes ambitione animos paulisper reprimente. At postquam Cassander regii nominis hæredes ferro tollere non dubitasset, Antigonus etiam minimam nominis prædam de facili invasit, eoque exemplo tacitas reliquorum cogitationes in medium evocavit. Sed nec hujus nec illius posteris firmum mansit imperium, cælorum Rege injustas cupiditates perpetuis flagris castigante.

Justin. l. 22.

Eadem tempestate in Sicilia *Agathocles* crudelis ambitio clarius eluxit. Is Carthagini inhiabat, & Ophellam Cyrenaicæ à Ptolomæo præpositum, in societatem traxerat, potiundæ totius Libyæ inanissima spe tumentem. Conjunctum autem sibi cum maximis copiis scelerata fraude perdit, copias quoque amici suæ potestati subdit. Comperto etiam, Bomilcarem Carthaginiensis tyrannidis invasorem, militum fraude periisse, Regem se ipsum dicit, & Uticam urbem expugnat. Hinc relicto ad continuandum bellum filio Archagato, transit in Siciliam, ut civitates, quæ Agrigentinorum ductu in libertatem se erexerant, ad obedientiam reducat. Sed dum ipsi cum Dinocrate exulum duce res est. Archagatus gemina à Pœnis clade afficitur, & in Uticensium compulsus urbem, magnis obsidetur copiis. Igitur Agathocles, astu superatis Pœnorum classiariis, & Siculorum præstantissimis sueta truculentia necatis, in Libyam solvit, cladem Pœnis regesturus. Ibi armis inferior plurimos suorum amittit, sociisque deficientibus, eandem in aliis fidem, qua ipse erat, reperit. Sed nec illi nec Pœnis propitius erat *Deus, sanguinarios semper mortalium animos detestatus.* Nam dum Pœni captivorum pulcherrimos diis immolant suis, incenso igni validus repente incumbit ventus, raptaque in proxima tabernacula flamma, cum universis plurimos mortales absumit castris. Qui effugerant, in transfugas incidunt, ab Agathocle ad Pœnos tendentes, & ab iis pro hostibus trucidantur. Vicissim transfugæ igni castrorum, ad quæ iter intenderant, consternati, plerique aut à Sicilienses, aut sociis, celantibus omnia tenebris, miserabiliter necantur. Sic ad novem hominum millia nefandæ Pœnorum aræ perdiderunt. Agathocles cladibus perculsus, clam exercitu in Siciliam refugit, qui relictum se à duce inter barbaros indignatus, Archagatum & Heracliden filios ejus trucidat, & cum Pœnis pacem facit. Ille in rabiem efferatus, Ægestanos, ad pecuniam ei dandam collectos, inaudita crudelitate omnes interficit, & militum, qui in Africa erant, propinquos passim comprehensos jugulat. Mox rebus suis desperatis, tyrannidem deponere, & in gratiam redire cum Siculis sera pœnitentia expetit, Dinocrata refragante. Hunc cum acie vicisset, in Italiam transiit, & cum Brutiis Crotoniatisque gessit bellum. Dum hisce malis reliquus orbis ingemiscit,

Diodor. lib. 20.

Just. l. 23. Diodor. lib. 20.

Diodor. eclogis, lib. 21.

Livius lib.9. ſcit, *Romanis* cum Samnitibus, Hetruſcis, & Umbris cruenta etiam bella ducuntur. Satricum, Sora, Nola, Cluvia, Bovianum, variis expeditionibus, de Samnitibus captæ. Hetruſcorum LXM à Q. Fabio uno prœlio cæſa. Ab eodem dictator dictus L. Papyrius, quanquam inimicus, Samnites celeberrima victoria fudit. Appius Claudius viam à ſe dictam, Roma Capuam verſus muniit, alter Cenſorum Plautius Venos, inventis venis, fontalem urbi aquam induxit.

Enituere tunc *ingenia philoſophorum*, contrariis ſemet placitis, non minus quam Reges armis invicem oppugnantium, Cratetis Thebani, qui paupertatem, Pyrrhonis Elienſis, qui dubitationem, Epicuri Athenienſis, qui voluptatem, Menedemi Eretrienſis, qui honeſtatem, Xenocratis Chalcedonis, qui continentiam docuit: Nec defuerunt *hiſtoriarum ſcriptores* egregii, Megaſthenes Perſa, Agatarchides Cnidius, Hieronymus Cardianus frater Eumenis.

Diogen. Laert. lib.2. 4.9.10. Euſeb. lib.9. præp. Euang. Solinus cap.65. Joſeph. lib.12. Antiq. cap.1. Diodor. lib.19. Plin.l.17. cap.30. & 30.c.1.

Haud ſcio an addam *Menandrum*, novæ autorem comœdiæ, à regibus Macedoniæ & Ægypti claſſe & per legatos petitum. Indigni certe *Hoſthanes*, magices propagator, & *Theodorus Atheus*, qui literis memorantur, niſi cum ſeria profanitatis execratione.

PTOLOMÆUS SOTER, SELEUCUS NICANOR, DEMETRIUS POLIORCETES, LYSIMACHUS.

Imperii Græcor.7. Olymp. 118. Epochæ 153.

JAm erant reges pro uno *Alexandro* multi, quemadmodum de imperio Græcorum Daniel prædixerat. *Ptolomæus* Ægyptum, *Antigonus* cum *Demetrio* Aſiam, *Seleucus* Orientem, *Lyſimachus* & *Caſſander* occidentales Græcorum, barbarorumque provincias tenebant, cum de integro bellum Antigonus conflavit. Ægyptum enim omnibus modis Ptolomæo eripere tentabat, ſed Deo adverſante conatibus, Rhodios Demetrius tantis vexabat apparatibus, ut Poliorcetæ nomen ex admiranda urbium oppugnatione duceret. Verum & illinc nomine, non imperio auctus abſceſſit. *Ptolomæus* egregie ſuſtentans Rhodios, *Soter* ab iis dictus eſt. Multas tamen Græcorum civitates Sicyonem, Corinthum, Scyrum, Ægium, alias, æmulorum nudavit præſidiis, & in libertatem vindicavit, Caſſandroque Græcia pulſo, Dux Græcorum appellatus eſt, eodem tempore, quo *Romani* Samnites maximis damnis attritos, poſt 22 annorum bellum, petita tandem pace bearunt.

Diodor. Plutar. in Demetrio.

Pauſan. lib.1. Olymp. 119.

Livius lib.9.

Cæterum Ptolomæus & Caſſander, cæterique alterius factionis reges, cum carpi ſe ſingulos ab Antigono viderent, dum privatum ſingulorum, non commune univerſorum bellum ducunt, per epiſtolas ſe invicem confirmantes, tempus locumque coëundi condicunt, bellumque omnibus viribus inſtruunt. Cui cum intereſſe Caſſander propter finitimas Demetrii vires non poſſet, Lyſimachum cum ingentibus copiis in auxilium ſociis mittit. Lyſimachus Phrygiam majorem, Epheſum & Sardes, feliciter in poteſtatem redigit, neque Antigono ante Seleuci adventum facit copiam prælii, cogitque Demetrium è Græcia Aſiam petere. Ptolomæus quoque omnes Cavæ Syriæ urbes, excepta Sidone, expugnat. Interim Seleucus peditum viginti millia, equitum duodecim, elephantos pene D, currus falcatos centum, in Cappadociam adducit, junctiſque Lyſimacho copiis, prælium cum Antigono committit. In eo *Antigonus* jam octogenarius *occiditur*, Demetrius ex acie profugus, cum parte copiarum elabitur in Cyprum. E Cypro Athenas petit, quas ob redditæ libertatis memoriam quam maxime ſibi fidas reputabat. Sed longe deceptus eſt ſuoque didicit damno, *civitates non tam amore & benevolentia, quam ſæpius metu ductas, potentiores honorare.* Nam afflictum adverſo prælio ne urbe quidem ſua receperunt Athenienſes, quem paulo ante victoriam Deum

Diodor. lib.20. Juſtin. lib.15. Pauſanias in Attic. Appianus Syriacis. Plutarchus Demetrio.

& Servatorem suum prædicaverant. Perosus vanitatem *Demetrius*, vacuus tunc ulciscendi virium, in Chersonesum navigat, & è Lysimachi provinciis, quem socii reges negligebant, militem opesque venatur.

Paulo post insperata ei obtigit *felicitas*. Nam Seleucus ab India ad Oceanum totius potitus Asiæ, filiam Demetrii in matrimonium postulavit. Conspicatus enim geminas inter Ptolomæum & Lysimachum nuptias, (nam alteram Ptolomæi filiarum sibi, alteram Agathocli filio copulaverat Lysimachus) adjungendum sibi Demetrium nova affinitate judicavit. Igitur quanquam ex Apama Persica filium haberet Antiochum, tamen ei Stratonicen, quam Demetrius è Phile Cassandri sorore genuerat, superinducere non dubitavit. Hanc dum ad novum generum deducere parat Demetrius, exscensione in Ciliciam facta, intercipit thesauros in castello Quindano depositos, ipsumque Pliistarchum provincia illa exuit. Qui ne Cassandrum in bella nova accenderet, Demetrius Philen conjugem suam, Cassandri & Pliistarchi sororem, deprecatum ad affinem Cassandrum misit. Hinc cum Siciliam & Sidonem reposceret Seleucus, dedignatus ejus avaritiam Demetrius, in Græciam expeditionem facit, expugnatisque fame Athenis veniam dat ingratitudinis. Ne Spartam occupet, novo impeditur infortunio, quod Lysimachus Asiæ oppida, Ptolomæus totam Cyprum, excepta Salamine, interea occuparant. Dum ista fiunt, *Cassander* viginti duos annos Macedoniæ dominatus, aqua intercute, & vermibus è vivo corpore enatis *moritur*. Mortuo qui successerat, *Philippus* filius *tabe*, post vertentem annum, *consumitur*. Continuas illorum mortes seditio, & fœda Cassandrianæ domus strages sequuta. Antipater & Alexander fratres de regno diffidebant, Thessalonice mater, propensior Alexandro visa, à majore filio, cum vitam etiam per ubera materna deprecaretur, nefarie interimitur. Ob hæc igitur Alexander, in ultionem maternæ necis, gesturus cum fratre bellum, auxilium à Demetrio postulat: nec Demetrius, spe invadendi regni Macedonici, moram facit. Cujus adventum verens Lysimachus, persuadet genero suo Antipatro, ut malit cum fratre in gratiam redire, quam paternum hostem in Macedoniam admitti. Inchoatam igitur inter fratres reconciliationem, cum præsensisset Demetrius, per insidias Alexandrum interfecit: Occupatoque Macedoniæ regno, cædem apud exercitum non feciisse se testatus, sed occupasse ab Alexandro structas insidias, excusat facile, & commemoratione scelerum Cassandreæ domus in Alexandrum & stirpem regiam, mitigato populo, Rex Macedoniæ appellatur. Lysimachus quoque cum bello Doricetis (Plutarchus Dromichætem nominat) Regis Thracum premeretur, ne eodem tempore & adversus Demetrium dimicare necesse haberet, tradita ei parte generi, pacem ultro amplectitur. His peractis, *Seleucus* Bactris, Hircania Indiaque potitus, Nicanor à continuis victoriis appellatur. *Urbes condidit* plurimas: In memoriam paterni nominis decem & sex Antiochias, in honorem matris sex Laodiceas: novem sui nominis Seleucias; tres Apamias, Stratonicen unam, uxorum nominibus insignitas. Alias præterea multas, aut à Græciæ, aut à Macedoniæ urbibus, aut ab operibus quibusdam suis denominavit. Earum clarissima erat *Seleucia ad Tigrim*, per quam Babylon desolata est, ut divini Prophetæ prædixerant. Cumque LXII teneret provincias Seleucus, uxorem tamen Stratonicam à filii libidine immunem tenere non potuit. Persuasus enim ab Erasistrato medico, Antiochum insanabili ob novercæ amorem morbo flagrare, cui solus rex tradita conjuge mederi posset, consensit impuro consilio, regemque filium & novercæ maritum fecit, sibi duntaxat Asia, quæ intra Euphratem & mare medi-

Plutarchus in Demetrio.

Justin. l. 16.

Appian. in Syriacis. Plin. l. 16. cap. 26. Strabo l. 16.

Valer. Maxim. l. 5. c. 7. Plutarchus Demetrio.

mediterraneum est, ad vitæ tempus reservata.

Justin. lib. 16. Plutarch. Demetrio & Pyrrho. Paus. l. 1.

Porro Demetrius Thebis expugnatis, amotoque Pyrrho, bellicoso Epiri Rege, qui Macedoniæ inhiabat, Asiam paternum regnum recuperare statuit, cum dudum à se Macedones superbia & voluptatum studiis abalienasset. *Martem enim hi tyrannum, legem vere regem existimabant.* Quare parum profecit sua expeditione Demetrius, quantumvis ad centum millia peditum, duodecim comparasset equitum, & naves fere quingentas. Etenim Ptolomæus, Seleucus, & Lysimachus, experti priore certamine, quantæ vires essent concordiæ, pacta societate, adunatisque exercitibus, bellum in Europam transtulere, adjuncto sibi Epiri rege Pyrrho, quem Macedones maximi faciebant. Cum ergo Lysimachus Beroeam, Ptolomæus Græciæ urbes expugnaret, Pyrrhus Demetrii corrumpit exercitum, ipsoque in fugam acto regnum Macedoniæ occupat, parte ejus Lysimacho relicta. Phile conjugum una Demetrii (nemo enim regum illo in libidines projectior) tam multiplicem fortunæ mutationem execrata, voluntaria se morte subtraxit ignominiæ. Antipater Cassandri filius, à Lysimacho socero, quod regnum sibi ademptum inaniter quereretur, necatus est: atque ita universa Cassandri domus, Alexandro, seu necis ipsius, seu stirpis exstinctæ, pœnas partim cæde, partim supplicio, partim parricidio luit. Porro Demetrius, amissa ob iniquitatem potius suam, quam fortunæ Macedonia, deposuit septimo anno regni insignia, resumptisque quot colligere poterat, copiis in Asiam transivit. Ibi traditam ab Eurydice Ptolemæi filiam accipit, Sardesque & alias nonnullas urbes occupat. Verum ab Agathocle, Lysimachi filio, commeatu intercluſus, fame, lue, aliisque infortuniis maximam exercitus partem perdit, & ad Seleuci se opem applicare cogitur. Quam ne impetraret, effecit Patrocles Seleuci amicus, *intutam asserens imperio & formidolosam tanti hospitis præsentiam.* Oppugnatus igitur à Seleuco Demetrius, & ad desperationem adactus, fortiter se defendit, periculosamque fortissimo licet adversario, belli aleam ex salutis suæ desperatione reddidit. Tandem destitutus à militibus, & ad instar feræ, obstructo undiquaque exitu, perculsus, Seleuco se dedit: *Cujus gratiam quo minorem experiretur, nimiis aulicorum studiis effectum est.* Persuasi enim, maximo eum in honore futurum apud regem, certatim ad ipsum honorifice deducendum prosiliunt, & Seleuci misericordiam ambitiosa hac adulatione in tristem vertunt invidiam. Misso enim cum valida cohorte Pausania, Demetrium comprehendi, & in Cherronesum Syriacam deportari jubet, ubi per triennium captivus, *luxu & ebrietate acriores de infortuniis suis cogitationes sepeliit*, datisque ad filium Antigonum literis, pro mortuo se deinceps habendum scripsit. Antigonus Græciæ quasdam tenebat urbes; Pyrrhum autem Lysimachus, paulo ante socium, Macedonia rursus ejecerat. Inter hæc Siciliæ *Agathocles* digno, ut fieri assolet, tyrannide fato *perfunctus* est. Mænon ei exoletus venenatum suppositit scalprum, quo dum dentes purgat, infecta veneno gingiva, per omnes mox nervos articulosque vim humoris pestiferi diffudit, tyrannusque velut intestino singulorum membrorum bello, horrendum in modum impetitur. Ex ea desperatione oborto inter filium nepotemque Agathoclis dissidio, nepos ejus *Archagatus* regnum sibi vendicat, Agathoclem patruum trucidat, trucidatum in mare abjicit. Crescentibus hinc cura & ægritudine morbis, senior Agathocles, Texenam uxorem, genitosque ex ea duos parvulos, mittit in Ægyptum, vivusque cremari expetit, & crematur, cum regnasset annos 28, vixisset 72. Eo sic exstincto, & bonis publicatis, Mænon receptus ab exercitu, Archagatum dolo interficit; potitusque rerum Syracusanis bellum infert, qui adjutum à Carthaginien-

Plutarch. Demetrio.

Plutarch. Pyrrho. Diodor. Sicul. fragm. lib. 21. Justin. lib. 23.

Plutarch. in Pyrrho.

ginienſibus recipere urbe coguntur, mercenarios dimittunt. Mercenarii milites ſuſcepti à Meſſeniis, infando ſcelere noctu omnes ſuos obtruncant hoſpites, ductiſque illorum uxoribus, urbem poteſtatis ſuæ faciunt, & novo nomine Marmarinam abinde appellant.

Iuſtin. 16. Diogen. Laërt. l. 5. Per idem ferme tempus *Ptolomæus* Lagides, qui & Soter, ex Euridice, Antipatri filia, ſuſceptos liberos ſprevit, & contra jus gentium Ptolomæo minimo natu, quem ex Berenice genuerat, tradidit regnum, fruſtra diſſuadente Demetrio Phalereo, & dicente, non habiturum amplius regem, quod in alterum, licet filium, tranſtuliſſet. At Ptolomæus omni regno pulcrius regis eſſe patrem judicabat.

Plutarch. Pyrrho. Memnon lib. 12. Iuſtin. l. 16. Dum hæc in Ægypto fierent, *Lyſimachus*, Pyrrho, cui nupta erat Antigone, una filiarum Ptolomæi, ademit Macedoniam, & Heracleam, antiquiſſimam Thebanorum coloniam, interfectis Clearcho & Oxathre tyrannis, clientelæ ſuæ ſubdidit. Ea urbs Clearchum Satyrum, Timotheum, Dionyſium, ex ordine ſibi ſuccedentes habuerat principes: Poſtremi Dionyſii viduam, Ameſtrin nomine, Lyſimachus ſibi ſociarat. Poſtea vero tranſlato in Arſinoën, aliam Ptolomæi filiam, amore, Ameſtrin & Lyſandram repudio dimiſerat. Ameſtris, cum Heracleam in proprium ſe recepiſſet regnum, diro filiorum ſcelere in mari ſubmerſa, vindicem parricidii Lyſimachum quondam maritum habuit, veteris igniculos amoris adhuc animo perſentientem. Petenti ergo Arſinoæ conceſſus Heracleæ dominatus, quæ mulier ſenectutem Lyſimachi ad immania facinora impulit, exemplumque dedit mortalibus, *fraudis novercalis juvencularum in privignos, laudatioribus matronis genitos.* Nam delirus amore Lyſimachus, inſtinctu novercæ Arſinoës, Agathoclem filium, è Lyſandra ipſius Arſinoës ſorore natum, ſuſtulit veneno, quem & antea in ſucceſſionem ordinaverat, & multa per eum proſpere bella geſſerat. Parricidium ſecutæ principum cædes ſunt, luentium ſupplicia, quod egregium animi juvenem nefarie occiſum dolebant. Terræ motus antea Helleſponti & Cherſoneſi regiones concuſſerat, & Lyſimachiam quoque everterat urbem, à Lyſimacho conditam: ruinam regno ſtirpique Lyſimachi portendens. Nam & hi, qui cædibus ſuperfuerant, & hi, qui exercitibus præerant, odio parricidæ & delirantis libidine ſenis, ad Seleucum deficiunt, eumque pronum jam ad id ex æmulatione gloriæ, bellum Lyſimacho inferre compellunt. Inter eos Philetærus erat, omnem Lyſimachi pecuniam tenens, qui occupato Pergamo, ſe cum gazis omnibus Seleuco tradidit. *Vltimum hoc certamen commilitonum Alexandri* fuit, & velut ad exemplum fortunæ par reſervatum. Lyſimachus quatuor & LXX annos natus erat: Seleucus ſeptem & LXX. Sed in hac ætate animos juveniles, imperiique inſanabilem ambo reges gerebant cupiditatem. Quippe cum orbem duo fere ſoli tenerent, anguſtiis ſibimet incluſi videbantur, *avaritiæque finem, non imperii terminis ſed vitæ ſpatiis metiebantur. In eo bello Lyſimachus*, amiſſis ante variis caſibus XV liberis, non inſtrenue *moriens*, poſtremus domus ſuæ ruinæ cumulus acceſſit. Trajecit eum pilo Malacon, vir Heraclienſis, Heraclea mox Malaconis patria, reginæ Arſinoæ data dono procuratorem ejus Heraclitum in vincula miſit, libertatemque tot annis perditam maſcule recuperavit. Regnavit Lyſimachus, & Strapa fuit annos XL. Corpus ejus jam tabidum, indicio canis repertum eſt. Lætus victoria *Seleucus*, victoremque ſe victorum orbis ferens, non multo poſt & ipſe fragilitatis humanæ exemplum fuit. Quippe poſt menſes admodum ſeptem à Ptolomæo, cujus ſororem Lyſimachus in matrimonio habuerat, cujuſque opera Agathoclem filium occiderat, per inſidias circumventus, in Macedonia, quam reliquæ vitæ hoſpitium delegerat, *trucidatur*, anno poſt mortem Alexandri XL.

Pauſanias lib 1. *Strabo l. 15.* A. M. 3690. *Memnon l. 12. & 13.* *Appianus Syriacis.* *Pauſanias in Atticis.* A. M. 3691. *Appianus in Syriacis.*

Iuſtin. l. 17.

Ita

Ita imperium orbis, quod Seleucus pene ſolus ſemeſtri ſpacio tenuerat, iterum in partes ſuas laceratum varii rapuere. *Macedonia* totius orbis prædatrix, XL annis duodecim reges paſſa, aliis viciſſim largiter *prædæ fuit*. Nam poſt Alexandrum Antipater & Craterus eam habuerunt, hinc Aridæus & Eurydice, mox illis interfectis Olympias & Polyſperchon. Olympiadem & ſocios ejus Caſſander ſuſtulit. Caſſandri tres filii, Philippus, Antipater & Alexander, cadavera regum potius, quam reges, Pyrrhum & Demetrium pro adjutoribus ſucceſſores ſunt nacti. Pyrrhum Lyſimachus, Lyſimachum Seleucus, Seleucum Ptolomæus dejecit, mox ipſe etiam novæ cladis documentum ſeculis daturus. Sub has Macedonum tempeſtates Italorum ſanguine *res Romana* crevit.

Livius lib. 9. Primum *Hernici*, movere bellum quam gerere meliores, in deditionem accepti. Æquorum unum & XL oppida intra dies ſexaginta à Sempronio & Sulpitio Coſſ. oppugnando capta, pleraque eorum diruta atque incenſa, nomenque Æquorum prope ad internecionem deletum. Et exemplo eorum calamitas fuit, ut Marrucini, Marſi, Peligni, Ferentini, mitterent Romam oratores pacis petendæ amicitiæque.

Livius lib. 10. Diod. Sic. l. 20. Nec felicior exſtitit *Cleonymi* Spartani *expeditio*, qui Tarentinis auxilio venerat. Tranſgreſſus enim è Corcyra Thurios, ab Æmylio Coſ. in naves compellitur. Inde circumnavigatis Italiæ littoribus, cum ad Venetos perveniſſet, eodem accipitur modo: Vix quinta parte navium incolumi, nulla regione maris Adriatici proſpere adita, inglorius Corcyram receſſit. Paulo poſt Romæ nova ambitio invaluit. *P. Decius* perſuaſit rogationem, ut quatuor Pontifices, quinque Augures è plebe crearentur. Ita octo Pontificum, novem Augurum numerus factus, eodem fere anno, quo *Simon* Oniæ filius, Jaddi nepos, ſummum Dei Opt. M. Sacerdotium apud Judæos accepit & iniit, vir juſtus, omnique ſacrorum cura egregius, cui inſigne Siracides elogium, inſignis ipſe doctor poſuit.

Joſeph. l. 13. c. 2. Euſebius Chron. Syr. 50. Livius lib. 10. De hinc *Samniticum bellum* revixit, quoniam ſervientibus pax gravior, quam infelix bellum videbatur. Igitur Lucanos infeſtando, protectores eorum Romanos denuo ſibi faciunt hoſtes. Creati Q. Fabius Maximus quartum, P. Decius Mus tertium Coſ. Samnites pertinaci prælio fuſi, Samnium ab utroque Conſule pervaſtatum eſt.

Margantia Romulea, Ferentinum captæ. Similiter Appius & Volumnius Coſſ. Hetruſcos Galloſque, Samnitibus factos ſocios, egregie excepere: Septem millia ac trecenti hoſtium occiſi, pluſquam 2000 capti. Victor Volumnius, Samnites præda impeditos aſſecutus, Statium Egnatium ducem eorum capit, ſex millia cædit, duo millia & quingentos vendit; Captivorum 7400 recepit. Cum præda ingens ſociorum in militum manus veniſſet, acciti edicto domini ad res ſuas noſcendas, recipiendaſque præſtituta die: quarum non exſtitit dominus, militi conceſſæ: *coactique vendere prædam, ne alibi quam in armis animum haberent*. Refecti inde Coſſ. Fabius V. P. Decius IV. viri nati militiæ, *factis magni, ad verborum linguæque certamina rudes*, adverſus quatuor populos, Samnites, Hetruſcos, Gallos, Umbros, legiones ducere juſſi. Unam enim legionem, cui præerat L. Scipio, Galli ad Cluſium deleverant. In prælio P. Decius, cum ferocius inſtarent hoſtes, exemplum patris, hortamen ingens ad omnia pro Rep. audenda, ſecutus, piaculum ſe luendis exercitus periculis fecit, confectuſque vulneribus, lictores M. Livio Pontifici, qui devoventi ſe verba præiverat, tradidit. Interim Fabius in dextero cornu primum cunctator, inde fatigatis hoſtibus audacior, concitatis vehementer legionibus adverſam aciem in fugam impellit. Cæſa ea die hoſtium XXV millia, octo capta. Nec incruenta victoria fuit. Nam ex P. Decii exercitu VII M perierant; ex Fabii mille ducenti.

Florus l. 2. c. 17. Sextus Aurel. Victor.

Hac ſtrage nec in Samnitibus adhuc, nec in Hetruria pax erat. Hetruſcorum iterum Fabius ingentem fecit cædem, Appius Volumniuſque Proconſſ. Samnites, licet ab ultima ſpe dimicantes, cæſis rurſus XVIM, non pervicere, quin ultra ſextum & quadrageſimum annum bellum cum Romanis ducerent. Credo prodigia addidiſſe animum, quod in exercitu Appii pleroſque fulminibus ictos conſtaret. Adeo ne infeliciter quidem defenſæ libertatis tædebat, & vinci, quam non tentare victoriam malebant miſeri. Imo quod vix victor auderet (*tantum deſperatio ultima temeritatis facit,*) Attilii Coſ. caſtra oppugnare haud omnino vane auſi ſunt. Æquo pene marte diſceſſum, Romani caſtris defenſis contenti, ſequentibus etiam diebus difficiles pugnas habuere, ægreque Attilius, votâ Statori Deo æde, fugientes legiones coërcuit. Romanorum 7000, Samnitum 4000 cecidere.

Livius lib.10. Coſſ. deinde L. Papyrio Curſore & Sp. Carvilio, ante pugnam jurare coactus miles Samnitium, diroque carmine in execrationem capitis, familiæque & ſtirpis obſtrictus, niſi iſſet in prælium, quo imperatores duxiſſent: & ſi aut ipſe ex acie fugiſſet, aut ſi quem fugientem vidiſſet, non extemplo occidiſſet. Primoribus ea deteſtatione obligatis dictum, ut vir virum legeret, donec ſexdecim M numerum confeciſſent: Paulo plus XX millium alius exercitus fuit. Concurſum cum Papyrio eſt ad Aquiloniam, Carvilio Cominium urbem obſidente. Ibi nec Papyrio obfuit ſiniſtrum auſpicium, quo minus vinceret, nec Samnitibus furiale carmen, quin vincerentur, profuit. Impulſi enim acerrimo Romanorum impetu, jurati pariter injuratique fugiunt, nec ullum amplius numen præter hoſtes, metuunt. Sic cæſa ad Aquiloniam ultra XXX millia, capti ad tria millia. Eademque fortuna ab altero Coſ. ad Cominium geſta res. XV. millia in fidem venerunt, cæſa ultra quatuor millia, eodemque die Aquilonia & Cominium deflagravere. Optimum viſum imperatoribus, quo magis fractæ res Samnitium eſſent, eo pertinacius & infeſtius agere. Cætera igitur oppida expugnata, reſiſtentes quique cæſi, captivorum opumque maxima præda capta, Coſſ. triumphus omnium conſenſu delatus.

Sequens annus Fabium Gurgitem Coſ. habuit, qui ad perſequendas Samnitium reliquias miſſus, tam perdite rem geſſit, ut remotus eſſet ab exercitu, niſi pater iturum ſe filio legatum pollicitus, ſuis conſiliis Samnites deviciſſet. Tunc C. Pontius Imperator Samnitium ſecuri percuſſus, tandemque pacem petentibus, fœdus quarto renovatum eſt, cum Romani peſtilentia victi, pro Æſculapio ſerpentem ex Epidauro advexere. *Epitom. Livii lib.11.*

Ad extremum P. Cornelius Ruffinus, Marius Curius Dentatus, ambo Coſſ. contra Samnites miſſi, ingentibus eos confecerunt prœliis, bellumque cum Samnitibus per annos novem & L X actum tandem ſuſtulerunt. Ruinæ urbium ita dirutæ, ut Samnium in ipſo Samnio requiratur, nec facile appareat materia quatuor & triginta triumphorum. M. Curius in concione dixit: Tantum cepi agri, ut ſolitudo futura fuerit, niſi tantum hominum cepiſſem: tantum porro hominum cepi, ut fame perituri fuerint, niſi tantum agri cepiſſem. Legatis Samnitium aurum offerentibus, cum in foco ipſe rapa torreret, *Malo*, inquit, *hæc in fictilibus meis eſſe, & aurum habentibus imperare.* Nullus hoſtis fuit intra Italiam, qui libertatem Romanis carius quam Samnites vendiderint. *Eutrop. lib.2.* *Florus l.1.c.16.* *Aurel. in M.Curtio.*

In hæc tempora collocantur ab Euſebio, Laërtio, Plutarcho, Suida, & aliis, *Philoſophi*, Strato Lampſacenus, ſucceſſor Theophraſti, Stilpo Megarenſis, qui *opibus amiſſis, nihil ſe amiſiſſe* dictitabat. Arceſilas Cratetis diſci-

scipulus, novæ Academiæ fundator, & Zeno Citticus, Stoïcorum sectæ conditor.

Joseph. l.12.c.2. Diodor. in frag. lib.21. Suidas Timæo. Joseph. l.12.c.2.

Poëtæ: Theocritus Bucolicorum scriptor, Cratinus, Alexis Thurius, & Philippides Comici, Theodectes Lycius Tragicus, oculis captus, quod divina mysteria fabulis detorpasset, exoratoque Deo valetudini restitutus. A Diodoro Siculo memorantur *Historici*, Diallus Athenicnsis, Psaon Platæensis, Timæus & Callius Syracusani. A Suida Hecatæus Abderita, qui libros Judæorum ab ipso Deo traditos scripsit, ideoque res illis consignatas attingere, nefas esse poëtis, ne profano ore sacra oracula polluantur. Seleuco historicos adjungit Anaxicratem & Asclepiodorum Tzetzes Historia 118. Onias, Jaddi fil. Judæorum Pontifex, ab Ario Spartanorum Rege peramica epistola honoratus, Simeoni Justi filio reliquit Sacerdotium.

Ioannes Tzetz. Joseph. l.11.c.2. Eusebius Chron. 1 Macc. 12.

PTOLOMÆUS PHILADELPHUS, ANTIOCHUS I SOTER, ANTIOCHUS II DEUS, ANTIGONUS GONATES, DEMETRII FILIUS, PYRRHUS EPIROTA.

OLympiade 124 ad successorum Alexandri filios Asiæ Europæque imperium defluxit, quo tempore Ptolomæum Lagi filium, Lysimachum & Seleucum, mox & Ptolomæum Ceraunum obiisse, libro secundo commemorat Polybius, & in idem tempus Achæorum Reipublicæ initium confert, duabus è duodecim urbibus Dymæis & Patrensibus inter se primam societatem pactis, quibus deinde reliquæ consenserunt. Tunc igitur *Ptolomæus I* quadragesimo post mortem Alexandri anno, regnum Ægypti, Africæ, & Cypri reliquit filio, qui quod sororem Arsinoën, præter leges gentium, impuro quodam Ægypti institu-

Polybius lib.2.

Pausanias lib.1. A. M. 3688.

to, in amore & matrimonio haberet, *Philadelphus* à Græcis appellatus est. *Sterile autem & infelix conjugium, contra leges fasque initum fuit. Regi honori fuit honor, quem doctorum virorum impendit ingeniis.* Stratonem Philosophum, Præceptorem suum, LXXX talentis remuneratus est. Aristotelis, qui primus bibliothecam congessit, imitatione, Demetriique Phalerei & aliorum eruditorum consilio inchoatam à patre *bibliothecam* Alexandriæ, conquisitis undique libris, instructissimam reddidit. In eam quoque divinos Judaïcæ gentis libros illaturus, LXXII *interpretes* à Pontifice impetravit Eleasaro, Oniæ filio, quorum opera conversis in Græcam linguam lege Judæorum & Prophetis, summo orbem terrarum beneficio affecit, cui hoc pacto divina mysteria, in quibus solis mundi salus continetur, sermone vulgatissimo tradita innotescere cœperunt. Liberalitate fuit plane regia, quam in liberas imprimis exercuit civitates. Judæorum 120 millia servitute, quam in Ægypto serviebant, liberavit, Pharum insulam, jactis in altum molibus, artificio Sostrati Cnidii, Isthmum fecit, navigantibus oportunissimum.

Strabo lib.13.

Joseph. lib.12. Antiq. cap.2. Diogen. Laërt. lib.5.

Eusebius Chron. Joseph. l.12.c.2. Memnon cap.26.

Huic regi *frater* erat, major natu, cui ob violentam & præcipitem audaciam, *Cerauni*, id est, Fulminis nomen inditum. Eum regno excluſum à Patre Seleucus Nicanor, quod Lysandram ejus sororem pro conjuge amaret, benigne apud se habuit, nec sine promissis, fore ut defuncto Ptolomæo magno, in paternum Ægypti regnum restitueretur. Sed *vana in hominem improbum beneficia* fuere, qui tantum abfuit, ut benefactori gratiam referret, ut eum regno pariter vitaque spoliarit. Patrato scelere, celerrimis equis è Macedonia Lysimachiam contendit, profectusque ad exercitum ob memoriam paterni nominis, & favorem ultionis Lysimachi, *rex declaratus* est. Assumpta deinde classe & copiis,

Justin. lib.17. Memnon lib.13.

piis, cum Antigono Demetrii filio, qui in Græcia se continebat, paternumque regnum, quibuscunque poterat viribus, repetere conabatur, conflixit prospere, Antigonoque in Bœotiam amoto, Macedoniam obtinuit. Mox majora ausus, sororis suæ Arsinoës, Lysimacho quondam nuptæ, amorem omni arte sibi conciliat, eamque profano Ægyptiorum ritu maxima pompa suo applicat toro. Promissa & puerorum Lysimachi adoptione, Cassandriam intrat, Arsinoæ urbem propriam: Antiochum Seleuci filium, fratrem suum Ptolomæum, & Pyrrhum Epiri regem vario mitigat astu. Externo autem metu depositio, impium & facinorosum animum ad domestica convertit scelera, sororis suæ filios, quos interpositis capitis sui ultimis execrationibus adoptaverat, in gremio matris, inter ipsa oscula trucidat. Ipsam conjugem & sororem, in Samothraciam ejicit exulaturam, eo miseriorem, quod cum filiis ei mori non licuit. Dixeris justas illam pœnas necatis novercali odio privignis orbitate pependisse, & ignominia. Sed nec Cerauno inulta scelera fuerunt. Quippe Deo justo tot perjuria & tam cruenta parricidia vindicante, brevi post à Gallis spoliatus regno, captusque, vitam ferro, ut meruerat, amisit.

Justin. lib.24. Pausanias in Attic. Appianus Syriacis. Memnon apud Photium. cap.15.

Aventinus l.1.

Namque Galli (Græci Celtas & Galatas vocant, Danubii & Rheni accolas eos professi) abundanti multitudine, trecenta millia hominum, ad sedes novas quærendum, tribus ante seculis emiserant. Ex his portio in Italia consedit, quos & Romam incendisse diximus: alia portio Illyricos sinus per strages Barbarorum penetravit, & Pannoniam tenuit. Gens aspera, audax, bellicosa, per multos annos cum finitimis varia bella gesserat: Hac tempestate, hortante successu, divisis agminibus, alii Græciam, alii Macedoniam, omnia ferro proterentes, petivere. Nec qui in Italia erant, Romanis quietem dabant. Occiso enim ad Aretium cum legionibus L. Cæcilio, nec legatis, qui ad redimendos captivos venerant, pepercere. Itaque à Curio & P. Cornelio viciſſim debellati, qui militari ætate erant, plerique perierunt. In eorum agros Sena colonia deducta. Nec Bojorum deinde, Tyrrhenis conjunctorum, melior fortuna fuit. Fugati à Romanis cæsique sunt.

Polybius lib 2. Epitome

Livii lib.12. Dionys. Legat. excerpta cap.5.

At alibi tantus terror Gallici nominis erat, ut etiam reges non lacessiti, ultro pacem ab iis ingenti pecunia mercarentur. Solus rex Macedoniæ Ptolomæus adventum Gallorum intrepidus audivit: hisque cum paucis & incompositis, quasi bella non difficilius quam scelera patrarentur, & parricidiorum furiis agitatus, occurrit. Igitur duce Belgio, Galli Macedones acie superant, Ptolomæus saucius capitur; caput ejus amputatum, & lancea fixum ad terrorem hostium circumfertur: paucos ex Macedonibus fuga servavit, cæteri aut capti aut occisi. Desperantibus salutem, qui antea cælo proximi sibi videbantur, Sosthenes è Macedonum ducibus unus, contracta juventute, Gallos victoria exultantes compescuit, & Macedoniam ab hostili populatione mascule defendit. Ob quæ virtutis beneficia, multis nobilibus regnum Macedoniæ affectantibus, ignobilis ipse præponitur: cumque rex ab exercitu appellatus esset, ipse non in regis sed in ducis nomen jurare milites compulit.

Justin. lib.24.

Interea *Brennus*, quo duce portio Gallorum in Græciam se effuderat, adunatis CL millibus peditum, & XV millibus equitum in Macedoniam irrumpit, occurrentemque cum instructo exercitu Sosthenem facilè profligat, victor totius Macedoniæ agros deprædatur. Inde scurriliter jocatus, locupletes Deos largiri hominibus oportere, iter Delphos vertit, templum in rupe Parnassi situm exspoliaturus, quod à quatuor hominum millibus custodiebatur. *Galli* præda incitati, simul & hesterno mero semiebrii, sine respectu periculorum montem ascendunt, sed partim saxo, partim obruuntur armis. Procurrunt simul sacerdotes

Justin. lib.24. Diodor. lib.22. Pausan. lib.10. Olymp. 125 anno secundo.

dotes vatesque dæmonum, quibus sacratus erat locus, terrorem tremoremque ingerentes vecordibus sacrilegis. Accessit deinde tempestas & frigus cum grandine, saucioſque ex vulneribus Gallos tetris funeribus absumpsit. Dux ipse Brennus, cum dolorem non ferret vulnerum, pugione sibi vitam abrupit. Reliqui citato agmine Græcia excedentes, variis casibus sunt obtriti, cruentæque expeditionis *cruentum finem* dedere. Nec multo felicior *Pyrrhi*, Epirotarum regis, *in Italiam* expeditio fuit, ambiguo Apollinis deluſi oraculo. Responderat, *Aio te Æacida Romanos vincere posse.* Occasio belli à Tarentinis orta, semigræca civitate, qui adremigantem littori suo Romanorum classem occiso duce diripuerant, legatos ad repetendas res missos affecerant contumeliis. Philonides scurra Tarentinus, Posthumium ob Græcæ linguæ imperitiam à populo irrisum, obscœnis rebus adsperserat. Scurræ facinus risu potius probatum Tarentinis, quàm severâ indignatione castigatum, ita asperavit Romanos, ut ignominiam sanguine Tarentino eluendam ducerent. Etsi igitur Lucani, Brutii, Hetrusci, Samnites, eodem tempore infesti essent Quiritibus, tamen benè in omnes pugnando, tantum Tarentinis metum fecêre, ut Pyrrhum, clarissimum bellis regem, quem antea in Corcyra occupanda juverant, defensorem advocarent.

A. M. 3693.

Florus l.1. cap.18. Plutarch. Pyrrho. Epitome Livii. lib.12. Dionys. excerpt. cap.4. Just.l.1. Pausanias lib.1.

Pyrrhum Cineas orator, Demosthenis discipulus, qui haud pauciora oppida linguâ, quam Pyrrhus ferro subegisse scribitur, ab expeditione revocabat, *tutiorem demonstrans & justiorem esse requiem, quæ ante cædes & pericula ceu divinitus data caperetur, quam quæ debellato etiam universo orbe, post datas acceptasque clades ab incerta speraretur sorte.* Verum Pyrrhus dimittendæ quam habebat, felicitatis, quam spei castigandæ promtior, ipsum Cineam cum tribus millibus armatorum Tarentum præmisit, secutus ipse cum 25000, Elephantis duobus & viginti, veritatem prudentissimi sermonis exemplo roboravit suo. Primo quidem conflictu Romanis superior, *Val. Levinum Cos.* atroci pugna *vicit.* Elephantum novo odore ac specie consternati equi Italici, equitesque, fugam stragemque latè dedere. Sed tantum tamen regis ipsius periculum fuit, ut damnata armorum spe, calliditate maluerit quam vi Romanos oppugnare. Igitur interemtos in prælio cremavit, captivosque indulgenter habitos, sine pretio eis restituit. Totam deinde trementem Campaniam, Lirim Fregallasque populatus, à vicesimo lapide oculos trepidæ Romæ fumo ac pulvere replevit. Hinc Cinea in urbem misso, muneribus verbisque omni arte annixus est, ut Tarentinis securitatem, sibi amicitiam à Romanis impetraret. Et jam propè decreta res erat, cum Appius Claudius præ senio oculis captus, *damnosam Reipublicæ pacem esse aperuit, cum impunitate acceptæ ignominiæ, & victoriæ confessione, ab hoste expressam.* Tanta tunc patrum virtus, tanta continentia fuit, ut *confessum* sibi *regum* visum esse diceret Cineas. Reparatum igitur ex sententia Appii bellum, & Manio Curio, Cajoque Fabricio Coss. demandatum, *in Apulia apud Asculum* meliore marte gestum est. Anceps fuisse prælium tradunt. Quippe belluarum terror exoleverat, & C. Minutius quartæ legionis hastatus, unius proboscide abscissa, mori eas posse ostenderat. Fortissimè autem pugnante Pyrrho, non ante cladi finis fuit, quam nox dirimeret prælium. Plutarchus ex Dionysio ait, cecidisse utrinque millia hominum quindecim, addente Pyrrho: *Si adhuc unum prælium vicerimus omnes periimus.* Eo bello magna *C. Fabricii integritas* eluxit. Nam & oblatam sibi à rege imperii partem & pecuniam generosè repudiavit, & medicum venale ejus caput offerentem, justissimè remisit. Postea domi Censor decem pondo argenti facti, circa Rufinum Consularem virum, quasi luxuriam dignitate punivit. Alia

Justin. l.4.c.12.

A. M. 3692.

Epitome Livii lib.13. A. M. 3693.

Plutarchus Pyrrho.

Epitome Livii lib.14.

Plutarch. Pyrrho. Sextus Aurel. Eutrop. lib.2.

longè mens *Decii Rubellii* exſtitit. Is cum legione Campana præſidio Rheginis miſſus ab urbe, occiſis civibus, facultates fœminaſque eorum diviſit præſidiariis, exemplum imitatus popularium ſuorum, qui eodem ſcelere Meſſenios tractaverant. At mox Rubellius oculorum invaletudine tentatus, à medico ſic curatus eſt, ſicut ab ipſo Rheginorum civitas fuerat: Cantharidibus enim inunctus oculos, viſum medici fraude amiſit. Victis poſtea Tarentinis, legio tota à Romanis obſeſſa, & cladibus confecta variis, tandem deditione facta, ſecuri cervices impias præbuit.

Polyb.l.1. Diodor. Sic.l.22. Oroſius l.4.c.3.

In Sicilia interim tyranni erant, Hicetas Syracuſis, Phintias Agrigenti, Tyndarion Tauromenii, urbiumque minorum alii. Coacti ergo malis Siculi, cum Carthaginienſes obſidione etiam Syracuſas premerent, ad Pyrrhum confugiunt, qui ex Lanaſſa, regis Siculorum Agathoclis filiâ, Alexandrum filium ſuſceperat. Pyrrhus jam belli pertæſus Italici, facilè exoratur, exercitum in Siciliam tranſportat, Tarentinis præſidio interim impoſito. Ibi Siciliam ferè omnem in poteſtate habens, honorificam à Carthaginienſibus oblatam pacem arroganter aſpernatur, Lilybæum quoque & univerſum Siciliæ dominium eis adimere, inde Africam aggredi cogitans. Sed feſtivè jocatus in hunc regem fertur Antigonus Demetrii, qui tunc Macedoniam tenuit, *eum inſtar aleatoris multa & præclara jacere, jacta autem prudenter locare non poſſe. Dum enim mediocri felicitate ſuperbè utitur, nimiam appetendo, quam tenere potuerat, amiſit.* Peroſis enim ſuſpicaces ejus inſidias Siculis, partimque ad Soſtratum, partim ad Mamertinos, partim ad Carthaginienſes deficientibus, deſeri ſe conſpicatus Rex, omiſſis Siculis, Tarentum fugibundus rediit. Ibi *tertio* cum Romanis *prælio à M. Curio* propè Beneventum *victus*, fugatuſque in Epirum, octo peditum millia ſolum reportavit domum, cum ſex annos nequicquam tranſmarinum bellum duxiſſet.

Epitome Livii lib.15. Polybius lib.1. Plutarchus in Pyrrho. Pauſanias lib.1.

Diodor. Eclogâ lib.22.

Juſtin. lib.23. A. M. 3697.

Romanis tanta de opulentiſſimis gentibus ſpolia capta ſunt, ut victoriam ſuam Roma jam ipſa non caperet. Ipſæ cum turribus ſuis belluæ, non ſine ſenſu captivitatis, ſummiſſis cervicibus, victores Curii triumphantis equos ſectari viſæ. Luſtro à Cenſoribus condito, civium Romanorum CCLXXI millia reperta. Cum Ptolomæo Philadelpho, Ægypti rege, ſocietas juncta eſt. Omnis mox Italia, admiratione fortitudinis Romanæ, pacem coluit. Qui enim poſt Tarentum auderent? niſi quod ultro perſequi ſocios hoſtium placuit. Domiti ergo Picentes, & caput gentis Aſcalum, Sempronio duce. Coloniæ deductæ, Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio. Atque tum primum *populus Romanus argenteo uti nummo cœpit*, quæſtorumque ampliavit numerum. Sallentini Picentibus additi, caputque regionis Brunduſium, cum inclyto portu, Marco Attilio duce, in poteſtatem Romanorum venêre, Volſinienſes etiam, quos liberti patria & laribus expulerant, à Fabio Coſ. reducti ſunt. Hucuſque adoleſcentiam populi Romani producit Florus, cui inerat adhuc quædam quaſi ex paſtoribus ruditas, ſed quæ maximè viruit, & quodam flore virtutis fervens, Italiam totam, demptis Gallis, imperio ſubjecit Quiritum. Poſt profectionem à Sicilia Pyrrhi, magiſtratus Syracuſanorum creatus *Hiero* eſt, Heraclito nobili viro, ſed matre ancilla ortus. Is adverſus Mamertinos, alioſque hoſtes ſæpè pugnavit, crebriſque victoriis modeſtiſſimè uſus, omnium civitatum Sicularum favorem meruit. Earum conſenſu dux lectus adverſus Carthaginienſes, in alloquio blandus, in negotio juſtus, in imperio moderatus, cum prorſus nihil ei regium, præter regnum deeſſe videretur, Rex quoque tandem Siciliæ renunciatur. Interim Græciæ civitates, ex diſſidio regum, Antiochi & Antigoni, ad ſpem recuperandæ libertatis erectæ, miſſis invicem legatis, per quos in ſocietatis fœdera alligarentur, in bel-

Florus lib.1.c.1. Anno Urbis C.479. Plinius l.8.c.6. Epitome Livii lib.14. Florus l.1. cap.19. & 20. Livius lib.15. Plinius l.33.c.3.

Oroſius l.4.c.5. Florus l.1.c.22. Polyb.l.1.

Juſtin. lib.23.

Juſtin. lib.24.

bellum proruperant. Verum Ætolos, Antigoni ſocios, aggreſſæ, dum prædonum inſtar potius quam militum præbent, cladem acceperunt haud modicam. *Juſtin. lib.25.* Reparantes bellum Spartani, ſurdas ſociorum aures pulſabant. Nam ſtatuta inter reges pace, Antigonus receperat Macedoniam, Gallorum quoque nova agmina, deſertis caſtris fugiendo, ſeque & Macedones ſervaverat. Dum enim Galli vacua Macedonum ſcrutati caſtra, direptum naves inconſultius properant, malè accepti à remigibus vectoribuſque, repentina ſtrage interierunt. Quæ victoriæ opinio Antigono non tantum à Gallis pacem, verum etiam à finitimorum feritate præſtitit.

At Gallorum tantæ fœcunditatis eo tempore juventus fuit, ut mox etiam Aſiam omnem, velut examine aliquo implerent. *Memnon apud Photium, cap. 19.20.21.* Id quod ſic accidiſſe comperimus. Erat rex Bithyniæ Nicomedes, Zipætis filius, avus ejus adverſus Calantem Alexandri M. ducem Bithynorum libertatem defenderat. Eâdem nepos indole contra Antiochum Seleuci filium (quem Græca adulatio Soterem cognominavit) ut felicius ſe tueretur, Antigoni ſe applicuerat partibus. Bello hoc inter reges compoſito, Nicomedes Bithy- *Pauſanias lib.10. Strabo lib.12.* norum tumultibus agitatus, Galatas in auxilium adhibuit, quorum ope occupatas regiones, ut cum hoſpitibus, diviſit, quam portionem illi Galatiam vel Gallo-græciam nominarunt. Principes Galatarum præcipui, Leonorius & Lutharius, Galatiam in tres partiti regiones, oppidis caſtriſque eam exornarunt. Trogmi Galatæ Ancyram, Toliſtobogii Tabiam, Tectoſages condiderunt Peſinuntem, Nicomedes è regione Aſtaci de nomine ſuo Nicomediam. Atque ex hoc tempore reges Orientis, ſine mercenario Gallorum exercitu, nulla geſſerunt bella, liberæque civitates eorum præſidio adverſus regum vim proſperè ſunt uſæ. Tantus terror Gallici Celticive nominis, & armorum invicta felicitas erat, ut & reges majeſtatem ſuam Celtica virtute tuerentur, & populi ſua privilegia in illorum lacertis ponerent. Antiochus Soter, multis bellis ægrè recuperato patris regno, eoque non toto, Patroclem ducem cum exercitu in Bithynia amiſit. Ab Eumene Pergameno, Philetæri fratre genito, apud Sardes victus eſt. Gallos repulit quidem, ſed Aſia expellere haud potuit. Eorundem tamen auxilio ſubnixum Antigonum, quia ſupplementa militum Pyrrho in Italia laboranti negârat, reverſus illic Macedoniæ regno expulit. Victori Pyrrho, cum major penè ex bello eſſet voluptas, quam imperio, Cleonymus Spartanus, patriæ ſuæ iratus, quod in regno præteritus, deamata Chelonide potiri nequiret, facilè ei perſuaſit, ut oppugnaret Spartam. Ibi Pyrrhus non minore omnium mulierum virtute, quam Cleonymus Chelonidis ſuæ ira exceptus eſt. Ptolomæum filium manu promptiſſimum, & exercitus partem robuſtiſſimam amiſit Pyrrhus. Ne inſtaret oppugnationi, Argivorum fecit diſcordia. Superiora ejus urbis loca Antigonus tenebat, Ariſteas alterius factionis dux Pyrrhum advocabat. *Pyrrhus* in urbem intromiſſus, dum inter confertiſſimos violentiſſimè dimicat, & anus cujuſdam pauperculæ filium, à quo vulnus acceperat, trucidare nititur, ſaxo ab ea de tectis ictus proſternitur; jacenſque humi à Zopyro *trucidatur*. Caput ejus Alcyoneus, cum ad Antigonum patrem ferret, baculo percuſſus, profanuſque & barbarus ab illacrymante humanis caſibus patre appellatus eſt. Antigonus enim laudabiliter uſus victoria, Helenum Pyrrhi filium in regnum remiſit, eique inſepulti patris oſſa regio tumulanda more tradidit, *dignus victoria viſus, qui moderatè ea uti ſciret.*

Memnon cap. 16. Strabo l.13. Ap. Syriac.

Plutarch. Pyrrho. Juſtin. lib. 25. Pauſanias Laconicis.

Plutarchus Pyrrho.

Poſt mortem Pyrrhi, non in Macedonia tantum, verum etiam *Aſia Græciaque*, magni *bellorum motus* fuêre. Nam & Peloponneſii per proditionem Antigono traditi & variante hominum partim dolore, partim gaudio, prout ſingu-

Juſtin. lib.26.

læ civitates aut auxilium de Pyrrho speraverant, aut metus sustinuerant, ita aut cum Antigono societatem jungebant, aut mutuis inter se odiis ruebant in bellum. Inter hunc turbatarum provinciarum motum Aristotimus, missis ab Antigono auxiliis, Eleorum tyrannide potitus est. Ad cujus sævissimam dominationem stupentibus omnibus, Hellanicus senex & orbus, amicorum fideliſſimis domum suam contractis, per injectum prodendæ proditionis metum persuasit eis, ut tyrannum interficerent. Athenas terra marique oppugnans Antigonus, nec Ptolomæi nec Spartanorum victus subsidiis est, quin præsidium Athenienſibus imponeret. Areus enim Spartanorum rex, consumto commeatu, quod supererat roboris, ad patriæ reservandum usum, neque temere Athenienſium causa omne profundendum censuit. Gallogræcos paulo ante ingenti strage fuderat Antigonus, eaque inflammatus victoria, Athenienſibus id fecerat bellum. Sed dum ipse circa Athenas occupatur, Alexander Epiri rex, ulcisci mortem patris Pyrrhi cupiens, fines Macedoniæ depopulatur. Adversus quem cum reversus è Græcia Antigonus esset, transitione militum destitutus, regnum Macedoniæ cum exercitu amisit. Ejus filius Demetrius, puer admodum, absente patre reparato exercitu, non solum amissam recuperavit Macedoniam, verum etiam Epiri Alexandrum spoliat regno. *Tanta vel mobilitas militum, vel fortunæ fuit varietas, ut viciſſim reges, nunc exules, nunc reges viderentur.* Nam etiam Alexander, cum exul ad Acarnanes confugisset, non minore Epirotarum desiderio, quam sociorum auxilio in regnum est restitutus. Nec *Philadelphi* regnum, licet multo tranquillius Macedonico, cædibus malisque inteſtinis caruit. Minorem fratrem Argæum, insidias sibi comparantem occidit. Alterum quoque majorem, ex Euridice natum, cum ab eo Cyprios ad defectionem perſensisset sollicitari, de medio sustulit. At Magas (Justinus Agam vocat) frater Ptolomæi uterinus Philippo Plebeio patre genitus, cum Cyrenæis, quibus à Berenice matre erat præfectus, defectionem persuasisset, in Ægyptum cum exercitu movit. Ptolomæus munitis ex omni parte finibus, dum Cyrenæorum impetum sustinet moraturque, interim Magas Marmaridarum (ea Libyæ Nomadum gens erat,) defectione in Africam retractus est. Quo cum illum persequi Ptolomæus conaretur, comperta mercenariorum, Celtarum imprimis, de invadenda Ægypto conjuratione, abstinuit, conjuratos in desertam deportatos insulam, fame aliisque confecit malis. Magas vero cum Apamen duxisset uxorem, Antiochi filiam, persuadet socero, ut violato fœdere, quod ejus patri Seleuco cum Ptolomæo ictum fuerat, in Ægyptum irrumpat. Sed eas Ptolomæus prævertit moliti-ones, immissis in omnes Antiochi ditiones copiis; qui imbecilliores populos excursionibus, validiores acie adorti, proficiscendi facultatem Antiocho eripuêre.

Pausanias l. 5. & 6. Justin. lib. 26.

Pausanias lib. 3.

Justin. lib. 26.

Pausanias lib. 1. Justin. lib. 26.

Per idem tempus rex Cyrenarum *Agas decedit*, qui antè infirmitatem Beronicen, unicam filiam, ad finienda cum Ptolomæo fratre certamina, filio ejus desponderat. Sed post mortem regis, mater virginis Arsinoë, ut invita se contractum matrimonium solveretur, misit qui ad nuptias filiæ regnumque Cyrenarum, Demetrium fratrem regis Antigoni, à Macedonia arcesserent, qui & ipse ex Ptolomæi erat procreatus filia. Ille cum fiducia pulchritudinis, qua nimis placere socrui cœperat, studium placendi à virgine in matrem contulisset, suspectus invisusque aulicis, impurum amorem morte luit. Cum enim lectum ei concessisset socrus suum, percussores immissi hominem trucidarunt. Beronice in matrimonio judicium patris est sequuta. Post hæc *Ptolomæus* anno imperii 39 *vita fungitur*, post mortem patris ferè 38.

Justin. lib. 29.

Joseph. l. 12. c. 2. Ptolomæus in Canone.

Pausanias lib. 1. Justin. lib. 26.

Dum hæc in Asia Africaque geruntur,

Flor. l. 2. cap. 12. tur, *populus Romanus* propè quingentesimum annum agens, domita Italia jam robustus, sequentibus ducentis annis Africam, Europam, Asiam bellis victoriisque cœpit peragrare. Interveniente quidem mari paulisper subtitit, opulentissimam in proximâ Sicilia prædam non minus, quam Pœnus, affectans. Videbatur & sceleri affine, sceleratos defendere Mamertinos, qui hospites suos cum vita laribus torisque spoliarant: Sed vicit honestatem utilitas, specie juvandi socios, re autem solicitante cupiditate imperii. Appio Claudio Consule, primum transportatus est in Siciliam exercitus. Is Hieronem Syracusanum regem, qui fœderatus Carthaginiensibus Mamertinos oppugnabat, tanta vicit celeritate, ut ille ipse se prius victum, quam hostem videret, fateretur. Mox Valerius, Octaciliusque Coss. tot Siciliæ urbes expugnârunt, ut Hiero jam tributarius Romanorum rex fieret, inque eorum deinceps constantissime societate permaneret. Duillius Corneliusque Coss. etiam maris facere periculum ausi. Intrà sexagesimum diem, quam cæsa sylva fuerat, centum sexaginta navium classem in anchoris stetisse, prodit Florus. Prælii forma mirabilis traditur. Injectæ navibus Punicis ferreæ manus, machinæque aliæ ante certamen multum ab hoste derisæ; coactique Pœni è Navibus quasi in solido decernere. Victor ergo apud Liparas C. Duillius, mersâ & fugata hostium classe, primum maritimum egit triumphum, domique ei perpetuus ex eo honos habitus.

Olymp. 129. Polyb. l. 1. Diodor. Sicul. l. 23. Epitome Livii l. 16. 17.

Alter Consulum interceptus Cornelius Asina: qui simulato colloquio evocatus ab Annibale, atque ita oppressus est, perfidiæ Punicæ insigne documentum, cujus & mox pœna secuta. Victus enim altero anno in Sardinia Annibal, Cos. Scipione, à Carthaginiensibus suis captus crucique suffixus est. Attilius Calatinus ferè omnia præsidia Pœnorum; Agrigento, Drepanis, Panormo, Eryce, Lilybæo detraxit. Trepidatum sane est circa Camerinensium saltum, sed eximiâ virtute Calpurnii Flammæ, tribuni militum, Romani evaserunt. Hic enim lecta trecentorum manu, infestum & insessum ab hostibus tumulum occupavit, adeoque moratus hostem est, dum exercitus omnis se insidiis extricaret. Trucidatis omnibus qui una erant, solus Calpurnius periculosissimo superfuit facinori. Marco Attilio Regulo duce, in Africam navigabat bellum. Imperator metu mortis navigandi fecit audaciam, tantusque terror hostici adventus Pœnis fuit, ut apertis penè portis Carthago caperetur. Primum belli præmium erat civitas Clypea. Et hanc & trecenta amplius castella vastavit Regulus. Nec cum hominibus sed cum monstris quoque est dimicatum; quum quasi in vindictam Africæ nata 120 cubitorum serpens, posita Romanorum apud Bragadam fl. castra, vexaret. Illius etiam, non sine clade militum, victor Regulus, quum terrorem nominis sui latè circumtulisset, classemque ingenti præda onustam & triumpho gravem præmisisset in urbem, privatim, unde ipse conjugem & liberos aleret, vix habuit, quibus sumptus publicè sunt dati. Jam ipsam belli caput Carthaginem urgebat obsidio, pacemque non nisi durissimis dabat conditionibus, cum irato ambitioni ejus numine, magnum, utriusque casus, factus est exemplum. Nam conversis ad externa auxilia Pœnis, quum Xanthippum illis ducem Lacedæmon misisset, à viro militiæ peritissimo victus Regulus, triginta amisit millia, ipse cum quingentis vivus in hostium pervenit manus. Sic comprobatum, quod sapienter dixit Euripides, *unicum rectum consilium magnam militum vincere manum.* Cæterum non procedente Aspidæ urbis, in quam Romani confugerant, expugnatione, usi tempore Romani, 364 navium classem celeriter expediunt, & prostratis Pœnorum excubitoribus, acceptisque qui Aspidæ erant militibus, novi

Olymp. 130. Polyb. l. 1.

Aurel. Victor. Orosius. Epitome Livii l. 17. Gellius l. 6. c. 3. Orosius l. 4. c. 8. 9.

Polyb. l. 1.

Olymp. 131.

Coss. in Siciliam trajiciunt. Ibi dum nautarum spernunt consilia, oborta tempestate, exiguæ spei gratia in maximas se præcipitant calamitates. De 364 navibus solæ 80 sunt servatæ, reliquæ omnes vel absorptæ fluctibus, vel scopulis aut vado illisæ. Occasione usus Carthalo Pœnorum dux Agrigentum delevit. Nihilo tamen fractiores Romani intra trimestre 220 reficiunt naves, Coss. A. Attilius & Cn. Cornelius Panormum, præcipuam Carthaginiensium in Sicilia civitatem, expugnant. Sequenti anno, qui erat urbis conditæ quingentesimus, Cn. Servilius Cæpio & C. Sempronius, tempestatibus iterum CL naves amittunt. Quare desperatis viribus maritimis, territique Elephantis Romani, per biennium abstinuerunt præliis, donec, anno belli hujus decimo quarto L. Cæcilius Metellus, irritatis jaculando ex oportunis locis Elephantibus, disturbavit aciem Asdrubalis, viginti Pœnorum cecidit millia, & centum viginti potitus est elephantis, sic quoque magna præda, si gregem illum non bello sed venatione tantum cepisset. Hac iterum dejecti Carthaginienses clade, Regulum mittunt Romam, ni pax aut permutatio captivorum fieret, Carthaginem redituruum. Ille diversa, quam hostes mandaverant, censuit, ne pax fieret, ne permutatione captivorum reciperetur. Igitur cum fide custodita, in carcerem esset reversus, fœdo supplicio de eo sumpto miserè periit.

Olymp. 132. *Polyb. l.* 1. *Florus lib.* 2. *c.* 2. *Epit. Livii l.* 18. 16.

Hinc ad oppugnandum Lilybæum Romanis consilia vertentibus, classemque instaurantibus, Pœni urbem omnibus modis tuentur. Ad eam dum sedent Coss. C. Attilius & L. Manilius, decem militum millia gladio, totidem peste absumuntur, Publiusque Claudius, Appii filius, successor eis mittitur. Is nimiæ homo confidentiæ, ab Adherbale Pœnorum duce ad Drepanum victus est, nonaginta tribus navibus, & viginti hominum millibus amissis; ob magnitudinem temere acceptæ cladis consulatu excidit. Nec multò tamen felicior, qui successit, L. Junius, quas adduxerat naves & copias, partim bello, partim tempestatibus perdidit; coactique denuò Romani imperium maris Carthaginiensibus relinquere. Hinc Amilcar Locros, Brutios, aliaque Italiæ maritima vastavit, ac bellum utrimque variis incursionibus & damnis tractum est, *ambabus rebuspublicis, tanquam generosis volucribus, ad extremum usque spiritum inter se certantibus, donec viribus dissolutis, lassatas extricandi alias occasio sese obtulit, & Roma Carthagini prævolavit.* Igitur inopi ærario, de privatis singulorum opibus tertiùm à Romanis classis reparatur, & L. Lutatio Cos. committitur, anno belli Punici XXIV, Olympiade 134. Profectus est cum CCC navibus in Siciliam Afri contra ipsum CCCC paraverunt. Fit pugna apud Ægates insulas, qua vix alia major mari. Quippe commeatibus, exercitu, propugnaculis, armis gravis Pœnorum classis, & in ea quasi tota Carthago: quod ipsum exitio fuit. Romana classis prompta, levis, expedita, & quodam genere castrensis. Ad similitudinem pugnæ equestris, sic remis quasi habenis agebatur, & in hos vel in illos mobilia rostra, speciem præferebant viventium. Itaque momento laceratæ hostium rates, totum inter Siciliam Sardiniamque Pelagus naufragio suo operuerunt. LXX Carthaginiensium naves captæ sunt, L demersæ, X millia hominum capta, XIII occisa. Aurelius Victor sexcentas Carthaginiensium naves depressas aut captas, Eutropius CXXV demersas, LXXIII captas prodit, infinitum auri argentique pondus in potestatem redactum Romanorum. Ex classe Romana XII naves demersæ. Statim Carthaginienses pacem petiverunt. Tributa iis pax, redditique gratis captivi, nisi qui à privatis tenerentur, quos pretio redimere oportuit. Carthaginiensibus Sicilia reliquæque insulæ ademptæ, & multa MCC talentorum argenti imposita. Ita bello per XXV annos gesto, & obsidioni

Polyb. l. 1. *Florus l.* 1. *c.* 2.

Polyb. l. 1. *Eutrop. lib.* 2.

Diodor. Ecloga lib. 24. *Suidas.*

dioni Lilybæi decennium continuatæ finis datus.

Felix fuit hæc ætas à *divini verbi in Græcas literas* translatione, quæ etiam documentum Judæorum eruditionis præbet isto seculo, quum Pontifex Eleazarus, Jaddi nepos, sacris præesset Hierosolymæ.

Laërt. in Arcesilao & Bione. Diogen. Laërt. lib. 4. & 5.

Accendit & Græcorum ingenia Ptolomæus Philadelphus, apud quem septem vixisse *Poëtas* ferunt. Aratum, Apollonium, Theocritum, Lycophronem, Nicandrum, Philiscum, Homerum juniorem, Plejadas appellatos. Ejus liberalitatem æmulatus est Antigonus Gonates, Demetrii filius, sed potationibus addictior *Platonis* tunc Philosophiam, post Polemonem, Crates, & Crantor, mediam Academiam Arcesilaus propagarunt. *Aristotelica* dogmata post Stratonem Lycon, à suavitate sermonis Glycon dictus, egregiæ illius autor sententiæ: *ita circumdari pueris pudorem & laudis studium oportere, ut equis frenum & calcaria.* Zenonem Stoicum, in virtute sola beatitudinem ponentem, è plurimis discipulis maximè æmulatus est Cleanthes, non minus labore corporis, quem alendæ philosophiæ impendit, quam Philosophia ipsa celebris. Metrocles Cynicus cum sorore Hipparchia Cratetis inciviles complexus est argutias, Timon Nicæus Pyrrhonis effrenem opinandi licentiam. Hermachum & Dionysium Epicuri provexisse dogmata tradit Laërtius. Ea cum audisset apud Pyrrhum C. Fabricius Luscinus, ut erat ingenuæ vir gravitatis, Epicuream mentem & sententiam Pyrrho & Samnitibus, Romanorum hostibus, exoptavit, nec vanè imprecatus est.

Laërt. l. 7. & l. 9.

Laërt. lib. 10. Plutarch. Pyrrho. Plinius l. 7. c. 37. & 56. Suidas in Arato, & Callimacho. Diodor. Ecloga lib. 24. Athen. lib. 14.

Floruere hac etiam tempestate *Astronomi*, Berosus Chaldæus, cui Athenienses statuam inauratâ posuere linguâ, quia apud Babylonios 480 annorum observationes coctilibus inscriptas laterculis prodidit: & Aratus Solensis, qui apud Antigonum Gonaten vixit & mortuus est. *Poëta* etiam Callimachus Cyrenæus charus Philadelpho & Evergetæ; comicus item Philemon, & Sotades Cinædologus ob maledicentiam à Ptolomæo mari demersus.

Historiographos horum temporum prodit Diodorus, Philinum Agrigentinum; Laërtius Philonidem & Persæum apud Gonaten Antigonum, cum Zenone Rhodio. Memnon Nymphin Heracliensem, Plutarchus Hieronymum & Philarchum: quorum omnium scripta perierunt, ut pleraque alia vetustatis.

Laërt. lib. 4. in Bione, Borysthenite. & lib. 7. in Zenone. Plutarch. Pyrrho.

Templo Dei Opt. M. apud Hebræos, post Simonem Justum & Eleazarum, Manasses eorum patruus, eoque defuncto, Onias, Onia genitus, Jaddi nepos, præfuit, quem præcipitem avarumque scribit Josephus.

Joseph. lib. 12. cap. 3. 4.

PTOLOMÆUS III. EVERGETES. SELEUCUS II. CALLINICUS ET ANTIOCHUS III. HIERAX. DEMETRIUS ET ANTIGONUS GONATES. ATTALUS.

Epocha 211. imperii Græcorum 64.

QUingagesimum secundum annum post mortem Alexandri facit CL. Ptolomæus 476 Nabonassari, eundemque Ptolomæi Philadelphi decimum tertium, & à tricesimo primo anno Darii primi ducentesimum vicesimum. Ea supputatio plane cum annis ab Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Diodoro, assignatis consentit. Cum ergo Ptolomæus secundus ad 38 annos imperaverit, decessit anno post mortem Alexandri septuagesimo septimo, eodemque, ut testatur Eusebius, diem obiit Antiochus secundus, quem *Deum* primi cognominaverunt Milesii, quod Timarchum, tyrannum eorum sustulisset. Hunc Deum, intoleranda & blasphema adulatione dictum, conjux Laodice veneno interemit, indignata torum à sorore occupatum Beronice, quæ & ipsa erat Ptolomæi Philadelphi filia. Itaque accensa furiali odio in sororem, cum parvulo filio eam tollere moliebatur, freta filio suo Seleuco, qui paternum jam susceperat regnum.

Ptolomæus lib. 4. Almagesti c. 9. & l. 10 c. 3. & 9.

Euseb. Chron. Appianus Syriacis. Hieron. ad cap. 11. Danielis.

Sed

A. M. 3726. Sed cum *Ptolomæus Evergetes* appellatus, eodem tempore Ægypti potiretur imperio, sorori structas insidias bello vindicare statuit. Et Beronice cum aliquos ad interficiendam se missos didicisset, Daphnæ se claüsit. Ubi audito obsideri eam, Asiæ civitates recordatione paternæ majorumque ejus dignitatis, casum tam indignæ fortunæ miserantes, auxilia ei omnes mittunt, Ptolomæo etiam cum universis regni viribus advolante. Sed *Beronice* ante adventum auxiliorum, cum vi expugnari non posset, dolo circumventa *trucidatur*. Indigna res omnibus visa. Itaque cum universæ civitates, quæ defecerant, ingentem comparassent classem, repente exemplo crudelitatis, simul & in ultionem ejus, quam defendere cœperant, Ptolomæo se tradunt, qui de Laodice sumsit supplicium, & ingressus Syriam, Babylonem usque pervenit, totumque Seleuci occupasset regnum, nisi domestica seditione in Ægyptum esset revocatus. Deo Hebræorum solennes pro victoria hostias mactavit Jerosolymæ. Post Ptolomæi discessum, *Seleucus* regnum recuperaturus classem instruit, quæ Deo parricidium puniente, orta tempestate tota periit, nec quicquam illi ex tanto apparatu, præter nudum corpus, & spiritum, & paucos naufragii comites residuos fortuna fecit, Misera quidem res sed optanda Seleuco: siquidem civitates, quæ odio ejus ad Ptolomæum transierant, velut Deo arbitro satisfactum sibi esset, repentina animorum mutatione in naufragii misericordiam versæ, imperio se ejus restituunt. Lætus itaque malis suis, & damnis ditior redditus, ac vere jam, ut dictus fuit *Callinicus*, *bellum infert Ptolomæo. Sed* quasi ad ludibrium tantum fortunæ natus esset, nec propter aliud opes recepisset regni, quam ut amitteret, *victus prælio*, non multo quam post naufragium comitatior, trepidus Antiochiam confugit. Inde ad Antiochum fratrem facit literas, quibus ejus implorat auxilium, oblata ei Asia, quæ inter fines est Tauri montis, in præmium latæ opis. *Antiochus* autem, annos cum esset XIV natus, supra ætatem regni avidus, occasionem non tam pio animo, quam offerebatur, arripuit: sed latronis more totum eripere fratri cupiens regnum, puer sceleratam virilemque sumit audaciam, unde *Hierax*, id est, accipiter est cognominatus. Interea Ptolomæus, cum Antiochum in auxilium Seleuco venire cognovisset, ne cum duobus uno dimicaret tempore, in annos decem cum Seleuco fecit pacem. Sed pax ab hoste data, interpellatur à fratre: qui conducto Gallorum mercenario exercitu pro auxilio bellum, pro fratre hostem, imploratus se exhibuit. In eo prælio virtute Gallorum victor quidem Antiochus fuit; Sed Galli arbitrantes Seleucum cecidisse, in ipsum Antiochum arma vertere, liberius depopulaturi Asiam, si regiam omnem exstinxissent stirpem. Quod ubi sensit Antiochus, velut à prædonibus auro se redimit, societatemque cum mercenariis suis jungit. Interea Pergamenus Attalus, patruelis Eumenis, adspirat ad dominatum sparsis consumptisque fratribus bello intestinæ discordiæ, quasi vacantem Asiæ possessionem invasurus, victorem Antiochum, Gallosque aggreditur; nec difficile saucios adhuc ex superiore congressione, integer ipse viribus, superat. Ea namque tempestate omnia bella velut in exitium Asiæ gerebantur, uti quisque fortior fuisset, Asiam velut prædam occupabat. Cum igitur majorem Asiæ partem subjugasset, ne tunc quidem fratres, perdito præmio, propter quod bellum gerebant, concordare potuerunt: sed omisso externo hoste, in mutuum bellum reparant exitium. In eo Antiochus denuo victus, multorumque dierum fuga fatigatus, tandem ad socerum suum Ariamnem, Cappadociæ regem, pervehitur. Ariamnes is nepos erat Ariarathis, quem Perdiccas peremit. Pater Ariamnis, cum apud Ardoaten Armeniæ regem aliquamdiu exulasset, occasione usus belli, quod Seleucus cum Antigono gerebat, Cappadociam receperat: Cui suffectus Aria-

Justin. lib. 27.

Appianus in Syriac. Joseph. contra App. l. 2.

A. M. 3730.

Justin. lib. 27.

Strabo lib. 13.

Diod. Siculus Ecl. lib. 31.

Ariamnes, Antiochi Dei filiam Stratonicen Ariarathi filio suo acceperat, suamque vicissim Antiocho Hieraci dederat uxorem.

Ab illo cum primum benigne esset exceptus Hierax, interjectis diebus, cognito, quod insidiæ sibi pararentur, salutem quæsivit fuga. Profugo, ut nusquam locus fuit, ad Ptolomæum *hostem, cujus fidem tutiorem quam fratris existimabat, decurrit, memor vel quæ facturus fratri esset, vel quæ meruisset à fratre.* Sed Ptolomæus non tam amicus dedito, quam hostis factus, servari eum arctissima custodia præcepit. Hinc quoque *Antiochus*, opera cujusdam meretricis adjutus, quam familiarius noverat, deceptis custodibus elabitur, fugiensque à latronibus *interficitur. Seleucus* quoque iisdem fermè diebus, amisso regno, equo præcipitatus, *finitur.* Sic fratres, quasi & germanis casibus exules ambo, post regna, scelerum suorum majorumque pœnas luerunt.

Strabo l.16.

Interim *Aradii*, qui Callinico adhæserant, impetrata ab eo asyli libertate, qua cavebatur, ne profugos regibus cogerentur tradere, Rempublicam suam valde auxere. *Parthi* quoque & *Bactriani*, conturbatam videntes Seleucidarum familiam, ab imperio eorum *desciverunt.* Parthorum præfectum Andragoram Arsaces oppressit, sublatoque eo imperium invasit gentis, Bactrianorum M. urbes Theodotus. *In Asia minori Attalus* Eumeni patrueli *successit*, tertius à Philetæro, quem à Lysimacho ad Seleucum defeciſſe diximus. Philetærus enim officiis erga potentiores perpetuis Pergamum sibi 20 annis servarat: Eo defuncto Eumenes, fratris ipsius filius, auxerat potentiam, & Antiochum Soterem apud Sardes profligarat. Ei post viginti duos annos Attalus, qui etiam nonnullis Eumenes dicitur, suffectus, magna pugna Galatas & Antiochum Hieracem prostravit, regiumque nomen adscisere ausus est, æquato magnitudini nominis animo. Summa enim justitia suos rexit, unicam fidem præstitit sociis, mitis ac munificus in omnes, regnum 43 annos tenuit, adeo stabile ac firmum, ut ad stirpem tertiam possessio ejus descenderit.

Appianus Syriacis. Justin. lib. 4. Strabo lib. 13. Paus. l. 1. Livius lib. 33. A. M. 3731.

In Macedonia *decedens Antigonus* Demetrio filio reliquit regnum, quod Aratus Sicyonius Achæorum dux, subinde debilitabat, depellendo è Græciæ civitatibus Macedonum præsidia, easque Achaico fœderi adjungendo. Corinthus, Epidaurus, Megara, Trœzen, hoc pacto libertatem recuperarunt, & Ptolomæus Evergetes cum Achæis societatem coiit.

Polyb. l. 1. Plutarchus Arato. Pausanias in Corinth.

Verum Sparta non accessit ad fœdus. Agis rex rempublicam, post victas Athenas, jam pridem neglectis Lycurgi legibus corruptam, priscæ restituere continentiæ, & virtuti studebat. Verum ob id exosus ditioribus, accedente calamitate rei ad Pellenen male gestæ, ab Ephoris est necatus. Aratus Pyræum, Munichiam, Salaminem & Sunium, è Macedonum præsidiis, corrupto eorum præfecto Diogene, liberavit. Persuasit & tyrannis, Aristomacho Argivorum, & Lysiadi Arcadum, ut deposita sponte potestate, civitates suas cum Achæorum conjungerent concilio. Verum, ut *non omnia hominibus, etiam beatis, è sententia eveniunt*, felicitas Arati ad postremum labefactata ruit, haud sine illius, qui eam labefecerat, pernicie. Is erat Cleomenes, Heraclidarum è prosapia Eurysthenis ultimus, qui post Agidem regno potiebatur Spartanorum. Etenim hic iteratis victoriis Aratum ad petenda Macedonum, quos antea læserat, auxilia compulit.

Demetrius rex decennium regno functus, jam obierat, relicto parvulo filio *Philippo.* Ei tutor datus *Antigonus Gonates* (qui & Doson appellatus, *quod non daret sed videretur daturus*) accepta in matrimonium matre pupilli, regem se constitui laborabat. Dardanos Thessalosque morte Demetrii exultantes, compescuerat, dignitatemque regni Macedonici non solum defenderat, verum etiam auxerat. Interjecto tamen tempore, sedi-

Polyb. l. 2. Justin. lib. 28. Plutarchus in Æmylio Paulo.

tione minaci Macedonum clausus in regia fuit, extremoque circumdatus periculo. Tum in publicum sine satellitibus procedit, projectoque in vulgus diademate & purpura, dare hæc eos alteri jubet, qui aut imperare illis nesciat, aut parere ipsi sciant: se adhuc invidiosum illud regnum, non voluptatibus, sed laboribus ac periculis sentire. Commemorat deinde beneficia sua, depositoque cum eorum exprobratione imperio, tamdiu illud recipere recusavit, quoad seditionis autores traderentur supplicio. Post accitus ab Arato, *bellum infert Spartanis:* qui soli Philippi Alexandrique bellis, & imperium Macedonum, & omnibus metuenda arma contempserant. Inter quas nobilissimas gentes certatum summis utrinque viribus fuit, hinc veteri gloria, illinc illibata libertate, ipsaque etiam salute ad fortitudinem stimulante. Victi Lacedæmonii non tam suorum mortes, quam proprias dolebant vices, quod non omnes pro libertate patriæ cecidissent.

Plutar. in Agide & Cleomene. Hæc miserantibus supervenit *Cleomenes* rex, suo pariter & hostium cruore, post factas multas cædes, madens: ingressusque urbem, non consedit humi, non cibum aut potum popposcit, non denique armorum deposuit onus: sed acclinis parieti, cum quatuor millia sola ex pugna superfuisse conspexisset, hortatus ut se ad meliora Reipublicæ reservent tempora: Ipse cum conjuge & liberis in Ægyptum *ad Evergetem proficiscitur*: *Paus. in Corinthiacis & Laconicis.* à quo honorifice susceptus, diu in summa dignatione regis vixit. Postremo post Ptolomæi mortem (is Olymp. 139 anno primo *consumptus morbo* fuit) à filio *Polyb. l. 5. Plutarchus Agide & Cleomene.* ejus cum omni familia carceri inclusus, dum evadere, regemque frustra occidere conaretur, voluntaria cum omnibus suis periit morte: uxores etiam ad supplicium miserabiliter raptæ occubuere. Antigonus autem cæsis occisione Spartanis, fortunam tantæ miseratus urbis, à direptione milites prohibuit: veniamque his qui supererant dedit, præfatus bellum se cum Cleomene, non cum Spartanis habuisse, cujus fuga omnem finierit iram: nec minori sibi gloriæ fore, si ab eo servata Lacedæmon, à quo solo capta sit, proderetur. Nec multo post ipse *decedit*, regnumque relinquit *Philippo* pupillo, annos XIV nato. Ejus iracundiam & furorem cum niteretur compescere *Aratus*, jam senex admodum odium incurrit regis, operaque Taurionis clam peremptus *veneno interiit*, ducum istius ætatis solertissimus. *Polyb. l. 8. Plutarch. Arato.*

Dum Græcia per Aratum ad libertatem erigit animos, *Carthago cum mercenariis* de libertate ipsaque salute *dimicavit*. Postquam enim Carthagini exhausto bellis prioribus ærario, mercenariis Hispanis, Gallis, Balearibus, Afris, Pœnis, Liguribus, stipendia & donativa, à ducibus periculorum tempore promissa, exsolvi non potuere, immanis exarsit seditio, authoribus potissimum Matho- ne Afro & Spendio Campano, conditione servo. Hi pertractis in societatem Lybiæ gentibus, ingentes pararunt copias. Bellum varia fortuna maximaque invicem crudelitate in quartum gestum annum, in extrema seditiosorum clade finem habuit. Jamque ad desperationem pene venerat Carthago, arctissima obsidione cincta, cum *Amilcar* eam exemit periculo, tractosque in vallem stipendiarios ad tantam famem circumsedendo adegit ut humana pasci carne inciperent. Tunc ad pacificationem missi duces, Spendius & alii, in crucem sunt acti: Reliquorum XLM uno prælio cæsi, apparuitque omnibus, quantum unius peritia ducis adversus indomitæ temeritatem valeat multitudinis. Exinde Annibal, alter ducum Carthaginiensium, aliique nobilium, dum incogitantius castra habent, à Mathone capti, idem quod ante Spendius, supplicium luere. Tandem Utica & Hippone urbibus ad deditionem compulsis, Matho cum sociis dignas sceleribus suis pœnas exsolvere coactus. *Polyb. l. 1. Diod. Sicul lib. 25. Appianus de bellis Punicis.*

Cum intestinis hisce urgerentur Pœni *Polyb. l. 1.* malis,

malis, aliqui seditiosorum in *Sardiniam* profugi, Romanos ad occupandam insulam concitarunt, qui occasione usi, frustra obnitentibus Pœnis, eam suæ fece-
Polyb. l.2. re ditionis, non minimum deinceps moti inter ipsos belli irritamentum. Cæterum turbido patriæ statu quiescendum Carthaginiensibus, vel cum detrimento
Diod. lib.25. suo, visum. Composita Africa *in Hispaniam* transmissi exercitus, & ab Amilcare duce Annibal, novennis tum puer, juramento ad aras obstrictus est, ad gerendas cum Romanis inimicitias. *Amilcar* magnis rebus in Hispania per novennium gestis, dum flumen equo transmittit, excussus eo, *periit*.

Interim *Romanis* cum Liguribus, Illyriis & Gallis Insubribus negotium militiæ fuit.

Eutrop. lib.3. *Florus l.2.c.3.* *Bellum Ligusticum* eo anno natum, quo Hiero Siciliæ rex Romam ad spectandos ludos venit, populoque CC modiorum tritici millia dedit dono. Tutum Alpibus & fuga, durum atque velox genus Ligures, & occasione magis latrocinia faciebant quam bella. Cum diu eluderent, tandem Fulvius latebras eorum sepsit igni, Bebius in plana deduxit: Posthumius ita exarmavit, ut vix reliquerit ferrum, quo terra coleretur. Sardinienses ad rebellandum etiam impulsi à Pœnis, triumphi materiam præbuere, & pace *omnibus locis facta*, Romani nullum bellum habuerunt, quod his post Romam conditam, semel tantum Numa Pompilio regnante contigerat.
Epitome Liv.l.20. Sed clausa Jani porta, mox iterum sine mora patuit, cum & Ligures rebellarent, & Sardi. Subacti cum Sardis & Corsi sunt, prætorumque numerus ampliatus, ut essent quatuor.

Polyb. lib.2. *Illyricum bellum* ex piratarum conflatum est injuriis. *Agron* Illyriorum rex, liberatis ab Ætolorum obsidione Midioniis, adeo lætatus victoria fuerat, ut continuatis conviviis luxu moreretur. Ejus uxor *Teuta*, susceptis regni gubernaculis, principem Epiri urbem Phœnicen, Corcyramque occuparat insulam. Illyriis piraticam exercentibus opinione potentiæ indulserat licentius. Igitur missi Roma legati C. & Luc. Coruncani, questum de injuriis apud Reginam. Illorum junior, audacius quam circumspectius, bellum indicendo iram Teutæ accendit, immissoque in discedentem percussore trucidatus est. Ea res bellum inflammavit. Q. Fulvius Centimalus Cos. Demetrii Pharii proditione Corcyram adjunxit Romanis. Translatis in Illyricum copiis, multas cepit civitates. Teuta paucis locis exceptis, decedere regno, Romanis pendere tributum coacta, navigatio Illyriorum certis limitibus circumscripta est. Alter Consulum Posthumius rem in Græciam nunciavit, magno Græcorum applausu, eodem tempore quo Asdrubal, gener Amilcaris, in Hispania Carthaginem novam condebat. Ea felicitas Pœnorum in Hispania movit Romanos, ut paciscerentur cum Carthaginiensibus, ne liceret eis Iberum fl. cum armis trajicere, aut Saguntinos bello lacessere, quæ paulo post alterius belli Punici causa exstitit.

At tunc Romanos Galli Insubres di- *Polyb.l.2.*
stinebant, incitati aliquot ante annis lege C. Flaminii, qua Picentes agri, Gallis erepti, divisi fuerant militibus. Excitis igitur in societatem Rhodani accolis, quos ob mercenariam militiam Gessatas (puta hospites) appellabant, cum L pe- *Eutrop. lib. 3.*
ditum, XX equitum millibus in Hetruriam irruperunt. Traditum est Fabio *Epitome Liv.l.20.*
Historico, qui expeditioni interfuit, DCCC millia hominum parata ad id bellum ex universa Italia fuisse. Res per Æmilium Cos. prosperè gesta. Cum enim Galli, occiso prætore Romano cum sex millibus militum præda graves domum reverterentur, excepti pariter ab Attilio Consule è Sardinia revertenti, & sequente pone Æmylio, quanquam bifronte acie strenuè pugnabant, & Atti- *Diodor. Eclog. lib. 25. Polyb. l.2. Florus l.2. cap. 4.*
lium Cos. occidebant, gravissima affecti sunt clade. XL millia cæsa, decem capta tradit Polybius. Cumque instaurarent bellum, P. Furius & C. Flaminius Cos.

Epitome Liv. l.20. Eutrop. lib.5.

exercitus tunc primum trans Padum duxêre, secundisque Gallos domuêre prœliis. M. Claudius Marcellus Cos. occiso eorum duce Vidiomaro, opima Jovi Feretrio spolia tertius retulit. Ejus collega Cornelius Mediolanum urbem in potestatem populi Romani redegit. Hinc Istri, quod navem intercepissent Romanam, subacti: Illyrii, etiam cum rebellassent, domiti in deditionem venerunt. Coloniæ deductæ sunt in agro de Gallis capto, Placentia & Cremona. Eademque tempestate *Roma Poëtas habere cœpit & historicos.* Poëtas L. Livium Comicum, & C. Nævium: Historicum Fabium Pictorem. *Apud Græcos* Lacydes Cyrenæus novam instituit Academiam, Sphærus Stoicorum præfuit sectæ; Eratosthenes Cyrenæus scribenda historia, Conon Astronomia, Onias Simonis Justi filius apud Judæos sacerdotio, Jesus Siracides sapientia, Josephus Tobiæ filius civili prudentia & præfectura Palæstinæ floruit. Rhodiorum ingens *Solis Colossus* cubitorum LXX. divaricatis cruribus spatium præbens navibus portum ingredientibus, terræ motu concidit, certatim regibus ad ejus restitutionem levandaque Rhodiorum damna, conferentibus donaria, sed frustra, Rhodii enim, neglecto Colosso, liberalitate principum ad maxima Reipublicæ suæ usi sunt incrementa. Colossus etiam jacens miraculo fuit. Steterat quinquaginta sex annos, factus à Charete Lindio, ut ait Plinius.

Gellius l.17.c.21. Eutrop. lib.3. Laërt.l.4. & 7. Suidas. Joseph. l.12.c 3.4. Eusebius in Chron.

Polyb.l.5. Strabo lib.14. Plinius l.34.c.7.

PTOLOMÆUS IV. PHILOPATOR, SELEUCUS CERAUNUS ET ANTIOCHUS MAGNUS FRATRES, PHILIPPUS, ATTALUS.

Anno Olymp. 139. secundo. Anno Epochæ 237. Imperii Græcor. 90. Justin. lib.29.

Iisdem ferme temporibus propè universi orbis imperia, nova regum successione mutata sunt.

In Macedonia *Antigonus*, cum arduo Illyrios prælio vinceret, tantis clamoribus militem ad fundendum hostium sanguinem incitavit, ut oborto inde sanguinis sui profluvio, paucis diebus *moreretur.* Ei privignus *Philippus* quatuordecim annorum juvenis successit. *Polyb.l.2. & 5.*

In Asia *Seleucus Ceraunus* (qui & Pogon) Callinici filius, dum occupatas ab Attalo minoris Asiæ provincias bello repetit, Taurumque montem transcendit, ab Apaturio Gallo & Nicanore dolo circumventus *occiditur.* Achæus parricidii vindex, fratrem ejus Antiochum, impubem adhuc regio nomine ornat, ipse recuperatis bello regionibus, regem se gerit Asiæ. Ægyptum patre ac matre necatis, occupaverat *Ptolomæus IV*, cui ex facinoris crimine cognomentum factis contrarium *Philopator* fuit; Sed & Spartani in locum Cleomenis suffecerunt Lycurgum. Et ne qua temporibus mutatio deesset, Asdrubal quoque maximarum in Hispania copiarum ductor, ac potentia fere Amilcarem socerum supergressus, Hispani ministri insidiis jugulatus, eique à Pœnis Annibal substitutus fuerat, annorum viginti quinque juvenis, non tam penuria seniorum, quam odio Romanorum, quo imbutum eum à pueritia sciebant, professo Amilcare, se quatuor filios ceu leones in perniciem educare Romanorum. His regibus pueris, in suorum quibusque majorum vestigia intentis, magna virtutis indoles enituit. *Polyb.l.4. Ap Syriac.* A. M. 3751. *Diod. Sic. Ecl.l.25. Cornelius Nepos Hannibale.*

Solus Ptolomæus, sicut sceleste in occupando regno, ita & segnis in administrando fuit. Ad necem parentum fratris etiam cæde adjuncta, rebus velut feliciter gestis, luxuriæ se tradiderat, regisque mores omnis secuta regia erat. Itaque non amici tantum, verum etiam omnes exercitus, depositis militiæ studiis, otio & desidia corrupti, marcebant. Eam impunè tulit ignaviam, quoad *Antiocho* in Asia cum seditiosis fuit negotium. Antiocho enim Molon præfectus Mediæ rebellabat, sperans Achæum, qui inferiorem tenebat Asiam, futurum auxilio. Antiochus, ducta uxore Mithridatis Cappadociæ regis filiâ, præ ætate Her- *Justin. lib.30.* *Initium regni.* A. M. 3749. *Polyb.l.5.*

Hermeæ cuidam purpurato nimium erat obnoxius, & per Xenætam alioſque duces, illius conſilio miſſos, malè rem gerebat. Quare victis à Molone copiis, ipſe in rebelles movet, qui deſtituto duce, ſponte ad legitimum transiêre regem, Molon violentas ſibi ipſi manus attulit. Molonis frater Neolaus alterum fratrem Alexandrum, Perſiæ præfectum aggreſſus, trucidatis matre ac nepotibus, ſeque & ipſum Alexandrum ruinæ infelicis domus ſuperaddidit. Sic rebellione exſtincta, nondum erat ſui juris Antiochus, ſuperſtite etiamnum Hermea, homine crudeli & ambitioſo, qui caput regis clanculum ſtructis quoque inſidiis petebat. Iis per Apollophanem medicum diſcuſſis juxta & vindicatis, interfecti Hermeæ uxorem Apameenſes mulieres, pueros ejus pueri occidêre. *Tantum crudelis ſuperbiæ odium eſt, ut in ejus ultionem imbellis etiam ſexus & ætas armentur.*

Tunc vero *Antiochus*, cognita Ptolomæi deſidia, veterique inter ſe regnorum odio ſtimulante, repentino bello multas ejus urbes oppreſſit, Theodotus Ætolus, præfectus Cavæ Syriæ, cum ſocordem regem nulla virtuti aut fortitudini præmia ſtatuere animadverteret, indignatus deſpectui eſſe res præclarè ab ſe geſtas, Seleuciam Syriæ, Tyrumque ac Ptolomaidem Antiocho conceſſit; quibus ille ſine certamine potitus, ipſam aggredi decrevit Ægyptum. Sic tandem evigilare Ptolomæus, trepidare, miſſiſque legationibus, quoad vires pararet, morari Antiochum. Interea mercenarios milites in Græcia ſubito per viros induſtrios conſcribere; ſeptuaginta tria peditum, quinque equitum millia, 73 elephantos cogere. Contrariæ Antiochi copiæ erant LXIIM peditum, VIM Equitum, Elephanti CII. Congreſſi reges circa Raphiam Syriæ, primum pari fortuna dimicarunt, tandem victoria penes Ptolomæum ſtetit, qui mox petenti pacem Antiocho, facilè eam dedit, contentuſque recuperatione urbium, quas amiſerat, avide materiam quietis arripuit: ac revolutus mox in luxuriam, occiſa Eurydice uxore, eademque ſorore ſua, Agathocliæ meretricis illecebris capitur. Atque ita omnem magnitudinem nominis ac majeſtatis oblitus, noctes in ſtupris, dies in conviviis conſumſit. Creſcente deinde licentia, adduntur frater meretricis Agathocles, & mater Oenanthe, ejuſdem inſtrumenta luxuriæ. Illi per regem poſſidebant regnum; tribunatus, præfecturas & ducatus mulieres ordinabant, nec quiſquam tandem minus in regno ſuo, quam rex ipſe poterat. Sic *moritur*, relicto quinquenni ex ſorore Eurydice filio. Sed mors ejus, dum mulieres regiam rapiunt pecuniam, & imperium inita cum perditiſſimis ſocietate occupare conantur, diu occultata fuit. Revelata, concurſu multitudinis *Agathocles occiditur*, & mulieres in ultionem Eurydices, ſuffiguntur patibulis. Sed hæc multo poſt acciderunt.

Juſtin. l. 30.

Polyb. lib. 26.

Interim *Antiochus* Achæo cognato ſuo, dudum regem ſe Aſiæ minoris gerenti, bellum intulit grave & diuturnum. Illum jam Attalus Smyrna, Phocæa, Celophone, Myſiaque, Gallorum ſubnixus ope ſpoliarat. Quare cum Attalo inita ſocietate, Antiochus Sardes expugnat, Achæum arci includit. Poſtremo fraude Bolidis Cretenſis captum atrociſſimo afficit ſupplicio, Olympiadis CXLI anno ultimo. Manibus pedibuſque truncatum corpus cruci ſuffixum eſt, lubricitatis fortunæ inſigne documentum. Eo ſuperato hoſte, cum Hyrcanis & Bactrianis proſperè conflixit, tandemque exceptis Parthis, ſuperioris Aſiæ provincias ſubegit omnes, atque univerſos ſubditos in virtutis ſuæ admirationem traxit. Arſacem Parthum, mira ſecum virtute præliatum, in ſocietatem ad poſtremum aſſumpſit. Non minoribus intentus rebus Philippus erat, Macedonum rex. Eum Dardani, cæterique omnes finitimi populi, quibus velut immortale odium cum Macedonum regibus intercedebat, contemptu ætatis aſſiduè

Polyb. l. 7. & 8.

Polyb. l. 10. 11.

Juſtin. lib. 41.

Juſtin. lib. 28.

Polyb. l. 4.

assiduè lacessebant. Contra ille summotis hostibus, non sua defendisse contentus, accitu Achæorum, quos Messenii
Polyb.l.5. adversus Ætolos in auxilium vocaverant, Ambraciam quoque Ætolorum urbem occupat. In Pœonia Thebas Phthiotidas, incolis veteribus nudatas, coloniam facit Macedonum, & de suo nomine Philippopolin appellat. Ista agitantem accedit Demetrius Pharius, nuper à Paulo Æmylio ex Illyrico, cui eum Romani præfecerant, ob fractam fidem expulsus, injuriamque Romanorum querens, qui Siciliæ, Sardiniæque imperium adepti, Hispaniæ, Africæ, totiusque mundi opibus imminerent: suadet omissis Ætolis, bellum iis inferre, à quibus victoribus plus periculi, victis gloriæ sit expectandum.

Impellitur *Philippus* oratione reguli exulis, minusque negotii cum Romanis fore existimat, quod jam victos ab Hannibale ad Thrasymenum lacum acceperat, inque ipsa Italia Pœnorum armis urgeri.

Florus l.2. cap.6. *Ea res ita accidit.* Pudebat nobilem Carthaginiensem populum, ablatum mare, ademptas insulas, dare tributa, quæ
A. M. 2753. *Polyb.l.3.* jubere consueverant. Igitur in causa bel-
Liv.l.21. li *Saguntus*, dum Romani consultant, & Illyrios vastant *deleta* est, vetus Hispaniæ civitas & opulenta, fidei erga Romanos magnum quidem, sed triste monumentum. Jam novem menses fessi fame, machinis, ferro, igne, versa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum, tum desuper se suosque cum omnibus opibus suis, ferro & igni corrupêre. Hujus tantæ cladis autor *Hannibal*, missis Roma legatis, ad supplicium erat postulatus. Tergiversantibus Pœnis, à Fabio, excusso in curia togæ gremio, indictum est bellum.
A. M. 3753. V.C.535. Id initium & *origo secundi belli Punici* fertur, quod vastatione Italiæ, captivitate Africæ, ducum & regum, qui id gesserunt, exitio, per totos octodecim annos gestum est. Tempestas in Italiam ab Alpinis nivibus, velut cœlo missa, descendit. Hannibal, amisso in Pyrenæis montibus, & Gallorum fraude in Alpibus, ingenti militum numero, per invia sibi viam virtute & constantia celeriter pa- *Polyb.l.3.*
tefecit. Traditur ad Italiam LXXX millia peditum, & XX millia equitum, septem & triginta Elephantos duxisse, relicto cum idoneis exercitibus in Hispania fratre Asdrubale; sed cum maximam partem itinera consumsissent, viginti circiter peditum, sex equitum millia in Italiam penetrarunt, Ligurum & Gallorum succenturiatis aucta copiis. *Primi* impetus turbo *inter Padum & Ticinum* *Anno eodem.*
valido statim fragore intonuit. Ibi P. Scipione duce, *fusus Romanorum exercitus.* Saucius & ipse Cos. veniisset in hostium manus, nisi protectum patrem prætextatus admodum filius ab ipsa morte rapuisset. Hic erat Scipio, qui in exitium Africæ crescens, nomen postmodum *Polyb.l.3.*
ex malis ejus consecutus est. Inde Sempronius Gracchus, cognito Hannibalis adventu, è Sicilia exercitum trajecit Ariminum, & ad *Trebiam* cum Pœnis *Florus l.2.*
conflixit. Tunc callidissimi hostes frigi- *cap.6.*
dum & nivalem nacti diem, quum se ignibus prius oleoque foviissent, homines à meridie & sole venientes, sua Italos hyeme vicerunt. Secutus *Thrasymenus lacus*, tertium Hannibalis fulmen, A. M. 3755.
Imperatore Flaminio. Ad eum per maximam suam militumque vexationem transito Apennino, perque continuas vigilias in paludibus amisso oculo, pervenerat. C. Flaminius Cos. homo te- *Liv.l.22.*
merarius, nova Punicæ fraudis arte cir- *Polyb.l.3.*
cumventus, cum exercitu periit. Quippe nebula lacus, paluströibusque virgultis tectus eques, terga subito pugnantium invasit. Sex M. quæ eruperant, fide ab Maherbale data, perfidia Hannibalis victa feruntur. Cum ad nuncium cladis Romæ luctus esset, duæ matres inspe-
rato receptis filiis gaudio diem suum obierunt.

Adversus hostem toties victorem, tam *Liv.l.22.*
callidum, non virtute tantum, sed suis *Polyb.l.3.*
etiam pugnare consiliis oportebat. Itaque

que prima reviviſcentis Romæ ſpes Fabius fuit, *novam de Annibale victoriam commentus*, *non pugnare*, unde illi nomen novum, & Reip. ſalutare *Cunctator*, ſcutumque imperii. Itaque per Samnium, per Falernos, Gauranoſque ſaltus, ſic maceravit Annibalem, ut qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur. M. Minutius magiſter equitum, ferox & temerarius, criminando dictatorem, tanquam timidum & ſegnem, effecit, ut populi juſſu imperium ei cum Fabio æquaretur. Diviſo exercitu, cum in iniquum conſixiſſet locum, & magno in diſcrimine ejus legiones eſſent, ſuperveniente cum exercitu Fabio Maximo, præſentiſſimo liberatur periculo. Quo beneficio victus, caſtra cum eo conjunxit & patrem ſalutavit Fabium, idemque milites facere commilitonibus juſſit. Annibal vaſtata Campania, inter Caſilinum oppidum & Calliculam montem à Fabio clauſus, ſarmentis ad cornua boum alligatis & incenſis, præſidium Romanorum, quod Calliculam inſidebat, fugavit, & ſic tranſgreſſus eſt ſaltum. Idemque Fabii maximi dictatoris, cum circumpoſita ureret, agro pepercit, ut illum tanquam proditorem faceret ſuſpectum patriæ.

Anno eodem.

A. M. 3756. V.C. 537. *Florus lib. 2. cap. 6.* *Polyb. l. 3.*

Quartum & pene ultimum *vulnus Romæ fuerunt Cannæ*, ignobilis Apuliæ vicus, ſed magnitudine cladis nobilitatus. *Cæſa* eo prælio *Romanorum* XLV *millia* cum Æmylio Paulo Coſ. & ſenatoribus LXXX, conſularibus atque prætoriis aut ædilitiis XXX. ibi in exercitus infelicis exitium, dux, terra, cælum, dies, tota denique rerum natura conſenſit. Siquidem non contentus ſimulatis transfugis *Annibal*, qui mox terga pugnantium ceciderunt, inſuper obſervato loci ingenio, quod & ſol ibi, ut patentibus in campis acerrimus, & plurimus pulvis, & Eurus ab oriente ſemper quaſi ad conſtitutum, ita inſtruxit aciem, ut Romanis adverſus hæc omnia obverſis, quaſi ſecundum cælum tenens, vento, pulvere, ſole, pugnaret. Itaque duo conſulares exercitus cæſi ad hoſtium ſatietatem, donec Annibal diceret militi ſuo, *parce ferro*. Ducum effugit alter, alter occiſus eſt. Paulum puduit, Varro non deſperavit. Documenta fuerunt cladis cruentus aliquamdiu Aufidus: pons de cadaveribus juſſu ducis, factus in torrente Vergilii: modii duo annulorum Carthaginem miſſi, dignitaſque equeſtris taxata menſura. Dubium deinde non erat, quin ultimum illum diem habitura fuerit Roma, quintumque intra diem epulari Annibal in Capitolio potuerit, ſi (quod Adherbalem Bomilcaris dixiſſe ferunt) *quemadmodum ſciret vincere, ſic victoria uti ſciſſet*. Sed illum fatum urbis imperaturæ, ſuaque mens mala in diverſum abſtulerunt. Quum victoria poſſet uti, frui ea maluit, relictaque Roma Campaniam Tarentumque peragrare, ubi mox & ipſe, & exercitus ejus ardor elanguit, adeo ut verum percrebuerit dictum, *delicatam Capuam Annibali Cannas fuiſſe*. Interim reſpirare Romanus, & quaſi ab inferis emergere. Arma non erant, detracta ſunt templis: Deerat juventus, in ſacramentum militiæ liberata ſervitia: Egebat ærarium, opes ſuas libens ſenatus in medium protulit. Eques ſequutus exemplum, imitatæque equitem tribus. Acceſſit Scipionis fida patriæ magnanimitas. Cum enim à nobilibus adoleſcentibus, propter deſperationem, conſilium de relinquenda Italia iniretur, ille tribunus militum, ſtricto ſuper capita deliberantium ferro, juravit pro hoſte ſe habiturum eum, qui non juraſſet, minime à ſe relictum iri Italiam. Varroni, cujus temeritate accepta clades erat, obviam itum eſt, & gratiæ actæ, quod de republica non deſperaſſet. Præterea trepidationem urbis & luctum, res in Hiſpania meliore eventu à P. & Cn. Scipionibus geſtæ, diminuerunt. Aſdrubalem illi ſecundis præliis XXXV. hominum millibus ſpoliarunt; Viginti quinque occiſa, decem millia capta ſunt. Poſt nuncium victoriæ Cannenſis Hanno ex Pœnis, vir nobiliſſimus, ſuadebat ſenatui Carthaginienſium, ut

Olymp. 140.

Livius lib. 22.

Eutropius lib. 3. *Livius lib. 23.*

ut pacem à populo Romano peterent: nec obtinuit obstrepente Barchina factione. *Timendam* ille *tunc maxime fortunam cum maxime splendet*, judicabat.

Aurel. Victor in Marcello. Anno eodem. Anno quarto, postquam in Italiam *Annibal* venit, *M. Claudius Marcellus* vinci eum posse docuit. Congressus enim cominus, pepulit è Campania sua, & ab obsidione urbis *Nolæ* excussit. Annibal contra multas Romanorum civitates per Apuliam, Calabriam & Bruttios occupando, damnum sibi illatum pensavit.

Eutrop. lib. 3. Tunc ergo Philippus, Rex Macedoniæ, legatos ad eum misit, promittens auxilia contra Romanos, hac lege, ut illis deletis, ipse quoque contra Græcos auxilia acciperet. Captis igitur legatis *Polyb. l. 7.* Philippi, & re cognita, Romani in Macedoniam M. Valerium Levinum ire jusserunt; in Sardiniam Titum Manlium Torquatum Proconsulem, quod etiam ea sollicitata ab Hannibale Romanos deseruisset. Ita singulari Romanorum in rebus adversis fiducia, uno tempore quatuor pugnabatur locis; in Italia, contra Hannibalem: In Hispania contra fratrem ejus Asdrubalem: in Macedonia contra Philippum: in Sardinia contra Sardos, & alterum Asdrubalem Carthaginiensem. Is à T. Manlio vivus est captus, occisa cum eo XIIM. capti mille *Livius lib. 23.* quingenti, & à Romanis Sardinia subacta. Paulo post etiam Philippus Apolloniam obsidens, nocturna Romanorum irruptione, fugatur, & in Hispania à *Livius lib. 24.* Scipionibus Asdrubal & Mago, Annibalis fratres, quatuor cæduntur præliis, Saguntus restituitur, Turdetani, in quorum gratiam perierat, sub corona veneunt. Hinc bellum in Siciliam quoque migrat. Defuncto enim Hierone rege, filius ejus Gelo, & nepos Hieronymus, ad Carthaginienses defecerant, quibus statim morbo aut ferro consumtis, Sicilia Marcello à Romanis mandatur. Is totam insulam in una superavit urbe. Grande illud, & ante id tempus invictum caput *Syracusæ*, quamvis Archimedis ingenio defenderentur, aliquando tamen cesserunt. Longe illis triplex murus, totidemque arces, portus ille marmoreus, & fons celebratus Arethusæ: nisi quod hactenus profuere, ut pulchritudini victæ urbis parceret Marcellus. Quanquam enim tertio demum anno eam expugnaret, vino somnoque sepultam, ingenti cum jactura militum opumque Romanorum, tanta tamen victoris modestia eluxit & clementia, ut & capta illa, parcere cuperet *Archimedi Mathematico*, nisi illum formis forte suis in pulvere descriptis intentum, *miles* per inscitiam *transfixisset*.

A. M. 3759. V. C. 541. *Strabo lib. 6.* *Polyb. l. 8.* *Liv. l. 25.* *Plutarch. Marc.* *Polyb. l. 8.* A. M. 3760.

In Hispania *P. & Cn. Scipiones*, tot tantarumque rerum feliciter gestarum *tristissimum exitum tulerunt*. Deserti enim à Celtiberis, quos primos Romana castra mercenarios habuere, prope cum totis exercitibus occidione occisi sunt, anno octavo, quam in Hispaniam iverant: Amissaque ejus provinciæ possessio foret, nisi L. Martii equitis Romani virtute & industria, contractis exercituum reliquiis, bina castra hostium, ut post victoriam nihil timentium, expugnata essent, ad XXXVII millia cæsa. Martius à Romanis Dux appellatus est.

Liv. l. 25. Non eadem fortuna, quæ Martio, Centenio Penulæ Centurioni adversus Annibalem fuit. Cum enim petiisset à Senatu, ut sibi exercitus daretur, pollicitus de Annibale victoriam, octo millibus acceptis & voluntario milite duplicatis, temerarii adversus peritum ducem ausus experimentum triste dedit. Tantam enim à veterano imperatore accepit cladem, ut ex tanta multitudine vix mille evaserint incolumes. Centenius, ne vesanæ temeritatis probro superesset, objectans se hostium telis cecidit. Illi stultitia par & audacia Cn. Fulvius Prætor, paulo post in insidias ab Annibale pertractus, ubi rem inclinatam, ac trepidantes suos vidit, equo arrepto cum ducentis equitibus effugit. Ex duo de viginti millibus hominum duo millia, haud amplius superfuêre. Castris ipsis hostes

Liv. l.26. *Polyb.l.9.* ſtes potiti ſunt. Interim Q. Fulvius Flaccus, App. Claudius Coſſ. Capuam quæ ante triennium deſciverat, obſidione circumvallant, urbem nobilem ac potentem, quæ ſicut defectione ſua traxerat aliquot populos, ita recepta inclinatura rurſus animos videbatur ad veteris imperii reſpectum. Ibi, quod equitatu prævalebant obſeſſi, inſtitutum eſt primum, ut velites eſſent in legionibus, qui leviter armati, & vehi poſt equites, & ſigno dato deſilire, pedeſtremque in-
Liv. l.26. *Polyb.l.9.* ter equites ciere pugnam poſſent. Igitur Annibal obſidionem ſoluturus, cum clade repellitur, Campani eodem tempore erumpentes in urbem rediguntur: Annibal urgendos proprio periculo Romanos ratus, ad tertium ab urbe Roma lapidem ſuper Anienem fluvium caſtra ponit: ipſe cum duobus M. equitum uſque ad portam Capenam, ut urbis ſitum exploraret, obequitat: Sed ab altero ducum Fulvio, quem Romani, non omiſſa Capua, ad patriam tutandam revocaverant, immiſſo equitatu ſummotus eſt. Inſtructis deinde exercitibus, in ejus pugnæ caſum, in qua urbs Roma victoriæ præmium eſſet, imber ingens, grandine miſtus, ita utramque turbavit aciem, ut vix armis retentis in caſtra ſe receperint, majore numinis quam hoſtium metu. Et poſtero die eodem loco acies inſtructas eadem tempeſtas diremit: ubi recepiſſent ſe in caſtra, mira ſerenitas cum tranquillitate oriebatur. Parva res dictu minuit ſpes Annibalis, ſed ad magnanimitatem populi Romani probandam ſatis efficax: quod illis, quibus obſidebatur diebus, ager quem bello captum caſtris inſederat, venalis Romæ fuit, haſtæque ſubjectus invenit emptorem, nihil ob id diminuto pretio. Major res, quod cum ipſe armatus ad mœnia ſederet, milites ſub vexillis in ſupplementum Hiſpaniæ profectos audivit. Tribus enim & viginti legionibus eo tempore Romana res gerebatur. Itaque ceſſit fatis, & in ultimum ſe recepit Italiæ ſinum. *Capua* deploratam ſpem ſui retinendi intelligens apud Pœ-

Capta Capua A. M. 3761.

nos eſſe, exitium indies exſpectabat. Antequam dederetur, Vibium Virium ſeptem & viginti ſenatores domum ſecuti ſunt: epulatique cum eo, & quantum facere potuerant, alienatis mentibus vino ab imminentis ſenſu mali, venenum omnes ſumpſerunt. De ſupplicio reliquorum haudquaquam inter Fulvium Claudiumque conveniebat. Facilis impetrandæ veniæ Claudius, Fulvii durior ſententia erat. Cum deligati ad palos eſſent, ut ſecuri ferirentur, literas à ſenatu miſſas quibus jubebatur parcere, antequam legeret, in ſinu poſuit, & lege agi juſſit, & ſupplicium peregit. Multitudo alia civium Campanorum venundata, ager omnis & tecta publica populi R. facta, præfectus ad jura reddenda aratoribus ab Roma quotannis miſſus.

Capta Capua, non minor *Romanis Hiſpaniæ*, quam Italiæ *cura* erat. Cum in comitiis apud populum quæreretur, cui mandaretur tanti moles imperii: nullo id volente ſuſcipere, *P. Scipio*, P. filius, qui in Hiſpania ceciderat, profeſſus ſe iturum, ſuffragio omnium *miſſus eſt*. Hic bellatricem illam Hiſpaniam totam, à Pyrenæis montibus in Herculis uſque columnas & Oceanum, Romanis acquiſivit, neſcias citius, an facilius. Quam velociter, quatuor anni fatentur: quam facile, vel una civitas probat. Eadem quippe, quo obſeſſa eſt, die capta eſt, omenque Africanæ victoriæ fuit, quod tam facile *victa* eſt, *Hiſpana Carthago*. Certum eſt profeciſſe eum maxime juſtitia & morum ſanctitate, quippe qui captivos pueros puellaſque præcipuæ pulchritudinis, incolumi reſtituerit pudicitia, eaque etiam integritate Maſaniſſam, eximium Carthaginienſium propugnatorem, Romanis amicum fecerit.

Polyb. lib. 10. Livius lib. 26.

A. M. 3762.

Similiter interim Val. Lævinus Ætolos adjunxit Romanis, eiſque capta loca, Zazynthum, Naxum, & alia tradit, ut promptiores adverſus Philippum communem hoſtem efficiat, cum ſubinde Annibal ſpoliatis, quas tenere non poterat, urbibus plurimorum alienat animos,

nimos, & Romanos respiciendi causam
Liv. l. 27. præbet. Ita æquante fortuna, suspensa omnia apud Romanos & Carthaginienses erant, integra spe, integro metu, velut eo tempore denuo inciperent bellum. Romanorum 12 Coloniæ fessæ bello, militem negabant, 18 persistebant in officio. Nam mox nova Annibali de Romanis victoria contigit. Cæsus prætor Fulvius cum exercitu ad Herdoniam, Cl. Marcellus Cos. cladem regesturus victori, æquo marte pugnat, & subinde cedentem premit, donec ef-
A. M. 3763. fugeret. *Fabius Max. Tarentinos in deditionem accipit.* Marcellus iterum confligit cum Annibale, priori pugna Annibal, Marcellus in sequenti vincit. Tandem Marcellus & Crispinus Coss. speculandi causa egressi è castris, insidiis ab Annibale circumveniuntur, *Marcellus ab*
A. M. 3764. *hoste occisus*, laudatur, *Crispinus* fugit, & paulo post ex vulneribus *moritur*. In
Plutarch. Philop. Polyb. l. 1. Græcia simul Romani cum Ætolis & Attalo Asiæ rege societatem pacti, Achæos bello vexant, sed adventu Philippi repelluntur. Miscetur etiam partibus Machanides, Lacedæmoniorum tyrannus,
Pausa. in Arcadicis. Liv. l. 27. Florus l. 2. cap. 6. quem Philopœmen Arcas ad Mantineam cum quatuor militum millibus oppressit. Romæ lustrum à Censoribus conditum est: Censa sunt civium capita centum triginta septem millia, centum & octo: ex quo numero apparuit, quantum hominum tot præliorum adversa fortuna populo Romano abstulisset. Nihil actum erat tanta virtute, tot hominum sanguine, siquidem Asdrubal, frater Annibalis, cum exercitu novo, nova belli mole veniebat. Actum erat proculdubio de Romanis, si vir ille se cum fratre junxisset. Sed hunc castra metantem Claudius Nero cum Livio Salinatore debellat. Nero in ultimos Italiæ angulos summoverat Annibalem. Livius in diversissimam partem, & in ipsas nascentis Italiæ fauces signa converterat. Tanto interjacente solo, quo consilio, quâ celeritate consules castra conjunxerint, inopinantemque hostem collatis compressserint signis, neque id fieri Annibal senserit, difficile dictu est. Certe Annibal, re cognita, quum projectum fratris caput ad sua castra vidisset; *Polyb.* Agnosco, inquit, infelicitatem Carthagi- *lib. 11.* nis. LVI hominum millia apud Senam cæsa prodit Livius, multo pauciores Polybius. Hoc privato publicoque vulnere *Horat. l. 4.* ictus indomitus ille Annibalis animus, *Carm.* confessionem aliquam mutatæ fortunæ *Oda 4.* edidit.

Scipio exclusis Hispaniæ possessione *Liv. l. 28.* hostibus, in Africam ad Syphacem regem Masæsilorum duobus navigiis transvectus, fœdus junxit. Asdrubal Gisgonis ibi cum eo in eodem lecto accubuit. Reversus cum Astapam urbem oppugnaret, oppidani liberos & conjuges rogo exstructo occiderunt: se insuper præcipitaverunt. Ipse Scipio cum gravi implicitus *Polyb.* esset morbo, seditionem in parte exerci- *lib. 11.* tus motam confirmatus discussit: rebellantesque Hispaniæ populos coëgit in deditionem venire. Inde assumpto in fœdus Masinissa rege, Romam reversus, consulque creatus est. Africam provinciam petenti, contradicente Q. Fabio Maximo, Sicilia data est: permissumque ut in Africam trajiceret, si ex republ. esse censeret. Eadem ætate Mogo Amilcaris filius, ex minore Balearium insula, quam occupaverat, juventute lecta in classem imposita, in Italiam XII millia peditum, duo ferme equitum trajecit: Genuamque nullis præsidiis maritimam oram tutantibus, repentino adventu intercepit. Inde societate cum Ingaunis Liguribus *Liv. l. 29.* composita, montanos instituit oppugnare. Interim ex Sicilia C. Lælius, à Scipione in Africam missus, ingentem reportavit prædam: & mandata Ma- *Appianus de bellis Punicis.* sinissæ Scipioni exposuit, conquerentis, quod non exercitum in Africam ex condicto trajecisset. Multum enim interesse Pœnis, alienos populari fines, an suos uri exscindique videant: seque ad res Pœnorum prodendas paratum. In Hispania Indibilis & Mandonius, unicum tantum Romanis superesse ducem rati, sedi-

seditionem excitaverant: sed à Præsidibus Hispaniæ magna victi clade, Indibilis in acie occisus, Mandonius exposcentibus Romanis à suis est deditus. Ita bellum finitum.

Magoni, qui in Galliam ierat & Liguriam, ex Africa & militum ampla manus missa, & pecuniæ, quibus auxilia conduceret: Præceptumque ut se Annibali fratri jungeret: Scipio à Syracusis in Bruttios trajecit: & Locros pulso Punico præsidio, fugatoque Annibale recepit. Locris cum male præesset Pleminius Proquæstor, liberosque & conjuges civium ad stuprum raperet, in catenis Romam ductus, in carcere periit. *Livius lib. 29.* Per hæc Epirotæ tædio diutini belli, tentata prius Romanorum voluntate, legatos de pace communi ad Philippum misere. P. Sempronius absens Romæ Cos. creatus, conditiones pacis dixit, ut Parthini, & Dimallum, & Bargulum, & Eugenium Romanorum essent, Atintanes Macedoni accederent. In eas conditiones cum pax conveniset, ab rege fœderi adscripti Prusias Bithyniæ rex, Achæi, Bœoti, Thessali, Acarnanes, Epirotæ: ab Romanis Ilienses, Attalus Rex, Pleuratus Illyrius, Nabis Lacedæmoniorum Tyrannus, Elæi, Messenii, Athenienses. Ætolis paulo ante cum Philippo convenerat.

Hinc Romani per libros Sibyllinos & oraculum Delphicum in superstitionem versi, matrem Deûm Pessinunte Romam transferunt. Tradita est per *Attalum* regem Asiæ. Lapis erat, quem matrem Idæam incolæ dicebant. Bellum numen dixeris, peritosque religionis populos, qui à Satana decepti, in saxo spem *Polyb. l. 6.* victoriæ collocaverint. Sed Romanos in superstitiones usque ad stuporem aliarum gentium pronos, etiam Polybius notavit. Excepit saxeam deam P. Scipio Nasica, Cn. Filius, ejus qui in Hispania perierat, vir optimus à senatu judicatus, adolescens nondum quæstorius. Recreati à metu Romani, toleratam utcunque dubiis rebus vacationem coloniarum, non ultra pati decreverunt. Ardea, Nepete, Sutrium, Gales, Alba, Carseoli, Sora, Suessa, Seria, Circei, Narnia, Interamna, (hæ namque coloniæ in ea causa erant) duplicatum ejus summæ numerum militum dare jussæ, qua plurimum antea dedissent. M. Val. Levinus collatas inopi ærario pecunias, privatis reddi tribus pensionibus obtinuit, ne fides Reipubl. laboraret.

In hæc tempora *mors* incidit *Ptolemæi*, *Strabo. lib. 18.* quem Strabo quartum & Agathocliæ Ptolemæum nominat, additque omnes successores Alexandri male gessisse imperium, imprimis tamen illum, septimumque deinde Ptolemæum & ultimum. *Clemens Strom. 1. Ptol. Canone. Macchab. lib. 3.* Decessit, ut habent Clemens & Ptolemæus Alexandrini, anno regni decimo septimo.

Ingens adversus eum Dei gloria eluxit. Victo enim Antiocho, postquam sacra feciset Hierosolymæ, sanctissimum templi adytum, obnitentibus frustra Judæis, ingressus, horrore confestim intremuit, ut pro exanimi exportaretur à satellitibus. Redditus sibi, sueta socordia contemsit periculum, Judæisque infensus, quotquot in Ægypto nanciscí potuit, contrahi in unum, & D elephantis objici proterendos jubet. Illi hippodromo inclusi, cateniscque onerati, miserabili patrium Deum implorabant ululatu, ut numen suum à vaniissimi regis vindicaret ludibrio. Nec incassum cecidere tot miserorum preces. Vocatus enim ad triste spectaculum tyrannus, mota mente, nihil se in Judæos imperasse, extemplo dimittendos ait. Inde commessabundus ad pristinam revolvitur insaniam, efferari elephantos, conquiri Judæos, iterum objectari belluis præcipit. Fit quod imperaret: accersitur ad spectandas innocentissimorum hominum neces. Judæi rursus supinas, ut poterant, palmas in cælum tendentes, Dei sui invocant præsidium. Et ecce advenientis cum rege satellitii strepitu, tanquam in furorem acti Elephantes, perfractis repagulis in milites

Euseb. in Chron. Joseph. lib. 2. contra App.

& turbam circumstantem irruunt, obvium quemque proculcant. Judæorum ne unum attingere audent. Eo miraculo attonitus Philopator, Judæos, quos mori jusserat, præbitis largissimè sumptibus ad sua dimittit, ac vice eorum, qui religionem deseruerant, plectendos ex lege constantioribus tradit, Josephus historiam Physconi tribuit. Præerat tunc sacris Jerosolymæ *Oniæ* filius Simon, cui defuncto postea successit Onias, avi nomen gerens. Filii Josephi Ducis tributis Palæstinæ præsidebant, cum fratre Hyrcano, trans Jordanem habitante dissidia alentes: qui fretus favore aulæ Ægyptiæ regionem, quam occuparat, servavit, usque ad Antiochum Epiphanem, quem veritus voluntaria interiit morte. Philosophorum hujus temporis scribacissimus fuit *Chrysippus*, dialecticis deditus argutiis, suique ipsius æstimator indulgentissimus. Res Græcas *Menedotus* Corinthius, Hannibalis facta *Sosibius*, Romana Q. *Ennius* Poëta literis mandarunt.

Joseph. lib. 12. cap. 4. 5.

Diogen Laërt. lib. 7. Diod. Sicul. lib. 26. Gellius lib. 17. c. ult.

PTOLEMÆUS QUINTUS EPIPHANES. ANTIOCHUS MAGNUS. PHILIPPUS DEMETRII. ATTALUS & EUMENES.

Olymp. 143. Epochæ 254. Imper. Græc. 107. Justin. l. 30. 31. Polyb. lib. 15.

MOrtuo igitur Ptolemæo Philopatore rege Ægypti, relictus in spem regni filius *Ptolemæus*, *Epiphanes*, id est, illustris dictus est à Græcis, sed parvulus ætate præda etiam domesticis & tutoribus fuit. Antiochus rex Syriæ & Philippus Macedo regnum occupare pueri statuebant. Invaditur Phœnicia, cæteræque Syriæ quidem, sed juris Ægypti civitates. Senatus Alexandrinus legatos Romam mittit, petentes denuntiari Antiocho, abstineret regno pupilli, postremis patris precibus fidei suæ traditi; sed frustra. Antiochus & Judæam ditioni suæ adjecit.

A. M. 3768.

Joseph. l. 12. c. 3.

Interea cum Carthaginiensibus debellatum à Romanis, virtute præcipua P. Scipionis, qui primus à devicta gente cognomen Africani tulit.

Livius lib. 29.

Cum enim ob Pleminii prætoris à se constituti facinora, fama laboraret luxuriæ Scipio, missisque exploratum legatis abunde se purgasset, in Africam tandem Senatus permissu trajecit exercitum. Ibi se ei Masanissa, quem Syphax Numidarum rex regno ejecerat, cum ducentis equitibus junxit, & primo statim bello, Hannonem Amilcaris filium cum ampla manu interemit. Attamen adventu Hasdrubalis & Syphacis, qui propè cum centum millibus venerant, ab obsidione Uticæ depulsus Scipio, hiberna communivit. Romæ interea mirum inter censores certamen fuit. Nam & Claudius Livio Collegæ equum ademit, quod à populo Romano damnatus actusque in exilium fuerat: & Livius Claudio, quod falsum in se testimonium dixisset, & quod minime bona fide secum in gratiam rediisset. Idem omnes tribus, extra unam, ærarias reliquit: qui & innocentem se damnassent, & postea consulem censoremque fecissent egregius levitatis vulgi Aristarchus.

A. M. 3769. *Livius lib. 30. Polyb. lib. 14. Appianus de bellis Punicis.*

Postmodum in Africa *Scipio* Carthaginienses, & eundem *Syphacem* Numidarum regem, socerumque ejus Asdrubalem pluribus præliis *vicit*, adjuvante Masanissa: binaque hostium castra improvisa oppressione expugnavit, in quibus XL millia hominum ferro ignique consumpta sunt. *Syphacem* per C. Lælium *cepit*: Masanissam in regnum restituit. Masanissa, cum Cirtha Syphacis urbs regia caperetur, uxorem ejus, forma & ætate florentem (ut erat gens Numidarum in Venerem præceps) statim adamavit, factisque properanter nuptiis, ne captam Romanis tradere cogeretur, uxorem habuit: Nam antequam Syphaci jungeretur, ipse eam sibi desponsaverat. Castigatus ob id à Scipione, muliebres verito blanditias, per quas Sophonisba Syphacem à Romanorum amicitia alienaverat, temeritatem aliâ temeritate luit. Accito enim famulo, post crebros gemitus, per eum venenum transmittit reginæ, jubens ut memor patris Asdrubalis,

lis, & duorum regum, quibus nupta esset, sibi ipsa consulat. Illa, *accipio* inquit, *nuptiale munus, si nihil majus vir uxori præstare potuit*, acceptumque poculum impavide haurit. Jam permunito Tunneto, ipsas ferè Carthaginis portas quatiebat *Scipio*, cum consternati tot victoriis Pœni simulato interim pacis studio, inhærentem atque incubantem Italiæ Annibalem detrahunt. Frendens gemensque ille Italiam reliquit, execratus etiam suum caput, quod cruentum ab Cannensi victoria militem non statim Romam duxisset. Decimo sexto anno, quam venerat in Italiam, in Africam trajecit, missisque exploratoribus, cum excepti à custodibus Romanis, circumductique per castra ultrò reducerentur, minime lætus Scipionis fiducia, pacem per colloquium tentandam censuit. Steterunt aliquamdiu ducum maximi, ille Italiæ, hic Hispaniæ victor; mutua admiratione defixi. Annibal incerta casuum reputare Scipionem, pacem quam bellum malle, *maximæ cuique fortunæ minime credendum monet. Meliorem tutioremque certam pacem, quam speratam, ait, victoriam: nusquam minus, quam in bello eventus respondere.* Denique Siciliam, Sardiniam, Hispaniam Romanis permittit. Reponit Scipio, scire se mille casibus subjecta, quæcunque agunt mortales. Sed fraudulentum Pœnis ingenium esse, nuper simulata pace violatas naves & legatos: *habendam fortunam, quam Deus dederit.* Ubi de pace non convenit, signa cecinêre. Constat utriusque confessione, nec melius instrui aciem, nec acrius certari potuisse. Ad extremum *cessit Annibal*, auxiliaribus facile fusis, Afris solis impetum non sustinentibus Romanorum. Carthaginiensium sociorumque cæsa eo die supra XX millia, par ferme numerus captus est., cum signis militaribus CXXXIII, Elephantis XI: victores ad decem millia cecidêre. Annibal cum paucis equitibus inter tumultum elapsus, Adrumetum perfugit: accitusque inde Carthaginem, sexto ac trigesimo post anno, quam puer inde profectus erat, haud spem salutis alibi, quam in pace impetranda sitam fassus est. Per eosdem dies *Mago* ejus frater, prælio in agro Insubrium cum Romanis commisso vulneratus, dum in Africam per legatos revocatus revertitur, ex vulnere *obiit*. Mox etiam *Vermina* Syphacis filius, auxilio veniens Carthagini, à parte exercitus Romani fusus fugatusque est, XV millia hominum cæsa. *Carthaginiensibus* ergo demisse petentibus *pax data*: ut liberi suis legibus viverent, quæ loca ante bellum in Africa tenuissent, tenerent: Perfugas captivosque omnes, & naves rostratas præter decem triremes traderent, elephantosque quos haberent domitos, nec domarent alios. Bellum nève in Africa, nève extra Africam, injussu populi Romani gererent. Decem millia talentum argenti, descripta pensionibus æquis, in annos L solverent. Juratum in conditiones autore Annibale, qui dissuadentem eas Gisgonem suggesto detrahere ausus, incivilitatem militari ingenio ignoscì postulabat. Annis ante XL pax cum Carthaginiensibus postremo facta erat. Q. Luctatio, A. Manlio Coss. bellum initum annis post tribus & XX, P. Cornelio, T. Sempronio Coss. finitum est decimo octavo anno, Cn. Cornelio, P. Ælio Pæto Coss. *Reversus* in urbem *Scipio* amplissimum nobilissimumque *egit Triumphum*: quem Q. Terentius Culleo senator, ob redditam sibi libertatem, pileatus secutus est.

Florus l. 2. c. 6. Polyb. lib. 15.

Liv. l. 30. Polyb. lib. 15.

A. M. 3771.

Anno eodem.

Paucis mensibus post pacem Carthagini datam, 552 anno V. C. quatuor & sexaginta annis post primum bellum Punicum inchoatum, *novum inter Philippum Macedoniæ regem & Romanos dissidium exarsit*, periculo haudquaquam comparandum Punicis bellis, claritate Macedonum propè nobilius. Cœptum illud decem fermè ante annis, triennio prius depositum erat, cum Ætoli & belli & pacis fuissent causæ. Vacuos deinde pace Punica jam Romanos, & ob auxilia nuper in Africam missa ab eo, infen-

Livius lib. 31.

A. M. 3772.

ſos Philippo ; preces Athenienſium, quos agro pervaſtato in urbem compulerat, excitaverunt ad renovandum bellum.

Philippo animos faciebat, præter ferociam inſitam fœdus ictum cum Antiocho, diviſæque jam cum eo Ægypti opes, antequam caperentur. Incitatus ergo cupiditate Aſiæ civitatum, ab Attalo & Rhodiis navali prælio ad Chium ſuperatur, niſi quod dubiam victoriam feciſſe viſus Attalus, cum nave prætoria è pugna ſe proripiens. Philippus ne Romano quidem, quod imminebat, bello, nec Aſiatico territus, inſtinctu Acarnanum, Athenienſes circumſedit. Athenienſes enim duos Acarnanum juvenes, per errorem templum Cereris, ipſis Initiorum diebus ingreſſos, tanquam ob infandum ſcelus interfecerant. Per idem tempus Abydenos quoque, quod nec legatos ejus in urbem admittere voluiſſent, diuturna oppugnatione ad deſperationem adegit. Cum enim nihil pacati niſi omnia permittentibus reſponderet, ad Saguntinam illi rabiem verſi, repente omnes ad cædem conjugum liberorumque diſcurrunt, ſeque ipſos per omnes vias læti, aut Philippi copiis trucidandos objiciunt, aut ſuis manibus necant. Ita velut Sagunti excidium Annibali, ſic Abydenorum procurata clades Philippo animos ad Romanum bellum efferavit. Dum autem Sulpitius Galba Coſ. exercitum in Macedoniam ducit, Amilcar Pœnus per Inſubres Gallos bellum molitur, Placentiam diripit, Cremonam obſidet. Is à L. Furio Prætore victus cæſuſque eſt, & millia hominum cum eo xxxv. Sulpitius, legato C. Claudio, Chalcidem ex improviſo cepit & cremavit: qua clade exacerbatus Philippus, quicquid ſancti amœnive circa Athenas erat, incendit: dirutaque non tecta ſolum, ſed etiam ſepulchra: nec divini humanive juris quicquam præ impotenti ira eſt ſervatum. Athenæ interim ſtrenuè ab Attalo Rege & Rhodiis, Romanis auxiliantibus, defenſæ. Alius Sulpitii dux Apuſtius Antipatriam exurit: qui metus Codrionem, ſatis validum & munitum oppidum, ſine certamine ut dederetur Romanis, effecit. Deſperata Athenarum expugnatione, cognitoque ex transfugis, quos levitas ingeniorum in omnibus bellis præbet, ubi conſul eſſet, Philippus ad Octolophum caſtra ponit. Ibi frumentatoribus Romanorum interceptis, dum imponere fortunæ neſcit, longius evagatus, à ſubſidio pabulatoribus miſſo in caſtra fugatur: Eaque pugna moti Ætoli ad Romanorum partes deflectunt. Aminander Athamanum Rex & Dardani in Macedoniam irrumpunt. Eos Philippus occultè è caſtris digreſſus, decepto per caduceatorem Sulpitio Coſ. dum inopinantibus advenit, maſculè repreſſit. Minuit ei deinde forte oblata res hoſtium Ætolorum numerum. Scopas princeps gentis, ab Alexandria magno cum pondere auri ab rege Ptolemæo miſſus, ſex millia peditum, & equites mercede conductos avexit Ægyptum. Claſſis Romana à Corcyra, L. Apuſtio Legato profecta, Attalo ſe regi conjunxit. Athenienſes literis verbiſque, quibus ſolis valebant, bellum adverſus Philippum gerentes, quicquid ad notam ignominiamque ejus pertinere poterat, decrevêre: ad ſummam belli invalidi.

Liv. l. 31. Polyb. lib. 16.

Livius lib. 31. Polyb. lib. 16.

Liv. l. 31.

Dum igitur Attalus & Romani moliti- *Joſeph. lib. 12.*
ones Philippi reprimunt, Scopas cum *cap. 3.*
validis copiis in Cœleſyriam profectus, multas Antiochi urbes, Judæamque terram in poteſtatem Ptolemæi retrahit. Verum Antiochus paulo poſt, victo ad fontes Jordanis Scopa, Sidoni inclu- *Polyb. lib 16.*
ſum eum obſedit, & deditum dimiſit *Euſebius*
incolumen. Hinc annitentibus Judæis, *Chron.*
præſidium Ptolemæi ex arce Sionia poſt diuturnam oppugnationem expellit, Syriamque, Ciliciam & Lyciam recipit, Hieroſolymitis Senatoribus, Sacerdotibus & Scribis, templi concedit immunitatem, legeſque exercendi patrias arbitrium, nec non univerſum Judæorum populum ob fidem & ſancti-

ſanctimoniam præcipuo honore afficit. Interea T. Quintius Flaminius Coſ. adverſus Philippum feliciter in faucibus
Liv.l.32. Epiri rem gerit, fugatumque & caſtris exutum cogit in Macedoniam reverti. Ipſe Theſſaliam, qua eſt vicina Macedoniæ, ſociis Ætolis & Athamanibus vexat, L. Quintius conſulis frater navali prælio, Attalo rege & Rhodiis adjuvantibus, Eubœam & maritimam oram capit. Achæi in amicitiam Romanorum veniunt: Argi & Corinthus, duæ nobiliſſimæ civitates in poteſtatem
Juſtin. lib.30. Liv.l.32. Plutarch. Philopœmene. Polyb. lib.17. Philippi: Hinc per colloquium pax tentata, miſſique Romam legati: Sed cum demonſtrato maris terrarumque Græciæ ſitu, pernotuiſſet ſenatui, ſi Demetriadem in Theſſalia, Chalcidem in Eubœa, Corinthum in Achaïa rex teneret, non poſſe liberam eſſe Græciam, & ipſum Philippum non contumelioſius, quam verius compedes eas Græciæ appellare, infecta pace diſceſſum eſt. Quintius deinde nullam legationem admiſit, quam quâ omni Græcia decedi nuntiaret. Pilippus optimum ratus, Argivorum urbem Nabidi Lacedæmoniorum tyranno velut fiduciatim dare, turpiſſimè ab eo eſt deceptus. Nabis enim nihil memor, à quo eam civitatem, & quam in conditionem accepiſſet, hoſtibus ſe Philippi conjunxit, firmatiſque præſidio Argis, cum ipſe viros ſpoliaſſet, ad fœminas ſpoliandas Apegam uxorem induxit. Ea nunc ſingulas illuſtres; nunc ſimul plures genere inter ſe junctas, domum accerſendo, blandiendoque ac minando, non aurum modo iis, ſed poſtremo veſtem quoque mundumque omnem muliebrem ademit. Tandem T. *Quintius Flaminius* proconſul *cum Philippo*, *ad Cynocephalas* in Theſſalia acie victo, *debellavit*. Frater ejus Acarnanas, Leucade urbe eorum expugnata, in deditionem accepit. *Attalus* à Thebis ob ſubitam valetudinem tranſlatus; *deceſſit* anno regni 44. Pax Philippo petenti his data eſt legibus, ne Græciæ civitatibus bellum inferret; ut captivos &

A. M. 3775. V.C.556. *Polyb. lib.17. Liv.l.33. Eutrop. lib 4. Plutar.in T.Flaminio.*

transfugas redderet; quinquaginta ſolum naves haberet: per annos decem quaterna millia pondo argenti præſtaret, & obſidem daret filium ſuum Demetrium. Ita qui alienum regnum appetierat, proprio penè exutus, pacis leges à peregrinis dictas accipere coactus eſt. Offenſi tamen Ætoli, quod non ex arbitrio eorum Macedonia quoque adempta regi & data ſibi in præmium belli eſſet, legatos ad Antiochum miſêre, qui eum adulatione magnitudinis in Romana bella, ſpe ſocietatis univerſæ Græciæ, impellerent. Decretum etiam legatorum de libertate Græciæ clam muſſantes carpebant. Dubitabatur enim de Corintho, & de Chalcide & Demetriade, de quibus Romani, quod tempora Reip. poſtulaſſent, ſtatuendum callidè reſervabant. Retundendis Ætolorum linguis, ne ad transferendum à Philippo ad ſe imperium, trajeciſſe Romani mare viderentur, Corinthus Achæis reddita, reliquæ Græcorum urbes univerſæ, præconis voce Ludis Numeis liberæ pronuntiatæ ſunt, ingenti Græcorum tum admiratione, tum plauſu, Flaminii gloria incredibili. Veruntamen Acrocorinthum, Chalcidem & Demetriadem ſub præſidio teneri Romanis viſum, donec cura de Antiocho deceſſit, quem tranſgreſſurum in Europam, cum primum ei res ſuæ placuiſſent, nihil dubitabant. Antiochi legatis, nihil jam perplexè, ut antè, cum dubiæ res incolumi Philippo erant, ſed apertè pronuntiatum, ut excederet Aſiæ urbibus, quæ aut Philippi, aut Ptolemæi regum fuiſſent.

Pauſanias Atticis & Achaicis. Strabo lib.9. Polyb. lib.15. Juſtin. lib.30. *Liv.l.33.* *Plutar. in T. Flaminio.* *Polyb. lib.17. Liv.l.33.*

Cum hæc in Græcia Macedoniaque & Aſia gererentur, C. Sempronius Tuditanus prætor à Celtiberis cum exercitu cæſus eſt. L. Furius & Cl. Marcellus conſules Boios & Inſubres Gallos ſubegerunt. Annibal fruſtra in Africa avaritiam corrigere judicum molitus, & ob hoc Romanis delatus per epiſtolas adverſæ factionis principum, propter metum Romanorum, qui legatos ad Carthaginienſium ſenatum de eo miſerant, profugus

Juſtin. lib.17.

fugus ad Antiochum regem se Orientis contulit, bellum jam contra Romanos parantem. Nam Antiochum cum in ordinem redigere legati vellent, respondérat ipse, Asiam nihil ad populum Romanum pertinere: nec magis illis inquirendum quid Antiochus in Asia, quam Antiocho, quid in Italia populus R. faciat. Cum Ptolemæo sibi & amicitiam esse, & id agere se, ut brevi etiam affinitas jungatur. Quæ Lysimachi quondam fuerint, jure belli Seleuci proavi sui facta esse, quæ variè distracta, nunc per otium repetere & Lysimachiam deletam olim Thracum impetu, de integro condere, ut Seleucus filius eam sedem regni habeat. Sic demissis Romanis, excitus rumore de morte Ptolemæi, Ægyptum versus navigat, obortaque ad capita Sari fl. tempestate, magnam vim hominum, insigniumque amicorum naufragiis amittit. Ephesi deinde morantem, consecutus Annibal, haud parvum animo ejus momentum ad moliendum bellum fecit. Roma jam felicitatem suam persentiente, *lex Oppia*, quam C. Oppius tribunus plebis bello Punico, de stringendis cultibus matronarum tulerat, cum maximâ contentione *abrogatur*, Porcio Catone Cos. in mulierum, quæ hac de causa in publicum se effuderant, intemperantiam gravissimè detonante. Is Cato in Hispaniam profectus, bello quod Emporiis orsus est, citeriorem Hispaniam pacavit, triumphumque illustrem meruit: Flaminius bellum adversus Nabin Lacedæmoniorum tyrannum, ob querelas Græcorum, à senatu jussum, adeò prospere gessit, ut captâ penè Spartâ, pacem daret Lacedæmoniis, qualem ipse volebat. Interim Argivi, quod Pythagoras gener tyranni, cum parte validissimâ præsidii excesserat, reliquos duce Archippo ex arce expulerunt.

Liv. l. 34.

Romæ ob accessionem Hispaniarum, sex jam prætores erant, è quibus duo quotannis ibant in Hispanias. Ampliatus & senatui honor est, autore per Censores Africano iterum Consule, imperatumque ædilibus curulibus, ut loca senatoria secernerent à populo. Nam antea in promiscuo Ludi spectabantur. Fremuit plebs, cur dives pauperem confessorem fastidiret, novam & superbam libidinem ab nullius ante gentis senatu neque desideratam, neque institutam. *Adeo nihil novum ex antiquo probabile est: veteribus, nisi quæ usus evidenter arguit, stari malunt.* Sub hæc Flaminius ad concordiam cohortatus Græcos, atque *ut ex factis, non ex dictis* amicos pensent, libertate modicè utantur, ex omnibus urbibus præsidia detrahit, compositaque Republica, quotquot in universa Græcia servitutem serviebant cives Romani, conquiri & ad se in Thessaliam mitti postulat. Mille ducentos sola Achaïa habuit. Cum Romam reportasset victorem exercitum, & ob rerum gestarum multitudinem, triduo triumphavit, immensasque in ærarium divitias intulit. Legatis Antiochi amicitia denegata est, ni Rex Europa decederet, & omnes Graii nominis in Asia civitates liberas dimitteret. Annibal, cui nota Romana virtus erat, negabat opprimi Romanos nisi in Italia posse. Ad hoc sibi centum naves, & decem millia peditum, & mille equites poscebat: promittens hac manu non minus bellum, quam gesserit, Italiæ restauraturum. Mittit & Carthaginem Aristonem Tyrium, qui in bellum cupidos hortetur, Annibalemque cum copiis affuturum nuntiet. Vulgatâ re, cum periculum sibi ab inimicis Annibalis præparatum metueret, Ariston Punico ingenio inter Pœnos usus, tabellas conscriptas celeberrimo loco primâ vesperâ suspendit, ad universum senatum se missum professus: ipse de tertia vigilia navem conscendit, & ad Annibalem revertitur. Quo cognito, Carthaginienses ad purgandam publicam conscientiam, ultro rem Romanis per legatum detulêre. Miscentur querelæ de Masanissa, quod ditionis Carthaginiensium agros occupasset. Scipio Africanus, Cethegus & Minutius, ad rem inspiciendam missi, qui omnia

Liv. l. 24.

Justin. lib. 31.
Liv. l. 34.

Bellum Antiochenum, sive Ætolicum, gestum A. M. 3781.

teſte Appiano in Syriacis. omnia ſuſpenſa, neutrò inclinatis ſententiis reliquêre. Coloniæ tum deductæ Putcolos, Vulturnum, Linternum, Salernum, Buxentum, Sipontum, Tempſam & Crotonem. Italia tam crebris terræ motibus agitata eſt, ut feriarum tæderet populum, quæ placandis numinibus indicebantur. Prohibitum tandem, nequis terræ motum ultra nunciaret. Superſtitioſiſſimum populum aliquando ſatietatem ſacrorum ſuorum ſubiiſſe dixeris.

Liv.l.35. *Sequens annus varia præbuit bella.* Digitius Prætor in Hiſpania tam adverſa prælia fecerat, ut vix dimidium militum ſucceſſori traderet. Is Scipio Naſica erat, qui cæde Hiſpanorum provinciam Romanis reſtituit. Cornelius Merula & Minutius Coſſ. cum Boiis & Liguribus cruento varioque bello depugnarunt, majori hoſtium clade quam ſuâ.

Interim Scipio Africanus Villius & Sulpitius legati, dum Antiochus defunctum in Syria filium luget, Epheſi cum Annibale familiarius colloquuntur, ut viro forti metum vitæ, quem ex Romanis conceperat, eximant, frequentiuſque circa eum conſpecti, viliorem eum ſuſpectioremque ad omnia Antiocho faciant. Africanus inter alia quæſiviſſe traditur ab Annibale, quem fuiſſe maximum imperatorem crederet. Reſponſum ab Annibale, Alexandrum Magnum Macedonum regem, quod parva manu innumerabiles fudiſſet exercitus: quodque ultimas oras, quas viſere ſupra fidem humanam eſſet, peragraſſet. Quærenti deinde, quem ſecundum poneret: dixiſſe Pyrrhum, eo quod caſtra metari docuiſſet: ad hæc neminem elegantius loca cepiſſe, præſidia diſpoſuiſſe. Exequenti, quem tertium diceret; ſemet nominaſſe. Ridentem Scipionem ſubjeciſſe, quidnam tu diceres, ſi me viciſſes: regeſſiſſe aſtu Punico: Tunc verò me & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante alios poſuiſſem. Auditis legatis, cum negaret Antiochus, liberas ſe relicturum civitates, quæ majorum ſuorum fuiſſent, Eumenes Pergamenus Rex, Attali filius, (qui XLIII regni anno deceſſerat) maximum ad bellum Romanis calcar fuit, ſibi ratus acceſſurum, quantumcunque virium Antiocho, gravi & potenti accolæ, detraheretur. *Strabo lib.13.*

Dum hæc agitantur in Aſia, M. Fulvius in Hiſpania Toletum ad Tagum amnem, aliaque oppida capit. In Græcia Nabis Lacedæmoniorum tyrannus, ſtimulos ſubdentibus Ætolis, gente feroci, & irata Romanis, ob intercepta Macedonici belli præmia, fœdus cum Flaminio ictum rumpit, Gytheum recipit, Philopœmenem Achæorum prætorem claſſe ſuperat. Sed mox iterum à Philopœmene, viro militari, multoſque caſus experto, pedeſtri victus certamine, Lacedæmoni ſuæ includitur. *Liv.l.35.*

Interim Ætoli, incitato jam ad bellum in Europam transferendum Antiocho, Demetriadem Magnetum urbem, quaſi reducendo Eurylochum exulem, occupant. Hinc, quod ineundæ apud Lacedæmonios gratiæ, acquirendæque autoritatis eſſe putabant, tyrannum Nabin ſub ſpecie mittendi auxilii interficiunt. Autor facinoris Alcamenus, dum dies oportunos in ſcrutandis theſauris exigit, & quam liberatum venerat urbem, intercipere cupit; obtruncatur: Ætolorum exercitus, qui una venerat, partim urbe pulſus à Spartanis, in Arcadia venum ivit, partim cæſus occubuit. Philopœmenem Lacedæmonem, tyranni cæde jam liberatam, Achæorum adjunxit concilio.

Antiochus res magnas complexus animo, affinitatibus devinciendos finitimos reges ſtatuit: Ptolemæo Epiphani dat Cleopatram, adjuncta in dotem Cœleſyria, & Phœnice, quam olim ei ademerat: Antiochiam jungit Ariarathi regi Cappadocum: Tertiam filiam Eumeni deſtinat, quam is propter Romanorum amicitiam abnuit. Inde cum modicis copiis tranſmiſſo Helleſponto, in Græciam deſcendit, Chalcidem oportunam bello urbem capit, magnoque *Appianus in Syriac. Joſeph. l.12.c.3.*

principio res orsus, Eubœam insulam, aliaque oppida subito redigit in potestatem. Cladi fuit, quod à Thoante, vaniloquo Ætolorum prætore, deceptus, animum ab Annibalis consiliis inflexit ad securitatem. Itaque lente convenerunt ex Asia majores exercitus, bellum in Italiam non translatum hæsit in Græcia, Ptolemæus etiam, contempto affinitatis vinculo, adversus socerum Romanis auxilia obtulit. Aminander tamen Athamanum Rex, Bœoti & Elei ad vanas spes erecti, societatem cum rege inière. Philippi quoque amicitia, quam omnibus anteferendam suadebat Annibal inani discussa consilio: Cum enim ossa Macedonum, qui ad Cynoscephalas ceciderant, legi sepelirique jussisset Antiochus, eoque facto gratiam apud Macedones quæreret. Philippus suæ id invidiæ arbitratus, tanquam rex neglectam suorum sepulturam exprobraret, magnopere ab eo animum alienavit. Igitur, qui fortunam in consilio habiturus erat, tunc statim Romanis sese ad exturbandum Thessalia Antiochum aggregavit. Antiochus ita Lariss depulsus, captis plerisque aliis Thessaliæ urbibus, Chalcidem hybernatum venit. Ibi captus amore virginis cujusdam, cive Chalcidensi Cleoptolemo genitæ, per totam hyemem, quasi alta pace, nuptias agitat, omissaque rerum maximarum, quas susceperat, cura in conviviis & sequentibus vinum voluptatibus terit tempus. Nec severiore disciplina milites, quam dux eorum hybernant. Itaque citius vincitur, quam justos ex Asia exercitus contraheret. M. Acilius Glabrio Cos. trajecto mari, Lariss ducit, quæ statim dedita. Athamania omnis, dilapso Aminandro rege, in jus ditionemque Philippi concessit. Pharsalus, Scotuss, Pheræ, aliaque præsidiis Antiochi infesta oppida Acilio traduntur. *Antiochus* interim nuptialibus saginatus cœnis, ut delusum se à fortuna & *vanis, quas opibus suis aluerat, linguis comperit; Thermopylarum saltum*, locum natura permunitum, castris *occupat*; juga montium Ætolis custodienda tradit. Hos cum M. Portius Cato deturbasset, tantus repente pavor Antiochi invasit milites, ut plerique abjectis armis fugerent. Quingenti de decem millibus Chalcidem secuti regem, cæteri *cæsi aut palati*: Glabrio persequutus victoriam, Antiochum tota expulit Græcia, exercitumque sine cujusquam urbis noxa, reduxit Thermopylas, *multo modestia post victoriam, quam ipsa victoriâ laudabilior.* Hinc Heracleam capit Ætolorum, ipsoque expeditior Philippus rex Demetriadem, Perræbiam, Dolopiam. Autore Quintio Flaminio, Ætolis Naupacti obsessis induciæ, ut de pace agere liceret, datæ. Secuta deinde navalis pugna, qua similiter rex Antiochus inferior fuit. Livius Prætor & Eumenes Rex Polyxenidam, ad Corycum profligarunt, decem Antiochi naves demersæ, tredecim captæ sunt, eodem anno, quo P. Nasica Boios & Gallos, cæsis eorum duodetriginta millibus, in deditionem accepit, triumphavitque.

Liv. l. 36. Justin. lib. 31. Appianus in Syriac.

Plutar. in M. Catone.

A. M. 3781.

Liv. l. 36.

Media Olympiade CXLVIII *L. Cornelius Scipio Cos.* primus omnium Romanorum ducum *in Asiam* trajecit. Legatus ei fuit Africanus, qui se fratris legatum futurum dixerat, si ei Græcia & Asia provinciæ decernerentur, cum Caio Lælio, qui multum in senatu poterat, jam penè Græcia destinaretur. Nec tam difficilis, quam visus erat, transitus obvenit Scipioni, quod Antiochus Chersonesum neglexerat, Hellespontum classe nulla obsederat, Philippus contra Rex, remisso paulo ante à Romanis Demetrio filio deluitus, omnia ad trajectum præparaverat. Classis Antiochi Rhodios, duce Polyxenida Rhodio exule, magna clade affecerat, præfecto alibi Annibale similem penè ipsa acceperat, tandem ab Æmylio Regillo ad Myonnesum victa, plane maris dominio cesserat. Quo damno perculsus Antiochus, quia longinqua tueri diffidebat se posse, præsidium ab Lysimachia (Thraciæ maritimæ

Liv. l. 37. Florus l. 2. c. 8.

caput

caput erat) pravo consilio deduxit, Sardeisque se recepit, immemor Lysimachiæ obsidionem diu tolerari, tentarique interim pacem potuisse. Transgressi in Asiam velut pacatam terram Romani, quandoquidem levati sollicitudine belli sibi videbantur, duriores jam Antiocho pacis conditiones dabant. Jussus omni cis Taurum Asia decedere, frustra Scipionem privato officio & muneribus demulsit, frustra filium ejus bello captum gratis restituit. Africanus *privata beneficia à rebus publicis secreta esse* dicebat, *aliaque esse patris officia, alia patriæ jura, quæ non liberis tantum, verum etiam vitæ ipsi præponantur.* Proinde privato impendio munificentiæ regis responsurum. Igitur cum ab utrisque bellum pararetur, profectis ab Ilio Romanis, quo velut ad majorum suorum incunabula ierant, Eumenes Rex occurrit cum auxiliis. Nec multo post prælium cum Antiocho, ad Phrygium amnem, propè Sipylum & Thyatira commissum. Obscuram lucem fecerat nebula, ut latam aciem circumspicere haud posset Antiochus. Eo in dexteriore cornu rem bene gerente, sinistrum omne pellebatur. Fugientibus ad castra Romanis M. Æmylius tribunus militum obstitit, armatisque objectis mortem minatur, nisi statim in prœlium revertantur. Hic *major timor minorem vicit.* Attonita tam ambiguo periculo legio, comitantibus commilitonibus, qui fugere prohibuerant, redit in prœlium, magnaque cæde edita initium victoriæ fuit. Cæsa hostium L millia, capti MCCC, & XV cum rectoribus elephanti. Antiocho pacem petenti (urbes enim Asiæ minoris certatim deditionem faciebant) parum ad superiores conditiones additum, prædicante Africano, *neque Romanis, si vincantur animos minui, neque si vincant, augeri.* Asia cis Taurum & Europa adempta Antiocho: pro impensis in bellum factis XV millia talentum Euboicorum imposita. Annibal ut dederetur Romanis, postulatum. Elephanti omnes erepti. Interdictum ne militem ullum ex ditione populi R. haberet. *Eumeni* Lycaonia, Phrygia, Mysia, Ionia, Lydia, Chersonesus in Europa & Lysimachia: Rhodiis Lycia & Caria cesserunt. Quæ vectigales Antiochi fuerant civitates, libertate sunt donatæ. *L. Cornelius Scipio* cognomine fratri coæquatus, & *Asiaticus* appellatus est.

Justin. lib. 31. Liv. l. 37.

Victo & ultra Taurum submoto Antiocho, Philippus, Athamaniam & Amphilochos recuperantibus Ætolis & Aminandro, parum ex societate Romana profecisse sibi videbatur. Sed M. Fulvius Cos. in Epiro obsessos Ambracienses, in deditionem accepit, subegit Cephaleniam, Ætolisque auxilio omni destitutis, pacem eâ dedit lege, ut eosdem cum Romanis hostes amicosque haberent, & quingenta eis Euboica talenta penderent. *Liv. l. 38. Justin. lib. 32. Florus l. 2. c. 9.*

Necdum finis erat cædium, ipsa bellandi libidine faciles ferociendi causas martiis hominibus præbente. *Liv. l. 38.*

Cn. Manlius, collega Fulvii, *Gallogræcos* (Celtæ erant seu Galatæ, ante multos annos in Asiam transgressi, ut suo dictum est loco) cum soli citra Taurum montem nemini parerent, & in Olympum montem omnis generis ætatisque turbam traxissent, superato monte *expugnavit.* Decem millia cæsi: Numerus captivorum XL explevit millia. Inter eos fuit Orgiagontis reguli uxor, forma eximia. Centurio quidam libidinis & avaritiæ nimis militaris, cum abhorrentem à voluntario videret stupro, corpori, quod servum fortuna fecerat, vim fecit: Deinde certo auri pondere reditum ad suos stipulatam, dum dimittere simulat, aurumque pensat à duobus mulieris necessariis numeratum, imperante vitiata trucidatur: jugulati præcisum caput, veste involutum ante pedes mariti, priusquam eum complecteretur, abjecit mulier, & injuriam confessa corporis, & ultionem violatæ per vim pudicitiæ, matronalis verecundiæ & generositatis memorabile exemplum. Ad Ancyram deinde iterum *vi-* *Florus l. 2. c. 11.*

ctis Gallis, *pax data*, ut morem vagandi cum armis finirent, agrorumque ſuorum terminis quieti tenerentur. Ariarathes Rex Cappadociæ, Eumenis beneficio, cui deſponderat per eos dies filiam, in amicitiam eſt acceptus ; quod auxiliis Antiochum juviſſet, C. talenta argenti ei imperata ſunt. Cn. Manlius, contradicentibus L. Furio & Æmylio Paulo legatis, accuſantibuſque quod ductato per Thraces exercitu, multos viros fortes iis trucidandos præbuiſſet, acta per ſe cauſa in ſenatu, triumphavit.

Liv.l.38. Sub hæc *Lacedæmonii*, dum exulibus ſuis attributos vicos ereptum eunt, perplexo Romanorum decreto permittuntur Achæis, qui duce Philopœmene, ad tradendos defectionis auctores vi eos adegêre. Inde muros diruere, exules recipere, diſciplinam Lycurgi, cui per octingentos annos aſſueverant, abrogare, concilioque Achæorum obedire juſſi, prorſus avita libertate excidunt. Ingens documentum inconſtantis ſeculi, fallaciſque fortunæ, non tantum reges Antiochus, Philippus, Nabis : civitateſque, Carthago, Ambracia, Lacedæmon : ſed & victores ipſi P. Scipio Africanus, fraterque ejus L. Aſiaticus fuêre. *Africanus* à Petiliis ac Nævio Tribunis plebis repetundarum *accuſatus*, quod præda cum Antiocho capta ærarium fraudaſſet, librum rationum in conſpectu populi ſcidit : Hac die, inquit, Carthaginem vici. Bonum factum : in Capitolium eamus & diis ſupplicemus. Simul ſe univerſa concio avertit, & ſecuta eſt. Majori fortunæ aſſuetus, quam ut reus eſſe ſciret, Nihil, inquit, volo derogatum legibus, nihil inſtitutis : *æquum inter omnes cives jus ſit : utere ſine me beneficio meo patria :* cauſa tibi libertatis fui, ero & argumentum. Exeo, ſi plus quam tibi expedit, crevi : itaque *in voluntarium exilium Linternum conceſſit*, ubi reliquam egit ætatem. Moriens ab uxore petiit, ne corpus ſuum Romam referretur, ne oſſa ſua ingrata patria poſſideret. *L. Scipio Aſiaticus* eodem peculatus crimine accuſatus, damnatuſque judice Terentio Culeone, quem Africanus captivitate exemerat, cum in vincula & carcerem duceretur : Tib. Sempronius Gracchus Trib. plebis, qui antea Scipionibus inimicus erat, animoſè interceſſit, negans ſe paſſurum, ut qui imperium R. in extimas terras propagaſſet, inter fures & latrones abderetur. Ob id beneficium autore ſenatu, Africani filiam duxit. Sed cum populus quæſtores in bona Aſiatici publicè poſſidenda miſiſſet, non modo in iis nullum veſtigium pecuniæ regiæ apparuit : ſed nequaquam tantum in ærarium redactum, quantæ ſummæ erat damnatus. Collatam à cognatis & amicis innumerabilem pecuniam noluit accipere, quæ neceſſitati ei erat, ad cultum tantum retenta.

Liv.l.38. Aurel. Victor.

Seneca Epiſtola 86.

A. M. 3787.

Liv.l.39. Exinde Ligures Romanum militem acuerunt ad virtutem, cum Aſia per rerum abundantiam, opeſque regias, ditiores mollioreſque exercitus, quam fortiores continentioreſque faciſſet. Æmylius Coſ. ſubactis Liguribus viam à Placentia uſque Ariminum perductam, Flaminiæ junxit. Bacchanalia ſacrum Græcum, & quidem nocturnum, ſcelerum omnium maximum ſeminarium cum ad ingentis turbæ conjurationem perveniſſet, à Conſule Martio Philippo inveſtigatum, & multorum pœna ſublatum eſt. A Cenſoribus L. Valerio Flacco, & M. Porcio Catone, vir & belli & pacis artibus maximus, motus eſt ſenatu L. Quintius Flaminius, T. Quintii frater, eò quod, cum Galliam provinciam Coſ. obtinuerat, rogatus à ſcorto nobili Gallum quendam ſua manu occidiſſe ferebatur.

Plutarch. in M. Catone.

Interea in Syria rex *Antiochus*, cum gravi tributo pacis à Romanis victus, oneratuſque eſſet, ſeu inopia pecuniæ compulſus ſeu avaritia ſollicitatus, adhibito exercitu, nocte templum Didymæi Jovis ſeu potius, ut Strabo tradit, Beli apud Elimæos, aggreditur, ſacras pecunias abrepturus. Quâ re proditâ, concurſu inco-

Juſtin. l. 32. Polyb. Strabo lib. 16.

incolarum cum omni militia *interficitur*, anno regni xxxvi. Præcipuos ejus, majorumque Asiæ regum casus, trecentos ante annos Daniel, vates Ebræus, accuratè prædixerat, libroque consignatos in testimonium divinæ providentiæ omnibus exposuerat sæculis. Rex iste, ne Annibalem dederet Romanis, admonuerat eum periculi. Annibal in fugam versus, in Creta aliquamdiu egerat. Ibi invidiosum se propter nimias opes conspicatus, ad Prusiam Bythyniæ regem contendit, auro in statuis, quas secum portabat, infuso, ne conspectæ opes vitæ nocerent. Dein cum Prusias terrestri bello ab Eumene victus esset, & prælium in mare transtulisset, Annibal novo commento, autor victoriæ fuit. Quippe omnium serpentium genus in fictiles lagenas conjecit, medroque prælio in hostium naves misit. Quæ ubi Romam nunciata sunt, Legatus à senatu Flaminius, qui utrumque regem in pacem cogeret, Annibalemque deposceret. Sed *Annibal* re cognitâ, *sumto veneno captivitatem morte prævenit. Insigne id tempus* trium toto orbe maximorum imperatorum *mortibus* fuit, *Annibalis & Philopœmenis, & Scipionis Africani.* Philopœmen in transitu fossæ equo præcipitatus, à multitudine Messeniorum, quibuscum bellum gerebant Achæi, oppressus, venenoque necatus est. Annibal nulla cœna plus quam sextarium vini bibere solitus, pudicitiaque inter tot captivas tantâ, ut in Africa natum quivis negaret; ejus moderationis, ut nec insidiis militum petitus sit unquam, neque fraude proditus, quum utrumque hostes sæpe tentassent. Tantus vir, immortalibus Romanorum odiis voluntario se tandem exitio subtraxit. Africani mortem diximus.

Daniel. c. 10. 11.

Justin. lib. 32.

A. M. 3789. *Cornel. Nepos Annibale. Liv. l. 39. Justin. lib. 32. Plutarch. Philopœmene. Pausa. l. 4. & 5.*

Liv. l. 39.

Dum Romani Pollentiam, Pisaurum, Mutinam, Parmam, Aquileiam, colonias deducunt, Thessali aliique Græci accusato Romæ Philippo rege perficiunt, ut præsidia à quibusdam urbibus deducere cogeretur, & maritima loca relinquere. Quibus rebus offensus ille, bellum coquit: imparatus Romam mittit filium *Demetrium*, cujus verecundiæ *Perseus, proditionem patris ab eo agitari*, fugamque ad Romanos confingit, cestes subornat, Philippum ad necandum filium sceleratissimis obtrectationibus impellit. Compertis postmodum fraudibus, Philippus ægritudine animi excruciatur, quod calumniis alterius filii circumventus, alterum veneno sustulisset, & de pœna Persei cogitat, certus Antigonum potius amicum successorem relinquere, quam infamem parricidio filium. Sed in hac cogitatione morte raptus est, anno regni 42. Macedonia ad Perseum delata. Paulo ante Ptolemæus quoque Epiphanes in Ægypto decesserat, rerum potitus anno xxiv. *Romanos* per hosce annos *pestilentia* ita *vastavit*, ut Libitina sepeliendis mortuis haud sufficeret, ægreque suppleri octo, quibus imperium defenderetur, legiones possent. Accessit & fraus humana. Veneficii enim complures damnati, inter alios etiam Hostilia, Calpurnii Pisonis Cos. uxor, quæ ut filium Q. Fulvium Flaccum, re adversus Celtiberos bene gesta celebrem, Consulem faceret, maritum veneficio interemerat.

A. M. 3790. v. c. 571. *Liv. l. 40.*

Liv. l. 40.

Igitur hoc temporum tractu, cum imperii gloria, *superbia quoque & luxus, magnæ fortunæ comites*, Romam commigrarunt. Acilio Glabrioni prima aurea statua à filio posita, ludi scenici, & gladiatorum cruenta certamina voluptati esse cœperunt. Accius Plautus festivissimas fabulas, Livius tragœdias exhibuit. M. Porcius Cato, rigidæ vir innocentiæ, vitia civitatis acerrimis orationibus, ad maledicentiam usque, insectatus est.

Liv. l. 39. 40. Gell. l. 17. c. ult.

Judæos quoque regum Antiochi & Seleuci indulgentia in ambitionem & dissidia corrupit. Simon præpositus templi, ut Oniæ Pontifici ægrè faceret, ad Seleucum profectus, immensam pecuniarum vim, sacris minimè necessariam, à Pontifice asservari calumniatur. Mittitur ad eam diripiendam Heliodo-

2 *Macc.* 3. 4. *Joseph. l.* 12 *c.* 5. *Eusebius in Chron.*

rus, qui theſauris præerat regiis; ſed divinis correptus ſignis recedit. Nihilo magis Simon abſiſtit odiis: quoad Oniam Jaſon, frater germanus, corrupta largitionibus aula, ſacerdotio deturbaret. Quam rem ingentium Judæis malorum præbuiſſe materiam, ſequentes hiſtoriæ docebunt. Victo à Romanis Magno Antiocho, Artaxias & Theriades Armeniorum reges à Seleucidis defecere, raptiſque ad ſe circumjacentium regionum portionibus, multo majorem reddidere Armeniam. Artaxiæ Tigranes nepos exſtitit.

Strabo lib. 11.

PTOLOMÆUS IV. PHILOMETOR, *Rex Ægypti.*

SELEUCUS SOTER, ANTIOCHUS EPIPHANES.

EUPATOR, DEMETRIUS, ALEXANDER BALLES, *Reges Syriæ.*

EUMENES & ATTALUS *reges Aſiæ minoris & Thraciæ,*

PERSEUS *Rex ultimus Macedoniæ.*

Euſebius Chron. Epit. Livii. lib. 41. Appianus in Syriacis. Joſeph. l. 12. cap. 5.

SEptimum regni Syriaci annum agebat Seleucus Soter, qui & Philopator, Antiochi M. filius, cum *Ptolomæo V. ſucceſſit VI.* puer admodum, ab amore matris *Philometor* appellatus. Erat ex Antiochi filia Cleopatra procreatus, tutoreſque ejus Romanorum muniti amicitia, quietum aliquamdiu regnum tenuere. Sub hæc Seleucus fratrem Antiochum, apud Romanos obſidem, tradito in ejus locum Demetrio filio, liberavit. Is cum in patriam reverteretur, jamque Athenis propinquaret, *Seleucus* incautior, & ob diminutum à Romanis regnum imbecillior, purpurati Heliodori inſidiis *perimitur.* Heliodorum regno imminentem Eumenes & Attalus vi ſubmovêre, ſuffecto in Seleuci locum fratre Antiocho; qui Syris erat acceptus, anno imperii Seleucidarum 137. Is Babyloniis ſatrapam impoſuit Timarchum, tributis præfecit Heraclidem, fratres corpore infames ambos. Cum Eumene & Attalo, quibus jam nimia videbatur Romanorum potentia, amicitiam firmavit, contemptaque filiorum Ptolemæi ætate, adminiſtrandis rebus nondum idoneâ, ſub ſpecie tutelæ Ægyptum occupare ſtatuit. Dum hæc ille animo agitat, *Romani* Celtiberos, Luſitanos, Ligures, Iſtros, Sardorum etiam populos rebellantes, ductu maximè Tib. Sempronii Grachi, Poſthumii Albini, C. Claudii Coſ. ſubigunt. Peſtilentia etiam atroci & ſuperſtitionibus ſuis laborant. Cornelius Coſ. cæſis hoſtiis, ex monte Albano rediens concidit. Q. Petilius Coſſ. Lætum montem ſe capturum de Liguribus prædicans, letum capit, occiſus ab hoſtibus. Rhodii ob malè habitos Lycios increpati à Romanis ſunt. *Perſeus novus Macedoniæ rex*, excitis in Dardanos Baſtarnis, Trans-Danubianâ gente, tentatiſque legatione Carthaginienſibus, bellum moliri compertus. Legatis Roma ad eum miſſis ſui copiam non fecit rex ſubdolus, inteſtinis exteriſque cædibus infamis, nec ullo commendabilis merito, niſi effuſâ in templa & religiones liberalitate: præferebatur tamen à pleriſque Græcis Eumeni, in cives juſto, in omnes homines munifico. Tantum adhuc fama & majeſtas Macedonum regum, apud memores virtutis eorum populos valebat.

Liv. l. 42.

Initium regni.

3793.

Ejus odium inſigne apud Romanos fecit *Eumenes*, commentarium ferens Romam, quod de ejus apparatibus belli omnia inquirens conſiderat, eodem tempore quo Antiochus Epiphanes, miſſo Romam ſtipendio & muneribus, per Apollonium legatum amicitiam cum Romanis renovavit. Quare præoccupatis ab Eumene non auribus magis, quam animis ſenatus, omnis legatorum Perſei ſeu defenſio, ſeu deprecatio reſpuebatur, exaſperante etiam cauſam oratione Harpali, velle quidem & laborare dicentis regem, ut purganti ſe nihil hoſtile dixiſſe aut feciſſe, fides habeatur, cæterum ſi pervicacius cauſam belli quæri videat, forti animo defenſurum ſe; *Martem communem eſſe, & eventum*

Liv. l. 42.

A. M. 3792. *Olymp.* 150. *Epocha* 278. *Imperii Græc.* 131.

A. M. 3797. 1 *Macc.* cap. 1.

tum incertum belli. Patefactis deinde in Eumenem inſidiis, quem per latrones, & in Romanorum magiſtratus, quos Brundiſii per hoſpitem publicum tollere molitus fuerat, hoſtis à ſenatu judicatus eſt. Clarior ſub hæc indies *Romani imperii feritas* & injuſtitia cœpit eſſe, quantavis ſenatus prudentia velaretur.

M. Popilius dedentium ſe Ligurum x millia vendidit, peſſimo exemplo, ne quis ſe unquam Romanis dederet impoſterum, pro mancipio futurus. Poſt multas altercationes, ægre maxima venditorum pars libertatem recepêre. Fulvius Cenſor tegulas de templo Junonis Laciniæ detraxit, ut Fortunæ equeſtris ædem, quam in Hiſpania voverat, ſacris ſpoliis exornaret. Tegulas reddere Bruttiis juſſus, cum poſt cenſuram Pontifex M. eſſet, laqueo ſemet ſuſpendit, fœdaque morte periit. Antea quoque legati, qui repente aliquo mitterentur, ſingula jumenta per oppida, iter quam faciendum erat, imperabant: aliam impenſam ſocii in magiſtratus Romanos non faciebant. L. Poſthumius Coſ. Præneſtinis iratus, obviam ſibi primus exiri, locum publicè, ubi diverteretur, parari, jumentaque cum inde exiret, præſto eſſe juſſit. Silentium nimis aut modeſtum, aut timidum Præneſtinorum, jus, velut probato exemplo, magiſtratibus fecit, graviorum indies talis generis imperiorum. Igitur paſſim oneri ſumtuique ſociis abinde fuêre. *Liv. l. 42.*

Omnes tunc reges populique animos in curam Macedonici ac Romani belli converterant. Eumenem cum vetus odium ſtimulabat Perſei tum recens ira, quod ſcelere ejus prope, ut victima, mactatus Delphis eſſet. Pruſias Bythiniæ Rex ſtatuerat abſtinere armis, eventumque exſpectare. Antiochus imminebat quidem Ægypti regno, & puritiam regis & inertiam tutorum ſpernens & ambigendo de Cælenſyria, cauſam ſe belli habiturum exiſtimabat, geſturumque ſine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello; tamen omnia & per ſuos legatos ſenatui, & ipſe Legatis eorum eximiè fuerat pollicitus. Ptolemæus, propter ætatem, alieni etiam tum arbitrii erat. Tutores & bellum contra Antiochum parabant, quo vindicarent Cælenſyriam, & Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. Maſaniſſa, quanquam nuper caſtigatus, quod LXX Carthaginienſium oppida caſtellaque teneret, tamen & frumento adjuvabat Romanos, & auxilia cum Elephantis, Miſagenemque filium mittebat *adverſus Perſeum*, Cotys Thrax, Odryſarum Rex, evidenter Macedonum partis erat. Gentius Illyriorum rex, impetu magis quam conſilio, iis aut illis ſe adjuncturus videbatur. *In liberis gentibus populiſque, plebs ubique omnis fermè, ut ſolet, deterioribus erat inclinata:* Principum pars ita in Romanos effuſi erant, ut *authoritatem immodico favore corrumperent*, pauci ex iis juſtitia capti; plures ita, ſi præcipuam operam navaſſent, potentes ſeſe in civitatibus ſuis futuros rati: optimi & prudentiſſimi neutram partem volebant potentiorem altera oppreſſa fieri; ſed illibatis potius viribus utriuſque partis, pacem ex eo manêre. Ita inter utroſque optimam conditionem civitatum fore, protegente altero ſemper inopem ab alterius injuria. Hæc ſentientes certamina fautorum utriuſque partis taciti ex tuto ſpectabant. Cum omnia præparata atque inſtructa haberet Perſeus, & ſuo maxime tempore, alieno hoſtibus, incipere bellum poſſet, locaque præoccupare oportuna, quam exercitus Romanorum in Græciam trajiceretur, ſpe vana pacis deluſus à Martio & Attilio legatis Romanorum, illis ſe inſtruendi ſpacium præbuit, ipſe multo imparatior. Gloriabantur iidem Legati, Bœotorum ſe concilium arte diſtraxiſſe, ne conjungi amplius ullo conſenſu Macedonibus poſſent. Hæc ut ſumma ratione acta, magna pars ſenatus approbabant: Veteres & moris antiqui memores, negabant ſe in ea legatione Romanas agnoſcere artes. *Ejus animum*

mum enim in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte neque casu, sed collatis cominus viribus, justo ac pio bello esse superatum. Vicit tamen ea pars senatus, cui potior utilis, quam honesti cura erat. Legati Macedonum non eis animis audiebantur, qui aut doceri aut flecti possent. XXXIX peditum, tria equitum M. erant Perseo, quibus vicesimo sexto post pacem Philippo datam anno, bellum renovavit. Primum prælium secundum fecit cum P. Licinio Crasso; duo millia peditum cecidit, equites ducentos, totidem ferè equites cepit. Si victis institisset, debellatum foret. Sed impetrandæ spe pacis iterum occæcatus, agitantibus eum interfecti fratris, aliorumque innocentium hominum furiis, oportunitatem rei benè gerendæ è manibus amisit. Romani non abscedentes à ripâ Penei, transtulerunt in loca tutiora castra. Eo Misagenes Numida venit cum M. equitibus, pari peditum numero, adhæc elephantis duobus & XX. Perseus confirmato auxiliis consule, nihil pacati obtinuit, nisi senatui liberum permitteret de se, deque universa Macedonia statuendi jus. Inde præsidium aliquod oppugnans Romanorum, equestri prœlio, Romanis tamen cruento, victus est, refectique hac fortuna Romanis animi, regiique perculsi. Submissus Crasso Cos. *Liv. l. 33.* Hostilius, ad militarem quidem disciplinam ab effusa licentia formavit militem: at ad rei summam parum profecit. Licinius Crassus, cum prætoribus & legatis, avarè maligneque socias vexavit civitates, crebræque querelæ Romam delatæ, censuras sanè senatus, sed leniores, quam pro delictorum atrocitate extorserunt. A præfectis etiam classium multa impotenter in socios facta. Abderitæ & Chalcidenses crudeliter tractati, ne perpetuam servirent servitutem, demissè supplicando impetrarunt. Perseus interim prosperè res in Thracia gessit, Dardanos vicit, multas Illyriorum urbes expugnavit: Uscanæ IV. Romanorum millia cepit. Gentium Labeatum Illyriorum regem, cum sola pecuniæ inopia impediret, quo minus belli socius fieret, Perseus egrè ab animo suo impetrare potuit, ut vel aliquam impensam in rem maximi ad omnia momenti faceret. Alias quoque occasiones maximas per avaritiam dimisit. Eumenem licet inimicum, mercede onustum implicare partibus poterat, Gallorum XM. equitum & totidem peditum ad fines jam Thessaliæ pertraxerat: Bastarnas etiam. Omnia per tenacitatem omissa, vel corrupta, ut appareret omnibus *meliorem pecuniæ quam regni custodem esse, cum tamen illa amisso regno incolumis ei esse nullo modo posset.* Tertius in eum Romæ dux lectus Q. Martius Philippus, per saltus penetravit in Macedoniam aspero & confragoso itinere, ubi, nisi mentem regi Deus ademisset, parva ei manu delere omnes Romanorum copias licuisset. Pervagatis saltum Romanis, pavore attonitus, Pellæ gazam in mare demergi jussit, quam recepto postea animo, cum per urinatores retrahi curasset, tantum illius timoris pudorem sensit, ut urinatores & præfectos occideret, ne quem tam dementis imperii consciun relinqueret. Interea cum præcipuas urbes, Thessalonicam, Cassandream, Melibœam, & alias, frustra oppugnarent Martius Figulus Prætor & rex Eumenes, pertæsus moræ Eumenes, & amicitiæ jam cum Perseo clam initæ suspectus, Pergamum discessit; frater ejus Attalus æquali tenore fidei apud consulem remansit. *Liv. l. 44. Florus l. 2. cap. 12. Plutarch. in Æmylio Paulo.*

Sub hæc Gentius, promisso auro inescatus, Petilium & Perpennam Legatos Romanorum in vincula conjicit, contractisque Lissum XV millibus militum, bellum in gratiam Persei movet. Perseus necessitates persequendi belli injectas ratus Gentio, pecuniam portantes revocat, amicum fœde delusum in extremas præcipitat calamitates, velut nihil aliud agens, quam ut quanta maxima posset præda, ex victo se Romanis reservaretur. Gentius apud Scodram ab Anicio prætore victus, cum deessent subsidia, dedi- *Liv. l. 44. Florus l. 2. cap. 13.*

dedidit ſe prætori. Primum habere bonum animum juſſus, poſtea cum parente, conjuge, liberis, fratre, aliiſque principibus Illyriorum, Romam tractus miſerandum in triumpho ſpectaculum præbuit.

Plutarch. in Paulo Æmylio.

In Macedoniam quartus Coſ. miſſus *L. Æmylius Paulus*, reformato ante omnia ad priſcam diſciplinam exercitu, Regem ad Enipeum flumen aſſequitur. Permunitis caſtris, C. Sulpitius Gallus tribunus militum, conſulis permiſſu, ad concionem militibus vocatis pronuntiavit, nocte proximâ, nequis id pro portento acciperet, ab hora ſecunda uſque ad quartam noctis, lunam defecturam eſſe. Edita hora luna cum defeciſſet, Romanis militibus Galli ſapientia propè divina videri. Macedonas, ut triſte prodigium, occaſum regni perniciemque gentis portendens, movit. Neutro imperatorum volente, *fortuna, quæ plus conſiliis humanis pollet*, contraxit certamen, obortum jumento manibus curantium forte elapſo, de quo Thraces præſidiarii Romanique ad ripas dimicabant. Cum enim multa paſſim prælia orirentur, Romani fluctuantem primo turbarunt, deinde disjecerunt Macedonum phalangem, equitatus propè integer pugna exceſſit, principe fugæ ipſo rege. Cæſa ad xx millia hominum ſunt, ad ſex M, qui Pydnam ex acie perfugerant, vivi in poteſtatem Æmylii pervenerunt, & vagi è fuga VM capti. Ex victoribus ceciderunt non plus centum, vulnerati aliquanto plures ſunt. Rex à pleriſque deſertus, Amphipolin pervenit. Æmylio Berœa primum monitu principum, deinde Theſſalonica & Pella, & deinceps omnis ferme Macedonia intra biduum dedita. Secuta tandem reliquarum urbium exempla etiam Pydna eſt. Amphipoli pro rege loquentibus ſucclamatum: Abite hinc, ne qui pauci ſuperſumus, propter vos pereamus. Perſeus Samothracem, religionis opinione inviolabilem inſulam pergit, advectis ſecum duobus millibus talentorum. *Sed cruentum animum nec pecunia, nec ſacri parietes poterant tueri.* Cum Evandrum Cretenſem, Perſei amicorum conſtantiſſimum, templo excedere cogerent Samothraces, eo quod Eumenem regem propè Delphos occidere voluerat, veritus conſcientiam ejus Perſeus, occidi virum, tot ſibi caſibus expertum, imperavit, eoque in amicum facinore omnium à ſe animos alienavit. *Deditus* ergo prætori Octavio, cum *in conſpectum Æmylii victoris* veniſſet, conſurrexit conſul, & humaniter habitum conviviis adhibuit, liberoſque admonuit ſuos, & quotquot erant juvenes, *in ſecundis rebus nihil in quemquam ſuperbè ac violenter conſulendum, nec præſenti credendum fortunæ, cum quid ſerus veſper vehat, incertum ſit. Hunc demum virum eſſe, cujus animum nec proſpera flatu ſuo effert, nec adverſa infringit.* Hic finis belli inter Romanos ac Perſea, idemque *finis inclyti Macedonum regni* fuit, quod à ſummo culmine fortunæ ad ultimum finem centum quinquaginta annos ſtetit, à Carano uſque ad Perſeum xxx reges habuit, annos 923. à Philippo uſque ad caſum Perſei 190 annis floruit. Macedonibus dimidium tributi, quod regibus ferre ſoliti erant, impoſitum. In quatuor regiones diſtracti, ſublatis commerciis, lacerum corpus effecti ſunt. Similia his & in Illyricum mandata. Omnes, qui in aliquibus miniſteriis regiis, etiam qui in minimis legationibus fuerant, juſſi Macedonia excedere, atque in Italiam ire: qui non paruiſſet imperio, mors denunciata. Epiri oppida fermè LXX, omnia uno die direpta, CL millia capitum humanorum abducta, quod ad Perſea defeciſſent. Ætoli deinde citati, qui per inteſtinas diſſenſiones mutuis ſe cædibus abſumſerant. In ea cognitione magis utra pars Romanis, utra regi faviſſet, quæſitum eſt, quam utri feciſſent injuriam, aut accepiſſent. Noxa liberati interfectores, exilium pulſis æque ratum fuit, ac mors interfectis. Hic eventus omnium, qui partis Romanorum fuerant per Græciam, inflavit ad intolerabilem

Liv. l. 44. Juſtin. lib. 33.

Liv. l. 45. Eutro. l. 4. Aurel Victor in L. Æmylio.

Perſeus ab Æmylio Coſ. captus eſt A. M. 3804.

Liv. l. 45. Juſtin. lib. 33. Anno eodem.

Liv. l. 45. Pauſanias in Achaicis & Arcadicis.

Justin. lib. 33.

superbiam animos, & obnoxios pedibus eorum subjecit, quos aliqua parte suspicio favoris in regem contigerat. E sola Achaïa, supra mille viri primarii, decreto x Legatorum evocati sunt ad causam perduellionis Romæ dicendam, interque eos Polybius, Lycortæ prætoris Achæorum filius, qui *victo eruditione infortunio* per eam sibi Romæ amicos peperit. Reliqui XVII annis in custodiis fuere donec magna eorum parte supplicii absumpta vel morte, trecentos fermè reliquos, satis jam pœnarum diuturna carceris perpessione dedisse rati, domum dimisere.

Æmylius Paulus reportato Romam exercitu, ob prædam regiam pro republ. interceptam (bis millies, centies H S. erat) habitosque asperius milites, contradicente pro exercitu Sulpitio Galba, tandem *triumphavit, & Perseum cum tribus filiis ante currum duxit.* Cujus triumphi lætitia ne solida ei contingeret, duorum filiorum mortibus insignita est: quorum alterius funus præcessit, alterius sequebatur triumphum. *Perseus* in carcere fœdissimo septem dies habitus, Æmylio senatus crudelitatem castigante, mitiorem nactus est custodiam, in qua post biennii miserias, somno prohibitus, *vivere* tandem *desiit.* Mortui postmodum Æmylii Pauli tanta apparuit abstinentia, ut cum ex Hispanis & Macedonia maximas opes retulisset, vix ex auctione bonorum ejus redactum sit, unde dos uxori ejus redderetur.

A. M. 3805. *Vellejus Paterculus lib. 1. Plutar. in Æmylio Paulo. Diodor. Sicul. lib. 31. eclog.*

Epit. Livii lib. 46.

Cæterum per eos dies, quibus ista per Macedoniam & Græciam agebantur, magni etiam in Ægypto & Syria motus exstitêre. Antiochus versatili in omnia ingenio & subdolo, per honestam speciem majoris Ptolemæi reducendi in regnum, bellum cum minore ejus fratre (Physconem hunc Græci, ob ventris ingluviem tumoremque cognominant) Alexandriam tunc tenente gerebat: adque Pelusium navali prælio victor, ponte per Nilum facto transgressus cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam premebat: nec procul abesse, quin potiretur regno amplissimo, videbatur. Ptolemæus Physcon & Cleopatra legatos Romam mittunt, qui cum ramis oleæ ingressi curiam, sordidati opem regno regibusque amicis petiêre. Senatus extemplo C. Popilium Lenatem & C. Decimium & C. Hostilium legatos, prius Antiochum, dein Ptolemæum adire jubet, & nuntiare, ni absistatur bello, per utrum stetisset, eum non pro amico, nec pro socio habituros esse. Iidem Rhodiorum ingressi concionem, decretum obtinent, ut qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid, aut fecisse convinceretur, capite pœnas darent. Dum in itinere sunt, Antiochus frustra tentatis mœnibus Alexandriæ, abscesserat. Cæteraque Ægypto potitus, relicto Memphi majore Ptolemæo, cui regnum quæri suis viribus simulabat, ut victorem mox aggrederetur, in Syriam abduxerat exercitum. In transitu Palæstinæ, Jerosolymam templumque Dei sacerrimum nefariis manibus spoliârat. Interim Ptolemæus Philometor, animadvertens claustra Ægypti haud nudari præsidiis Antiochi, ut cum velit, rursus exercitum induceret, per crebras legationes pacem cum Physcone fratre facit, & cunctis consentientibus, Alexandriam recipitur.

Liv. l. 45. 1 *Macc.* 1. 2.

His cum lætari Antiochum conveniens esset, si seriò Ptolemæum majorem restitutum regno, non sibi illud quæsitum voluisset, adeò est offensus, ut multo acrius infestiusque adversus duos, quam ante adversus unum, pararet bellum. Cyprum extemplo classem misit: ipse primo vere cum exercitu Ægyptum petens, in CæleSyriam processit. Circa Rhinocolura Ptolemæi legatis agentibus gratias, quod per eum regnum patrium recepisset, petentibusque, ut suum munus tueretur, & diceret potius quid fieri vellet, quam hostis ex socio factus, vi atque armis ageret, respondit, non aliter neque classem revocaturum, neque exercitum reducturum, nisi sibi & tota Cypro & Pelusio cederetur. Cum

Liv. l. 45. Justin. lib. 34.

Livius lib. 44. Joseph. l. 12. c. 1. 1 Macc. 1.

qua-

quatuor millia ab Alexandria abeſſet, legati Romani occurrerunt. Quos cum advenientes ſalutaſſet, dextramque Popilio porrigeret, tabellas ei Popilius ſcriptum habentes tradidit, atque omnium primum id legere jubet. Quibus perlectis, cum ſe conſideraturum adhibitis amicis, quid faciendum ſibi eſſet, dixiſſet: Popilius pro cæterâ aſperitate animi, virga, quam in manu gerebat, circumſcripſit regem, ac priuſquam hoc circulo excedas, inquit, redde reſponſum ſenatui, quod referam. Obſtupefactus tam violento imperio, parumper cum hæſitaſſet, Faciam, inquit, quod cenſet ſenatus. Tum demum Popilius dextram regi, tanquam ſocio atque amico porrexit. Die deinde finita, cum exceſſiſſet Ægypto Antiochus, legati concordiam etiam inter fratres firmârunt, inter quos vix dum recte convenerat.

Vellejus Paterc. lib.1.

Sic reverſus in Syriam Antiochus, adeo ſe in omne ſcelus & impietatem effudit, ut *non Epiphanes*, id eſt, illuſtris, *ſed Epimanes*, hoc eſt, furioſus à cordatioribus diceretur. Convivia agitavit & ludos, ſumptu inaudito. Interdum mille, aliquando mille & quingenta triclinia convivis implevit, ipſe ferculorum geſtatoribus ducem, mimis, hiſtrionibus, ſaltatoribus, coquis, opificibus, ſodalem ſe præbuit, publica frequentavit balnea, fontes vino miſcuit, plebeios pretioſiſſimis unguentis perfudit, denique ea egit, ut omnes puderet tantæ in rege ſcurrilitatis. Interdum more Romano circumeundo fora, & prenſando viliſſimum quemque, ut tribunus plebis, ædiliſve legeretur, petebat. Lectus, poſita ſella publicè, forenſi turbæ præſidebat; temulentus per vias nummos ſpargebat aureos, proclamans: Sumat, cui fortuna dederit. Circa religiones nullus regum manifeſtius inſaniit. Templorum alia nudabat, alia incredibili exornabat ſumptu. Præcipuum cum Deo Opt. M. qui Jeroſolymis colebatur, bellum geſſit. Cum primum ex Ægypto reverteretur, in Cæleſyriam, omnes templi theſauros ſacrilegis manibus diripuit, vaſa & inſtrumentum omne ſacrum abſtulit, LXX hominum millia occidit, totidem vendidit, x t. ſecum abduxit. Iterum deinde à Popilio juſſus Ægypto exire, iratior Jeroſolymam nudavit mœnibus; diis Græcorum facere Judæos coëgit, altare Dei omnipotentis dæmoni ſacravit Olympio. Inter alios complures, quos veſana tyranni impietas ad necem trahebat, Eleazari ſcribæ nonagenarii, & ſeptem fratrum, quos omnibus tormentis excarnificavit, quod Dei majorem, quam viliſſimi regis curam ducerent, divina conſtantia enituit. Nec deerant, qui motis in patria ſeditionibus, factiſque cædibus, ad ejuſmodi audenda occaſiones darent tyranno. Eorum feruntur capita Jaſon, & Menelaus, ſacrorum caupones, mancipes ſcelerum, quorum ille Oniam fratrem natu maximum dignitate pontificali depulit, hic etiam vita ſceleratiſſime eum privavit.

Athenæus l.5.& 10. Citans Polyb. l.26.27. & Ptol. Euergetis commentaria, & Heliodorum & Philarchum.

1 Macc. 1.2.3. Joſeph. l.12.c.7. 8.9.10.

2 *Macc.*4.

Olymp. 153. *Imper. Gracor. an.*145. 2 *Macc.* 6.7. *Sulpit. Severl.*2.

2 *Macc.* 4.5.

Cum ergo, quicquid ſancti apud Judæos erat, pollueretur, & ſacra volumina undique conquiſita in flammas mitterentur, conditaque ad templum arce, vis armata ſacrum Dei ſummi impediret, Samaritæ, ſolita levitate, legem Moiſis & Judæorum, quibus ſecundis eorum rebus gloriabantur, averſati, templum ſuum Græcorum Jovi dedicant, Antiocho tanquam illuſtri Deo literas mittunt, digni talis Dei imperio. At *Matathias* ſacerdotum Judaïcorum unus, Aſſamonæi pronepos, filiis & Clientelis clariſſimus, cum ad ſacrificandum Græcorum numinibus cogeretur, tantum abfuit ut pareret, ut divino zelo percitus, Judæum quendam impiis ſe ſacris polluentem, ad ipſam mox aram mactaret. Vocatis deinde ad arma, quibuſcunque cordi erant leges & libertas avita, manum contraxit non contemnendam hominum, quibus *ingrata vita ſine libero veri Numinis cultu, & quaſi faſtidio erat.* Cum illis circumeundo montes & tutiores locos, altaria profana diruit, infantes more patrio circumcîdit, ſuperſtitionem popularium,

Joſeph. l.12.c.10. Diod. Sicul. l.34. ccloga.

1 *Macc.* 2.3. 2 *Macc.*8.

qua nonnulli ſublati, otium ad perniciem ſuam ſervabant, eximit animis, teſtatus, *etiam feriatis diebus, licere utique corpus vitamque cuilibet ſuam tueri.* Vertente
A. M. 3807. anno confectus jam ſenio, *Judam Maccabæum* filiorum fortiſſimum, ducem reliquis, alterum Simonem, ſapientia præſtantem, conſiliarium piis præfecit.

1 *Macc.* 3.4. *Joſeph. l.*12.*c.*11. Igitur Judas, paternæ æmulus virtutis, hoſtes juxta & transfugas Judæorum, acerrimè perſecutus, brevi manifeſtum ab Antiocho bellum habuit. *Apollonius* præcipuo in honore apud regem *invaſit Judæos: Sed à Juda vincitur & occiditur. Eadem Seronis Syriæ præſidis fortuna fuit.* Hiſce cladibus irritatus Antiochus, ingentem ſcribit exercitum, nec fidens theſauris, quos non minus in convivia & ludos, quam bella continua profuderat, ad ſuperioris Aſiæ provincias vadit, pecuniam expediturus, Syriæ Lyſiam præficit. Lyſias tres duces, Ptolomæum, Gorgiam & Nicanorem legat in Judæam, addens eis XL peditum, ſeptem equitum millia, ut & Judæos excindant, & è circumpoſitis populis novos agris colonos inducant. Judas nihil conterritus tanto apparatu, quanquam penè inermes ducebat milites, formata in pietatem & conſtantiam trium millium manu, miſſionem dedit omnibus quoſcunque recentes nuptiæ, aut ſpes rerum ſecundarum nimio vitæ amore impleverant. Sic caſtra aggreditur abſentis Gorgiæ, explorato antea, eum cum parte militum ad inſidias ſibi tendendas egreſſum. Victis repentinâ impreſſione Syris, incendit caſtra, & Gorgiam clade ſuorum conſternatum totâ exturbat Judæa. Lyſias comperto infortunio auget copias, LXM peditum V equitum in Idumæam trahit. Judas ſubnixus æterni fiducia Numinis, tantam multitudinem cum X admodum millibus adortus, in fugam vertit, cæſiſque V millibus hoſtium, ingenti potitur præda. Animadvertens ergo Lyſias cum fortibus viris rem eſſe, quibus univerſis aut vincere decretum, aut mori; Antiochiam ſe recepit, aliis bellum conſiliis geſturus. Interim *Judas* ad divinam uſus gloriam divinitus datis victoriis, *templum* trienA. M. 2809. *Menſe* 9. *Die* 25. *Anno Græcorum* 148. 1 *Macc.* 4.5.6. *Joſeph. l.*12.*c.*11. 12,13.
nio prorſus deſolatum; *repurgare inſtituit*, ſeligit ſacerdotes, inſtaurat ſacra, novum altare Deo ædificat, ſolennibuſque ceremoniis per octiduum *Encænia* agit: circummunit templum præſidiis, ne quis profanus ſacerdotum interturbare munia poſſit.

Ea res adeò accendit finitimarum iras nationum, ut quaſi fœdere compoſito, ad delendum nomen Hebræum pariter inſurgerent. Idumæi erant, Sidonii, Ammonitæ, Arabes, Syri: Sed tanto alacrior *Judas* ſingulos, priuſquam coire poſſent, depopulatur. Idumæos acie fundit, caſtella & urbes expugnat, Inde partitus cum fratre copias, ipſe in Ammonitas & Arabes, Simon in Phœnices vadit. Ubique res Hebræa ſuperior fuit: ubique ſtrages editæ gentium. Qui in Transjordani terra & Galilæa obnoxios ſe incurſionibus putabant, in Judæam cum Simone & Juda profecti, ubi vis unita eſſet validior. Sub hæc clades aliqua accepta, ut nihil eſt ex omni parte beatum, in bello præcipuè Joſephus & Azarias, præfecti Judææ cum mandatis, ne abſentibus Juda & Simone in caſum aleæ darent Remp. ſtimulante fama fratrum, Jamniam oppugnare inſtituunt. Inde eruptione Gorgiæ fugati, amiſſis duobus millibus, documento fuêre, quam infelix ſit laudis cupido, ſine peritia rerum & auctoritate legitima. Interim *Epiphanes* iterum circa templa inſaniens, dum Dianæ Elymaidis in Perſia fanum opulentiſſimum ſpoliare opibus conatur, repulſus à ſubditis, Babylonem recedit cum probro. Ibi cognito, exercitus ſuos toties cæſos à Juda Maccabæo, ingentem animo mœrorem concipit, cui impar, faſſus ob ſcelera in Numen populumque Hebræum ſibi pereundum, invaleſcente morbo *moritur*, anno regni XII relicto impubere filio, cui *Eupatoris* nomen à Lyſia duce inditum.

*Joſeph. l.*12.*c.*3. 1 *Macc.*6. 2 *Macc.*9. A. M. 3810.

Igitur ſoluti Tyranni metu Judæi cum Ti-

2 *Macc.* 10. 1 *Macc.*6.

Timotheum ducum ingenti prælio fudiſſent, præſidium Græcorum in arce Sioniâ obſident: eaque audacia Eupatora Regem & Lyſiam perpellunt, ut adunato exercitu centum millium peditum, XXM. equitum, ad hæc XXXII elephantis, Judæam invadant. Betzura, quod annus eſſet Sabbaticus, quo terram Judæis colere nefas, fame domita deditur, dimiſſis præſidiariis. Jeroſolymitani templi munitiones acriter oppugnantur, nec eas ſegnius defendit Maccabæus. Extracta igitur opinione diutius obſidione, nunciatur in caſtra regis, Philippum, quem Epiphanes moriens tutorem deſignaverat, tenêre Antiochiam, regnumque pro tutela uſurpare. Hanc rem majoris momenti ratus Lyſias, quam expugnationem Jeroſolymæ, in pacem inclinat animum. Et quanquam Eupator, fictis in gentem Judaicam criminibus, ad eam delendam vehementiſſimè incitabatur, tamen autore Lyſia pacem eis concedit, dirutiſque contra datam fidem munitionibus, recipit ſeſe Antiochiam, Maccabæus, à Ptolemaide uſque ad Gerrenos præſes declaratur; *Menelaus* è contra, tanti concitor belli, Berœæ in cineres dejectus juſſu Eupatoris, proditionis & ſacrilegiorum *pœnas dedit*. Huic in ſacerdotio ſucceſſit *Alcimus*, ſceleſtæ homo fidei, & bonis quibuſque inimicus. Hic finis horribilium Antiochi Epiphanis & Eupatoris conatuum in Judæos exſtitit, quos & alii eorum Prophetæ ſacris libris prædixerant, & ante quadringentos annos Daniel, ne quis tantas Dei populo calamitates, citra æterni numinis providentiam accidere exiſtimaret. Impietatis & perjurii Antiochus filiuſque ejus ſupplicium Deo pependêre. Nam non ſolum pater tantæ reus immanitatis, fœdiſſimo morbo interiit, ſed & poſt biennium Eupator & Lyſias, dignum factis exitum habuerunt.

1 *Macc. cap. 6. Diodor. l. 34. Joſeph. lib. 12. c. 14. 15. 2 Macc. 13. 24.*

A. M. 3811.

Joſeph. lib. 12. cap. 11. Dan. 8. & 11. Pſal. 74. 79.

Epit. Livii l. 46. Regnum incipit A. M. 3812.

Cum enim *Demetrius* Seleuci, qui ante Epiphanem regnaverat, filius, obſes Romanis datus regnum ſibi, qui majori eſſet Antiochi Magni filio genitus, debitum, comperiſſet à patruele interceptum, in Syriam clam venit, & Tripolin urbem maritimam arte occupavit. Mox deficientibus ad eum certatim Syris, *Eupator & Lyſias* à ſuis *trucidantur*, exercitus ad Demetrium univerſus ſigna tranſtulit.

Ejus iterum regis aures implet Alcimus, Maccabæum rebellionis accuſat, Jeroſolymam reducitur cum exercitu. Sed obnitente cruentis ejus conatibus Maccabæo, rurſus implorat opem Demetrii, qui adjungit delatori Nicanorem, virum ingenii militaris & inſidi: à quo principio honeſtè habitus Judas, & ſacerdotio præpoſitus, paulo poſt inſidiis petitur. Quibus à Juda callidè vitatis, *Nicanor* minaci juramento exitium templo denunciat, ni Judas ſibi tradatur. Sed interpoſitis aliquot diebus, diræ ſacerdotum in caput Nicanoris vertêre.

1 *Macc. 7. 2 Macc. 14. Joſ. l. 12. cap. 17.*

Commiſſo enim prælio *vincitur à Juda*, totuſque exercitus in fuga *trucidatur*. Novem fuiſſe millia ferunt: alius Maccabæorum liber, ſed minoris fidei, XXXV millia prodit. Tanta potitus victoria *Judas*, ſacerdotio præficitur à populo, & *cum Romanis* tot jam regum & populorum victoria non minus quam fide in ſocios claris, *fœdus amicitiamque jungit*, quorum tamen ſubnixus ope, ad exemplum locandæ in Deum fiduciæ caſtigatus brevi legitur.

A. M. 3812. 13 *Menſis Adar.* 2 *Macc. 15.* 1 *Macc. 8. Joſeph. lib. 12. cap. 17. Anno eodem.*

Erat annus imperii Græcorum CLII. Olympias CLV. cum miſſus in Judæam *Bacchides*, deſertum à ſuis pleriſque *Judam*, fortiſſimè tamen pugnantem ac pene victorem, circumventum acie *occidit*, totamque ferè Judæam in poteſtatem redegit Demetrii: Quæ diſpoſitis hinc inde per oppida præſidiis, tam fœde eſt vaſtata, ut poſt Prophetarum tempora nulla ei major calamitas acciderit. Inflati enim Maccabæi morte deſertores & transfugæ, confluunt ad Bacchidem, ab eoque præfecturas adepti & tribunatus, undecunque inveſtigatos ſectatores Judæ ad necem rapuêre, ſed perbrevis impiorum felicitas eſſe conſuevit.

A. M. 3813. *Joſeph. lib. 12. c. 18. 19. 1 Macc. 9.*

1 *Mac.* 9. 31. *Ioseph. l.*13.*c.*1. Circumstantibus enim periculis, *Jonathas* frater Judæ, à meliori Judæorum parte *dux legitur*, collectosque suos, ne præcipitarent in insidias, Thecoanum in desertum subducit. Bacchides, compertis latebris, bello eos statuit persequendos. Concurrerunt acies ipso sabbato, & congressi comminus duces, ægre alter alterius manum evasêre. De Bacchidis exercitu mille interfecti, Jonathas cum suis ad ulteriorem Jordanis ripam enavit, non ausis fluvio se committere hostibus. Interjectis diebus, Bacchides Jerichuntem, Bethelem, Gazam, aliaque munit oppida, Jonathas ex Amoræis, qui fratrem ejus Johannem occiderant, præ-

1 *Mac.* 9. 54. A. M. 3814. *Mense* 2. das agit. Interim *Alcimus* Pontifex demoliri conatus sacrum interioris atrii parietem, repentina perculsus *paralysi concidit*, occlusaque voce impiâ *exspirat*. Quo facto Bacchides ad Demetrium regem revertitur, qui punitis Heraclide & Timarcho, Babyloniorum præfectis nequissimis, Epiphanim quondam exoletis, *Soter* à Græcis dictus est. Jonathas biennium nactus quietes ad res suas ordinandas, dum insidiis petitur transfugarum, L. sceleratorum principes comprehendit, & merita morte multat. Inimici ejus *Bacchidem* denuo in Judæam accersunt, facilem de Jonatha victoriam pollicentur. Sed Jonathas munita Bethbasa, acriter se defendit, traditaque Simoni custodia castelli, depopulatur adversarios. Exustis deinde, quibus oppugnabatur, operibus, tantum Bacchidi iræ ac desperationis facit, ut infaustæ expeditionis autores, quos adjutum venerat, interficeret. Hinc *pacem ei offert Jonathas*, qua facilè impetrata, fixoque Machmazi domicilio, jus dicere Judæis incipit. Sic nihil quoquam impediente genti quadriennium præfuit.

Appianus in Syriacis.

1 *Mac.* 9. *Ioseph. l.* 13. *c.* 2. *Lib.*1.*c.*2.

A. M. 3816.

Epit. Livii 46. 47. Dum hæc fierent, *Ptolemæus Philometor* à minore fratre regno pulsus, missis ad eum Româ legatis, *in regnum restituitur*, fœdusque tandem inter fratres ictum, ut alter in Ægypto, alter Cyrenis regnaret.

Ariarathe interim Cappadociæ rege mortuo, filius ejus *Ariarathes* accepit regnum, & amicitiam cum populo Romano renovavit. Hunc Demetrius expulit Cappadocia, ejusque loco Olofernem mille talentis induxit, fratrem Ariarathi habitum, quos ambos Antiochis regina, cum sterilem se putaret, ex se natos mentita, Ariarathi regi suppositos erat. Postea præter spem Mithridatem filium enixa, ut Ariarathes ad Romanos educandus mitteretur, Olofernes in Ioniam, effecerat. Mithridates cum brevis ævi esset, Romanis Ariarathem capessere regnum placuit, ejectumque à Demetrio, restituit senatus, eodem tempore quo C. Martius Cos. adversum Dalmatas parum prosperè primum, postea feliciter pugnavit. Cum quibus bello confligendi causa fuit, quod Illyricos populi Romani socios subditosque vastaverant. Eandemque gentem Cornelius Nasica Cos. perdomuit, sicut Q. Opimius Cos. Transalpinos Ligures, Massiliensium oppida Antipolim & Niceam populantes.

*Diodor. Sicul. ecloga. Epit. Livii l.*43.46.

*Epit. Livii lib.*76.

Anno quingentesimo nonagesimo octavo ab urbe condita, Q. Fulvius & T. Annius Coss. peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis, magistratus inire cœperunt. Mutandi comitia causa fuit, quod Hispani rebellabant, ex qua provincia ad suggerendos magistratus ad urbem redire non poterat.

A. V. C. 598. *Epit. Livii lib.*47. *Cassiodor. in Chron.*

Anno imperii Græcorum centesimo sexagesimo, adjuvantibus & Ptolemæo rege Ægypti, & Attalo rege Asiæ, qui Eumeni fratri, undequinquaginta annis regimine functo, successerat, & Ariarathe Cappadociæ, bello à Demetrio lacessitis, Antiochenses perosi duritiam Demetrii, subornant propalam *Alexandrum*, qui Syriæ regnum velut paternum repeteret, genitumque se Antiocho rege ferret. Is admirabili rerum varietate, totius ferme Orientis viribus succinctus, etiam Jonathæ ducis Judæorum, quem summum Pontificem declaraverat, *bellum Demetrio infert, victumque vita pariter ac regno spoliat*: quanquam nec

Strabo lib. 13. *Iustin. lib.* 31. *Ioseph. l.*13.*c.*3. 1 *Mac.* 10.

A. M. 3822.

nec Demetrio animus in propulsando hoste defuit. Nam & primo prælio Alexandrum fugavit, & regibus bellum restituentibus, multa millia in acie cecidit. Ad postremum tamen invicto animo, inter confertissimos dimicans, cecidit, anno regni undecimo. *Alexander regno potitus* regales ambit nuptias, *filiam Ptolemæi Philometoris uxorem ducit*, Jonatham præcipuis honoribus afficit.

1 *Mac.* 10. A. M. 3823. *Joseph. lib.* 13. *cap.* 7.

Iisdem annis quatuor maximis motibus terrarum orbis intremuit, bello Asiatico Demetrii & Alexandri, Macedonico, eique adhærente Achaico, & Carthaginiensi tertio, & Hispanico.

Demetrius Soter initio belli duos filios apud Gnidium hospitem suum, cum magno auri pondere commendaverat, ut & periculis eximerentur, & si ita fors tulisset, paternæ ultioni servarentur. Ex his major Demetrius, annos pubertatis egressus, audita Alexandri luxuria, quem insperatæ opes & alienæ felicitatis ornamenta, velut captum, inter scortorum greges desidem in regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus, securum ac nihil hostile metuentem aggreditur. Eum *Apollonius*, Cavæ Syriæ præfectus recepit; sed cum insolenter in bellum provocaret Jonatham, *victus* octo hominum millia amittit. *Jonathas* Joppen capit, & Ascalonem: Azotum incendit, idolum Dagonem excindit; ob rem præclare gestam regiis Alexandri donis colitur. Florus ex Livio dicit, de stirpe Persei regis Macedonum fuisse Alexandrum, inertia socordiaque Prusiæ Bithyniæ regi similem. Prusias iste, qui quondam pileatus Romæ, per extremam adulationem se libertum Populi Romani jactaverat, omnium humillimorum fautor atque vitiorum, à Nicomede filio, adjuvante Attalo rege Pergami, occisus est. Habebat alium filium, qui pro superiore ordine dentium enatum habuisse unum os continens dicitur. Eum pater regno destinabat, Nicomedem morti. Sed res adolescenti ab his, qui facinus susceperant, proditur: hortatique sunt, ut provocatus crudelitate patris occupet insidias, & in autorem retorqueat scelus. Igitur cum accitus in Bithyniam venisset, statim rex appellatur, Romani Legatos ad pacem inter patrem filiumque constituendam mittunt. Unus ex iis caput multis cicatricibus sparsum habebat, alter pedibus æger, tertius ingenio socors erat. Itaque eam legationem Cato dixit, nec caput, nec pedes, nec cor habere: nec quicquam eâ effectum. Prusias enim regno spoliatus à filio, etiam à servis est desertus. Cumque in latebris ageret, non minore scelere, quam filium occidi jusserat, à filio interficitur.

Justin. lib. 35.

1 *Mac.* 10. A. M. 3828.

Epit. Livii l. 50.

Strabo lib. 13.

Justin. lib. 34.

Diod. Sic. l. 32. *ecloga.*

Epit. Liv. lib. 50. *Appianus in Mithridaticis.*

Non dissimile inter Ptolemæum socerum & Alexandrum generum certamen emersit. Alexandro jacente in ganeo & lustris, Ammonius regnabat: per quem & amici ejus plerique, & Laodice regina, & Antigonus Demetrii filius, occisi. Quare clam infensus Alexandro Ptolemæus, cum ingentibus copiis venit in Syriam, titulo defendendi genero imperii, re ipsa ut suum id faceret. Aperiuntur illi portæ urbium, totaque ora maritima usque ad Seleuciam potitur. Tum demum aperto consilio, filiam *Cleopatram*, *Alexandro ereptam*, *dat Demetrio*, ingressusque Antiochiam, duo sibi diademata imposuit, Ægypti & Syriæ. Quibus compertis *Alexander*, è Cilicia copias educit, acie confligit cum socero: Sed victus in Arabiam profugit, ubi transferentibus ad Demetrium signa militibus, *truncatus capite* à Zabdiele dynasta (Josephus Dioclem nominat) dedit pœnas & Demetrio seniori quem occiderat, & Antiocho Epiphani, cujus mentitus originem fuerat. Annos potentiæ egerat V. Nec *Ptolemæus* viso generi capite diu est lætatus. Etenim in prælio graviter in caput vulneratus, inter curationem, dum medici ossa terebrare contendunt, *exspiravit*, rerum potitus per varios casus, annos xxxv. In ejus locum frater minor, qui Cyrenis regnabat, successit. Hic belli Syriaci fuit exitus.

A. M. 3827. *Justin. lib.* 35.

Anno eodem. Joseph. l. 13. *c.* 8.

Diod. Sicul. Frag. lib. 32. 1 *Mac.* 11. *Anno eodem. Sulpit. Severus.*

Atrocior

A. M. 3823. v.c. 604. Atrocior *Punici*, quod *tertium* vocant, fuit. Id bellum è discordiis Masanissæ & Carthaginiensium occasionem sumsit, vim à M. Catonis & aliorum Romanorum ambitione, quibus nihil modestior fuit Carthagini Giſgo, Amilcaris filius. Castigato senatu Carthaginiensium, quod contra fœdus exercitum, & navales materias haberent: pacem inter Masanissam & eos facere voluerunt Romani, Masanissa agro, de quo lis erat, sponte sua cessit. Sed Giſgo, qui tunc in magistratu erat, homo seditiosus, cum senatus pariturum se judicio legatorum dixisset, ita bellum adversus Romanos suadendos concitavit, ut legatis, quo minus violarentur, fugam explicuerit. Id nuntiantes, infestum jam senatum Carthaginiensibus infestiorem fecerunt, eodem tempore, quo M. Portius Cato funus mortis filii in prætura, tenuissimo ut valuit (nam pauper erat) sumptu fecit, & Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Macedoniæ, ingenti asseveratione mentiretur, Romam à Demetrio missus est. M. etiam Æmylius Lepidus, qui princeps senatus sextis jam Censoribus erat lectus, antequam expiraret, præcepit filiis, lecto se strato, sine linteis, sine purpura efferrent: in reliquum funus ne plus quam æris denos insumerent. Imaginum specie, non sumptibus nobilitari maximorum virorum funera solere.

Epit. Liv. l. 48. Dicente P. Cornelio Nasica, nihil temerè in Pœnos consulendum, placuit mitti decem legatos exploratum. Ardebat enim tunc Hispaniense bellum, à quibusdam prospere, à pluribus male gestum. L. Licinius Lucullus, A. Posthumius Albinus Coss. cum delectum severe agerent, nec quenquam gratia dimitterent, à Trib. plebis in carcerem conjecti sunt. Processit P. Cornelius Æmylianus, & excepturum militiæ genus, quodcunque imperatum esset, professus, suo exemplo ad militandi studium omnes incitavit. Ejus operam L. Lucullus Cos. eximiam comperit. Cum pacasse omnes Celtiberiæ populos videretur, successit Cl. Marcellus, & incognitas nationes in Hispaniâ subegit. Ibi Scipio L. Pauli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum militem occidit, coronamque muralem meruit.

Epit. Liv. l. 48. Orosius lib. 5.

Sub hæc cum Legati ex Africa rediissent, dicerentque & exercitum & classem Carthagine deprehendisse, prorogari sententiam placuit. Catone & aliis principibus senatus suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus: Contranitente Nasica, ne metu ablato æmulæ urbis, luxuriare felicitas patriæ inciperet. Idem adeo infestus fuit ludorum vanitatibus, ut Theatrum à Censoribus strui cœptum, tanquam inutile & nociturum publicis moribus, ex S. C. destruendum curaret. *Paulus Orosius l. 4. c. 21.*

Cum servari ab hoc Scipione Nasica, optimo & moderatissimo viro potuissent Carthaginienses, bello Masanissæ illato contra fœdus, victique ab eo nonagesimum secundum annum habente, malum sibimet ipsis attraxêre. Igitur bellum eis indici placuit. Priusquam ullæ copiæ in naves imponerentur, Uticenses se suaque omnia dedidêre. Exemplum Carthaginienses secuti. Ast rigida Catonis sententia pervicit, ut decreto perstaretur: & ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur. Interim spe pacis injecta, L. Martius, M. Manlius Coss. traditam ab volentibus classem & arma, sub ipso ore urbis Carthaginis incendunt. Tum evocatis principibus, si salvi esse vellent, ut migrarent finibus, imperatum, alioque loco XM. passuum à mari remoto, oppidum struerent. Id pro rei atrocitate adeò movit iras, ut extrema mallent, satius rati, si evertenda esset patria, hostium quam suis manibus everti. Obsideri igitur oppugnarique cœpta est Carthago à Cos. In qua oppugnatione, cum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus irrupissent, & ab oppidanis graviter cæderentur, *Florus lib. 49. Epitom.*

rentur, à Scipione Africano expliciti sunt; per quem & Castellum Romanorum, quod nocte oppugnabatur, paucis equitibus juvantibus liberatum est: castrisque quæ Carthaginienses omnibus copiis pariter ab urbe egressi, invaserant, liberatis, is præcipuam gloriam tulit. Præterea cum ab irrita oppugnatione Carthaginis Cos. (alter L. Martius Censorius Romam ad comitia ierat) exercitum ducere adversus Asdrubalem vellet, qui cum altera manu iniquum saltum insederat: suasit primo Cos. ne tam iniquo loco confligeret. Victus deinde complurium, qui prudentiæ ejus & virtuti invidebant, sententiis, & ipse saltum ingressus est. Cumque, sicut prædixerat, fusus fugatusque esset Romanus exercitus, & duæ cohortes ab hoste obsiderentur, cum exiguis equitum turmis in saltum reversus liberavit eas, & incolumes reduxit. Quam virtutem ejus & Cato, vir promptioris multo ad vituperandum linguæ, in senatu sic prosecutus est, ut diceret, reliquos qui in Africâ militarent, umbris militare, Scipionem vigore. Quo testimonio dicto paulo post obiit nonagenario major. Eadem tempestate, quasi ita conveniisset inter Pœnos & Macedones, ut tertio quoque vincerentur, Macedonia etiam arma movit, incitata Andrisci, quem Demetrius Syriæ rex ad id induxerat, mendacio, quod Persei se regis filium, ex pellice natum, ferret. Cum enim ab urbe Roma clam profugisset, totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupavit, & Philippus appellatus est. Thessalia adversus eum, per Romanorum legatos, auxiliis Achæorum defensa. Et cum imaginarium regem & propè scenicum contemneret populus Romanus, ille regiam formam nomenque, animo quoque regio implevit, validusque etiam Thracum auxiliis, M. Juventium Prætorem cum exercitu occidit. At Q. Cæcilius Metellus amissum cum legione prætorem plenissimè ultus est. Nam & Macedoniam servitute multavit, & Andriscum deditum ab eo, ad quem confugerat, Thraciæ regulo, in urbem in catenis reduxit, hoc quoque illi in malis indulgente fortunâ, ut de eo quasi de vero rege Romæ triumpharetur. Metellus Macedonicus è victoria dictus, Romanorum habetur felicissimus. Mortuum quatuor filii extulerunt, unus consularis & censorius, alter consularis, tertius Consul, quartus candidatus consulatus, quem honorem adeptus est. Idem primus Romæ ædem ex marmore molitus, vel magnificentiæ, vel luxuriæ princeps fuit.

Interim *Masaniſſa* Numidiæ rex, ad nonaginta quatuor annos natus, *decessit*. Inter cætera opera juvenilia, quæ ultimum edidit, adeo robusta senecta viguit, ut post sextum & octogesimum annum filium genuerit, nulloque imbre, nullo frigore adductus, caput texerit. Inter tres ejus liberos Mycipsam, Gulussam & Manastabalem, *P. Scipio Æmylianus* arbiter captus judicio patris, administrationem regni divisit. Idem Phaniæ Himilconis, præfecto equitum Carthaginiensium, cujus operâ illi præcipuâ utebantur, persuasit, cum equitatu suo ad Romanos transire. Asdrubalem Masanissæ nepotem, proditionis suspectum, Pœni in curia interemerunt. Tandem P. Scipio Æmylianus, contra leges annarias Cos. dictus, maximo certamine fatale Carthagini nomen fuit. M. Æmylius nonnullas urbes Carthagini circumpositas expugnaverat. Mancinus Cos. ipsam Carthaginem, matrem Africanarum urbium, XXIII millia passuum in circuitu habentem, labore obsederat maximo, partemque ejus ceperat. Nudato operis portu, primoque & secunti, tandem & tertio muro, Bursa tamen, quod nomen arci fuit, quasi altera civitas resistebat. Et plus negotii cum semidiruta Carthagine, quam integra fuit. In usum classis tecta domusque rescinderunt: in armorum officinis aurum & argentum præ ære ferroque conflatum est, in tormentorum vincula matronæ

Oroſius. lib. 4. c. 22. 23.

Plutar. in Catone.

Florus. l. 2. c. 14. 15.

Epit. Livii l. 50.

Velleius. lib. 1.
Val. M. lib. 7. cap. 1.
Plinius lib. 7. cap. 13. & 44.
Val. M. lib. 8. cap. 11.
Cicer. de ſenectute.
Epit. Livii l. 50.
Diod. Sicul. l. 32. ecloga.

Florus. l. 2. cap. 15.
Epit. Livii l. 51.
Eutrop. lib. 4.

tronæ crines ſuos contulerunt. Obſeſſo à Scipione etiam portu, illi alium ab alia urbis parte foderunt, unde quaſi enata ſubito claſſis erupit, jamque diebus, jam noctibus nova aliqua moles, nova machina, nova pereuntium manus, quaſi ex obruto incendio, ſubita de cineribus flamma, prodibat. Deploratis noviſſimè rebus XL ſe millia virorum, expugnatis à Scipione ad Neſentium caſtris, dediderunt, duce Aſdrubale. *Urbs* tandem *capta*, ſeptingenteſimo anno quam erat condita.

Uxor Aſdrubalis ſe flagrantis in medium urbis incendium duobus cum liberis ex arce præcipitavit, imitata Didonem, quæ Carthaginem condidit. Per continuos decem & ſeptem dies vix potuit incendium extingui, quod domibus ac templis ſponte Carthaginienſes immiſerant: ut quatenus urbs eripi Romanis non poterat, triumphus ſaltem arderet. Scipio exemplo patris ſui Æmylii, qui Macedoniam vicerat, ludos fecit, transfugas & fugitivos beſtiis objecit. Carthaginis ruinam ſtatim excepit *Corinthus*, Achaiæ caput, Græciæ decus, inter duo maria Ionium & Ægeum, quaſi ſpectaculo expoſita. Hæc (facinus indignum) ante oppreſſa eſt, quam in numerum certorum hoſtium referretur. Quærentibus enim cauſas belli Romanis, tempeſtive fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achæi propter mutuum odium populabantur. Spartanis à ſenatu reſponſum eſt, legatos ſe ad inſpiciendas res ſociorum, & injuriam demendam in Græciam miſſuros. Sed legatis occulta mandata data ſunt, ut corpus Achæorum diſſolverent, ſingulaſque urbes proprii juris facerent, quo facilius ad obſequia cogerentur. Pronunciatur Corinthi decretum ſenatus, neque Lacedæmonios, neque Corinthios Achæis contribuere debere: Argos præterea, Heracleam, Orthomenioſque ab Achæorum concilio ſejungendos. Quod ubi omnibus innotuit, velut in furorem verſi, Lacedæmonios omnes ſpoliant, & confugientes in hoſpitium Legatorum, vi extractos pulſant. Violaſſentque ipſos legatos, niſi audito tumultu trepidi aufugiſſent. Igitur Metello ordinanti tum maxime Macedoniam, mandata eſt ultio. Critolaus Achæorum prætor vehementer eos in bellum concitabat, cujus primam manum Metellus Macedonicus per parentes Elidis campos cecidit Alphæo. Prætor paludibus ſubmerſus eſt, imperium ad Diæum, primum motus autorem, delatum. Adverſus hunc profectus L. Mummius Coſ. Metellum, poſt captas Thebas & Megaram, jam Corinthum obſidentem, in Macedoniam amandavit, ipſe coactis XXIII peditum, tribus equitum millibus & quingentis, pugnandi copiam Achæis fecit. Achæi neglectiſſimè proviſis rebus, equites ſexcentos, XIV peditum millia opponunt, & dimicare auſi ante oculos conjugum & liberorum cadunt, lugubre ſuis ſpectaculum, gravemque luctus memoriam relinquentes. Diæus occiſa prius uxore, hauſto veneno occubuit. Mummius Corinthum vi cepit, cremavitque: viri omnes trucidati, fœminæ & pueri ſub corona venditi. Ornamenta & ſigna quæque admiratione digniſſima Romam aſportata. Cæterarum urbium mœnia diruta, arma adempta, concilia abolita. Quantas opes & abſtulerit, & cremaverit, hinc ſcias, quod Corinthium æs, toto orbe laudatum, illi incendio ſuperfuit. Nam & æris notam pretioſiorem ipſa opulentiſſimæ urbis fecit injuria; quia incendio permiſtis plurimis ſtatuis atque ſimulacris, æris, auri argentique venæ in commune fluxere. Hic finis libertatis Græciæ, cui tanquam provinciæ deinceps Prætor Româ miſſus eſt, Achaiæ non Græciæ appellatus, quod Græci eſſent ſubacti, principatum obtinentibus Achæis. Mummius abſtinentem ſanè virum, ſed literarum adeò rudem egit, ut cum præſtantiſſimorum artificum tabulas Romam portandas locarat, juberet prædici conducentibus, ſi eas perdidiſſent, novas eos redditurus. *Deleta Corinthus eodem anno, quo Carthago,*

Florus l. 2. cap 16. Juſtin. l. 34. Pauſa. in Achaicis. Epit. Livii lib. 51. & 52. Vellejus l. 1. Oroſius l. 5. c. 3.

Sextus Aurelius.

Florus l. 2. c. 16.

A. M. 3828. *Vellejus. Paterculus l. 1.*

thago, poſt annos DCCCCLII, quam ab Halete Hippotis filio condita fuerat.

Ioſeph. l.12.c.15. Per illa tempora cum Judæa affligeretur, *in Ægyptum migravit* nobiliſſimus Judæorum *Onias*, ſummi ſacerdotis filius, *templumque* Jeroſolymitano æmulum in Heliopolitana regione permiſſu Ptolemæi Philometoris *ſtruxit*; qui idem rex templum Garizitanum à Samaritis contra legis Moſaicæ ſententiam ædificatum pronunciavit, illudque defendentes capitis addixit ſupplicio.

Ioſeph. l.13.c.9. & de bello. l. 7. cap.30.

E Græcia *Polybius & Panætius*, præcellentis ingenii viri, domi militiæque *Scipionem Africanum comitati ſunt.* Scipio enim ſemper in arma pariter aut ſtudia intentus, aut corpus periculis, aut animum diſciplinis exercebat. Familiaris quoque eidem traditur fuiſſe *P. Terentius* Afer, Comicorum præſtantiſſimus. Eo paulo vetuſtiores Statius *Cæcilius* & *Pacuvius* Tragicus iſto temporum tractu deceſſêre. Per iſtos & *Afranium*, ut ait Vellejus, dulces latini leporis facetiæ ſuppari ætate nituerunt. *Ariſtobulus* Judæus, Philoſophus peripateticus, explanationum in Moſen commentarios molitus, *Ariſtarchus Samothrax* Grammaticus, qui & Ptolemæum Euergeten erudiit, & XL diſcipulos claros reliquit, Crateti Pergameno multum certaminis excitavit. Cœperunt etiam Philoſophi & Rhetores ludos Romæ habere, de quibus C. Fannio, M. Valerio Coſſ. ſenatusconſultum editum, ut M. Pomponius Prætor animadverteret, uti Romæ ne eſſent.

Vellejus lib. 1.

Euſebius in Chronicis. Suidas in Ariſtarcho.

Sueton. de claris Rhetoribus. c. 1.

Plutarch. in M. Catone. Cic. lib. 2. de Oratore. Plinius l.7.c.30. Plutarch. in Æmylio Paulo. Athen. lib. 12. Dipnoſophiſt.

Venerunt Athenis *Carneades, Critolaus & Diogenes*, & ab Africano, Lælio, Furio, aliiſque juvenibus ſtudioſè audiebantur. Quamobrem veritus Cato, *ne verbis potius quam rebus inſueſceret juventus*, Philoſophos Rhetoreſque in Græciam redigendos, importunâ providentia diſſeruit, dimittendoſque legatos, quorum uno Carneade argumentante, quod veri eſſet, haud facilè diſcerni poſſet. Idem *Cato* ferreæ homo valetudinis, populi Romani hiſtorias contexuit; *Poſidonius*, qui & in Ægyptum comes ivit Scipioni, Perſei regis hiſtoriam & mors Ptolemæi deſcripſit.

PTOLEMÆUS VII. PHYSCON, qui & EUERGETES. *Olymp. 159.*

DEMETRIUS NICANOR, ANTIOCHUS SEDETES, ALEXANDER ZEBINA. *Reparati ſtatus Iudaici 313.*

ANTIOCHUS GRYPHUS, ANTIOCHUS CYZICENUS, *Reges Syriæ.* ATTALUS & ARISTONICUS *Reges Aſiæ.* *Imperii Græcorum 166.*

QUINTUS CÆCILIUS METELLUS, SCIPIO ÆMYLIANUS, TIB. ET. CAJUS GRACCHI, *Principes Romanorum.*

Vellejus lib. 2.

POtentiæ Romanorum prior Scipio viam aperuerat, luxuriæ poſterior aperuit. Quippe remoto Carthaginis metu, ſublataque imperii æmula, non gradu ſed præcipiti curſu à virtute deſcitum, ad vitia tranſcurſum; vetus diſciplina deſerta, nova inducta: in ſomnum à vigiliis, ab armis ad voluptates, à negotiis in otium converſa civitas. Tum Scipio Naſica in Capitolio porticus, tum quas prædiximus, marmoreas Metellus, tum in Circo Cn. Octavius multò amœniſſimam moliti ſunt: publicamque magnificentiam ſecuta privata eſt luxuria. Triſte deinde & contumelioſum *bellum in Hiſpania*, duce latronum Viriato, ita varia fortuna geſtum, ut ſæpius Romanorum gereretur adverſa.

In Ægypto, Syria, Aſiaque deteriores etiam regum principumque mores exſtitêre, quos ut aſſolet, reliquum vulgus ſectabatur. Cædes crebræ etiam cognatorum, fratrum, filiorum, imò parentum auditæ, nihil ſacri profanique habitum ab illis, quos legum & pietatis cuſtodes, vindiceſque eſſe vel maximè oportebat. Ægyptum, poſt mortem in Syriâ Philometoris, frater ejus Cyrenarum rex accepit, uſitatum regibus Ægyptiis nomen *Ptolemæi* gerens, quod *Euergetis* cognomento auxit, ab Alexandrinis juſtius κακεργέτης appellatus, prout Athe-

A. M. 3823.

Strabo lib. 17. næus l. 12. Dipnoſophiſtarum memorat. Communius nomen *Phyſcon* fuit, quia tanta ventris craſſitudine laboravit, ut nec ſine baculo incedere nec quiſquam eum amplecti ulnis poſſet. φύσκη enim Græcis majus inteſtinum eſt. Quotidiana Rex luxuria ita marcuit, ut non ſolum regiæ majeſtatis munia intermitteret, verum etiam ſenſu hominis nimiâ ſaginâ careret. Hic tamen initio Ariſtarchi diſcipulus cum eſſet, inter doctos numeratus, *libros commentariorum ſcripſit*, ab Athenæo non ſemel laudatos. Excæcatus autem fortunæ blanditiis, crudeliter & indignè habuit ſubditos, incenſa ob id à populo regia clam profugit in Cyprum, majeſtas regni ad Cleopatram ejus ſororem & conjugem tranſlata eſt. Eam repudiaverat Phyſcon, inceſtumque cumulans inceſto, filiam ipſius vi compreſſam, matrimonio ſibi junxerat. Furens igitur ob tributam ſorori Ægypti poteſtatem, filium quem ex illa habebat, occidit, caputque ejus ac manus & pedes mittit matri. Adeò omnem humanum affectum luxurioſo è pectore deleverat. Tantumque nefas patraſſe adeò non piguit, ut bello etiam perſequendam ſororem judicaret. Quare & Cleopatra & Phyſcon Syriam ſuis adjungere partibus ſtuduêre.

Ioſeph. lib. 2. contra Appionem. Athen. l. 2. & 12. 14. Dipnoſophiſt. Epit. Liv. lib. 9. Iuſtin. lib. 38.

Nec Syria interim multo melioribus obnoxia regibus fuerat. Demetrii filius *Demetrius*, recuperato paterno regno, *Nicanor* appellatus, Jonatham ſacerdotem & ducem Judæorum, ab obſidione arcis Sioniæ avocavit, doniſque cultus, Samariam, Joppen & Galilæam ſub tributo ei permiſit. Mox rerum ſucceſſu corruptus, vitiis adoleſcentiæ in ſegnitiem labitur, exautoratiſque veteranis indigenis, ac retentis mercenariis militibus, Diodotum militiæ magiſtrum offendit. Acceſſit *inertiæ comes crudelitas*, quam per tormenta in eos, quos metuebat, exercuit. Itaque cum ab imperio ejus paſſim civitates deficerent, Diodotus ex Arabia Alexandri filium producit, quem ex Cleopatra ille regina genuerat, eique regnum, victo per aciem Demetrio, & in Ciliciam fugato, aſſerit. Intellecta Jonathæ & Simonis fratrum fortitudine, quorum præcipua opera Demetrius defenſus Antiochiæ fuerat, occiſis per Judæos centum millibus hoſtium, muneribus eos honoribuſque ampliſſimis ſibi devinxit, eorumque auxiliis duces Demetrii Gaza, Bethzura, totaque Galilæa expulit. *Jonathas* utendum tempore ratus, Judæam munit, *fœdus cum Romanis & Lacedæmoniis renovat.* Ejus potentiam veritus Diodotus, qui & *Thrypon*, inſidias viro ſtruit, ne ſupereſſet, qui Antiochum puerum, ſub cujus nomine regnabat, defendendum, aut ſi interfectus eſſet, vindicandum ſuſciperet. Perſuaſum ergo Jonatham dimittere copias, & Ptolemaidem venire, in cuſtodiam tradit, cuſtodiæ cauſam prætexit, non ſolutum ſtipendium. Sed cum illud Simon frater Jonathæ perſolviſſet, obſideſque fidei miſiſſet Jonathæ filios, homo fœdifragus & *Jonatham, & Antiochum occidit*, ſeque ipſum regem Syriæ conſtituit. Corruptis enim medicis, ut calculi eum dolore conſumi ad populum mentirentur, dum ſecandum curat, necat. Inde cum prædonem potius quam regem ageret, *Simon* à ſenatu Judæorum *ſucceſſor datus Jonathæ*, muneribus delenitum Demetrium ſibi adjungit, libertatemque Judæis impetrat, anno imperii Græcorum centeſimo ſeptuageſimo. Sequenti anno præſidiarios *arcis Sioniæ* fame ad deditionem compellit, Gazam expugnat, Hyrcanum filium imperatorem exercitus conſtituit, tantaſque Judæis colligit vires, ut poſt Demetrium nullum deinceps Macedonum regem tulerint. Collem Sionium aſſiduo populi labore in tantum humiliavit, ut ſolum templum omnibus in urbe locis longè præemineret. Solenni Judæorum decreto Pontifex & Ethnarcha deſignatus, donec fidelis iſte Propheta, omnibus exſpectatus adveniret, ſumma cum laude rexit populum. Demetrius, *conceſſa Tryphoni ad*

Appianus Syriacis. 1 Mac. 11. Iuſtin. lib. 36. Epit. Liv. lib. 52. Ioſeph. lib. 13. cap. 8. 6.

1 Mac. 12.

A. M. 3830.

Anno eodem. Epit. Liv. lib. 55. 1 Mac. 13. Juſtin. lib. 63. Ioſeph. lib 13. c. 8. 10. 11.

A. M. 3831.

A. M. 3832. *Menſis ſecundi die. 25.*

1 Mac. 14. 41. Iuſtin. lib. 36. & 41.

A. M. 3833.

ad tempus Syria, ad abolendam segnitiæ maculam, bellum Parthis inferre statuit, imploratus à Græcis, Babyloniæ & Mesopotamiæ inquilinis, novi populi superbiam indigne erentibus. Mithridates enim Parthus Bactrianis, Medis, Elimæisque subactis, imperium à monte Caucaso usque ad fl. Euphratem protulerat. Itaque cum & Persarum & Elimæorum, Bactrianorumque auxiliis juvaretur, Demetrius multis prœliis Parthos fudit. Ad postremum tamen pacis simulatione deceptus, capitur: traductusque per ora civitatum, populis qui desciverant, in ludibrium favoris ostenditur. Missus deinde in Hyrcaniam, benignè & juxta cultum pristinæ fortunæ habetur.

Joseph. l.13 c.9. 1 Macc. 14.15.

Interim Tryphon, jam verè Tryphon, id est, luxurians, deposita modestia, quam inescandis hominibus induerat, gravis omnibus, alienat à se milites; illi certatim ad Cleopatram, Demetrii conjugem, Seleuciæ agentem cum filiis, transfugiunt. Cleopatra impotentis lasciviæ mulier, *Antiochum* mariti captivi fratrem, spe implet regni conjugiique sui, datoque exercitu, ad persequendum Tryphona impellit. Ab eo victus, & superiori pulsus Syria *Tryphon*, Castello Dora includitur, cum inde Apameam profugisset, *occiditur*, triennium Syriæ dominatus; regnum Syriæ ad sobolem Demetrii revertitur. *Antiochus*, immemor societatis initæ cum Simone Judæorum Ethnarcha, & auxiliorum, quibus adjutus erat in profligando æmulo, Judæam per Cendebeum ducem subigere conatus est, sed frustra. Simon enim missis cum Juda & Johanne filiis xx armatorum millibus, acie eum devicit, & Cedronem Castellum refugere compulit. Cumque armis invictus esset *Simon*, dolo tamen generi sui Ptolemæi, quem Hierichunti præfecerat, *inter epulas circumventus periit*, anno Græcorum Imperii CLXXVII. Additi funeri uxor & duo filii, Matthias & Judas. Johannes patri successit; & parricidam Judæa expulit.

Joseph. lib.13. Antiq. c.12.13.

A. M. 3836.

1 Macc. 15 16. Joseph. l.13.c.14. 15.

A. M. 3838.

Mense 11.

Defuncto autem Simone, *Antiochus*, à patria *Sedetes*, à conservata Syria *Soter* dictus, denuo *Judæam* redigere in potestatem voluit. *Obsedit septem castris Jerosolymam*, Olympiade 162, anno imperii Græcorum 178, & vacantibus per septimi anni religionem agris, ad intolerandam famem Jerosolymitas adegit. Tandem inducias pactus Ethnarcha Johannes, ob ferias Scenopegiæ, cum facilem, & pium in Numen supremum animadverteret Antiochum, tributum ei obtulit, prolatisque è monumento Davidis tribus talentorum millibus, quingentis pacem emercatus populo, reliquis externum conduxit militem, & comes regi in expeditionem Parthicam profectus, à victis Hyrcanis *Hyrcani* nomen obtinuit. Demetrius Nicanor in Hyrcania, recepto & regio cultu, & Arsacis regis Parthorum filia uxore, privatam, etsi opulentam vitam pertæsus, defuncto socero, in Syriam aufugere erat conatus: Sed fugientem Phrahates, qui Arsaci successerat, equitum celeritate, per compendiosos tramites occupatum retraxit, remissumque ad conjugem, arctioribus custodiis habuit. Denuo fugientem reprehensumque, talis aureis ad exprobrationem puerilis levitatis donavit, non tam clementia ductus, quam desiderio potiundi Syria, in qua sibi aliquando usui futurum confidebat. Igitur Antiochus occupandum bellum ratus, exercitum quem multis expeditionibus induraverat, adversus Parthos ducit, LXXX millibus armatorum tantum adjungens lixarum, pistorum, coquorumque, ut non minorem luxuriæ, quam militiæ apparatum diceres. Advenienti multi orientales occurrêre reges, tradentes se regnaque sua cum execratione superbiæ Parthicæ. Nec mora congressionis fuit. Antiochus tribus prœliis victor, cum Babyloniam occupasset, magnus haberi cœpit. Itaque omnibus ad eum populis deficientibus, nihil Parthis reliqui, præter patrios fines, fecit. Tunc Phrahates Demetrium in Syriam, ad oppugnandum regnum,

Joseph. l.13.c.16. A. M. 3840.

Justin. lib.36. & 38. Nicol. Damascenus apud Joseph. l.13.c.16.

Justin. lib.38.

cum Parthico præsidio remittit, ut eo pacto Antiochus ad sua tuenda à Parthia revocaretur: Interim, quoniam viribus non poterat, insidiis Antiochum ubique tentabat. Ille ob multitudinem sparserat per civitates exercitum, hybernandi causa, quæ res exitio fuit. Nam cum gravari se copiarum præbitione, & injuriis militum civitates viderent, ad Parthos deficiunt, & die statutâ omnes, apud se divisum exercitum, per insidias, ne invicem ferre auxilia possent, aggrediuntur. Quæ cum nuntiata Antiocho essent, auxilium proximis laturus, cum ea manu, quæ secum hyemabat, progreditur. Sed in itinere obvium regem Parthorum habuit, adversus quem fortius, quam exercitus ejus, dimicavit. Ad postremum tamen, cum virtute hostes vincerent, metu suorum desertus, occiditur. Cui Phrahates exequias regio more fecit, filiamque Demetrii, quam secum Antiochus adduxerat, captus amore virginis, uxorem duxit. Pœnitere deinde dimissi Demetrii cœpit; ad quem retrahendum cum turmas equitum festinato misisset, Demetrium hoc ipsum metuentem, jam in regno missi invenerunt, frustraque omnia conati, ad regem suum reversi sunt. Phrahates captos Antiochi milites cum in Scythas duceret postea, immemor *hostiles* eorum *animos captivitate nihil minutos*, inclinata suorum acie, à Græcis interfectus est.

Justin. lib. 38. & 42.

Ita *restitutum Syriæ Demetrium*, Cleopatra socrus, Ægypti regina, per legatos sollicitat, pretiumque auxilii adversus fratrem & desertorem maritum, Ægypti regnum pollicetur. Nec abnuit Demetrius, bellumque Ptolemæo infert. Sed dum aliena affectat, ut fieri assolet, propria per defectionem Syriæ amisit. Siquidem Antiochenses primi, duce Tryphone, execrantes superbiam regis, quæ conversatione Parthicæ crudelitatis intolerabilis facta erat; mox Apameni, cæteræque civitates, exemplum secutæ, per absentiam regis à Demetrio descivêre. Ptolemæus quoque cognito, Cleopatram sororem suam, opibus Ægypti navibus impositis, ad filiam & Demetrium generum in Syriam profugisse, immittit Zebinam juvenem quendam Ægyptium, Protarchi negotiatoris filium, qui regnum Syriæ armis peteret. Et compositâ fabulâ, quasi per adoptionem regis Antiochi receptus in familiam regiam esset, nec Syriis quemlibet regem aspernantibus, ne Demetrii paterentur superbiam, nomen juveni Alexandri imponitur, auxiliaque ab Ægypto ingentia mittuntur. Inter ea corpus Antiochi interfecti à Rege Parthorum, argenteo in loculo, ad sepulturam in Syriam remissum pervenit; quod cum ingenti studio civitatum & regis Alexandri, ad firmandam fabulæ fidem excipitur, quæ res illi magnum conciliavit favorem popularium, omnibus non fictas in eo, sed veras lacrymas existimantibus. Demetrius autem victus ab Alexandro, cum undique circumstantibus malis premeretur, ad postremum etiam ab uxore filiisque deseritur. Relictus igitur cum paucis servulis, cum Tyrum religione templi se defensurus petisset; navi egrediens, præfecti jussu interficitur. Alter ex filiis Seleucus, quoniam sine matris autoritate diadema sumpsisset, ab eadem necatur: alter, cui propter nasi magnitudinem Grypho cognomen fuit, rex à matre hactenus constituitur, ut nomen regis penes filium, jus autem omne imperii penes matrem esset. Sed Alexander, occupato Syriæ regno, tumens successu rerum, spernere jam etiam ipsum Ptolemæum, à quo fuerat subornatus in regnum, intoleranda insolentia cœpit.

Joseph. lib. 13. Antiq. cap. 17.

Justin. lib. 39.

Itaque Ptolemæus, reconciliata sororis gratiâ, destruere Alexandri regnum, quod odio Demetrii, suis acquisierat viribus, summis opibus instituit. Mittit igitur ingentia Grypho auxilia, addit filiam Tryphænam Grypho nupturam, ut populos in auxilium nepotis, non societate tantum belli, verum & affinitate suâ sollicitaret. Nec res frustra fuit.

Nam

Nam cum omnes Gryphum inſtructum viribus viderent, paulatim ab Alexandro deficere cœpêre.

Fit deinde inter reges prælium, quo victus Alexander, profugit Antiochiam. Ibi inops pecuniæ, cum ſtipendia militibus deeſſent, templo Jovis ſolidum ex auro victoriæ ſignum tolli jubet, facetis jocis ſacrilegium circumſcribens: nam *victoriam commodatam ſibi ab Iove* eſſe dicebat. Interjectis deinde diebus, poſtquam ipſius Jovis aureum ſimulacrum infiniti ponderis tacitè evelli juſſiſſet, concurſu multitudinis in fugam vertitur, magnaque vi tempeſtatis oppreſſus, ac deſertus à ſuis, à latronibus capitur, productuſque ad Gryphum, tollitur è medio.

Joſeph. l. 13. c. 17. & lib. 1. belli c. 2. Per hæc tempora *Johannes Hyrcanus* Judæorum pontifex & Ethnarcha, renovato cum Romanis fœdere, antiquatiſque Antiochi Sedetis actis, pleniſſimam populo reſtituit libertatem. Idumæam ſubigit, & ad accipiendam circumciſionem, ni patriâ malint excedere, omnes Idumæos compellit. Samaritanorum templum, contra Judæorum legem, regnante Alexandro exſtructum, captis vi Sicimis & monte Garizi, diruit, cum annos ſtetiſſet ducentos. Hæc agentem nemo Syriæ regum bello interpellare auſus eſt. *Alexander*, *Zebina* dictus, rata ea habuit: Gryphus mox à fratre exagitatus, facile ab Hyrcano ſpretus eſt. Cum enim mater Gryphi Cleopatra, cupiditate dominationis prodito marito Demetrio, & altero filio interfecto, hujus quoque victoria inferiorem dignitatem ſuam factam doleret, venienti ab exercitatione poculum veneni obtulit. Sed *Gryphus*, prædictis ſibi jam ante inſidiis, veluti pietate cum matre certaret, bibere ipſam jubet; abnuenti inſtat. Poſtremum prolato indice eam arguit, ſolam defenſionem ſceleris ſupereſſe affirmans, ſi bibat, quod filio obtulerit. Sic victa regina, ſcelere in ſe verſo, veneno, quod alii paraverat, extinguitur. Parta igitur ſolii ſecuritate, *Gryphus* octo annis quietem, & ipſe habuit, & *regno* præſtitit. Natus deinde illi æmulus regni, frater ipſius Cyzicenus, eadem matre genitus, ſed ex Antiocho patruo ſuſceptus: quem cum veneno tollere voluiſſet, ut maturius armis cum eo de regno contenderet, excitavit. Inter has regni Syriæ parricidiales diſcordias, moritur rex Ægypti Ptolemæus, regno Ægypti uxori, & alteri ex filiis, quem illa legiſſet, relicto. Regnaverat annos 29.

Iuſtin. lib. 39. Appianus Syriacis.

A. M. 3848.

Dum hæc in Ægypto Syriaque geruntur, Romanos Hiſpanorum maxime arma, deinde ſervorum in Sicilia, & in Aſia Ariſtonici, domi etiam Gracchorum ſeditiones exercuêre.

Viriatus, de quo dictum, homo Luſitanus, primum infeſtando vias, deinde vaſtando provincias, poſtremo exercitus Romanorum vincendo, maximo eis terrori fuit. Siquidem Iberum & Tagum maxima & diverſiſſimorum locorum flumina, latè tranſgredienti & pervaganti, C. Vetilius Prætor occurrit, qui continuo cæſo ad internecionem penè omni exercitu ſuo, vix ipſe cum paucis elapſus fuga evaſit. Eadem Plautii Claudiique fortuna fuit. Viriatus trabeas, faſces, cæteraque inſignia Romana in montibus ſuis trophæa præfixit. Eodem tempore trecenti Luſitani cum mille Romanis, in quodam ſaltu contraxêre pugnam, in qua LXX Luſitanos, Romanos autem CCCXX cecidiſſe, è Claudio refert Oroſius. Appius Claudius Coſ. Salaſſos, victus una acie, altera vicit. Cum juxta legem, qua conſtitutum erat, ut quiſquis quinque millia hoſtium peremiſſet, triumphandi haberet poteſtatem, propter cladem antegreſſam nihil impetraſſet infami ambitione uſus, privatis ſumptibus triumphavit. L. Cæcilio Metello, Q. Fabio Max. Serviliano Coſſ. inter cætera prodigia Androgynus Romæ viſus, & juſſu haruſpicum in mare merſus eſt. Alius ſub initium Marſici belli, ſequentibus temporibus, vivus crematus.

Oroſius l. 5. cap. 4. Diod. Sic. l. 32. ecloga 5.

Epi. Liv. lib. 53.

Diodor. Sicul. lib. 32.

Oroſius lib. 5. c. 4.

Sed

Sed nihil impiæ expiationis procuratio profecit. Nam tanta subito pestilentia vastavit Romanos, ut ministri quoque faciendorum funerum primum non sufficerent, deinde non essent. Itaque magnæ domus vacuæ vivis, plenæ mortuis remanserunt. Largissimæ introrsus hæreditates, sed nulli hæredes. Tantummodo *secundum mensuram arcani judicii expleta correptione*, lues sedata est.

Epit. Livii lib. 53. Florus l. 2. cap. 17. Q. deinde Fabius cons. contra Lusitanos & Viriatum dimicans, Vaccejam oppidum, quod Viriatus obsidebat, depulsis hostibus liberavit, & in deditionem cum plurimis aliis castellis recepit. Fecit facinus etiam Scythis execrabile. Quingentis principibus eorum, quos societate invitatos, deditionis jure susceperat, manus præcidit. Pompejus sequentis anni consul, fines Numantinorum ingressus, acceptaque maxima clade discessit, non solum exercitu penè omni profligato, verum etiam plurimis nobilium, qui ejus militiæ aderant, interemptis. Ad turpissima deductum fœdera, gratia impunitum habuit. Viriatus, cum per XIV annos Romanos duces atque exercitus protrivisset, fraude magis quam virtute Servilii Cæpionis, comparatis suorum insidiis interemptus est: in hoc solo Romanis circa eum fortiter agentibus, quod percussores ejus indignos præmio judicarunt, exercitui, qui sub eo militaverat, agros oppidumque per Junium Brutum Cos. dederunt, cui Valentiæ nomen inditum.

Oros. l. 5. c. 4. Epit. Livii lib. 54. Vellejus lib. 2. Eutrop. lib. 4.

Epit. Livii lib. 50.

Eodem tempore rigidæ exemplum abruptæque severitatis à T. Manlio Torquato editum. Cum enim Macedonum legati conquestum venissent de Junio Syllano prætore, quod acceptis pecuniis spoliasset provinciam, & senatus de querelis eorum vellet cognoscere, Manlius Syllani pater petiit, impetravitque, ut sibi hujusmodi mandaretur cognitio. Et domi causa cognita, filium condemnavit abjudicavitque ac ne funeri quidem ejus, cum suspendio vitam finisset, interfuit, sedensque domi, potestatem consultantibus ex instituto fecit. Secutum aliud haud dissimile. C. Matienus accusatus, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque à Trib. plebis, sub furca diu cæsus est, & sestertio nummo veniit. M. Æmylio Lepido & C. Hostilio Mancino Coss. prodigia apparuêre diversa: & quantum in ipsis fuit, ex more curata sunt. *Sed non semper accusatoribus eventuum, & instructoribus fallaciarum aruspicibus oportuni casus suffragabantur.* Nam Mancinus consul, postquam à Popilio apud Numantiam susceptit exercitum, adeò prælia infeliciter cuncta gessit, ut victus castrisque exutus, cum spes nulla servandi exercitus superesset, pacem cum eis fecerit ignominiosam, quam ratam esse senatus vetuit. Triginta millia Romanorum, à Numantinorum millibus quatuor victa erant. Mancinus nudato corpore, manibus post tergum revinctis, ante portas Numantinorum est expositus: ibique usque in noctem manens, à suis desertus, ab hostibus autem non susceptus, lachrimabile utrisque spectaculum præbuit. Ubi quærere ex Romanis licuisset, quid, si displiceret fœdus, militem eo pignore redemptum reciperent, aut cur repetitum non redderent. Sin placeret servati militis qualiscunque provisio, cur Mancinum solum dederent. *Neque enim publicâ violatio fidei unius hominis sanguine luitur,* scilicet Varroni, qui rempubl. olim Roman. desperatam effecerat, gratiæ in senatu actæ, quod de Republ. non desperasset: Mancinus, qui forte bellica circumventum exercitum, ne perderet, laboravit, ab eodem senatu deditione damnatus est. Dixeris, & illud in Varrone displicuisse, sed tempori concessum: & in Mancino hoc placuisse, sed secundum tempus præsumptum.

Oros. l. 5. c. 4.

Epit. Livii lib. 55.

Oros. l. 5. c. 5. Vellejus Paterculus l. 2.

Interea Junius Brutus in interiore Hispaniâ LXM Gallæciorum, qui Lusitanis auxilio venerant, asperrimo bello & difficili, quamvis incautos, oppressit: quorum in eo prælio L millia occisa, VI millia capta referuntur, paucis fuga evadentibus.

Epit. Livii lib. 56.

tibus. In citeriore Hiſpania Lepidus Proconſul Vaccæos, innoxiam gentem & ſupplicium etiam ſenatu prohibente, pertinaciter expugnare tentavit. Injuſto bello VI. Romanorum M. juſtiſſimè cæſa, reliqui exutis caſtris, armis etiam perditis effugerunt. Nec minus turpis hæc ſub Æmylio clades, quam ſub Mancino fuit.

Bellum Numantinum. A. M. 3832. V.C.613. Oroſius l.5.c.6. Julius Obſequens de prodigiis. c.85,90.

Servio Fulvio Flacco & Q. Calpurnio Piſone Coſſ. Romæ puer ex ancilla natus eſt, natura virili omnibuſque membris duplex, monſtrum ſeditionis prænuncium. In Sicilia mons Ætna vaſtos ignes eructavit, & latè fudit, vernaculum genus portenti Siciliæ. In Bononienſi agro fruges in arboribus natæ.

Igitur in Sicilia bellum ſervile ortum eſt, autore Euno Syro, homine callido & fatuo, ex abdita in ore nuce, quam igne & ſulphure ſtipaverat, flammam ſubinde ſpirante. Conſultus hic à ſervis duriſſimè domi habitis, proque vate locutus, proſperum rei, quam molirentur, eventum prædixit. Igitur rex creatus, contracta agreſtium ſervorum manu, & ſolutis ergaſtulis, juſti exercitus numerum implevit. Cleon quoque Cilix alter ſervus, ad LXXM fugitivorum contraxit. Sola Meſſana ſervos liberaliter habitos in pace continere potuit. Profligatis Romanorum prætoribus, C. Fulvio Coſ. mandatum eſt bellum, inde Piſoni, denique Rupilio, qui vario ante eventu geſtum confecit tandem, expugnatis fame Tauromenio Eunâ urbibus. Cleon eruptione pugnans, cecidit in acie. Eunus è ſpeluncis protractus, in carcere reſoluto in vermium exuberantiam corpore periit, C. Fulvio collega datus eſt *P. Scipio*, cum nec peteret conſulatum, nec eum per leges accipere intra decimum à priori annum poſſet. Sed Carthaginis incendio ad excidia urbium imbutus, Numantiam, ſummum Hiſpaniæ decus, ob receptos conſanguineos & ſocios, Romanorum manibus elapſos, debellare debuit. Vix ullius cauſa belli injuſtior. Itaque Numantini aſſiduis cædibus Pompejum, Popilium, Mancinum duces, ita vexârunt, ut ne oculos quidem aut vocem Numantini viri quiſquam ſuſtineret. Contenti tamen fœdere & armorum manubiis, quum ad internecionem ſævire potuiſſent, fuere. Sed Roma non minus Numantini, quam Caudini illius fœderis flagrans ignominia, in ultionem excandeſcebat. Scipio Numantiam in tumulo ſitam obſedit. Exercitum licentia luxuriaque corruptum, ſeveritate & munificentia ad generoſiſſimam militiæ diſciplinam revocavit. Ignavum exercendo magis, quam puniendo ſine acerbitate correxit, omni die in opere habuit; triginta dierum frumentum, ad ſeptenos vallos portare cogebat. Ægrè propter onus incedenti dicebat: cum gladio rectè vallare ſcieris, vallum ferre deſinito. Duo millia ſcortorum à caſtris rejecit, omnia deliciarum inſtrumenta recidit. Ampliſſima munera ab Antiocho Sedete, Syriæ rege miſſa, cum cælare aliis imperatoribus regum munera mos eſſet, pro tribunali, in tabulas referre publicas juſſit: ex iis viris fortibus munera ſe daturum. Itaque *tanti eſſe exercitum, quanti imperatorem, probatum eſt*, factumque, quod nemo ſe viſurum ſperaverat, ut fugientes Numantinos quiſquam videret. Dedere etiam ſeſe volebant, ſi toleranda viris imperarentur. Cum nihil æqui impetrarent, ne juſtam quidem aciem, eruptio placuit. Sic conſerta manu plurimi occiſi, & quum urgeret fames, aliquantiſper inde vixêre. Noviſſime conſilium fugæ ſedit: ſed hoc quoque ruptis equorum cingulis, ademerunt uxores, ſummo ſcelere per amorem deſignato. Itaque etiam exitu deplorato, in ultimam rabiem furoremque converſi, clauſam urbem ipſi introrſum ſuccenderunt, cunctique pariter ferro, veneno, atque igne conſumpti ſunt. Romani nihil ex his penitus habuere victis, præter ſecuritatem ſuam. Unum Numantinum victoris catena non te-

Epit. Livii lib.57.

Diod. Sicul.l.34. ecloga.2. Epit. Livii lib.55. Oroſius l.5.c.9. Florus l.3.c.19.

Florus l.2.c.18.

Florus l.2. cap.13. Oroſius l.5.c.6. Epit. Livii lib.59. Vellejus lib.2.

Florus l.2.c.20. tenuit. Præda ut de pauperibus nulla: arma & vestes ipsi cremaverant. Triumphus fuit tantum de nomine.

Victa ad occasum Hispania, populus Romanus ad orientem pacem agebat, nec pacem modo, sed inusitata felicitate relictæ regiis hæreditatibus opes, & tota insimul regna veniebant. *Attalus Philometor* rex Pergamenorum, Eumenis Romanorum quorundam commilitonis filius, florentissimum, & ab Attalo patruo multis auctum victoriis regnum, cædibus amicorum & cognatorum suppliciis fœdaverat. Post hanc scelestam violentiæ rabiem, vix signum aliquod sani hominis retinens, hortos foderat, gramina seminârat, & noxia innoxiis permiscendo, venenata amicis munera miserat. Matri deinde sepulchrum facere aggressus, quinto regni anno moritur, testamento populum Romanum hæredem instituit.

Justin. l.36. Strabo lib.13. Geograph.

Epit. Livii lib.58. Vellejus lib.2. Orosius l.2.c.8.9. Florus l.3. c.13.14. Sextus Aurel.

Tiberius Gracchus Tribunus plebis iratus nobilitati, quod inter autores Numantini fœderis notatus esset, agros à privatis eatenus possessos, populo dividendos statuit, addendam, quibuscunque agri non sufficerent, regis Attali pecuniam. His causis senatum ira, populum superbia invasit. C. Antonius Cos. in senatu & pro rostris in Gracchum concionatus est. *Gracchus* continuare cupiens magistratum, autore P. Scipione Nasicâ, Æmiliani patruo, consobrino suo, fragmine subsellii ictus, *vitam* quam glorioſissime degere potuerat, immatura *finivit morte*. Ducenti præterea in eâ seditione interfecti, eorumque corpora in Tiberim projecta: ipsius Gracchi inhumatum cadaver extabuit. Hinc *jus vi obrutum, potentiorque Romæ habitus* prior: discordiæ civium, antea conditionibus sanari solitæ, ferro dijudicari cœptæ: *bellaque non causis inita, sed prout eorum merces fuit.* Nasica ut invidiæ subtraheretur, per speciem legationis in Asiam dimissus est.

A. M. 3839.

Appianus de bellis civilib. lib.1.

Justin. lib.36. Florus l.2.c.20.

Interim dum Romæ hæc geruntur, in Asia Aristonicus, Eumenis ex pellice Ephesia filius, urbes regibus parere consuetas, partim facilè in suas partes allicit: paucas metu Romanorum resistentes, Myndum, Samon, Colophonem vi capit. Adversus eum P. Licinius Crassus Cos. idemque Pontifex M. *juris idem scientissimus juxta & negligentissimus*, proficiscitur; quumque intentior Attalicæ prædæ, inordinata acie prælium conseruisset, victus inconsultæ avaritiæ pœnas luit. Captus custodem sui Thracem virgula excæcat, ita in exitium sui, quod volebat, hominem concitat. Juvabant Romanos Nicomedes Bithyniæ rex, Mithridates Ponticus, cum quo postea gravissimum bellum fuit: Ariarathes Cappadox, & Ptolemæus Paphlagon. Postea M. Perpenna prius Cos. quam civis Romanus, qui successor Crasso veniebat, audita belli fortuna ad Asiam festinavit: & acie victum Aristonicum, apud Stratonicen urbem, quo fugerat, fame ad deditionem compulit, Attalicasque gazas, hæreditarias populi Romani, navibus impositas Romam deportavit. Quod ægre ferens successor ejus M. Aquilius Cos. ad eripiendum Aristonicum Perpennæ, veluti sui potius triumphi munus esse deberet, celerata velocitate contendit. Sed contentionem consulum mors Perpennæ diremit. Aquilius belli Asiatici reliquias confecit, mixtis (nefas) veneno fontibus ad quarundam urbium deditionem. Quæ res ut maturam, ita infamem victoriam fecit. Aristonicus Romæ in carcere strangulatus. Sic *Asia* Romanorum facta, *cum opibus suis vitia quoque Romam transmisit.*

Epit. Livii lib.59. Val.M. l.3.c.2. & 4. Eutrop. lib.4. Strabo lib.14. Orosius l.8.c.10.

Ecce enim Q. Metellum Macedonicum, de cujus felicitate diximus, C. Atinius Labeo, Trib. plebis, qui ab eo in senatu legendo præteritus erat, de saxo dejici jussit. Facinus ægrè à reliquis prohibitum Tribunis. Idem Metellus Censor censuit, ut ducere uxores omnes omnino cogerentur, liberorum creandorum causa. Ejus orationem postea Augustus Cæsar, cum de maritandis ordinibus

Epit. Livii lib.59. Vellejus lib.2.

age-

ageret, velut ſuo tempore ſcriptam in ſenatu recitavit. Alius Tribunus pl. Carbo rogationem tulit, ut eundem Tribunum plebis, quoties quidem vellet, creari liceret: Sed non pertulit eam, Africano obnitente. Mox idem graviori ſeditioni cum Caio Graccho & Fulvio Flacco ducem ſe præbuit. Quibus cum iterum adverſaretur Scipio, fortis pridie ac validus, ſequenti mane in lectulo repertus eſt mortuus, ita ut quædam eliſarum faucium in cervice reperirentur notæ. Suſpecta cædis fuit Sempronia uxor: hinc maximè, quod ſoror eſſet Gracchorum, cum quibus ſimultas Africano fuerat. De tanti tamen viri morte nulla quæſtio acta: ſeditiones triumvirales acrius exarſerunt, C. Sempronio interim Japidas Illyrios, Aurelio Oreſte Sardos, Fulvio Flacco tranſalpinos Ligures, L. Opimio Fregellanos ſubigentibus, Baleares Q. Metello, Q. Fabio M. Allobroges, Caius Gracchus decem annis poſt fratrem, ejuſdem exempli tribunatum, majori etiam eloquentia ingreſſus, acriora & turbulentiora conſilia protulit. Dabat civitatem omnibus Italicis, dividebat agros, vetabat quenquam civem plus D. jugeribus habere, quod aliquando lege Liciniâ cautum erat. Nova conſtituebat portoria, novis colonis replebat provincias: judicia à ſenatu transferebat ad equites: frumentum plebi ſemiſſe & triente dabat, alterum continuabat tribunatum. Coloniam in ſolo dirutæ Carthaginis ipſe duxit. Reverſus cum Fulvio Flacco Capitolium, ubi L. Opimius Coſ. concilium plebis habebat, adſcendit: Excitato tumultu, quidam præco à Gracchanis interfectus, velut ſignum belli fuit. Opimius extorto ſenatuſconſulto, quod ei mandabatur, videret, ne quid Reſp. detrimenti caperet, nihil flexus miſſione Gracchanorum ad pacem, vocato ad arma populo, Flaccum in Aventino, armatos ad pugnam cientem, cum majore filio jugulavit. Gracchus profugiens, amicis pro eo pugnantibus & pereuntibus, cervicem ſervo ſuo præbuit. Opimius caput ejus auro repenſurum propoſuit, & allatum eſt; Corpus ad Corneliam matrem, Africani majoris filiam, devectum. Bonis Gracchi publicatis, crudelibus conſulis in amicos ejus clienteſque quæſtionibus, plus quam tria civium millia periêre, nec dicta quidem cauſa plurimi. Igitur damnatum poſtea proditionis Opimium, nulla civilis miſericordia eſt proſecuta.

Epit Livii l.60.&61.

Vellejus lib.2. Plutarchus in Gracchis. Oroſius l.5.c.12. Florus l.3.c.15.

Sextus Aurelius in C. Gracch.

Plautio Hypſæo & Fulvio Coſſ. poſt horrendas locuſtarum populationes, tanta Africam lues pervaſit, ut in ſola Numidia, quam Micipſa Rex tenebat, octingenta millia hominum, circa maritimam oram ducenta millia, apud Uticam triginta militum millia conſumta tradantur, ex porta Uticenſi una die MD cadavera elata.

Oroſius l.5.c.11.

Diſſimili ex cauſa Galli perierunt ingenti numero, Bituitus Arvernorum rex, Allobrogibus opem ferebat, maximo inſtructu. Conſerta pugna, & diu graviter agitata, Q. Fabius Maximus, P. Æmylii nepos, Gallos in fugam egit. Coacervatis inconſulto agminibus, dum quiſque ſibi timet, præpropero tranſitu pontis vincula, quem Rhodano è lintribus inſtauraverant, rumpuntur. Centum viginti millia Gallorum vel cæſa, vel merſa ſunt. Bituitus ad ſatisfaciendum ſenatui Romam profectus, Albæ cuſtodiendus datus eſt, de filio ejus Congentiato idem decretum.

Florus l.3.c.2.

Oroſius l.5.c.14.

Inter hoſce orbis tumultus mirè *efflo-ruerunt res Judæorum*, qui primi ex Orientalibus, depulſo Græcorum jugo, libertatem receperunt, facilè etiam tunc Romanis de alieno largientibus. Sed forinſecus ſecuri, inteſtinis cœperunt ſectis diſſidere. Phariſæos ſe aliqui, hoc eſt, expoſitores nominabant, rectè quædam abſoluto Dei decreto, quædam humana ipſorum hominum libero arbitrio attribuentes: ſed perperam ſuas divinis legibus admiſcentes traditiones. Eſſeni alii fato omnia, Sadducæi contra nihil fato, omnia humano arbitrio ſubjiciebant. Inter hos Ethnarcha Hyrcanus, Phari-

Juſtin. lib.36.

Juſtin. l.13.c.9. & 18.

sæis faventior, divino spiritu polluisse creditur Josepho, quem narrat Pharisæi cujusdam maledicentia commotum, traditiones eorum non scriptas reprobasse, & ad Sadducæos transisse, nihil nisi divinis literis consignatum pro divino acceptantes.

Epit. Liv. l. 53. Eusebius in Chron. Val. Max. l. 3. c. 3.

Apud Romanos C. Julius senator Græcè res Romanas scripsit, L. Accius Tragœdias Latinè, Lucilius Satyras: C. Cornelius Hispallus prætor Chaldæos, *fallaci siderum interpretatione quæstuosam mendaciis suis caliginem injicientes*, urbe atque Italia expulit: Jovis Sabazii (credo ipsius Dei exercituum) cultum inhibuit, ut Romæ peregrinum.

PTOLOMÆUS VIII. LATHURUS, & Frater ejus Pt. Alexander,

A. M. 3854. *Olymp.* 166. *Reparati status Judaici* 342. *Imperii Græcorum* 195.

ANTIOCHUS GRYPUS, ANTIOCHUS CYZICENUS, SELEUCUS ejusque fratres, *Reges Syriæ.*

MITHRIDATES, PONTI & ASIÆ *Rex.*

M. ÆMYLIUS SCAURUS, C. MARIUS, L. SYLLA, L. CORNELIUS CINNA, *Principes Romanorum.*

Justin. lib. 39.

PTolomæus Physcon decedens, regnum Ægypti Cleopatræ uxori, & alteri ex filiis, quem illa legisset, reliquit, quasi quietior Ægypti status esset, quum mater altero ex filiis electo, alterum hostem esset habitura. Igitur cum pronior illa in minorem filium Alexandrum esset, à populo compellitur majorem eligere, cui quod pulsus à matre, clanculum recepisset regnum, *Lathuri* cognomen datum est, atque ob insanum matris odium Philometoris illusum vocabulo. Ei Cleopatra, priusquam regnum daret, uxorem ademit; coactumque repudiare carissimam sibi sororem Cleopatram, minorem sororem Selenen ducere jubet, haud materno inter filias judicio, cum alteri eriperet maritum, alteri daret. Sed Cleopatra non tam à viro repudiata, quam à matre divortio viri demissa, Cyziceno Antiocho in Syriâ nubit: eique ne nudum uxoris nomen afferret, exercitum Cypri sollicitatum, velut dotalem adjungit. Par igitur viribus fratris Grypi *Cyzicenus*, prælium committit, victusque fugit Antiochiam. Obsidebat urbem *Grypus*, eaque potitus Cleopatram, ut uxoris suæ Tryphænæ sororem, multis verbis conservare studet. Sed quanto Rex abnuit, tanto soror in sororem muliebri pertinacia accenditur, rata non misericordiæ deprecationem, sed amoris esse. Itaque vocatis Tryphæna militibus mittit, qui Cleopatram simulacrum Deæ amplexantem confoderent. Nec multò post repetitâ prælii congressione, victor Cyzicenus uxorem Grypi, sororis interfectricem capit, ejusque supplicio Cleopatræ manibus parentat. En lector *Satanæ furorem in addictis sibi gentibus.* Cum *Samaritis ab Joh. Hyrcano*, Judæorum Ethnarcha, *obsessis* auxilium ferret Antiochus, à filiis Hyrcani Antigono & Aristobulo pulsus est. Itaque ad Ptolemæum Ægypti regem confugit, tantum non à matre regno deturbatum, quod ea invita Cyzicenum adjuvaret. Ab eo acceptis sex millibus, Judæam depopulatur, ratus se vastandis agris effecturum, ut Hyrcanus obsidionem Samariæ solveret. Sed exceptus insidiis, multos amittit: Hyrcanus captam fame Samariam æquavit solo. Cleopatra, mater Ptolemæi, populos in filium incitat, abductaque ei Selene uxore, ex qua duos jam filios habebat, exulare cogit, arcessito minore filio Alexandro, & rege in locum fratris constituto. Nec filium regno expulisse contenta, bello Cypri exulantem persequitur. Unde pulso, interficit ducem exercitus sui, quod vivum eum è manibus dimisisset: Chelciam & Ananiam filios Oniæ, qui templum in Heliopolitana præfectura ædificaverat, fidos partium suarum defensores experta maximo in pretio habuit.

Joseph. l. 13 c. 8.

A. M. 3856. *Pausanias in Atticis.*

habuit. Sub hæc *moritur Johannes Hyrcanus*, Palæstinæ dominatus 31 annos. Cujus filius *Aristobulus* principatum in regni formam vertit, primusque Judæorum post exilium Babylonicum diadema sibi imposuit. Novum regnum mox sanguine dedicatum. A regina deceptus Aristobulus fratrem Antigonum, tanquam regno insidiantem, æger ipse interemit, itemque matrem: quibus paulo post conscientia graviter ictus, sanguinem continue vomens, miserabili & præmaturo exitio pependit pœnas, unico tantum anno invidiosa in dominatione exacto, cum magnam partem Iturææ Judaico adjecisset regno. Successit frater *Joannes Alexander*, fraterno & ipse sanguine cruentus. Alterum enim fratrum regno inhiantem peremit, alterum privata contentum fortuna in honore duxit. Cum Antiochus Grypus, qui & Philometor, & frater ejus Cyzicenus, mutuis cladibus Syriacas vires attererent, nec suppetias suis ferre possent, Ptolemaidem Alexander obsidione cinxit, Zoili Dorensium tyranni & Gazæorum agros vastavit; Illi è Syriæ Regibus destituti, Ptolemæum Lathurum fratrem Alexandri è Cypro advocant, quem cum astu aliquantisper, simulato compositionis studio, detinuisset Alexander, ut interim Cleopatræ matris opibus confirmaretur, comperto dolo infensiorem, ut par erat, reddidit. Vastatâ igitur Judæâ, Alexandrum secus Jordanem acie vincit, xxx Judæorum millia occidit, expugnat Ptolemaidem, vicos & castella diripit. Jam in eo erat, ut Ægypti regnum, quo eum mater privaveraret, recuperaret, cum ipsa ingentibus cum copiis venit in Syriam, ducibus Chelcia & Anania Judæis, Ptolemaidem vi recepit, & Judæos è periculo à Ptolemæo ipsis impendente, *majore Dei miseratione in suos, quam sua virtute*, exemit. Cæterum Ptolemæus Alexander, territus matris atrocitate, reliquit eam, *periculoso regno securam ac tutam vitam longe anteponendam ratus. Cleopatra* verò timens, ne major filius ab Cyziceno ad recuperandam Ægyptum juvaretur, ingentia Grypo auxilia, & Selenen uxorem, nupturam hosti prioris mariti, mittit, Alexandrumque filium per legatos in regnum revocat. Cui cum occultis insidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem *interficitur*, spiritumque non fato, sed parricidio dedit: digna prorsus hac mortis infamia, quæ etiam matrem toro expulit, & quas filias viduas, alterno fratrum matrimonio fecit: & filio alteri in exilium acto, intulit bellum, alteri erepto regno exitium per insidias machinata est. Sed nec Alexandro cædes tam nefanda inulta fuit. Nam ubi primum compertum est, scelere filii matrem interfectam, concursu populi in exilium agitur, revocatoque Ptolemæo regnum redditur. Interim Alexander Judæorum rex, periculo externo defunctus, Gadaram, Amathuntem, Gazam capit, cum paulo post Antiochus Grypus Heracleonis periret insidiis, anno regni nono supra vigesimum. Ei succedens filius *Seleucus* bellum gessit cum patruo Cyziceno, eumque tandem prælio captum cum occidisset, non multo post ab ejus filio, Antiocho Eusebe, unâ acie victus totaque Syria expulsus est. Fuga deinde petens Ciliciam, quod exactionibus fatigaret subditos, à Mopsuestenis in regia cum amicis suis exustus, fratrem Antiochum successorem odii in patruelem habuit. Qui & ipse victus ab Eusebe, vitam simul exercitumque amisit. Post eum tertius Grypi filius *Philippus*, assumpto diademate, in parte regnavit Syriæ. Cui quartum adjunxit *Ptol. Lathurus*, è Cnido accitum *Demetrium Eucærum*, eumque apud Damascum regem constituit. His duobus fratribus strenue adversatus Antiochus Eusebes brevi & ipse periit. Vocatus enim in auxilium Galadenorum reginæ, cum Parthis bellum gerentis fortiter dimicans occubuit: Syriæ regnum penes fratres, Philippum ac Demetrium remansit. Demetrium hunc Judæi, ab

Joseph. lib. 13. cap. 18. & 19. lib. 1. de bello. c. 3. Joseph. lib. 13. ex Strabone & Timagene.

A. M. 3870. A morte Salomonis 900. A regno Davidis 980. Hinc ad regnum Herodis in Ierusalem 60.

Justin. lib. 39.

Joseph. lib. 13. cap. 21. Appia. Syriac.

Joseph. lib. 13. cap. 22.

Alexandro rege suo, ob crudelitatem ejus dissidentes (qui bello intestino ultra LXI Judæorum millia peremerat) Sicima attraxerunt, castrisque ibi positis, frustra tentavit Alexander Judæos adversæ factionis ad se traducere. Demetrius enim omnes Alexandri mercenarios, Pisidas & Cilices occidit in acie, Alexandrum ad montes capessere fugam compulit. Tunc miserati Regis fortunam Judæi, confluxerunt ad eum circiter VI millia, quorum metu Demetrius, desperato belli eventu, retro abiit. Ejus destituti ope, qui alterius partis remanserant, inferiores pugna Alexandro fuêre; quorum ille octingentos, dum epulatur cum pellicibus, crucifigendos curavit, immani spectaculo: octo millia egit in exilium, haud obscuris proditus documentis, non divino majorum, sed impuro mundi hujus spiritu in quodvis scelus ferri.

Dum hæc fiunt, Demetrius Eucærus majorum improba æmulatus exempla, Philippum fratrem Syria spoliare aggreditur. Ille accitis Arabum Parthorumque auxiliis, fratrem in eas redigit angustias, ut deditione facta, ad Mithridatem Parthorum regem captivus mitteretur. Ibi is morbo est absumptus, Philippo interim totius Syriæ dominatum sibi asserente.

Justin. lib. 40. Joseph. lib. 13. cap. 23. lib. 1. de bello Iudaico. cap. 4.

Sed renascentibus semper fratrum odiis, inexpiabili bello & reges & regnum Syriæ consumebantur. Etenim Antiochus Dionysius, occupata Damasco, regnum Cavæ Syriæ adversus Philippum fratrem usurpare cœpit, Aretanique Arabiæ regem bello adortus, fratri occasionem præbuit Damascum invadendi. Jamque tenebat Philippus urbem, cum fraudatus præmio proditor, mutata sententia, eadem facilitate exclusit promissorem, quo antea admiserat. *Antiochus* iterum in Arabes profectus, dum vincit, *occiditur:* Aretas Cœlesyriam, non invitis Damascenis, sibi vendicat: Alexandrum quoque Judæorum regem apud Adidæ territorium prælio superat, certasque pactus conditiones, militem reducit in Arabiam.

Hinc Alexander, debilitatis acciisisque per Arabes Syriæ regum opibus, multas Syrorum, Idumæorum & Phœnicum urbes suam in potestatem redegit: Parebantque Judæis ad mare Stratonis turris, Apollonia, Joppe, Jamnia, Azotus, Gaza, Anthedon, Raphia, Rhinocura: è mediterraneis Idumææ, Adora & Marissa, totaque Samaria. Adhæc Scythopolis, Gadara, Gaulonitis, Seleucia, Gabala: Moabiticæ etiam urbes, Esebon, Medaba, Lemba, Oronas, Theliton, Zara, Pella. Posthæc *Alexander* ex temulentia morbo contracto, & triennio integro quartana vexatus, nec tamen abstinens à castrensibus officiis, tandem exhaustis viribus *fato concessit* in Geraseno- A. M. 3898.
rum finibus, quum obsideret Ragaba Castellum, ultra Jordanem situm. Moriens *Ioseph. lib. 13. c. 23. 24.*
Alexandræ conjugi autor fuit, ut Pharisæos, quorum seditionibus ipse exagitatus fuisset maximè, ex infensis benevolos sibi quacunque ratione efficeret, eisque corpus suum traderet, pro arbitrio seu funerandum honestè, seu projiciendum cum dedecore. Quod cum illa feciisset, Pharisæi Alexandrum laudibus oneratum exquisitis sumptuosissimè extulerunt, & reginæ potestatem suis apud populum concionibus ratam firmamque effecerunt. Atque sub hæc Ptolemæi Lathuri frater *Appion*, ex pellice susceptus, cui pater Cy- *Justin.*
renarum regnum testamento reliquerat, *lib. 39.*
hærede populo Romano instituto, decessserat. Itaque & ea pars Libyæ provincia Romanorum facta est, & Syriæ Ægyptique regna, virtute potentium sociorum arctata, quæ incrementa de finitimis bello quærere solebant, adempto vagandi arbitrio, vires suas in perniciem mutuam convertunt.

Jam multo ante Numidiam, victo Jugurtha, Romani occupaverant, eo nimirum tempore, quum Samariam subigeret Hyrcanus. Nunc etiam Mithridatem regem Ponti & Asiæ potentissimum vexabant armis, ipsi interea multo gravioribus

bus principum suorum dissidiis cædibusque domi obnoxii: quæ omnia nunc nobis exponenda paucis veniunt, viarum carnis, pœnarumque eas sequentium exempelum præbitura.

Bellum Iugurthinum incipit. A. M. 3861. V.C. 642. Epit. Livii l. 62. Sallust. bello Iugurth. Florus l. 3. c. 1. Epit. Livii l. 62. 64.

Iugurtha, avo Masanissa ortus, Micipsæ per adoptionem filius, agitatus regni cupiditate, Hyempsalem fratrem bello petiit, victumque interemit. Quum se in Adherbalem alterum Micipsæ filium convertisset, nec illum magis, quam Romanos, quorum in fide & clientela regnum erat, metueret, missa per legatos pecunia traxit in sententiam suam Senatum, effecitque ut legati destinarentur qui regnum inter illum Adherbalemque dividerent. Illos denuò aggressus auro, per M. Æmylium Scaurum ipsos Romani imperii mores expugnat, inchoatumque nefas audacius perficit. *Sed non diu latent scelera.* Corruptæ nefas legationis erupit, placuitque bello persequi homicidam. Primus in Numidiam Calpurnius Bestia consul mittitur: Sed rex peritus, *fortius adversus Romanos aurum esse, quam ferrum*, pacem emit, & simulatâ eam deditione obsignat. Quum interveniente fide publica, à senatu accerseretur, & pari audacia & venit, & competitorem imperii, Masanissæ nepotem Massivam, immisso percussore confecit. Hæc altera contra Jugurtham causa bellandi. Igitur sequens ultio mandatur Sp. Albino.

Sed hujus quoque (proh dedecus) ita corrupit exercitum, ut voluntariâ Romanorum fuga vinceret, castrisque potiretur: addito etiam turpi fœdere in pretium salutis Romanorum, ut dimitteretur à signis exercitus. Igitur in ultionem non tam imperii Romani, quam pudoris Metellus assurgit, qui callidissimè hostem nunc precibus, nunc minis, jam simulata, jam quasi vera fuga eludentem artibus suis aggressus est. Agrorum atque vicorum populatione non contentus, in ipsa Numidiæ capita impetum fecit, & Zamam quidem diu voluit: cæterum Thalam, gravem armis, thesauroque regis, diripuit.

Sallust bello Iugurth. Eutrop. lib. 4. Vellejus lib. 2.

Tunc urbibus exutum regem, & jam finium suorum regnique fugitivum, per Mauros atque Getuliam sequebatur.

Postremo *Marius* auctis admodum copiis, cum pro obscuritate generis sui capite censos sacramento adegisset, jam fusum & saucium regem adortus, non facilius tamen vicit, quam integrum & recentem. Hic & urbem Herculi conditam Capsam, in media Africa sitam, anguibus hareniscque vallatam, mira quadam felicitate superavit; & saxeo inditam monti Mulucham urbem, per Ligurem, aditu arduo inaccessoque penetravit. Mox non Jugurtham modo, sed Bocchum quoque Mauritaniæ regem, jure sanguinis Numidiam vindicantem, apud oppidum Cirtham graviter cecidit. Qui ubi rebus diffisus suis, alienæ cladis accessio fieri timet, pretium fœderis, ac amicitiæ Jugurtham facit. Sic *fraudulentissimus regum, fraude soceri sui in insidias deductus est*, & Syllæ in manum traditus. Tandemque opertum catenis in triumpho pop. Romanus adspexit. Sed ille quoque vinctus & victus vidit urbem, quam *venalem & quandoque perituram, si haberet emtorem*, cecinerat. Ante currum Marii ductus cum duobus filiis, & in carcere necatus est. Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat, eique propter Cimbrici belli metum continuatus per plures annos magistratus est. Consulatu secundo & tertio absens creatus, quartum dissimulanter captans, consequutus est.

Orosius l. 5. c. 15.

Epit. Livii lib. 67. Plut. in C. Mario.

Id *bellum cum Cimbris* & Ambronibus, extremæ Celtiæ seu Germaniæ populis, jam aliquot annis maxima cum clade sua Romani gesserant. Cimbri, quum terras eorum inundasset oceanus, novas sedes toto orbe quærebant. Illyricum populantibus dum obsistit Papyrius Carbo Cos. cum exercitu fusus est. In Italiam migraturi misêre legatos in castra Silani, petentes, ut Martius populus aliquid sibi terræ daret quasi stipendium; Cæterum, ut vellet, manibus suis

Bellum Cimbricum. A. M. 3859. Vellejus lib 2. Florus l. 3. c. 3. Epit. Livii lib. 63. Vellejus Paterculus l. 2.

Epit. Liv. lib. 65. suis atque armis uteretur. Sed quas darent terras Romani, agrariis legibus mox inter se dimicaturi? Repulsi igitur, qui nequiverant precibus, armis obtinere constituunt. Sed nec primum Cimbrorum impetum Junius Silanus, nec secundum Manlius, nec tertium Cæpio sustinere potuerunt. Omnes fugati, exuti castris. L. Cassius Cos. à Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, in finibus Allobrogum cum exercitu cæsus est. Milites qui ex ea clade supererant, obsidibus datis & dimidia rerum omnium parte, incolumitatem pacti recesserunt. Tigurini Cimbris se junxêre. Aurelius Scaurus legatus Cos. à Cimbris fuso itidem exercitu captus, dum deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret, Romanos vinci minime posse, à Belo rege feroce juvene, occisus est. *Secuta* de C. Manlio & Q. Servilio Cæpione *victoria Cimbrorum* ad flu. Rhodanum. Ostoginta millia Romanorum cæsa, calonum ac lixarum quadraginta millia. Secundum populi Romani jussionem, Cæpionis, cujus temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, filiæ ejus postea constupratæ turpiter perierunt. Calamitatem in sacrilegia, quæ deprædando templa Tolosana commiserat Cæpio, Timagenes & Posidonius historici conferunt, Strabone & Gellio testibus.

Epit. Liv. lib. 67. Eutrop. lib. 5. A. M. 3867. *Orosius lib. 5. c. 15. 16. Strabo. lib. 4. Gellius lib. 3. c. 9.*

Epit. Liv. lib. 67. Timoris Romæ tantum fuit, quantum vix Annibalis tempore Punicis bellis. At Cimbri vastatis omnibus, quæ circa Rhodanum & Pyrenæum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca depopulati, à Celtiberis fugantur. Reversique, in Galliam bellicosis se Teutonibus conjungunt. Interim Marius Cos. adversus eos & dux creatus severe habet milites: fororis filium, quem Trebonius ob attentatam pudicitiam occiderat, jure cæsum pronunciat. Tertium consulatum in apparatu belli consumit, non ausus congredi cum Cimbris, donec invicta illa rabies consenesceret. Illi tripartito agmine, defendente castra Mario, per Alpes, id est, clausstra Italiæ transituri, Romam se capturos confidunt. Marius mirâ velocitate occupatis compendiis prævenit hostem, prioresque Teutones sub ipsis Alpium radicibus assequutus, apud Aquas Sextias oppressit. Vallem fluviumque hostes medium tenebant. Flagitante aquam exercitu, Viri, inquit Marius, estis: en illic habetis. Itaque tanto ardore pugnatum est, ut victor Romanus de cruento flumine vix plus aquæ, quàm sanguinis biberit. Rex Teutobochus vir proceritatis eximiæ, spectaculum triumphi fuit. Cæsa dicuntur Ambronum & Teutonum ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintum consul creatus, triumphum oblatum donec Cimbros vinceret, distulit. Cimbri repulso ab Alpibus, fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, & ad flumen Athesin castellum obsessum insederat, virtute sua explicata, in Italiam descendunt. Si statim infesto agmine ad urbem contendissent, grande discrimen esset: sed in Venetia, quo ferè tractu Italia molliissima est, ipsa soli cælique clementia robur elanguit. Dulcedine vini mitigatos Marius, junctis cum Catulo viribus, in tempore aggressus est. Primum nebuloso die incautis occurrit, tum ventoso quoque, ut pulvis in oculos & ora ferretur Cimbrorum, denique acies conversa in orientem, ut ex splendore galearum ac repercussu, quasi ardere cœlum videretur. Eo prælio CXL millia aut in pugna, aut in fuga cæsa sunt, LXM capta. Tria & triginta signa sublata, exercitus Marii duo, Catuli XXX & unum rapuit. Hac victoria videtur meruisse Marius, ne ejus nati Romanos pœniteret; hominis quantum bello optimi, tantum pace pessimi. Sextus consulatus veluti præmium ei meritorum datus.

Epit. Liv. lib. 68. *Orosius l. 5. c. 16.* *Florus lib. 3. c. 3.* A. M. 3871. *Plut. in Mario. Eutrop. lib. 5. Vellejus lib. 2.*

Jugurthino & Cimbrico bellis, non loco, sed tempore confine fuit *Thracicum*, haud minus varia fortuna administratum. A Scordiscis Thracum sævissimis, Thessaliam atque Dalmatiam incur-

Florus lib. 3. c. 3. *Florus lib. 3. c. 4.*

cui ſantibus, non ſuſus modo, ſed totus omnino interceptus exercitus, quem duxerat Portius Cato. Didius vagos & libera populatione diffuſos, intra ſuam repulit Thraciam. Druſius ulterius egit, & vetuit tranſire Danubium. Minutius toto vaſtavit Hebro, multis quidem amiſſis, dum perfida glacie flumen equitatur. Piſo Rhodopen Caucaſumque penetravit. Curio Daciam tenus venit: ſed tenebras ſaltuum expavit. Appius in Sarmatas uſque pervenit: Lucullus ad terminum gentis Tanaim, lacumque Mœotim. *Nec aliter cruentiſſimi hoſtium, quam ſuis moribus domiti.* Quippe in captivos igne ferroque ſævitum eſt. Sed nihil barbaris atrocius viſum, quam quod abſciſſis manibus relicti, vivere ſuperſtites pœnæ ſuæ cogebantur.

Livii Epit. lib. 63.

Eadem tempeſtate Siciliæ iterum novi è ſervis reges, prædoneſque exorti, *Salvius & Athenio* cum manipularibus ſuis. Occaſionem dedit Licinius Narva prætor, qui ob bellum Cimbricum, ingenuos provinciales liberare ſervitiis juſſus, in gratiam dominorum accurata cauſarum cognitione ſuperſedit, & libertatem petentes ad ſuum quemque herum cum objurgatione remiſit. Triginta omnino duorum fratrum ſervi initium conjurationis fuêre, confeſtim plures advolarunt. Prætor Licinius, data Titinio cuidam latronum duci impunitate, eum in ſervos armat, conſilio infelici. Occiſo Titinio, armorum nacti copiam conjurati, auctique in ſex millia, Salvium quendam haruſpicem regem creant, & Mergantinam urbem obſident. Liberandæ urbi approperantem Licinium repellunt. Victoriæ ſolertiam addit Salvius. Conſpicatus enim fugientes Romanos, per præconem vetat occidi, ſi quis projectis armis abſcedere cupiat. Ita armis potitus, convolantes ad ſe undique fugitivos inſtituit, alterius cujuſdam ducis (Athenio is erat Cilix aſtrologus) auctus legione, quam ſimili de cauſa contraxerat, Tryphonem ſe appellat, & Tricalis figit regiam, muroque & foſſa munit, XL jam millia hominum ſuo ſub imperio habens, ut parum à juſto regno abeſſe videretur.

Diod. Sic. l. 36. ecloga. Florus l. 3. c. 19.

Igitur adverſus eum Licinius Lucullus Roma mittitur cum XVIIIM, proſperamque pugnam facit, pleriſque ſervorum ex Athenionis caſu, qui vulnere ſtratus pro exanimi conciderat, fugam arripientibus. XXM cæſi, reliqui Tricala ſe recepêre. Eum locum dum animoſe tuentur, & Lucullum ſeu muneribus, ſeu metu frangunt, trahitur bellum, Tryphon moritur, eique ſuccedit Athenio. Hic cum totam inſulam prædæ haberet, tandem conſulari exercitu digna res viſa. Ergo M. Aquilius quinto conſulatu Marii collega, Athenionem fortiter dimicantem acie interficit, ipſe capite graviter ſaucius. Reliquos ad XM, locis editioribus conſtanter oppugnatis detrahit. Poſtremi mille, duce Satyro, cum redacti in poteſtatem Coſ. beſtiis objectandi eſſent, mutuis ſemetipſos vulneribus confecerunt. *Tanti Siculis ſua in ſervos iniquitas, tanti ſervis in dominos crudelitas ſtetit.*

Epit. Livii lib. 69.

Compreſſis extra urbem bellis ſeditionibuſque, in ſua graſſari viſcera cœperunt Romani, autore potiſſimum eo, per quem Cimbros & Teutonas vicerant, C. Mario. Nec mirum, cum tunc etiam Romæ reperiretur P. Malleolus, matricida, qui primus omnium inſutus culleo, in mare præcipitatus eſt: Romanæ quoque ſuperſtitionis ancilia cum ſtrepitu mota, urbanum armorum ſtrepitum denunciarent. Igitur Marius homo mutabilis, ambitioſus, varii conſilii ingeniique, cum ſparſa per tribus pecunia, ſextum emiſſet conſulatum, Cn. Apuleio Saturnino tribunatum confecit, primoribuſque nobilitatis, à quibus ut homo novus contemni videbatur, infeſtus, leges promulgat agrarias, quibus additum, *ut quicquid plebs ſciviſſet, in id juraret ſenatus.* Q. *Metellus* Numidicus, ne juraret, nec cauſa malorum eſſet certaminum, in voluntarium exilium Rhodum profectus eſt, ibique legendis &

Epit. Livii lib. 68.

Epit. Livii lib. 69.

audiendis magnis viris vacavit. Post ejus fugam omni nobilitate perculsa, quum tertium jam annum dominaretur Apuleius, eo vesaniæ progressus est, ut C. Memmium consulatus candidatum interficeret, quo facilius satellitem furoris sui Glauciam consulem faceret. Tum vero jam conspiratione senatus, ipso quoque Mario consule, quia tueri non poterat, adverso, directæ in foro acies, expulsus inde Apuleius in Capitolium evasit. Sed quum abruptis fistulis obsideretur, senatuique per legatos pœnitentiæ fidem daret, ab arce digressus, cum ducibus factionis receptus in curiam est. Ibi eum facta irruptione, populus fustibus saxisque coopertum in ipsa quoque morte laceravit. Caput ejus Rabirius quidam senator per convivia circumtulit in ludibrium. Glauciæ cervix fracta.

Florus l.3.c.16. Sextus Aurel. Victor. Orosius l.2.c.17.

Sextus Aurel. in L. Apulsio.

Interemptis factiosis, Q. Cæcilius Metellus, ab exilio ingenti totius favore civitatis reducitur, cujus conspectum non ferens Marius, in Cappadociam, inde ad Mithridatem Ponti regem abit, suadens ut aut majorem Romana potentiam struat, aut tacitus imperata faciat.

Plut. in Mario.

Erat Mithridates patre Mithridate genitus, quem Romani ob navatam adversus Aristonicum operam, majori Phrygia donaverant. Puer tutorum expertus insidias, antidota toties biberat, ut senex ne volens quidem veneno mori potuerit. Timens deinde, ne inimici, quod veneno non poterant, ferro perage-rent, ficto venandi studio, per septem annos, neque urbis, neque ruris tecto usus fuerat. Ad regni deinde administrationem cum accessisset, *non tam de regendo eo quam augendo cogitabat*; Scythas singulari felicitate perdomuerat, auctusque viribus, Cappadocia Ariobarzanem Romanorum amicum expulerat. Eum L. Cornelius Sylla senatus jussu reduxit, & cum Parthorum legatis amicitiam fœdusque iniit. Dum hæc geruntur, Romæ ex veteris ambitionis favillis, ingens conflatur incendium, quo tota penè Italia conflagravit.

Justin. lib.37.

Epit. Livii lib.70.

Gracchanis legibus equites judiciorum potestatem nacti, in multos clarissimos viros sævierant, nuperrimè P. Rutilium, virum Romæ innocentissimum, quod legatus *C. Marii* proconsulis à publicanorum (ii equites erant) injuriis Asiam defenderat, repetundarum damnatum in exilium ejecerant. Senatus non ferens eam equestris ordinis impotentiam, summa vi niti cœperat, ut ad se judicia transferrentur, sustinente causam *M. Livio Druso* tribuno plebis, sed ita ut quæ ipse illiciendæ multitudinis causa permittebat plebi, senatus improbaret, & gratia apud vulgus nimia, apud primores invidiam verteret. Plebs acceptis agris gaudebat, expulsi dolebant: equites in senatum lecti lætabantur, sed præteriti querebantur. Senatus permissis judiciis exultabat, sed societatem cum equitibus ægrè ferebat. Igitur quando bene cogitata male cadere videbantur, sed dandam civitatem Italiæ conversus Livii animus Cæpionem inimicum actionibus suis resistentem, ait se de saxo Tarpeio præcipitaturum. Philippo Cos. ita collum in comitio obtorsit, ut multus sanguis efflueret è naribus, quum ille, luxuriam opprobrans, muriam de turdis esse dicebat. Tam effusæ de Republ. liberalitatis fuit, ut profiteretur, *nemini se ad largiendum prater calum & canum reliquisse.* Aderat promulgandæ rogationis dies, tantaque subito vis hominum undique apparuit, ut hostium adventu oppressa civitas videretur. Sed obnitente Cos. per vim latæ jussæque leges, Livius semianimis domum relatus. Validus exinde cum è Senatu domum se reciperet, per turbam cultello percussus, qui affixus lateri ejus relictus est, intra paucas horas decessit. Invidia cædis apud Philippum & Cæpionem fuit, percussor incertus. Cum ergo promissa Italicis civitas non præstaretur, irati illi defectionem in conciliis agitarunt; pariterque desciverunt Picentes, Vestini,

Velleius lib.2. Florus l.3.c.17.

Sextus Aurel. in M. Livio Druso.

Epit. Liv. l.71.72.73. Appianus de bellis civil. l.1.

Oroſius l. 5. c. 17. Velleius lib. 2. Olymp. 172. Diod. Sic. l. 37. ecloga.

ni, Marſi, Peligni, Marrucini, Lucani, Samnites.

Id *bellum Marſicum*, ſociale, *Italicum* appellatum, trecenta juventutis millia abſumpſit. Italicorum ut fortuna atrox, ita *cauſa juſtiſſima injuſta erat actio.* Petebant enim eam civitatem, cujus imperium armis tuebantur. Per omnes annos, atque omnia bella duplici ſe munere militum equitumque fungi, neque in ejus civitatis jus recipi, quæ *per eos in id ipſum perveniſſet faſtigium, per quod homines ejuſdem & gentis & ſanguinis, ut externos alienoſque faſtidire poſſet.*

Sed fœdum erat belli conſilium, ut feſto die Julius Cæſar & Martius Philippus Coſſ. inter ſacra & aras immolarentur. Ut Aſculi in ipſa ludorum frequentia Servius Prætor & Fonteius legatus cum omnibus civibus Romanis trucidarentur. Nec Annibalis, nec Pyrrhi tanta vaſtatio traditur. Ocriculum, Grumentum, Feſulæ, Carſeoli, Nuceria, Picentia cædibus, ferro, igne vaſtatæ. Eſernia & Alba obſeſſæ. Nola à Samnitibus capta. Fuſæ Rutilii copiæ, fuſæ Cæpionis, L. Julius Conſul, exercitu amiſſo, cruentus in urbem relatus. Saga ſumſerunt Romani, C. Marius legatus Rutilii, meliori eventu cum Marſis prælia-tus, L. Cæſar cum Samnitibus, animos Romanis reddidêre, ut poſitis ſagis togam reciperent. Tum ſinguli duces ſingulos aggreſſi populos Cn. Pompeius Picentes fudit, & obſedit. Propter quam victoriam prætextæ, aliaque magiſtratuum inſignia reſumpta. Libertini in militiam adſcripti. Cato diſcuſſit Hetruſcos, Pompeius & Gabinius Marſos, Garbo Lucanos, Sylla Samnites. Strabo verò Pompeius omnia flammis ferroque populatus, non prius finem cædium fecit, quam Aſculi everſione tot exercituum manibus litaret. Tam varia atque atrox fortuna Italici belli fuit, ut biennium continuum Rutilius & Cato Coſſ. occiderentur. Paulatim deinde recipiendo in civitatem, qui arma aut non ceperant, aut depoſuerant maturius, vires refectæ ſunt, Pompeio, Syllaque & Mario fluentem procumbentemque Rempubl. reſtituentibus, Silone, Poppædio, Mario, Egnatio, aliiſque Italicorum ducibus pleriſque occiſis. Romani *victis afflictiſque ipſi exarmati, quam integris univerſis civitatem dare, ſtulta ſuperbia, maluerunt.*

Velleius lib. 2. Epit. Livii l. 75. 76.

Supererant Nolanæ belli hujus reliquiæ, cum quinto anno Q. Pompeius & L. Cornelius Sulla conſulatum inierunt, bellique civilis inter ipſos duces feralia principia, juſto Dei in ambitioſos & crudeles Romanorum animos judicio, exſtiterunt. Ejus occaſio hæc fuit. A. M. 3864.

Mithridates rex bello acerrimus, virtute eximius, duarum & viginti gentium ore loquens, *aliquando fortunâ, ſemper animo maximus*, ductus occaſione belli Italici, odio in Romanos Annibal, Paphlagoniam occupârat, juſſuſque reſtituere, hæreditariam eam patri ſuo obveniſſe reſponderat. Nec territus minis, Galatiam quoque invaſerat. Deinde ſororis ſuæ Laodices filiis Cappadociæ regno privatis, Ariobarzani à Romanis introducto erat infeſtus, Nicomede etiam Nicomedis filio bellum ciente, Bithyniæ imminebat, totumque orientem in Romanos ſollicitabat. In eum dux ſorte creatus Lucius Sulla Coſ. circa Nolam, arma pertinaciſſimè retinentem morabatur, ut expugnata urbe in Aſiam expeditiori militia iret. Interim Romæ C. Marius jam ſeptuagenarius, per P. Sulpitium Trib. plebis legem ad populum fert, qua L. Sullæ imperium abrogatur; Caio Mario bellum Mithridaticum decernitur. Additur exulum revocatio, novorumque civium & libertinorum in tribus diſtributio. Nec vim abſtinet. Tribunus, Pompeii Coſ. filium, generum Sullæ interficit, legatos ad Sullam mittit, exercitum Mario tradi poſtulantes. Sulla & ſuæ iræ indulgens, & ardore militum incenſus Romam properat, & adverſus factionem Sulpitii & Marii in ipſa urbe pugnat, eam-

Juſtin. lib 37. Aurel. Victor in Mithridate. Juſtin. lib. 38. Appian. in Mithrid. Olymp. 170. Velleius lib. 2. Epit. Livii lib. 77. Plut in Sylla & Mario. Oroſius l. 5. c. 15.

eamque ejicit. Duodecim à senatu hostes judicantur, inter quos C. Marius pater & filius, Sulpitius indicio servi è villa sua retractus occiditur: *servus ut præmium promissi indicii haberet, manumittitur quidem: at ob scelus domini proditi de saxo dejicitur.* Marius junior in Africam trajecit. Marius pater, cum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis: ad quem occidendum missus servus publicus, majestate viri recedit. Itaque & ipse ad filium in Africam, data publice navi, delatus est. L. Sylla civitatis statum ordinavit. Ejus collega Q. Pompeius consul ad capiendum à Cn. Pompeio proconsule exercitum profectus, consilio ejus trucidatur. *Eutrop. lib.5.*

Mithridates interea Phrygiam Asiamque, pulsis Aquilio & Manlio legatis, qui temerè sine decreto publico bellum accenderant, sibi subjicit, unaque die, quicquid erat civium Romanorum in Asia, missis ad civitates literis, propositisque præmiis interfecit. Urbem Rhodum, quæ sola in fide manserat, oppugnat, & aliquot præliis navalibus victus abscedit. Miserat etiam in Græciam Archelaum ducem cum cxx millibus, per quem Achaia, & prodente Aristone, Atheniensium civitas capta est. Dum eum *Sylla* apud Athenas obsidet, ipsamque urbem, coactis ab Archelao eam defendere civibus, *corpora intra muros, animos extra habentibus*, expugnat. Romæ Cornelio Cinnâ, Cn. Octavio Coss. male obrutum resurrexit incendium, & quidem ab ipsorum consulum discordia, quum de revocandis, quos senatus hostes, autore *Sylla* judicaverat, ad populum inferretur. Cincta quidem gladiis concione, sed vincente Octavio, profugus patria sua Cinna, exutusque potestate consulari à senatu, confugit ad partes. Redit ab Africa Marius, clade & exilio major. Ad tanti nomen viri latè concurritur, exercitus Appii Claudii, qui ad Nolam erat, corruptis centurionibus Cinnæ jungitur; Italici, quos per omnes Romanas tribus dividere Cinna cœperat, favore causæ suæ advolantes, ingentes Cinnæ copias præstitêre, ut xxx legionum instar impleret. Cn. Pompeius, Magni pater, eversor Asculi, *ita se dubium, mediumque partibus præbebat, ut temporibus insidiaretur, & huc atque illuc, unde spes major affulgeret potentiæ, se exercitumque deflecteret.* Ad ultimum magno atrocique prælio, sub ipsis mœnibus urbis, cum Cinna conflixit. In eo duo fratres ignorantes concurrerunt. Cum victor mortuum spoliaret, suo agnito fratre ingenti lamentatione edita, rogoque ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit, & eodem igne consumptus est. Fraude Pompeii, qui profligatis demum optimatum rebus auxilium tulerat, & segnitie Cos. Octavii confirmati Cinna & Marius, quatuor exercitibus, quorum duo Q. Sertorio & Carboni dati sunt, urbem circumsederunt. Ostiam Coloniam expugnavit Marius, & crudeliter diripuit. Samnites Mario juncti Plancium cum exercitu cecidêre. Janiculo depulsi Mariani, Antium, Ariciam & Lavinium devastarunt. Cum nulla optimatibus spes esset resistendi, propter segnitiem aut perfidiam seu ducum, seu militum, Cinna in urbem receptus est; Mox lege ab eo lata etiam Marius. Hic postquam Octavii manus dejecta Janiculo est, in principum capita sævire cœptum. Cœlitus etiam pugnatum in cruentas acies, & infanda capita. Pompeius fulmine afflatus interiit: exercitus ejus pestilentia correptus, penè totus absumptus est. Furentibus deinde Cinna & Mario, Octavii consulis caput pro rostris exponitur: Cn. Antonius consularis in Marii ipsius mensis: C. Cæsar & Fimbria in penatibus domorum trucidantur: Crasi pater & filius in mutuo alter alterius aspectu, Bæbium atque Numitorem per medium forum unci traxêre carnificum. Catulus se ignis, exitialisque haustu odoris ludibrio hostium exemit. Merula, qui pro Cinna consul creatus fuerat, flamen Dialis, Jovis sui oculos venarum cruore respersit. Mox sui quisque periculi etiam merces factus,

Epit. Livii lib.78. Velleius lib.2. Appian. in Mithridat.

Velleius lib.2. Florus l.3.c.21.

Epit. Livii lib.79. Orosius l.5.c.18.

Epit. Livii lib.80.

Florus l.3.c.21. Diodor. Sicul. lib.38. ecloga.

ctus nec quiſquam innocens habitus, qui locuples eſſet. *Cinna & Marius*, citra Comitia ulla, *conſules ſeipſos renuntiarunt.* Sed Marium idibus Januariis mors abſtulit, hominem in bello hoſtibus, in otio civibus infeſtiſſimum: qui quam Rempubl. armatus ſervaverat, eam primo togatus omni genere fraudis, poſtremo etiam armis evertit: ultimo conſulatu præcedentes omnes fœdavit. In ejus locum Valerius Flaccus ſuffectus, turpiſſimæ legis auctor, qua creditoribus quadrantem ſolvi juſſit.

A. M. 3884.

Epit. Livii lib. 81. 82. Vell. l. 2. Oroſius l. 5. c. 20. & 6. c. 2. Appia. in Mithrid.

Dominante in Italia Cinna, major pars nobilitatis ad Syllam in Achaiam, ac deinde in Aſiam profugit. Sylla interim cum Mithridatis præfectis circa Athenas, Bœotiamque & Macedoniam ita dimicavit, ut & Athenas reciperet, & plurimo circa multiplices Pyræei portus munitiones labore expleto, amplius CCM. hoſtium interficeret, nec minus multa caperet. L. Flaccus ſucceſſor ei miſſus, & propter avaritiam inviſus exercitui, à C. Fimbria legato, ultimæ audaciæ homine occiſus eſt, & imperium ad Fimbriam tranſlatum. Hic in Aſia fuſis aliquot copiis *Mithridatis*, urbem Pergamum expugnavit, obſeſſumque regem non abfuit multum quin caperet. Urbem Ilion, quæ ſe poteſtati Syllæ reſervabat, oppreſſam delevit, magnamque Aſiæ partem recepit de Mithridate. Sylla interim multis prœliis Thraces Macedoniam vaſtantes cæcidit. Romæ Cinna & Papyrius Carbo à ſe ipſis conſules per biennium creati, moti oratione L. Valerii Flacci & aliorum, concordiæ amantium, legatos quidem ad Syllam de pace miſere: at nihilominus *Cinna* exercitum naves coëgit conſcendere, & adverſus Syllam proficiſci. Itaque Anconæ à militibus *lapidatus eſt*, conſulatum Carbo ſolus geſſit. Tranſgreſſus deinde in Aſiam Sylla, pacem cum Mithridate fecit ita, ut cederet rex provinciis, Aſia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria deſertus ab exercitu, ad Syllam tranſeunte, ſervo cervicem præbuit.

Epit. Livii lib. 83. Bellum Mithridaticum.

A. M. 3884. *Olymp.* 174.

A. M. 3888. *Aurel. Victor. in Cinna.*

Vell. l. 2. Aurel. Victor. in Fim.

Vix quidquam in Syllæ operibus clarius dixerim, quam quod, cum per triennium Cinnanæ Marianæque partes Italiam obſiderent, neque illaturum ſe iis bellum diſſimulavit, nec quod erat in manibus, omiſit: exiſtimavitque *ante frangendum hoſtem, quam ulciſcendum civem.* Legatis à ſenatu de pace miſſis, futurum ſe in poteſtate ſenatus reſpondit, ſi cives à Cinna pulſi reſtituerentur. Quæ conditio cum juſta videretur, per Carbonem factionemque ejus, cui bellum videbatur utilius, ne conveniret, effectum eſt. Novis civibus S. C. ſuffragium datum, quod ſanguine emtum fuerat: & mandatum, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Legati, Syllæ, ut de pace agerent, miſſi, à Coſſ. Cn. Norbano & Corn. Scipione Aſiatico violati ſunt. Putares Syllam veniſſe in Italiam, *non belli vindicem, ſed pacis autorem. Tanta cum quiete exercitum* per Calabriam Apuliamque *duxit.* Sed *iis quibus & peſſima & immodica cupiditas erat, non poterat pax placere.* Felici igitur circa Capuam eventu, Scipionem Norbanumque conſules ſuperat: quorum Norbanus acie victus: Scipio ab exercitu ſuo deſertus ac proditus, inviolatus à Sylla dimiſſus eſt. Cn. Pompeius Cn. filius, ejus qui Aſculum ceperat, conſcripto voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Syllam venerat, ad quem ſe nobilitas omnis conferebat, ita ut deſerta urbe ad caſtra veniretur. Tum Marius juvenis, animi potius quam ævi paterni, & Carbo conſules, quaſi deſperata victoria, ne inulti perirent, ſanguine ſenatus ſibi parentabant: obſeſſaque Curia per Damaſippum Prætorem, *ſic de ſenatu quaſi de carcere, qui jugularentur, educti.* Quid funerum in foro, in Circo, in patentibus templis? Nam Q. Mutius Scævola Pontifex, Veſtales amplexus aras, tantum non eodem igne ſepelitur. At Pontius Teleſinus, dux Samnitum, contractis circiter XLM ita ad portam Collinam cum Sylla dimicavit, ut ad ſummum diſcrimen & eum, &

Livii Epit. lib. 74.

Epit. Livii lib. 85. Velleius l. 2.

Florus l. 3. cap. 21. Vell. l. 2. Epit. Livii l. 86. 87. 88.

Romanam Rempubl. perduceret, dictitans adesse Romanis ultimam diem, delendamque urbem, quod *nunquam defuturi essent raptores Italicæ libertatis lupi, nisi sylva, in quam refugere solerent, esset excisa.* Post primam demum horam noctis, & Romana acies respiravit, & Samnitium cessit. Telesinus semianimis repertus postera die, victoris magis quam morientis vultum retulit, cujus abscissum caput gestari Sylla circa Præneste, ubi erat Marius, jussit. Marius tum demum desperatis suis rebus, per cuniculum erumpere conatus, cum foramine è terra emersisset, à dispositis in idipsum interemptus est. Plerique implorata servi sui ope eum vita expulsum tradunt. Sylla *felicis* nomen assumpsit, *justius, si eundem & vincendi finem habuisset.* Neque enim ei satis erat, quod apud Sacriportum Mario, & apud Collinam portam Telesino victo, LXX amplius millia conciderat: quod ad Clusium, ad Faventiam, Fidentiamque, per Servilios, Metellumque Pium & Lucullum, magnificis præliis Carbonis exercitus vicerat. Octo M. deditorum in via publica trucidavit; tabulam proscriptionis posuit, ex qua duo millia electi, qui mori juberentur. Marium ducis fratrem oculis, manibus cruribusque defossis, servavit aliquamdiu, *ut per singula membra moreretur.* Prænestinos omnes inermes occidit. Spoletum, Interamnium, Fluentiam, sub hasta vendidit: Sulmonem planè delevit. Carbonem in Sicilia per Pompeium interemit. Dictator deinde creatus (cujus honoris usurpatio, inde ab Annibalis ex Italia discessu per annos CXX erat intermissa) cum fascibus XXIV processit, tribunorum plebis potestatem minuit, jus omne concionandi, legumque ferendarum eis ademit. Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent XV: senatum ex equestri ordine supplevit: proscriptorum liberis jus petendorum honorum eripuit, & bona eorum vendidit. Ex quibus cum primo multa ipse rapuisset, redactum est sestertium ter millies quingenties. Lucretium Asellam suarum partium ducem contra voluntatem suam consulatum petere ausum, in foro jussit jugulari. Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum & Hiarbam regem Numidarum bellum molientes vicit & interemit: Is primus, cum adhuc eques esset, & XXIV annos natus, de Africa triumphavit. Metellus ex proscriptis unus, clam capite adoperto ad posticum ædis Bastiæ uxoris cum accessit, admissus minime est, quia illum proscriptum diceret. Itaque *se transfodit, & sanguine suo ingratas fores respersit. Sylla*, recepta de Samnitibus Nola, XLVII legiones in agros captos deduxit, & eos iis divisit. Inde nonaginta senatorum, consularium XV, tot præterea millium interfector, *abiit dictatura.* Sperni cœptus, cum Cumis ex morbo pediculari decessisset, honor ei à senatu est habitus, ut vir Martius in Martio campo cremaretur. Ejus acta conatus rescindere Cos. M. Lepidus, à Q. Catulo collega Italia pulsus, in Sardinia morbo & pœnitentia periit.

Eodem temporum tractu nituerunt *Philosophi*, Diodorus Stoicus, Apollonius, & Molo Rhodii, præceptores Ciceronis: *Oratores* Romani L. Crassus, M. Antonius, C. Cæsar, Strabo, & P. Sulpitius. M. Scævola *juris scientia*, quam propriæ eloquentiæ nomine celebrior. Historiographi, Cælius, Sisenna, Rutilius, Claudius Quadrigarius, Valerius Antias. Attellanarum scriptor L. Pomponius. Rhetores, Plotius Gallus, Octacilius Piletus, Chronographus Castor *historica ἀγνοήματα* scripsit. T. Lucretius veneris laudator venereo poculo dementatus, sua manu periit.

Templa Dæmonum celeberrima, Capitolium Romanum, & Fanum Delphicum, LXXX ante Christum annis eodem tempore *conflagrarunt*; sed utraque reparata sunt, donec vanæ superstitionis delector Christus cæcas erroribus terras illustraret.

Oros. lib. 5. Diod. Sic. lib. 37. eclog. 2.

Florus l. 3. c. 21.

Epit. Livii lib. 89.

A. M. 3891.

Salust. Fragm. hist. 1. Plutar. in Sylla. Epit. Livii lib. 90. Sextus Aurel. Florus l. 3. c. 23. Cic. 3. Thusculan. Plut. in M. Cicerone. Velleius Paterculus lib. 2. Euseb. Chron. Suidas. Euseb. Chron.

A. M. 3889. 6. Jul.

PTO-

Restitutionis Judæorum 378. Imp. Græcorum 231. Ante Christum natum 76. Olymp. 175. Diod. Sic. lib. 1. Bibl. App. 1. Civ.

PTOLEMÆUS X. DIONYSIUS, qui & Auletes.
ANTIOCHUS & CLEOPATRA SELENE, ARETAS Arabs, TIGRANES, *Syriæ Reges.*
MITHRIDATES, PONTI & ASIÆ *Rex.*
L. LUCULLUS, CN. POMPEJUS MAGNUS, C. JULIUS CÆSAR, M. CRASSUS, M. TULLIUS CICERO, *Principes Romanorum.*

PTolemæus X. Lathuro mortuo susceпit regnum Ægypti, *filius* ejus plerisque habitus. Appianus & Strabo nothum fuisse subindicant. Sylla profugum ad se Pt. Alexandri filium, Alexandrinis regem obtruserat: Sed eum cives, insolentius imperantem, XIX regni die trucidarunt. Substitutum ei alterum fratrem expulêre, donec *ad Auletem* defluxit tyrannis. Hic se *novum Bacchum* appellavit, ab aliis *Auletes* propter non decora, minimeque regia fistularum studia cognominatus. Is flagitiis & luxui deditus, *vix quicquam regium præter nomen habuit.*

A. M. 3891.

Strabo. lib. 14. & 17. Trogus prologo 39. App. in Syriac. Justin. lib. 40. Strabo lib. 11.

Similiter Syriæ regnum, intestinis Seleucidarum dissidiis consumptum, tenente jam Cælesyriam Areta, *Antiochus* tueri non potuit. Itaque cum pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemæum ab Ægypto arcessendum censeret, occurreretque, quod Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptolemæus quoque semper hostis fuisset Syriæ, omnes in regem Armeniæ Tigranem consensere, instructum præter domesticas vires & Parthica societate, & Mithridatis affinitate. Igitur is subactis Atropatenis, Gordyæis & Mesopotamiis, transmissoque Euphrate, Syriam ac Phœnicem vi occupavit, Ptolemaidem L hominum millibus circumsedit, *Cleopatram Selenen*, Syria expulsam, cum aliquandiu obsidione eam vexasset Seleuciæ, captam *interemit.*

Strabo lib. 16.

Ioseph. lib. 13. cap. ult.

Regnabat tunc in Palæstina regis Alexandri vidua Alexandra, sed vis imperii erat penes Pharisæos, quibus Johannes Hyrcanus & Alexander reges erant adversati, eorumque traditiones abolevérant. Illi nunc indulgente Alexandra, rerum potiti, quoscunque suis partibus infestiores noverant, viros Judæorum fortissimos, fictis criminibus ad supplicia rapiebant, regnumque præsidibus suis orbabant. Hyrcanus major filiorum Alexandri, præerat sacerdotio, ac segnitie insita animi ad omnia connivebat: Aristobulus minor principatu excludebatur. Cum ad Ptolemaidem sederet Tigranes, regina genti suæ timens, magni momenti munera ad eum misit, omnemque de Judæis fidem pollicita, regnum novem annis in quiete habuit. Ægrotante autem illa, paternorum amicorum sanguis, & contemptus intolerantia Aristobulum in vindictam excitavit: qui occupatis celeriter castellis, quæ pleraque occulti amici ipsius tenebant, rem eo deduxit, ut frater Hyrcanus Pontificatu contentus regni administratione ipsi cederet, Olymp. 177. Q. Hortensio, Q. Metello Cretico Coss.

& lib. 1. de bello cap. 4.

Ioseph. lib. 14. cap. 1. & lib. 1. de bello c. 1.

Reliqua omni Syria per XVIII annos *Tigranes* potiebatur, Antiocho in Ciliciæ angulo delitescente. Sed sicut ab hostibus tuta erat Syria, ita *terræ motu* vastata est, quo centum septuaginta millia hominum, & multas urbes periisse tradunt. Quod prodigium mutationem rerum maximam portendisse, manifestissimo eventu cognitum, paulo post universo Seleucidarum regno in Romanorum potestatem redacto. Romani interea Syllanæ proscriptionis reliquias tollere laborabant, ut intestinis tandem dissensionibus liberati, expeditiores adversus Mithridatem, irritatum potius, quam victum à Sylla, vires promerent. Igitur supererat proscriptorum à Sylla ducum fortissimus, *Q. Sertorius*, jam in Africa, jam in Balearibus insulis fortunam expertus, missusque in Oceanum, fortunatas insulas penetrarat. Tandem Hispaniam armavit, *viro cum viris facile convenit.* Nec alias magis apparuit Hispani militis vigor, quam Romano duce.

Justin. lib. 40.

Epit. Liv. lib. 90. 91. Florus lib. 2.

L. Man-

L. Manlium Galliæ proconsulem, & M. Antonium legatum per Hirtuleium Quæstorem prælio vicit. Cum passim urbes subigeret, ac in ipsis prope cervicibus hæreret Italiæ, additus Q. Metello Pio. Cn. Pompeius, quæstor adhuc, imperio consulari, novo exemplo, instructus. Hirtuleium Metellus in Betica cum omni exercitu cecidit, Galliam recepit Pompeius. In Hispania dubio eventu cum Sertorio conflixit, ut singula ex utraque parte cornua vincerent. Mox Metellus & Perpenna cum duobus exercitibus à Sertorio fusi, partemque victoriæ ei auferre cupiens Pompeius, accessio factus cladis. Obsedere deinde ambo duces Calagurium oppidum, non levioribus suis, quam obsessi Sertorii damnis, qui multos interim amicorum crimine proditionis insimulatos interemit, quorum cæde viam exitio suo aperuit. Mithridates ea libenter accepit, ictoque cum Sertorio fœdere, classe ejus adjutus, M. Aurelium Cottam Cos. ad Chalcedonem prælio superavit. XII. Romanorum millia prælio navali, v pedestri congressione ceciderunt. Sertorius omnibus belli militiæque artibus Pompeio par & Metello, ab obsidione Calagurii depulsos, coëgit diversas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam. Ad ultimum à suis desertus & proditus, transfugarum M. Antonii & M. Perpennæ, aliorumque conjuratorum fraude in ipso convivio occubuit, vir summæ quidem, sed calamitosæ fortitudinis. Perpenna *gentis clarioris quam animi, pessimo facinore certam Romanis victoriam, partibus suis exitium, sibi turpissimam mortem auctoravit.* Imperium enim partium cum ad Marium ipsumque translatum esset, Cn. Pompeius & Marium & Perpennam acie victos captosque interemit, ac recepit Hispanias decimo fere anno, quam inter discordias Romanorum ducum pœnas dare cœperat. Calagurium fame ad infames escas coactum ignis absumsit, Uxaniam Pompeius evertit.

Epit. Liv. lib. 92. Plutarch. in Sertor. Eutrop. lib. 6.

Epit. Liv. lib. 96. Paulus Orosius lib. 5. cap. 23. Plut. in Sertor.

Victores duces externum id magis, quam civile bellum videre voluerunt, ut triumpharent.

Dum bellum Sertorianum conficitur, ne cruentis fundendi cruoris deesset copia, *Spartacium accenditur.* Lentulus Capuæ *gladiatores* incluserat, *crudelem Romanis voluptatem exhibituros.* Eorum quatuor & LXX, effracto ludo, profugiunt, congregataque servorum & ergastulorum multitudine, ducibus Spartaco, Chryso OEnomao, montem Vesuvium insident. Ibi cum obsiderentur à Claudio Pulchro, per fauces cavi montis vimineis delapsi vinculis, ad imas ejus descendêre radices, & nihil tale opinantis ducis subito impetu castra rapuêre. Inde alia castra P. Voreni prætoris. Deinde totam pervagantur Campaniam: nec villarum aut vicorum vastatione contenti, Nolam atque Nuceriam, Thurias & Metapontum terribili strage populantur. Affluentibus in dies, odio Romanorum, copiis, quum esset justus exercitus, è viminibus pecudumque tegumentis incoctos sibi clypeos: è ferro ergastulorum recocto gladios ac tela fecerunt. Ac ne quod decus deesset, domitis obviis gregibus paratur equitatus: captaque de prætoribus insignia & fasces ad ducem detulêre. Nec abnuit Spartacus de stipendiario Thrace miles, de milite desertor, inde latro, denique in honore virium gladiator: sed consulares quoque aggressus, in Apennino Lentuli exercitum percecidit; apud Mutinam Caii Cassii castra delevit. Quibus elatus victoriis (quod satis est turpitudini Romanorum) de invadenda urbe deliberavit. Tandem, confecto in Hispania Sertorio, ardente in Asia Mithridatico bello, totis imperii viribus contra Mirmillonem consurgitur: Pudoremque Romanum M. Licinius Crassus asseruit. Primum cum parte fugitivorum, quæ ex Gallis, Germanisque constabat, feliciter pugnavit, cæsis XXXV millibus, & duce eorum Granico. Reliqui in extrema Italiæ se abdentes, quum fugam in Siciliam pararent, neque navigia

Epit. Liv. lib. 95. 96. 97. Flor. l. 3. cap. 20. Vell. l. 3.

Oros. l. 5. cap. 24.

gia ſuppeterent, rateſque ex cratibus, & dolia contexta virgultis in rapidiſſimo freto fruſtra experirentur, eruptione tandem facta, dignam facinoribus ſuis obïere mortem. Spartacus imperator occiſus eſt, & cum ipſo XLM.

Oroſ. l. 5. cap. 23. Sonantibus adhuc undique Sertoriani & gladiatorii belli fragoribus, exſanguis atque exhauſta inteſtina pernicie, tanquam febribus, Romana reſpublica, propulſare armis Scordiſcos & Dardanos, Macedoniam perſultantes, Ciliceſque piratas mare infeſtum habentes, cogebatur. Scordiſci inter cætera dictu audituque horrenda, humanorum capitum oſſibus pro poculis utebantur. Eos aggreſſus Appius Claudius, morbo curiſque interiit. Cn. Curio Scribonius, ferociorem vim gentium declinans, ſuperavit Dardanos, & uſque ad Danubium penetrato Septentrione, triumphum meruit.

Epit. Liv. lib. 95. Sex. Ruf. in breviario.

Ad Ciliciam & Pamphiliam miſſus P. Servilius pro conſule, *dum ſubdere terras ſtudet, pene delevit.* Lyciæ urbes clariſſimas cepit. In his Phaſelidem, Olympum, Corycum Ciliciæ. Primus Romanorum viam per Taurum montem inſtituit, atque Iſauros bello fractos in deditionem redegit.

Oroſ. l. 5. cap. 23. Coſconius Proconſul ſortitus Illyricum, protrita ſubactaque Dalmatia, Salonas urbem florentiſſimam, poſt biennium tandem expugnavit.

Eutro. lib. 6. Epit. Liv. lib. 93. Oroſ. l. 6. cap. 2. App. in Mithrid. Flor. l. 3. cap. 5.

Anno ante, quam Spartacus gladiatores in Romam excitaret, L. Licinio Lucullo, & M. Aurelio Cotta Coſſ. mortuus eſt Nicomedes rex Bithyniæ, populumque Romanum teſtamento hæredem inſtituit. Tum Mithridates, occupata per Tigranem generum ſuum Cappadocia, hortatu Fannii & Magii, profugorum de exercitu Fimbriæ, cum Sertorio fœdus pepigit, & M. Varium in locum Archelai, ducem adverſus Romanos, rupta, quam cum Sylla inierat, pace creavit. Contra eum ambo conſules miſſi, variam habuere fortunam. Cotta apud Chalcedonem, victus ab eo acie, ut diximus, etiam intra oppidum coactus eſt & obſeſſus. Sed cum ſe inde Mithridates Cyzicum tranſtuliſſet, ut capta urbe nobiliſſima, quæ arce, mœnibus, portu, turribuſque marmoreis, Aſiaticæ plagæ littora illuſtrabat, totam Aſiam invaderet, Lucullus ei alter conſul occurrit, fiduciamque oppidanis reſiſtendi peperit. Protracta ſic obſidione, Mithridatem à tergo obſident Romani viciſſim, & ex mora fame, ac peſtilentia obortis, cogunt recedere, multiſque prœliis vexatum Byzantium (quæ nunc Conſtantinopolis eſt) propellunt. Nec felicior in mari, quam in terra fuga. Quippe centum amplius navium claſſem, apparatumque belli gravem, in Pontico mari aggreſſa tempeſtas, fœda ſtrage laceravit, *planè ut Deus debellandum tradidiſſe Lucullo regem, viribus præſidentem, videretur.* Nam pluſquam trecenta millia hominum circa eam obſidionem, morbo, ventis, fame, fluctibus, ferroque interiiſſe perhibent, inter quos etiam Varium & à Sylla proſcriptos alios. Florus Granicum & Æſapum amnes cruentos dicit redditos. Eutropius cæſa centum ferè millia tradit. Attritæ jam omnes validiſſimi regni vires erant, ſed animus Mithridatis malis augebatur. Itaque converſus ad proximas gentes, totum penè Orientem ac Septentrionem ruina ſua involvit. Iberi, Caſpii, Albani, & utræque ſollicitabantur Armeniæ. Lucullus laureatas literas, ut mos erat victoribus, Romam ad ſenatum & conſules miſit. Illi tunc erant M. Craſſus & Cn. Pompeius, *ille divitiis, hic honoribus inſolens inſolentibus.* Qui tunc invidia in amicitiam verſa, Tribunitiam poteſtatem à Sylla enervatam reſtituerunt, quemadmodum Cotta ordinem equeſtrem, reddita judiciorum adminiſtratione. Eodemque tempore *M. Tullius Cicero* jam quæſtorius è Sicilia, *C. Verrem prædonem potius, quam prætorem* ejus Inſulæ, eloquentiſſimis actionibus ad *exilium adegit*. L. Gellius, & C. Lentulus cenſores LXIV. ſenatores dignitate multaverunt. *Tantæ*

App. in Mithrid. Oroſ. l. 9. cap. 2.

Eutrop. lib. 6.

Epit. Liv. l. 92.

Vell. l. 2.

A. M. 3902. Ætat. 37.

ampliſſimum Romanorum ordinem ſordes maculaverant. At Lucullus recepta Paphlagonia atque Bithynia, etiam Pontum invaſit. Eupatoriam & Amiſum, civitates Ponti nobiliſſimas, expugnavit. Secundo prælio apud Cabira, quo ingentes iterum copias Mithridates contraxerat, quum commeatu ferè intercluſiſſet Lucullum, per pabulatorum ejus inopinatam felicitatem exterritus, dum tumultuariè moventur caſtra, XXX M lectiſſima amittit, fugienſque, ut erat callidus, Romanæque peritus avaritiæ, ſpargi ſarcinas & pecuniam jubet, & dum illa certatim colligunt inſequentes, in Comana evadit. Inde ad Tigranem profugit cum bis mille equitibus: qui in conſpectum ſuum non admiſſum juſſit in caſtellis ali more regio. Ea maxime de cauſa Mithridates de regno deſperans, Bacchum eunuchum mittit ad ſuam regiam, ſorores, uxores, concubinas, quomodocunque poſſet, interemturum, quæ gladiis, veneno, laqueis in ſe ipſos ſævierunt. Quibus cognitis, præfecti præſidiorum penè univerſi unanimes ad Lucullum tranſivere. Lucullus maritimas etiam urbes, Amaſtrim, Heracleam & Sinopen cepit, acceptaque à Lachare Mithridatis filio, Boſphori rege, corona aurea, amicum eum appellavit. Hinc ad Tigranem, non dedentem expoſcenti Mithridatem contendit, cujus arte perturbatis ordinibus, contemptus propter paucitatem, trecenta millia fudit, & per CXX ſtadia perſecutus eſt. Tigranocertam recens conditam, & è vaſtatis XII Græcanicis urbibus repletam incolis, à Græcis ultro invitatus, expugnavit; habitatoribuſque ſuam quoquè domum dimiſſis, opus ſemiperfectum ſubvertit. Inde Antiochum Cizyceni filium appellat regem Syriæ, quandoquidem Tigranes pleraque omnia præſidia urbibus jam deduxerat. Mithridates in Pontum ad regni ſui reliquias, Tigranes in interiorem ſeceſſit Armeniam, quos Lucullus, hyeme impeditus & inopia, ſequi non potuit. Ibi vero verſa aliquantum fortuna, C. Triarius Luculli legatus à Mithridate cæſus eſt: inter cadavera reperti ſunt tribuni XXIV, centuriones CL. Lucullum ipſum ob illiberalitatem & duritiem, ſeditio militum tenuit, ſequi nolentium, & impleta à ſe ſtipendia vociferantium. Quæ res Mithridati & Tigrani recolligendi ſeſe occaſionem præbuit. Mithridates jam inde à principio belli oceanum piratis, qui mercenarios ſe vocabant, repleverat, qui alliciente lucro, omnia maria uſque ad columnas Herculeas redegerant in poteſtatem, & Romanis annonæ commercium intercluſerant. Illis videbatur favere & Creta, quæ mera avaritia primum à M. Antonio, ſed infeliciter tentata. Quinto tandem Metello, Cydonia, Gnoſo, Lycto urbibus expugnatis, victas manus præbuit.

Metelli gloriam intercepit Pompeius, piratarum profligator, quos cum intra XL dies toto mari expuliſſet, reliquis eorum in Cilicia agros & urbes à mari remotas attribuit, ut *data facultate ſine raptu viverent, prædationibus abſtinerent.*

Metellus tamen inſignitus Cretici cognomento, liberæ ad id tempus inſulæ, pro Minois legibus Romanas impoſuit.

Sed Pompeium alia excepit gloria. Cn. Manilius Tribunus plebis ſemper venalis, & alienæ miniſter potentiæ, indignante nobilitate legem pertulit, ut Pompeio bellum Mithridaticum mandaretur; ſuadentibus eam Cicerone & Julio Cæſare.

Accepta provincia, magnis inter imperatores certatum jurgiis; cum Pompeius Lucullo *infamiam pecuniæ*, Lucullus Pompeio *interminatam cupiditatem objiceret imperii:* neuterque ab eo, quod arguebatur, mentitus argui poſſet. Nam neque Pompeius, ut primum Remp. aggreſſus eſt, *quemquam animo parem tulit, in quibus rebus primus eſſe debebat, ſolus eſſe cupiens: neque eo viro quiſquam aut alia omnia minus, aut gloriam magis deſideravit.*

App. in Mithrid. *Florus l. 3. c. 5.* *App. in Mithrid.* *Plut. in Lucullo.* *Epit. Liv. l. 91. 100.* *App. in Mithrid.* *Diodor. lib. 35.* *Velleius lib. 2.* *Florus lib. 3. c. 6. & 7.* *Velleius lib. 2.* *Oroſius l. 6. c. 4.* *Oroſius l. 6. c. 3.* *Epit. Livii lib. 98.* *Eutrop. lib. 6.* *Strabo lib. 11.* *Juſtin. lib. 40.* *Diod. lib. 36.* *Velleius lib. 2.*

deravit. Et Lucullus profuſæ in ædificiis convictibuſque luxuriæ, haud infacete à Pompeio *Xerxes togatus* vocari meruit.

Eutrop. lib. 6. Alter M. Lucullus, qui Macedoniam adminiſtrabat, Beſſis Romanorum primus intulit bellum, eoſque magno prælio in Æmo monte ſuperavit; oppidum Uſcudamam, quod Beſſi habitabant, eodem die, quo aggreſſus, vicit: ſuper Pontum Apolloniam evertit, Calatim, Parthenopolim, Tomos, Hiſtrum, Bozniam omnem Romanis tributariam reddidit. Alteri L. Lucullo capta Niſibi, contra Perſas paranti expeditionem, ſucceſſor venit Pompeius, cum pleno imperio in omnes quicunque extra Italiam eſſent exercitus, arbitrioque hoſtes judicandi adſciſcendive ſocios, ut quemque *Flor. l. 3. cap. 5.* dignum exiſtimaret, quæ omnia nemini unquam ſimul ante ipſum erant collata. Quare nihil cunctandum ratus, priuſquam inter ſe gentium robora coirent, ſtatim ponte navibus facto, omnium *Appia. Mithrid.* ante ſe primus tranſit Euphratem: Mithridatemque fugientem media nactus Armenia (felicitas viri) uno nocturno prælio confecit. Quanquam enim *Epit. Liv. l. 36.* per rupes elapſus, rex animo invictus, incidit in equites mercenarios, & peditum tria millia, acceptiſque è caſtello *Diod. lib. 36.* quodam VI millibus talentorum, ad fontes properavit Euphratis, ut Colchis tenus jungeret Boſphorum, unde per *Appia. in Mithrid. Diod. l. 36. 37.* Thraciam, Macedoniam & Græciam tranſiret, Italiamque hoc pacto, nec opinatus invaderet: tamen omnia expertus, elocatis etiam filiabus Mæoticarum gentium regulis, & Machro filio ad voluntariam adacto mortem, quod Romanis ſe adjunxiſſet, nihil prorſus ad ſummam rei valuit.

Pompeius fugientem Colchos uſque perſecutus, deducebatur à vicinis gentibus. Soli Orœzes Albanorum, & Artocus Iberorum reges, cum LXX millibus inſidias ei ſtruxêre circa Cyrum fluvium, qui duodecim oſtiis in mare Caſpium illabitur. At ille compertis dolis, ponte junxit fluvium, Barbaros in ſaltus compulit, eoſque circumdatos exercitu incendit, donec datis obſidibus & donis, ipſi quoque Triumpho materia facti ſunt. Ratus deinde Pompeius, profugum nihil magnum effecturum Mithridatem, duxit in Armeniam adverſus Tigranem copias, tanquam Mithridatis ſocium, captiſque capite gentis Artaxatis, potentiſſimum antea regem, devictiſque Seleucidis, regis regum jactantem titulos, domeſticis jam fractum calamitatibus, *opinione integritatis & juſtitiæ ſuæ debellavit.* Tigranes enim jam trium liberorum pater è Mithridatis filia, duos ex iis interfecerat: alterum rebellantem in prælio, alterum in venatione, quod ſe prolapſum neglexiſſet attollere, jacentique ademptum diadema capiti ſuo impoſuiſſet. Tertius Tigranes in ea venatione corona donatus, paulo poſt & ipſe *Epit. Liv. lib. 100.* defecerat, victuſque bello, ad Phraatem Parthorum regem, qui tum recens Sintrico patri ſucceſſerat, confugit, inde ſupplex ad Pompeium. Tigranes famæ *Appia. in Mithrid. Eutrop. lib. 6. Diod. lib. 36.* credulus de fide Pompeii, ne caduceatore quidem præmiſſo, ad eum venit, donavitque eum ſex Talentorum millibus, milites drachmis quinquagenis. Pompeius præteritorum regi veniam dedit, filioque minorem Armeniam, patri aſſignavit majorem, omnibus bello quæſitis provinciis juſſo decere. *Deceſſit* A. M. 3906. *tota Syria Tigrani* ab Euphrate uſque ad mare, & parte Ciliciæ, quam ejecto Antiocho Euſebe occupaverat. Sed *Tigranis filio felix eſſe imperium non potuit impietate acquiſitum.* Itaque novis patrem inſidiis petens, comprehenſus à Romanis eſt, compertoque eum Parthos ſollicitare per internuncios, in triumpho traductus Romano, in carcere periit. Pompeius condita in minore Armenia Nicopoli, Ariobarzani regnum Cappadociæ, cum Sophena Gordenaque provinciis ad- *Juſtin. lib. 40.* dixit. Antiocho Comageno Euſebis filio, Syriæ regnum repoſcenti, ait, *ne volenti quidem Syriæ, nedum recuſanti daturum ſe regem, qui tueri eam neſciret,*

alienaque victoria captaret præmia, nec rurſus Syriam Judæorum in Arabum expoſiturum latrociniis. Atque ita Syriam in provinciæ formam redigit.

Eam P. Servilius Rullus Trib. plebis decem viris ſuis deſtinabat, vendi jubens quodcunque R. P. publicum poſſideret. *Plut. in Cicer.* Ea hominis *Vanitas* vigilanti eloquentia *M. Tull. Cicer.* conſulis *compreſſa* eſt. Is vir novitatis nobiliſſimæ, qui omnia incrementa ſua ſibi deberet, ingenii præſtantia, quod ſumma induſtria excoluerat, effecit, ne Romani, quorum arma vicerant, eorum eruditione vincerentur. *Conſulatum* faventiſſima plebe *nactus*, L. Sergii Catilinæ, qui bis repulſam erat paſſus, Lentulique & Cethegi ſceleſta conjuratione petebatur. Ciceronem enim totumque ſenatum interficere, urbem incendere, & cum ſuæ factionis hominibus rempublicam invadere decreverant. Id nefas ſcorti indicio proditum, ſingulari virtute conſtantiaque Cicero diſcuſſit. Lentulus Conſularis & alii clari nominis viri, autore in ſenatu Catone, juſſu conſulis in carcere necati ſunt. Catilina non ſegnius obiit, quam ſceleris conandi conſilia inierat. Quippe fortiſſimè dimicans (ſi fortitudo dicenda, quæ patriam infeſtat) quem ſpiritum ſupplicio debuerat, prælio dedit, eodem ferè tempore, quo Mithridates, occupatis Ponti Euxini oſtiis, magna & ultima agitans, *more anguium, qui obtrito capite, poſtremum cauda minantur*, Pharnacis filii ſcelere præventus eſt. Is ſive ſpe veniæ à Romanis conſequendæ, ſive alias ob cauſas cupiditateſve, exercitum ſibi conciliavit, patrique tutum abitum per nuncios petenti, nullum plane remiſit. Quare veritus Mithridates, ne Romanis dederetur, male tentatum veneno ſpiritum, implorata Galli cujuſdam ope, ferro expulit. Vixerat annos novem & ſexaginta, regnarat LVII. Pharnaces paterno funere per ſummum nefas ad hoſtem miſſo, Boſphoranum ſibi regnum pactus eſt.

A. M. 3969. *Saluſt. de conjurat. Catilin. Velleius lib. 2. Eutr. l. 6. Diod. lib. 37. Epit. Livii lib. 102. 103.*

Florus l. 4. c. 1.

App. in Mithr. Oroſius l. 6. c. 5.

Diod. lib. 37.

Pompeius tunc agebat Damaſci, quam urbem nuper de Areta per Metellum & Lollium legatos ceperat. Ibi cognovit *querelas Hircani & Ariſtobuli* fratrum, de Judaïco regno diſſidentium. Etenim Antipater Idumæus, diſcordias inter illos ſerendo, Aretæ, Arabum Nabathæorum regis, arma attraxerat, qui L hominum millibus in Judæam ductis, Ariſtobulum acie fuſum Jeroſolymæ incluſerat. Dum obſideretur urbs, Oniam virum ſanctum, quod *nec obſeſſis contra obſidentes, nec obſidentibus contra obſeſſos Dei precari vellet auxilium*, lapidibus obruerant obſeſſores, eoque ſcelere corruptis per iram numinis frugibus, horrendam ſibi accerſiverant famem. Igitur Ariſtobulus M Scaurum CCCC Talentis induxit, ut Aretam ſolvere obſidionem cogeret. Ipſe diſcedentes inſecutus, VII M interfecit, interque eos fratrem Antipatri, qui bellum conciverat. Ipſi deinde Pompeio vitem donavit auream, D Talentis æſtimatam, ut regnum ſibi confirmaret. Sed Judæorum ſenatus utrumque accuſavit, quod *gentem ex Dei ſui lege liberam, in ſervitutem conarentur redigere.* Pompeius his auditis, & improbata Ariſtobuli violentia, dimiſit eos placidè, promittens ſe venturum in eorum ditionem, quamprimum inſpexiſſet res Nabathæorum. Sed Ariſtobulus, quamquam comiter habitus, præoccupando caſtella iras excivit Pompeio, quibus arte diſſimulatis, ille præcepit Ariſtobulo ſcribere præfectis ſua manu, ne Romanos arcibus excluderent. Fecit id ſanè Ariſtobulus, ſed ægrè ferens, Hieroſolymam feſtinavit, adverſus Pompeium ſe quocunque modo defenſurus. Pompeius eum inſecutus per nemora Hierichuntis odorata, per palmeta & ſylvas Balſami, occurrenti iterum veniam dedit, Gabiniumque ad accipiendas pecunias Jeroſolymam miſit. Qui excluſus à militibus, effecit brevi, ut Ariſtobulo cuſtodes adderentur, & Jeroſolyma invaderetur exercitu. Diſſidentibus autem Jeroſolymitis, aliqui templi montem occupabant, plerique Piſo-

Joſeph. Antiq. lib. 14. cap. 3. 4. Oroſius l. 6. c. 6. Eutrop. lib. 6.

Joſeph. l. 14. c. 5.

Diod. lib. 37.

Florus lib. 3. c. 5. Joſeph. Ant. lib. 14. c. 6. 7. 8.

Diodor. Sic. l. 40. ecloga.

Piſonem Pompeii legatum in urbem recipiebant, & regiam. At qui templum tenebant, cum per ſabbata vallum ducentes Romanos non impedirent, religionis perſuaſione, tertio menſe, ipſo expiationis & Jejunii die expugnati ſunt, Olympiade CLXXIX, M. Tullio Cicerone & C. Antonio Coſſ. Duodecim millia eorum occubuerunt. Pompeius ſanctum, quod nefas erat à quoquam aſpici, niſi ſacerdote, cum aliis ingreſſus, theſauris tamen ſacris pepercit, juſſiſque inſtaurari ſacrificiis, Hircano Pontificatum reddidit, interdicto diademate. Hippon, Scythopolim, Pellam, Samariam, Matiſſam, Azotum, Jamniam, Arethuſam, à Judæis dirutas, priſcis incolis reſtituit. Maritimas urbes, Gazam, Joppen, Stratonis turrim, Dora, liberas pronunciavit. Ariſtobulum in vinculis Romam duxit cum duobus filiis, quorum alter Alexander, in itinere elapſus, novas in Judæa turbas dedit, victuſque poſtmodum à Gabinio, per matrem ſuam impetravit, ut quinque conſtituerentur Synedria, unum Jeroſolymæ, alterum Gadaris, tertium Amathunte, quartum Hierichunte, quintum Sephoræ. Cæterum *Pompeius* uno hoc bello ſublatis toto mari piratis, & rege ejus ætatis maximo, collatiſque ſignis, præter Ponticas gentes, cum Colchis, Albanis, Iberis, Armeniis, Medis, Arabibus, Judæis, Syris, imperium Romanum Ægyptum uſque promovit, & ingenti cum gratulatione exceptus Romæ, à tota concione *Magnus* ſalutatus eſt. Ægyptum tamen non adiit, quamvis imploratus à rege contra ſeditioſos, & muneribus, veſtimentiſque in uſum totius exercitus donatus: Sive quod timeret regni etiam tum fortunati amplitudinem, ſive quod inimicorum caveret invidiam. Gallogræciam, qui in ſubigendo Mithridate juverat, Dejotaro, Paphlagones Attalo, Colchos Ariſtarcho attribuit. Exercitibus XVIM diviſit Talentorum.

Epit. Livii lib. 192.

Ioſeph. lib. 14. ant. c. 8. & l. 1. de bello Judaico c. 5.

Joſeph. l. 14. c. 10.

Appian. in Mithrid.

A. M. 3891.

Quam clarus Pompeius, tam infamis erat Romæ apud bonos P. Clodius, ſtupris, adulteriis & ambitione coopertus: qui tamen confiſus divitiis, ut accuſatoribus ſuis nocere, Remp. invadere poſſet, Tribunus plebis fieri laborabat. Infenſus etiam Pompeius ſenatui, quod Mithridate rege victo, cunctantius confirmarentur acta ſua, cum *C. Julio Cæſare*, qui devictis in Prætura Luſitanis, *Conſul* erat factus, & M. Craſſo, ſocietatem iniit, ut ſe invicem adjuvarent; ſciſſoque in partes ſenatu, ſolus Cato cum paucis aliis ſincerè curabat Remp. *cui id ſolum videbatur rationem habere, quod haberet juſtitiam.* Sed illo renitente, & cum ſenatu ac conſulum altero M. Bibulo, *Cæſar leges agrarias promulgavit*, quibus agri per Italiam publici plebi aſſignabantur. Ita XX millia hominum in agros ſunt deducta. *Cicero* etiam, quod Cæſarem oratione pro Caio Antonio læſiſſet, nec honorem ab eo accipere vellet agris dividundis eo autore à P. Clodio, tanquam indemnatos necaſſet cives, *in exilium pulſus* eſt, bonis publicatis, domoque ſubverſa. Nec contentus homo nefarius Ciceronem ejeciſſe civem ſuum, in reges quoque ſuppreſſum diu odium evomuit.

Suet. in Julio.

Epit. Liv. lib. 103.

Diod. lib. 37.

Vell. l. 2. Diod. lib. 38.

A. M. 3913.

Cicero pro domo ſua. Diod. lib. 38.

Strabo lib. 14.

Ptolemæi Dionyſii frater regnabat in Cypro, Clodiumque olim à piratis Cilicibus captum, idoneo redimere lytro noluerat. Hujus ille memor injuriæ, tribunatum adeptus legem promulgavit, de Cypri opibus in ærarium redigendis, Catonemque rogationi adverſantem negotio præfecit. Eo accepto rex Cyprius nuncio, *venenum ſumſit, quo vitam prius, quam divitias amitteret.* Cato Cyprias opes Romam navibus advexit, juſque ejus inſulæ avarius magis quam juſtius Romani rapuêre. Libyam & Cyrenen ſupremo Appionis regis arbitrio habebant. Sola Ægyptus remanebat Ptolemæo, omnibus id artibus agenti, ut amicitiam firmaret Romanorum, ſed tam exiguæ apud ſubditos authoritatis, ut ne unum quidem Romanum, qui felem, ſacrum Ægyptiis animal, per ignorantiam occiderat, ſuppli-

Ruffus Feſtus in Breviario.

Diod. lib. 38. Plut. in Cat. Appia l. 2. Diod. lib. 39. Diod. Sicul. præfat. Biblioth. & lib. 7.

cio posset eximere, quemadmodum oculatus rei testis Diodorus Siculus, qui tum in Ægypto fuit, memorat. Tandem eum Alexandrini, ob expilationes & injurias, quas patiebantur, exegêre è regno, & cum tres ei filiæ essent, Berenicen natu maximam (quæ sola erat legitima) reginam fecerunt, exclusis filiis adhuc infantibus. Reginæ vir petitus è Syria, Cybiofactes quidam, qui Seleucidarum se stirpis ferebat. Eum intra paucos dies regina strangulavit, sordes ejus illiberalitatemque aversata. In ejus locum Archelaus subiit, pro Mithridatis se filio gerens, cum illo esset Archelao genitus, qui cum Sylla in Græcia bellarat. Dederat illi Pompeius Comanorum Deæ sacerdotium, & tunc cum Gabinio erat, quasi expeditionis in Parthos futurus socius, inscioque illo ad reginam perductus, regium nomen invasit.

Strabo lib. 17.

Appian. in Mithridat.

Cæterum *Auletes* Rex Romam profugus, ingentibus id *egit largitionibus, ut in Ægyptum reduceretur.* Soli Cæsari sex Tal. M. donavit, qui Gallias & Illyricum provincias cum IV tunc legionibus in quinquennium obtinebat, firmandæque potentiæ Juliam filiam Pompeio elocaverat. *Cæsari in Galliam* profecto primam belli occasionem dederunt Helvetii, qui Rhodanum inter & Rhenum, sibi, non sufficientibus juventuti terris, venêre sedes petitum, incensis mœnibus suis. Hoc sacramentum erat, ne redirent. Sed petito tempore ad deliberandum, quum inter moras Cæsar, Rhodani ponte resciso, abstuliset fugam, statim bellicosissimam gentem prælio difficili ita vicit, ut XLVII millibus interfectis, reliquam multitudinem in sedes suas remitteret. Bojos petentibus Heduis, quod egregia virtute erant cogniti, ut in finibus suis collocarent, concessit.

A. M. 3915. *Appian. de Bello civil. Diod. lib. 38. Sueton. in Julio, cap. 54. Bellum Cæsaris.* A. M. 3914. V.C. 695. *Olymp.* 180. *Cæsar comm. l. 1. Florus l. 3. c. 10. Epit. Livii lib. 103. Diod. lib. 38.*

Postea Cæsar Ariovistum regem Germanorum, qui Heduos, Sequanos, alioque Galliarum populos, aliquot ante annos subegerat, jubet ad se venire. *Negat ille sibi opus esse Cæsare. Si Cæsar sui egeat, fas esse, ut ipse ad Arioviſtum, qui rex sit, veniat.* Accensus ita Cæsar, imperat Arioviſto per legatos, ut Galliis excedat. Ille superbe, Quis autem est Cæsar? & si vult, veniat, inquit. Et, *quid ad illum, quid agat nostra Germania? num ego me interpono Romanis?* Itaque tantus gentis novæ terror in castris, ut testamenta passim, & in principiis scriberentur. Cæsar trepidationem militum allocutione inhibuit. Arioviſtus, Harudes, Marcomannos, Triboces, Vangiones, Nemetes, Seduſios, Suevos, omnemque aciem suam rhedis & carris circumdedit, ne qua spes relinqueretur in fuga. Eo mulieres imposuerat, qui in prælium proficiscentes milites, passis manibus, flentes implorabant, ne se in servitutem Romanam traderent. Germani tam celeriter procurrerunt, ut Romanis spatium pila conjiciendi non daretur; Cominus gladiis pugnatum est. Quos ut evitarent, elatis super capita scutis, factaque phalange impetus exceperunt. Sed tantus fuit vigor Romanorum ut aliqui in phalanges insilirent, & scuta manibus revellerent, & desuper vulnerarent. Igitur territi novo mortis genere Germani, terribilem dissolvere phalangem, & in fuga insatiabiliter cæduntur. Arioviſtus Rhenum transvectus effugit: Filiarum una capta est.

Epit. Livii lib. 104. Cæsar. l. 1. de bello Gallic. Oros. l. 6. cap. 7. Diod. lib. 38.

Summotis Germanis, Belgæ (tertiam hos Galliarum partem facit Cæsar) libertati suæ metuentes, Rhemorum populari agros incipiunt, & cum ad CCLXXII millia armatorum possent conficere, Cæsar prælio abstinens mora eos fregit, velitationibus semper superior. Separatos deinde aggressus Suessones, Bellovacos, Ambianos, in fidem, imperatis obsidibus, suscepit. Nervios *vino abstinentes, quod luxuriæ relanguescere animos, eorumque remitti virtutem dicerent*, & Aduaticos majorum suorum (ex Cimbris erant Teutonisque procreati) fortitudinem retinentes, vix tandem devicit, quum penè prostratam Romanorum aciem suo exemplo, novisque è castrorum custodia subsidiis redintegrasset.

Cæsar. l. 2. Diod. lib. 39.

Nervii

Nervii è sexcentis ad tres senatores, ex hominum millibus sexaginta vix ad quingentos, qui arma ferre possent, sese redactos questi, suos fines oppidaque receperunt, Aduaticos, quod oppidum suum deditum, nova eruptione in securos conservare tentassent, vendidit.

Inde cum in Italiam profectus Servium Galbam iter ad Alpes, quo magno cum periculo, magnisque cum portoriis mercatores ire consueverant, jussisset patefacere, Seduni & Veragri persuasum habentes culmina Alpium perpetua possessione occupari, hyberna Romanorum præsentissimum in periculum adducunt, actumque de iis fuisset, ni repentina eruptione in securos irruendo, cædibus eos in fugam propulissent. *Cæsar* pacatam ratus Galliam in Illyricum abit. Ei Galli maritimi, ob imperatum frumentum ingens bellum excitant, Osisinos, Lexobios, Nannetes, Ambiliates, Morinos, Diablintres, Menapios adsciscunt. Auxilia ex Britannia, quæ contra eas regiones est, accersunt. Cæsar perpendens *omnes homines natura libertati studere, & conditionem odisse servitutis*, priusquam plures civitates conspirarent, partiendum sibi exercitum putavit, ut Treviros, Rhemos, Aquitanos, in officio contineret, Germanosque à Belgis accitos Rheno prohiberet. Venetorum urbes aggressus, intellexit frustra laborem sumi, & ne captis quidem oppidis hostium, fugam reprimi, qui paratis navibus se suaque omnia alio deportarent. Fit ergo navale bellum, sed majus cum ipso Oceano, cujus ex sæstus bis duodecim horarum spacio incitabat: interdum tanta subsidebat malacia, ut naves loco se commovere non possent. Erant insuper Romanorum naves rudes, & statim naufragæ, quum hostilium rostra sensissent. Una res erat usui, falces præacutæ insertæ affixæque longuriis, quibus funes antennarum comprehensi, navigio remis incitato prærumpebantur, iisque absciss, & concidentibus antennis, omnis usus navium uno tempore eripiebatur. Reliquum erat certamen positum in virtute, qua Romani facilè superabant. Sic victi etiam Veneti, omni senatu necato, sub corona venierunt. Iisdem diebus Q. Titurius Sabinus Unellos, Aulercos, Eburones, Lexobios, P. Crassus Aquitanos, egregiis stratagematis, sed multa tamen cæde subegêre.

Sequenti anno M. Crasso & Cn. Pompeio iterum Coss. *Germanos* cum immensis copiis Rhenum transgressos, inter quos Usipetes & Tenteri memorantur, petentibus Ubiis adortus *in fugam compulit*, qui magno numero interfecto, se in Rhenum præcipitaverunt. cccc & xxx millia capitum fuisse annotat. Hic vero jam Cæsar Rhenum ponte transgreditur, & Hercyniis Suevum quærit in sylvis, sed gens ferocissima in saltus & paludes se abdiderat; & *quod acerbissimum Cæsari fuit, non fuere qui vincerentur*. Dum hæc fiunt, M. Cato in petitione præturæ, prælato ei Vatinio, neglectus, cum legem impediret, qua provinciæ consulares in quinquennium, Pompeio Hispaniæ, Crasso Syriæ & Parthicum bellum, Cæsari Gallia & Germania dabantur, à Cajo Trebonio legis autore, in vincula ductus, lex perlata est. Cumque Romæ jam omnia Pompeius, Crassus & Cæsar possent, *Gabinio* in Parthos ituro *mandatur, ut Ptolemæum in regnum reducat*, rejecto Archelao, quem regem sibi Ægyptii adsciverant. Ei tamen honor antea habitus à Romanis fuerat, ferturque ejus Archelai avus, qui in Cappadocia postremus regnavit: Ptolemæus, ut esset, quod Gabinio daret, Berenicen filiam & ditissimos Ægyptiorum interemit.

Cæsar quasi hic orbis Romanis non sufficeret, classe comparata *in Britanniam transit*, mira celeritate. Plena erant tumultu hostico littora, & trepidantia ad conspectum rei novæ carpenta volitabant: itaque *trepidatio pro victoria fuit*. Arma & obsides accepit à trepidis:

Cæsar. l. 3.

Oros. l. 6. c. 8.

Cæsar. l. 3. Diod. lib. 39.

Cæsar. l. 4. comm. de Bello Gallic. Florus l. 3. c. 10. Diod. lib. 39.

Epit. Livii lib. 150.

A. M. 3917. *Diod. lib. 39. Joseph. l. 24. c. 11. Strabo lib. 17. Diod. lib. 39.*

Anno eodem. Florus l. 3. c. 10. Oros. l. 6. c. 19. Cæsar. l. 4. Cæsar. comm. l. 5.

pidis : & ulterius isset, nisi *improbam classem naufragio castigasset Deus.* Deinde pacatis Treviris, classe majore auctisque admodum copiis, in eundem rursus oceanum, eosdemque Britannos, Caledonias sequutus in sylvas, unum quoque è regulis Cingetorigem in vincula dedit: Contentusque hisce cædibus (*non enim provinciæ, sed nomini studebatur*) cum majore quam prius præda revectus est.

Joseph. l.14. c.11. Diod. lib. 39.

Cæsare occidentem ultimum incurrante, nondum satis quietum Orientem Gabinius, Syriæ proconsul avariissimus experiebatur. Nam antequam Ptolemæum reduceret, Aristobulus vincula Romanorum elapsus, negocium ei facessit. Eo victo & Romam remisso, ex Ægypto revertentem Alexander, filius Aristobuli, impulsis ad defectionem Judæorum XXXM, signis excepit infestis, ad montem Itaburium. Quo prælio desiderata sunt ex acie Judæorum x millia. Gabinius victor, constitutis ex Antipatri sententia rebus Judaicis, Nabathæos etiam uno prælio profligavit: Mithridatem & Orsanem Parthos, Phraatis filios, qui ab Orode fratre pulsi ad Romanos confugerant, pecunia corruptus dimisit, sparso rumore, quod clam aufugissent. Itaque Romæ accusatus est, quod & Ptolemæum, injussu plebis, & contra Sibyllina oracula reduxisset, & Syriam avarè administrasset, inque eum & Cicero, Pompeii dudum & T. Annii Milonis opera, Lentulo, & Metello Coss. ab exilio revocatus, graviter detonabat. Verum Pompeius, & Cæsar licet absens, sublevabant Gabinium: Cicero, quem antea accusaverat, defendere, persuasus à Pompeio, cœpit; quæ inconstantia transfugæ ei nomen, jam ante simili de causa inditum, confirmavit. Gabinius nihilominus ab infensa plebe damnatus est. Ciceroni illud Platonis placuit: *Tantum contendere in Republ. quantum probare tuis civibus possis.*

Diod. lib 39. Plut. in Cicer.

Cicero lib. 1. famil. epist. 9. Epit. Livii lib. 106.

Gabinio suffectus *M. Licinius Crassus*, homo inexplebilis avaritiæ, è templo Hierosolymitano decem millia talentorum, trabemque auream CCC minas pendentem abstulit; *crescente per rapinas studio & voluptate rapiendi, bellum Parthis intulit*, nec à populo Romano decretum, nec à se legitimè denunciatum. Mesopotamiam latè populatus, Orodi rationes violatorum poscenti fœderum, insolenter respondit, Seleuciæ, quæ erat præcipua Parthorum civitas, se eas redditurum. Quamobrem Orodes Surenam suum mittit cum exercitu, ipse in Artabazen Tigranis filium vadit, ut suo bello implicitus, Romanos nihil juvaret. Crassus circa Zeugma transgressus Euphratem, nihilque motus *prodigiis malum animum redarguentibus*, à Parthis in insidias deducitur, & à commilitone suo Abgaro Osroenorum rege, haud minore quam ab hostibus ipsis afficitur clade. *Filius Crassi Publius*, juvenis fortissimus, *cadit*, plurimique senatores Romanorum. Cum montem quendam in fuga occupasset, spe compositionis devocatus in plana interfectusque, *per ludibrium avaritiæ, liquefacto auro potatus est*, quod per res secundas adeo sitiverat, ut pauperem diceret, cujus reditus exercitum in castris alere non possent. Romanorum pauci Carras, noctis beneficio, lassatis cædendo Parthis, confugerunt. Ea clade intumescentes Syriam, Judæamque, & Antiochum regem Comagenum, Cassius Longinus, collectis præesse coactus militibus, egregiè repressit: Parthosque ad Antiochiam usque progressos repulit, & Osacem ducem eorum cum Pacoro adolescente missum, prælio occidit. Cicero tunc Ciliciæ rector Pindenissum oppidum cepit, Imperatorque appellatus est.

Bellum Parthicum. A. M. 3917. Diod. lib.40. Joseph. l.14. c.12. Orosius l.6. c.13. Florus l.3. cap. 11.

Justin. lib.42. Diod. lib.40. Cicero ad Attic. l.5. epist. 20. & l. 2. famil. epist.10.

Dum hæc geruntur, *C. Cæsar* novis subinde Galliarum motibus agitatus, innumeram ibi hominum multitudinem sæviente ferro excidit. L. Domitio, Appio Claudio Coss. hyberna inquietissima habuit. Unam legionem in Morinos ducendam C. Fabio legato dederat: alteram in Nervios Q. Tullio Ciceroni. Ter-

Cæsar. l. comm. 5. Orosius l.6. c.13.

Tertiam in Essuos L. Roscio, quartam in Rhemos T. Labieno: Tres in Belgio collocaverat. Alii Legioni & V. cohortibus apud Eburones Q. Titurium Sabinum & L. Aurunculeium Cottam præfecerat legatos. Ibi Ambiorix, Induciomari Treviri nuntiis impulsus, inita cum Eburonibus & Aduaticis conspiratione, Cottam & Sabinum legatos, insidiis circumventos, cum tota legatione delet. Advocatis etiam Nerviis, de improviso ad Ciceronis hyberna advolat, vallo ea & fossa cingit, continuaque oppugnatione infestat. Cicero extremo in periculo litteris jaculo illigatis Cæsaris implorat opem, Græcamque epistolam, quam lator amento jaculatus intra munitiones fuerat, recipit. Cognito Cæsaris adventu, Galli (sexaginta circiter millia erant) obsidionem relinquunt, ad Cæsarem omnibus copiis contendunt. Ille simulata fuga, eos in iniquum pertractos locum fugat, occisoque magno numero, omnes armis exuit. Treviros eidem culpæ affines, necato Induciomaro, Labienus subjugavit. Cæsar multis de causis majorem Galliæ defectionem exspectans, ab Cn. Pompeio, Reipublicæ tum causa ad urbem manente, tres novas legiones impetrat, duplicatumque earum cohortium numerum, quas cum Titurio amiserat.

Cæsar. comm. l. 6.

Iterum deinde Rhenum transit, quod Germani Treviris auxilia miserant, & Ambiorigi receptum præbebant. Sed postquam per alios exploratores comperit, Suevos ad initium sylvæ Hercyniæ Romanorum adventum præstolari, inopiam frumenti veritus, *quoniam minime tum Germania agricultura studebat*; partem pontis rescindit, collocataque ad ripas Ubiorum turri cum præsidiis, Ambiorigem in Arduenna sylva latentem frustra persequitur.

Interea anno urbis DCC *Romam ambitus honorum à divitiis incitatus jam fatis suis præparabat.* T. Annius Milo, P. Clodium, Competitorem consulatus, Appia via ad Bovillas occiderat, exemplo quidem gravi, sed salutari Reip. facinore. *Clodii* corpus in Curiam delatum Hostiliam, plebs cum ipsa curia cremaverat. Hypsæus, Scipio, aliique candidati, armis & vi honores captabant, eratque aliquanto tempore sine magistratibus respublica. Quare comprimendis turbis & seditionibus, tertius Pompeio decernitur consulatus frequenti senatu, atque ut Cæsar ab eo, jam nimium potens, separetur, soli decernitur, exemplo inusitato, *ut mutuo metu tenerentur.* Concordiam enim matrimonii fœdere devinctam mors Juliæ, Cæsaris filiæ, disjunxerat. Jam Pompeio suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompeiana dignitas gravis: *nec hic ferebat parem, nec ille superiorem.* Nefas! *sic de principatu laborabant, tanquam duos tanti imperii fortuna non caperet.* Pompeius tamen ad minuendam invidiam honoris, quem solus gerebat, Collegam socerum suum Q. Scipionem dixit. Ciceronem pro Milone peroraturum armato judicio exterruit, qui proinde non ea, qua solitus erat, constantia dixit.

Plutarch. in Pompeio & Cæsare. Florus l. 4. c. 2. Diod. lib. 40.

Milo in exilium actus, Massiliam se recepit. Ne Cæsarem propalam offenderet Pompeius, legem tulit, ut absentis ratio in consulatu haberetur, invito & contradicente M. Catone. Interim Marcellum & Curionem, Cæsari inimicissimos, illum consulem, hunc Tribunum facit. Cæsarem vero maxima omnium, eaque novissima Galliarum conjuratio distinebat, urbano eum retineri motu putantium, quo minus venire ad exercitum posset. Primi Carnutes negotiatores Romanos occiderant, & re clamore per agros regionesque dispositorum significata, cædes Genabi facta oriente sole, ante primam confectam vigiliam, in finibus Arvernorum pernotuerat, spatio millium passuum CLX. Apud Arvernos Vercingetorix Celtilli filius, cujus pater principatum totius Galliæ obtinuerat, incensis clientibus suis, egentium ac perditorum delectus celeriter habuit. Senones, Parisios, Pictones,

Cæsar. comm. l. 7.

Vell. l. 2. Epit. Livii lib. 107. Diod. lib. 40.

ctones, Cadurcos, Turones, Aulercos, Lemovices, Andios, Bituriges, maritimosque omnes sibi adjunxit, dubitantes magnitudine coëgit supplicii. Qua renunciata, Cæsar omnibus consiliis antevertendum ratus, Narbonem advolat, timentes confirmat, præsidia in Rutenis, Provincialibus, Tolosatibus, circumque Narbonem, quæ loca erant hostibus finitima, constituit. Per nives Gebennæ montis, qua ne singulari quidem homini via patebat, Arvernorum fines assequitur, priusque in unum locum omnes legiones cogit, quam de ejus adventu Arvernis nunciari posset. Vellaunoduno Senonum, Genabo Carnutum, & Novioduno Biturigum, uno victoriarum impetu captis, Avaricum, urbem Biturigum munitissimam, stimulante militem ad oppugnandum fame, quam Galli crematis circum oppidis induxerant, tandem oppugnatione capit, ubi non ætate confectis, non mulieribus, non infantibus ferrum pepercit. Ex quadraginta millibus vix octingenti ad Vercingetorigem evasêre. Ille *errare dictitans, qui in bello omnes securos rerum eventus exspectent, seque hoc incommodum celeriter majoribus commodis sanaturum*, paulo post Teutomari Nitiobrigum regis equitatu confirmatur. Cæsar divisit exercitum, quatuor legiones in Senones Parisiosque Labieno ducendas dedit; sex ipse in Arvernos ad Gergoviam applicuit urbem, quæ octoginta hominum millia muro, arce & abruptis defenderet. Ibi temeritate militum XLVI centuriones, dum incontinentius hostium castra invadunt, desideravit. Heduos antea amicissimos Litavicus ad defectionem interim impellit. Igitur Cæsar trans Rhenum in Germaniam mittit, equitesque ab his, & levis armaturæ pedites accersit. Eorum ope Vercingetorigem, Heduis auxilia ferentem, vincit. Alexiam edito in colle sitam circumvallat, & fame ad extrema consilia adegit. Confluunt eo Gallorum peditum CCXL millia, VIII equitum, pugnatur acriter, & dies integros, omnia tentantur. Tandem Galli terga vertunt, fit magna cædes. Conspicatus ex oppido cædem suorum Vercingetorix, ad utramque rem se offert, seu morte sua Romanis satisfacere velint; seu vivum tradere: deditur ergo, arma projiciuntur, Hedui in fidem Cæsaris redeunt. Labienus Parisios, Bellovacos Cæsar magna cæde edomat, exemplum reliqui tot cladibus fracti sequuntur. Uxellodunum pertinacissime propugnatum, siti fregit Cæsar, interciss cuniculis aversisque venis ejus fontis, qui unicus oppidanis aquam subministrabat. Deditis ibi omnibus, qui arma tulerant, manus præcidit, vitamque concessit, quo testatior esset pœna defectionis. Sparsis denique per totas Gallias militibus, nequa pars vacua ab exercitu esset, *defessos tot adversis præliis blande appellavit, & nulla onera nova imponendo, conditione parendi meliore facile in pace continuit.* Sub hæc Ptolemæus Auletes, Ægypti rex, anno regni XXIX decedit, successore puero annorum tredecim, qui sororem Cleopatram uxorem duxit.

Florus l.3.c.10.

A. Hirtius l.8. de bello Gallico. Oros. l.6.c.11.

Calius ad Ciceron. famil.l.8. epist.4.

Jam pene supervacaneum videri poterat, eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim nescit diremptos gradibus ætatis floruisse hoc tempore Ciceronem, Q. Hortensium, M. Crassum, M. Catonem, Sulpitium, moxque Brutum, Calidum, Cælium, Calvum, & proximum Ciceroni Cæsarem, æmulumque Thucydidis Sallustium; autoresque carminum Varronem & Lucretium, neque ullo in suspecti operis sui carmine minorem Catullum.

Vell.l.2.

IM-

IMPERIUM ROMANORUM.

C. Julius Cæsar.

Anno Mundi 3924. Periodi Hebdomadum Dan. 408. Ante Christum natum 46. Olymp. 133. Velleius lib. 2. Florus l. 4. c. 2. Diod. lib. 41. Epit. Liv. lib. 108. 109. Suet. in Jul. cap. 28. 29.

C. *Julius Cæsar* novem æstatibus pacata, aut potius exhausta viris opibusque Gallia (nam amplius CCCC hominum millia occiderat, plura ceperat) in Italiam profectus cognoscit ex C. Curione Tribuno plebis, quem dissoluto ejus ære alieno sibi conciliarat, legionum suarum duas, quæ ex S. C. deberent Bibulo ad Parthicum bellum tradi, per M. Marcellum consulem addictas Pompeio, atque in Italia retentas esse. Hoc facto parari contra se arma ratus, dimissurum se tamen exercitum, si à Pompeio dimitteretur rescripsit, & si sui ratio proximis comitiis haberetur. Sed Cæsari ea negantur: jussus venire privatus, & petere more majorum. Ille contra flagitare decreta à Tribunis pl. antea favente Pompeio, condita: ac nisi in fide permaneretur, non dimittere exercitum. Ergo ut in hostem decernitur. M. Antonius & Q. Cassius Tribuni plebis, quorum intercessionibus id S. C. impediebatur, Curione Cælioque comitantibus ad Cæsarem profugiunt. Ita C. Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo Coss. post urbem conditam annis DCCIII præcedente Solis deliquio, bellum civile exarsit, execrandum & lacrymabile, quo, præter calamitates infandas, quæ præliis acciderunt, etiam Romani nominis fortuna, totiusque urbis status immutatus est. Justissimus quisque & à Pompeio exautorari volebat copias. Pompeius enim per triennium, absens ipse & præsidens urbi, Hispanias per legatos suos administrabat, & iis qui à Cæsare exautorandos censebant exercitus, assentabatur: iis qui ab se, adversabatur: qui, si perfectis muneribus theatri, ante biennium, valetudine (pro qua tum universa Italia vota suscipiebat) decessisset, magnitudinem suam illibatam ad inferos detulisset. Causa quidem ejus videbatur melior. Cæsaris autem erat firmior. Pompeium senatus autoritas, Cæsarem militum armabat fiducia. Vir antiquus & gravis neutras partes laudaret: *nemo sanctus injuriam privatam patriæ subversione vindicandam duceret*; prudens sequeretur Cæsarem, & illa Pompeii gloriosa, hæc terribiliora duceret. Cæsar Rubicone flumine transmeato, mox ut Ariminum venit, quinque cohortes, quas tunc solas secum habebat, quid facto opus esset, edocuit. Deplorans enim injurias suas, causam belli civilis pro restituendis in patriam tribunis testatus est. Auximo capto, terroris implevit Romam, Lentulo & Marcello Coss. reliquisque Magistratibus deseri patriam, foris parari bellum placuit. Inde per Antonium septem cohortes, quæ apud Sulmonem erant, à Lucretio Cesar extorsit: tresque legiones, quæ cum L. Domitio apud Corfinium erant, desertas à Pompeio, ad partes suas traduxit. Pompeius enim consulesque, & senatus pars major, crescentibus Cæsaris viribus trepidi, relicta urbe, ex Italia, quam Pompeius supplosione pedis se armaturum frustra speraverat, brevi profugituri, Brundusium contendebant. Commissumque ab optimatibus, sive eorum duce est, ut ait Cicero, *è portu sine gubernaculis egressi, tempestati se traderent*, rectius facturi, si illo consultore, vel *injustam pacem miserrimo bello prætulissent*. Cæsar circummissis ad Italicos literis, Pompeium in jus vocavit, & omissa Roma, quam victoris fore prævidebat, peragere bellum sine sanguine statuit, si Pompeium Brundusii opprimere posset. Et fecisset, nisi ille obsessi claustra portus, nocturna fuga evasisset. Igitur Cæsar pene vacuam metu Romam ingressus, in senatu & in concione *alienis armis se arma compulsum* profitetur. Ærarium

Lucan. lib. 1. belli civilis.

Velleius lib. 2.

Oros. lib. 6. cap. 4. Diod. lib. 41.

Florus lib. 4. cap. 2. Suet. in Julio. c. 31, &c. Cæsar. l. 1. de Bello civil.

Lucan. lib. 2.

Cicero lib. 7. ad Attic. epist. 12. 13, &c. & lib. 8. toto lib. 9. ad Attic. epist. 17. 18. Lucan. lib. 3.

quoque à Pompeio præ festinatione neglectum, quia tardius aperiebant Tribuni, fractis foribus invasit, protulitque auri pondo IV M. centum triginta quinque: argenti pondo prope D C C C C millia. Pulso fugatoque Pompeio, maluit prius ordinare provincias, quam ipsum sequi. Siciliam & Sardiniam, annonæ pignora, per Curionem & Valerium legatos habuit. Nihil hostile erat in Gallia, pacem ipse fecerat. Sed ad hispanienses Pompeii exercitus transituro, portas claudere ausa Massilia est. Misera dum cupit pacem, belli metu in bellum incidit; quia tuta muris erat, Cæsar vinci eam sibi absenti per Trebonium & Brutum jussit. Mox dedentibus sese ablata omnia, præter, quam *potiorem omnibus habebant, libertatem.* Anceps variumque in Hispania bellum cum legatis Pompeii, Petreio & Afranio: quos tandem aggere & vallo, ac per hæc siti ad deditionem compulit. Per hæc à M. Lepido prætore *dictator* Romæ dicitur *Cæsar:* ex dictatore Consulem se cum P. Servilio ipse facit. Sic citerior Hispania recepta est, nec ulterior moram fecit. Quid enim una post quinque legiones? itaque ultro cedente M. Varrone, Gades, Fretum, Oceanus, omnia felicitatem Cæsaris sequebantur. *Prospera tamen ejus mox adversis obnubilata, quasi de industria partes refoveret fortuna.*

Epit. Livii lib. 110.

Cæsar lib. 2. de Bello civil. Lucan. lib. 4.

Quippe cum fauces Adriatici maris jussi occupare P. Dolabella & Antonius, ille Illyrico, hic Corcyræo littore castra posuissent, jam maria late tenente Pompeio, repente Legatos Pompeii Octavius Libo ingentibus copiis classicorum circumvenit utrumque: deditionem fames extorsit C. Antonio. Missæ quoque à Basilo in auxilium ejus rates, nova Pompeianorum arte Cilicum, actis sub mari funibus, captæ quasi per indaginem. Similiter in Africa Curio, pulso fugatoque Varo jam superbus, subitum Jubæ regis adventum equitatumque Maurorum non sustinuit. Patebat victo fuga, sed *conscientia suasit, ut amissum sua temeritate exercitum, corruptamque fraudibus remp. morte sequeretur.*

Florus l. 4. c. 2.

Sed jam debitum fatis par flagitante Deo, sedem bello Pompeius Epiron elegerat. Nec Cæsar moratus, quippe ordinatis à tergo omnibus, quamvis hyems media prohiberet, adversa tempestate ad bellum navigavit. Morante ad Brundusium exercitu, ardente ventis mari, speculatorio navigio solus accersitum profectus milites, trepido gubernatori, Quid times ait, Cæsarem vehis. Contractis in unum undique copiis, Cæsar conficiendæ rei avidus, ostentare aciem, obsidere castra, oppugnare Dyrrachium, diripere urbes socias, Oricum, Gomphos, alias. Pompeius adversus hæc nectere moras, tergiversari simul, ut hostem intercluſum undique inopia commeatuum terreret, atque ardentissimi ducis consenescet impetus. Sed *salutare consilium, milites otium, socii moram, principes ambitum esse increpabant*, ut haud vanè Cæsar profecturus in Hispaniam dixerit, *se ire ad exercitum sine duce, rediturum ad ducem sine exercitu.* Sic præcipitantibus fatis, prælio sumta est Thessalia. Variatum tamen ante præliis, sed uno longe magis Pompeianis prospero, quo graviter impulsi sunt Cæsaris milites, XXX centuriones, quatuor militum millia cecidêre. Evasit tamen, quia nocte interveniente Pompeius sequi noluit, dixitque Cæsar, nec Pompeium scire vincere: & illo tantum die se potuisse superari. Tum *Cæsar* fatalem victoriæ suæ *Pharsaliam petit.* Pompeius plerisque suadentibus, ut in Italiam transmitteret copias, usus impetu suo, hostem secutus est. Vix uno unquam loco tantum virium populus Romanus, tantum dignitatis sol vidit. Pompeii acies habuit XL M peditum, equitum in sinistro cornu septem millia, in dextro D. Præterea totius Orientis auxilia, totamque nobilitatem, innumeros senatores, prætorios, Consulares, & qui magnorum jam populorum victores fuissent. Cæsar peditum non integra

Diod. lib. 41. Florus l. 4. c. 2. Cæsar. lib. 3. de Bello civili.

Lucan. lib. 5.

Lucan. lib. 6. Sueton. Julio. c. 34. 35. Velleius lib. 2. Eutr. l. 6. Dio l. 41.

A. M. 3924.

Lucan. lib. 7.

integra xxx millia, equites mille, sed gentium fortissimarum fortissimos. Cum diu æquo marte contenderent, Germanorum cohortes tantum in effusos Pompeii equites fecere impetum, ut illi esse pedites, hi venire in equis viderentur. Stragem fugientis Pompeiani equitatus, levis armaturæ ruina secuta est. Voces obequitantis Cæsaris exceptæ, altera cruenta, *Miles faciem feri*; altera ad jactationem composita, *Parce civibus*, cum ipse insequeretur. *Cæsa Pompeianorum* XV M. Centuriones XXXIII. Pompeius profugiens cum duobus Lentulis Consularibus, Sextoque filio & Favonio prætorio, aliis ut Parthos, aliis ut Africam peteret, (in qua fidelissimum partium suarum haberet regem Jubam) suadentibus, memor beneficiorum, quæ in patrem ejus Ptolemæi, qui tum puero, quam juveni propior regnabat Alexandriæ, contulerat, *in Ægyptum* contendere proposuit. Sed *quis in adversis beneficiorum servat memoriam? aut quis ullam deberi putat miseris gratiam?* aut *quando fortuna non mutat fidem?* Missi itaque ab rege, qui venientem Cn. Pompeium, consilio Theodori & Achillæ obvia navi exciperent. Sed cum descendisset in navim Pompeius, imperio vilissimi regis, suggestionibus spadonum, & ne quid malis deesset, Septimii desertoris sui gladio trucidatur, sub oculis uxoris suæ Corneliæ, liberorumque, anno ætatis duodesexagesimo. Tam funestum finem immodica ambitio habuit. Cicero imperium à Pompeianis ad se delatum prudenter recusavit, periculoque ob id implicitus, cum Catonis virtute se explicasset, Brundusium transmisit. Cæsar victor omnibus adversarum partium, potestati se ejus permittentibus, ignovit. Tum vero absens Romæ Dictator creatus, pacisque & belli dominus, M. Antonium magistrum equitum dixit, qui quod statim gladio accinctus, militibusque semper stipatus incederet, imminutæ Romanis libertatis primus documentum præbuit. *Cæsar* post tertium diem *Ægyptum assecutus*, cum ei Theodorus caput Pompeii & annulum obtulisset, infensus interfectori, *illacrymavit hosti, quem tanto conatu perditum iverat.* Alexandriam tumultuantem pro tutore regis pupilli intravit; Cleopatram à fratre eodemque marito antea pulsam, venustate ejus captus, in regnum reducere studuit. Qua de causa irritatos Alexandrinos, cum militem idoneum non haberet, oratione placavit. Inferentem vero bellum Ptolemæum, iisdem autoribus quibus Pompeium interfecerat, cum maximo suo discrimine vicit. Nam primum obsessus in regia, ædificiorum proximorum atque navalium incendio, instructissimæ etiam illius Bibliothecæ Alexandrinæ, tela submovit infestorum hostium: mox in peninsulam Pharon evasit. Inde depulsus in maria, mira felicitate ad proximam enatavit classem. Tandem receptus à classiariis suis, & undique simul hostes adortus, debellata perfida gente, justa Pompeii manibus dedit. Quippe autores belli Achillas & Theodorus varia morte consumpti: Regis ipsius corpus, Nili obrutum limo repertum est, in aureæ loricæ honore. Atque hic finis regni Ptolemæorum fuit. Cæsar enim Alexandria potitus, regnum Cleopatræ dedit, cum *impudicam eam prius fecisset quam reginam, soleretque non magis libidini, quam avaritiæ & ambitioni imperare.* Rediens inde, Pharnacem, Mithridatis magni filium, discordiæ magis Romanæ, quam virtutis suæ fiducia, rebellantem in Ponto, & Cappadociam Bithyniamque obruentem, uno impetu invasit, percussit, destituit, ut vana haud fuerit prædicatio ejus, VENI, VIDI, VICI. *Pharnaces* in Bosphorum Cimmerium refugus, Asandri amici insidiis cecidit, *paternoque sanguini crudeles, sed justas pœnas pependit.* Necdum tamen erat finis cædium. Quippe ingens partium Pompeii favor bellum excitaverat Africanum, quod ciebat rex Juba, & Scipio soccer Pompeii. M. Cato summa cum difficultate perductis ad eos legionibus, imperium sibi delatum, Scipioni permisit,

Flor. l. 4. cap. 2. Oros. l. 6. cap. 15.
Vell. l. 2. Diod. lib. 42. Plut. in Cn. Pompeio. Lucan. lib. 8.
Epit. Livii lib. 3. Plut. in M. Cicerone.
Diod. lib. 42.
Epit. Livii lib. 12.
Lucan. lib. 9.
Cæsar. lib. 3. de Bello civil. Flor. l. 4. cap. 2.
Lucan. lib. 10. Cæsar. lib. 4. de Bello civil. Eutrop. lib. 6. Orosius lib. 6. c. 15. 16.
Sueton. Jul. cap. 52. 54.
Diod. lib. 42.
A. M. 3925. *Velleius lib. 2.*
A. M. 3926.

misit, tanquam Consulari, *Juba* suadente, ut dirueretur Utica propter favorem Cæsaris, Catoni renitenti tutela ejus mandata. Pompeii Magni filius in Hispania reparatis viribus, quarum ducatum nec Petreius recipere volebat, bellum adversus Cæsarem ingens ac terribile conflavit, auxiliis ad eum undique ex toto terrarum orbe confluentibus. Romæ etiam tumultuantem plebem, ob novas P. Dolabellæ tabulas, M. Antonius inductis in urbem militibus, octingentis civium cæsis compescuit. Cæsar veteranis seditiose missionem postulantibus, dedit eam. Et cum in Africam trajecisset, contra copias *Jubæ* regis cum discrimine maximo pugnavit, nec sustinuisset, nisi per Sitium quendam, qui in Mauritania Jubæ bellum movebat, ad sua regem defendenda revocasset. Confirmatus deinde exercitibus Italicis & Siculis, Scipionem, Afranium, *Jubamque vincit* ad Tapsum, cæsis militum decem millibus, castrisque eorum expugnatis. *Cato* audita clade relectoque de nocte ad lucernam Platonis libro, qui immortalitatem animæ docet, paululum quievit. Tum circa primam vigiliam pactus semel iterumque percussit. Curatus interveniente filio, resciisso paulo post vulnere, *exspiravit*, anno ætatis XLIX, *dignus vir meliore exitu, sed quem illa sui seculi stolida fortitudo excæcavit.* Petreius Jubam seque interemit. P. Scipio in nave, cum se confeciisset ferè, quærentibus eum hostibus, Imperatorem bene se habere respondit. Tantum illos *Cæsaris odium incesserat, ut mori mallent, quam ejus gratiam petere.* Catonis tamen filio & aliis petentibus venia data est. Nepotes Pompeii & filia, Faustus Sylla Afraniusque occisi. Reversus Cæsar Romam quatuor duxit triumphos: ex Gallia, ex Ægypto, ex Ponto, & Africa: epulum & omnis generis spectacula edidit, justa scilicet lætandi causa, quod tantum civium periisset. M. Marcello, hosti acerrimo, senatu rogante, Cicerone perorante, concessit reditum. Sed tantarum cædium autorem cliens ejus P. Magius Athenis, ne in patriam reverteretur, occidit. Census, quantum Romani sanguinis intercidisset, patefecit. Censa civium capita CL millia, cum proximis lustris ultra quadringenta millia fuissent. Quartum igitur consul Cæsar contra Pompeii filios, Cn. & Sextum transiit in Hispaniam, nec usquam atrocius, dubioque magis marte dimicavit. Primo velut furorem civium castigaret Oceanus, utraque classis naufragio corrupta est. Mox circa obsidiones urbium utrinque discursum: omnium postrema certaminum Munda fuit. Ibi adeo Cæsaris acies prostata est, ut de extremis agitaret; ne post tantam rei militaris gloriam, in potestatem adolescentium, natus sex annos & L veniret. Denique procurrens in primam aciem vicit: Pompeii major filius Munda congestis è cadaveribus aggere oppugnata, effugit quidem, at à Ceronio occisus est: Sextum fortuna aliis bellis reservavit. T. Labienus, qui cum Cæsare in Galliis res magnas gesserat, Pompeianas tum partes sequutus, cecidit in acie. Bellis igitur civilibus toto orbe compositis, *quintus ex Hispania triumphus Cæsari actus.* Cum multi ei, quam maximique honores à senatu decreti essent, inter quos ut pater patriæ appellaretur, & sacrosanctus, & Dictator in perpetuum esset, invidiæ causam adversus eum præstitêre, quod senatui deferenti hos honores ante ædem Veneris non assurrexit, diadema M. Antonio Cons. inter Lupercos currente, capiti suo impositum, in sella reposuit: & Epidio Marullo & Cæsetio Flavo Tribunis plebis invidiam ei, tanquam regnum affectanti moventibus, potestatem abrogavit. Ex iis causis conspiratione in eum facta, cum vix quinque mensium quiete usus esset, M. Brutus, C. Trebonius, Caius Cassius, & ex ipsius Cæsaris partibus D. Brutus, in curia eum Pompeii occiderunt XXIII vulneribus: interfectores occuparunt Capitolium, decretaque cædis ejus oblivione, autore M. Tullio, acceptis obsidibus

Epit. Livii lib. 113.
Diod. lib. 42.
Hirtius aut Cæsar, lib. 5. de Bello civili.
Diod. lib. 43.
Epit. Livii lib. 114.
Flor. l. 4.
Oros. l. 6. cap. 16.
Epit. Livii lib. 115.
Diod. lib. 43.
A. Hirt. lib. 6. de bello civil.
Eutrop. lib. 6.
Diod. lib. 43.
Florus l. 4. c. 2.
Epit. Livii lib. 116.
Sueton. in Iulio c. 78. 79.
Oros. l. 6. cap. 17.
Plut. in Cæsare.

Appian. lib.2. de Bellis civilib.

bus in urbem descenderunt. *Sic ille qui terrarum orbem sanguinis impleverat, tandem ipse sanguine suo orbis curiam implevit*; anno imperii dicam an belli? quinto. Per hoc tamen quinquennium ut reliquus orbis, ita & Judæa, magnas rerum commutationes sensit.

Aristobulum ut diximus, Gabinius in catenis ad Pompeium remiserat, cum odio partium solvit Cæsar, additisque duabus legionibus in Judæam amandavit. Sed ille in itinere à Pompeianis præoccupatus, veneno periit: filiusque ejus Alexander, ne, ut antea res novaret Judæorum affluxu, à Scipione socero Pompeii securi percussus est Antiochiæ. At victo in pugna Pharsalica Pompeio, Hircanus Ethnarcha, & Antipater, Cæsari in occupando Pelusio, vincendisque Ægyptiis multum contulerunt, Judæis persuadendo Ægyptiis, ut partes Cæsaris sequerentur, ejusque aciem tribus armatorum millibus sustentando. Mithridates certe Pergamenus, qui alteri Cæsarianorum cornui præerat, exertè fassus est, servatum Antipatri opera exercitum, Ægyptiosque jam vincentes in fugam actos. Quare cum Hircano & filiis ejus percussum à Cæsare fœdus, datumque ut perpetuo fruerentur gentis imperio, Judæosque suis legibus regerent, muri etiam Jerosolymæ, quos Pompeius diruerat, egregiè instaurati, Antipater præfecturam adeptus Palæstinæ, Phasaëlum filium Hierosolymæ, Herodem Galilææ præposuit. Herodes audacis & elati ingenii juvenis, Ezechiam latronem, multosque cum eo indemnatos alios interfecit, contra leges Judaicas, quibus summa rerum summo sacerdoti & concilio LXX seniorum attribuebatur. Citatus ergo ad causam dicendam capitis, consilio patris sui Antipatri, fortissimam sibi manum circumdedit militum, ut terrori Judicibus reus, non illi reo essent. Igitur unus ex iis surgens (Sameas Josepho, aliis Simeon Justus dicitur) pœna dignum censuit Herodem, vel eo tantum

Joseph. lib.14. ant.c.13. 14.& l.1. de bello Iudaico cap.7.

Ioseph. lib.14. Antiq. c.16.17. lib.1.de bello Iudaico c.8.

nomine, quod vim facere ipsis legibus, sanctissimoque Synedrio non erubesceret: nec effugituros manus ejus, seu Hircanum Ethnarcham, seu judices, nisi jus fasque periculo anteponerent. Nihilominus Herodes, Hircani monitu elapsus damnationem, & à Sexto Cæsare Cavæ Syriæ præfectus, paulo post ostendit Simeonem divino spiritu ea prolocutum. Ægrè enim ab Antipatro & fratribus suis deductus de sententia est, ne statim ferro in Hircanum benefactorem suum, universosque judices sæviret, quos postmodum regno potitus omnes sustulit, Simeone excepto, qui ad id superesse debuit, ut cœlestem Judæorum regem omniumque servatorem ulnis amplecteretur. Ita enim Vates prædixerant, mansuram Judæis sceptri potestatem & sacerdotii, quoad rex omnium populorum è Davidis stirpe efflorescceret. Sic ergo Judæorum Remp. Cæsar recreavit, qui liberalium etiam doctores artium, quo libentius urbem incolerent, & cæteri appeterent, omnes civitate donavit. Tertium Consul, Fastos per intercalandi licentiam turbatos, autore Sosigene Mathematico correxit, annumque ad cursum solis accommodavit, ut trecentorum sexaginta quinque dierum esset, & intercalario mense sublato, unus dies quarto quoque intercalaretur. Nulla Romanorum religione à quoquam incepto absterritus unquam, vel retardatus est. Nullum unquam hostem fudit, quin castris quoque exueret: Ita nullum spatium perterritis dabat: Milites impensè dilexit, bello civili medios & neutrius partis, suorum numero habuit. Quibus ex commendatione Pompeii ordines dederat, potestatem transeundi ad eum omnibus fecit. Percussorum ejus ferè neque triennio quisquam amplius supervixit, neque sua morte defunctus est. Pars naufragio, pars prælio periêre: nonnulli semet eodem illo pugione, quo Cæsarem violaverant, interemerunt. *Diceres juste occisum quidem esse, nec tamen justos occisores esse.*

Gen.49. Ier.33. Psal.89.

Suet. in Iul. c.4. Dio l.41. Plin.l.18. cap.25.

Sueton. Iulio 6, 59,69, 75,77. 89.

Plin.l.7. cap.25.

Quin-

Quinquagies collatis signis dimicaverat: præter civiles victorias, undecies c, & xcii m hominum occisa præliis ab eo, non equidem in gloria posuerim. Illa fuit vera invicti animi sublimitas: captis apud Pharsaliam Pompeii Magni scriniis epistolarum, iterumque apud Thapsum Scipionis, ea optima concremasse fide, atque non legisse. Ejus corpore pro rostris posito, Sol orbem suum celasse dicitur.

Aurel. Victor. Virg. Georg. 1.

C. Cæsar Octavianus Augustus.

A. M. 3929. *Periodi Danielis* 413. *Ante Christum natum* 41. *Olymp.* 184. *Vell. l. 2. Diod. lib. 45. Appian. lib. 3. de bellis civil.*

Cæsar ante mortem *C. Octavium* nepotem sororis suæ Juliæ, testamento adoptaverat, & ex dodrante hæredem scripserat, Apolloniamque eum in studia miserat, mox belli Getici & deinde Parthici, quæ parabat, commilitonem habiturus. Octavio ut est nunciatum de cæde avunculi, protinus ex vicinis legionibus centuriones suam ei, suorumque militum operam obtulerunt. Quam cum non spernandam Salvidienus & Agrippa dicerent, ille in urbem festinavit, posthabitoque matris, aviæ, & Philippi vitrici consilio, invidiosæ Cæsaris fortunæ nomen adiit. Antonius eum Cos. superbè excepit, vixque admisso in Pompeianos hortos, loquendi secum tempus dedit. Qui cum impotenter dominaretur, legemque de provinciarum permutatione tulisset per vim, Cæsaremque quotidianis peteret insidiis: Cæsar excitis è coloniis veteranis vires Reip. in eum paravit. Legiones quoque Martia & Quarta, quas è transmarinis provinciis Antonius advocarat, cognita populi voluntate, & Cæsaris, xix annum ingressi indole, signa ad Cæsarem transtulerunt. D. Brutus Cos. designatus, ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio (quæ Bruto decreta, at ab Antonio præoccupata erat (obsisteret, Mutinam cum exercitu est ingressus. Cæsari, quia arma sumpserat Reip. pro pop. Romano, imperium à senatu datum cum consularibus ornamentis, adjectumque ut senator esset, & conjunctis cum Hirtio & Pansa Coss. copiis bellum adversus Antonium gereret, quem *Cicero acerbissimis orationibus* in senatu perstringebat, contradicente Q. Rufio Caleno, & neutrum publica armandum autoritate differente. *M. Antonius* Brutum Mutinæ obsedit, missique ad eum legati à Senatu de pace, parum ad eam obtinendam valuerunt. M. Brutus in Græcia sub prætextu Reipubl. & susceptæ contra Antonium belli, exercitum, cui Vatinius præerat, cum provincia in potestatem suam redegit. C. Antonium Marci fratrem in Epiro sic bello lacessivit, ut volentes ei legiones extorqueret. Ita *de integro, quasi è seminatis Draconis dentibus, nova bella Civilia surrexerunt.*

Epit. Livii lib. 117. Flor. l. 4. cap. 3. 4.

Epit. Livii lib. 118. Vell. l. 2.

A. M. 3929. *Dion. lib. 46. Ciceronis Philipp.*

Jam & Dolabella in Asia C. Trebonium consularem, cui succedebat, fraude deceptum, Smyrnæ occiderat, participem Cæsaris cædis, à quo ipse provectus in consulare fastigium fuerat. Dolabellam ob id facinus hostem judicatum, C. Cassius, acceptis à Statio Murco, & Crispo Marcio prævalidis legionibus, Laodiceæ expugnavit, coëgitque servo suo cervicem dare.

Vell. l. 2. Epit. Livii lib. 121.

Ab Cæsare annum ingrediente vicesimum, D. Brutus obsidione Mutinæ liberatus est, L. Pansa consulum alter in acie, alter A. Hirtius post victoriam suam in inimicorum castris cecidit. Antonius turpi ac nuda fuga deserere coactus Italiam. Hic antequam fugeret, omnia honorifice à senatu in Cæsarem decreta sunt, maxime autore Cicerone, sed ut recessit metus, erupit voluntas, protinusque Pompeianis partibus rediit animus. Bruto Cassioque provinciæ, quas jam illi sine ullo S. C. occupaverant decretæ, D. Bruto triumphus, Pansæ atque Hirtio sepultura publica, Cæsaris adeo nulla habita mentio, ut legati, qui ad exercitum ejus missi erant, juberentur, summoto eo, milites alloqui. Cicero *laudandum puerum, & tollendum censebat*, cum aliud diceret, aliud intelligi vellet. Interim Antonius fuga transgressus

Epit. Livii lib. 119.

gressus Alpes, primo per colloquia à M. Lepido, qui decreta sibi Hispania, adhuc in Gallia morabatur; mox sæpius in conspectum veniens militum, cum & Lepido omnes imperatores forent meliores, & multis Antonius, dum erat sobrius; per aversa castrorum prærupto vallo, militibus receptus est: qui titulo imperii cedebat Lepido, cum summa virium penes ipsum foret. Plancus collega Bruti, dubiæ homo fidei, & Asinius Pollio Pompeianis constanter adversus, uterque exercitus tradidere Antonio. D. Brutus desertus est primo à Planco, mox etiam insidiis ejusdem petitus, paulatim relinquente eum exercitu fugiens, in hospitis cujusdam domo, per immissos ab Antonio percussores, Cæsari à se jugulato pœnas dedit. Atque hæc sunt tempora, quibus *M. Tullius* continuis actionibus æternas *Antonii memoriæ inussit notas*, cui deinde illa libertatis vindicta *morte stetit*. Lepidus à senatu hostis judicatus est, ut ante fuerat Antonius. Tum inter eum, Cæsaremque & Antonium, commercia epistolarum, & conditionum facta mentio, cum Antonius & subinde Cæsarem admoneret, quam inimicæ ipsi Pompeianæ partes forent, & in quod jam emersissent fastigium; & quanto Ciceronis studio Brutus Cassiusque attollerentur, denunciaretque se cum Bruto Cassioque, qui decem & septem legionum potentes erant, juncturum vires suas, si Cæsar ejus aspernaretur concordiam. Tum inita potentiæ societas, privignaque Antonii desponsa Cæsari: & perculsis adventu Cæsaris iis, qui in eum iniqui erant, annos XX *natus consul creatus est*, anno urbis conditæ DCC IX. Inde legem tulit de quæstione habenda in eos, quorum opera pater ejus Julius occisus esset, & M. Brutus, C. Cassius absentes damnati sunt. *Furentibusque Antonio & Lepido, Triumviratus Reip.* constituendæ à proscriptionibus *cœpit*. Nihil tam indignum isto tempore fuit, quam quod à Cæsare *Cicero proscriptus est*, absciissaque vox publica, & auctoramento funebri ad conservatoris quondam sui & Reip. necem Popilius legionarius miles irritatus. Caput clarissimum cum manu dextera in rostris positum, ludibrio fuit Fulviæ conjugi Antonii, impotentis superbiæ fœminæ, *nilque muliebre, præter corpus habenti*. Nihil justum sanctumque illis proscriptoribus erat relictum. Plurimi equites, CXXX senatores, & inter eos Paulus frater M. Lepidi & L. Cæsar Antonii avunculus, feralem *tabulam* implevêre. Dum ea in Italia geruntur, C. Cassius acri atque prosperrimo bello totam occupavit Syriam. Judæam exigendis tributis valdè afflixit, & per hæc Antipatro, à Malicho venenis sublato, concessit filio ejus Herodi, ut Malichum Hyrcano carissimum interimeret. Et factum est, obmutescente ad facinus Hyrcano Ethnarcha, ob potentiam Cassii. Inde Rhodum capit Cassius, Brutus Lycios domuit: ambo in Macedoniam transjecêre copias, cum per omnia repugnans naturæ suæ Cassius, etiam Bruti clementiam vinceret. Neque *reperias, quos aut pronior fortuna comitata sit, aut velut fatigata maturius destituerit, quam Brutum & Cassium*. Nam redactis in potestatem eorum omnibus transmarinis provinciis exercitibusque, C. Cæsar & Antonius *apud urbem Philippos* acie cum illis occurrerunt.

Pugnatum vario eventu, ita ut utriusque dextera cornua vincerent, & castra quoque utrinque ab iis, qui vicerant, expugnarentur. Cornu, cui Brutus præerat, castra Octaviani cepit, ab Artorio medico ut excederet, quanquam infirmissimus corpore, præmoniti, ob nocturnæ quietis ostenta. Id autem in quo Cassius erat, fugatum ac male multatum in altiora se receperat loca. Tum *Cassius*, ex sua fortuna eventum collegæ æstimans, *extentam cervicem liberto præbuit*. Decideratque ejus caput, cum missus miles rediit, nuncians Brutum esse victorem. Qui cum imperatorem prostratum videret, *Sequar*, inquit, *quem mea occidit tarditas*, & ita in gladium incubuit.

Vell. l. 2. Dio. l. 46.

A. M. 3929.

Anno eodem. Epit. Liv. lib. 120. Florus lib. 4. c. 6. Anno eodem.

Dio. l. 47.

Appia. lib. 4. de bellis civil.

Anno eodem. Joseph. lib. 14. c. 18. 19. 20. Lib. 1. de bello Judaico, c. 9. Vell. l. 2.

Epit. Livii lib. 122. 124.

Bellum Philip. A. M. 3930. Vell. l. 2. Florus l. 4. c. 7. Dio. l. 47.

Appia. lib. 4. de bellis civil.

Post paucos deinde dies, *Brutus* iterum conflixit cum hostibus, & *victus*, Stratonis familiaris sui gladium sinistræ admovit mammillæ, impulsusque in mucronem uno ictu *exspiravit*, cum per noctem antea *mali imaginem genii sui* vidisset.

Messalla, cum essent qui eum ducem poscerent, servari beneficio Octaviani Cæsaris maluit, quam dubiam spem armorum tentare amplius. *Non aliud bellum cruentius cæde clarissimorum virorum fuit.* Filios Luculli, Hortensii, Catonis eminentissimorum virorum, gladius hostilis abstulit: Drusum Livium Juliæ Augustæ patrem, & Varum Quintilium proprius. Statius Murcus, qui classi præerat, Sextum Pompeium Magni filium, qui ex Hispania revertens, Messanam primum, inde totam Siciliam armis occupaverat, petiit: ad quem & è Brutianis partibus & ex Italia, quos præsenti periculo fortuna subduxerat, confluebant, *exitialemque tempestatem fugientibus Statius pro portu erat.* Sextus Pompeius adolescens erat, studiis rudis, impetu strenuus, cogitatione celer, fide patri dissimillimus, *libertorum suorum libertus, servorumque servus:* quem senatus penè totus adhuc è Pompeianis constans partibus, post Antonii à Mutina fugam, eodem illo tempore, quo Bruto Cassioque transmarinas provincias decrevit, in paterna bona restituerat, & oræ maritimæ præfecerat. Is tum servitia fugitivosque in numerum exercitus sui recipiens, per Mænam & Menecratem, paternos libertos, latrociniis ac prædationibus infestabat mare, ductu quondam patris sui à sceleribus piraticis vindicatum. Antonius fractis Brutianis Cassianisque partibus transmarinas obiturus provincias substitit: Cæsar in Italiam se recepit, eamque longè, quam speraverat, tumultuosiorem reperit.

Dio l.48. Appianus l.5. de bellis civil.

Epit. Livii l.125. 126. Florus l.4.c.5.

Cum enim Veteranis agros divideret, alia spe corrupti à Fulvia, M. Antonii uxore, milites seditionem concitarunt, quam grandi cum suo periculo Cæsar inhibuit. L. Antonius Cos. Marci frater, criminatus apud eos Cæsarem, qui agros amiserant, magnum conflavit exercitum, pulsusque undique Perusiam se contulit. Eum obsessum, conatumque aliquoties frustra erumpere, Cæsar fame in deditionem venire coëgit, ipsique & Fulviæ & Planco, omnibusque militibus, ignovit, Perusiam diruit, ira magis militum, quam sua voluntate adductus: redactisque in potestatem suam diversæ partis exercitibus, bellum citra sanguinem confecit: Cæterum *Antonius* in Asiam profectus, omnium gentium legationes in Bithynia habuit obvias. Aderant & Judæorum primates, Phasaëlum & Herodem accusaturi, quod in speciem solum regnaret Hircanus, tota verò potestas penes hos fratres esset; qui nuper etiam Antigonum Aristobuli filium, Judæa expulissent. At *Herodes*, pecunia data Antonio, accusatoribus præclusit viam, & Hircani devinctus affinitate, qui neptem ei uxorem dederat, *tetrarchæ* etiam *honorem obtinuit.* Judæi apud Tyrum renovantes accusationem, pro libertate vincula & mortes, indignante Antonio, perpessi sunt. Sequenti anno cum *Antonius* jam *delibutus amore Cleopatræ*, reginæ Ægyptiæ, omissis bellis, voluptatibus vacaret, Antigonus Pacorum, Orodis Parthorum regis filium, & Barzapharnem satrapam, *in Syriam attraxit*, qui tum vi, tum fraude, Hircanum Ethnarcham & Phasaëlum, Herodis fratrem, obnoxios suæ potestati reddunt, Herode ipso insidias; *obdurato contra fortunam sævientem pectore*, masculè superante. Antonius *Hierosolymam* obtinuit, *direptam* nefariè à *Parthis*, qui & Marisam, opulentam Judææ urbem, everterunt Idem *Hircano præcidit auriculas*, ut truncatus corpore, ineptus sacerdotio haberetur: *Phasaëlus*, allisо ad saxum capite, *vitam sibi abrupit*, ne inimico in se potestatem sæviendi relinqueret.

Dio l.48. App.l.5. *Joseph. lib.14. antiq. c.22.23. Lib.1.de bello.c.12. 11.* A. M. 3930. A. M. 3931. *Joseph. lib.14. c.24.25. Dio l.48.* A. M. 3932.

Herodes, & à Malcho Arabum rege contemptus, & in Ægyptum frustra secutus

cutus Antonium, qui jam Octavianum infestabat in Italia, hybernâ navigatione Rhodum attigit, indeque cum periculo Romam. Ibi tum *Antonius*, dimissa Fulviâ, ne concordiæ obstaret, pacem cum Cæsare fecerat, sororemque ejus Octaviam duxerat: Q. Rufum Salvidienum contra Cæsarem dira molientem, indicio suo infidus amicus detexerat. In novæ ergo amicitiæ pignus assensit Antonio Cæsar, ut Herodes Judæorum rex crearetur: Antigonus, quod Parthis, imperii Romani hostibus, se adjunxisset, pro hoste esset. Hoc pacto *Herodes regium adeptus est fastigium exul*, Olympiade CLXXXIV, C. Domitio Calvino iterum, C. Asinio Pollione Coss. Nec fortuna audacibus cœptis defuit, quanquam triennium retardatis avaritia P. Ventidii & Silonis, legatorum Antonii, qui jussi adjuvare Herodem in expugnando Antigono, *majorem Antigoni plus dantis, quam Herodis auxilio indigentis, rationem sibi habendam existimabant.* Interim cum vicinus Italiæ hostis Sextus Pompeius teneret Siciliam, & annonæ commeatum impediret, expostulante consensu populi pacem cum eo apud Misenum inierunt Cæsar & Antonius, Siciliamque & Achaiam ei provincias concessere, & proscriptis, Nerone Claudio, M. Silano, Sentio Saturnino, aliisque clarissimis viris in patriam reditum. Sed *inquietus Pompeii animus continere se terminis præscriptis haud potuit*, præsertim quod Cæsar Mænam fugitivum ejus libertum susceperat. Quare cum rursum latrociniis infestum redderet mare, nec pacem, quam acceperat, præstaret: Cæsar necessario contra eum bello suscepto, M. Vispanium Agrippam egregium adjutorem habuit. Verum enim verò præsidentem jam felicitati Cæsarem, & Liviam Drusillam, à Marito Claudio Nerone, ac prægnantem sanè abductam, suo thalamo sociantem, graviter eo tempore Deus concussit. Quippe longe majorem classis ejus partem, circa Veliam Palinurique promontorium, adorta vis Africi laceravit ac distulit. Eaque patrando bello mora fuit, quod postea ancipiti fortuna gestum. Vexataque iterum tempestate classis, & gravis sub ipsius Cæsaris oculis ad Tauromenium accepta clades, cum nec ab ipso abesset periculum. Legiones etiam quæ cum Cornificio erant, legato Cæsaris, expositæ in terra, penè à Pompeio oppressæ sunt. Cladem tamen Octavianus suam matura virtute correxit. Explicatis quippe utriusque partis classibus, penè omnibus exutus navibus *Pompeius*, Asiam fugâ petivit, jussuque M. Antonii, cujus opem implorabat, dum nunc dignitatem retinet, nunc vitam precatur, à Titio *jugulatus* est.

Cæterum gerens contra Pompeium bellum, acciverat ex Africâ Cæsar *Lepidum*, cum XII semiplenis legionibus. Hic vir omnium vanissimus *neque ulla virtute tam longam fortunæ indulgentiam* meritus, exercitum Pompeii, quia propior fuerat, sequutum non ipsius, sed Cæsariis auctoritatem ac fidem, sibi junxerat: inflatusque amplius XX legionum numero, totam victoriam ut suam interpretabatur, audebatque denunciare Cæsari, excederet Siciliâ. Ibi Cæsar, incredibili generositate, cum paucis ingressus castra Lepidi, penè inermis, & perforata jam telis lacernâ, Aquilam legionis rapuit. Milites armati cum obsiderentur alii post alios paulatim ad Cæsarem transeunt. Lepidus desertus supplex veniam cogitur petere. Vita rerumque suarum dominium concessa ei sunt; spoliata quam tueri non poterat, dignitas.

Quo tempore tam prosperè Cæsar Lepidum redegit in ordinem in Sicilia, minus benè Antonius pacavit Orientem. Quanquam enim *P. Ventidius* legatus Antonii, *Parthos* prælio ingenti victos *Syria expulerat*, ipsumque Pacorum occiderat, regium juvenem, tamen irritatus in superbiam Antonius, quod Canidius Crassus Pharnabazum quoque, Iberiæ regem, imperata facere coëgisset, in Armeniam Mediamque processit cum

Epit. Livii lib. 127.

Joseph. lib. 14. antiq. cap. 26.

A. M. 3232. *Lib. 1. de bello. c. 11. 12.*

Vell. l. 2.

Epit. Livii lib. 128. 129. Vell. l. 2. Florus l. 4. c. 8. Diod. lib. 48. Appia. lib. 5.

Dio l. 49.

Vell. l. 2. Dio l. 49.

Orosius l. 6. c. 18.

Florus l. 4. c. 9. Epit. Livii lib. 127. 128. 130. Dio l. 49.

A. M. 3933.

xvi legionibus, perque eas regiones Parthos petens, duas legiones cum omnibus impedimentis tormentiſque & Statiano legato amiſit. Mox ſæpius ipſe cum ſummo totius exercitus diſcrimine, ea adiit diſcrimina, quibus ſervari ſe poſſe deſperaverat: perditaque non minus quarta parte militum, captivi cujuſdam, ſed Romani, conſilio ac fide ſervatus eſt. Hic clade Craſſiana captus, cum fortunam, non animum mutaſſet, acceſſit nocte ad ſtationem Romanam, juſſitque, ſi ſalvi eſſe vellent, omiſſo deſtinato itinere, diverſo ſilveſtrique evadere. Florus & Victor tertiam partem de xvi legionibus reliquam ei manſiſſe, memorant.

Vell. l. 2. Florus l. 4. c. 10.

Oroſius l. 6. c. 19. Joſeph. l. 15. c. 5. Epit. Livii lib. 131.

Flor. & Sextus Aurel. Victor.

Hanc tamen Antonius fugam ſuam, quia vivus exierat, victoriam appellabat: tertiaque æſtate reverſus in Armeniam, regem ejus Artavaſdem fraude deceptum, catenis, ſed ne quid honori deeſſet, aureis vinxit, regnumque Armeniæ filio ſuo ex Cleopatra nato dedit: quam mulierem uxoris loco, jam pridem captus amore ejus, habere cœperat. Sed poſtea Artaxias regnum paternum recuperavit.

Joſeph. l. 14. c. 27. De bello l. 1. c. 12. 13. Diod. lib. 49.

Judæa interim Galilæaque & Samaria, ob regnum Herodi Idumæo datum ab Antonio, continuis bellis ſeditionibuſque ardebat. Tandem pertæſus legatorum Antonii Herodes, Antonium ipſum Samoſatam tunc oppugnantem adit, adjutaque ejus urbis expugnatione, Soſiam conſequitur ſocium, duaſque Romanas legiones, ad perdomandam imprimis Hieroſolymam. Ac primum quidem acriter vindicat cladem, quam abſenti intulerat Antigonus, occiſo cum ſex cohortibus ejus fratre Joſepho: quo facto animati Galilæi totam Herodis factionem Geneſara lacu demerſerunt. Herodes & Galilæos, & Pappum fratris ſui interfectorem, prælio devicit. Deinde propè templum Jeroſolymitanum caſtra metatus, urbem contractis undecim legionibus, & ſex equitum millibus, præter auxiliares Syrorum copias, ad obſidionem ſubeundam adduxit. Cumque pertinaciter propugnarent mœnia Judæi, *templum Domini jactantes, nec deſerturum ſuos Deum in periculo*, Sameas autor fuit populo admittendi Herodem, *negans propter peccata eos poſſe ejus dominationem effugere*, vir divinæ prorſus providentiæ, & ſenator tum primarius. Sed nihil profecit. Capta enim exteriore templi parte & imâ urbe, Judæi ad ſuperiorem urbem, templique interiora refugerunt, ac ne immiſſis quidem ab Herode victimis, neque fame, qua premebantur (quod eſſet annus ſabbaticus) adduci potuerunt, ut alienigenum regem ſuſciperent, quanquam ſacris Judaicis imbutum, & recentibus Mariamnes, filiæ Alexandri fratris Antigoni, nuptiis honoratum. Igitur totis *Jeroſolymam* viribus adortus *Herodes*, tandem eam *expugnavit*, ipſo die Jejunii, omniaque replevit cædibus. Non ætati, non ſexui, non dignitati ulli pepercerunt rabidi milites, adeo ut Herodis atrocem animum ſubigeret tantarum aſpectus miſeriarum, rogitaretque Soſiam, *an ſolitudinis ſe regem facturi eſſent Romani*. Nec finis rapinarum & cædium fuit, quoad ipſe Herodes ſuo ſumptu ulteriorem vexationem redimeret. Atque ita *regno potitus* eſt *Judaico*, omniumque primus extranei & plebeii generis illum apicem acquiſivit, quum principatum habuiſſent Aſſamonæi annos cxxvi. Ante illos ſummi ſacerdotes, ſed alterius lineæ, cum lxx primatibus, ſceptri ac judiciorum polluerant dignitatem, quos Zorobabel, Nehemias, aliique indigenæ duces, præceſſerant. *Herodes* verò pecuniis *induxit Antonium*, ut crucifixum aliquamdiu, *ſecuri plecteret Antigonum*, quod eo ſuperſtite nihil ſecuri ſibi à Judæis promitteret. Nec tamen quieto frui regno potuit, niſi accito è Babylone Hyrcano, communicatoque cum eo vel in ſpeciem imperio, quem & primo in conventibus loco honoravit, & patris nomine compellare eſt ſolitus, donec firmata poteſtate eum fraude tolleret è medio. In ſummo etiam honore habuit Pollionem & Sameam, aſſeſſores

& 28. & l. 15. c. 1.

Lib. 1. de bello Judaïco cap. 13.

A. M. 3935.

Euſeb. l. 1. Hiſt. Eccl. cap. 6. & in Chron. Strabo apud Joſeph. l. 15. c. 1. Diod. lib. 49. Joſeph. l. 15. 1 & 2 cap. Anno eodem.

Joſeph. l. 14. l. 17.

sores magni Synedrii, cum factionem Antigoni trucidaret. Hananelo, quem è Babylonia advocaverat, amoto, Aristobulum Mariamnes fratrem, summum sacerdotem constituit, altero post anno in piscina, per speciem ludicræ natationis submersum, quod Judæis nimis favorabilem eum cognoverat. Ejus facinoris ne rationem redderet Antonio, tritâ largitionum viâ effecit, & Cleopatræ Judaico inhiantis regno criminationes reddidit irritas, quam amator Antonius Cœlesyria data placavit. Impudentis reginam libidinis planè interemisset Herodes, nactus eam Hierosolymis, nisi demonstrato periculo, amici eum cordatiores inhibuissent.

Ioseph. lib. 15. antiqu. c. 3. & 4. lib. 1. de bello Judaïco cap. 14.

At Antonius, crescente amoris in Cleopatram incendio, & *vitiorum, quæ semper facultatibus licentiaque & assentationibus aluntur, magnitudine*, bellum patriæ inferre constituit: cum ante novum se Liberum Patrem appellasset, neque finito suo tempore, Triumviratus imperium deponeret, remissoque Octaviæ sorori Cæsaris repudio, filiis suis ex Cleopatra, Philadelpho & Alexandro Ægyptum, omnesque ad Euphratem provincias, pro regno attribui postularet.

Vell. l. 2. Epit. Livii lib. 132.

Cæsar, subactis Dalmatis & Pannoniis, in urbem reversus, & oratione meditata, & per ipsam Antonii iniquitatem, incitat populum, ut summo studio Cleopatræ & Antonio bellum inferatur. Inito deinde ad Actium promontorium certamine, Cæsare tertium, & Messala Corvino Coss. omnia in Cæsaris partibus fuêre, dux, remiges, milites; in Antonii nihil præter milites. Et jam ante hinc ad Antonium nemo fere: illinc ad Cæsarem quotidie aliqui, interque eos Plancus, Dolabella, Cn. Domitius, transfugiebant. In ore atque oculis Antonianæ classis, per M. Agrippam Leucas, Patræ, Corinthus, expugnatæ. Cum dubio aliquamdiu marte conflixissent, prima occupat fugam Cleopatra: Antonius fugientis Reginæ, quam pugnantis militis sui, comes esse maluit;

Dio. lib. 49. & 50. Vell. l. 2.

Dio l. 50.

& *imperator, qui in desertores sævire debuerat, desertor exercitus sui factus est.* Cum diu pro absente dimicassent duce, ægrè summissis armis cessere victoriam: citiusque vitam veniamque Cæsar promisit, quam illis, ut ea precarentur, est persuasum. Fuitque in confesso, *milites optimo imperatore, imperatorem fugacissimo exercitu dignum se præbuisse.* Eadem sors locati in terra fuit exercitus, cum se Canidius Crassus præcipiti fuga rapuisset ad Antonium. Victoria fuit clementissima, nec quisquam interemptus, nisi ii qui deprecari pro se non sustinerent. Proximo deinde anno, Cæsar persequutus reginam Antoniumque Alexandriam, magno quidem, sed frustraneo conatu bellum instaurantes, ultimam lanienis civilibus imposuit manum, cum *Herodes Hyrcanum*, insidiarum metu ad Arabes profugere conantem, *occidisset octuagenarium*, Cæsaremque Rhodi accurata oratione sibi placasset; quem omnibus etiam opibus & copiis adjuvit in debellando Antonio, quemadmodum antea huic adversus Cæsarem strenuus adfuerat. Cæterum Antonii *imperium, nullis verarum virtutum radicibus innixum, facili momento interiit*, ne ipsa quidem Cleopatra amasio suo illibatam præstante fidem. Quippe & munera Cæsari misit, & Pelusium de amore credula ipsi prodidit, transissetque in ejus lubens potestatem, nisi triumphi contumelias superba mulier abhorruisset. *Antonius* classis defectione, peditumque clade, mox etiam equitum, ad ultimam rerum desperationem actus, se ipse vulneravit, præcipue occisæ Cleopatræ falso rumore stimulatus, in cujus sinu, cum superstitem esse cognovisset, demens amore homo animam tandem exspirare voluit. Cæsaris Alexandria in potestatem redacta, Cleopatra cum se regnumque dedisset, frustratis custodibus, illata aspide, morsu sanè ejus libidinosum spiritum quasi somno reddidit. *Cæsar* in urbem reversus, *tres egit triumphos, Illyricum, navalem, & Ægyptium.* M.

Olymp. 187. Joseph. l. 15. c. 5.

Joseph. lib. 15. antiq. cap. 9. 10. A. M. 3942. *Dio. lib. 51. Epit. Livii lib. 133. & 134. Florus l. 4. c. 11.*

Dio l. 51.

A. M. 3943.

Lepidus, Triumviri filius, conjuratione in Cæsaris caput facta, bellum moliens, C. Mæcenatis industria oppressus est, & male consultorum pœnas exsolvit. Cæsar Octavianus, anno urbis conditæ DCCXXV fini dissidiis civilibus imposito, post Cæsaris Julii & Pompeii concursiones vicesimo, omnibusque provinciis in certam formam redactis, *Augustus* quoque cognominatus est, & mensi Sextili nomen, sicut Julius Quintili præbuit. Tunc sopitus ubique armorum furor, *restituta vis legibus, judiciis autoritas, imperium magistratuum ad certum redactum modum: rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio, leges emendatæ utiliter, latæ salubriter.* Roma unius imperio parere cœpit. Dalmatia XX & CC annis rebellis, ad certam confessionem pacata est imperii, Alpes feris multisque nationibus celebres perdomitæ. Hispaniæ nunc ipsius Cæsaris præsentia, nunc Agrippæ in tertium consulatum evecti marte, post CC annorum certamina sedatæ. Ab oriente quoque & rege Parthorum signa Romana, quæ Crasso oppresso Orodes, quæ Antonio pulso filius ejus Phraates ceperant, Augusto remissa sunt. Igitur *Jani templum*, pacis bellique signum, bis regnante Augusto clausum, semel post devictum Antonium, Ægyptio Lagidarum imperio post trecentos ferè annos penitus eversо: Et iterum, post debellatos Astures, Cantabros & Salassos, anno ante Christum natum XXI, cum Francus Sicambrorum Rex in Germania, Gothos in Saxoniam irrumpentes repressit, & nomen eis de se Francorum fecit. Ea mundi pace cælorum Domino quasi via parabatur, ut salutarem ejus adventum orbis terrarum quietis animis exciperet. Sed ut *malis nihil usquam quietum est*, Herodes interea subactis Arabibus, carissimæ & pulcerrimæ mulierum Mariamnes suspicatus insidias, indigna se ejus cæde polluit, eodemque metu percitus, Alexandræ socrus suæ sanguine. Addidit è senioribus Judæorum non paucos, delatos, quod Antigoni regis cognatos clam foverent. Tum exstructo Hierosolymis theatro, *profani gentium mores invecti in sanctum Dei populum*, quæ res plurium animos alienarunt. M. Vipsanius Agrippa Romæ exstruxit *Pantheon*, jamque imperatoribus Julio Cæsari, & Augusto ipsi, detestandâ gentium adulatione, Ephesi, Nicææ, Pergami, Nicomediæ, fana dicari cœpta, & *ne quid impietati deesset: urbi Romæ, tanquam magnæ Divæ litatum.* Ephesi ut nec esset cordatus quisquam, quin novam terris lucem desideraret, Sibyllinis etiam carminibus in illa tempora definitam.

Itaque non erat in fatis, ut *Augustus*, moderatissimus tunc principum, imperium deponeret, licet de eo sæpius cogitaret, ne pax aurea meliorem tunc mundi partem irradians, novis dissidiorum civilium tempestatibus obnubilaretur. Ille verò legibus solutus, cultusque ingenti & ad superstitionem usque provecto populi studio, frumentum ei ex Ægypto, ducenties centena modiûm millia, quotannis præbuit, provincias pacatas attribuit Reip. quo proconsules mitterentur, validiores aut rebellionis suspectas sibi sumpsit, per legatos gubernandas, eaque arte & imperii, & suæ securitati, cum omnes solus milites teneret, consuluit. Senatorum numerum, ejectis, qui tanto indigni honore essent, ad sexcentos redegit. Pontificibus dedit negotium, ut libros Sibyllinos describerent, quos, crematis reliquis fatidicis, solos habuit pretio. Vedii Pollionis, qui murænas damnatorum carne pascebat, ædes funditus evertit. Primus Romanorum prætorianos milites ad tutelam corporis sui aluit, adversus eos, *qui publica malebant ruina proteri, quam sua, quique salva Republica, salvi esse ipsi non poterant.* Neque tamen plures, quam tres cohortes, in urbe esse passus est. Militibus, peractis stipendiis, præmia constituit: Prætorianis, qui sedecim annis meruissent, quinque drachmarum mil-

Vell. l. 2. Dio lib. 52. Oros. l. 6. c. 21. A. M. 3945. Ætat. 36. die 7. Jan.

Dio lib. 51. Oros. l. 6. cap. 21. A. M. 3946. Diod. lib. 52.

Trithemenius in compendio.

Ioseph. lib. 15. cap. 8. 11.

Dio l. 51.

Dio lib. 51. Suet. Octavio cap. 28. Aurel. Epitome.

Dio lib. 53.

Sueton. Octavio cap. 31. Diod. l. 54. 55. Sueton. cap. 49.

millia, reliquis post viginti annos tria: quo nomine militare ex hæreditatum vicesimis constituit ærarium. Cumque antea quæ in provinciis gerebantur, ad populum ferri oporteret, postea clam pleraque habuit, ideoque de accurata rerum notitia historiographis multum detraxit, favente Dione libro quinquagesimo tertio. Quam carus acceptusque Romano populo *Augustus*, tam invisus Judaico *Herodes* fuit, maximè ob Græcorum introductas ineptias, & crudelia gladiatorum certamina. Quare continendis metu indigenis, Samariam ab Joh. Hircano dirutam instaurat cum templo, & Sebasten, id est, Augustam nominat, Turrem Stratonis Cæsaream: in Galilæa Gabalam, in Peræa Esthemonitim munit, iisque in arcibus disponit præsidiarios, ut nobili vulgo omnem tumultuandi facultatem adimat. Ingruente deinde fame & pestilentia atroci, coëmtum à Petronio, Ægypti præside, frumentum largissimè distribuit Judæis indigentibus, duobusque efficacissimis ad compescendos homines vinculis, supplicium severitate, & beneficiorum magnificentia, autoritatem sibi firmat. Inde pro Mariamne occisa Simonis Boëthi filiam, forma præstantem, thalamo applicat; novoque socero donat Sacerdotium, ereptum Jesu Phabetis filio: & irritatos nova idololatria Judæos, quod auctus imperio à Cæsare, templum ei ad fontes Jordanis prope Panium ædificasset, remissa tertia tributorum parte, mitigat. Pollionis verò & Simeonis discipulos, in acta ejus nolentes jurare, quanquam complures alios, dispositis ubique speculatoribus, ad supplicia conquireret, non ausus occidere, Essenis etiam pepercit, ob Manahemi cujusdam fatidicam libertatem. Quin ut expiaret tot scelera, ob quæ haud immeritò bonis se invisum perspiciebat, *Templum* DEI *Opt. M. plusquam regio instaurare sumtu aggreditur*, pleraque ædificia à fundamentis nova molitus, alia ornat, templumque longitudine centum cubitorum, altitudine cxx facit, cingitque amplissimis porticibus, & columnis prorsus admirandis. Tantum opus, quum inchoasset anno regni XVIII, absolvit XXVIII. novem ante annis, quam DEI filius corporeum templum de virgineo sibi sanguine strueret. Fama est, nullis per id decennium pluviis opus interturbatum, nocturnis tantum imbribus madefactam terram, testante DEO, curæ sibi esse sacerrimæ habitationis apparatum. Neque verò contentus Herodes, domi conciliasse sibi Judæorum benevolentiam, apud M. Agrippam, Augusti generum, qui transmarinas provincias curabat, ac tum Bosphori regnum Polemoni assignaverat, perfecit, ut Judæis per Ioniam constabiliret liberum patriæ religionis legumque usum, quo gentes Asiaticæ privare eos annitebantur. Eandemque libertatem Asiaticis Judæis omnibus, ac Cyrenensibus Augustus ipse publico rescripto indulsit, sacramque pecuniam ex veteri instituto Jerosolymam mitti, nemine prohibente, jussit, Olympiade 192.

At vero Augustus & Herodes, ambo *publice felices, domi ac privatim infelicissimi mortalium*, nec indigni ea sorte visi, ob sæpius & impudenter violatas sacri leges matrimonii. Etenim Herodes novem uxores habuit, Augustus tres repudio dimisit, alienam superinduxit Liviam, eamque, ut diximus, prægnantem; Scriboniam suam ipso partus die repudiavit. Herodes *numerosa sobole miserior quam beatior*, duos à Mariamne procreatos, Alexandrum & Aristobulum filios, fortunæ regiæ, in quam alebantur, capaces, quum calumniis sororis Salomes, & maximi natu Antipatri, patulas præbuissent aures, post inveteratum odium occidit: quibus tamen ipse postea designatum jam successorem, velut inferias misit, Antipatrum, comperta ejus insigni malitia. Atque hoc pacto socerum Hircanum, Alexandram socrum, reginam Mariamnem, tresque insuper præcipuos filiorum, crudelis rex, crudelior gener,

Dio lib. 53. Joseph. l. 15. c. 11. 12. 13.

Joseph. l. 15. c. 14.

A. M. 3953. Lib. 1. de bello Judaico c. 1.

Joseph. lib. 16. cap. 4 5. Diod. lib. 54.

Joseph. lib. 16. antiq. cap. 10.

Dio lib. 48. Sueton. cap. 62. Joseph. l. 16. c. 17. & 15. c. 1. l. 1. de bello Judaico c. 17. 18. 19. 20.

Diod. lib. 55. Sueton. cap. 63. gener, crudelissimus pater & maritus jugulavit; laudabilior sane futurus, si Augusti esset amplexus moderationem, qui exilio contentus & abdicatione filiæ Juliæ, neptisque ac nepotis, *ad sanguinem usque sævire in proprios affectus non sustinuit*, quantumvis manifestioribus eorum flagitiis & intemperantia. Ideo per *Macr. 2. Saturnal.* jocum fertur dixisse, *præstare Herodis porcum esse quam filium.*

Lucas c. 1. & 2. Matth. c. 1. & 2. Sed interea dum ille in propria grassatur viscera, fusoque innocentium sanguine de suo pœnas pendit, misertus & Judæorum, & totius humanæ gentis DEUS, novam universo mundo lucem, magnumque & perenne gaudium intulit. Nam ut antiquitus per vates suos promiserat, & recens *per Gabrielem* Angelum *Zachariæ* sacerdoti in templo, *A. M. 3969.* *Mariæque* virgini pientissimæ Nazaretæ *A. M. 3970.* *denunciaverat*: impleto fatali tempore, *Annus à natali Abrahæ 2021. Isaaci 1921. Moysis 1597. Davidis 1110.* *Filium proprium humana indutum carne produxit in hanc lucem*, Bethlehemi in Judæa. Mater Maria, stirpis Davidicæ regia quidem, sed paupercula virgo, *tantis dotibus, quantas humana capere mens potest prædita*, tantum Dei opus ipsa vehementer obstupuit, gnaraque se virum nunquam passam, inaudito exemplo talem peperit filium, quem mox Angeli celebrabant, Magi ex Oriente profecti adorabant, Simeon qui supererat pene solus magni Synedrii Judex, publicè prædicabat, Hanna fatiloqua anus omnium salvatorem asserebat. *Herodes* cognito & Magorum indicio, & sapientum, præsertim Pharisæorum, quorum sex millia in acta ejus jurare detrectabant, aliorumque piorum, quotquot erant Jerosolymæ, consensu, ut erat, incredibili & insana regnandi cupiditate homo, tollendum novum, ut appellabatur, regem statuit. Ideoque ne evadere ullo modo posset, omnes infra bimatum *infantes*, *Matth. cap. 2. A. M. 3971.* qui circa Bethlehemum & Jerosolymam reperiebantur, *occidit, scilicet quasi fatis præcludere viam miseris mortalibus liceret.* Nihil enim effectum cruento edicto est, DEO puerulum per matrem, destinatumque ei maritum, in Ægyptum transferente, ubi aleretur, donec Herodes *sanguinolentam animam divino judicio daret.* Id quod vertente anno factum. Diuturna enim & immani ægritudine conflictatus, verminante & putrescente adhuc vivo corpore, cum sæpius irritare sua manu mortem cupiens, à suis prohiberetur, tandem *inter ipsas novæ crudelitatis machinationes periit*, anno ætatis LXX, regni XXXIV, cum ante quinque dies scelestissimum filiorum Antipatrum occidisset. *Joseph. lib. 17. c. 3. 9. 10. & l. 1. de bello Judaico cap. 21.*

Augustus eum, post Agrippam generum, in præcipuo honore habuerat, eximiis ejus cultus officiis & donis. Is regnavit post mortem Herodis annos XIV, & per Tiberium Neronem & Drusum Germanicum privignos, res magnas in Germania, Rhetia, Pannonia, Dalmatiaque gessit. Defuncto enim M. Agrippa, Tiberium potestatis Tribunitiæ fecit consortem, qui tamen orientem Caii & Lucii, nepotum Augusti, fulgorem veritus, petito ab Cæsare & Livia Augusta commeatu, secessit Rhodum, dissimulatis causis consilii. Ubi octo annis demoratus, *Suet. Tib. c. 9. 10. Vell. l. 2.* Caio & Lucio jam admotis Reipublicæ, delendi contemptus gratia Romam rediit. Antea Rhetos Vindelicosque, gentes locis tutissimas, numero frequentes, feritate truces, adjutus à fratre Claudio Druso, perdomuerat, continendisque in officio, coloniam Augustam Vindelicorum imposuerat. Inde Drusum ma- *Epit. Liv. lib. 40. Diod. lib. 54. 55.* gna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis in locis profuso sanguine, Consulem agentem annum tricesimum, fracti cruris dolor rapuit. Moles ejus belli translata in Tiberium est, qui in formam stipendiariæ penè provinciæ eam redegit, & XL millia deditiorum juxta ripam Rheni collocavit. At C. Cæsar nepos Augusti è Julia, in Armenia graviter à quodam vulneratus, ex *eo ut corpus minus habile, ita animum minus utilem Reipubl. habere cœpit.* Nec defuit conversatio hominum, *vitia ejus assentatione alentium, ut semper magnæ*

for-

fortunæ comes est adulatio. Per quæ eo ductus erat, ut in ultimo orbis propè angulo consenescere, quam Romam regredi mallet. Diu reluctatus, invitusque revertens in Italiam, in urbe Lyciæ (Limyram nominant) morbo obiit, cum ante sesquiannum Lucius fratrer ejus, Hispanias petens, Massiliæ discessisset. Igitur Tiberius ab Augusto adoptatur, simul cum Caii & Lucii fratre, M. Agrippa: coactus prius ipse Germanicum, fratris sui Drusi filium adoptare. Nihilque ex eo tempore prætermissum est, ad majestatem Tiberii augendam; ac multo magis, postquam Agrippa propter maternos mores abdicato atque sepositio, certum erat uni spem successionis incumbere. Missus in Germaniam fregit Longobardos, & ad quadringentesimum milliarium, à Rheno usque ad flumen Albim, qui è Vandalicis oriens montibus, Senonum Hermundurorumque fines præterfluit, perduxit exercitum. Classis quoque ab inaudito, atque incognito ante mari flumine Albi revecta, cum abundantissima rerum omnium copia Tiberio se Cæsari junxit. Restabat Marcomannorum gens, ejusque dux Maroboduus, Bojohemum regionem incolens, Germaniam ad lævam, Pannoniam ad dexteram, à tergo Noricos habens, cum quo bellum orsus Tiberius, Pannoniæ Dalmatiæque rebellione avocatus est. Oppressi cives Romani, trucidati negotiatores, occupata Macedonia, omnia & in omnibus locis igne erant vastata & ferro. Tiberius *necessaria gloriosis præponenda ratus*, contraxit in una castra x legiones, LXX amplius cohortes, ultra decem veteranorum millia, ad hoc magnum voluntariorum numerum, equitatum Rhimetalcis regis Thraciæ: tantum denique exercitum, quantus nullo unquam loco post bella fuerat civilia. Hunc cum universum nemo auderet aggredi, partesque digredientes, finium metu, universi tentare non possent, hyems patrati belli emolumentum attulit. Nam insequenti æstate omnis Pannonia, reliquiis totius belli in Dalmatia manentibus, pacem petiit. Daorisi & Desitiates Dalmatæ tum demum pacati sunt, cum penè funditus eversi forent. Ibi *nunquam adeo nulla oportuna visa est victoriæ occasio*, ait Velleius, *quam damnum amissi pensaret militis, semperque visum est gloriosum Tiberio, quod esset tutissimum, & ante conscientiæ quam famæ consultum: nec unquam consilia ducis judicio exercitus, sed exercitus providentia ducis rectus est.*

Sueton. Tib. 15. & Octavio c. 65.

Vell. l. 2. Diod. lib. 55.

Vell. l. 2. Florus l. 4. c. ult.

Tantum quod ultimam imposuerat Pannonico ac Dalmatico bello manum Tiberius, cum funestæ venerunt ex Germania epistolæ *cæsi Quintilii Vari*, trucidatarumque legionum trium, totidemque alarum & sex cohortium. Quintilius enim Varus, qui quondam pauper divitem ingressus Syriam, pauperem à se reliquerat; iisdem tunc moribus Germaniam administrando, provinciam eam facere voluerat. Germani sæviora armis jura conspicati, duce *Arminio*, juvene animo etiam quam gente nobiliore, enses resumunt, segnitia Vari in occasionem libertatis usuri, reputantesque *neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret, & frequentissimum initium calamitatis esse securitatem.* Tanta erat Varo pacis fiducia, ut ne prædicta quidem & prodita per Segestem, unum principum, conjuratione commoveretur. Itaque improvidum, & ad tribunal reos citantem, undique invadunt, castra rapiunt, tres legiones opprimunt, Romanos ita more pecudum trucidant, ut consternatus clade Augustus excubias per urbem indiceret, barbaque & capillo summisso, caput interdum foribus illideret, vociferans: *Quintili Vare legiones redde.* Varus perditas res pernicie est sua sequutus. Patroni cujusdam causarum recisam linguam in manu tenens miles Germanus: *Tandem*, inquit, *vipera sibilare desine.* Ea victoria Romani ad Rheni fluminis ripam summoti. Tiberius deinde territo Arminio, ultra Rhenum penetravit interius, vastavit agros, ussit

A. M. 3980.

Sueton. Octavio cap. 25. Diod. lib. 56.

domos, fudit obvios. Tandem Augustus, cum Germanicum nepotem suum, Drusi filium, in Germaniam misisset, Tiberiumque destinaret in Illyricum ad firmanda pace, quæ bello subegerat, prosequens eam processit in Campaniam, digressusque ab eo Beneventi, Nolam petiit, ingravescente indies valetudine. Ibi revocatum ex itinere Tiberium diu sermone detinuit secreto & amicos admissos percunctatus, ecquid iis videretur *mimum vitæ commodè transegisse*, plausum postulavit, dictoque conjugi Liviæ vale, *ex ficubus*, ut quidam volunt, *veneno ab ipsa infectis obiit*, septuagesimo & sexto ætatis anno, Pompeio & Apuleio Coss. imperii LVII, post victoriam Actiacam XLIV.

Sueton. Octavio c. 98. 99.

Joseph. lib. 2. de bello c. 8. & antiq. 13. cap. 3.

Dio l. 56.

A. M. 3985. V.C. 766. *die 19 Augusti.*

Eutro. l. 7. Flor. l. 4. cap 12.

Nulli Augustorum diuturnius imperium contigit, nulli Christum ignorantium moderatius. Nullo tempore ante eum res Romana magis floruit. Adjecit imperio Ægyptum, Pannoniam, Aquitaniam, Rhetiam, Vindelicos, omnes Ponti maritimas civitates.

Vicit præliis Dacos, & Germanorum ingentes copias. Armeniam à Parthis recepit: Obsides, quod nulli antea, Parthi dederunt. Scythæ & Indi, quibus nomen antea Romanorum incognitum erat, munera & legatos misere. Galatia quoque sub eo provincia facta est, cum antea regnum fuisset, primusque eam M. Lollius administravit. *Levis emolumenti causa bellum moventes, aureo piscari hamo dixit. Nihil minus in perfecto duce, quam festinationem temeritatemque convenire arbitrabatur*, crebro illa jactans: *Festina lentè*, & *Sat cito, si sat bene.* Urbem inundationibus incendiisque obnoxiam excoluit adeo, ut jure sit gloriatus, marmoream se relinquere, quam lateritiam accepisset. Palatinæ domui, in qua habitabat, porticum addidit cum bibliotheca Latina Græcaque. Adversus incendia excubias nocturnas vigilesque commentus est: ipse jus dixit assidue, & in nonnunquam. Nec fuit provincia, excepta Africa & Sardinia, quam non adierit. Italiam duodetriginta coloniarum numero ab se deductarum frequentavit. Domini appellationem, ut maledictum & opprobrium, semper exhorruit. Sparsos de se famosos libellos, nec expavit, & magna cura redarguit. *Amicos ita magnos & potentes in civitate esse voluit, ut tamen pari jure essent, quo cæteri, legibusque judiciariis æque tenerentur.* C. Mæcenas non minus ei Agrippa carus, sublimium honorum contemptor, tantæ apud Augustum fiduciæ fuit, ut multos damnantem, cum præ turba accedere non posset, scheda increparet, cui inscripserat; Surge tandem carnifex. Paruitque imperator, & amici adamavit libertatem: Livia etiam monente, *ut mallet clementia vincere insidiatores, quam pœnis*, Cn. Cornelium necem ei machinatum, consulem creavit. *Neque enim facilè admisit amicitias, & admissas* constantissime retinuit. Veste non temere alia, quam domestica usus est, ab uxore, & sorore, & filia neptibusque confecta. Cœnam trinis ferculis, aut cum abundantissime, senis præbebat. Vini quoque natura parcissimus, legibus sumptuariis luxum populi castigavit. Eloquentiam studiaque liberalia ab ætate prima, & cupide & laboriosissime exercuit. Ac ne periculum memoriæ adiret, aut in ediscendo tempus absumeret, instituit recitare omnia. Hortationes ad Philosophiam scripsit, *præcipuamque duxit curam, sensum animi quam apertissime exprimere. Cacozelos & antiquarios, ut diverso genere vitiosos, pari fastidio sprevit. Ingenia sui seculi omnibus modis fovit.* Componi tamen aliquid de se, nisi serio, & à præstantissimis offendebatur. In *volvendis* utriusque *linguæ autoribus*; *nihil æque sectabatur, quam præcepta & exempla, publice vel privatim salubria*; eaque ad verbum excerpta, aut ad domesticos, aut ad exercituum provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus plerumque mittebat, prout quique monitione indigerent. Etiam libros totos & senatui recitavit, &

Sextus Aurel. in Epitome.

Sueton. c. 25. 28.

29.

33.

46. 47.

53.

55.

Dio l. 55.

Sueton. Octavio cap. 56. Sueton. c. 74. 77.

cap. 48.

cap. 49.

& populo notos per edictum sæpe fecit: ut orationes Q. Metelli de prole augenda, & Rutilii de modo ædificiorum; quo magis persuaderet, utramque rem non à se primo animadversam, sed antiquis jam tum curæ fuisse. Reliquit & breviarium totius imperii, quantum militum ubique sub signis esset, quantum pecuniæ in ærario & fiscis, & vectigalium residuis.

Dio l. 59. Sueton. cap. 101.

cap. 93.

Ceremoniarum sicut veteres & præceptas reverentissime coluit, ita cæteras contemptui habuit. M. Agrippa ejus gener etiam Jerosolymis Hecatomben fecit. Caium tamen collaudatum scribit Suetonius ab Augusto, quod Judæam prætervehens, non supplicasset apud Hierosolymam. Sed illi cum breve ævum obtigisset, *Augustus ad Pythiam misit, interrogatum cui post se fata darent imperium.* Respondit Apollo, referente Suida in Augusto:

Suidas in Augusto. Cedrenus in Synopsi hist.

Παῖς ἑβρεῦ᾽ κέλεταί με θεοῖς μακάρεσσιν ἀνάσσων.
Τόνδε δόμον προλιπεῖν, καὶ ἀίδαο κεύθεος ἰκέσθαι.
Δοιπὸν ἀπὸ σηκῶν σὺν βωμῶν ἡμετερείων.

Quæ sic utcunque vertimus:

Hebræus puer injungit, Divûm dominator,
Hacce domo fugere, & rursum me infernа subire.
Ergo tacens aris posthac discedito nostris.

Accepto oraculo, Augustus in Capitolio aram dicitur statuisse primogenito Deo. Hæc in literas relata à Suida, Nicephoro, atque ut è Cedreno apparet, ab ipso Eusebio, quibusdam nostri seculi doctis parum creduntur. Attamen ex eo tempore & Delphicus iste Dæmon jam pridem minus verax, teste Cicerone; & alii passim conticuerunt, unde Plutarchus, Juvenalis, & alii scriptores gentium, caligine futuri damnatum scripserunt genus humanum, & scrupulose in causas inquisiverunt, ob quas cessasse aut variasse viderentur oracula. Sed oriente luce Jesu Christo rectores tenebrarum se proripere jubebantur. Idem Augustus tonitrua & fulgura paulo infirmius expavescebat, per nocturnum iter aliquando transcursu fulguris consternatus. Auspicia quædam & omina, communi errore gentium, pro certissimis observabat.

Cicer. l. 1. de divin. Plut. de defectu oraculorum. Juvenalis Satyr. 9. Sueton. Octav. c. 90. 92.

Prima juventa variorum dedecorum infamiam subiit. Adulteria etiam exercuisse, ne amici quidem negarunt, excusantes scilicet ratione commissa, quo facilius consilia adversariorum per cujusque mulieres exquireret. Et circa virginum libidines postea hæsisse ferunt, quæ sibi undique etiam ab uxore conquirerentur. *Tam difficile fuit vel sobrio principi, summæ fortunæ blanditiis non succumbere.* Imperio ejus maximum adjecit decus, natus anno illius XLII Jesus Christus, ab hinc annis MDCXXX, Herodis pene extremo, omnibus omnium gentium regibus sapientibusque magnitudine sua inducturus caliginem, aut potius, si velint, adducturus lucem. Qui LVII Augusto annos tribuunt imperii, ut necesse est, XLII anno Christum ortum; qui LVI, ut Tertullianus, Clemens, & alii, XLI aiunt. Procurabat tunc Syriam *P. Sulpitius Quirinus*, rector datus C. Cæsari Armen. obtinenti, & Tiberium quoque Rhodi agentem colens, ut ait Tacitus Annalium tertio. Hic & remissus postea in provinciam est, *ad confiscanda bona Archelai*, qui ex testamento successerat Herodi, Ethnarcha appellatus Judææ, Idumææ & Samariæ. Herodes enim Antipas, frater ejus, obtinebat Galilæam, & Peræam, qui ambo nati erant matre Marthace Samaritana. Philippus autem Tetrarcha Batanææ & Trachonitidis, aliusque Herodes è Cleopatra Hierosolymitide erant geniti. Archelaum statim tumultus excepit Judæorum, ad ferias Paschales pro more patrio convenientium. Postularunt enim ad suppli-

Cap. 69. 71. Aurel. Epit. Tertul. contra Judæos. Cassiodorus Chronico. Clemens Alexand. Strom. 1. Eusebius Chron. & Hist. Eccles. 1. cap. 5.

Tacitus Annal. 3. cap. 48. A M. 3978. Euseb. Chron. Joseph. lib. 1. de bello c. 18. 21. lib. 18. antiq. c. 12. 13.

cium eos, qui Herodi in puniendis Juda & Matthia legis peritis operam suam commodassent: missumque ad comprimendos eos tribunum lapidibus vulnerarunt. Quamobrem Archelaus, immisso exercitu, ad tria eorum millia trucidavit, reliquosque fuga disjecit. Eo deinde Romam profecto, ut confirmationem dominii ab Augusto impetraret, Sabinus procurator, pecuniis inhians sacris & regiis, occasionem apertæ seditioni attulit, exortique sunt reguli, Judas, Simon, Anthronges, aliique, prætextu libertatis tyrannidem captantes. Nec sine plurima cæde ac sanguine sedati motus sunt. Quintilio Varo, quem post in Germania occubuisse diximus, tres legiones Arabumque auxilia in Judæam rapiente. Is uno crucis supplicio duo millia rebellantium absumpsit. Judæorum Legati 1 Romam profecti, stipatique plusquam octo millibus gentilium suorum urbem Romanam incolentium, petierunt ab Augusto, ut amoto Archelao, provinciæ Syriæ attribueret Judæam, juberetque gentem patriis legibus & magistratibus, sub præside Romano, vivere. Sed nihil impetratum, exacto jam tempore libertatis, & exhibito, quem oracula destinaverant, *Messia*, qui tunc puer ex Ægypto in Judæam, moxque in Galilæam reportatus, Patris æterni jussu, anno ætatis duodecimo *templum patris sui domum esse asseruit, & cum summis patriæ doctoribus triduum, maximo omnium cum stupore, disputavit.* Anno ejus undecimo Archelaus à Judæis Samaritisque delatus, quod inique & crudeliter præesset imperio, ab Augusto Viennam Galliæ relegatus est, opibus ejus fisco illatis per Quirinum, censum tunc agentem per Syriam, qui & Judæam exinde Romanorum provinciam constituit. Per eos dies Judas Galilæus, Pharisæis, & Sadducæis, Essenisque, quartam Judæorum adjecit sectam cui religio fuit dominum quenquam nisi solum Deum dicere, suctumque pro libertate asserenda mortem nullam detrectare. Laudabile quidem Judæ institutum, si vel legitima potestate præditus patriæ dignitatem defendere allaborasset, *vel libertatem mentis & conscientiæ soli Deo devotam, ab externa corporum fortuna discernere didicisset.* Sub Herode defecit & legitima summorum sacerdotum series, qui cum antea filii parentibus, fratresve fratribus, non nisi defunctis, succedissent; Tyrannus iste primus arbitrii sui fecit adimere honores sacros vivis, & innocentibus, eosque in alios transferre. Id quod deinde Archelaus, & post eum præsides Syriæ imitati sunt. Venerat nimirum sacerdos æternus, mox finem impositurus Leviticis sacris & sacerdotio. Interim ut pax, ita togatæ pacis artes sub Augusto imprimis floruere.

Joseph. lib. 2. de bello c. 2. 3. & 18. antiq. cap. 12.

Matth. cap. 2. Luca c. 2. A. M. 3982. Joseph. lib. 17. c. ult.

Lib. 2. de bello cap. 67. Diod. lib. 55. pag. 386. Joseph. lib. 18. antiq. c. 3.

Euseb. Chron. Joseph. lib. 17. cap. 8.

Laudantur ejus ætatis *Philosophi*, Athenodorus Stoicus, Sotion Pythagoræus, Nigidius Figulus, Thrasyllus Mathematicus, M. Terentius Varro in omni literatura versatissimus. *Oratores* Munatius Plancus, qui Lugdunum condidit Galliæ, Messala Corvinus præfectus urbis primus, & alii complures.

Sueton. Octav. Euseb. Chron. Diod. lib. 55.

Poëtæ Latinorum præcipui, P. Virgilius Maro, Q. Horatius Flaccus, Val. Catullus, Cornelius Gallus, Æmilius Macer, P. Ovidius Naso, Albius Tibullus, Sextus Aurelius Propertius, Publius Mimographus. Nec minores *Historiographi*, Titus Livius Patavinus, Cornelius Nepos, Crispus Sallustius, Nicolaus Damascenus, Dionysius Halicarnassæus, Strabo Cappadox, C. Julius Hyginus Polyhistor. M. Verrius Flaccus, Asconius Pædianus, *Grammatici.*

Sed quantum cœlestis sapientia naturalem, tantum istos Simeon & Hanna vates, Zacharias Sacerdos, Maria virgo & Elisabetha matrona, veræ sanctitatis & eruditionis laude præcelluerunt.

Lucas & Matthæus Evangeliographi.

TIBE-

Tiberius Claudius Nero, Cæsar.

Anno Mundi 3985. Christi 16. Olymp. 188. Periodi Danielis anno 469. Ineunte Hebdomade 68.

Tiberius Liviæ filius, Octaviani privignus, Agrippinam Attici, ad quem Ciceronis Epistolæ sunt, neptem, ex qua Drusum filium habebat, repudiavit invitus, Juliamque Augusti filiam duxit. Julia deinde ab Augusto relegata, per epistolas exorare filiæ patrem, quantum in se esset, officii duxit: sed imperium nactus inedia eam exstinxit. Mortuis Augusti nepotibus vel abdicatis, solus in speciem successionis allectus est, sic tamen, ut Germanicum Drusi filium, fratris sui, adoptaret. Biennio ante obitum Augusti, lege per consules lata, provincias communiter cum eo administrare cœpit. Excessum Augusti non prius palam fecit, quam Agrippa juvene, qui solus de nepotibus ejus supererat, interempto. Et tamen recusare ausus diu principatum, adhortantesque amicos increpare, ut ignaros quanta bellua esset imperium, impudentissima simulatione, vera quidem, sed fallaci animo dicens, ut quid singuli senatorum sentirent, callide exploraret: Quæ res bonos quosque pessumdedit. Æstimantes enim ex sua eum ingenuitate, cum sententias quasi ad ejus voluntatem promunt, incessere exitia postrema. Hic, quia Tib. Claudius Nero dicebatur, eleganti joco à quibusdam *Biberius Caldius Mero* ob vinolentiam nominatus est. Satis prudens in armis, satisque fortunatus ante sumptum imperium, dignusque principatu Augusto visus est: cujus tamen vox excepta: *Miserum populum Romanum, qui sub tam lentis maxillis erit.* Inerat ipsi scientia literarum multa: sed ingenio erat pessimo, truci, avaro, *insidioso, simulans ea se velle quæ nollet:* his quasi infensus quibus consultum cupiebat, his vero, quos oderat, quasi benignus apparens. Repentinis consiliis & responsionibus melior, quam meditatis. Exercitus in Germania summa vi Germanicum, qui tum iis præerat, ad capessendam Remp. perurgebant, quanquam obfirmate resistentem. Quem maxime casum timens, partes se, quas senatui liberet, susceptarum in Republ. simulavit. Finxit & valetudinem, quo æquiore animo Germanicos vel successionem celerem, vel certe societatem principatus opperiretur.

Sextus Aurel. Epit. de vita Imp.

Sueton. Tiber. cap. 21. Diod. lib. 57.

Sueton. Tiberio cap. 7. 11. 21. 22. 50. Diod. lib. 57. Tacit.

Sueton. Tiber. c. 25. 28. 30. 31. Diod. lib. 57.

Inter initia civilem admodum, ac paulo minus quam privatum egit, prænomen imperatoris, cognomenque patris patriæ, recusavit. Adversus convitia maloque rumores firmus ac patiens, subinde jactabat: *in civitate libera linguam mentemque liberas esse debere.* Neque tam parvum quidquam, neque tam magnum fuit, de quo non ad P. C. referret. Quædam adversus sententiam suam decerni, ne quæstus quidem est. Præsidibus onerandas tributo provincias, suadentibus rescripsit; *boni pastoris esse tondere pecus non deglubere.* Paulatim principem exercuit præstititque, etsi varium diu, commodiorem tamen sæpius, & ad utilitates publicas proniorem. Ac primo eatenus interveniebat, ne quid perperam fieret. Si quem eorum elabi gratia, rumor esset, subitus oderat. Matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui more majorum, de communi sententia coërcerent, autor fuit. Imprimis tuendæ pacis à grassaturis & latrociniis, seditionumque licentia, curam habuit. Abolevit aut jus moramque asylorum, quæ usquam erant, aut modum iis præscripsit. Hostiles motus, nulla per se expeditione susceptа, per legatos compescuit: ne per eos quidem nisi cunctanter & necessario. Reges infestos comminationibus magis & querelis, quam vi repressit.

Sueton. c. 32. 33. & 34.

Tacitus Annal. 3. cap. 60. Sueton. Tib. c. 37.

Legata Augusti cum serius populo exsolveret, irritatus est à scurra quodam, qui prætereunte funere, elata voce mortuo mandarat, ut nuntiaret Augusto, nondum reddi legata, quæ plebi reliquisset. Eum attractum ad se, recipere debitum, duciique ad supplicium imperavit, & patri suo verum referre.

Diod. lib. 57. Sueton. cap. 17.

Dio l.57. Tacitus Annal. 2. cap.41. Archelaum Cappadociæ regem (cujus filia Glaphyra Archelao Herodis filio nupta tertium fuerat) evocatum Romam, ob neglecta quædam officia, interemisset, nisi senex capularis & podagricus testem subornasset, qui se ex eo audisse fingeret, ostendere velle Archelaum Tiberio, quum primum in regnum revertisset, quales nervos haberet. Id tanquam delirii nota acceptum, servavit tunc quidem Archelaum: sed tamen paulo post defuncti regnum Tiberius provinciæ forma induit.

Tacitus lib.2. Annal. A. M. 3988. Eodem anno (erat quartus Tiberii) C. Cælio, L. Sempronio Coss. *Germanicus Cæsar* Drusi filius, *triumphavit de Cheruscis, Cattisque & Angrivariis, quæque aliæ nationes inter Rhenum & Albim colunt.* Bellum, quia conficere prohibitus erat, pro confecto accipiebatur.

Vacui abinde externo metu Germani arma in se verterunt. Suevæ gentes, Semnones ac Longobardi defecere à Maroboduo ad Arminium, pro libertate bellantem. Maroboduus prælio perculsus in Marcomannos concessit, Tiberiique auxilia exoravit. Missus Drusus Cæs. filius, urbano luxu lasciviens, ut sueseceret militiæ, pacemque firmaret. *Collapsas* *Phleg. Mit.c.13.* & *terræmotu duodecim Asiæ urbes*, inter quas Magnesiam, Philadelphiam, Apolloniam, publico sumptu refovit. *Germanicus* in Orientem provectus, ut Vanonem Parthis regem redderet, pulsum ab Artabano, parum profecit: Zenonem Polemonis regis Pontici filium, Armeniis volentibus imposuit. Nec multo post *extinguitur* Antiochiæ, ingenti luctu Syriæ & circumjacentium populorum. Tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes: *Cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & arrogantiam effugerat.* Ejus cædis *per veneficia* procuratæ reus Piso semet Romæ interemit, frustra Liviæ Augustæ favore subnixus, cujus occulto jussu facinus patrasse dicebatur.

Anno eodem. Joseph. l.18.c.3.

Sueton. in Caio Calig. cap.1.2.3. A. M. 3990. *Dio l.57. Tacitus l.2.& 3. Annal.*

Eo tempore Jani simulacrum Romæ concidit, alio, eoque vero belli & pacis Domino, Jesu Christo, annum ætatis vicesimum primum ingresso. Tiberius librorum Sibyllinorum alios mendacii coarguit, aliis authoritatem suam reliquit. Ægyptias religiones ob sacerdotum Isidis lenocinium; Judaicas ob interceptas pecunias, à Saturnini conjuge Jerosolymam missas, urbe expulit. Judæos aut in gravioris cæli insulas amandavit, aut affecit suppliciis. Adgandestrio Arminii promittente mortem, si venenum mitteretur, respondit, *non fraude, neque occultis, sed palam & armatum pop. Romanum hostes suos ulciscì.* Cæterum *Arminius*, pulso Maroboduo, regnum & ipse affectans, libertatem popularium adversam habuit, petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum *cecidit.* Liberator haud dubiè Germaniæ, qui florentissimum Rom. imperium lacessierit, præliis ambiguus, bello non victus, Græcorum annalibus ignotus, qui sua tantum mirantur, dicente Tacito, nec Romanis perinde celebris, vetera extollentibus, recentium incuriosis.

Dio l.57. Tacitus l.2.c.88. Suet.Tib. cap.46. Joseph. l.18.c.4.5.

Anno eodem.

Tiberius sublato de Germanico metu, firmataque potentia, nudavit animum, mœstamque vigilantiam & malas curas pridem exercitas in lucem protulit: qua tempestate continuata Valerii Grati, præsidis Palæstinæ avaritia, dejecti ordine IV Pontifices Judæorum, Annas, Ismaël, Eleazarus, Simon, successitque in summum sacerdotium Judæorum Josephus, cognomento Cajaphas, haud absimilis Tiberio sævitia.

Tacitus l.3.& 4. annal. At Tib. Cæsar nactus simillimum suis moribus ministrum *L. Ælium Seianum*, exoletum istius Apicii, qui luxu omnes mortales superavit, veritusque famem, cum adhuc possideret 2500000, semet ipsum perdidit; Hunc inquam nactus, ad summos honores extulit, scilicet ut homo nequissimus, ex alto graviorem deinde ruinam duceret.

Illo reis subornante accusatores, varii

rii majestatis crimine circumventi periere, prono ad vindicandas quasvis principis injurias senatu, nec primoribus tantum civitatis claritudinem suam quibuscunque protegentibus obsequiis, sed & consularibus plerisque certatim fœda & nimia censentibus. Unde memoriæ proditum, Tiberium quoties curia egrederetur, dicere solitum, *ô homines ad servitutem paratos:* addidisse & rescriptum, ne quis damnatorum intra decimum diem occideretur, ut posset etiam absens de servilis senatus sententiis cognoscere.

Inde Galba & Haterio Agrippa Coss. potestatem tribunitiam Druso filio petit, modestum summi fastigii nomen, repertum ab Augusto, ne regis aut Dictatoris titulum sumeret, ac tamen aliqua apellatione cætera imperia præemineret. Drusus animo commotior, orto forte jurgio, intendit Seiano manus, & contra tendentis os verberavit. Seianus, ultioni intentus, Liviam uxorem ejus adulterio pellicit, primique flagitii potitus, *fœminam nihil, amissa pudicitia, abnuentem,* ad consortium regni, ad spem conjugii, ad necem mariti impellit. Tantum ille ausus, cum Italiam utroque mari duæ classes: Rhenum, commune in Germanos Gallosque robur, octo legiones tuerentur: Hispaniæ recens perdomitæ tribus haberentur. Mauros teneret Juba, cætera Africæ duæ legiones, parque numerus Ægyptum insiderent. Dum quantum ab Syria usque ad flu. Euphratem ambitur, quatuor legionibus coërceretur, accolis Hybero Albanoque, & aliis regibus, qui magnitudine Romana protegebantur: Cum Thraciam Rhæmetalces & liberi Cotyis, ripamque Danubii duæ legiones in Pannonia, quæ in Mœsia attinerent: totidem apud Dalmatiam locatis, quæ positu regionis à tergo illis, ac si recentinum auxilium Italia posceret, haud procul accirentur. Quamquam insideret ipsam urbem proprius miles, tres urbanæ, novem prætoriæ cohortes: tamen *Tiberii filius,* isque unicus, *dato veneno consumitur.* A. M. 3994. Quodque magis supra fidem, facinus octo annis latuit. Ferox hinc scelerum Seianus, quia prima provenerant, volutare secum quomodo liberos Germanici perverteret, quorum non dubia successio. Impenetrabili Agrippinæ pudicitia calumniis eam tresque filios petit, Silium, ante amicum eorum, ficto majestatis crimine, subvertit: Junio Blæso avunculo suo, licet nondum victo Tacfarinate, qui adjutus à rege Garamantum Africam raptabat, triumphalia impetrat ornamenta, quæ P. Dolabellæ, ad mortem licet adigenti hostem, denegabantur. *Delatores, genus hominum publico exitio repertum,* vixque pœnis satis coërcitum, per præmia eliciuntur. Q. Vibium Serenum de structis principi insidiis accusat filius, exterritusque licet vulgi minis, exsequi tamen accusationem adigitur. Postulatur & Cremutius Cordus, quod editis annalibus, laudatoque M. Bruto, C. Cassium Romanorum ultimum scripsisset. Is vitam abstinentia finivit, libri per ædiles cremati tunc quidem, sed manserunt occulti & editi, *Quo magis socordiam eorum irridere libet: qui præsenti potentia credunt exstingui posse etiam sequentis ævi memoriam, cum contra punitis ingeniis gliscere autoritas soleat.* Contusis interea Thracum gentibus à Poppæo Sabino, eò quod validissimum quemque militiæ Romanæ dare aspernabantur, Seianus Liviæ matrimonio exclusus à Tiberio, ad vitam eum, procul Româ, amœnis locis degendam instigat, ratus sua in manu aditus, literarumque arbitria fore: cum per milites commearent. Agrippinam per speciem amicitiæ monet, paratum ei venenum, vitandas soceri epulas. Illa simulationum nescia, apposita à Tiberio poma, intacta ore, servis transmittit, vocemque Tiberio elicit, non mirum, si quid severius in eam statuat, à qua veneficii insimuletur. Hinc specie dedicandi templum, apud Capuam Jovi, apud Nolam Augusto, in Campaniam secedit, certus procul

Tacitus lib. 4. Dio l. 57.

Dio l. 57. Tacit. l. 4. annal. cap. 35.

cul urbe degere, tum ut sævitiam ac libidinem, cum factis promeret, locis occultaret, tum quod matrem dominationis sociam aspernaretur, quam depellere non poterat, quod dominationem ipsam donum ejus accepisset, idque exprobraret illa & reposceret: tum denique ut terribiliorem ex longinquo redderet majestatem. Igitur incluſit se Capreis insula, *Sueton. Tiber. c 40.41. Tacitus lib.4. Annal. c.58.63.* statimque revocante populo propter cladem, qua apud Fidenas ad L hominum millia, gladiatorio munere amphitheatri ruina perierant, transiit quidem in continentem, potestatemque sui ademdi fecit: Sed paulo post regressus in insulam, undecim per annos patria libens caruit, non tribunos militum, non provinciarum præsides mutavit. Hispaniam & Syriam per aliquot annos, sine consularibus legatis habuit: Armeniam ab Artabano Partho occupari: Mœsiam à Dacis Sarmatisque, Gallias à Germanis vastari neglexit, magno dedecore imperii, nec minori discrimine.

Ibi verò *secreti licentiam nactus, cuncta simul vitia male diu dissimulata profudit*, eaque flagravit infamia, vix ut referri audirive nedum credi fas sit. Manebat, præter infandas libidines, suspicionum & credendi temeritas, quam Seianus augere etiam in urbe suetus, acrius *Diol.57.* turbabat. Subversus primum Titius Sabinus, ob cultum Agrippinæ liberorumque ejus. Dispositis in cubiculo observatoribus, eliciti ab eo per speciem ortæ amicitiæ questus liberi, delatique ad Tiberium. Nec mora: Damnatus in Tiberim trahitur, cane domini sui cadaver in aquas prosequente, ac ne mergeretur, frustra annitente.

Tacit.V. annal. Rubellio & Fusto Geminis Coss. *Livia*, quæ & Julia Augusta, mater Tiberii, *mortem obiit*, cui nec ægræ adesse, nec toto triennio quo abfuit, nisi paucissimarum dare horarum colloquium, defunctæ nec exequias curare sustinuit. Ea sublata, velut frenis exsoluti, proruperunt Tiberius Seianusque. Missis ad senatum literis insimulata, quasi ad exercitus confugere vellet, Agrippina relegatur, convitiantique oculus per centurionem verberibus excutitur. Sic inedia absumitur postmodum. Filii ejus Nero & Drusus varia fraude concitati ad convitia, hostes judicantur. Nero in insula Pontia, Drusus in imâ parte Palatii, necantur fame.

Sueton. Tib. c.53.54.

Interea dum ad omne adeo nefas se effundit terrarum princeps Tiberius, apud Judæos procedit in medium *Johannes Baptista*, Zacharia sacerdote genitus, vir divini spiritus, sanctitate & zelo incomparabili. Hic in desertis Judææ adesse exclamat Dei Filium, à cæca efferataque hominum gente, ni maturè resipiscant, pœnas exacturum. Docet ingenti totius Judææ concursu, & gratiam Filii Dei pœnitentia & fide ambientes *aqua perfundit*, testatus hoc fieri in remissionem peccatorum, quum totius mundi noxam Christus tanquam DEI AGNUS bajulet auferatque. Incredibile dictu, quantam vir divinus authoritatem sibi subito comparaverit, adeo ut non deessent, qui eum sanctorum omnium caput esse crederent, in quo salus recumberet totius orbis. Sed Johannes tantum ab omni fastu abfuit, ut indignum se proclamaret vel viliſſimo Christi Domini ministerio, cumque ad Jordanem accederet Christus, baptizari ab eo cupierit. Ibi edoctus complendæ justitiæ baptismum à Christo peti, qui undas suo corpore in salutaris lavacri sacramentum dedicaret, *perfudit eum aqua* Jordanis, audivitque DEUM clara voce testantem, hunc esse suum FILIUM, in quo sibi totus placeat: viditque Spiritum Sanctum specie columbæ cælitus delabentem, & requiescentem in Christo. Ab eo tempore JESUS CHRISTUS verbis operibusque divinissimis, quis esset declarare cœpit, & in annum usque quartum ea fecit & dixit, quæ non tantum tenuis hæc pagina, sed nec totius orbis volumina digne satis explicaverint. Infensissimum generis humani hostem *Diabolum*, post quadraginta dierum jejunia, famem exprobrantem,

Mat.c.3. A. M. 3999. Circa autumnum. Marc.c.1. Luc.c.3. Joha.c.1.

Anno eodem.

A. M. 4000. *Jubil. Mundi 30. Moſis 30. Olymp. 202. V.C.781. Annus 487. hebdom. Dan. Ioh.c.21. 25. Mat.4. Marc.1. Luc.4.*

tem, modestia *devicit*, nec è lapidibus panes condidit, nec honores divitiasque ab insolentissimo spiritu oblatas admisit; quo repulso, Angelorum mox ministeria successêre. Itaque plenus sancto Spiritu in Galilæam proficiscitur, Simonem, Petrum & Andream, Jacobum Johannemque, Zebedæi filios, Philippum & alios *discipulos sibi legit*: cum quibus *Canam* invitatus ad *nuptias*, aquas in vinum vertit, lætitiam tori conjugalis primo miraculo dignatus. Inde Paschalibus *feriis templum* Jerosolymitanum à profanis nundinationibus *purgat:* & Nicodemo Pharisæorum principi institutionem, sed præ pudore nocturnam, ambienti ait: *Frustra esse omnes hominis vires in beatitudine acquirenda, nisi baptizatus illuminatusque Spiritu Sancto, per Filium* DEI *veniam peccatorum impetret, eaque fide salutem in ipso æternam requirat.*

Joh.1. *Joh.7.* A. M. 4001.

Ita crescente in Judæa discipulorum Christi numero, *Johannes Baptista*, amicus ejus & pararius, ab Herode Antipa *in carcerem* truditur, quod incestas ejus cum Philippi fratris conjuge nuptias improbaret. Ejus comperta captivitate, Christus in Galilæam redit, ac detestatus civium suorum ingratitudinem, apud Capernaïtas figit sedem, ubi aulici cujusdam filium, Petri socrum, plurimosque ægros verbo sanat. Quas ob res detinentibus eum Capernaïtis respondit, communis se salutis, non unius oppidi causa venisse: circuitisque civitatibus passim docuit, adesse regnum cæleste, valedicendum vitiis, renunciandum amori tenebrarum, redeundum in gratiam cum DEO, credendum promissis divinis de vita, per Filium ejus donanda unigenitum, quærendos in cælis thesauros perennes, mundum hunc ejusque vanitates contemnendum. Hæc ut voce prædicavit, sic probavit operibus: deprosis, paralyticis, claudis, cæcis, hydropicis, omnique alia ægritudine laborantibus, peccatorum veniam dedit, corporeos cruciatus dempsit, ipse nihil inde captavit præmii, imo subduxit se auræ popularí, ipsaque benefacta in occulto habenda præcepit.

Luc.c.3. 19.20. *Luc.4.* *Matth.4.* *Ioan.4.*

Sic *alteras* invisit ferias *Paschales*, decumbentemque ad 38 annos ægrum uno affatu, restituit, adversus Pharisæos sabbati violationem objectantes, sabbatum saluti hominum, haud exitio institutum evicit. Hinc duodecim è discipulis legatos (Græco nomine Apostoli sunt) seligit, quibus potestatem in quævis dæmonia & ægritudines largitus, eo rem deduxit, ut Centurio Romanus, qui Capernaumo præerat, valetudinum omnium Dictatorem eum profiteretur, sequereturque fidem virtus. Quum enim servum Centurionis dira torqueret paralysis, jussus abire morbus, abiit, bona valetudo vocata advolavit. Quin & hoc quasi pro levi fuit. Jam enim & mortuis vitam verbo reddebat. Naimano Juveni, spectante tota civitate, à qua tumulandus exportabatur, spiritum amissum ingenti cum omnium stupore redonavit. Similiter dæmonia undique pellit, ventorum fremitus increpat, filiam Jairi virginem in vitam revocat, universam Judæam & Palæstinam grata virtutum suarum famâ illustrat.

A. M. 4002. *Iohan.5.* *Mat.8.* *Luc.7.8.* *Mat.8.9.* *Marc.5.*

Dum hæc fiunt, & duodecim Apostoli divinum jam regnum prædicant oppidatim, *occidit Baptistam Herodes*, rogatu saltatriculæ, quam impura Herodias ex se geniam in hanc petitionem suborNaverat, ne sanctissimi viri reverentia incestas rescinderet nuptias. Sed exterritus Christi operibus Herodes, metuit ut forte redivivus Johannes in ipso circumiret. Tantum malo animo ab intrepido monitore timoris erat, ut etiam mortuum reformidaret: & communi hominum sermone infelix expeditio contra Aretam Arabum regem suscepta, quâ omnis Herodis exercitus concidit, innocentis viri neci imputabatur.

Mat.10. *Luc.9.* *Anno eodem.* *Mat.14.* *Marc.9.* *Ioseph. lib.18. antiq.c.7.*

At Christus *propinquo Paschate* in deserta se recepit, ut nimios hominum concursus parumper evitaret. Quorum nihilominus tanta confluxit multitudo, ut commeatus omnis deficeret. Ubi vel

A. M. 4003. *Ioh.6.*

maximè divina Jesu virtus eluxit. Nam *5 virorum millia*, demptis mulieribus & parvulis, quinque panibus hordeaceis duobusque piſciculis *exſaturavit*, fragmentorumque 12 ſuſtulit cophinos. Quo viſo, parum abfuit, quin invitum regnare cogerent Judæi. Sed ille ſe ſubduxit cupiditatibus populi, & aliquanto poſt tempore, iterum *quatuor virorum millia* pari miraculo ſeptem panibus *cibavit*, majori indies curatorum fama, ſic ut ſanatis indiceret occultationem beneficii, atque Apoſtolis magnas jam ſpes agitantibus, perſecutiones narraret & ſupplicia, quæ tum ſe, tum ſectatores ſuos manerent in hocce praviſſimo ſeculo. Interim ut guſtum præberet melioris ævi, ſublatis in montem tribus eorum præcipuis, transformavit ſeſe, & nube circumdatus, ſplendente mirè cultu, cum Moſe & Elia, prophetarum Coryphæis, beata jam vita fruentibus, ſermonem miſcuit, tantamque Apoſtolis ingeſſit dulcedinem ſuperiorum manſionum, ut ipſi ultro perpetuam in iſto monte habitationem depoſcerent. Sed nondum erat tempus iſtius gloriæ, ideoque deductos de monte ſubinde admonebat, ne ſemet inani felicitatis mundanæ umbrâ fallerent, nec primatum imperiave in alios captarent. Eſſe enim longè aliam cæleſtis regni faciem, quam qua principes hujus mundi gaudeant. Hic enim ſerviri imperantibus, & rerum potientes benefactores appellari: At in Chriſti regno tanto quemque majorem cenſeri, quo miniſtret pluribus.

Mat.15. Marc.8. Mat.16.

Mat.17. Luc.9. Marc.9.

Mat.18. Marc 9. 35. Luc.9. 47. &c.

Sic finiente jam anno tertio, dum ad Scenopegia Jeroſolymam vadit, LXX alios deſignat divinæ præcones gratiæ, dæmoniorumque & ægritudinum depulſores, qui perambulatis regionibus ingenti cum gaudio revertuntur, experti quorumvis ſpirituum immundorum ſubjectionem. Chriſtus interea variis miraculis & diſceptationibus, Jeroſolymæ præſertim, lucem ſe mundi approbat, nec improbiſſimis Judæorum moribus parcit. Quibus de cauſis jam multis vitæ periculis defunctus, nihilo abjectius ſe gerebat; quin ipſorum primatum, ambitionem, avaritiam, cæcitatem, acerrimè caſtigabat. Horum invidiam dudum ardentem, auxit *Lazari*, quatriduum jam ſepulti, *reſuſcitatio*, quod eo miraculo, uti fas erat, moti complures, Jesum Jeroſolymam ingredientem feſtis olearum palmarumque ramis proſequerentur, regem Iſraëlitarum conſalutantes. Accedebat nundinatorum è templo profligatio, populique ſtudium ingens, à quo Jesus ut ſummus propheta colebatur. Igitur nihil optatius accidere Pontifici Cajaphæ, ſoceroque ejus Annæ, & reliquæ malè dominantium turbæ potuit, quam Judæ Iſchariotæ perfidia, qui tot experimentis cognitum Dei filium, ſuumque magiſtrum, prodere furioſis hoſtibus non abhorruit, illectus lucri cupidine, & dudum odio æſtuans in præceptorem, à quo malos mores, occultaſque ſuas fraudes non obſcurè notatas ſæpiuſque reprehenſas indignabatur. Quare compoſitis inſidiis, ne res populo innoteſceret, nocturnis precibus vacantem Jesum per milites comprehendunt, non invitum aut reluctantem, ſed ultro occurrentem cohorti, cum unico verbo proſtratam humi, juſſiſſet ſe capto miſſos facere diſcipulos. Ita raptatus per urbem ad Pontificum palatia, poſtridie ab ipſis & pleriſque ſenatoribus, coram Pontio Pilato præſide, ſeditionis accuſatus eſt. Sed Pilatus non ignarus odii, quo actores ducebantur, diſcuſſa cauſa, innocentem pronunciavit: ad extremum victus precibus, verituſque etiam calumnias apud Tiberium, ni damnaret eum, qui Rex eſſet appellatus, crucis eum ſupplicio adjudicavit. Verum ipſe Jeſus quis eſſet, quoque conſilio tam triſtem ſubiret mortem, mox patefecit. Nam cum in cruce penderet, ſol præter omnes naturæ leges defecit, terra tremuit, rupes diſſilierunt, velum templi ſciſſum, ſepulcra mortuorum ſponte aperta ſunt. Ipſe ingenti cum clamore *ſpiritum poſuit*, & precatus in cruce

Joh.7. Luc.9. 10.

Joh.7.8. 9.10.

Joh.11. A. M. 4004.

Mat.19. Marc.11. Luc.19.

Joh.6.11. 13. Luc.22. Mat.26. Joh.18.

Joh.18. 19. Luc.23. Marc.14. 15. Mat.26. 27. Oroſ.l.7. cap.4.

cruce pro hostibus, & latroni peccata sua lamentanti, consortium cælestis regni pollicitus.

Itaque tertio die è sepulcro quo conditus erat, appositis ob metum custodibus, *surrexit vivus*, cumque eo multi defunctorum è morte suscitati, multis apparuerunt. Sic XL dies versatus cum discipulis, aspectantibus illis, de monte Oliveti *in cælum* clarâ subvectus nube *adscendit*, adstantibus viris humanâ specie majoribus, suoque eum tempore de cælo rediturum affirmantibus. Decima post ascensum die (Judæi *Pentecoste* vocant) vehementi cum sonitu & fragore descendit in ædes, quas sectatores Christi tunc religionis causa incolebant, Spiritus, *linguasque subito igneas afflavit* viris amplius C. deditque eis uno momento omnium linguarum peritiam, maximamque cælestia prædicandi secreta fiduciam. Hi cum Jesum statim DEI filium mundique servatorem intrepidè profiterentur, eaque dicerent ac facerent, quæ nemo nisi Deo plenus potest, tantum obtinuerunt paucis diebus consensum multitudinis, ut prima oratione tria millia, mox alia 5 millia sacris eorum accederent, jamque Pontifices & Senatores Jerosolymitani frustra impedire divinos dogmatum successus niterentur. Carceribus enim clausos Apostolos Angelus emittebat, virgis cæsis animus accrescebat. *Lapidato Stephano* & plerisque dispersis, per omnem viciniam verbum spargebatur. Et quod magis stupeas, persecutorum unus *Saulus* Tarsensis, prope Damascum de cælo ictus, JESUM ipse se vidisse professus est, & quæ antea exhorruerat dogmata, summâ animi contentione verissima divinaque esse propugnavit. Sic uno septennio plurimis firmatum est pactum DEI, ante tot secula Abrahamo, Davidi, aliisque Judæorum progenitoribus promissum, donec jussi sunt Apostoli promiscue omnibus populis eadem secreta enunciare: quod tenuiter inchoatum per Philippum Evangelistam, deinde per Petrum & Johannem apud Samaritanos & Philistinos, tandem elapso hoc septennio, per Petrum, Paulumque imprimis & Barnabam, potenter apud omnes populos gentesque factum est. Atque ita Daniel Propheta sexcentos ante annos prædixerat. Ejus enim vaticinio cccccxc anni destinantur, quorum extremis septem, ait, Christum multis Dei fœdus firmaturum, mediaque annorum hebdomade, id est quarto sacri septennii anno finem impositurum jugi sacrificio, deleturum peccata, æternamque justitiam reducturum. Ad quam metam quum stylus jam noster pervenerit, finem hic septimo libro ponemus, cum primum illud monuerimus, tam fœdum Seiani, Tiberiique Cæsaris exitum fuisse, quam vita fuerit. Sacrificabatur enim jam utrisque, per genium eorum vota concipiebantur, nec minor *Seianus* ipso Cæsare credebatur, eratque cliens ipsi Patrono metuendus. Ergo priusquam majora aggrederetur, veterator veteratoriâ arte subversus est. Eodem die & maximæ eum spei implevit Tiberius, misso Romam Macrone quem nuper prætorio præfecerat, & occultis ad consulem Memmium & senatum literis in carcerem duci præcepit. Ita subito velut fulmine afflatus, cum universa domo, omnique amicorum numero *periit*: Filia quoque ejus, ut lege occidi posset, stuprata prius à carnifice, deinde suffocata est. Nec melior postea aut moderatior Tiberius extitit, sed tristiora solus, quam antea cum Seiano, supplicia exercuit, ut versus jactarentur.

Fastidit vinum, quia jam sitit iste cruorem.
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.

Longumque sit & acerbum sigillatim ejus crudeliter facta exsequi. Gallo Asinio pœnæ maturitatem precanti respondit, *nondum tecum in gratiam redii*, adeò ut mors jam leve supplicium putaretur. Quod nisi eum & mors prævenisset, & Thrasyllus Astrologus consultò, ut aiunt, differre quædam, spe longioris

Joseph. lib. 18. antiquit. cap. 4. Matth. 5. 28. Marc. 16. Luc. 24. Joh. 20. 21. Actor. 1. Luc. 24. Act. 2. Fuit Prima Pentecoste N. Test.

Act. 3. 4.

A. M. 4005. *Act. 5. 6. 7. Act. 8. 9.*

Daniel cap. 9.

Dio l. 57. Tac. l. 5. annal. Suet. in Tiberio. Joseph. l. 8. c. 8.

A. M. 4002.

Sueton. Tiber. cap. 62. Tac. l. 6. annal.

gioris vitæ compulisset, plures aliquando necaturus, ac ne reliquis quidem neporibus parsurus, creditur, cum & Caium suspectum haberet, & Tiberium, ut ex adulterio conceptum aspernaretur. Nec abhorret à vero. Namque identidem felicem Priamum vocabat, quod superstes omnium suorum vixisset. Postremo semet ipse pertæsus, *Quid scribam vobis*, inquit, *Patres conscripti, dii me deæque pejus perdant, quam quotidie perire sentio, si scio.* Itaque tonitrua præter modum expaveſcebat; & turbatiore cælo nunquam non coronam lauream capite gestavit, quod fulmine afflari negaretur id genus frondis. Sic *obiit* octavo & septuagesimo ætatis anno, tertio & vicesimo imperii, Christi XXXVII. Sunt qui putent venenum ei à Caio (qui successit) datum, lentum & tabificum. Alii cibum desideranti negatum, nonnulli pulvinum injectum, non sine Macronis opera, dudum jam Caio dediti, adeo ut Tiberius id odoratus aliquando diceret: *Bene tu, qui sole occidente relicto, ad orientem respicis.* Audita ejus morte, pars Tiberium in Tiberim clamitarunt; pars orarunt Deos Manes, ne mortuo sedem ullam nisi inter impios darent: Corpus à Miseno Romam deportatum est per milites, crematumque publico funere.

Tac. 6. Annal. c. 46. 50. 61.

A. M. 4008. V. C. 789. *A morte Julii Cæs. 80.*

Tunc Valer. Maximus, Velleius Paterculus L. Fenestella historiarum scriptores: Pomponius Mela Geographus, L. Junius Columella rei rusticæ commentator, aliaque *non contemnenda ingenia floruêre.*

Valer. M. in Prolog. Plin. l. 35. cap. 11. Velleius sub finem lib. 8.

Liber VIII.

Continens Ecclesiæ parturientis seculum, quo Satanas in gentibus adversus Christum tumultuatus est, usque ad Constantinum Magnum annos, CCXXXIV.

POstquam ergo septem istis annis, quibus Dominus noster per se Apostolosque suos Judæis pactum stabiliit, tota Palæstina illustrata esset Euangelio cælesti: Saulus, qui & Paulus, recens designatus Apostolus, ex Arabia Damascum revertitur, confutatisque per Synagogas Judæis, demonstrat, Jesum Nazarenum esse Christum, à Mose & prophetis promissum. Illi virum conspicati verbis insuperabilem, apud Ethnarcham regis Aretæ perficiunt, ut ferro eum tollat; sed frustra. Paulus enim nocturnâ fugâ per murum evadit, sporta demissus à discipulis, tertioque apostolatus sui anno Hierosolymam redit. Ibi à Collegis receptus, dum in templo orat, jubetur à Domino ad gentes proficisci. & mox in Ciliciam deducitur à Barnaba, ejusdem animi ac spiritus viro: cum jam Caiaphas Pontifex & Pilatus procurator Judææ, ambo hostes veritatis Christianæ, per L. Vitellium consularem, Syriæ præfectum, dignitate essent moti, quorum hic sibi ipsi mortem conscivit, ille Jonathæ, sacerdotium male gestum, tradidit, Atque ex hoc tempore jussus etiam Petrus gentes adire, Cornelium Centurionem Cæsareæ, omnesque ejus familiares Christo adjunxit: quodque stupori erat omnibus, idem spiritus, qui ante quadriennium Apostolos affiaverat, alienigenis etiam linguas igneas, similemque rerum cælestium notitiam pari miraculo aspiravit. Igitur ex hoc parturiit Christianismus inter omnes nationes, variasque inter tribulationes & pericula eo usque enixus est, ut annis trecentis ipsi Cæsares Romani & reges gentium Christo colla subderent, crucemque ejus sibi salutarem profiterentur.

Act. 10.

Verum ea res generi humano salutifera incredibili Satanæ studio impediebatur,

Galat. 2. Act. 9. 2 Cor. 11.

Act. 22. & 9. c. Joseph. c. 5. 6. l. 18. Euseb. l. 2. Hist. Eccl. cap. 7.

batur, plane ad eum modum, quem Johannes, inter Apostolos Christi eximius, visione repræsentavit, cum draconem scribit decicornem & septicipitem mulieri, id est, Ecclesiæ Christo plenæ, eumque in dominium nationum parturienti obsistere, rictuque immani devorationem ejus meditari. Quamobrem dum is mundi status durat, id est, dum mundi imperia Christi in gentes dominio adversantur, decurret hic liber octavus, parum bonos descripturus principes, eos præsertim, qui rem Romanam gubernárunt: maximas contra virtutes narraturus hominum, sincera Christo fide adhærentium.

Apoc. 11. 20.

C. Cæsar Caligula.

A. Chr. 38. M. 4008. IS Romanorum principum quartus, at inter eos qui Christo jam gentibus innotescenti repugnarunt, primus extitit. Nam Tiberium honorifice de Christo sensisse, & Christianorum accusatoribus periculum esse comminatum, proditur. At Caius in eo templo, quod Deo erat vero exstructum Jerosolymis, suam dedicari effigiem præcepit, atque improbantes impietatem Judæos ferro excindere paravit. Erat Germanico Drusi filio, & Agrippina Augusti nepte genitus, Caligulæ cognomen à castrensi calceamento, quo puer inter milites utebatur, adeptus. Parentibus suis fratribusque Tiberii malignitate exstinctis omnibus insidiis tentatus ad suorum casus lamentandos, dissimulanter eos transmisit, tanti in avum Tiberium obsequii ut non immerito à Passieno sit dictum; *nec servum meliorem ullum, nec deteriorem dominum fuisse.* Cum pulvillo injecto, ut aiunt, Tiberium suffocasset, summo populi favore imperavit, natusque in exercitu legionibus carus acceptusque habebatur. Nec defuit initio famæ, sed incendit eam omni genere popularitatis. Damnatos relegatosque restituit, gratiam fecit criminum, delatam conjurationem rejecit, professus eam non convenire in se, cujus vita nulli oneri aut incommodo fuisset. Magistratibus liberam jurisdictionem, & sine sui appellatione concessit. Multis incendiorum damna supplevit, libertinæ cuidam donavit octoginta, quod excruciata de scelere patroni reticuisset. *Herodem Agrippam*, Aristobuli filium, quem in carcerem Tiberius miserat, quod maturum Caio imperium optasset, aurea donatum catena loco ferreæ, *regem* tetrarchiæ Philippi & Lysaniæ, qui obierant, *constituit.* Ejus subitaneis honoribus invidens soror Herodias, Antipæ marito suo autor fuit, ut & ipse regiam a Caio dignitatem peteret. Sed criminationibus Agrippæ præventus *Antipas, pro regno exilium* Lugduni, inde in Hispania, pro gloria miserias retulit, *socia malorum Herodiade*, atque has innocentissimo Johannis Baptistæ sanguini pœnas exsolvente.

Euseb. l. 2. hist. c. 2. 5. 6. Tertull. Apologet. Sueton. in Caligula. Dio l. 58. Aurel. Victor de Cæs. & in Epit. Tacitus lib. 6. annal. cap. 20. Joseph. lib. 18. antiq. c. 8. & l. 2. de bello Judaic. c. 2. A. M. 4028. Dio l. 58. Joseph. l. 8. c. 9. A. M. 4010.

Hæc quasi de principe Caio, reliqua ut de monstro narrantur.

Regibus qui officii causa aderant, super cœnam forte de nobilitate concertantibus, exclamavit: εἷς κύριος & θεὸς, εἷς βασιλεύς: nec multum abfuit, quin statim diadema sumeret.

Orosius l. 7 c. 5.

Verum admonitus excessisse regium fastigium, *divinam* ex eo *majestatem sibi asserere cœpit* templumque numini suo & sacerdotes, & excogitatissimas hostias instituit. In templo simulacrum stabat aureum, amiciebaturque quotidie veste quali ipse uteretur. Cum Jove Capitolino, ut pari fabulabatur: Lunam plenam in amplexus suos invitabat. Templum Jerosolymitanum pertinaciter suo numini volebat dicari, feciseetque nisi Judæi partim precibus, partim obstinatione moriendi perpulissent Petronium jam à legionibus minacem, ut majorem religionis ac tot millium salutis, quam stulti imperii curam duceret. Incensus verò Caius Alexandrinorum Judæorum actionibus, acriter accusante eos Appione Grammatico, frustra defendente Philone, documentum dedit ejus dicti, quod Philo mœstis popularibus

A. M. 4011. *Joseph. lib. 18. antiq. c. 10. 11. Euseb. l. 2. Hist. c. 5.*

subjecerat, *adesse Deum illis, quibus injustè irascuntur Tyranni, divinumque incipere auxilium, ubi humanum deficit.* Petronius enim præses Syriæ, mortis à Caio damnatus, quod distulisset exequi imperium, prius resciyit de cæde domini, quam sua, atque in fumum abiit Caii indignatio.

Tacit. l. 6. Suet. in Caligula. De ejus vitiis nescio an plura deceat memoriæ prodi, nisi forte ut improbi saltem famæ metu talia declinent. Immanitate ingenii tanta fuit ut in proprias sæviret necessitudines, humanumque sanguinem haud majoris faceret, quam a-

Dio l. 58. quam. Fratrem Tiberium inopinantem, repente immisso tribuno, interemit, M. Silanum socerum ad secandas novacula fauces compulit. Cum tribus sororibus stupri facta consuetudine, per Drusillæ quidem mortuæ numen semper dejeravit, Agrippinam verò & Livillam, ut insidiarum adversus se Lepido conscias, Pontias in insulas relegavit. Macroni & conjugi ejus Enniæ, adjutoribus imperii, pro gratia cruentam mor-

Sueton. in Caligula. cap. 30. tem persolvit. Gallis Græcisque aliquot uno tempore damnatis, gloriabatur Gallogræciam se subegisse. Nec temere in quenquam, nisi crebris & minutis ictibus animadverti passus est, perpetuo notoque jam præcepto; *Ita feri ut se mori sentiat.* Tragicum illud subinde jactabat, *Oderint dum metuant.* Infensus aliquando turbæ exclamavit: *Utinam populus Romanus unam cervicem haberet.* Quin palam queri de conditione suorum temporum non erubuit, quod nullis calamitatibus insignarentur. Atque identidem exercituum cædes, famem, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ, optabat. Quoties uxoris vel amiculæ collum exoscularetur, addebat: Tam pulcra cervix, simul ac jussero, demetur. Exegit & votum ab Afranio Potito, qui periturum se pro ejus salute voverat. Plurimos ob solam divitiarum opinionem perdidit. Nec pudicitiæ virorum magis & mulierum, quam vitæ pepercit. Liviam Orestillam, Lolliam Paulinam, alias non paucas maritorum toris abduxit. Imo in palatio matronas nobiles publicæ subjecit libidini. Nec pecuniæ parcior, nepotinis sumptibus omnium prodigorum ingenia superavit. Vicies ac septies milliies H S. à Tiberio relictum non toto vertente anno absumsit. Itaque exhaustus atque egens ad rapinas convertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum & auctionum, & vectigalium genere, inter quæ & lenonius quæstus fuit. Edixit etiam strenas se ineunte anno recepturum, superque eas toto corpore aliquamdiu volutatus est. Militiam resque bellicas semel attigit, multa Germanis Britanniscque vanè minatus. Quos ut aliquo opere memorabili perterrefaceret, Bajanum sinum trium millium, & sexcentorum ferè passuum ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus. Præ hoc ponte Hellespontios illos Darii & Xerxis contemsit, cujus tamen nullus esset usus, nisi insana delectatio, cum interim detentis navibus, famem urbi induceret. Inde contractis in unum legionibus in Galliam proficiscitur, datoque repente pugnæ signo, apud Oceanum conchas legere milites, galeasque & sinus iis implere imperat, spolia Oceani vocans, Capitolio Palatioque debita. Ob hanc insaniam maxima illi quæque assentator senatus decrevit. At Gallus quidam sutor, quum Jovis specie pro tribunali sedentem conspexisset, mirificè excultum, risum clare sustulit: Interrogatus à Caio, quidnam ipsi esse videretur, μέγα respondit θρυλλήσιμα id est, magnum deliramentum. Idque dictum ob vilitatem conditionis impunè tulit. Ferunt eum proposuisse Antium, deinde Alexandriam commigrare, interempto prius senatorii & equestris ordinis electissimo quoque. Sed talia molientem Chærea Cassius & Cornelius Sabinus Tribuni, conjuratione facta oppressерunt, jacentemque & vivere se clamitantem reliqui xxx vulneribus confecerunt. Confossa est & uxor Cæsonia, à qua po-

Dio l. 58. Sueton. in Caligula. Aurelius Victor in Claudio.

Dio l. 59. Zonoras in Caligula.

Joseph. lib. 19. antiq. c. 1. 2.

Caligula interfectus.

A. M. 4012. die. 24. Jan.

potionatus amatorio medicamento, ſed quod eum verterat in furorem, creditur. Filia infans parieti alliſa. Vixit annis XXIX, imperavit triennio & decem menſibus. Sub eo viguit *Appion* iſte, Cymbalum mundi dictus, Didymi, quem χαλκέντερον, hoc eſt ferreis viſceribus appellarunt ob continua ſtudia, diſcipulus. Ei concertatio fuit cum Philone Judæo, de quo vulgatum illud ferebatur: ἢ φίλων πλατωνίζει, ἢ πλάτων φιλωνίζει. *L. Annæus Seneca*, Philoſophus, Stoicus & Senator, propter eloquentiam inviſus Caio, fœminæ cujuſdam aſtu ſervatus eſt, quæ tabe eum conſumi, & brevi interiturum confirmabat. *Domitius Afer*, *& L. Vitellius*, ille ob facundiam, hic ob rem adverſus Artabanum benè geſtam perituri, ſagaci gloriæ diſſimulatione periculum evaſerunt. Ac perfacetum eſt illud Vitellii, quærente Caio, videretne jam lunam ſibi accubantem, demittentis caput & obnubilantis præ reverentia, negantiſque fas ſibi eſſe Deos adſpicere, quibus ſolis ſe invicem videre liceat.

Hier. in Catalogo. Suidas in Voce Philon. Dio l. 59.

T. Claudius Druſus Cæſar.

Anno Chr. 42. Mundi 4012. *Olymp.* 205. *Aurel. victor de Cæſ. Joſeph. l. 19. antiq. c. 3. Dio l. 60.*

CAio interfecto libertatem Roma reguſtaſſet, ſi Quirites, ut olim, exercuiſſent ipſi militiam. Verum quia civium deſidia in exercitum Barbaros externoſque coëgerat, corruptis moribus, auctoque habendi ſtudio, oppreſſa libertas reſpirare non potuit. Igitur dum ſenatus, autoribus Sentio Saturnino Cos. & M. Minutiano, gentem Cæſarum exterminandam cenſet, Cratus militum unus è cohortibus palatium inſidentibus, Tib. Claudium, Caii patruum, occultantem ſe reperit deformi latebra: protractoque eo exclamat apud ſocios; ſi ſapiant, adeſſe principem. Et ſanè, quia vecors erat, mitiſſimus videbatur imprudentibus: quæ res ei adverſum nefariam patrui Tiberii mentem auxilio, neque apud fratris filium Caligulam invidiæ fuerat. Quin etiam militares pleriſque animos conciliaverat, dum flagrante ſuorum dominatione, ipſe contemtu miſerabilior haberetur. Nam præter alia probra quoties poſt cibum addormiſceret (quod ei ferè accidebat) olearum ac palmarum oſſibus inceſſebatur, aut ſoccis induebantur manus, ut repente expergefactus faciem ſibi confricaret. Talis ergo ad commilitones fluctuantes, nec quicquam adhuc quam frementes, perduciur. Ab his lecticæ impoſitus, & quia ſervi diffugerant, viciſſim ſuccollantibus, in caſtra delatus eſt, triſtis ac trepidus, pernoctavitque inter vallum, aliquanto minore ſpe quam metu. Nam conſules cum ſenatu & cohortibus urbanis forum Capitoliumque occupaverant, aſſerturi communem libertatem. Ad firmandum ejus imperium non parum contulit Agrippa Rex Judæorum, autor & Claudio retinendæ dignitatis, & ſenatui non offendendi veteranos. Itaque ſenatu ſegniore in exequendis conatibus, & milite urbano prætorianis ſe aggregante, *in Claudii nomen juratum eſt*, dataque ſingulis quina dena HS, primo hoc Cæſarum fidem militis præmio pignorante. Sic Romæ regia poteſtas firmata, proditumque apertius, *mortalium conatus vacuos à Numine, caſſoſque eſſe.* Paulo poſt Chærea & Lupo exempli cauſa, ad ſupplicium ductis, Sabinus contempta venia, ferro ſe ſito tranſegit. *Claudius*, quanquam ventri fœde obediens, vecors juxta atque immemor, paviduſque animi & ignavus: pleraque tamen per formidinem egregie conſultabat, nobilitatis præcipue ſuggeſtionibus, quæ metu colebatur. Quippe *ſtolidorum ingenia perinde agunt, uti monitores ſunt.* Ergo bonis autoribus reſciſſa per eum acta Caii omnia: nemo exulum, niſi SC. reſtitutus, magiſtratuum cognitionibus ſua autoritas ſtabilita. Compreſſæ & per Galliam Druidarum famoſæ ſuperſtitiones; duritia lenitaſve legum multarum ex æquo & bono temperata. Ipſe autem in cognoſcendo ac decernendo mirâ varietate animi

Suet. in Claudio c. 8. 9. 10.

Joſeph. lib. 19. antiq. c. 3. & lib. 2. de bello, c. 10. Dio l. 60.

Aurel. Victor de Cæſ. Sueton. in Claudio, cap. 11. 12. 25. Sueton. cap. 15.

animi fuit, modo circumſpectus & ſagax, modo inconſultus ac præceps, nonnunquam frivolus, amentique ſimilis. Fœminam non agnoſcentem filium ſuum, dubia utrinque argumentorum fide, ad confeſſionem compulit, indicto matrimonio juvenis. De alio negotio ex tabella pronuntiaſſe creditur; ſecundum eos ſe ſentire, qui vera propoſuiſſent. Propterea uſque eo eviluit, ut paſſim ac propalam contemtui eſſet. Laudantur tamen, quæ de mancipiis conſtituit. Cum enim quidam ægros affectoſque ſervos tædio medendi exponerent, omnes qui exponerentut, liberos eſſe ſanxit: & ſi quis quem necaret, cædis crimine teneri. Ingratos & de quibus patroni quererentur, revocavit in ſervitutem. Studiis liberalibus pertinaciter deditus, *Græcas latinaſque hiſtorias ſcripſit*, de vita etiam ſua magis ineptè quam ineleganter. Ordinatæ per eum & equeſtres militiæ: retenti fines, ſeu dati imperio Romano, Meſopotamia per orientem: Rhenus Danubiuſque ad ſeptentrionem: & à meridie Mauri acceſſêre provinciis demtis regibus poſt Jubam, cæſaque Muſalamiorum manus. Simul ultima occaſus, Britanniæ partes contuſæ, quam ſolam adiit, Oſtia profectus mari: nam cætera duces curavêre. Antiocho Comagenam Syriam à Caio ablatam reddidit. Confirmavit auxitque Agrippæ regnum, adjecta Judææ & Samariâ. Is liberalitate & omni genere popularitatis valde ſibi conciliavit animos Judæorum. Catenam auream, quam pro ferrea ei largitus fuerat Caius, Jeroſolymæ in templo ſuſpendit, inſtabilitatis fortunæ monumentum. Summoto Theophilo, Simonem Cantharam ſummo ornavit ſacerdotio, qui tamen paulo poſt ademptum honorem, in Matthiam Jonathæ fratrem tranſtulit. Et continuè degens Jeroſolymis, Judaiſmum & majorum inſtituta ſtrenuè propugnabat. Longius autem provectus, popularis auræ ſtudio, *Jacobum* Chriſti Apoſtolum, fratrem Johannis, *nefariè occidit*, Petrum in carcere habuit, producturus & illum poſt Paſchales ferias ad ſupplicium, ut cruentos Judæorum oculos innoxio ſanguine paſceret. Sed Dominus, cui ſerviebat Petrus, miſſo Angelo *exemit eum vinculis*, Claudii anno tertio, quo Paulus & Barnabas, par nobile Apoſtolorum, Symbolam ab Antiochenis erogatam (apud quos Chriſtianorum nomen primum eluxerat) ad uſum pauperum repræſentarunt Jeroſolymæ. At Agrippas paulo poſt Cæſaream profectus, dum ludos edit apparatu pluſquam regio, & veſte argentea totus coruſcat, DEUS ſalutatur ab adulante turba. Qui cum intolerandam blaſphemiam non redargueret, repente conſpecto bubone, quem ante ſeptennium, Tiberio dira minantem, Germanus ei quidam monſtraverat, percuſſum ſe ſenſit illico à Deo, cujus honorem rapuerat, ac verminante intus corpore, quinto poſt die, nihil remittente cruciatu, vitam finit, cum Tetrarchiam Philippi tenuiſſet annis VII, Judæam verò cum Samaria & Abilena tribus. Anno Chriſti XLIV, Claudius Cuſpium Fadum in Judæam miſit, filio Agrippæ nondum maturo rerum adminiſtrationi. Herodi autem regi Chalcidis jus eligendorum pontificum attribuit, qui amoto Elioneo, Joſephum Camydæ filium præfecit ſacerdotio, eique viciſſim dejecto ſubſtituit Ananiam Nebedæi, veritatis Chriſtianæ inimicum.

Arctiorem hiſce temporibus annonam Chriſtianis prædixit propheta Agabus, quam illi mutuis ſublevarunt ſubſidiis. Helena etiam Adiabenorum regina, cujus filius Izates Judaicam religionem amplectebatur, de ſuis theſauris largiter ſuccurrente communi inopiæ. Romæ ob aſſiduas ſterilitates detentus in medio foro Claudius, convitiiſque à turba ac ſimul fragminibus panis inſtratus, ægrè evaſit in Palatium, nihil non commentus poſtea, ad invehendos etiam in tempore hiberno commeatus. Nam & negotiatoribus certa lucra propoſuit, ſuſcepto in ſe damno, ſi quid per tempeſta-

Suet. in Claud. c.40.41. 42.

Tacit. lib.11. Annal.

Joſeph. lib.19. antiquit. c.4. & lib.3. de bel.c.10.

Dio l.60.

Joſeph. l.19.c.9.

Act.12.

A. M. 4013.

A. M. 4014.

Act.12.

Joſeph. lib.19. cap. ult. Act. 12.

Joſeph. l.20.c.1. & 3.

Act.2.12.

Dio l.60.

Suet. in Claud. cap.18.

Plin.l.36. nat. hiſt. cap.19.

pestates accidisset, & naves mercaturæ causa fabricantibus magna commoda constituit. Ostiensem portum ingenti construxit sumptu, in aquæductus sestertia quingenta LVM erogavit, fontibus à XL lapide in omnes urbis montes derivatis. Idem postea Messallinæ conjugis, simulque libertorum delinimentis, quibus semet dederat, in pravum abstractus, non illa modo tyrannorum admisit, verum quæ postremum genus mulierum atque servile quibat facere viro amenti dominoque. Namque uxor primò passim, quasi jure adulteris utebatur: eoque extincti cum suis plerique, ingenio seu metu abstinentes, dum illa *pervagatis mulierum artibus peti à se petitis criminatur.* Dehinc atrocius accensa, nobiliores quasque nuptas & virgines, scortorum modo, secum prostituerat: si qui talia horruerat, affecto crimine, in ipsum omnemque familiam sæviebatur. Namque Claudium natura performidolosum, injecto metu sui agitabant, maximè conjurationis: quo commento liberti etiam, quos vellent, perditum ibant. Qui primo sceleribus colludentes, ubi pares patronæ facti sunt, eam quoque ignaro, quasi jubente tamen domino, per satellites interfecerunt: Et sanè in id progressa mulier erat, uti Claudio animi ac pellicum gratia Ostiam profecto, Romæ nuptias cum C. Silio palam agitaret.

Aurel. Victor de Cæsarib. Sueton. Claud. c.26.28. 29. Dio l.60.

Tacitus lib.11. Annal. c.12.26.

Inquietissimæ sub hæc orientis res fuere. Judæam Theudas præstigiator turbabat, assimilis illi, qui temporibus Archelai populum seduxisse memoratur à Gamaliele, nisi forte idem hic, & temporis lapsus Josepho fuit. Factione ejus disjectâ, Cuspius Fadus Procurator cervicem plano abscidit. Apud Parthos atrocius tumultuatum est. Gotarzes fratri Artabano præparata nece, regnum rapuerat: Parthi metu sævitiæ ejus Bardanem acciverant. Bardanes subito exterritum fratrem proturbavit quidem, sed implicatus obsidio validæ urbis Seleuciæ, spacium & Gotarzi respirandi, & Mithridati occupandi Armeniam dedit. Paulo post communibus moti periculis, fratres in fœdus coëunt. Bardanes potior regno habitus, recuperare Armeniam nequivit, prohibitus à Vibio Marso legato Syriæ. Mox autem Gotarzis à nobilitate revocati victor iterum, cum non perinde amorem inter populares, quam metum apud hostes quæreret, sub venatione primam intra juventam à suis interficitur. Ejus morte turbatiores Parthi, dum multi ad Gotarzen inclinant, quidam ad Meherdatem, prolem Phraatis, obsidio Romanis datum; prævalentis bello Gotarzis luxum sævitiamque perosi, occultas ad Claudium preces mittunt, quibus Meherdatem permitti patrium ad fastigium orabant. Erat is annus Claudii septimus, ab urbe condita octingentesimus, quo *ludos seculares* magno apparatu *edidit*, anno sexagesimo octavo post editos ab Augusto. Quæstus tunc in Senatu est, externas superstitiones valescere, laboravitque ne aruspicina, vetustissimus Italiæ ritus, inter prospera exoleseeret.

Act. 5. Joseph. l.20.c.2. Tac.l.11. c.9.10.

A. M. 4018. *Tacitus lib. 11. Annal. cap.15.*

Scilicet jam fructificabat inter omnes gentes Christi Euangelium, à Matthæo etiam Apostolo in scripta relatum. Paulus & Barnabas Apostoli, à Spiritu Sancto emissi ex urbe Antiochiâ, in Cyprum pervenerant, ubi Sergium Paulum proconsulem Romanum Christo adjunxerunt, Elymæ Mago, cui hactenus attenderat, subitaneam cæcitatem imprecati. *Paulus* eo tempore *ecstasi in tertium cœlum raptus*, è Papho Cypria in Pamphiliam, inde in Pisidiam delatus est cum Barnaba, sermonemque Dei per totam Asiam seminavit, ut taceantur, quæ Petrus interim, aliique Apostoli passim propagando Dei regno peregerunt. Constat enim Andronicum & Juniam, nec paucos alios, Romanam urbem Christi notitia imbuisse, antequam eo vel Paulus vel Petrus venerint.

Act.13. Euseb.l.3. hist.c.4.

2 Cor.12.

Rom.16. v.7.

Nec digni hic fide autores sunt, qui Romanos prima fidei Christianæ initia à Petro habuisse prodidere. Paulus enim

Orosius l.7.c.8. Gal.2. Act.15.

anno decimo quarto, post suam ex Arabia reversionem, Jerosolymam adiit, comitantibus eum Barnaba & Tito, communicaturus cum Apostolis de quæstione, vehementer tunc agitata inter gentes, utrum legis Mosaicæ observantia ad cælestem requiratur beatitudinem. Ibi anno Claudii decimo Petrum, Jacobum & Joannem reperit, convenitque inter eos, *sola Jesu Christi gratia omnes homines salutem æternam tenere. Cavenda tamen non tantum crimina, sed & speciem habentia criminum, ut Deo obsequium, proximo charitas præstetur.* Barnabæ & Paulo comites ierunt Judas & Sylvanus prophetæ, Apostolorum decreta firmaturi. Sic ubique locorum prisca superstitio ruit, frustra querentibus, queis stultus antiquitatis error mentem occæcarat.

Tacitus lib. 11. Annal. cap. 25.

Germanorum tunc *nationes discordabant.* Cheruscis regem misit Claudius, stirpis Arminii, sed in Italia educatum, qui varia fortuna regnavit. Domitius Corbulo Frisios Romanis infensos compescuit. Hedui senatorum in urbe jus adepti. Senatores probris famosi de seipsis consultare, & sponte exire ordinem jussi. Condito lustro, censa civium Romanorum LXIX centena & XLIV millia. Nec mirum, venali jam cuivis civitate.

Dio l. 60.

Joseph. lib. 20. antiq. c. 3. & 4. & 2. de bello cap. 2.

Sufficitur deinde apud Judæos Fado Tiberius Alexander, è Judæo gentilis factus: Illi Ventidius Cumanus, Judæorum delicta intempestivis remediis non tam curans, quam accendens. Sub eo ex unius impudentia militis, nudata genitalia populo ostendentis, ingens seditio per ipsos azymorum dies oritur, quæ XX Judæorum millia absumsit. Tunc Caius Cassius Meherdatem Parthis regem adducturus, Ezatis Adjabenorum, & Abbari Edessenorum regis nudatus auxiliis, (quos reges Christianismo tinctos accepimus) frustra fuit. Meherdates in Gotarzis manus venit, qui eum decisis auribus vivere passus est, ostentui clementiæ suæ, & in Romanos dehonestamento. Gotatze ægritudine aut insidiis exstincto, accitus est in regnum Vonones, qui brevi & inglorio perfunctus imperio, Vologesen filium successorem habuit.

Tacitus lib. 12. Annal. cap. 15. Joseph. l. 20. c. 2.

Euseb. l. 2. Hist. Eccl. c. 13. & l. 2. cap. 1. Aurel. Victor de Cæsar. & in Epitome.

Cæterum Romæ sublatâ Messalinâ, soli omnia liberti poterant, ex quibus Felicem legionibus Judææ præfecit Claudius, Posidio Eunucho inter viros fortissimos honorem habuit, Polybium inter consules medium incedere fecit. Hos omnes anteibant, Narcissus ab epistolis, dominum se gerens ipsius sui Domini, Pallasque prætoriis ornamentis sublimatus, adeò divites, ut causante Claudio inopiam fisci, lepidissimo elogio vulgatum sit; *Abundè ei pecuniam fore, si à duobus libertis in societatem reciperetur.* Hi stupris, exilio, cæde, proscriptionibus omnia fædabant, eoque herilem stultitiam perpulêre, ut senex fratris filiam in nuptias concupisceret. Ea erat Julia Agrippina, soror Caii, versaque ex ea civitate, cuncta fæminæ obediebant, non per lasciviam, sed severæ palam, ac sæpius superbæ, cuique nihil esset impudicum, nisi dominationi expediret. Nam conciliator incesti matrimonii Pallas, stupro ejus illigatus, stimulavit Claudium, ut filium Agrippinæ ex Domitio Ænobarbo susceptum adoptaret, qui Nero appellatus, ac gener juxta Claudii, filiusque effectus est, cum pernicie Britannici, quem ex Messalina is genuerat. Igitur *Agrippina*, quo vim suam sociis quoque nationibus ostentaret, in oppidum Ubiorum, ubi erat genita, Veteranos *coloniamque deduci imperat*, cui nomen inditum ex vocabulo ipsius. Per quæ tempora Vannius, Suevorum rex à Jubellio Hermunduro & Ligiis regno exutus, agros in Pannonia accepit à Claudio: & Caractacus Silurum rex à Marco Ostorio debellatus, Agrippinæ auxit insolentiam, cum Camalodunum quoque in Brittanniam valida veteranorum deduceretur manus, præsidium in rebelles, & imbuendis ad officia legum sociis. Firmandæ mox

Tacitus Annal. lib. 12.

A. M. 4021.

Tacitus lib. 12. Annal. c. 33. 34. 35.

Neronis

Neronis potentiæ, prætoriarum cohortium regimen transfertur in Afranium Burrhum, gnarum cujus sponte tantos honores adipisceretur. Premente autem iterum frugum egestate, clamoribus circumvasere Claudium turbidis plebes, pulsumque in extremam fori partem urgebant, donec militum globus irruentes perrupit.

Tacitus lib.12. Annal. cap.43. Ioseph. l.20.c.5.

Præerat eo tempore Samaritis Felix, Pallantis frater: Cumano Judæorum & Galilæorum natio habebatur. Hi ad deterrima æmuli, discordes jam olim Judæos & Samaritas acrius accendêre. Igitur raptare inter se, immittere latronum globos, componere insidias, aliquando præliis congredi, spoliaque & prædas ad Procuratores referre. Arsissetque bello provincia, ni T. Vinidius Quadratus Syriæ rector subvenisset. Nec diu adversus Judæos, qui in necem militum proruperant, dubitatum, quin capite pœnas luerent. Cumanus cum Anania Pontifice, & Anano duce, Romam ad dicendam causam missus, damnatusque flagitiorum est unus, quæ quo deliquerant, & quies provinciæ reddita. Claudius Felix potentia fratris subnixus, solus ex eo provinciam tenuit. Claudius anno imperii sui duodecimo Agrippam juniorem donavit Ituræa, Trachonitide, Batanæa & Abila. Ejus sororem Drusillam, mulierum pulcherrimam, Felix amore amens, ab Azizi Emesenorum regis toro blanditiis abduxit, cuncta sibi malefacta impune ratus ob lubricam aulæ gratiam.

A. M. 4020. *Anno 9. Claud. Orosius l.7.c.6. Sueton. in Claudio c.25. Tacitus Ann.12. Act.16. 17.18.*

Eo tempore *Judæi & Mathematici Roma pulsi* sunt. Judæi, ut ait Suetonius, quod impulsore Christo assidue tumultuarentur: rectius, quod Christi cælorum regis imperium ferre nollent, & Christianis semper excirent turbas. Hoc edicto etiam Aquila & Priscilla, ex Judæis Christiani, urbe & Italia ejecti, Corinthum navigarunt, ubi se ad eos applicuit Paulus, cum jam divina visione monitus Macedoniam, & in ea Philippos ac Thessalonicam Euangelio repleviisset. Athenis quoque Dionysium Areopagitam & alios Christi feciisset partium, attestante ubique veritati suæ DEO, per ægritudinum humanarum sanationes, & denudata dæmoniorum passim regnantium ludibria. Atque ex Athenarum sanè urbe, superstitionis quondam Græcanicæ matre, primas *Paulus literas dedit*, cælestis veritatis *ad Thessalonicenses*, omnesque deinceps populos nuncias. Corinthi quoque socios è Macedonia nactus, quos istic reliquerat, Silam & Timotheum, Judæos primum, deinde plerisque illorum obnitentibus, Græcos edocuit viam veræ per Christum beatitudinis, multumque ei populum ibi sesquiannuo ministerio acquisivit.

1 *Thess.5.* 2 *Thess.3.* A. M. 4020. *Act.18.*

Decimo tertio Claudii anno suis fœtus Romæ editus, cui accipitrum ungues, ex impudica matre rapacem principatum & sanguinarium portendit, qui mox secutus, Nerone ad gubernacula admoto. Etenim Agrippina vocem metuens Claudii, quam temulentus jecerat, fatale sibi, ut conjugum flagitia ferret, dein puniret: infundi boletorum venenum delectabili ejus cibo curat. Cumque soluta alvus subvenisse videretur, per Xenophontem medicum pinnam rapido veneno illitam faucibus demittit. Vixit annos LXIV, imperavit tredecim, & ad menses novem. Funus, ut quondam in Tarquinio Prisco, diu occultatum, dum arte muliebri corrupti custodes ægrum simulant, & Nero privignus ejus imperii jura firmat. Narcissus, Domini sui custos fidissimus, interim ad aquas calidas ierat, mox morte eum sequi coactus. Sub eo quædam *terræ ex aquis emersérunt*, partim divinâ virtute, partim humanâ.

Tacitus lib.12. Annal. cap.64. Ioseph. l.10.c.5. Tacitus lib.12. Annal. c.65.&c. Claudius moritur A. M. 4025. *Dio l.60. Aurelius in Claud.*

In Ægeo mari inter Theram & Therasiam repente insula xxx stadiorum erupit, nocte qua defectus Lunæ acciderat Fucinum in Marsis lacum exsiccare cœpit Claudius, xxx hominum millibus XI annos sine intermissione operantibus, sed non perfecit. Visus est apud Ægyptum & *Phœnix*, quam volucrem ferunt an-

Euseb. in Chron. Dio l.60.

Plin. nat. hist. l. 26. cap. 15.

no 500 ex Arabia memoratos locos advolare. Ubi mors propinquet, suis in terris struere nidum, eique vim genitalem adfundere: ex qua fœtum oriri patris sepultorem. Sed Tacitus hoc naturæ miraculum tradit apparuisse P. Fabio, L. Vitellio Coss. id est, anno Christi 34. quum paulo ante divinus iste Phœnix Christus è mortuis revixisset.

Tacit. ann. 12. cap. 2.

A. M. 4023. *Euseb. Chron. ad annum Christi 54.*

Claudio regnante, *Philippus* Apostolus apud Hierapolim Asiæ, dum strenuè euangelizat, in *crucem actus*, lapidibusque occisus scribitur. Simon contrà magus, homo plenus Satana, Romæ statua honoratus, cum titulo: Simoni Deo sancto.

Claruit tunc Q. *Curtius* Rufus, scriptâ Alexandri historiâ, quam ornamentis triumphalibus à Claudio tributis notior. Dedecus natalium ejus velaturus quondam Tiberius, dixit; *Curtius Rufus videtur mihi ex se natus.* Aciolus Aviola consul erat eo anno, quo decessit Claudius, qui cum postmodum mortuus exportaretur, in rogo revixisse: & quoniam subveniri non potuerat, prævalente flamma, vivus crematus proditur. Certiori fide constat, Tabitham Joppensem viduam à Petro Apostolo vitæ restitutam, *Paulumque* à lapidatoribus Lystranis pro mortuo habitum, respirasse, verbumque vitæ innumeris nunciasse mortalibus.

Justin. Apol. 2.

Tacit. lib. 11. ann. c. 21.

Plin. l. 7. cap. 52.

Acto. 8. 14.

Nero Claudius Cæsar.

Anno Christi 55. Mundi 4052.

Suet. in Nerone cap. 5. 6.

Sueton. c. 8. 9 10. Xiphil. è Dione.

Neroni antea Domitio Ænobarbo nomen erat, à patre Domitio omni genere vitæ detestabili, quique inter gratulationes amicorum negavit, quicquam ex se & Agrippina nisi detestabile & malo publico nasci potuisse. Septendecim annos natus orditur imperium à pietatis ostentatione, Claudiumque apparatissimo funere elatum laudat consecratque. Matri summam omnium rerum publicarum privatarumque permittit. Ex Augusti præscripto imperaturum se professus, neque liberalitatis, neque clementiæ, nec comitatis quidem exhibendæ ullam occasionem omisit. Graviora vectigalia aut abolevit, aut minuit. Et cum de supplicio cujusdam capite damnati, ut ex more subscriberet, admoneretur, *Quam vellem*, inquit, *nescire literas.* Agenti senatui gratias respondit, *cum meruero.* Afranius Burrhus & Annæus Seneca, rectores imperatoriæ juventæ, & pari in societate potentiæ concordes, diversa arte ex æquo pollebant: Burrhus militaribus curis & severitate morum; Seneca præceptis eloquentiæ & comitate honesta. Juvantes invicem, quo facilius *lubricam principis ætatem si virtutem aspernaretur, voluptatibus concessis retinerent.* Certamen utrique unum erat contra ferociam Agrippinæ, quæ cunctis malæ dominationis cupidinibus flagrans, habebat in partibus Pallantem, quo autore Claudius incestis nuptiis & adoptione exitiosa semet perdiderat. Sed neque Neroni infra servos ingenium. Liberales disciplinas omnes fere puer attigerat. *Primus tamen Romanorum principum alienæ egebat facundiæ.* Nam à Philosophia eum mater avertit, fingens imperatori contrariam esse: à cognitione veterum Oratorum abstraxit Seneca præceptor, quo diutius in admiratione sui detineret. Itaque vividum animum in alia detorsit. Celare & pingere, cantus aut regimen equorum exercere, & aliquando carminibus pangendis, inesse sibi elementa doctrinæ ostendere. Primo quinquennio tantus fuit, augenda urbe maxime, ut Traianus testaretur, procul differre cunctos principes Neronis quinquennio; quo etiam Pontum in jus provinciæ, Polemonis permissu, redegit: itemque Cottias Alpes, Cottio rege mortuo. Quare *satis compertum, neque ætatem impedimento virtuti esse, & facile virtutem mutari corrupto per licentiam ingenio, omissamque adolescentiæ quasi legem pernicio sius repeti.* Permisso primum Actes libertæ amore, exuit obsequium in matrem, fœditatem rei exprobrantem, & Pallantem libertum cura rerum dimovit,

Tacit. ann. l 13. cap. 6.

Suet. Nerone cap. 52. Tacit. 13. ann. c. 3.

Aurel. Victor de Cæsaribus. Dio in Neron.

Tacit. 13. ann. 13. 14. Suet. cap. 33.

vit, pactum antea, ne cujus rei in præ-
Xiphil. & Dion. teritum interrogaretur. Urgentibus mox Agrippinæ minis, de Britannico, vera Claudii stirpe, in imperium collocando, decoctum à Locusta venenum cœnanti secum fratri dare imperavit. Et cum ille ad primum gustum concidisset, comitiali morbo ex consuetudine correptum apud convivas ementitus, postero die raptim inter maximos imbres
Tacitus l. 13. annal. cap. 25. 31. translatitio extulit funere. Locustæ pro navata operâ impunitatem prædiaque, sed & discipulos dedit. Tertio imperii anno itinera urbis, lupanaria & diverticula, veste servili in dissimulationem sui compositus, pererrare cœpit, comitantibus, qui raperent ad venditionem exposita, & obviis vulnera inferrent: adversus ignaros adeo, ut ipse quoque acciperet ictus & ore præferret. Quarto largitiones in spectacula edicto cohibuit, quia magistratus provinciarum quæ libidine deliquerant, ambitu isto affueverant propugnare.

Et Pomponia Græcina insignis fœmina, A. Plautio, qui ovans, sub Claudio de Britannis se retulerat, nupta, ac superstitionis externæ (sic Christianismum appellitabant) rea, judicioque permissa mariti & propinquorum, insons pronunciatur. Longa ei deinde ætas, nec cultu nisi lugubri, nec animo ferè nisi mœsto
Tacit. ibidem c. 34. egit. Tertium consul Nero Valerio Messallæ collegæ suo quingena sestertia dedit, quibus paupertatem innoxiam sustentaret. Tunc mollibus initiis prolatatum inter Parthos Romanosque de obtinenda Armenia bellum, acriter sumitur: quia nec Vologeses sinebat fratrem Tiridatem dati à se regni expertem esse, aut alienæ id potentiæ donum habere: & Domitius Corbulo dignum magnitudine populi Romani rebatur, partam olim à Lucullo Pompeioque Armeniam recipere. Sed Corbuloni plus molis adversus ignaviam militum, quam contra perfidiam hostium erat. Dimissis tamen aut correctis, quorum inutilis opera erat, Antiochum Comagenum & Pharasmanem Iberum reges, socios adsciscit. Rhadamistus enim, Pharasmanis filius, Armeniam ante scelerata affinis sui cæde acquisitam, scelere vicissim alieno amiserat: Unde jam Pharasmanes vetus adversus Armenios odium promptius exercebat. Sic captis Artaxatis immissus ignis, deletaque & solo æquata sunt, quia ob magnitudinem mœnium teneri sine valido præsidio non poterant. Tandemque adactus Tiridates, ut Armeniam Romæ tanquam Neronis beneficium acciperet.
Tacitus l. 12. ann. c. 54. & 13. c. 41. &c. Xiphil. & Dion.

Atque hactenus flagitiis & sceleribus velamenta quæsiverat Nero, publicanorum etiam immodestiam æquissimis legibus coërcuerat, promptus omnia vectigalia rescindere, ni impetum ejus Senatores attinuissent. Post hæc autem Sabinæ Poppææ amoribus illigatus, fœminæ illustris, cui cuncta alia præter honestum animum fuere, commendante eam aut lenocinante marito Salvio Othone, palam pro pellice eam ac tandem *occisa conjuge Octavia*, Claudii filia, uxoris loco habuit. Eo anno Frisii vicinos Rheno locos à Cæsare postulaturi, cum per otium Romæ cognovissent, sedere inter senatores earum gentium legatos, quæ virtute, & amicitia Romana præcellerent, *nullos mortalium armis aut fide ante Germanos esse* exclamant, digrediunturque & inter patres confidunt. Quod comiter acceptum à visentibus, quasi impetus antiqui, & bona æmulatio. Pernicioso contra ambitu Hermunduri inter se & Catti certarunt, dum flumen sale gignendo fœcundum & conterminum vi trahunt. Prælium enim Cattis exitio fuit.
Tacitus 13. annal. 45. 47. A. M. 4033. *ibidem c. 45. 47.*

Secutum mox Neronis parricidium. Instigante enim Poppæa crebris criminationibus, eo impietatis prorupit, ut *matrem Agrippinam* solutili primum nave Oceano demergere statueret, cumque evasisset periculum, per Anicetum eam libertum *interficeret*, non dissuadentibus Seneca aut Burrho, sed eo descensum credentibus, ut nisi præveniretur
Tacit. lib. 14. annal. Sueton. Neron. cap. 34. Quidam A. M. 4030. Aurel. Victor. Xiphil. & Dion.

Agrippina, Neroni pereundum esset. At contraminatam ab eo, plures habent, dum ipsa dominandi ardore, scelere quolibet subjici filium cupit. Itaque sol repente obscuratus, qui abhorruit tantum nefas, & mulier Romæ anguem enixa est. Neque sceleris conscientiam, quanquam exquisitis & militum, & senatus populique gratulationibus confirmaretur aut statim, aut nunquam ferre postea potuit Nero: sæpe confessus exagitari se materna specie, verberibus Furiarum ac tædis ardentibus. Reliquum vitæ eo dedecore egit, ut pigeat pudeatque referre hujusmodi quenquam, nedum rectorem gentium fuisse. Qui dum psallere per cœtus, canere, & aurigari, Græcorum invento, in certamen Coronæ cepisset, eo progressus est, uti neque suæ, neque alienæ pudicitiæ parceret. Ad extremum amictus nubentium virginum specie, palam dote data, convenit in manum Pythagoræ, lecto ex omnibus prodigiosis. Anxius quoque ob stellam crinitam, quæ summis potestatibus exitium portendere putabatur, nobilissimo cuique exitium destinavit, duabus præsertim conjurationibus detectis, Pisoniana & Viniciana. Constat quosdam cum pædagogis & capsariis uno prandio pariter necatos, alios diurnum victum quærere prohibitos. Nec posthac adhibitus modus aut delectus interimendi, quoscunque libuisset, adeo ut Pæto Thraseæ etiam necis causa tristior & pædagogi, vultus esset. Mori jussis non amplius quam horarium spatium dabat. Ac ne quid moræ interveniret, medicos admovebat, qui cunctantes continuo curarent. Ita enim vocabat, venas mortis gratia incidere. Luxuriæ tam effrenis erat, ut retibus piscaretur aureis, frigidisque & calidis lavaret unguentis. Præter domesticas ex insania principis clades, exorta sunt & alia Romano orbi mala. Dum enim Suetonius Paullinus Monam insulam expugnat, Britanni avaritia & fastu veteranorum in bellum acti, Camalodunum coloniam invadunt, 70 millia civium & sociorum trucidant, legionem Romanam vincunt. Verum mox punita defectio. Reversus Suetonius subito contracta x millium manu, parem antiquis victoriam peperit, octoginta Britannorum millibus cæsis. Illi tamen successor missus Petronius Turpilianus, non irritato hoste, neque lacessitus, honestum pacis nomen turpi otio imposuit.

Tacitus 14. ann. 12.

Tacitus ann. 15. cap. 37.

Sueton. c. 36. 37.

Tacit. 14. ann. c. 22.

Oros. l. 7. cap. 7.

Tacitus lib. 14. an. c. 33. 37. 39.

Xiphil. e Dione.

Eodem tempore cum Romanæ urbis præfectum Pedianum Secundum servus, seu negata libertate, sive amore exoleti, infensus occidisset, vetere ex more omnis familia cccc servi, qui sub eodem tecto mansitaverant, ad supplicium acti, urgente id C. Cassio, *& omne magnum exemplum aliquid habere ex iniquo*, dicente, *sed quod contra singulos utilitate publica rependatur*. Paulo post mors Burrhi, ut plures tradunt, veneno procurata Neronis, infregit Senecæ potentiam, intra primum quadriennium regiæ amicitiæ, ter millies sestertium lucrati. Nam nec bonis artibus idem virium erat, altero velut duce amoto, & Nero ad deteriores inclinabat, tam fœda Senatus adulatione, ut lato in urbem Octaviæ capite, quam patrator necis Agrippinæ Anicetus à se vitiatam finxerat, dona remplis decerneret, quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia faceret. Tandem & Pallas veneno interemptus, quod immensam pecuniam longa senecta detineret.

Ibidem c. 42. 43.

Tacit. 13. ann. 24. & 14. cap. 52.

Ibidem 64. 75.

Tacit. 15. ann. c. 25. 22.

Leniter habitus Cesennius Pœtus, qui obsessus à Vologese Partho ignominiose Armenia cesserat. Facete enim Nero *ignoscere se* dixit, *statim, ne tam promtus in pavorem longiore sollicitudine ægresceret*. Mox Corbulo coëgit Teridatem, ponere apud effigiem Neronis insigne regium, nec nisi de manu Cæsaris resumere.

Valescentibus autem indies *Neronis* vitiis, perque ea malis publicis, decimo imperii anno *in Christianos* quoque palam

palam sævire primus Cæsarum occœpit. Laborabant illi omnium improborum, quibus semper abundat terra, & tum maximè, odio, quod vel sola Pauli acta
Act.18. monstrant. Achæorum enim ad tribunal eum rapientium malignitati obstitit proconsul Junius Gallio, frater Senecæ, quæstiones de religione ad suum non pertinere forum, testatus. Progressus Ephesum Paulus, inde Jerosolymam, Jerosolyma reversus Antiochiam, in conspectu omnium dictitavit collegæ suo Petro, haudquaquam cogendos ad Judaismum, qui Christo fidem dedissent, quandoquidem sola Domini gratia cuique sufficiat ad salutem. Firmatis deinde per Galatiam & Phrygiam discipulis, rediit Ephesum, & XII viris, quos Apollo vir disertissimus baptizaverat, impositione manuum linguas à Spir. Sancto igneas impetravit. Nihilominus blasphemiis prosciissus Judæorum, segregavit cœtum, & in schola Tyranni quotidianis disputationibus incumbens, totam Asiam implevit Christianismo, sudariisque suis & semicinctiis ægritudines & dæmonia profligavit. Sed tantam tamque prosperam impietatis demolitionem ægerrime tulit Satanas, præsertim cum malarum artium libri publice cremarentur, rueretque omnis veneratio Dianæ Ephesiæ. Ergo in seditionem impulit Ephesios, autore Demetrio argentario, cui superstitio quæstuosa erat. Qua DEI beneficio liberatus Paulus, in Macedoniam abiit, relicto Ephesi *Timotheo*, cui plenam cælestis sapientiæ *epistolam* misit, sicut & *Tito*, alii discipulo, Cretensibus nuper præposito. Moratus autem trimestri spacio in Græcia, correxit Ecclesiarum defectus, & postea è Philippis *Corinthios* insigni *libello* erudiit, reversurus Ephesum, atque exinde in Syriam iturus. Verum consilio obstiterunt Judæi, quorum penè captus insidiis, decrevit reflectere iter in Macedoniam. Inde per Titum & Lucam *iterum scribit Corinthiis*, literasque promissas subsequutus cum pecuniis subsidiariis, quas Achaia

Act.18. v.22. *Gal.2,11.* *Act.19. v.6,7.* *Act.19.* *1 Tim.1.* *Tit.1.* *Act.20.1, 2,3.* *1 Cor.16. v.8.* *1 Cor.2.2, 9,10.* *Rom.16. v.23.*

& Macedonia erogaverant, in usum pauperum per Judæam, *Romanos Epistola* omnium pulcherrima alloquitur, suumque ad eos adventum prædicit. In itinere apud Troadem Eutychum, lapsu exstinctum, reddit vitæ, evocatisque Miletum Ephesiorum presbyteris, accurata oratione commendat eis ecclesiam, Hierosolymamque exspectatus pervenit, Ibi persuadetur à Jacobo, ut propter infinitam Judæorum Christo credentium multitudinem, Nazaræorum ceremoniam cum aliis quatuor impleat. Quod dum agit, comprehensus per seditionem Judæorum, extractusque è templo confestim periisset, nisi tribunus Claudius Lysias in tempore opem tulisset. Cum enim plena esset seductorum & Pseudoprophetarum Judæa, suspicatus Lysias è numero illorum esse Paulum, tanto promptius intervenit. Deposcentibus eum morti Judæis, expeditisque jam loris, ut verberaretur, civitatis Romanæ privilegio, & coram senatu Pharisaismi professione se tuetur. Mœsto nocturnus adstitit solator Dominus Jesus, prædixitque deportationem in urbem Romanam, quæ biennio post accidit. Interim ereptus conjurationi Judæorum, & accusationibus Ananiæ Pontificis, auditur à Claudio, Felice & Drusilla. Sed perterritus Pauli oratione de justitia, continentia, & extremo judicio *Felix*, & à conscientia percussus, abrumpit sermonem, pecuniæ quam disciplinæ avidior. Nam & Jonatham Pontificem ob liberiora monita, immissis sicariis trucidaverat, & incontinentissimam semper vitam egerat. Jonathæ suffectus Ismaël, in primates quosdam, & pauperiores Sacerdotum convitiis & lapidationibus grassabatur.

Felix Romam revocatus pœnas dedisset scelerum, nisi Pallantis eum fratris gratia protexisset. Paulum vero in gratiam Judæorum, quos infensos ei noverat, vinctum *successori Porcio Festo* reliquit. Festus optione Paulo facta, velletne Hierosolymæ, an apud Cæsarem judicari, cum

A. M. 4024. *2 Cor.9,4. Rom.15. v.23,24.* *25.* *Ioseph. lib.20. ant.c.6.* *Act.24.* *Ioseph. l.20. Antiq. 6.7.* A. M. 4026. *Act.25. 26.27. 28.*

cum Agrippam regem & Berenicen in consilium adhibuisset, insanire judicat virum, cujus sapientiam non capiebat, volentemque mittit Romam: quo altero demum anno post varia maris pericula ventum est. Romæ traditus Afranio Burrho Paulus, tunc superstiti, sub militis custodia biennium egit proprio in domicilio, Judæorum aliquibus interea ad Christum conversis, plerisque autem pertinaciter veritati adversantibus. Ex eo carcere *Galatas & Ephesios* æternis *epistolis* erudiit. Prima Neronis cognitione, desertus licet ab amicis, tam valide semet defendit, ut spem opimam liberationis conciperet. Erat enim religionum usquequaque contemptor Nero, præter unius Deæ Syriæ, quam cælestem Venerem aliqui appellant. Quam paulo post cum icuncula puellari commutavit, remedium eam insidiarum arbitratus. Quamobrem laxè habitus Apostolus, discipulos ad se confluentes in varias provincias euangelizatum dimisit, Timotheumque & Marcum evocavit ad se ex Asia. Per Epaphroditum *Philippensibus*, per Tychicum *Colossensibus* & *Philemoni* divina monita curavit. Quibus & spem fecit certam de sua liberatione. Per eundem postea Timotheum *Hebræis* scripsit, criminumque mox absolutus in Asiam suscepit iter, comitante hactenus Luca, qui *acta* tunc *Apostolica* consignavit literis. Eo digresso, Petrus Romam venisse intelligitur, ex qua urbe priorem epistolam, mox & alteram scripsit, latore Sylvano, qui Pauli quondam comes eximius. Epiphanius author est, Paulum peragrata Hispania Romam rediisse. Tunc fertur illustris illa adversus Simonem Petri ac Pauli congressio. Qui cum magicis artibus, ut se Deum probaret, duobus suffultus dæmoniis evolasset, orationibus Apostolorum fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populoque inspectante disruptus est.

A. M. 4028. *Gal. c. 6. Ephes. 6. 20. 2 Tim. 4. 16. Phil. 1. 25. Sueton. Nerone cap. 56.*

2 *Tim.* 4. 9. 10. 11. 12. *Phil.* 3. 28. *Col.* 4. 7. 8. 9. *Euseb. lib.* 6. *Hist. c.* 31. *Philem. v.* 22. *Heb.* 13. 23. 1 *Pet.* 5. 12. *Epiph. hær.* 27. *Sulpit. Sever. l.* 2. *Cedren. in Synopsi Histor.*

A. M. 4038. *Dubium. Euseb. in Chr.*

Occisum à Nerone Paulum cum Petro Collega, plerique tradunt, sed alii duodecimo, alii decimoquarto, quidam decimo imperii anno, cum scilicet offensus deformitate veterum ædificiorum tyrannus incendisset urbem, abolendæque infamiæ subderet reos Christianos, vulgo invisos, odiique obtentu publici quæsitissimis pœnis afficeret. Pereuntibus addita ludibria, ut tergis ferarum contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, aut ubi defeciisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Unde miseratio vel apud hostes orta, tanquam non utilitate publica, sed in sævitiam unius absumerentur, prout res erat. Secuta horribilis strages plerorumque nobilium, ut Pisonianæ conjurationis reorum, inter quos *Annæus Seneca*, educator principis, *M. Annæus Lucanus* poëta, Fenius Rufus prætorio præfectus, Vestinus Cos. plurimique alii, ob metum invidiamve, etiam insontes *exstincti*.

Tacit. 15. ann. cap. 44. Suet. Nerone. c. 16. 38. Xiphil. è Dione. Euseb. 2. Hist. Ecc. c. 21. 24. Oros. l. 7. cap. 7. Tac. 15. ann. c. 61.

A. M. 4036.

Ac ne cujus non cædis obnoxium esset cruentum ingenium, *Poppæam* quoque *uxorem gravidam* fortuita iracundia, calcis ictu *interemit*, dignam tali exitu ob impudicitiam sævitiamque. Nec defuit divina indignatio, quæ ipsis hominum oculis occurreret, quod nulla cæli intemperie, uno autumno, triginta funerum millia in rationem Libitinæ venirent, pestilentibus morbis absumta. Atque illi quidem communi mortalitate prævenisse sævitiam tyranni videbantur, quæ mox recruduit, Petroniumque Arbitrum, eruditi luxus ganeonem, cum aliis melioribus abstulit. Hic antequam interiret, flagitia principis sub nominibus exoletorum fœminarumque, & novitate cujusque stupri perscripsit, & obsignata misit Neroni. Actus & in exilium est Rufus Musonius Philosophus, Annæus Cornutus Grammaticus: alii salutem à Tigellino, obscœnissimo Neronis præfecto, pecunia magna redemerunt.

Anno eodem. Tacitus 16. ann. c. 6. 13. Sueton. c. 39. 35.

Xiphilinus è Dion.

Paulo post *Tiridatem* stupenda magnificentia coronavit, ac ludorum causa transivit in Græciam, ductans secum quasi copias saltatorum, histrionum, tibi-

tibicinum, aurigarum. Ibi OEdipum, Thyesten, Herculem, Orestem egit, Sporo in similitudinem Poppææ execto nupsit. Mox oblitus se histrionem esse, Isthmum perfodere aggressus est, jamque exhaustus prodigalitate, calumniis & rapinis intendit animum. Corbulonem, per quem Tiridatem vicerat, ad mortem adegit, damnantem se ipsum mollitiæ, quod tali monstro tam diu peperciſſet. Nulli delegavit officium, ut non adjiceret, *Scis, quid mihi opus sit; & hoc agamus, ne quis quidquam habeat.*

Suet. c. 40.42.47. Aurel. Victor. Talem principem paulo minus XIV annis perpessus terrarum orbis, tandem destituit: initium facientibus Gallis, duce Julio Vindice, qui tum eam provinciam obtinebat. Neapoli de eo motu cognovit die ipso, quo matrem occiderat. Postquam deinde etiam Galbam & Hispanias desciviſſe cognovit, collapsus diu sine voce, & prope intermortuus jacuit. Nunciata & cæterorum exercituum defectione, varia agitavit. Sed ubi adventare Galbam didicit, senatusque sententia constitutum, ut more majorum collo in furcam conjecto, virgis ad necem cæderetur: desertus undique noctis medio egressus urbem, sequentibus Phaone, Epaphrodito, Neophytoque, & Spadone Sporo, *semet ictu gladii transegit*, adjuvante trepidantem manum impuro, cum prius exclamasset, *Itane nec amicum habeo, nec inimicum? dedecorosè vixi, turpius peream.* Egredienti urbem tremuit terra, animæque hominum ab ipso interfectorum velut insultare ei visæ. Cum ægrè moreretur, Epaphroditus eum confecit. Vixit annos XXX, menses IX, regnavit XIII, menses VIII, ultimus eorum, qui ab Ænea & Augusto ducebant genus.

A. M. 4039. *V. c. 820. Xiphil. è Dion.*

Idem constitutis similibus sibi procuratoribus, Judæos ad rebellionem impulerat.

Joseph. antiq. 20. 6. 3. Etenim *Albinus* nemini non cujusvis gratiam delicti fecit, nisi qui pecunia careret. Antequam is veniret in provinciam, Ananus, Annæ Pontificis filius Jacobum, Jesu Christi matertera natum, pluresque alios objecta legis prævaricatione, occidit. Quæ ob facinora accusatus, excidit sacerdotio, substitutusque est ab Agrippa Jesus Damnæi, mox illi alius Jesus, Gamaliëlis filius. Qui cum dissidia invicem exercerent, sæpe ad lapides utrinque ventum est, lapsaque indies in deterius Judæorum Respubl. Deo, impietatis ac cædium pœnas à nefario populo exigente.

Itaque Albinum excepit *Gessius Florus*, qui fretus Poppææ gratia, nihil sibi ad summam in rapinis & suppliciis, iniquitatem reliquum fecit. Irrisit & Judæos, precantes Cestium Gallum legatum Syriæ, ut pestem illam provinciæ submoveret. Accessit & alia calamitas Judæorum Cæsarienſium, quos Nero jure civitatis privaverat, eosdemque Florus fallacibus promissis in Syros quasi armabat, ut defectioni præberet materiam. Eam mox acrius accendit sacrilegio, conviciis ob id proscissus publice, quorum authores cum dedi ad supplicium postularet, deprecante populo, diripi urbem imperavit, nec paucos interfici. Tolerabatur & hæc injuria, prudentissimis quibusque plebem mitigantibus, & ad occurrendum cohortantibus exercitui. Sed contemptim habebat miles officium populi, à Floro id præmonitus, irritatosque in iram Judæos gravi cum cæde in urbem redigebat. *Id belli initium* fuit, anno Neronis XII. Mox enim Judæi castellum Masada adorti, Romanos omnes trucidarunt, & Eleazarus, Annæ pontificis, ejus qui Christo illuserat, nepos persuasit sacerdotibus, ne amplius pro Cæsare immolarent. Cumque meliora suadentibus nequaquam obtemperaretur, missi ab Agrippa equites, ut urbi præsidio essent, ejecti; Romani præsidiarii etiam contra datam fidem jugulati sunt. Additi cædi Ananias Pontifex, Annæ filius cum fratre, & Manahemus, qui tyrannidem invasurus videbatur. Eodemque die (sabbatum erat)

Joseph. lib. 20. antiq. c. 9. & l. 2. de bello. c. 13. 14. Euseb. 2. Hist. Eccles. cap. 25.

A. M. 4038.

Joseph. lib. 2. de bello c. 16. 17. 18. 19.

Cæsarienses xx Judæorum millia necarunt, qua cæde tota gens efferata, vicissim in Syros Græcosque cœpit grassari, ut non Palæstina tantum tota, sed & vicinæ regiones, & Alexandria Ægypti, sanguine exundarent, in qua sola urbe L Judæorum millia periere. Bellum hoc longe tristissimum multis ante prodigiis est denunciatum. Supra civitatem sidus stetit gladio simile, & per annum perseveravit. Paschate hujus anni, lux diei instar clara in templo, dimidiam horam fulsit, signans adesse lucem, sed brevi evanituram. Orientalis porta ænea sponte patuit; audita & vox, *migremus hinc*, solitudinem, & discessum numinis indicans. Visæ & armatæ acies tranantes nubila, & civitati circumfusæ. Imo quod horribilius, cum Jesum quondam Dei filium renuissent audire, coacti sunt audire per septennium alium *Jesum Anani filium*, hominem plebeium & rusticum, noctes diesque vociferantem, *Vox ab oriente, vox ab occidente, vox à quatuor ventis; vox in Jerosolymam & templum, vox in maritos novos, novasque nuptas, vox in omnem hunc populum.* Verberibusque ob id contusus, ad singulos ictus respondebat, *væ Jerosolymis.* Maximè autem diebus festis vociferabatur, donec tandem in obsidione conquievit, ad extremum addens, *væ etiam mihi*; lapisque tormento missus statim eum peremit. Verum hæc ostenta plerique, ut solet cæcum vulgus, ex suis cupiditatibus, interpretabantur: Maximè eo dementati, quod sacri eorum libri Judæo cuidam hoc tempore totius orbis imperium promitterent, qui fuit Christus Mariæ virginis filius, non Vespasianus, ut cum Josepho Suetonius & Tacitus opinantur.

Joseph. lib. 7. de bell. cap. 12. Tacit. 5. hist. c. 13. Euseb. 3. Histor. Eccl. c. 8.

A. M. 4033. *A condito templo Salomonis* 1100.

Tacitus 5. Hist. 13. Suet. Vespas. c. 4.

Comprimere primos Judæorum ausus cupivit Cestius Gallus, Syriæ præses, assumtis in hoc sociorum regum auxiliis. Sed ad urbem progressus, cum imprudentius pedem referret, repellitur à Judæis jam propè furentibus, amissisque præter machinas, V millibus peditum, & mille ferè equitibus, Antiochiam recedit. Judæi successu animosiores, duces bello gerendo creant, interque eos Ananum pontificem: Josephum Matthiæ filium, qui deinde hoc bellum descripsit, Galilææ utrique præficiunt. At meliores quique, Christiani præsertim, è Judæa, tanquam navi pessum itura, mature enatabant.

Joseph. de bell. Judaico l. 2. c. 24. 25.

Nero idoneum tanto bello ducem circumspiciens Flav. Vespasianum, Britannicis expeditionibus clarum, misit in Syriam, cui legatus ivit Titus filius, egregius belli juvenis. Cum Ptolemaidem veniisset Vespasianus, Sepphoris urbs Galilææ maxima semet ei dedidit, moxque ex Ægypto, Syria, & à vicinis regibus Agrippa, Antiocho, Sohemo, Malcho, LX militum millia confluxêre. Ductat ergo in Galilæam copias: non ferentibus vim Romanorum, qui cum Josepho erant. Prima omnium Gadara expugnatur, inde Japha, ubi XV Galilæorum millia ceciderunt. Samaritæ quoque in monte Garizimo oppressi, à Sexto Cereale, occisique undecim millia & sexcenti. Decimo tertio Neronis anno Jotapata, fortissime à Josepho defensa, in potestatem Vespasiani venit, XL Judæorum millibus peremptis. Venit & Josephus, optimum quidem ratus in bello pro patria mori, sed lege belli, id est, à victoribus trucidari: summumque scelus in DEUM creatorem esse, & à natura ipsa abhorrens, propria perire manu: Hic ergo, quod Vespasiano spem imperii faceret, benigna habitus custodia est. Excisa deinde Joppe, deditur Tiberias, expugnatur Tarichæa, Galilæi ad Genesaram lacum tanta strage cæduntur, ut fœtore & sanie totum stagnum horreret. Supra XXX millia venditi, sex millia Neroni ad perfodiendum Isthmon missi. Ibi Titi virtus enituit, qui equo in acie sub feminibus amisso, alterum inscendit, cujus vectorem contra se dimicantem interfecerat.

Joseph. lib. 3. de bello Judaico c. 1. &c.

Ioseph. l. 3. c. 12.

Suet. Vesp. c. 3. Ioseph. ibidem cap. 49. Dio in Vesp. Suet. Tit. cap. 4. Joseph. lib. 4. de bell. Judaico.

Secuta Gamalensium & Giscalorum exitia, totaque tandem Galilæa, postquam

quam multo ſudore Romanos exercuiſſet, ſubacta: Supererant Judæa, Peræa, & Idumæa. Jeroſolymam obſidione cingere diſtulit Veſpaſianus, comperta è transfugis ſeditione, qua Judæi laborabant, quam ſimulatione metus augendam putabat, ut ſuiſmet hoſtes armis conficerentur. Id quod evenit. Repleta enim latronibus urbe, nihil ſacri profanique habentibus prædæ erant opulentiſſimi quique. Anano ſacerdoti Phannias quidam ruſticus, ſorte lectus ſufficitur, ignarus quid rei eſſet, quod agendum ſuſciperet. Quo facinore infenſus ille, ſtimulat in Zelotas (ſic ſemet appellabant, quaſi legis patriæ æmulatores diceres, qui perduelles erant honeſtatis) populum, Templumque Dei in ſpeluncam latronum vertitur, confugientibus eo velut in caſtellum ſeditioſis, ipſumque ſanctum profana turba polluentibus, quæ abominatio manifeſtum deſolationis præſagium cuivis cordato præbuit. Sic obſeſſi in templo Zelotæ, Idumæos advocant, eorumque XX millia nocturnis inſidiis intromittunt, commiſſoque prælio ſupra VIII millia interfectorum dies oſtendit. Direpta urbs, Ananus Pontifex, & primores plerique trucidati, cæterorum civium ad XII M. Zacharias Baruchi, quanquam à LXX judicibus abſolutus, medio in templo occiſus eſt, corpuſque in vallem provolutum. Nec ſepultura dignabantur cæſos, proditores eos, legiſque patriæ deſertores criminati, quicunque ad Romanos profugere tentarent. Interim qui Maſadam tenebant, totam regionem deprædabantur. Veſpaſianus à Gadarenis invitatus, Peræam ſubigebat, habitatoribus ad Jordanem tunc reſtagnantem compulſis. Eos Placidus Tribunus horrenda ſtrage peremit; XV M militum gladiis abſumta, innumera multitudo Jordane abſorpta. Aſphaltites lacus cadaveribus repletus eſt. Expugnata Geraſa, dum Jeroſolymam obſidere parat imperator, affertur Neronem interiiſſe, eaque conficiendo bello mora interceſſit.

Dan. 9. 27. Matth. 24. 15. Marc. 13. 14. Lucæ 19. 20. Joſeph. lib. 4. de bello Judaico c. 7.

Joſeph. de bello l. 5. c. 2. 3.

Gerebat tunc conſulatum *Silius Italicus*, Poëta egregius, florebat & *Perſius* Satyricus. Epaphrodito Neronis liberto, qui impuræ illius animæ jam migraturæ, latiorem viam aperuit, ſerviebat Epictetus magiſter virtutis, & libertatis, quam omnem excindere, quantum in ſe erat, Nero deſtinabat. *Euſebius Chron. Suidas.*

SERVIUS SULPITIUS GALBA. Anno Chriſti 71.
M. SALVIUS OTHO. Mundi 4038.
AULUS VITELLIUS. *Olymp.* 112.

HI *tres* uno biennio imperium degustarunt potius, quam perceperunt. Galba ſeptuagenario major, primus extra urbem princeps lectus, majore omnino favore & autoritate cepit imperium, quam geſſit. Quamquam enim multa documenta egregii principatus daret, tamen occiſis pleriſque crudelitatis Neronianæ adminiſtris, haudquaquam tam grata ea erant, quam inviſa, quæ ſecus fierent. Ante ſumtam dominationem, Africam Germaniamque laudabiliter adminiſtraverat, militem ſeveriſſime tractans, ita ut ingreſſo eo caſtra, vulgaretur ſtatim; *Diſce miles militare, Galba eſt, non Gætulicus.* *Sueton. in Galba. Xiphil. à Dion. Tacit. Hiſt. l. 1. Aurel. Victor. Plut. in Galba. Sueton. c. 6. 14.*

At in adoleſcentes infamis, ad veſcendum intemperans fuit. Princeps factus, trium amicorum conſilio, T. Vinii, cupiditatis immenſæ, Cornelii Laconis arrogantia ſocordiaque intolerabilis, & Iceli inertis liberti, cuncta diſpoſuit, adeo ut inter Palatinas ædes pariter habitarent, & vulgo pædagogi dicerentur. Famæ nec incurioſus erat, nec venditator. Pecuniæ alienæ non appetens, ſuæ parcus, publicæ avarus. Milites donativum poſcentes verbo perculit, ut generoſo, ſic intempeſtivo, *legere ſe militem ſolere, non emere.* Major privato viſus, dum privatus fuit, & omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet. Octavo imperii menſe, dum factione Othonis accenſas legiones, lorica tectus lenire contenderet, ad lacum Curtium cæſus eſt, cumque eo Licinianus Piſo, quem ado- *Dio in Galba.*

ptaverat, & tres tyrannidis administri. Julius Vindex antea, dum proditum se putat, sua manu ceciderat, acie ictus à Virginio Rufo. Nymphidium Sabinum præfectum, qui prætorianos ingentibus promissis conciliaverat Galbæ, sed postea sibi met ipsi circumdare concupierat purpuram, milites interfecerant. Sed iidem mox infensi Galbæ ob avaritiam, quodque Neronianis imbutos moribus prisca habere disciplina conaretur, quemvis præ illo Dominum adscivêre. Igitur *Salvius Otho*, Neroni quondam criminose familiaris, & in Poppæa uxore rivalis, potentiam invadit. Conatibus Galbæ primus accesserat, sperans fore ut adoptaretur ab ipso. Sed postquam, Pisone prælato, spe decidit, ad vim conversus instigante super animi dolorem, etiam magnitudine æris alieni, dominatui intendit animum. Neque enim dissimulabat, nisi principem se stare non posse: nihilque referre, ab hoste in acie, an in foro sub creditoribus caderet. Corruptis pecunia militibus, Galbæ ob avaritiam infensis, in castra latus, nihil magis pro concione testatus est, quam id demum se habiturum, quod sibi illi reliquissent. Ab infima plebe appellatus Nero, nullum indicium recusantis dedit: Sed ea nocte per quietem pavefactus, gemitus edidit maximos, questus à manibus Galbæ se deturbari visum. Ac sub idem tempus, Germaniciani exercitus in Vitellii verba juraverant. Expeditionem in eum impigre atque etiam præpropere inchoavit, cumque trahi bellum oporteret, quam primum ipse decertaturus venit, sive ardori militum impar, seu sollicitudini. Et tribus quidem verum mediocribus præliis, apud Alpes, circaque Placentiam, & ad Castoris vicit; novissimo maximoque apud Bebriacum, fraude superatus est: cum spe colloquii facta, quasi ad conditiones pacis militibus eductis, ex improviso dimicaretur.

Ac statim moriendi impetum cepit, magis pudore, ne tanto hominum periculo dominationem sibi asserere perseveraret, quam desperatione, ut multi opinantur. Quippe residuis integrisque etiam nunc copiis, quas secum ad secundos casus detinuerat, & supervenientibus aliis è Dalmatia, Pannoniaque & Mœsia, imo ne victis quidem adeo afflictis, ut non in ultionem ignominiæ quidvis discriminis ultro, & vel solæ subirent, suo exitio commune malum voluit antevertere. Suos igitur omnes comiter ab se dimisit, hortatusque ut quisque, qua ratione posset, sibi consuleret: Quicquid deinde epistolarum erat, ne cui periculo aut noxæ apud victorem forent, concremavit. Divisit & pecunias domesticis ex copia præsenti. Atque ita paratus morti, arctissimo somno quievit, expergefactusque uno *se ictu trajecit*, XXXVIII ætatis anno, & XCV imperii die, adeo amabilis militibus propriis, ut plerique ejus corpore viso, suis manibus interierint.

Sic *Aulus Vitellius* successit, patre L. Vitellio ter Consule, miri in adulando ingenii viro. Aulus omnibus probris contaminatus, ex infami Tiberii apud Capreas secessu. Caio per aurigandi, Claudio per aleæ studium familiaris fuerat, iisdemque artibus Neroni, Proconsul Africæ singularem innocentiam præstitit: à Galba in inferiorem Germaniam præter opinionem erat missus, præ se ferente illud, *nullos minus metuendos, quam qui de solo victu cogitarent.* Satis constat, exituro viaticum defuisse, tanta rei familiaris egestate, ut uxore & liberis, quos Romæ relinquebat, meritorio cænaculo abditis, domum in reliquam partem anni ablocaret. Castra vero ingressus nihil cuiquam poscenti negavit, atque etiam ultro ignominiosis notas, reis sordes, damnatis supplicia demsit. Quare vix dum mense transacto, pronus ad res novas exercitus raptum è cubiculo imperatorem salutavit, consentientibus mox superioris Germaniæ legionibus: qui à Galba ad senatum defecerant. Victo per absentiam ejus Othone,

Tacit. l. 1. Hist. c. 41, &c. Plutarch. in Galba. Sueton. in Othone c. 3. 5. 7. Tacitus Hist. c. 13. 14. 21. Plutarch. in Othone.

Tacit. 1. hist. 1. c. 78. Dio in Othone.

Tacit. l. 2. Hist. 12. 13. 22. 24. 31.

Suet. c. 9. 10. 11. 12.

Tacit. 2. Hist. 47. Dio in Othone. Eutrop. lib. 7. Plut. in Othone.

Sueton. Vitell. c. 4, &c. Tacitus 1. Hist. c. 51. Joseph. l. de bello cap. 8.

Tacitus lib.2. Hist. c.62.70. 87.

thone, ut campos, in quibus pugnatum erat, adiit, abhorrentes quosdam cadaverum tabem, detestabili voce confirmare est ausus, dicendo, *optime olere occisum hostem, & melius civem.* Urbem ingressus comitia in decem annos ordinavit, seque perpetuum consulem. Homo non profundæ modo, sed intempestivæ quoque ac sordidæ gulæ, pronus vero ad cujusque & quacunque de causa necem & supplicium fuit. In una cœna, quam ei Vitellius frater exhibuit, supra cæteros sumptus duo millia piscium, septem avium millia apposita traduntur. Itaque octavo imperii mense desciverunt ab eo exercitus, Mœsiarum atque Pannoniæ, item ex transmarinis Judaicus & Syriacus: ac pars in absentis, pars in præsentis Vespasiani verba jurarunt, æmulis inter se, ut solent, militibus, ne deteriores Hispanicis, qui Galbam, ac Germanicis, qui Vitellium, & prætoriis, qui Othonem fecerant, viderentur. Retinendæ potentiæ Vitellius nihil non largitus est, & tentavit. At ubique aut superatus, aut proditus, apud Cremonam præsertim, ab Fl. Sabino urbi præfecto, Vespasiani fratre, sestertium millies pepigerat, arbitris militibus, imperio cedere. Sed postquam mox circumventum se nuntio ratus est, quasi renovato furore, ipsum Sabinum cæterosque adversæ partis, cum Capitolio, quod saluti remedium ceperant, cremavit. Mox ubi vera esse, & propinquare hostes patefactum est, productus è latebra Palatii, quo se abdiderat, vinctis à tergo manibus circumducitur, ad spectaculum vulgi. Et ne homo impudens in extremis saltem, malorum, quæ gesserat, rubore faciem demitteret, subjecto in mentum gladio, seminudus, multis cæno, fimo, & cæteris turpioribus dictu purgamentis vultum ejus incessentibus, per scalas Gemonias trahitur, ubi Sabinum necari permiserat. Sic numerosis ictibus excarnificatus *interiit*, anno vitæ 57. Hoc civili bello plurimum sanguinis fusum, Cremonæ omnia sacra profanaque in igne conflagrarant, anno CCLXXXVI quam erat condita. Annibali in Italiam ingruente, T. Sempronio & P. Cornelio Coss. Prælia ante ipsam urbem Romam multa & varia, dum Petilius Cerealis & Antonius Primus, Vespasiani duces, irrumpunt. Concurrere & in campo Martio infestæ acies. Pro Flavianis erat fortuna, & parta toties victoria. Vitelliani desperatione sola ruebant. Simul cruor & strues corporum: juxta scorta & scortis similes, prorsus ut eandem civitatem & furere crederes & lascivire. Expugnata vi prætorianorum castra, cæsaque in urbe hominum LM. Cohibitus tandem à supervenientе Licinio Mutiano miles, nomen sedesque Cæsaris Domitiano, principis filio tradita.

Entrop. lib.7.

Dio in Vitell. Oros.l.7. cap.8. Tacit.2. Hist.6.7. 74.80.

Tacitus 3. Hist. c.55.65. 72.

A. M. 4040. *Tacit.3. Hist. c.34 82.*

Dio Vitellio. Joseph. lib.5. de bello c.10. 13.14.

Nihilo melior tum *Judæa* erat *facies.* Joannes Levii F. Giscalis elapsus, & Simon Gerasenus seditiosorum duces, mutuis in se cædibus & lanienis sæviebant. Erant Simoni haud contemnendæ copiæ quibus ut Idumæos vicit, ita Jerosolymitas perterruit. Ergo intra urbem Joannes, nullo non scelere grassatus, in templum compellitur, eique subigendo Simon intromittitur portis. Dum illi intra mœnia confligunt, Vespasianus depopulatus confinia quæque, cognitis autem patriæ à Vitellio occupatæ calamitatibus, Cæsaream revertitur, ibidemque ab exercitu salutatus Imperator, in Ægyptum tendit ad præfectum ejus Tib. Alexandrum, ut commeatu Romanos intercludat. Sed audita suorum victoria, Romam properat, filium Titum cum selectis copiis ad exscindendam Jerosolymam mittit, triplici jam seditione laborantem, quod Eleazarus superiorem templi partem Johanni extorserat, & Simon cum Johanne de reliquis contendebat.

Ibid. c.6. 7.9.

Sueton. Vesp. c.7.

Joseph. 6. de bello cap. 1.

Flavius Vespasianus.

Anno Chr.72. Mundi 4040.

Flavius *Vespasianus* patre publicano T. Flavio Petronio, municipe Reatino ortus, per militarem industriam ad

Sueton. Vespas. c.1.2.3.4.

imperium emersit. Claudio principe legatus legionis in Germania, inde in Britanniam translatus tricies cum hoste conflixit. Post consulatum administrata Africa comes Neronis, quod cantante eo, vel abscederet citius, vel obdormisceret, penè occisus, latebras quæsivit, cum præter opinionem extrema metuenti, Judæa cum exercitu oblata est. Vitellio & Othone rempubl. raptantibus, ad capessendum principatum ei multi hortatores, quidam etiam vates, lente admodum persuasêre. Primus Ægypti *Tacit.l.4. Hist.c.39.* præses Tiberius Alexander legiones in verba ejus adegit, quem mox alii secuti. Ingens deinde fama, cum absens consulatum collega filio iniisset, ad urbem perrexit calliditate Mutiani à factione Antonii Primi, turbidisque legionibus vix tandem liberatam. Mutianus enim, velut usurpator imperii, impleto spe Hispaniæ Antonio, vires occultè demisit, legione septima, quæ flagrantissimi in eum amoris erat, in hyberna, tertia in Syriam, aliis alio dimissis. Petitium *Ibidem 66.68.77. Joseph. lib.7. de bello Judaico cap.23.* Cerealem præmisit in Germaniam, vehementer tumultuantem instinctu Julii Civilis Batavi, cui pleraque Gallia accesserat, ipsæque legiones vel jugulatæ per fraudem, vel in partes traductæ erant, Hordionio Flacco, ducibusque aliis interemptis. In Civilem sex legiones evocatæ à Mutiano, venientisque exercitus fama, Galliarum civitates ad mitiora inclinatæ. Supervenit *commune rebellantium malum discordia.* Quidam cladibus, alii pudore labefactæ fidei in *Tacitus Hist.5. cap.24. Dio in Vesp.* Vespasiani fidem redacti, edixitque per manipulos Cerealis, ne quis in certamine jurgiove seditionem aut cladem commilitoni objectaret. Crebris post hæc & ambiguis prœliis, ac multo utrinque sanguine certatum, donec per occultos nuncios Batavis pax, Civili & Velledæ Virgini fatidicæ, cui plurimum ille tribuebat, monstrata venia, positisque armis tranquillitas populis reducta est.

Tacitus Hist.5. cap.11. Julius Sabinus, qui se Cæsarem cognominaverat, in sepulcro subterraneo novem annos cum uxore delituit, ex eaque quos sustulit filios. Tandem proditus capite pœnas pependit.

Dum ista fiunt, Titus ante mœnia Jerosolymorum positis castris instructas legiones ostentavit. Judæi sub ipsos muros struxêre aciem, rebus secundis longius ausuri: & si pellerentur, parato perfugio. Missus in eos eques cum expeditis cohortibus, ambigue certavit. Mox cessere hostes, & sequentibus diebus crebra pro portis prœlia serebant, donec assiduis damnis intra mœnia pellerentur. Romani longum rati, famem hostium opperiri, ad oppugnandum vertuntur. Sed urbem arduam situ opera molesque firmaverant, queis vel plana satis munirentur. Duos colles in immensum editos claudebant muri. Templum in modum arcis, propriique muri, labore & opere ante alios. Ipse porticus, queis templum ambiebatur, egregium propugnaculum. Et pervicacissimus quisque illuc confugerant, eoque seditiosius agebant. Tres duces, totidem exercitus. Extrema & latissima mœnium Simon, mediam urbem Joannes, templum Eleazarus firmaverat. Sed prœlia, dolus, incendia inter ipsos; & magna vis frumenti ambusta. Diebus azymorum cum omnis populi colluvies affluaret, Joannes missis *Joseph. l.5. de bello c.4.* per speciem sacrificandi, qui Eleazarum manumque ejus obtruncarent, templo potitur. Ita in duas factiones civitas discessit, donec murum ferientibus Romanis, bellum externum concordiam pararet. *Tacitus l.5. c.13. Mat.24.* Multitudinem obsessorum C. Tacitus sexcenta millia fuisse, Josephus multo plura tradit. Arma cunctis qui ferre poterant, obstinatio viris fœminisque par. Jam intus crematam annonam dira fames, foris cruenta supplicia, nec tamen remittebat furor pugnandi, aggeres vineæque incendebantur. Tandem *Joseph. l.9. de bello c.14.* dividuntur legionibus munia: & quies *Luc.19. 43.44.* prœliorum fuit, quoad cuncta expugnandis urbibus reperta apud veteres, aut novis ingeniis struerentur. Ita circumdatis

datis XL ſtadiorum vallo Judæis, prout olim Chriſtus prædixerat, fames indies intendebatur, tanta pereuntium fœditate, ut ipſum hoſtem miſeratio ſubiret malorum. Sed urgebat eos DEI ira, quam pertinaci perfidia quotidie cumulabant, ut nullam gentem atrocioribus acceperimus cladibus perculſam. Cum multi clam urbe ereperent, ingeſtis avidius cibis rumpebantur, aut avaritiæ cauſa ob deglutitos aureos diſſecabantur à Romanis. Conſtat una nocte duo millia apertis ferro ventribus periiſſe: à XVI Aprilis uſque ad Kal. Julii intra mœnia fame ferroque abſumpta ſepties centena millia, quindecim millia & octingentos: Modium frumenti veniiſſe talento, repertos qui tetrum è cloacis & fimetis cibum, imo è laniata filiorum ſuorum carne peterent. Tandem ad diem VIII Auguſti capta urbs, biduo ſequenti templum, quod fruſtra obnitente Tito, à milite quodam incenſum, deflagravit, inque eo ſacerdotum & propugnatorum ingens multitudo. Una in porticu ſex millia cremati, quos pſeudopropheta aliquis eo deduxerat, ſalutem iſto die pollicitus. Reſtabat pars urbis altera, æque firma ac prior, cujus tandem captæ incenſæque omnis multitudo trucidata. Joſephus qui interfuit, captivorum 97 millia, mortuorum in obſidione undecies centena millia prodit. Etenim tota gens ex omnibus orbis provinciis Paſchales ad ferias congregata, ſubitoque circumfuſa bello velut diro carceri incluſa periit.

Joſeph. lib.7. c.ult.7. cap.8.

Euſeb. lib.3. Hiſt. Eccleſ. c.4.5.6. 7.

Joſeph. l.7.c.11.

Idem ibid.c.17.

Titus relictis aliquot turribus, pro teſtimonio ad poſteritatem, quantam urbem excidiſſet, reliqua omnia ſolo æquavit, ut habitatam aliquando fuiſſe, vix quiſquam agnoſceret. Inde dum regiones luſtrat apud Cæſaream Philippi, bis mille quingentos captivorum, velut ſolenni fratris ſui natali, apud alteram Cæſaream totidem beſtiis objectavit, aut flammis exuſſit. Antiochenis tamen, præter antecedentem in Judæos ſævitiam, exilia reliquis apud ſe poſcentibus non annuit, ſupereſſe nullam pulſis patriam cauſatus. Captis Jeroſolymis, oblatas ſibi à gentibus coronas omnes repudiavit. *Non ſeſe*, dicens, *illa feciſſe, ſed Deo iram ſuam declaranti manus ſuas commodaſſe.*

C.12.10. Finis regni Iudaici. A. M. 4041. A priore deſolatione Templi & urbis 676.

Suidas in Tito.

Cum Romam veniſſet, feſta totius civitatis gratulatione exceptus, acto cum patre triumpho, Simonem Bargioram, Joannem, alioſque bellatorum nobiliſſimos, quos ad id ſervaverat, in foro plecti capite imperavit. Pars triumphi fuit & menſa aurea, candelabrumque, ultimaque omnium Lex Judæorum, poſtmodum in Palatio depoſita. Supererant adhuc caſtella, Herodium, Machærus, Maſſada. Herodion & Machæruntem Cæcilius Baſſus partim armis, partim deditione cepit, tria millia, quæ in ſylvam confugerant, occidit. Cæſar venditis totius Judææ agris, ſolam Emmauntem octingentis militibus conceſſit habitandam. Judæis omnibus didrachma, ante templo DEI pendi ſolita, quotannis in capitolium deferenda impoſuit. Fæces belli in Maſſada caſtello conſederant, duce Eleazaro, Judæ Galilæi nepote. Erant ad mille mortales pari obſtinatione, ne quenquam hominum dicerent dominum, ipſi ſcelerum mancipia. Hos cum alia vi non poſſet, igne aggreſſus Flavius Sylva, DEUM palam ſibi cooperantem reperit. Subito enim coortus auſter flammam in munitiones rebellium tulit, omnemque eis ſpem ſalutis abſtulit. Ergo mutuo ſe cohortati, ne libertate vitam cariorem ducerent, omnes in ferrum ruunt, nullo ſuperſtite, niſi duabus mulierculis & pueris, qui ſubterraneis ſe cuniculis abdiderant. Hujus farinæ quidam profugerant in Ægyptum, proditique Lupo præſidi, quod nullis tormentis adigi poterant, ut Cæſarem dominum appellarent, fœdis interiere ſuppliciis, cauſamque Veſpaſiano præbuerunt, ut templo Oniæ, ante 333 annos apud Heliopolin Ægyptiam exſtructo, vaſtitatem induceret.

Oroſ.l.7. cap.9. Joſeph. lib.7. de bello cap.24.

Cap.25.

Ibidem. cap.28.

Joſeph. l.7.c 29. 30.31.

Nec Cyrenenſes Judæi communem numi-

numinis effugerunt iram. Jonathæ enim cujusdam impostoris pollicitationibus seducti, inde ejusdem indicio proditi, Catulli præsidis iniquitatem irritarunt, qui antea multis infensus, tria millia Judæorum suppliciis necavit, nec pauciori bus apud Alexandriam ipsamque Romam rebellionis crimen intendit, interque eos Josepho, scriptori hujus ævi nobilissimo. Sed homo nefarius diris paulo post morbis exhaustus, sævitiæ suæ pœnas exsolvit.

Joseph. lib. 7. de bello Judaico cap. 27.

Eodem tempore Alani, Caspiis effusi portis, Mediam Armeniamque cædibus ac rapinis vastarunt; Teridates Armeniæ rex ægre manus eorum elapsus est. Antiochus Comagenus conspirationis cum Partho insimulatus, tota ditione sua excidit. Parthis opem postulantibus, negavit Vespasianus, convenire sibi curam rerum alienarum. Literis Vologesi, quibus scripserat: *Rex Regum Arsaces Fl. Vespasiano* S. omissa reprehensione insolentiæ, simpliciter rescripsit, *Fl. Vesp. Arsaci regum regi S.* Mediocritatem enim pristinam neque dissimulavit unquam, ac frequenter etiam præ se tulit. Nobilitatem ei generis adstruere volentes irrisit ultro. Licinium Mucienum notæ impudicitiæ, sed meritorum fiducia minus sui reverentem, nunquam nisi clam, & hactenus retaxare studuit, ut apud communem aliquem amicum querens, adderet clausulæ: *Ego vir tamen sum.* Offensarum inimicitiarumque minime memor executorve, Vitellii hostis sui filium splendidissime maritavit. Mecium Pompoianum, quod vulgo crederetur genesin habere imperatoriam, consulem fecit, spondens beneficii quandoque memorem futurum. Conjurationes multas scelere inulto abscedere patiebatur comiter, uti erat, *stultitiæ arguens, qui ignorarent, quanta moles molestiaque imperio inesset.* Divinis adeo deditus, ut successores fideret liberos fore, aut neminem. Itaque primus Romanorum principum ex se genitos successores habuit. *Nullius unquam cæde lætatus, justis suppliciis illacrimavit etiam & ingemuit.*

Dio in Vesp.

Suet. Vesp. c. 12. 13. 14.

Aurel. Victor.

Sueton. cap. 8. 17. Eutrop. lib. 7.

Achaiam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, libertate adempta: item Thraciam, Ciliciam & Comagenem, ditionis regiæ ad id tempus in provinciarum formam redegit.

Cappadociæ propter assiduos barbarorum incursus, addidit legiones. Plurimas per totum orbem civitates terræ motu aut incendiis afflictas restituit. Ingenia & artes vel maximè fovit. Primus è Fisco Latinis Græcisque Rhetoribus annua centena constituit. Præcipuum est, in quo merito culpetur, pecuniæ cupiditas. Negotiationes enim vel privato pudendas propalam exercuit, venditavit reis absolutiones, *procuratoribus se pro spongiis uti dicebat, quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes.*

Suet. Vesp. c. 16. 18.

Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinæ vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans *num odore offenderetur?* ac illo neganti, *at*, inquit, *è lotio est.* Nuntiantibus legatis decretam ei statuam auream, jussit ut continuo ponerent, cavam manum ostentans, & paratam basin dicens.

Suet. cap. 22.

Dio in Vespas.

Avaritiam tamen inopia ærarii aliqui, sed frigidius excusant, & quod male partis bene usus est. Post mortem conjugis Cænidem libertam, aliasque pellices amavit, haud pro principe.

Contumeliis aliorum, ut erat fortissimus, dictis jocularibus respondebat. Demetrium Cynicum impudentius lacessentem satis habuit canem appellare: *Ego*, inquit, *canem latrantem non occido.* Portas Palatii interdiu semper apertas, ac omni custodia vacuas habuit. Itaque annum agens vitæ absque uno septuagesimum, cum æger intestina vitiasset, alvo usque ad defectionem soluta, *stantem*, ait, *imperatorem mori decet.*

Prima morbi accessione, ut, inquit, puto, Deus fio, ridens consecrationem antecessorum. *Decessit* imperii anno decimo. Sub eo ut Judaismus defecit, ita Christianismus vires sumsit, confirmatis plurimorum animis, quod Judæorum con-

A. M. 4050. V. C. 831. 24 Junii.

continui in Christianos fremitus talem sortirentur exitum, XL ante annos accurate à Christo prædictum, & Matthæi, Marci ac Lucæ Euangeliis præscriptum disertissime. Igitur Christiani in ditionibus Agrippæ, quo confugerant, servati, quotidianis è Judæis juxta ac Ethnicis accessionibus augescebant, Johanne & Simone Apostolis, Lino item, Cleto, Clemente, aliisque Apostolorum discipulis strenuè officium facientibus.

Cassi. Chron. Euseb. Chron. Communis *doctrinæ laude floruerunt* Plinius secundus, naturalis scriptor historiæ, M. Fabius Quintilianus Rhetor, Helvidius Priscus senator Stoicus, Asconius Pædianus historicus, & alii bonas artes sæpe malis moribus corrumpentes.

Anno Christi 80. Mundi 4050. *Suet. Tito. Aurel. Victor. Dio Xiphil. in Tito.*

Titus Vespasianus.

Titus vocabulo patris etiam *Vespasianus* dictus, matre liberta, Domitella nomine genitus, imperavit solus annos duos & menses duos, diesque viginti. Nam superstite adhuc patre participem tutoremque imperii egit, in septem consulatibus collegam. A puero præclaris studiis, probitatis, militiæ, literarum, instantissime deditus, patrem, clementia, liberalitate, honorificentia, ac pecuniæ contemptu anteivit. Quæ eo amplius grata fuere, quod à nonnullis à privato adhuc patratis, asperior, luxuriæque & avaritiæ amans credebatur fore. Namque præfecturam prætorianam, nunquam ad id tempus, nisi ab Equite Romano administratam susceperat, & aliquanto incivilius violentiusque gesserat. Siquidem suspectissimum quemque sibi, submissis, qui per theatra & castra, quasi consensu ad pœnam deposcerent, velut criminis convictum oppressit. In quibus A. Cæcinam consularem, adhibitum cœnæ, vixdum triclinio egressum, ob suspicionem stupratæ Berenices, uxoris suæ, jugulari jussit, cum etiam chirographum ejus præparatæ apud milites conjurationis deprehendisset. Suspectus & luxuriæ erat, quod ad mediam noctem comessationes, cum profusissimo quoque familiarium extenderet: Nec minus libidinis, propter spadonum greges, & insignem reginæ Berenices amorem. Suspecta & rapacitas, quod constabat in concionibus patriis nundinari præmiarique solitum. Denique propalàm alium Neronem & opinabantur, & prædicabant. Sed hæc in melius conversa, adeò ei immortalem gloriam contulêre, ut *delicia atque amor humani generis* appellaretur. Nam ut subiit pondus regium, Berenicen justas sperantem nuptias, regredi domum, & enervatorum turbas abire præcepit. Quo facto quasi signum protulit mutatæ intemperantiæ. Convivia instituit jucunda magis, quam profusa. Amicos elegit, quibus & post eum principes, ut & sibi & Reip. necessariis, acquieverunt. Nulli civium quidquam ademit: abstinuit alieno, ut si quis unquam: ac ne concessas quidem ac solitas collationes recepit. Et tamen nemine ante se munificentia minor. Cum enim ex instituto Tiberii, omnes dehinc Cæsares beneficia à superioribus concessa principibus, aliter rata non haberent, quam si eadem iisdem & ipsi dedissent, primus omnia præterita uno confirmavit edicto, nec à se peti passus est. In cæteris verò desideriis animum hominum obstinatissimè tenuit, ne quem sine spe dimitteret, *negans oportere quenquam à sermone principis tristem discedere.* Atque etiam recordatus quondam super cœnam, quod nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: *Amici, diem perdidi.* Clementiam usque eò produxit, ut ampliſſimi ordinis duo, cum adversus eum conjurassent, neque abnuere cogitatum scelus quirent, monuerit primò: post deductos in spectaculum secum, utrinque assidere jusserit; petitoque ex industria Mirmillonum, quorum pugnæ visebantur, gladio, quasi ad explorandam aciem, uni atque alteri commiserit, quibus perculsis, & constantiam mirantibus diceret, *Videtisne po-*

Sueton. cap. 6. 7. *Suet. c. 3. Aurel. Victor.* *Eutrop. lib. 7.*

testates fato dari, frustraque tentari facinus potiundi spe, vel amittendi metu? Fratrem quoque Domitianum parantem insidias, flens sæpius obtestatus est, ne parricidio assequi cuperet, quod & se volente esset obventurum ei, & jam haberet, ut particeps potestatis. Hujus tempore mons Vesuvius in Campania ardere cœpit, incendiumque Romæ, sine nocturnâ requie, per triduum fuit. Lues quoque quanta vix unquam antea. Quibus malis cunctis remediorum generibus subvenit. Bona oppressorum incendio & cineribus (nam duæ urbes Herculanum & Pompeii penitus obruebantur, Plinius etiam senior novæ rei spectator improvidus) quorum hæredes non exstabant, restitutioni afflictarum civitatum attribuit. Delatores partium vænire imperavit, partim in asperrima insularum avehi.

Dio in Tito.

Plinius Junior Epist. ad Trajan. Suet. c. 8. in Tito.

Dio tantum cineris jactatum in aëre narrat, ut pervenerit in Africam, Syriam & Ægyptum, introieritque Romam, & solem obscuraverit, gigantium imaginibus in aëre velut confligentibus, ut dixeris lætatos Dæmones, quod tantum nuper hominum ad inferos Judaico bello rapuissent, ac mox Tito defuncto Domitianus plurimas esset Tartaro inferias missurus. Inter hæc enim *morte præventus* est *Titus*, majore hominum damno quam suo, anno ætatis altero & quadragesimo. Hujus mors adeò provinciis luctui fuit, ut orbem velut parente orbatum deflerent.

A. M. 4052.

Flavius Domitianus.

Anno Chr. 82. Mundi 4052. *Tacit. 4. Hist. c. 52. 85.*

Domitianus patri fratrique dissimilis, qualem esset Principem daturus, adolescentulus adhuc ostendit. Absentibus enim illis in bello Judaico, stupris ac libidinibus Cæsarem egit; Domitiam Longinam tum Ælio Lamiæ abductam contrectatasque multorum nobilium uxores narrant. Uno die supra xx urbana officia aut peregrina distribuit: Mirari se Vespasiano dictitante, quod non & sibi successorem mitteret. Quum fidem quorundam ducum tentasset, spernique à senioribus juventam suam cerneret, usurpata antea imperii munia omisit, simplicitatis ac modestiæ imagine in altitudinem conditus; studiumque literarum, & amorem carminum simulans, quo velaret animum, & fratris æmulationi subduceretur, cujus disparem mitioremque naturam contra interpretabatur.

Patre defuncto nunquam cessavit insidias struere fratri clam, palam: quoad correptum gravi valetudine, priusquam planè efflaret animam, pro mortuo deferri jussit. Initio principatus, quotidie secretum sibi horarium sumsit, nec quicquam amplius quam muscas stilo confixit: Ut cuidam interroganti, esset-ne quis intus cum Cæsare, non absurdè responsum sit, à Vibio Crispo: *Ne musca quidem.* Domitiam uxorem, Paridis histrionis amore deperditam, repudiavit: intraque breve tempus impatiens discidii, quasi efflagitante populo, reduxit. Circa administrationem imperii aliquamdiu varius & mirus modestiæ simulator, misturâ penè æquabili vitiorum atque virtutum, tandem virtutes, quoque in vita deflexit, inopia, ut volunt, rapax, metu sævus.

Sueton. Domit. cap. 2. 3.

Multa in communi rerum usu non sine causa novavit. Interdixit histrionibus scenam, intra domum saltem exercendi artem, jure concesso.

Castrari mares vetuit. Jus diligenter & industriè dixit, tantâ magistratuum censurâ, ut neque modestiores unquam, neque justiores exstiterint.

Scripta famosa abolevit, non sine auctorum ignominiâ. Cæcilium Rufinum Quæstorium virum, quod gesticulandi saltandique studio teneretur, movit senatu. Probrosis fœminis jus capiendi legata, hæreditatesque ademit. Incesta Vestalium variè & severè exercuit. Inter initia liberalis, omnes circa se acriter monuit, ne quid sordidè facerent.

Dio Xiphil.

Sueton. Domit. cap. 9.

Fiscales calumnias, magnâ calumniantium

tium pœna repreſſit; ferebaturque vox ejus: *Princeps qui delatores non caſtigat, irritat.*

Sueton. Domit. c.10.20. Aurel. Victor. Bibliothecas incendio conſumtas, petitis undique præſertim Alexandriâ exemplis reparavit. Sagittarum tam doctus fuit, ut inter patentes digitos extentæ manus viri, procul poſiti, ſpicula ejus tranſvolarent. Sed in nullius virtutis tenore permanſit. Atrox cædibus, quod Aſtrologorum arte comperto ſuo exitu, omnia metueret, bonorum ſupplicia agere cœpit, ac more Caligulæ, dominum ſe Deumque dicere. Erat autem non ſolum magnæ, ſed & callidæ inopinatæque ſævitiæ. Neminem enim verè & ex animo dilexit, præter paucas mulieres: quanquam eum ſe diligere ſimulabat ſemper quem maxime interfectum cupiebat.

Sueton. cap.14.

Dio in Domit.

Sulpit. Severus lib.2. A. M. 4066. Præter alios complures, vel nulla, vel levi de cauſa damnatos, etiam in *Chriſtianos ſæviit*, inter quos *Johannem Apoſtolum in Pathmon* relegavit inſulam, ubi ille divinam revelationem vidit, acuendis deinde omnium piorum mentibus editam.

Sueton. cap.15. Dio in Domit. Euſeb.l.3. Hiſto.Eccleſ.c.13. 14.15. Flavium Clementem patruelem ſuum, cujus filios etiam tum parvulos ſucceſſores palàm deſtinaverat, illato Chriſtianiſmi crimine & ipſi & uxori ejus Flaviæ Domitillæ, propinquæ ſuæ, tantum non in ipſo ejus conſulatu interemit: Domitillam in Pandatariam ſepoſuit. Aquilium quoque Glabrionem, qui cum Trajano magiſtratum geſſerat, accuſatum præter cætera ejuſdem criminis, per invidiam interfecit. Conquiri juſſit & Davidis, Judæorum quondam regis poſteros, interque eos Jeſu Chriſti propinquos. Sed edoctus, ad cæleſtem eos dignitatem per humillima quæque adſpirare, dimiſit impunitos, cum jam plurimos, quod in mores Judæorum Chriſtianorumve tranſiſſent, aut vita, aut facultatibus ſpoliaſſet. Quo maxime facto maturavit ſibi exitium. Nam occiſo Clemente, octo menſibus tot fulgura facta, nuntiataque ſunt, ut exclamaverit: *Feriat jam quem volet.* Tactum de cælo Capitolium, quod iterum ſub Tito arſerat, magnoque ipſe ſtudio reparaverat. Tactum & Flaviæ gentis templum, quod impius divinitatis raptor exſtruxerat: item Domus Palatina & cubiculum ipſius: Atque etiam titulus è baſi ſtatuæ triumphalis excuſſus vi procellæ in monumentum proximum decidit.

Iren.l.5. cont.hæreſ.

Oroſius l.7.c.10.

Sueton c.12.15.

Exhauſtus operum ac munerum impenſis, ſtipendioque quod militibus adjecerat, tentavit quidem ad relevandos caſtrenſes ſumptus, militum numerum diminuere: ſed cum obnoxium ſe Barbaris per hoc animadverteret, nihil penſi habuit, quin prædaretur omni modo bona vivorum & mortuorum, uſquequaque quolibet & accuſatore & crimine corripiebantur. Senatores pleroſque inſtructo omnibus velut funebri convivio, in quo pueri in lemurum & ſpectrorum formam compoſiti miniſtrabant, præſenti mortis metu exterruit. Furens eriam libidine, fœdum ejus exercitium Græcorum lingua vocabat *κλινοπάλην*, nec Juliam Tito fratre genitam inceſtare exhorrebat. Quibus ejus vitiis, ac maxime injuria verborum, qua ſe ſcortum vocari dolebat, accenſus L. Antonius, curator Germaniæ ſuperioris, imperium corripuit. Quo per Norbanum Appium & L. Maximum ſtrato acie, Domitianus longe tetrior, in omne hominum genus, etiam in ſuos, ferarum more graſſabatur. Sub eo C. Julius Agricola, ſocer Cornelii Taciti, hiſtoriarum ſcriptoris, Britanniam edomuit, & claſſe circummiſſa, inſulam eſſe primus Romanis affirmavit, incognitaſque ad id tempus alias inſulas, quas Orcades vocant, invenit, ſubegitque. Contra in Mœſia Daciaque & Germania Pannoniaque amiſſi exercitus, temeritate aut per ignaviam ducum, aliquot militares viri cum cohortibus expugnati & capti. Cum ergo poſceretur ore vulgi dux Agricola Domitianus virtutibus infenſus, & quo obſcurior in iram, eò irrevocabilior, venenо virum inter-

Suet. cap.12.

Dio in Domit.

Suet. cap.22.

Aurel. Victor.

Sueton. cap.6.10.

Tacit. in vita Agricolæ. c.10.41.

Eutrop. lib.7.

Dio Xiphilini. Orosius l.7 c.10. Tacitus vita Agricolæ cap.45.

cepit, *Festinatæ mortis*, inquit Tacitus, *grande solatium tulit, evasisse postremum illud tempus, quo Domitianus non jam per intervalla ac spiramenta temporum, sed continuo & velut uno ictu rempublicam exhausit. Non vidit Agricola obsessam curiam, & clausum armis senatum, & eadem strage tot consularium cædes, tot nobilissimarum fœminarum exilia & fugas. Nero tamen subtraxit oculos jussitque scelera, non spectavit, præcipua sub Domitiano miseriarum pars erat, videre & aspici, cum suspiria senatus subscriberentur: cum denotantis tot hominum palloribus sufficeret sævus ille vultus & rubor, à quo se contra pudorem muniebat.* Igitur metu crudelitatis & conscientiæ suæ conjuravêre plerique, impulsore Parthenio procurante cubiculum, adscita etiam in consilium tyranni uxore Domitia, ob amorem Paridis cruciatus formidante, Domitianum multis *confodiunt vulneribus*, anno imperii XV, vitæ XLV. Senatus gladiatoris more funus efferri, eradendumque nomen decrevit.

Sueton. cap 17. Dio & Aurel. Victor. A. M. 4067.

Sueton. cap.16.

Nocte quæ cædem anteceſſit, ita est exterritus, ut è strato prosiliret: Longinus Proculus in Germania palàm prædixit, qua die esset periturus, Apollonius Thyanæus Pythagoricus Magus, eâ horâ, quâ Domitianus Romæ occidebatur, inscenso apud Ephesum saxo proclamavit: Rectè Stephane; euge Stephane, percute homicidam: percussisti, vulnerasti, occidisti. Paucos ante menses Cornix in Capitolio elocuta est, Ἔστι πάντα καλῶς. Nec defuit, qui ostentum sic interpretaretur:

Dio Xiphilini.

Nuper Tarpeio, quæ sedit culmine cornix,
Est bene, non potuit dicere: dixit, erit.

Ipsum etiam Domitianum ferunt pro certo habuisse, quandoquidem erat somniis divinisque deditus, beatiorem post se lætioremque portendi reipubl. statum. Sicut sanè brevi evenit, abstinentia & moderatione insequentium principum.

Quarto Domitiani anno *decessisse* narrat Eusebius *Marcum* Euangeliographum, cum primus Ægyptiis salutarem doctrinæ cælestis facem intulisset, successore Aniano. Duodecimo ejusdem principis anno successisse Anacleto, secundo Romanorum Episcopo, *Clementem*, cujus Paulus Apostolus sua ad Philippenses epistola meminit.

Euseb. 3. Hist. Eccl. cap.12. & 16.

Vixerunt eo tempore, sed longè dissimili studio, *poëtæ*, Junius Juvenalis, M. Valerius Martialis, Statius Papinius. *Philosophi*, interque eos Epictetus, urbe & Italia ejecti sunt.

Gellius 15. Noct. Attic. cap.11.

Cocceius Nerva.

HActenus Romæ, seu per Italiam orti imperatores: hinc advenæ, ipso Christi anno centesimo. Unde compertum est (verbis loquar Victoris Aurelii) *urbem Romam externorum virtute crevisse.* Quid enim *Nerva* Cretensi prudentius, magisque moderatum? In Epitome tamen sua Victor Narniensi genitum oppido tradit. Extremâ ætate apud Sequanos cepit imperium legionum arbitrio, metuensque Domitiani, quem vivere atque affore, rumor ferebat, à Parthenio ejus interfectore confirmatus est. Cum in curia à Senatu gratanter exceptus esset, solus ex omnibus Areius Antoninus, vir acer, eique amicissimus conditionem imperantium prudenter exprimens, amplexus eum gratulari se ait Senatui, & populo provinciisque: ipsi autem nequaquam, cui satius fuerit malos semper principes eludere, quam *tanti oneris vim sustinentem, non molestiis modo & periculis subjici, sed famæ etiam inimicorum pariter & amicorum: qui cum mereri omnia præsumunt, si quicquam non extorserint, atrociores sunt ipsis quoque hostibus.* Statuas Domitiani aureas argenteasque sustulit; ex quibus grandis pecunia redacta est, sibi ullas poni vetuit. Quotquot rei erant facti impietatis, aut Christianismi, seu ritus externi, absolvit, nec ejus criminis quenquam accusari promisit. Omnes enim accusaban-

Anno Christi 100. Mundi 4067. Aurel. Victor. Dio Xiphilini, Eutrop. lib.8.

sabantur ab omnibus, adeò ut Fronto consul diceret, *malum esse habere imperatorem, sub quo nemini licet quidquam facere: sed multo peius, cum omnia licet omnibus facere.* Itaque hoc Cæsaris indultu *Johannes* etiam Apostolus è *Pathmo Ephesum revertitur*, ac Deo plenus Euangelium suum, Apocalypsin & Epistolas edit, scripta perpetuam seculis lucem datura. Jam tum enim hæreticorum semina pullulabant, quos & ipse in epistola sua Antichristos vocat. Nam post Simonem Magum, & Menandrum Samaritas, qui satanica pollentes virtute miraculorum, deitatem sibi asseruerant vanissimè, dejectus eo consilio diabolus, Nicolaitas, Ebionæos, Cerinthianosque produxerat, Christianismi velatos titulo, ut Christo seu veræ Dietatis, seu incorruptæ ac perfectæ humanitatis laudem detraherent. Etenim Cerinthus Christum quasi dissolvit, alium dicens Jesum visibilem in creaturis Dei maximum, alium Christum invisibilem, qui in eum cælitus devolarit. Ebionæi verè pauperes mentis ac sapientiæ, Christum è Josepho & Maria natum, virtutibus profecisse, nec in ipso, sed legis Mosaicæ observantia sitam salutem docuêre. Nicolaitæ cum Cerintho altas jactarunt revelationes, libertatemque carne abutendi per Christum paratam nugati, Johannis Apocalypsi, cæterisque scripturis enervati sunt. Quo deinde inter initia Trajani defuncto, hæreticorum colluvies primum Christianismi virginitatem, puram eousque & illibatam, maculare licentius occœpit, cum jam universus Apostolorum cœtus contagia hujus vitæ cælestibus gaudiis commutasset.

Hieronym. proœm. comm. in Matthæum. & de scriptoribus Ecclesiast. Euseb. lib. 3. historiæ. Eccl. c. 18. &c. A. M. 4068. Irenæus l. 1. c. 25. Euseb. lib. 3. Hist. c. 21.

Cætera quoque *Nerva* æquissimum se civilissimumque principem præbuit. Quicquid enim pœnæ nomine tributis accesserat, remisit; afflictas civitates relevavit: puellas pueroque natos parentibus egenis, sumtu publico per Italiæ oppida ali jussit. *Cumque egeret pecuniâ, maluit sua, demtis tantum maximè necessariis vendere, quam subjectis onerosus videri.* Calpurnium Crassum, promissis ingentibus animos militum pertentantem, satis habuit Tarentum relegare.

Dio & Aurel. Victor.

Cum interfectores Domitiani ad exitium poscerentur, vehementer obstitit, dictitans æquius esse mortem subire, quam autoritatem imperii fœdare, proditis potentiæ sumendæ autoribus. Sed milites, neglecto principe, requisitos, Petronium Stephanumque uno ictu, Parthenium vero demtis genitalibus, & in os conjectis jugulavêre, redempto magnis sumptibus Casperio Æliano, quem, ut antea Domitianus, prætorio præfecerat Nerva. Ille scelere tam truci insolentior, Nervam compulit referre apud populum gratias militibus, quia nefandos pessimosque mortalium peremissent. Quare intelligens imperium nisi à superioribus, robustioribusque corpore animoque geri non posse, mense sexto ac decimo semet eo abdicavit, *egregium ratus metiri quantum queas, neque ambitionibus agi præcipitem, præsertim in dominatione, cujus adeò cupidi mortales sunt, ut eam vel ultima senectute sitiant.* Igitur in Capitolium adscendit, ibique magna voce; *quod felix faustumque sit*, inquit, *senatui populoque Romano, mihique ipsi, M. Ulpium Nervam Trajanum adopto.* Is tum præerat Germaniæ, quantusque Nerva consilio esset, virtute sua patefecit electus. Ad eum Nerva sua manu scripsit:

Verba Aurel. l. de Cæsaribus.

A. M. 4068. Dio Xiphilini.

Τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσι. *Hom. Iliad.*

q. d. *Telis nate tuis lacrymas ulciscere nostras.*

Itaque Trajanus, quanquam Nervæ propinqui non deerant, tunc *Cæsar*, ac postea Imperator factus est. *Nec enim ille conjunctionem sanguinis antepositit publicæ utilitati*, neque eum deterruit, quod Trajanus, nec Italus nec Italicus, sed natione Hispanus esset. Censebat enim

virtutem cujusque non patriam æstimandam. Cum eo tribus vixit mensibus.

Dio. Eutro. l. 3. Aurel. Victor. Nam dum, suggerente ira, in quendam nomine Regulum voce maxima inclamaret, sudore correptus, eoque refrigescente cum horrore febri, *vitam finiit* anno LXV, imperio acto annum unum, menses IV, dies IX. Die quo interiit, solis defectio facta est.

A. M. 4069. 27 Jan.

M. Ulpius Trajanus.

Anno Christi 99. Mundi 4069. TRajanus apud Agrippinam Coloniam suscepto imperio, diligentiam in re militari, in civilibus lenitatem, in sublevandis civitatibus largitionem, plerisque approbavit. Domi sanctus, in armis fortis, utrobique prudens, in amicos liberalis, & tanquam vitæ conditione par, qui amari se mallet à civibus, quam honoribus affici. Studiosus optimi cujusque ac bellicosi, simpliciora ingenia ac eruditissimos, quamvis ipse parcæ erat scientiæ, moderateque eloquens, juxta diligebat. Quæ omnia eò majora videbantur, quoniam per multos atque atroces tyrannos, perdito prostratoque statu Romano, in remedium tantorum malorum divinitus credebatur opportunè datus, usque eò innocentiæ fidens, uti præfectum prætorio, Saburanum nomine, cum insigne potestatis, uti mos erat, pugionem daret, crebro monuerit: *Tibi istum ad munimentum mei committo, si recte agam: sin aliter, in me magis, quod moderatorem omnium vel errare minus fas sit.* Quin etiam vinolentiam, quo vitio, uti Nerva, angebatur, prudentia molliverat, *curari vetans jussa post longiores epulas.* Amicis cum culpantibus, quod nimis circa omnes comis esset, respondit; *Talem se imperatorem esse privatis, quales esse sibi imperatores privatus optasset.* Par fuit Plotinæ conjugis ejus modestia, quæ cum primum ingrederetur Palatium, conversa ad multitudinem; *Talis huc ingredior*, inquit, *qualem me exituram spero.* Eaque sic se gessit in principatu, ut justa reprehensione caruerit: *Verum honorem non in splendore titulorum, sed in judiciis reposuit hominum; magnisque nominibus se fecit parem etiam dum recusavit.*

Aurel. Victor. Dio Xiphil. Eutro. l. 8. Plinius in Panegyr.

Plinius in Panegyr.

Gloriæ appetentior, veterisque superstitionis pertinacior fuit Trajanus. Cum enim à Jove se accepisse imperium somniaret, ingessit senatui, de priscis religionibus tuendis, vetuitque hetærias, id est sodalitates esse. Neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros *Christianismus* latè tenebat, Deorum templa desolabantur, victimarumque jam rarissimus emptor inveniebatur. Igitur multi omnis ætatis, omnis ordinis, utriusque etiam sexus vocabantur in periculum: inter quos *Simon Cleophæ*, Domini Jesu cognatus, anno ætatis CXX, *cruci suffixus* apud Jerosolymam. *Ignatius Antiochenus Episcopus* Romam perductus, cumque in itinere multas Ecclesias missis libellis confirmasset, *bestiis objectus est. Clemens* Romanorum Episcopus pro fide, ut volunt, *decollatus.* Qui dira vellet effugere supplicia, coactus maledicere Christo, & Cæsaris imagini, numinumque simulachris thure ac vino supplicare. Qui renueret, qualecunque esset, quod fateretur, de sola pervicacia puniebatur. Fatetur C. Plinius Junior, Bithyniæ Proconsul epistola ad Trajanum, *nihil de Christianis se comperisse aliud, quam quod soleant stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi* DEO *dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere: sed ne furta, ne adulteria committant, ne fidem fallant, ne depositum appellati abnegent.* Rescripsit Trajanus; *conquirendos non esse: si deferantur & arguantur, puniendos: sed supplicanti diis Romanis, veniam ex pœnitentia dandam.* Quo edicto etsi ardor persecutionis quodammodo est restinctus, tamen male cupientibus Christianismo, non minor nocendi relicta occasio.

Plinius lib. 10. Epist. 100. Tertia hæc persecutio sub Trajano contigit. A. M. 4079. Euseb. l. 3. Hist. c. 26. 30. 32. A. M. 4079. Christi 109. Ignat. Epist. A. M. 4080. Christi 110. Plin. l. 10. Epist. 101. Orosius l. 7. c. 12. Euseb. Hist. cap. 27. & in Chron. Tert. Apol.

Ergo qui bellum cum Christo gerebat, bellis, dum vixit, exagitatus est, nullo fructu vel suo, vel Reipubl.

Quinquennium bellavit cum Decebalo

Dio in Trajano. lo Dacorum rege, qui Domitianum ad tributa adegerat. Et subegit quidem, sed tanto Romanorum sanguine, ut obligandis vulneratis lintea deficerent, propriumque imperator scinderet paludamentum. Pontem immensi operis Danubio imposuit, ejusque reliquit pilas ostentationis causa, cum nulli transitus usui esset. Occiso tandem Decebalo, provincia trans Danubium facta in his agris, *Eutrop. lib. 8.* inquit Eutropius, quos Taiphali habent, & Victophali & Theruingi. Ea provincia decies centena millia in circuitu tenet. Dio ibidem Getas ponit. Trajanus, quia teneri non poterant, relinquendos esse liberos censuit. Circa id tempus Palma, præfectus Syriæ, Arabiam Petræam cepit. Trajanus editis Romæ spectaculis, in quibus decem quandoque millia ferarum cecidêre, totidem gladiatorum millia certarunt, conjuratisque aliquot vel punitis, vel benevolentia mitigatis, nova bella Armeniis Parthisque excitavit, eò quod rex Armeniæ, non à se, ut dicebat, sed à Partho diadema accepisset, sed revera ambitione sola incensus. Expeditiones istæ feliciter primum cessêre. Armeniam recepit, occiso, qui eam occupaverat, Pharnace Syro, aut, ut eum Dio vocat, Phartamasire, Albanis regem dedit.

Iberorum reges & Sauromatarum, & Bosphoranorum, & Arabum, & Osdroënorum, & Colchorum, in fidem accepit. Adiabenos, Marcomedos, magnamque Persidis regionem occupavit, Seleuciam & Ctesiphontem, Babylonem & Edessenos vicit. Progressus ad mare rubrum tres ibi fecit provincias, Assyriam, Armeniam & Mesopotamiam. In mari rubro classem instituit ut per eam Indiæ fines vastaret. Ideo senatus *optimum* appellavit, & triumphos, quotquot vellet agere, decrevit.

A. M. 4081. *Christi* 111. *Æra Antioche.* 159. At *Deus* horribili & stupendo *terræmotu concussit Antiochiam*, dum ibi hibernat Trajanus, qui Ignatium civitatis illius Episcopum occidisset: cujus mali contagium ad totum orbem pertinuit, ob frequentiam mortalium, Cæsaris causa eò congregatorum, qui plerique mille mortium generibus perière, interque eos & Pedo consul Romanus.

Imperator ipse ab ignoto quodam per feneſtram extractus, tanto metu egit sub dio, ut cessante terræmotu, per multos dies nulli se auderet tecto committere: Nihilominus ineunte vere rediit ad bellum Parthicum, pedesque anteivit milites, ut alacriores sequerentur, professus si junior esset, in Indiam se trajecturum: interdum longius se processisse, quam Alexandrum jactans. Sed dum navigat Oceanum, & reversionem versus Romam parat, omnia quæ ceperat, maximo tumultu deficiunt, præsidiis, quæ apud gentes eas reliquerat, dejectis cæsisque. Igitur Lucium Quietum & Maximum contra rebelles mittit: Maximus prælio superatus occidit, Lucius Nisibin, Edessamque recuperavit. Seleucia ab legatis ejus capta & incensa est. Ipse dato Parthis rege, in Agarenos movet. Sed frustra. Nam vix vulnera effugit ipse, & quoties in hostes impetum faceret, tonitura, turbines, fulmina in copias ejus jaculabatur Deus, cœnantibus muscæ involabant in pocula & catinos. Quare irritus consiliorum, paulo post in morbum incidit, quem alii à veneno, alii à sanguine fuisse volunt. Dio ait & apoplexia, & aquâ intercute eum laborasse. Sic perlatus Selinuntem, urbem Ciliciæ, illico *interiit*, cum imperasset annos novendecim menses sex, dies xv, frustraque tot pericula inglorius adiisset. Nam Parthi quoque regem sibi impositum detestati, jam iterum suis moribus regebantur. Judæi verò excitata rebellione, duce quodam Andrea, Romanos pariter atque Græcos concidebant, occisorum quoque carnes gustare non abhorrentes. Multos à vertice discidêre medios, multos objecêre bestiis, multos etiam certare inter se coëgerunt, ita ut interierint ad ducenta viginti millia hominum. Præterea in Ægypto Cyproque, Artemione duce, Cyprio-

Dio Xiphilini.

A. M. 4088. *Dio in Trajano. Oroſius l. 7. c. 12. Euſ. 4. Hiſt. c. 2. Niceph. l. 3. c. 22.* 23.

rum

rum cædes consimilis facta est, ubi desiderata scribit Dio ducenta quadraginta millia. Ex quo fit, ut Judæo in Cyprum venire non liceat. Sed Judæi vicissim & ab aliis, & maximè à Lucio & Turbane subacti sunt. Aurea domus Neronis Romæ, & Pantheon fulmine conflagrarunt. *Eutrop. lib. 8.* A Romanis inter divos relatus *Trajanus*, soluſque omnium intra urbem sepultus est, *erecta columna* ingenti, servataque deinceps acclamatio principum : *Sis felicior Augusto ; sis melior Trajano.*

Euseb. 3. Hist. c. 31. 32. 33. Imperante Trajano, cum Apostoli Christi omnes, post centesimum corporalis ejus adventus annum obdormiissent, non cessavit tamen Prophetarum & Euangelistarum, multo minus doctorum pastorumque vis & diligentia. Nam supererant adhuc Apostolorum discipuli, qui prophetiæ, linguarum, sanationumque donis pollebant, inter quos Eusebius Quadratum numerat, cum Philippi Euangelistæ filiabus. Item Polycarpum, Clementem, Papiam, Onesimum, plurimosque alios, angusta pagina neutiquam memorandos.

Euseb. Chronic. Inter gentes naturali rerum variarum *scientia floruêre*, Plutarchus Chæronensis, Trajano familiaris, in Philosophia, omnique literarum genere apprimè versatus : Dion item Prusæus seu Chrysostomus orator, Lucianus, aliquando Christianus, mox post facinora Atheos, & omnis irrisor religionis, Plinius Junior, Suetonius Tranquillus, L. Julius Florus, Cornelius Tacitus historiographi Julius Frontinus Geometra. Cœperant & sermones spargi inter Christianos, autore imprimis Papia, parum divini & *Euseb. 3. Hist. Eccles. cap. 33.* cælestes, quibus Traditionum Apostolicarum titulus falso prætexebatur : qui cum tempore invalescentes, multis errorum materiam ansamque præbuêre.

Anno Christi 118. Mundi 4088.

Ælius Adrianus.

Ælius *Adrianus* consobrina Trajani genitus, non tam ipso volente, quam conjugis ejus Plotinæ artibus imperium est adeptus. Occultata enim Trajani morte, Plotina testamentum, quo Adrianus erat hæres scriptus, signavit, eamque ob causam maximos deinde ab eo honores tulit. Sumpto apud Syriam, cui præerat, imperio, & à Senatu firmato, quos suspectos habebat, sustulit, interque eos Palmam, Celsum, Nigrinum, Lucium, quatuor consulares, viros egregios, minuendique odii suo interfectos jussu abjuravit. Pace ad Orientem composita, Romam regressus, aurum coronarium & alia, quæ fisco debebantur remisit. Deficientibus his nationibus, quas Trajanus subegerat, Mauri, Sarmatæ, Britanni movebantur, Ægyptus seditionibus æstuabat, Lycia ac Palæstina rebelles animos efferebant. Quare pacis cupidissimus, omnia trans Euphratem ac Tigrim reliquit, exemplo (ut dicebat) Catonis, *qui Macedones liberos pronunciavit, quia teneri non poterant.* Pśamatossirim (sic Spartianus vocat hominem) quem Trajanus Parthis regem fecerat, quod eum non magni ponderis apud Parthos videret, proximis gentibus regem dedit. Optimos quosque de Senatu in contubernium imperatoriæ majestatis adscivit. Ægros amicorum, etiam libertinos visitavit, solatiis refovit, consiliis sublevavit, conviviis suis semper adhibuit : omnia denique ad privati hominis modum fecit. Militem quasi bellum immineret, exercuit, tolerantiæ documentis eum imbuens, cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est, larido, caseo & posca ; exemplo Scipionis Æmiliani, & Metelli, & autoris sui Trajani. Sic restituta militari disciplina, Britanniam petiit, in qua multa correxit, murumque per octoginta millia passuum primus duxit, qui Barbaros Romanosque divideret. Septicio Claro, præfecto prætorii, & Suetonio Tranquillo epistolarum magistro multisque aliis, qui apud Sabinam uxorem, injussu ejus familiarius se tum egerant, quam reverentia regiæ domus postularet, successores dedit : *Olymp. 224. Spartianus in Adrian. Dio Xiphil. Aurel. Victor. Suidas. Zonaras. Cedrenus. Nicephor.* *Spartianus Adriano.* *Aurel. Victor.*

dit: uxorem ipsam, ut morosam & asperam, tunc quidem retinuit, ac postea ad mortem adegit, palam dictitantem elaborasse se, ne ex eo ad humani generis perniciem quicquam procrearet. *Vitiosissimum putant, quod omnia amicorum occulta exploraverit, nec ferè cuiquam servarit fidem*, adjungentes de puerorum amore, & nuptarum adulteriis. Nec magnam clementiæ laudem habuit. Apollodorum Architectum, errores ejus in ædificando liberius carpentem occidit, cum alios inferioris sortis haud gravatim audiret, *& anum, si regnare vellet, audiri se tantum non imperantem, statim admitteret*: Quod ipsum Philippo Macedoni accidisse Plutarchus memorat. Sed erat revera varius, multiplex, multiformis: ad vitia & virtutes quasi arbiter genitus, impetum mentis quodam artificio regens, ingenium invidum, triste, lascivum (verba sunt Aurelii Victoris) & ad ostentationem sui insolens, callidè obtegebat; continentiam, facilitatem, clementiam simulans, contraque dissimulans ardorem gloriæ quo flagrabat. Acerrimus ad lacessendum pariter ac respondendum seriis, joco, maledictis, referre carmen carmini, dictum dicto: prorsus ut meditatum crederes adversus omnia. Athenienssium studia moresque hausit non sermone tantum, sed & cæteris disciplinis, canendi, psallendi, medendique scientia, musicus, geometra, pictor, fictor, memor supra quam cuiquam credibile est, locos, negotia, milites; absentes quoque nominibus recensere. Immensi laboris, quippe qui provincias omnes pedibus circumierit, agmen comitantium prævertens, cum oppida universa restitueret, augeretque ordinibus. Namque ad specimen legionum militarium, fabros, perpendiculatores, architectos, genusque cunctum exstruendorum mœnium seu decorandorum in cohortes centuriaverat. Nullo adducebatur frigore, nullo calore, ut capite adoperto esset. Venationibus ad reprehensionem usque addictus. Borysthe-

Dio Adriano.

Plut. Apophtegm. Regum.

ni equo suo monumentum construxit, inscripto epigrammate. Professores omnium artium, ut doctior, risit, contempsit, obtrivit: eosdem, si professioni suæ inhabiles videbantur, ditatos sæpè honoratosque à professione dimisit. Floro poëtæ scribenti ad se; *Dio & Spart.*

Ego nolo Cæsar esse,
Volitare per Sicambros,
Ambulare per Britannos,
Scythicas pati pruinas:

Rescripsit:

Ego nolo Florus esse,
Ambulare per tabernas,
Latitare per popinas,
Culices pati rotundos.

In colloquiis etiam humillimorum civilissimus fuit, detestans eos, qui sibi hanc voluptatem humanitatis, quasi servantes fastigium principis, inviderent: servis tamen libertisque suis minimum indulsit.

Cum judicaret, in consilio habuit non amicos suos aut comites solum, sed Jurisconsultos, & præcipuè Julium Celsum, Salvium Julianum, Neratium Priscum, aliosque: quos tamen senatus omnis probasset. Eos quos pauperes & innocentes vidit, ditavit sponte: quos verò calliditate ditatos, etiam odio habuit. Servos à Dominis occidi, lenonique aut laniстæ quenquam vendi vetuit. Sacra Romana diligentissimè curavit, Græca etiam: Christianismum & Judaismum non contempsit modo, sed & excindere conatus est.

Pro eversa Jerosolyma aliam circa eum locum urbem condidit, quam de se *Æliam Capitolinam* appellavit, adjuncto Jovis Capitolini templo, ubi quondam sancta Dei domus steterat. Ea contumelia, & quod mutilare genitalia prohiberentur, irritati Judæi, rebellionem diu agitarunt, effossisque per Palæstinam cuniculis & cryptis subterraneis, in apertam seditionem proruperunt, non destituti auxiliis eorum, quibus talia quæstui fore sperabantur. A. M. 4104. *Dio & Spart. Cassiodor. Chron.*

Accessit incitamentum furori Barcocha- *Anno eodem.*

cochabus, id est stellæ filius, qui postmodum Barcotzbas, hoc est, filius mendacii dictus est, quod promissam Judæis libertatem minimè præstitisset. Mota semel gente, per orbis provincias sparsa, totus penè orbis bellis ardere visus est, innumerique à Judæis mortales vel cæsi, vel facultatibus exhausti sunt. Sed Adrianus, evocato è Britannia Julio Severo, lento eos bello, fameque præsertim edomitos, ad extremum exitium coëgit. L. eorum arces munitissimæ, vicique nongenti octoginta quinque funditus eversi, cæsa in excursionibus prælisve hominum quingenta octogenta millia, demtis qui fame, morbo & igni perierunt. Nec incruenta tamen Romanis fuit victoria, adeò ut Adrianus non auderet scribere Senatui, *Ego quidem & exercitus valemus.* Exinde Judæis patriam suam nec è specula licuit intueri, milesque præsidiarius Jerosolyma in perpetuum eos arcuit, nec nisi numerata pecunia, ut modicum ibi flerent, admisit.

Dio Xiphil.

Eusеb. lib. 4. Hist. c. 6. Hieron. in c. 7. Esa. & cap. 1. Sophon. Orosius l. 7. c 13.

Atque hæc sanè cruentæ & infideli nationi, non absque Christi & Prophetarum vaticiniis, ita contigêre.

At Christianos Cæsar, magicis artibus & superstitioni addictus, nihil mirum si oderit. Igitur multi sub eo mortem haud inviti adiêre, adeò ut Arrius Antoninus in Africa eis diceret, ô miseri, nonne laqueos & præcipitia ipsi habetis? Veruntamen hunc impetum Principis eruditi mitigarunt *Quadratus* Episcopus, & *Aristides* Philosophus, Athenienses ambo, scriptis pro Christianismo apologiis clari: quibus *Herennii Graniani* præsidis Asiæ, accessit testimonium, iniquum arbitrantis, quenquam nisi crimine probato, populi acclamationibus ad supplicium dari. Quare in hanc sententiam Minutio Fundano edictum misit, jubens in omnibus civitatibus etiam templa sine simulacris fieri: sed prohibitus ab iis, qui consulentes sacra, repererant omnes Christianos futuros, si id optato evenisset, & templa reliqua deserenda, decretum induxit.

Tertull. ad Scapul. c. 5.

Eusebius Chr. & 4. Hist. c. 3. 8. 9. Hieron. Catal.

Lampridius in Alexandro Severo.

Cæterum cupiente Adriano fatum producere, Antonius se pro eo ad voluntarium exitium cæteris retractantibus, obtulit. Quo ex Magorum sententia, aut immolato, aut submerso, furens ejus amore Adrianus, divinis eum coli honoribus voluit. Interim mortuo Ælio Cæsare, quem adoptaverat, cuique primo, antequam imperaret, Cæsaris nomen fuerat datum, cum ipse jam animo parum valeret, Aurelium Antoninum successorem creavit, necato Serviano sororis suæ marito & nepote Fusco, quod id ægrius ferre viderentur. Antoninus Annium Verum & M. Antoninum adoptare jussus est. Pius dictus postea, sive quod socerum fessum manu sublevavit, sive quod multos Senatores Adriano, sub finem sævienti eripuit. Servianus moriens precatus est, ne Adrianus cum percuperet, finem vitæ reperiret, idque evenit. Nam cruciatu membrorum ferè omnium confectus, crebrò se interficiendum ministrorum fidissimis precans obtulit, ac ne in se ipsum sæviret, custodia carissimorum servatus est, donec *cibis* semet noxiis *perderet*, exclamans illud pervulgatum: *Multi medici regem perdiderunt.* Et:

Aurel. Victor. Eutrop. lib. 8. Dio & Sparto.

Dio. Spart. Aurel. Victor.

A. M. 4104. Christi 134.

Animula, vagula, blandula,
Hospes comesque corporis,
Quæ nunc abibis in loca?
Pallidula, rigida, nudula,
Nec ut soles dabis jocos?

Vixit annis septuaginta duobus, imperavit viginti uno, mensibus undecim. Præfectum prætorii habuit Similem nomine, qui impetrata dimissione, ruri reliquos septem vitæ annos conquievit, ac sepulcro inscribi hæc verba præcepit:

Hic jacet Similis, cujus ætas multorum annorum fuit, ipse septem duntaxat annos vixit.

Adrianus in mole à se nominata conditus est, ac invito ferè senatu consecratus.

Episcopi Romani *sub eo* viguêre Alexander, Sixtus & Telesphorus. Telespho-

Eusеb. Chron.

ro

Sulpit. Sever. l. 2. Platina. Euseb. l. 4. Hist. c. 7.

ro quadrageſimalis jejunii, Alexandro luſtralis aquæ ſanctionem, Sixto Triſagii decantationem circa myſteria attribuunt.

Chriſtiani apud Jeroſolymam tunc primum è gentibus Epiſcopum legêre Marcum: Judæi patria ejecti & Chriſtianiſmo imbuti, patrias conſuetudines promptius tunc Chriſtianâ libertate commutarunt.

Hieronym. in Catalog.

Agrippa Caſtor Gnoſticorum deliramenta confutavit.

Spartianus Adriano.

Claruit illis temporibus Ptolemæus Alexandrinus Aſtronomus, Philegon Trallianus, Olympiadum ſupputator, libertus Adriani, ejuſque librorum editor. Arrianus Nicomedienſis Hiſtoriographus, A. Gellius noctium Atticarum rhapſodus, aliis Agellius dictus; Favorinus Arelatenſis, qui Adriano ſe cedere eruditione dicebat, quod xxx legiones haberet. Atque hi ſcriptis orbem erudiebant. *Hæreſibus* contra eum maculabant Baſilides Alexandrinus, Saturnius Antiochenus, Carpocrates, & feralis illa Gnoſticorum turba, peſtes & portenta humani generis, atque ipſius Satanæ excrementa, quorum pudenda dogmata vel referre horreſcit animus. *Aquila Ponticus* ob exprobratas Aſtrologiæ vanitates, Chriſtianorum deſertor, *ſacrum codicem* poſt lxx interpretes, *in Græcam linguam* transfudit.

Euseb. Chron. Euseb. 4. Hist. c. 7.

Epiph. in hær. Gnoſticorum.

A. M. 4100. *Chriſti* 130. *Spartianus Euſeb. Chron. Amm. Marcell. lib. 14.*

Fuerunt Adriani temporibus fames, peſtilentia, terræmtous, quibus Nicomedia & Nicæa Bithyniæ, Nicopolis & Cæſaræa, Palæſtinæ urbes, conciderunt. Uſcuduma Myſiæ de Cæſaris nomine Adrianopolis appellata, Aquiſgranum in Germania conditum.

Antoninus Pius.

Anno Chr. 139. Mundi 4109. *Julius Capitolinus. Pauſan. in Arcadicis.*

TIto Aurelio Fulvo *Antonino* Pater fuit Aurelius, è Gallia Tranſalpina, avus maternus Arrius Antoninus bis conſul. Fuit forma conſpicuus, ingenio clarus, moribus clemens, nitidæ literaturæ, mitis, largus, alieni abſtinens, alter quaſi Numa Pompilius. *Pius* à Senatu cognominatus, nihil temporibus ſuis aſperum fecit, niſi quod communi errore Principum minus Chriſtianis æquus fuit; donec *Juſtini* & aliorum *Apologiis* placaretur. De uxore ejus Fauſtina multa dicta ſunt, ob nimiam libertatem, & vivendi facilitatem, quæ iſte cum animi dolore compreſſit. Provinciæ ſub eo cunctæ floruerunt, quadruplatores exſtincti ſunt: *Tanta enim diligentia ſubjectos ſibi populos rexit, ut omnia & omnes quaſi ſua eſſent, curaret.* Unus tantum ſenator ſub eo proſcriptus, Atilius Trajanus, affectatæ tyrannidis reus, ſenatu puniente: à quo conſcios requiri vetuit, filio ejus in omnibus ſemper adjuto. Salaria multis ſubtraxit quos otioſos videbat accipere, dicens; *Nihil eſſe ſordidius, imò crudelius, quam ſi remp. is arroderet, qui nihil in eam ſuo labore conferret.* Unde etiam Meſomedi lyrico ſalarium imminuit. Rhetoribus autem & Philoſophis per omnes provincias & honores & ſtipendia detulit. Intra urbes ſepeliri mortuos vetuit. Nec ullas obiit expeditiones, niſi quod ad agros ſuos profectus eſt in Campaniam, dicens: *Gravem eſſe provincialibus comitatum Principis, etiam nimis parci*; Et tamen ingenti autoritate apud omnes gentes fuit. Cum in urbe propterea ſederet, ut undique nuncios (medius utpote) citius poſſet accipere, parens ſeu patronus magis, quam Dominus Imperatorve putabatur.

Suidas. Euseb. l. 7. Hist. c. 8. 9. 11. A. M. 4111. Chri. 141. Julius Capitolinus.

Aurel. Victor. Julius Capit. Eutrop. lib. 8.

Ad eum Indi quoque & Bactri, & Hircani legatos miſêre, de controverſiis inter ſe judicem poſcentes.

Seditiones ubicunque factas, non crudelitate, ſed modeſtia & gravitate compreſſit.

Pacorum regem Lazis dedit. Parthorum regem ab Armeniorum expugnatione ſolis literis repulit. Abgarum ex Orientis partibus ſola authoritate deduxit: ſoluſque omnium propè Principum prorſus ſine civili ſanguine & hoſtili, quantum ad ſe ipſum pertinet, vixit, cum Scipionis ſententiam frequentaret:

Malle se unum civem servare, quam mille hostes occidere. Britannos per Lollium legatum urbicum submovit, & Mauros ad pacem postulandam coëgit: Germanos quoque, & Dacos, atque Judæos rebellantes contudit, per præsides ac legatos.

Successorem viventi bono judici nullum dedit, nisi Orphito præfecto Urbi, id petenti. Vini, olei, & tritici penuriam, per ærarii sui damna, emendo, & gratis populo dando sedavit. Inter alia etiam hoc civilitatis ejus argumentum est, quod, cum domum Valerii Omuli visens, miransque columnas porphyreticas, cum requisisset, unde eas haberet, atque Omulus ei dixisset: *Cum in domum alienam veneris, & mutus, & surdus esto*, patienter tulit.

A M. 4132. *Christi* 162. *Capitolinus in Antonino. Xiphilinus è Dione.*

Periit febri anno septuagesimo, Imperii XXIII: sed quasi adolescens desideratus est, commendata genero Marco Aurelio Antonino Republica, quam divitem etiam de suo egens ipse reddiderat. Collapsa terræ motu Rhodiorum Asiæque oppida, Cyzicum præsertim, mirificè instauraverat.

Eo imperante visus est in Arabia *jubatus anguis*, major solitis, qui se à cauda medium comedit. *Hordeum* in Mœsia *in culminibus arborum* natum. Quatuor præterea *Leones mansueti* sponte se capiendos in Arabia præbuerunt. Signum puto mansuetudinis inusitatæ, quam imperatores ejus temporis præstitêre, sicut frumentum in arboribus secutæ vilitatis cum pestilentia, quæ inutiles reddidit fruges.

Fœcunda etiam *ætas eruditorum* fuit, invitante studia liberalitate principum.

Euseb. Chron. & l. 4. hist. Eccl. cap. 8. 10. 13.

Polycarpus Smyrnensis Episcopus, Justinus è Philosopho Christianorum doctor, Hegesippus historiographus, benè de ecclesia scriptis merebantur: Hyginus Romanorum Episcopus etiam sanguine pro veritate fuso. Cui successit Pius, à quo sancita Paschati dies dominica, & mox Anicetus, undecimus Romanorum Præsul, quo sedente, Polycarpus Romam venit, & Marcionem, Cerdonis discipulum, sibi occurrentem, Satanæ primogenitum appellavit. Is enim audebat asserere alium immitem DEUM legis & prophetarum auctorem, alium patrem JESU CHRISTI. Prodibat & Valentinus hæresiarcha, mira Deorum portenta & ceremonias nefandas commentus.

Naturalis sapientiæ laude excellebant Galenus medicus Pergamenus, Maximus Tyrius, Apollonius Chalcidicus, Taurus Berytius Philosophi, Pausanias Cæsarienses, descriptor Græciæ, Ælianus variæ Animaliumque historiæ auctor. *Euseb. Chron. Capitol. Paus. l. 8. Suidas.*

M. ANTONINUS PHILOSOPHUS.

Anno Christi 162. Mundi 4132. *Sart. in Ælio Vero. Capitolinus in M. Ant. Dio in M. Antonino. Eutr. l. 8. Aurel. Victor.*

MArco Antonino pater Annius Verus fuit, qui in prætura decessit. Ipse, ob maximas ingenii dotes, datus ab Adriano est Antonino Pio adoptandus, cum Lucio Vero Ælii filio, quem ne capesseret imperium, mors abstulit luxu diffluentem. Lucius Verus à M. Antonino statim in societatem assumptus, æquale cum eo gessit imperium. Atque hi primi duo Augusti appellati sunt, sed moribus diversissimis. In Marco tantum Philosophiæ studium fuit, ut adscitus jam in imperatoriam dignitatem, tamen ad domum Apollonii & Hermogenis Rhetoris discendi causa veniret. Audivit & Sextum Chæronensem, Plutarchi Nepotem, Herodem Atticum, Junium Rusticum, Claudium Maximum, & Cinnam Catullum, præsertim Stoicos. Itaque serius & gravis fuit, sine tristitia, frugi sine contumacia, verecundus sine ignavia. At Lucius parum ingeniosus ad literas, delitiarum & luxuriæ erroribus quatiebatur, nisi quatenus se, pro consensu imperii, ad Marci mores egit. Marci filiam duxit Lucius Lucillam, Marcus Anniam Faustinam, consobrinam suam. Adepti imperium ita civiliter se ambo gesserunt, ut lenitatem Pii nemo desideraret. Mala ex inundatione Tiberis

beris graviſſima, ſua cura & præſentia temperarunt. Mox Lucius ad Parthicum bellum ivit, quod Vologeſus, cæſo Romanorum exercitu, inferebat, fugatoque Atidio Corneliano, qui Syriam tunc administrabat.

Eo miſſus dicitur à Marco, ne vel in urbe ante omnium oculos peccaret, vel, ut parſimoniam peregrinatione addiſceret; vel, ut timore bellico emendatior rediret, vel, ut ſe imperatorem eſſe cognoſceret. *Dio Xiphil.* Sed nihil profecit. Verus enim poſtquam in Syriam venit, in deliciis apud Antiochiam & Daphnen vixit, adulteriis etiam & juventutis amoribus infamatus. Bellum per legatos geſſit. *Oroſ. lib. 7. cap. 5.* Inter eos Avidius Caſſius adorientem ſe Vologeſum fortiter ſuſtinuit, deſertumque tandem à ſociis, & terga vertentem inſecutus, Seleuciam & Cteſiphontem venit. *Capit. in Vero.* Seleuciam ſuper Hydaſpen fl. ſitam, cum quadringentis millibus hominum cepit, eaque incenſa, regias Vologeſi, quæ in urbe Cteſiphonte erant, ſolo æquavit.

Statius Priſcus in Armenia res proſperè geſſit, Artaxatis captis, unde Parthici & Armeniaci Cæſares appellati. Confecto ſanè bello, Lucius, regna regibus, provincias comitibus ſuis dedit regendas. Romam inde ad triumphum invitus, quod Syriam quaſi regnum ſuum relinqueret, rediit poſt quinquennium, & pariter cum fratre Antonino, triumphavit. Fuit ejus fati, ut in eas provincias, per quas rediit Romam uſque, luem ſecum deferre videretur. Et nata fertur peſtilentia in Babylonia (ubi de templo Apollinis ex arcula aurea, quam miles forte inciderat, ſpiritus peſtilens evaſit,) atque inde Parthos orbemque compleviſſe. Nihilominus, quaſi non Parthicum, ſed hiſtrionicum bellum egiſſet Lucius, fidicinum, mimorumque & præſtigiatorum ſecum greges duxit, contempta morum fratris ſanctitudine.

Capitol. in M. Anton. Compoſito Oriente, ad bellum Germanicum profecti ſunt ambo imperatores, Marcus & Lucius, diu eorum, qui aderant, arte ſuſpenſum, ut finito demum Parthico geri poſſet. Ejus tantus terror erat, ut undique ſacerdotes Antoninus acciret, peregrinoſque etiam ritus impleret, ut ait Capitolinus. Unde haud dubiè factum, ut Melitenſem legionem è Chriſtianis conſcriberet, quorum opera præcipue vicit, cum antea Chriſtianos, Philoſophorum inſtinctu, velut numinum contemptores, ac novæ maleficæque ſuperſtitionis reos, interficiendos curaſſet. *Qua perſecutione* (quam quartam numerant inter atrociores) *Juſtinus* Philoſophus Chriſtianus ſcripta defenſione altera; *Polycarpus* Smyrnenſium Epiſcopus, reſtincto licet per miraculum rogo; *Pius & Anicetus* Epiſcopi Romani, *Photinus* paſtor Lugdunenſium, *Attalus*, *Blandina*, & complures, in Galliis præſertim, alii diverſis ſuppliciorum generibus conſumpti ſunt.

Euſeb. l 4. Hiſt. Eccleſ. c. 20.

A. M. 4138. Chriſti 168. *Euſeb. lib. 4. c. 14. 15. & l 5. Hiſt cap. 1. 2.*

Quorum equidem ſanguinem perpetuis bellis contagiiſque ultus eſt DEUS, donec principem, cætera laudatiſſimum frangeret, & ad veriores de religione cogitationes adigeret. Quippe ab armis nuſquam quies erat: præter Orientem per Illyricum, Italiam, Galliamque bella fervebant: terræmotus non ſine interitu civitatum, inundationes fluminum, lues crebræ, locuſtarum ſpecies agris infeſtæ, prorſus ut propè nihil, quo ſummis angoribus mortales atteri ſolent, dici ſeu cogitari queat, quod non illo imperante ſævierit. Tanta Romæ etiam peſtilentia erat, ut vehiculis cadavera exportarentur, multique ex proceribus interirent. Cum Aquileiam veniſſent Auguſti, plerique legatos miſêre, defectionis veniam poſtulantes. Et Lucius quidem, quod pars exercitus interiiſſet, redeundum eſſe cenſebat; Marcus fingere Barbaros exiſtimans pœnitentiam, ne tanti apparatus mole premerentur, inſtandum. Denique tranſcenſis Alpibus, longius proceſſerunt, compoſueruntque omnia, quæ ad munimen Italiæ atque Illyrici pertinebant. Gentes enim omnes ab Illyrici limite uſque in Galliam conſpira-

Sext. Aurel. Victor.

Iulius Capit.

verant, ut Marcomanni, Nariſci, Hermunduri, Quadi, Suevi, Sarmatæ, Latringes, & Buri: hi aliique cum Viſtovalis, Soſibus, Sicobotes, Roxolani, Baſtarnæ, Alani, Peucini, Coſtoboci. Pacata Pannonia, quod urbanas deſiderabat *Lucius* voluptates, in urbem deſtinatus eſt. Sed non longè ab Altino ſubito correptus morbo, quem apoplexiam vocant, cum triduo mutus vixiſſet, *periit*, non ſine rumore, tanquam veneno eſſet interceptus à Fauſtina, Marci conjuge, ipſove Marco, priuſquam inſidias ipſis ſtructas perageret. Undecim annis cum ipſo imperaverat Marcus, vitiaque, ut fratris, & celaverat, & defenderat.

A. M. 4140. *Chriſti* 170. *Capitolin. in L. Vero & M. Anton.* *Dio Xiphilini. Caſſiodor. Chron.*

Poſt ejus obitum ſolus Rempubl. tenuit, multo jam melior & feracior ad virtutes. *Bellum Marcomannicum*, quantum nulla unquam memoria fuit, magna tum virtute, tum felicitate tranſegit. Inſtante ſanè adhuc peſtilentia, & ſervos, quemadmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit, & gladiatores, latrones etiam Dalmatiæ atque Dardaniæ. Emit & Germanorum auxilia contra Germanos. Et ne provincialibus eſſet moleſtus, auctionem rerum aulicarum fecit in foro Trajano, in quo præter veſtes, & pocula & vaſa aurea, etiam ſigna cum tabulis magnorum artificum vendidit. Tantumque auri redactum, ut reliquias belli ex ſententia perſecutus, poſtea dederit poteſtatem emtoribus, ut ſi quis vellet emta reddere atque aurum recipere, ſciret licere. Nec moleſtus ulli fuit, qui vel non reddidit emta, vel reddidit. Marcomannos tandem & Jazygas, in ipſo tranſitu Danubii, glacie adſtricti, delevit, & captam ab iis prædam provincialibus reddidit. Poſthac prælium acre, *bellum* ingens *cum Quadis* fuit, ex quo victoria, præter ſpem, ſolius DEI beneficio provenit.

Capitolinus & Dio.

Cum enim intercluſi à Quadis Romani pugnarent fortiter, atque interim barbari differrent prælium, certi eos calore & ſiti perituros, quos circum occupatis locis omnibus ità obſidebant: ad Imperatorem extrema metuentem venit præfectus prætorianorum, aiens, Nihil eſſe, quod Chriſtiani, quorum una legio in caſtris militet, impetrare precibus non poſſent. Ab illis petendas ſupplicationes pro ſalute ſua, & totius exercitus. Fit, quod erat neceſſe. Imploratus à Chriſtianis DEUS, ſtatim univerſas Romanorum copias recreavit copioſiſſimo *imbre*, & Barbaros fulmine & tempeſtatibus proſtravit. Pars eorum confugiebat ad Romanos, pars prælio occidebatur, pauci fuga evaſere. Legio exinde *fulminatrix* eſt dicta, remque ità geſtam *Imp. Antoninus* publicè notam fecit, atque exinde Chriſtianos pœnis liberavit, conſtituto accuſatoribus eorum ſupplicio, accuſatis ad honores aditu aperto. Dion ab Ægyptio quodam Arnuphi preces factas refert, ſeu ignarus rei Chriſtianæ, ſeu quod illud nomen Tribuno forte legionis fuit, quem Magum eſſe Dion opinatur. Julius Capitolinus ſimpliciter, Marcum preces junxiſſe indicat, dum inquit: Fulmen de cælo precibus ſuis contra hoſtium machinamentum extorſit, ſuis pluvia impetrata, cum ſiti laborarent. Ex devictis gentibus infinitos in Romano ſolo collocavit, voluitque Marcomanniam & Sarmatiam provincias facere, & feciſſet, niſi Avidius Caſſius, exſtinctum aut invalidum ratus Antoninum, in Oriente rebellaſſet, Fauſtina ut quidam dicunt, volente, quæ de mariti valetudine deſperaret. Is omnia quæ intra Taurum montem erant, brevi ſuarum partium fecit, Divum jam Marcum appellant. Relicto ergo Sarmatico Marcomannicoque bello, *in Orientem* vertit expeditionem Imperator, ſed Caſſius, comperto vivere Antoninum, ſtatim cum filio interfectus eſt, caputque ejus allatum, quo nihil exultans Antoninus, humari illud extemplo juſſit. Ignovit & civitatibus, quæ Caſſio conſenſerant, ignovit Antiochenſibus, qui multa in eum pro Caſſio dixerant. Omnibus orientalibus provinciis cariſſimus fuit; apud multas etiam philoſophiæ

Euſeb. lib. 5. hiſt. c. 5. Oroſius lib. 7. cap. 15. A. M. 4145. *Tertull. Ulpian. l. generaliter. §. fin. ff. de decur.*

Vulcan. Gallic. in Avidio Caſſ.

sophiæ vestigia reliquit. Apud Ægyptios civem se egit, & philosophum in omnibus studiis, templis, locis. Faustinam suam adulteriis infamem, in radicibus montis Tauri, subito amisit morbo, laudavitque etiam, dissimulata ejus impudicitia. *Dio & Capitolinus.* Monitus olim, ut repudiaret eam, si non occideret, dixisse fertur: *Si uxorem dimittimus, reddamus & dotem:* memor se imperium accepisse per eam. Orientalibus rebus ordinatis, Athenis fuit, *ubi omnis doctrinæ professores annua conduxit mercede, ad omnium gentium utilitatem.* Inde revectus Romam, militibus togas imperavit, sententiam Platonis semper in ore habens; *Florere civitates, si aut Philosophi imperarent, aut Imperatores philosopharentur.* Erat famæ suæ curiosissimus, & *requirens ad verum, quid quisque de se sentiret emendans quæ bene reprehensa viderentur.* Tantæ tranquillitatis, ut vultum nunquam mutaret mœrore vel gaudio: philosophiæ deditus Stoicæ, quam & per optimos quosque magistros acceperat, & undique ipse collegerat. Fisco in causis compendii nunquam judicans favit. Cum populo non aliter egit, quam est actum sub civitate libera. Fuitque per omnia moderatissimus, in hominibus deterrendis à malo, invitandis ad bona, remunerandis copia, indulgentia liberandis: fecitque ex malis bonos, ex bonis optimos. Jus magis vetus restituit, quam novum fecit, habuitque secum optimates & Jurisconsultos semper, quorum ex autoritate & periculo jura dictavit, cumque iis non solum bellicas res, *Dio Xiphil.* sed etiam civiles, priusquam faceret aliquid, contulit, sæpius dicens: *Æquius est, ut ego tot & talium amicorum consilium sequar, quam ut tot & tales amici meam unius sequantur voluntatem.* Comitiis frequenter interfuit, nec unquam recessit de curia, nisi consul dixisset: *Nihil vos moramur, Patres conscripti.* Sederi in civitatibus vetuit in equis, sive vehiculis, lavacra mixta submovit: mores matronarum composuit diffluentes, & juvenum nobilium. *Nihil properè agebat, ratus nec minimis in rebus errorem Principis calumniæ vacare.* Militibus aliquando donaria petentibus negavit, quod diceret, ex sanguine parentum ipsorum propinquorumque exactum iri. Gladiatoribus non concessit dimicare nisi obtusis gladiis, ne innocentes oculos sanguine pollueret.

Cum iterum ejus præsentiam exposceret Sarmatia, in administratione belli obiit, triennium rursus cum Sarmatis, Marcomannis, Hermunduris, Quadis, præliatus, ac semel integrum diem, conflictu acerrimo, quo victor tamen exstitit. Cum decumberet, ridens res humanas ad amicos dixit: *Quid me fletis, & non magis de pestilentia & communi morte cogitatis?* Recedentibus ingemiscens ait: Si jam me dimittitis, vale vobis dico, *vos præcedens.* Interrogans cui filium Commodum commendaret, respondit; *Vobis, si dignus fuerit & Deo.* Dio compertum sibi scribit, non morbo, sed à medicis, filio gratificantibus, peremptum, quod tamen, ut alia propinquorum vitia, dissimulârit, tribunoque militum signum postulanti responderit: *Abi ad orientem: ego enim jam ad occidentem commeo.* Ita anno imperii octavo decimo, ævi validior, Vendobonæ *obiit*, vitæ LVIII, maximo gemitu mortalium omnium. Denique qui sejuncti in aliis, Patres & vulgus, soli omnia decrevere, templa, columnas, sacerdotes. *Felix Imperator, nisi filium habuissent.* *Dio.* *Sext. Aurel. Victor.* A. M. 4151. *Christi* 181.

Philosopho hoc imperante, *Philosophiæ, tum cæleste, tum humanæ studia* ut maximè *viguerunt.*

Illam propagarunt & scriptis & moribus, præter Polycarpum & Justinum, Theophilus Antiochenus, Melito Sardianus, Apollinaris Hierapolitanus, Dionysius Corinthius, Pinytus Cretensis, Episcopi, qui partim contra gentes, partim contra Hæreticos tum surgentes, ut Hermogenem, Montanum, Cataphrygas & Encratitas, eruditione divina pugnârunt. Quibus addo Soterem & Eleutherum Romanos Episcopos, quorum ille *Euseb. lib. 4. hist. c. 22. &c. & 4. c. 14. 15.* *Irenæus adversus hæres. l. 1. cap. 30. 31. 33.*

ille nuptias à Sacerdotibus benedicendas ſtatuit, hic rogatu Lucii regis, in Britanniam Euangelizatores deſtinavit. Vigebant autem adhuc dona linguarum, prophetiæ, curationum, reſuſcitabantur mortui, fiebant plurima admiranda ad gentes fide imbuendas.

Trith. in Compend. de origine Franc.

Hanc, humanam puto ſapientiam, Antoninus Imperator imprimis excoluit, itemque Athenæus Naucratites, Sulpitius Apollinaris, Apuleius Afer, Magus & Philoſophus, Philoſtratus Lemnius, Cornelius Fronto Orator, Poliænus & Hermogenes rhetores, Oppianus Cilix Poëta.

Euſeb. lib. 5. cap. 7. Irenæus l. 2. c. 57. Suidas. Euſeb. Chron.

L. Commodus Antoninus.

Anno Chriſti 181. Mundi 4151.

COmmodo Antonini filio (alii gladiatore natum ferunt, quam famam Fauſtinæ impudicitia firmavit, & mores Commodi) multi diſciplinarum magiſtri nihil profuerunt, quo minus turpis, improbus, crudelis, libidinoſus fieret. *Tantum valet aut ingenii vis, aut eorum, qui in aula inſtitutores habentur.* Auſpicium crudelitatis dedit anno ætatis duodecimo cum tepidius forte lotus, balneatorem in fornacem conjici juſſit. Adhibitos cuſtodes vitæ ſuæ honeſtiores ferre non potuit, detinuit peſſimos quoſque, & ſubmotos uſque ad ægritudinem deſideravit. Quibus per patris mollitiem reſtitutis, popinas & ganeas in palatinis ſemper ædibus fecit, neque unquam pepercit vel pudori, vel ſumptui, ut probris natum magis quam ei loco eum crederes, ad quem fortuna provexit. Profectus cum patre ad Germanicum bellum, eo conſumto, legibus hoſtium addictus, id remiſit, Romamque triumphans rediit. Ad provincias regendas homines miſit vel criminum ſocios, vel à criminoſis commendatos. In ſenatus odium ita venit, ut & crudeliter in tanti ordinis perniciem ſæviret, fieretque ei contemptui viciſſim.

Lampr. in Commodo. Herod. lib. 1.

Crudelis vita Commodi Quadratum & Lucillam ejus ſororem compulit, ad ejus interfectionem adſpirare, non ſine præfecti prætorio Tarruteni Paterni conſilio. Datum eſt negotium peragendæ necis Claudio Pompeiano, Lucillæ & genero & adultero, qui ingreſſus diſtricto gladio, cum faciendi poteſtatem habuiſſet, in hæc verba prorupit: Hunc tibi pugionem ſenatus mittit, detexitque facinus fatuus, nec implevit, multis cum eo participantibus cauſam. Itaque interfectus ipſe primò, deinde reliqui conjurati, Lucilla ſoror Commodi in exilium exacta, poſt etiam necata, uti & Criſpina Auguſta: Domus præterea Quintiliorum omnis exſtincta, quod Sextus, Quintilii Maximi filius, ſpecie mortis ad defectionem diceretur evaſiſſe: & in multos alios variè eſt ſævitum.

Dio. Nicæus.

Poſthæc *Commodus* nunquam facile in publicum proceſſit, neque quicquam ſibi nunciari paſſus, niſi quod Perennis prætorio præfectus antea ſecum tractaſſet. Perennis autem Commodi perſciens invenit, quemadmodum ipſe potens eſſet, perſuaſoque Commodo ut deliciis vacaret, ipſe curis incubuit Reipublicæ, imperiumque Commodi ad tempus tutum præſtitit. Hac lege vivens Commodus, per Ulpium Marcellum Britannos, murum, quo diſterminabantur, tranſgreſſos, maximis affecit incommodis: Ipſe interim cum trecentis concubinis, quas ex matronarum meretricumque delectu, cumque trecentis exoletis, quos forma diſceptatrice conciliaverat, in palatio per convivia & balneas bacchabatur. Perennis cuncta ſibimet vindicans, res etiam in Sarmatia bene geſtas per alios duces, in filium ſuum referebat. Sed qui tantum potuit, delatus ad exercitus Britannicos, quod ſeditionis eos inſimularet, immiſſis mille quingentis militibus, deditus eſt à Commodo laceratuſque, cum ſe potuiſſet per prætorianos tueri, quibus præerat, niſi *audacia*, ut ſolet, *pravo & cooperto ſceleribus defuiſſet.* Et in potentia ſucceſſit Cleander; in præfectura vero Niger, qui ſex tantum horis ea dignitate functus ſcribitur. Mutabantur enim præfecti prætorii

Lampr. in Commodo. Dio Xiphil.

torii per horas ac dies, viginti quinque Consules in unum annum legebantur. Omnia Cleander pecunia venditabat, revocatos de exilio ornabat dignitatibus, res judicatas rescindebat. Byrrhum fororis Commodi virum, reprehendentem nuntiantemque quæ fiebant, in suspicionem affectati regni traxit; aususque occidere est, multis aliis, qui eum offendebant, pariter interemptis. Sed & illi dignus tandem vitæ finis impositus. Nam cum insidiis illius Arrius Antoninus, fictis criminibus in Attali gratiam, quem in proconsulatu Asiæ damnaverat, periisset, nec eam tum invidiam, populo sæviente, Commodus ferre potuisset, plebi propter annonam etiam tumultuanti, ad pœnam donatus est, cumque eo Apolaustus & alii aulici liberti. Cleander inter cætera etiam concubinas Commodi constupravit, de quibus & filios suscepit, qui post ejus interitum cum matribus sunt interempti. In hujus locum Julianus & Regillus subrogati sunt, quos & ipsos postea pœnis affecit tyrannus.

Lampr. & Dio.

Per id tempus tanta fuit *pestilentia*, quantam se nunquam cognovisse ait Dio, qui tum vixit. Interiisse sæpè uno die ad duo millia hominum, multosque sub omni ferè imperio Romano necatos à maleficis hominibus, acus venenis oblitas mercede in alios jaculantibus, quod malum etiam Domitiani temporibus extitit. Interea Commodus Felix, Pius, Hercules, Amazonius, Exsuperans, sexcentisque aliis titulis appellabatur, Romamque immortalem, fortunatam, Coloniam suam, orbem terrarum nominabat, seculum suum aureum. Usque adeò insaniebat scelus. Immiti prorsus feroque ingenio, adeò quidem, ut debiles pedibus ægrosque in urbe omnes, etiam senatores, unum in locum contraheret, formatosque in gigantium modum, ita ut à genibus de pannis & linteis quasi Dracones dirigerentur, sagittis conficeret. Gladiatores specie depugnandi crebro trucidavit, cum ipse ferrum obtectum veronibus plumbeis vibraret. Sed metu incusso, ne inter congressum, uti solet, extorto pugione conficeretur, in feras belluasque convertit ferociam, quarum multa millia manu sua occidit, validus quidem ad hæc, alias debilis & infirmus. Impudentiæ tantæ fuit, ut stercora cibis misceret, ac muliebriter indutus in amphitheatro sæpissimè biberet. Cum illi sæpè pugnanti, ut Deo, faviset populus, à militibus classiariis universum interimi præceperat, irrisum se ratus haud immerito. Incendisset & urbem, nisi eum Æmylius Lætus prætorio præfectus deterruisset. Queis rebus cum insatiabilem sanguinis cuncti horrescerent, conjuravere in eum ipsi custodes, *ut nihil tyrannidi fidum appareat.* Primò eum Marcia concubina veneno petivit, anno regni tertio ferè atque decimo: cujus vi frustrata per cibum, quo se casu repleverat, autore medico, participe factionis, jam minax in Palæstinam perrexit. Ibi ab Læto & Electo immissus validissimus palæstrita *Narcissus, compressis eum faucibus exstinxit*, anno vitæ tricesimo secundo. Quo cognito, senatus populusque hostem Deorum atque hominum vocantes, rescindendum ejus nomen sanxêre: confestimque præfecto urbi Aulo Helvio Pertinaci imperium defertur. Commodus omnibus incommodus, sævior Domitiano, nec purior Nerone, sicut fecit, sic passus est.

A. M. 4163. *Christi* 193.

Lampridi. Dio Nicæus. Oros. l. 7. cap. 16.

Sub eo Capitolium fulmine ictum, & templum etiam pacis à Vespasiano conditum; Bibliotheca & libelli ad principatum pertinentes, penè omnes conflagrarunt.

Dion. Victor. Aurel. Eutrop. lib. 8.

Ex tanta peste aliquid boni Deus elicuit. Etenim Commodus in gratiam Marciæ concubinæ, quam temerè deamabat, Christianis pacem, à patre Antonino datam præstitit. Itaque valdè aucta est Ecclesia accessione multorum, genere etiam & opibus præstantium. Superarant & Euangelistæ, quorum unus Pantænus Indis Christum prædicavit, & apud eos Matthæi Euangelium, à

Dio l. 72. Euseb. lib. 5. Hist. 19. 20.

Bartholomæo illuc Apostolo delatum, reperit. Eleutherus duodecimus Romæ Episcoporum, tunc fertur morte non violentâ obiisse. Successit Victor, severitatis intempestivæ, qui non consentientibus in tempus Paschale, quod dici Dominicæ plures adstringebant, anathema dixit, revocante eum ab hac importunitate Irenæo, Lugdunensi Episcopo, Polycrate autem pro Asiaticis, decima quarta Luna Pascha agentibus, dimicante. Ea tempestate Aristides Adrianæus orationes, Julius Pollux Onomasticon, Dion Cassius Nicænus, nocturni monitoris jussu, ut ait, historiam Romanam scripsit, spacio annorum XXII. Tatianus Encratitarum, Montanus Cataphrygum, Apelles, Florinusque & Blastus, Marcionitarum sectam propagârunt.

Euseb. lib. 3. Hist. Eccl. c. 23. 24.

Dio l. 25. Suidas. Euseb. lib. 5. cap. 13. 14. 15. 16.

Helvius Pertinax, *Et* Didius Julianus.

Anno Christi 194. Mundi 4164.

Julius Capit. in Pertinace. Aurel. Victor. Dio Nicenus. Herod. lib. 2.

Publio Helvio Pertinaci pater libertinus fuit, qui eum dedit erudiendum Sulpitio Apollinari: post quem idem Pertinax Grammaticam professus. Sed cum in ea minus proficeret quæstus, per Lollianum Avitum, patris patronum, ducendi ordinis dignitatem petiit. Ita militari industria Consulatum, ex consulatu Syriam, Mœsiam, Daciam provincias, tandem præfecturam urbis meruit. Interficiendi Commodi conscientiam non fugisse fertur: patrato facinore, Q. Æmylius Lætus præfectus prætorii & Electus cubicularius, ad eum venerunt, confirmatumque in castra duxerunt. Illic Pertinax milites alloquutus, donativum eis promisit, ingeri sibi imperium à Læto & Electo testatus: eademque nocte, à Senatu Imperator appellatus est. Petenti signum prima die Tribuno dedit, *Militemus:* exprobrans utique segnitiem temporum superiorum. Exprobrationem autem istam milites non tulerunt, statimque de Imperatore mutando cogitarunt. Timebatur enim militia sub sene Imperatore. Auctionem rerum Commodi habuit, ita ut & pueros venderet, & concubinas; exceptis iis, qui per vim Palatio videbantur inserti, cujus nundinationis pecuniam, quæ ingens erat, militibus donativo dedit. Imperatorium sumptum, pulsis non necessàriis, ad soliti dimidium retraxit, exemploque Imperatoris, cum ille parcius se ageret, *ex omnium continentia nata est utilitas.* Amabat simplicitatem, communem se affatu, convivio, incessu præbebat. Filium ejus senatus Cæsarem appellavit. Sed Pertinax nec uxoris Augustæ appellationem recepit, & de filio dixit, *cum meruerit.* Blandus tamen magis quam beneficus, moribus antiquis, ut qui Curios Fabricioque æmularetur, immodicè parcus, & in emendanda Republica, quæ tempore egebat, & consilio, properus, fortunæ se pilam, ut vocabatur, probavit. Cum enim non liceret amplius militibus rapere, aut Cæsarianis libidinari, utrisque in odium acerbissimum venit. Cognito autem Falconem Cos. ad capessendum imperium armari, quæstus in senatu est, ad decies sestertium duntaxat se in ærario reperisse, ac nihilominus parem pecuniam cum Marco & Lucio dedisse prætorianis. Id cum falsum esse scirent milites, acrius accensa seditio est, ac Lætus occasionem nactus, q. pro Falcone eos corrupit. Quare ducenti ex iis subito in Palatium decurrunt, priusquam id Pertinaci nunciaretur. Ad quos ille cum nihil territus processisset, longa ac gravi oratione penè placatis, Tausius quidam, unus è Tungris, hastam in pectus Imperatoris objecit: Tunc precatus Jovem ultorem Pertinax, toga caput operuit, atque à cæteris *confossus* est. Et Electus quidem transfixis duobus cum eo periit, reliqui Palatini diffugerunt. Imperavit dies 85. vixit annos sexaginta. Mortuo Divi nomen decretum, acclamatumque, *Patri pio, patri senatus, patri bonorum omnium.* Cæde Imperatoris

ris conturbata civitate, milites in castra reversi venale imperium turpissimo præconio proposuerunt. Emit tandem & licitatione inhonestissimâ Flavium Suldicianum, socerum Pertinacis, vicit *M. Didius Julianus*, vir nobilis, juris peritissimus, factiosus, præceps, regni avidus, pecuniosus, qui multas antea provincias rexerat, *eruditione melior quam animo.*

Spartianus in Didio Juliano.

Senatu, seu blanditiis, seu metu, in partes tracto, populum mitigare nulla ratione potuit. Nam post convicia & lapides in eum jactos, Pescenninum Nigrum, qui jam imperare dicebatur in Syria, ad urbis præsidium vocarunt. Invecti & vehementissimè in milites, qui ob pecuniam Pertinacem occidissent, aureos, quos digitis Julianus ostendebat, indignanter repudiârunt, succlamantes, *Nolumus*, *non accipimus*. Quod ut audivit Julianus, teneri ultra non potuit, quin proximos quosque interfici juberet. Populus ea re multo irritatior, non desinebat Juliano maledicere, Deos invocare, milites execrari. Ad extremum arma capiunt omnes, & in Circo diem noctemque jejuni transigunt. Tandem fame stimulante diffugiunt, externa auxilia præstolantes. Cum ergo nunciatum Juliano esset, Severum cum Illyricis exercitibus defecisse, quem suspectum non habuerat, perturbatus ad senatum venit, imperavitque, ut hostis *Severus* renunciaretur, militibusque præstitueretur dies, ultra quem, si cum Severo fuissent, hostium numero haberentur. Interim ipse omnibus assentari Romæ, obviis arridere, multa libero homine, nedum principe indigna facere, conciliandæ multitudini, sed frustra. *Suspecta* enim erant *prudenti cuique immodica officia*. Visæ tum *circa Solem tres stellæ*, *claro die*, tres principatus sibi invicem inimicos portendebant. Severus enim in Illyrico, Albinus in Britannia, Niger in Syria imperium sibi adversus Julianum asserebant. Albinum Severus Cæsarem dixit, ut securitatis impletum opinione in Britannia detineret. Ipse devincta sibi omni Europa, præter Byzantium, Romam infesto agmine contendit, ubi milites desides, & urbana luxuria dissolutos, frustra Julianus in armis exercebat. Interim opinatus Lætum fautorem esse Severi, ipsum Marciamque, per quos Commodus interierat, interfecit: pueros etiam mactavit non paucos, (dirum facinus) ut per eorum exta & magorum ludibria futuros eventus expiscaretur. Crebro misit ad Severum, qui cum interficerent. Sed illi ad Severum transierunt. Tullius Crispinus præfectus prætorio, legatus ut classem produceret, repulsusque, ad Severum rediit. Sacerdotum deinde preces, virginumque Vestalium orans Didius, audivit à Fausto Quintillo, *non debere imperare eum*, *qui armis adversario non posset resistere*. Quare iratus, per milites Senatum ad obsequium cogere, aut obtruncare voluit. Sed mox mutato consilio, de participatione imperii egit, abnuente Severo, & prætorianos sibi literis conciliante. Tunc à Senatu capitis damnatus Julianus, nihil dixit percussoribus, nisi, *Quid ego peccavi*, *aut*, *quem interfeci?* Ita extenta damnatorum modo cervice, decollatur, caputque ejus in rostris ponitur, cum vixisset annos LX, imperasset dies LXVI. Corpus ejus à Severo uxori Manliæ Scantillæ, & filiæ Didiæ Claræ redditum: quæ primo imperii die, quasi præsagientes ei imminens exitium, trepidæ invitæque in palatium transierant.

Dio Cassius apud Xiphilinum. Spartianus in Pescennin. Nigro.

Ælius in D. Julian. Dio Cassius.

Septimius Severus.

Anno Christi 194. Mundi 4164.

Severus Leptitanus natione Afer, juventam plenam furorum nonnunquam & criminum habuit. Cum adulterii causam diceret, absolutus est à Juliano Proconsule, quem postea antecessorem per milites occidit. Cum eum ex humili, per literarum & militiæ officia, ad imperium plurimis gradibus fortuna duxisset. *Omnia*, inquit, *fuit*, *& nihil expedit.* Sed ipse se talem egit, ut nihil ei quid-

Spartianus in Severo. Herodian. lib. 2.

quam expediret, cum eos ipsos pertimesceret, de quibus rectè judicabat, quosque dignos imperio videbat, occideret. *Dio Cass. Aurel. Victor.* Quare octodecim imperii sui annos in cædibus ferè & perpetuis bellis absumsit. Interfectores Pertinacis multavit morte, reliquos prætorianos occurrere sibi jussos exarmavit, & turbe ejecit. Ingressus Romam terrore magnifico, milites vastationem minantes secum traxit, urbemque feræ atque agrestis vitæ replevit. Pertinacis deinde imago ingenti vanitate funerata, ipse inter Divos sacratus, pompâ ethnicis dignâ superstitionibus, quam qui volet, ex Dione, qui interfuit, petat. *Spartianus in Pescennio Nigro.* Regnabat autem Pescennius Niger in oriente, Cræciamque cum Thracia & Macedonia, interfectis multis illustribus viris tenebat, ad participatum imperii Severum vocans: à quo causa eorum quos occiderat, cum Æmyliano hostis est appellatus, permisso tamen exilio tuto, si ab armis vellet discedere. Erat Pescennius bellator egregius, disciplinæ custos acerrimus, ut miserum se diceret Severus, quod imitari ejus disciplinam non posset, quem bello vicerat. Imperatori Pescennio cum quidam panegyricum recitare vellet; dixit ei: *Scribe laudes Marii, vel Annibalis, vel alicujus ducis optimi, vita functi, & dic, quid ille fecerit, ut eum nos imitemur. Nam viventes laudare irrisio est, maximè imperatores, à quibus speratur, qui timentur, qui præstare publice possunt, qui possunt necare, qui proscribere.* *Herodian. lib. 3.* *Ego vivus placere cupio, mortuus etiam laudari.* Hic variis prœliis in Hellespontо, ad Cizycum, ad Nicomediam, tandem ad portas Ciliciæ à Severianis victus; caput ejus pilo circumlatum est. Filios Nigri, quos antea captos suorum *Dio.* liberorum cultu habuerat Severus, in exilium postea cum matre misit, denique etiam occidit, Byzantinos triennii obsidione exhaustos, cum plurima fecissent, & passi essent fortiter, dedentes se, libertate privavit, militares crudeliter interfecit, urbem longè pulcherrimam nudavit mœnibus, & quasi vicum ignobilem Perinthiis subjecit. Antiochenos, Palæstinenses, multasque alias ejusdem partis civitates, injuriit affecit & damnis. Senatores, qui cum Nigro militaverant, ducum vel tribunorum nomine, occidit, damnata in Nigrianis constantia, quam in suarum partium ducibus laudabat. Vastata deinde Arabia, non sine periculo totius exercitus, ob aquarum penuriam, Parthisque & Adiabenis, qui cum Pescennino senserant, punitis, redeunti Romam, aliud *civile bellum* natum est *Clodio Albino*, in Galliis dominante, quem Cæsarem antea dixerat. Hunc enim, cum per dolosas literas pertrahere in insidias atque interimere non potuisset, bello subigere decrevit. Fuerat quidem ei primum animus, Pescenninum Nigrum & Albinum sibi substituere: sed postea & filiis jam majusculis studens, & Albini apud senatum invidens amori, sententiam mutavit, atque illos utrosque bello oppressit, precibus maximè uxoris Juliæ, insolentis ac impudicæ, adductus. Et primo quidem conflictu Albinus potior fuit, contra duces Severi. Post Severus ipse cum quinquaginta militum millibus, ut par esset viribus, contra eum profectus acerrimè, nec sine varietate fortunæ, pugnavit, apud Lugdunum, tanto suo periculo, ut discissa chlamyde, districtoque gladio, in fugientes suos contenderet, ut vel pudore affectos sisteret, vel ipse unà periret. Eo prælio tantum est sanguinis fusum, ut in fluvios influeret. Albinus semivivus ad Severum est deductus. Ejus caput abscindi, Romamque deferri jussit, prosecutus illud literis; senatui exprobrantibus amorem defuncti, & mox fautores ejus, inter quos multi principes civitatis, Hispanorumque & Gallorum proceres, interfecit, quorum bona publicata ærarium auxerunt. Ex ea proscriptione tantum filiis suis reliquit, quantum nullus Imperatorum. Genus Albini exstinxit; Commodum, propudium illud principis, odio senatus Deum appellavit, ut

Capit. in Clodio Albino. Dio in Severo. Herod. lib. 3.

ut appareret eum apertiſſime furere. Occidit ſine cauſæ dictione XLIII nobiles & ſummos viros, Narciſſum quoque, Commodi ſtrangulatorem, objecit leonibus, fratrem ſe Commodi & Marci filium profeſſus, Baſſianoque filio Antonini nomen impoſuit.

Poſt hæc *bellum intulit Parthis*, qui, Severo civilibus armis occupato, ſecuri Meſopotamiam ceperant, Læto Niſibin fortiter interim tuente. Illis Seleuciam & Babylonem deſertas ademit, Cteſiphontem cum centum millibus hominum cepit, ſed inopia commeatus excedere eâ coactus, Atra urbem Meſopotamiæ irrito conatu oppugnavit.

Ibi Julius Criſpus, prætorianorum tribunus, cecinit Virgilii illud:

Scilicet ut Turno contingat regia conjux,
Nos animæ viles, inhumata infletaque turba
Sternamur campis.

Spart. in Sev. Et ob id interfectus eſt, pauloque poſt Lætus, quod carior eſſet militibus, quam Severus ſuis rationibus conducere putabat. Multos inter hæc cauſis, vel veris vel ſimulatis, ſuſtulit. Damnabantur cur jocati eſſent, alii cur tacuiſſent, alii cur pleraque figurata dixiſſent, ut quod eſſet Imperator verè nominis ſui, verè Pertinax, verè Severus.

Plautianus tunc omnia poterat, nihil Severo minor, ſecretorum ipſius omnium conſcius, omnium prædo, caſtrator civium Romanorum; Imperatoris ipſius Imperator. In eo itinere *Paleſtinis plurima jura fundavit.* Judæos fieri ſub gravi pœna vetuit; Idem etiam de Chriſtianis ſanxit; arcanos Ægyptiorum libros ferè ex omnibus adytis ſuſtulit. *Chriſtianos*, velut delendarum factionum cupidus, horribiliter *cœpit vaſtare*, unde præſertim in Ægypto & Thebaïde, & ubique penè gentium præclara *martyrii* & memoranda certamina conficiebantur, teſtantibus Deo fidelibus amorem ſuum, & principem hujus mundi cœleſtis expectatione gloriæ ſuperantibus. Inter eos nobiles ſunt *Leonides*, pater Origenis, Alexandrinus, *Philippus* præfectus Ægypti, *Irenæus* Lugdunenſis Epiſcopus; & Apologia tunc pro Chriſtianis ad Romanos magiſtratus ſcripta à *Tertulliano.*

A. M. 4173. *Spartianus Severo. Euſeb. lib. 6. Hiſt. c. 1. 2.*

Hic Severum ipſum à Proculo Chriſtiano per oleum aliquando curatum narrat, quem proinde requiſitum in palatio habuerit, uſque ad mortem ejus. Addit: Sed & clariſſimos viros, & clariſſimas fœminas Severus, ſciens hujus ſectæ eſſe, non modo non læſit, verum & teſtimonio ornavit, & populo furenti in os palam reſtitit. Addit Sulp. Severus, interjectis deinde annis XXX & VIII pacem fuiſſe Chriſtianis, niſi quod medio tempore Maximinus nonnullarum Eccleſiarum clericos vexavit. Aiunt Plautianum Chriſtianis fuiſſe infenſiſſimum, qui certe ultionis divinæ conſpicuum omnibus eſt documentum factus. Nam ſocer Antonini jam, & ex recenti odio major amicus Severi, quam antea, adeò ut exilio punirentur, qui Severo ipſi conſenſerant, in detrahendis ſtatuis Plautiani, eodem anno peremptus eſt, quo juraverat Severus, nullum ab ſe malum Plautiano accidere poſſe. Dederat tantum Plautillæ filiæ ſuæ Plautianus, quantum Reginis ſat eſſet, nuptiæ ejus apparatu pluſquam regio erant peractæ, ob omnibus colebatur, jurabatur per fortunam ejus, qui ipſe interim metu futurorum tremeret ac palleret. Tandem Geta, frater Severi, moriens Plautiani acta enarrat, Antonius uxori ob impudentiam infenſus, ſoceri increpationes ulciſci parat. Ita inſimulatus conjurationis Plautianus ſubitò interficitur, Plautilla relegatur, quam poſtea quoque Antoninus cum filio Plautiani necavit. *Ita omnium rerum ſemper naturali quaſi lege mutatio eſt, nilque infirmius, quam potentia ſine virtute, alieno favore ſubnixa.* Amici quoque Plautiani familiariores univerſi periêre. Antoninus & Geta, hoc quaſi pædagogo liberati, deinceps pro libidine agere, violare ma-

Tertull. ad Scapulam c. 4.

Spartian. Dio. Herod. lib. 3.

tronas & pueros, pecunias prædari, imitari se invicem, & tamen odisse: qui mores Getæ primum, deinde & Bassiano exitio fuêre. Severus indies crudelior habitus, implacabilis in delictis, ad eligendos tamen industrios quosque judicii singularis, latronum ubique hostis, quorum unus Bulas, homo callidissimus, elusis sæpe ducibus Severi, tandem amicæ suæ indicio proditus, bestiarum esca fuit. Postrema Severi *expeditio in Britannos* suscepta, magis ne segnescerent legiones, quam necessitate urgente. Ibi amisit insidiis Caledoniorum & aquarum insalubritate ad L millia, coëgitque ad fœdus faciendum, & arma tradenda. Quod dum facit, pene à filio ponè equitante est occisus, sed clamore stipatorum conversus vultu eum deterruit, increpatumque deinde, præsentibus Papiniano & Castore, nihil læsit amplius. Mox denuò in Britannos, qui defecerant, vertit impetum, licet doloribus excruciatus podagricis, lectica portaretur. Verum sic quoque militari vexatus seditione, quâ filium Augustum creabant, animadverti jussit in omnes auctores facti, præter filium, sedensque pro tribunali, *Sentitisne*, inquit, *tandem, caput imperare, non pedes.*

Dio. Cassianus.

Aurel. Victor.

Cassiodorus Chron.

Spart. in Severo.

Denique ducto per transversam Britanniam muro CXXX millium passuum, quem auxit Bassianus, periit Eboraci atroci morbo. Extrema ejus feruntur verba: *Rempublicam ubique turbatam accepi, pacatam etiam Britannos relinquo: firmum imperium Antoninis meis, si boni erunt, imbecillum, si mali.* Ad filios: *Locupletate milites, cæteros omnes contemnite.* In mœchos asper foris, domi tenuit Juliam, adulteriis famosam. Parum boni Principis habuit. Senatus eum aut nasci non debuisse judicavit, propter crudelitatem, aut non mori, propter successorum ignaviam. Explevit penè annum LXVI vitæ, imperii XVIII. Juliani nomen & ejus scripta aboleri voluit, quod unum effici nequivit. *Tantum enim* (Aurelii Victoris verba sunt) *gratia doctarum valet artium, ut scriptoribus ne sævi mores quidem, ad memoriam officiant.*

Obiit A. M. 4182. Christi 212.

Ergo sub Severo, Principe literato, *sacris literis eruditi claruerunt* T. Flavius Clemens Alexandrinus, Septimius Florens, Tertullianus Afer, Minutius Felix, quorum adhuc nomen in præclarissimis, quæ reliquerunt, ingenii monumentis vivit. Viguit & Judas, qui Antichristi adventum in propinquo esse scripsit. Symmachus, post Aquilam & Theodotionem, sacri codicis tertiam versionem Græcam dedit, cum pietatis & simplicitatis amantiores, turbari potius plebem, quam ædificari istac varietate judicarent. Narcissus Jerosolymæ Episcopus, quam DEO carus esset, trium testium, qui jurati, falso eum turpitudinis insimulaverant, evidenti pœna patuit. Nam unus igni, alter fædo morbo, tertius amissis luminibus, planè sicut imprecati sibi fuerant, perierunt.

Euseb. Chron. & l. 6. Hist. c. 5. 6. 11.

Euseb. l. 6. c. 8.

Tunc & Alexander Aphrodisiensis Philosophus, & Papinianus Jurisconsultus in pretio fuêre.

ANTONINUS CARACALLA.

ANtoninum à Barbaro vestitu, quo & ipse & exercitus utebatur, & populus donabatur, *Caracallam* dictum fuisse scribit Spartianus, gratissima clarissimaque pueritia. Nam septennis puer, cum colluforem suum ob Judaïcam religionem gravius verberatum audisset: neque patrem suum, neque patrem pueri, vel auctores verberum, diu respexit. Tertullianus eum lacte memorat enutritum Christiano. Egressus verò pueritiam, patris monitis restrictior graviorque, & vultu truculentior apparuit, prorsus ut eum quem puerum scierant, multi esse non crederent. Alexandrum Magnum ejusque gesta semper in ore habuit. Patre mox ipso superbior, fratrem Getam magna ejus humilitate despexit. Post patris mortem, apud milites conquestus circumveniri se fratris insidiis, cum

Anno Christi 212. Mundi 4182.

Spartianus in Antonino. Herod. lib. 4.

Tertull. ad Scapul. c. 4.

cum potiri ejus non posset ob fidem exercitus, quam duobus se liberis Severi juravisse dictitabat, dolo accitum, quasi arbitra matre inimicitias posituru s, eum in ipso Juliæ matris sinu *interemit*. Iisdemque diebus occisi sunt innumeri, qui fratris ejus partibus faverant: Dion ad hominum mulierumve xx millia fuisse tradit, & ex illustribus multos, maximè *Papinianum*, præfectum prætorii, dicentem *non tam facile excusari parricidium, quam fieri*. Ob quam causam, ait Aurelius, furore pœnas dedit, dirarum insectatione, quæ non immerito ultrices vocantur: à quo post furore convaluit. Audiens posse mitigari facinus, si divum fratrem appellaret, dixisse fertur, *sit Divus, dum non sit vivus*. Ita utcunque rediit cum fama in gratiam parricida: milites enormibus stipendiis placavit. Julia ejus noverca lætari & ridere coacta nece filii. Hæc formâ privignum cepit postea, cum ejus præsentiæ quasi ignaram se daret, intecto corpore, asserentique, vellem si liceret, uti petulantius multò (quippe *qua pudorem velamento exuerat*) responderet, *libet? plane licet. An nescis te Imperatorem esse & leges dare, non accipere?* Ergo pro uxore habita, participem se imperii egit, nomenque ejus plerisque libellis & epistolis est appositum. Cæterum Bassianus ipse solis militibus comis atque humanus, reliquos mortales omnes contemnebat, crebro jactans, *pecuniam sibi soli esse oportere, ut eam largiretur militibus, præterea nemini*. Arguente eum Julia, quod nimios sumptus faceret, Bono animo es, inquit, mater; nam *nobis, quam diu hunc habebimus* (gladium ostentans) *pecunia non deerit*. Bonas artes, quas puer didicerat, Imperator factus, planè sprevit, & oblitus est, Aristotelis libros & sectatores, quod Alexandrum ab eo peremptum diceret, delere conatus, Alexandrinos certè, à quibus se irrideri cognoverat, crudelissimè mactari jussit, totamque urbem militum ludibriis exposuit.

A. M. 4183. Christ. 213. *Dion. Cassi. l. 77. Spartianus in Caracal. Spart. in Geta.*

Dion & Spartian. Aurelius Victor.

Abgarum, Osroënorum regem quasi amicitiæ causa vocatum, in vincula conjecit, & Osroënen Rege destitutam cepit, itemque Rege Armeniorum usus est, quam ob rem Armenii arma capere, quam ad ipsum deficere, maluerunt. Atque exinde nemo ipsi fidebat amplius, ut re ipsa cognosceret, *quanta fraudi esset Imperatori, fraudem amicis facere*.

Dion.

Cum militibus etiam omnia servilia munera, pariter subibat, immemor interim *officii Imperatoris ac disciplinæ, quibus victoria maxime nititur*. Ergo à Cennis, ut Dion vocat, seu Alemannis, ut Victor, propè Mœnum amnem atroci prælio exceptus, magno pretio emit, ut salvus se in superiorem Germaniam reciperet. Eorum uxores in pugna captæ, cum interrogarentur, mallentne occidi, an vendi; responderunt, occidi: cumque essent venditæ à Romanis, omnes mortem sibi consciverunt. Antoninus senatum irreverenter & contumelioſè habuit, adulterinam monetam cudit, raro jus dixit, interdum benè potus; Magis & præstigiatoribus multum tribuit. Cum Commodi manes evocasset, audivit, σὺ δίκης ἄξιον, perge ad supplicium. In occidendis feris & gladiatoria arte valde sibi placuit. Gladium quo fratrem interfecerat, Serapidi Deo Ægyptio consecravit, dignum Deo donum: sed gladius is cælesti igne deflagravit.

Posthæc exercitum in Parthos duxit, prætexens Artabanum negare sibi, quas pactus esset, filiæ nuptias. Sed Artabanus fraudem Antonini verebatur. Quare de improviso irruens in confinia Mediæ, Arbela subegit, sepulcra regum Parthorum, abjectis ossibus, subvertit; barbaris ultra Tigrim recedentibus, ut ad bellum se pararent. Interim in mediis militibus, quibus maximè fidebat, dum forte ex equo descendit ad naturæ requisita, *occiditur* inter Carras & Edessam, astu Macrini, quem prætorio præfecerat; qui perspecto è quibusdam literis suo periculo, prævenire mortem sibi intentatam callidè cogitavit. Macrinum

Spart. in Caracalla. Dion. Aurel. Victor. Eutrop. lib. 7.

A. M. 4188. Chri. 218.

num enim Antonino brevi succeſſurum dixerat Alexandrinus Serapion, Chriſtianus haud dubie, quem leoni objectum, cum ei fera pepercisſet, Antoninus occidi imperaverat. Vixit annos XXIX. annos potentiæ explevit VI & menſes duos.

Euſeb. lib. 6. hiſt. c. 12. Per id tempus *Origenes* à continuis ſtudiis Adamantinus appellatus, innotuit Alexandriæ, communicatoque cum Heracla labore, quam plurimas divinas humanaſque literas tradidit. Romanam quoque Eccleſiam, gubernante eam Zephyrino Epiſcopo, inviſit, novaſque ſacri codicis verſiones, unam Nicopoli apud litus Actium, alteram in dolio prope Jerichuntem repertas, uſitatis jam tranſlationibus conjunxit. Qua via, non tam faciliorem, quam perplexiorem myſteriorum ſenſum effecit. Cum ob tumultus Ægyptiacos Cæſaream ſe recepiſſet, Demetrius Alexandrinus Epiſcopus vitio vertit Alexandro Jeroſolymæ, & Theoctiſto Cæſariæ Paſtoribus, quod homini non initiato gradu presbyterii, poteſtatem docendi in Eccleſia conceſſiſſent. Verum illi hoc integrum eſſe Epiſcopis, ex veteri conſuetudine confirmârunt.

Euſeb. lib. 6. c. 14. 15. 16. *Illis ſuppares* fuerunt Beryllus Boſtrenſis in Arabia, Hippolytus, Ammonius & Caius Romanus, Cataphrygum confutator.

Opilius Macrinus.

A. M. 4188. Chr. 218. Olymp. 249. Capit. in Macrino. Herodian. l. 4. & 5. Dionis excerpta. lib. 79. Aurel. Victor. Eutrop. lib. 8. OCciſo Antonino Baſſiano, *Opilius Macrinus* Maurus, præfectus prætorio ejus, qui antea res privatas curârat, arripuit imperium, humili natus loco, & animi atque oris inverecundi. Odio Baſſiani magis, quam ſua virtute movit ſenatum, cum omnibus una vox eſſet, quemvis magis quam parricidam, quam inceſtum, quam impurum habendum Imperatorem. Macrinus fictè, ut ſunt homines, quod ad ea ſe cogi dicunt, quæ vel ſceleribus comparant, compulſum ſe ad imperium affirmabat, militaribuſque inſidiis Baſſianum interiiſſe. *Et profuit pecunia, ut ſolet, cui innocentia prodeſſe non poterat.* Suſcepto igitur bello contra Parthos, profectus eſt magno apparatu, *ſtudens ſordes generis & prioris vitæ infamiam victoriæ magnitudine abolere:* cui fini Diadumenum filium etiam appellavit Antoninum & Cæſarem, gnarus quo favore Antoninum nomen eſſet, militibuſque eam ob rem donativum dedit. Sed triduano & acri conflictu inferior, cum legatos de pace mittere, eamque ab Artabano velut redimere eſſet coactus, rumoribus de ſe adoleſcendi poteſtatem dempſit. Juliam Auguſtam cum initio blandius habuiſſet, ut comperit conviciis ſe ab ea impetitum, ejecit Antiochia, & mox in mortem egit. Nec pepercit aliis, ignobilitati ejus inopinæque adeptioni imperii iniquis. Quare poſtquam ſe Antiochiam tranſtuliſſet, ac luxuriæ operam daret, nec præberet militibus, quantum Baſſianus præter conſuetudinem indulſerat, corrupti Mæſæ promiſſionibus milites (ea Juliæ ſoror erat, uxoris Severi, expulſa ex domo aulica per Macrini ſuperbiam) ad nepotem ejus Baſſianum Varium, qui poſtea & Antoninus & Heliogabalus eſt appellatus, deſciverunt. Macrinus audaciam miratus muliebrem, ſimul etiam contemnens, Julianum præfectum ad eos obſidendos cum legionibus miſit. Quibus cum Antoninus oſtenderetur, Baſſiani filius creditus, miro amore ſui omnes implevit, occiſoque Juliano, ad eum omnes tranſierunt. Commiſſo deinde prælio Macrinus ipſe vincitur proditione militum. Mæſa cum filiabus Semiamira, (cujus filius erat Heliogabalus) & Mammæa, fortiter ſuos in pugnam incitavit. Fugiens ergo Macrinus cum paucis, & filio Diadumeno, in vico quodam Bithyniæ periit, homo aſperior in milites, quam orienti fortunæ expediret: Acer in ſuppliciis, Severique laudator. Adulterii reos ſemper vivos ſimul incendit, junctis corporibus. Delatores, ſi non probarent, capite affecit, ſi probarent, delato pecuniæ præmio dimiſit infames. Convivio ſuo literatos adhibuit, ut

Lampridius Diadumeno.

Herod. lib. 5.

ut loquens de ſtudiis liberalibus neceſſario à nimia, cui addictior erat, ingurgitatione abſtineret. Sed hic licet grandis natu, annum agens LIV, tantique exercitus Imperator, à puero, cujus ne nomen quidem ante audierat, oppreſſus eſt, menſibus ferme quatuor ac decem vix retento imperio. De filio ejus verè dictum eſt, quod in ſomnis Antoninus fuiſſet. Imperium enim ad id ſolum habuit, ut cum patre interficeretur.

VARIUS ANTONINUS HELIOGABALUS.

A. M. 4189. *Chr.* 219. *Lampr. in Heliogab. Dio l.* 78. *Herod. lib.* 5.

SIc *Varius* Avitus, à Sacerdotio Dei Heliogabali *Heliogabalus*, quodque filium ſe Baſſiani ferret, *Antoninus* dictus, potentiam invaſit. Ejus unum facinus laudatur, quod cum publicè privatimque ad literas Macrini plurimis eſſet injuriis affectus, de nullo ſupplicium ſumpſit: in cæteris autem omnibus homo turpiſſimus & nequiſſimus fuit, eaque fecit & paſſus eſt, quæ ne dici quidem vel audiri ſine maximo pudore poſſunt. Soœmi ſeu Semiamiræ matris quæ ex Vario Marcello eum genuiſſe dicitur, aut, ut ipſa videri voluit, ex inceſta cum Antonino conſuetudine, ita deditus fuit, ut eam in ſenatum ſecum adduceret, nihilque ſine ejus voluntate in Republ. faceret. Ingens ejus deſiderium erat initio, ſed ex *rumore, qui novis poſt tyrannos ſolet donare principibus, quique niſi ex ſummis virtutibus, non permanet, ſed à multis etiam mediocribus principibus amittitur. Vota enim hominum ad crudelitatem feſtinant, atque id quod optant, verum eſſe concipiunt.* Quod tunc etiam circa Heliogabalum accidebat, quo vix quiſquam majoribus hominum ſtudiis accepit imperium, nec viciſſim majoribus odiis amiſit. Statim Heliogabalum ſuum, Syrum numen, in Palatino monte ſacravit, id agens, ne quis Romæ vel per orbem DEUS, niſi Heliogabalus ſuus coleretur. Dicebat enim Judæorum & Samaritanorum religiones, & Chriſtianam devotionem illuc transferendam, ut omnium culturarum ſecretum Heliogabali ſacerdotium teneret. Vendidit honores & dignitates tam per ſe, quam per omnes ſervos ac libidinum miniſtros. Pomponium Baſſum & alios viros clariſſimos occidit, quod ſuos ab iis mores examinari diceret. Baſſi etiam conjugem pulcherrimam ſibi junxit, qua ob maculam corporis, ut dicebat, repudiata, Aquiliam duxit Severam, virginem Veſtalem, cum nec vir quidem eſſet amplius, ſed Hierocli, Zotico, aliiſque, quos conquirebat, bene vaſatis nuberet, perque omnia obſcœna non dicenda quotidie volutaretur.

Lampr. Heliogab.

Quare milites peſtem illam velari Imperatoris non ferentes, jecere ſermones de Alexandro promovendo, conſobrino Heliogabali (Soœmis enim Mammææ matris Alexandri ſoror erat) qui jam Cæſar fuerat à ſenatu dictus, Macrino mortuo. Hic adoptatus ab Heliogabalo ſolenniter, confeſtim omnium ad ſe animos traxit, adeò ut pœniteret mox adoptionis Varium, eo maxime nomine, quod impudicus non eſſet Alexander; percuſſores itaque ei immiſit. *Sed nihil agunt improbi contra innocentes, telaque aliis parata, tandem in ipſos homicidas vertunt:* quod etiam tunc accidit. Nam rei indignitate adeò exarſere milites, ut ægrè exorarentur, ne obtruncarent Sardanapalum. (Nam ſic quoque ex moribus appellabatur iſte Varius.) Hac ei conditione pepercerunt, ſi impuros homines & aſſentatores, quod illum ex ſtulto faciebant ſtultiorem, à ſe dimoveret, atque ad bonam frugem rediret. Ibi amotis aut necatis pleriſque, ingenti precio repoſcebat Hieroclem, hominem impudiciſſimum, & inſidias indies novas Alexandro propagabat. Cædebantur idolo Syro humanæ hoſtiæ, deſpondebatur ei virgo Carthaginienſis Urania, immenſa dote, quæ ex toto imperio colligebatur. Nec erat ulla Heliogabalo vita, niſi exquirere voluptates. Canes jecinoribus anſerum paſcebat. Leones & Leopardos exarmatos, edoctoſque per man-

ſueta: ios, menſis adhibebat ſubito ad pavorem aut ridiculum excitandum. In calceamentis habebat gemmas, & quidem ſculptas, quaſi poſſent in calceis ſculpturæ artificum videri. Lupanaria domi amicis, clientibus & ſervis exhibebat. Nunquam minus quam centum ſeſtertiûm cœnabat, hoc eſt, argenti libris triginta. Jocabatur ita cum ſervis, ut eos juberet millena pondo ſibi aranearum deferre, propoſito præmio; collegiſſeque dicitur decem millia pondo, dicens & hinc intelligendum, quam magna eſſet Roma. Mittebat paraſitis per cellarios ſalaria annua, vaſa cum ranis & ſcorpiis, & ſerpentibus, atque hujuſmodi monſtris, digna certè & domino & miniſtris ſtipendia. Implebat etiam muſcis, apes manſuetas eas appellans. Canes quaternos ingentes junxit ad currum, & ſic eſt vectatus intra domum regiam. Semper ſane aut inter flores ſedit, aut inter odores pretioſos. Sexcenta ſecum vehicula ducebat, aſſerens, decem millibus Camelorum Perſarum regem iter facere, & Neronem olim quingentis carrucis. Cum prædictum ei eſſet à ſacerdotibus Syris, violenta morte perituruum, ſericos ſibi laqueos, gladios aureos, turrim ſubſtratis aureis gemmatiſque tabulis paravit, dicens etiam mortem ſuam pretioſam eſſe debere, & ad ſpeciem luxuriæ, ut diceretur nemo ſic periiſſe. Nec quiſquam facilè ſic periit, nemo turpius ſcilicet. Cum amandato ex urbe ſenatu & Ulpiano Juris conſulto, Alexandro necem machinaretur, milites facta conſpiratione, primum conſcios ejus vario genere mortis, alios vitalibus exemptis necant, alios ab ima parte perfodiunt, ut mors eſſet vitæ conſentiens: poſt hoc in *eum* faciunt impetum, atque in latrina, ad quam confugerat, *occidunt*. Tractus deinde per publicum, annexoque pondere, ne fluitaret, in Tiberim abjectus eſt, ne unquam ſepeliri poſſet. *Occiſa cum eo & mater*, probroſiſſima mulier, & tali filio digna, cautumque ne unquam mulier in ſenatum ingrederetur. Vixit annos XVIII, exercuit infamem potentiam ultra triennium.

A. M. 4193. *Chr.* 223. *Dion. Caſſ. Hieron. in Catalogo ſcript.*

Ad eum *Julius Africanus*, Chriſtianus hiſtoriographus, legationem ſuſcepit pro inſtauranda Emmaunte, quæ Nicopolis dicebatur, & impetravit. Calliſtus Romanæ Eccleſiæ epiſcopatum accepit, ab Apoſtolis decimus quintus. *Euſeb. Chron.*

Alexander Severus.

Aurelius Alexander Arcena Syriæ urbe, patre Vario, matre Mammæa natus, ne unum quidem diem ſponte ſua tranſmiſit, quo ſe puer non & ad literas, & ad militiam exerceret. Itaque Imperator adoleſcens creatus, *amavit literatos homines, vehementer eos etiam reformidans, nequid de ſe aſperum ſcriberent.* Quamvis Senatu rogante non potuerit perſuaderi, ut vel Antonini vel Magni nomina ſuſciperet, tamen ob ingentem vigorem animi, & mirandam ſingularemque conſtantiam, contra militarem faſtum, *Severi* nomen à militibus ei inditum eſt. Sæpe enim legiones integras exautoravit, ex militibus Quirites appellans, nec exercitum unquam timuit, idcircò quod in vitam ſuam dici nihil poſſet, quaſi tribuni vel duces de ſtipendiis militum abraderent. *Miles*, dicebat, *non timet Imperatorem, niſi veſtitus, armatus, calceatus, & ſatur, & habens aliquid in zonulâ: At mendicitas militaris ad omnem deſperationem vocat armatum.* Removit omnes à Republica & à miniſteriis, quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpiſſimo provexerat, *neminem paſſus eſt in Palatio, niſi neceſſarium. Si de jure tractaret, aut de negotiis, ſolos doctos adhibebat, & diſertos. Si verò de re militari, milites veteranos, ac benè meritos, & locorum peritos, maximè eos qui hiſtoriam norant, requirens quid in talibus cauſis, quales in diſceptatione verſabantur, veteres Imperatores, vel Romani, vel exterarum gentium feciſſent.* Adorari ſe vetuit, blandius etiam appellantes, ut adulatores vel riſit, vel abjecit. *Invitos & non ambientes in Rempublicam collocandos*

Anno Chriſti 223. Mundi 4193. *Lampr. in Alexand. Severo. Herodianus l. 6.*

dos dixit, fures à Republ. pellendos pauperandosque, integros verò judices redimendos atque ditandos. Eunuchos tertium genus hominum esse, nec videndum, nec in usu habendum à viris, sed vix à fœminis nobilibus. Habuit in animo exoletos vetare, quod postea Philippus fecit: Item omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus, ut à vestitu dignoscerentur, simul ne servi ingenuis miscerentur. Sed hoc Domitio Ulpiano & Julio Paulo Juris Consultis, quorum consiliis maximè regebatur, displicuit, dicentibus plurimum rixarum fore, si faciles essent homines ad injurias. Moderationis tantæ fuit, ut omnibus se blandum affabilemque præberet. Objicientibusque nimiam civilitatem Mammææ matri, & uxori Memmiæ, dicentibusque: *Molliorem tibi potestatem & contemptibiliorem imperii fecisti*: respondit, *sed securiorem atque diuturniorem.* Milites quoque quos ostensionales vocabant, non pretiosis, sed speciosis vestibus ornabat: nec multum in signa aut ad apparatum regium auri & serici deputabat, dicens *imperium in virtute esse, non in decore.* Gemmarum quod fuit vendidit, dicens, *gemmas viris usui non esse; matronas regias paucis contentas esse debere.* Ad aurum colligendum erat attentus, ad servandum cautus, ad inveniendum sollicitus, sed sine cujusquam excidio. In Templis sanè nunquam præter quatuor aut quinque argenti libras, auri ne guttulam quidem aut bracteolam posuit, susurrans versum Persii, *In sanctis quid facit aurum?* Multis autem civitatibus, quæ post terræ motus deformes erant, ad instaurationem operum & publicorum & privatorum, pecuniam ex vectigalibus dedit. Ubi aliquos voluisset magistratus ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut *si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus: si non probasset, subiret pœnam capitis.* Dicebatque grave esse, cum id Christiani & Judæi facerent, in prædicandis sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus & fortunæ hominum committerentur & capita. Assessoribus salaria instituit, honoresque nunquam vendi passus est, dicens; *Necesse est ut qui emit, vendat. Ego non patiar, mercatores potestatum; quos si patiar, damnare non possum. Erubesco enim punire illum hominem, qui vendit, quod emit. Illi sunt promovendi, qui per se Rempublicam gerere possunt, non per assessores. Militares habent suas administrationes, habent literati; unusquisque hoc debet agere, quod novit.* Vetronium Turinum, quem familiarem habuerat, convictum persuasos ab eo homines, quod omnia ad nutum suum Imperator faceret, eventusque petitionum venditos, ligari ad stipitem præcepit, & fumo apposito, quem ex stipulis atque humidis lignis fieri jusserat, necari: præcone dicente: *Fumo punitur qui vendidit fumum.* Ovinio Camillo rebellionem molienti gratias egit, quod curam Reipublicæ quæ recusantibus bonis imponeretur, sponte reciperet. Deinde in senatu participem imperii appellavit, convivio adhibuit, ornamentis imperialibus & melioribus, quam ipse utebatur, affecit. Ad expeditionem Barbaricam, ut secum iret, hortatus, & ambulando & equitando fatigatum, carpento imposuit. Tandem seu timore, seu verè abdicantem imperium, & mori paratum dimisit, commendatumque militibus ad villas suas ire præcepit. Talia egit matris atque amicorum, quos habebat, eximiorum consilio, ut verè scripserit Marius Maximus: *Meliorem esse Remp. & propè tutiorem, in qua Princeps malus est, ea in qua sunt amici Principis mali. Siquidem unus malus potest à plurimis bonis corrigi, multi autem mali non possunt ab uno, quamvis bono ulla ratione superari.* Sed plurimum ei Christiana institutio profuit, cum mater ejus Mammæa *Origenem* quoque, celeberrimum tunc Christianorum doctorem *ad se accerseret*, multosque in aula haberet Christianos. Quantum enim Christianis detulerit Alexander,

Persius Sat. 1.

Euseb. l. 6. Hist. Eccles. c. 15. & 21. A. M. 4209. Chr. 230. Oros. l. 7. cap. 18. Lampr.

der, Lampridius ultrò fatetur, cum non tantum eis privilegia narrat indulta, ſed & Chriſto, & Abrahamo rem divinam factam in Imperatoris larario, adjunctis tamen Apollonio, Orpheo & id genus aliis, cum minori in larario Ciceronis, Achillis, & ſimilium imagines colerentur. Voluiſſe etiam Chriſto Templum facere Alexandrum, eumque inter Deos recipere, niſi metuiſſet, reliqua templa omnia deſerenda. Clamaſſe eundem ſæpius, quod à Chriſtianis audierat, idque per præconem, cum aliquem emendaret, dici juſſiſſe: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.* Imo hanc ſententiam uſque adeo dilexiſſe, ut & in Palatio, & in publicis operibus præſcribi eam curaret. Cumque publicum locum quendam Chriſtiani occupaſſent, dicentibus popinariis ſibi eum deberi, reſcripſiſſe: *melius eſſe ut quomodocunque illic Deus coleretur, quam popinariis dederetur.*

Herod. lib. 6.

Lampr. in Alex.

Talis ergo cum eſſet domi & foris, *iniit Parthicam expeditionem*, tanta diſciplina, tanta ſui reverentia, ut non milites, ſed ſenatores tranſire dicerentur. Vicitque potentiſſimum regem Artaxerxem, elephantos ducentem ſeptingentos, ex quibus trecentos cepit, ducentos interfecit. E mille & octingentis falcatis curribus, ducentos in poteſtatem redegit. Centum & octoginta millia equitum fudit. Terræ Interamnanæ, Meſopotamiæ ſcilicet receptæ, captivi Perſis, ſed acceptis preciis, redditi ſunt. Ingens tamen clades etiam Romanis illata, ſed quia Perſæ priores arma poſuêre, nec toto quadriennio campo ſe auſi committere penes Romanos victoria ſtetit. Actæ ſunt res feliciter, & in Mauritania Tingitana, per Furium Celſum & in Illyrico per Varium Macrinum affinem Alexandri, & in Armenia per Junium Palmatum. Sola de hoſtibus capta limitaneis ducibus & militibus donavit, ita tamen ſi hæredes illorum militarent, dicens, attentius eos militaturos, ſi etiam ſua rura defenderent.

Aurel. Victor. Eutrop. lib. 8. Rufus Feſtus in breviario.

Poſthæc *ad Germanicum bellum* profectus eſt, querens eam nationem imminere Reip. cervicibus, quæ minuſculis etiam Imperatoribus ſubjecta fuiſſe videretur. Cum ibi quoque ſeditioſas legiones comperiſſet, abjici eas præcepit. Sed Gallicanæ & Germanicæ mentes ſeveritatem hominis nimiam non tulerunt, hi præcipuè, qui Heliogabali præmiis efflorruerant. Ergo quieſcente eo poſt convivium, ingreſſus miles Germanus, cum intervigilantem offendiſſet, recurrit ad contubernales, ratuſque ſe non poſſe evadere, quod in tentorium principis irruiſſet, contubernales ad cædem exhortatur. Qui ſubito irrumpentes, in vico Sicila *eum* prope Moguntiam *cum matre interficiunt*, cum expleviſſet annos imperii XIII, vitæ XXIX. Hanc mortem ſibi à quodam prædictam contemſiſſe dicitur, *profeſſus pleroſque inſignes viros non quieta morte oppetiiſſe.* Apud eum quanquam plurimum poſſet *Ulpianus*, prætorio præfectus, tamen nocturna militum irruptione *confoſſus eſt.* Sed Epagathus necis Ulpiani cauſa, remotus ab Alexandro in Ægyptum, tanquam ad eam mitteretur regendam, callide in Cretam retractus, ibique condemnatus pœnam luit. Dioni quoque Hiſtoriographo, quod continenter Pannoniæ præfuiſſet, infenſi adeò erant milites, ut Conſulatum ei in urbe tuto gerere haud liceret: dimiſſuſque ob ægritudinem pedum, reliquum vitæ in Bithynia deinde exegit. Ejus hic hiſtoria deſinit. Erant & alii Alexandri familiares, & ſocii, diſcipuli Papiniani ſplendidiſſimi, Pomponius, Alphenus, Celſus, Venuleius, Modeſtinus, Africanus, Fabius, Sabinus, Calliſtratus, *viri amantes principis ſui, & qui de illo nec ipſi riderent, nec riſui eſſe vellent, qui nihil venderent, nihil fingerent, ad bonum facile conſentirent.*

A. M. 4206. *Chr.* 236. *Lampr. Euſeb. in Chron. Dio Caſſius Zoſim. l. 1.* A. M. 4196. *Chr.* 226.

Lampr. in Alex. ſub fin.

Calliſtum vel Calixtum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum ſanciviſſe: Urbanum argentea induxiſſe vaſa, & prædia fundoſque à Chriſtianis oblatos recepiſſe, tradunt ſcriptores, ſed non horum temporum, Euſebius nec martyrii Calliſti memi-

meminit, nec ſucceſſoris ejus Urbani, quos tamen ſanguinem pro Chriſto fudiſſe Damaſus, & poſt eum Marianus Scotus, Platina, Sabellicus, Nauclerus, aliique ſcripſere. Sed nobis ea, quæ à ſuorum temporum hiſtoriographis nec fidem, nec probabilitatem habent, in literas mittere religio eſt.

Julius Maximinus.

Aurel. Victor. Lampr. in Severo Alex.

HActenus imperium Romanum à Romulo ad Septimium certatim evolans, Baſſiani conſiliis tanquam in ſummo conſtitit. Quo ne confeſtim laberetur, Alexandri fuit. Abhinc dum domandi ſuos, quam ſubigendi externos cupidiores ſunt, atque inter ſe armantur magis, Romanum ſtatum quaſi abrupto præcipitavêre, quemadmodum Johannes Apoſtolus Apocalypſi ſua globum montis ignitum, in mare populorum præcipitio ruentem vidit, ex quo pleraque gentium ſanguine cruentata, naves Rerumpublicarum corruptæ.

Apoc. 8.

Etenim immiſſi in imperium promiſcuè boni malique, nobiles atque ignobiles, ac Barbari multi. Quippe *ubi paſſim turbata confuſaque omnia, neque ſuo feruntur modo, quique fas putant, uti per turbam, rapere aliena officia, quæ regere nequeunt, quæque inſcientia bonarum artium fœde pervertunt.* Itaque abhinc Auguſti ſemeſtres vel annui, plerique per biennium, ad ſummum per triennium vel ſexennium, & vis fortunæ licentiam nacta, poſtquam penè omnes flagitiis ſubacti ſunt, etiam infirmis genere inſtitutoque publica permiſit, donec Chriſtianiſmus rerum potitus feſſum cladibus orbem ſub Conſtantino reſtauravit.

Verba Aurel.

A. M. 4206. *Chriſti* 236. *Julius Capit. in Max. Eutrop. lib. 6.*

Igitur occiſo Alexandro, *Maximinus* Thrax, patre Gotho, matre Alanâ genitus, robore & virtute militari ad ducatum provectus, nondum ſenator, ſine decreto ſenatus, primus è corpore militari Auguſtus ab exercitu appellatur, filiumque corpore pulcherrimum, animo deformem, ſibimet ſocium dicit. Hic conciliatis omni arte militibus, cum propter ignobilitatem gĕneris contemni ſe à Senatu crederet, imperium ſola crudelitate teneri poſſe ratus, ſine delectu dignitatis ſupplicia exercuit. Ac *tantum degeneris animi conſcientia apud eum valuit, ut omnes ſui generis conſcios necaret*, etiam amiciſſimos, parum memor, *multos ei cavendos, qui ſingulos interficit.* Comperta deinde ſeu ficta (nam utrumque traditur) Magni cujuſdam conſulatus factione, ſine judicio, ſine defenſione, plus quatuor millibus hominum occiſis, ſe ſatiare non potuit ferarum more, quæ vulneratæ magis exulcerantur. Sed ut Alexandri gloriam vinceret, Germaniam ingreſſus Tranſrhenanam, vicos per quadringenta millia ſoli hoſtilis incendit, greges abegit, militem divitem reduxit, plurimos interemit, cepit innumeros. Inde Sirmium venit, Sarmatis inferre bellum parans, atque in animo habens, uſque ad Oceanum Septentrionales partes in Romanam ditionem redigere. At cum Romani ejus crudelitatem ferre non poſſent, quod ſubornato accuſatore conſulares viros & duces multos interimeret, contra eum defectionem parant. Nec ſolum Romani, ſed, quia & in milites ſæviebat, exercitus, qui in Africâ erant, ſubita & ingenti ſeditione, *Gordianum* ſenem octogenarium, virum graviſſimum, qui erat proconſul, Imperatorem faciunt. Et quidem primò invitus Gordianus, cogente eum turba, quæ procuratorem Maximini ob avaritiam necârat, purpuram ſumpſit; poſtea vero cum vidit neque filio, qui legatus erat, nēque familiæ ſuæ tutum id eſſe, volens ſuſcepit imperium, & appellatus ab omnibus Afris Auguſtus cum filio, apud oppidum Tyſdrum inde Carthaginem venit cum pompa regali, literaſque Romam miſit ad ſenatum, quæ in odium Maximini gratanter ſunt acceptæ. Interfecti deinde omnes delatores, omnes amici Maximini: Maximinus ipſe cum filio hoſtis appellatus, miſſæ ad omnes provincias literæ, ut communi ſaluti libertatique ſubveni-

Herod. lib. 7.

Capitolinus in Gord.

Capitolinus in Gord.

rent. Tacitum id senatus consultum videbatur, adjuratis qui aderant, ne quis eliminaret. Sed statim omnia comperit Maximinus, *ut habent se hominum mentes, erubescentium sæpè, non cognosci per se ea quæ sciunt, & humiles se putantium, nisi commissa prodant arcana.* Igitur homo naturâ ferus sic exarsit, ut non hominem sed belluam putares, inducendæque oblivioni injuriæ vino esset obruendus. A quo cum resipuisset, muneratus milites Romam iter intendit.

A. M. 4208. Christi 238.

Interim *Gordianus* in Africa primum à Capeliano quodam agitari cœpit, cui Mauros regenti successorem dederat. Contra eum misit filium, quem quum acerrima pugna interfectum comperisset, ipse laqueo vitam sibi abrupit, sciens & in Maximino multum esse roboris, & in Afris nihil virium, multum quinimò perfidiæ. Tunc Capelianus Victor pro Maximino, omnes Gordiani partium in Africa aut interemit, aut proscripsit, nec cuiquam pepercit, prorsus ut ex animo Maximini videretur illa facere. Civitates denique subvertit, fana diripuit, donaria militibus divisit, plebem & principes civitatum concidit, præludens ad imperium, si Maximinus periisset. Hæc ubi Romam nunciata sunt, senatus Maximini & naturalem, & jam necessariam crudelitatem timens, *Maximum*, qui & *Pupienus*, ex præfecto urbi, ignobilem genere, sed virtutibus clarum, & Clodium Balbinum, moribus delicatiorem, *Imperatores creavit.* Quibus à populo Augustis appellatis, per milites & eundem populum, etiam parvulus nepos Gordiani è filio, Cæsar est adjunctus.

Herodianus lib. 7. Capit. in Balbino.

Profecto igitur ad bellum Maximo, Balbinus Romæ seditionibus urgetur, Gallicano & Mecænate senatoribus in prætorianos irruentibus, quod curiæ secreta rimarentur, populo viciſſim à prætorianis laniato, magna denique urbis parte incensa, plateis omnibus cruore pollutis. Cum Balbinus per senectutem sedare tumultum nequiret, viso tandem Gordiano conquievit.

Maximinus Italiam ingressus, sublatis per provinciales omnibus quæ victum præbere possent, fame cœpit laborare, Aquileia portas ei clausit. Ea civitas oppugnationem fortiter sustinuit. Cumque nervi ad emittendas sagittas deessent, funes de capillis mulierum fecit, unde postea, victo & interempto Maximino, Romana civitas appellata est. Maximinus suspicatus ignavia suorum bellum trahi, duces suos interemit eo tempore, quò minimè oportebat, militesque jam ob famem murmurantes ex iratis iratiores reddidit. Itaque medio forte die cum à prælio quiescerentur, & *Maximinus & filius* ejus quiescentes in tentorio *occiduntur* conclamantibus cunctis militari joco, *ex pessimo genere ne catulum habendum.* Capita eorum contis præfixa, & Aquileiensibus monstrata, inde Romam missa sunt, ingenti Romanorum lætitia, dolore Barbarorum. Juniori Maximino superbia imprimis obfuit, qua ipsum patrem superabat, genua & pedes nonnunquam sibi osculari passus, cum senior, licet atrociſſimus diceret: *Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis osculum figat.* Cadavera eorum in profluentem missa, capita in campo Martio, insultante populo, exusta. Hic finis Maximinorum fuit, vita eorum dignus. Nam præter alia cruenta, *sævitum est* eorum imperio *in Ecclesiæ Christianæ præpositos*, tanquam doctrinæ ipsius duces, quorum tunc non pauci pro Christo oppetierunt. Ne plures occiderentur, divina providentia obstitit, quæ ante expletum triennium violentam dominationem obtrivit.

Julius Capit. Max. Item in Max. & Balbino. Herod. lib. 8.

Anno eodem.

Julius Cap. in Max.

A. M. 4206. Christi 236. *Euseb. l. 6. Hist. Eccl. cap. 21. Oros. lib. 7. c. 19.*

Antonius Gordianus.

SEnatus autem Romanus, *ne in timore potius quam in virtute opprimeretur*, de corpore suo Maximum & Balbinum Imperatores creaverat. Sed eos populus, severitatem Maximi veritus, non prius permisit stipatos armis in palatium ire,

A. M. 4209. Anno Christi 239. *Julius Capit. in*

Maximo, & Balbino. Herod. l. 7. & 8.

ire, quam nepotem Gordiani, qui perierat, Cæsarem nuncuparent, agentem tunc, ut plerique tradunt, ætatis annum decimum quartum.

Maximo pater fuerat faber ferrarius aut lignarius, sed per militarem industriam summi primum honores, tandemque imperium ei obtigerat, confitente omnibus senatu, eo tempore aptiorem Romæ ad principatum esse neminem: *Judicii tenax fuit Maximus, neque aliis potius quam sibi credidit, nunquam iratus, nisi cum decuit, factionibus se nunquam præbens.* Balbinus nobilissimus, multarum rector provinciarum, bellicis rebus minor, bonitate & verecundiâ majorem sibi amorem conciliaverat. In voluptatibus nimius, adjuvante divitiarum abundantiâ voluntatem. Sed neuter gratus militibus, quod eum Imperatorem, quem ipsi legerant, perdiderant, & eos habebant, quos legerat senatus: inde etiam frementibus ad senatus acclamationes, quibus dicebatur Maximo, magnificè urbem intranti; *Sapienter electi Principes sic agunt, per imperitos electi sic pereunt.* Cum ergo jam paratum esset, ut contra Parthos Maximus proficisceretur, Balbinus contra Germanos, puer autem Gordianus Romæ remaneret, milites occasionem quærentes, occidendorum Principum, discordiis eorum sunt usi, quod Balbinus Maximum quasi ignobilem contemneret, Maximus Balbinum quasi debilem calcaret. Ergo nacti occasionem Maximum invadunt, cui Balbinus præsidium non misit, suspicatus id contra se peti; quibus inter se contendentibus, superveniunt plures, necatisque ambobus, cum insultatione senatus & populi Gordianum Augustum appellant, & in castra se recipiunt. Mox indicium non diu imperaturi Gordiani fuit, *eclipsis solis* facta tanta, ut mox crederetur, neque sine luminibus accensis agi quidquam posset. Hic est annus, ut habet Censorinus de die Natali, ab Olympiade prima millesimus & quartus decimus, ex diebus duntaxat æstivis, quibus agon Olympicus celebrabatur, à Roma autem condita CCIↃXCI, & quidem ex Parilibus, unde urbis anni numerantur. Eorum verò annorum, quibus Julianis nomen est, CCXXCIII: Sed ex die Kal. Januar. unde Julius Cæsar anni a se constituti fecit principium. Ab excessu Alexandri Magni DLXII, sed quorum initia sunt à primo die mensis Thoth apud Ægyptios, qui hoc anno fuit ante diem VII Kalend. Julii. Quam temporum annotationem ex Censorino, illius scriptore, adjiciendam duximus. Anno sequenti Venusto & Sabino Coss. (verbis loquar Capitolini) inita est factio in Africâ, contra Gordianum tertium, duce Sabiniano, quem Gordianus per præsidem Mauritaniæ obsessum à conjuratis, ita oppressit, ut ad eum tradendum Carthaginem omnes venirent, & crimina confitentes, & veniam sceleribus postulantes. Finita igitur sollicitudine in Africâ, Gordiano jam iterum & Pompeiano Coss. *bellum Persicum* nascitur, quod Sapores Persa, successor Artaxerxis, Parthis Mesopotamiam & Syriam raptando, inferebat. Quare adolescens Gordianus priusquam ad bellum iret, uxorem duxit, filiam Misithei, doctissimi viri, quem causa eloquentiæ dignum parentela sua putavit, & præfectum statim fecit. Post quod non puerile jam & contemptibile videbatur ejus imperium: siquidem & optimi soceri consiliis adjuvaretur, & ipse pro ætate aliquantulum saperet, nec per spadones ac ministros aulicos matris, vel ignorantiæ conniventia amplius venderetur. *Miser est enim Imperator* (prout ipse Gordianus ad Misitheum scripsit) *apud quem vera reticentur: qui cum ipse publice ambulare non possit, necesse est ut audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata confirmet.* Secutus est *terræ motus* eousque gravis, ut civitates cum populis terræ hiatu deperirent, ob quæ sacrificia per totam urbem totumque orbem terrarum, ex libris Sibyllinis celebrata. Aperto deinde Jano (quod signum erat indicti belli) in Mœsiam itum

Capit. in Gordiano tertio.

Censorinus c. 21.

A. M. 4210. *Christi* 240. *Agathias l. 1. Capit. in Gordian. 3 Zosim. lib. 2.*

itum est, & quicquid hostium in Thraciis fuit, deletum. Inde per Syriam in Antiochiam venit Gordianus, quæ à Persis jam tenebatur. Illic frequentibus præliis pugnavit & vicit; submoto Sapore, Artaxansem, Antiochiam, Carras, & Nisibin recepit, quæ omnia sub Persarum imperio erant. Effectum denique est, ut Persæ, qui jam in Italia timebantur, in suum redirent regnum, totoque cederent Oriente. Sed hæc omnia per *Misitheum* socerum Gordiani, eundemque præfectum gesta, cujus viri tanta in Republica dispositio fuit, ut nulla esset civitas limitanea potior, quæ non posset per annonam eò convectam, exercitum populi Romani ac Principem ferre. Sed insaniente adhuc mundo in cultu numinum, felicitas illa longior esse non potuit. Exstincto enim seu morbo, seu Philippi artibus Misitheo, deducti sunt in ea loca milites, in quibus annonari non posset. Hinc imperitiam Gordiani perosus exercitus, imperium *Philippo* mandavit, præfecto prætorii, jussitque ut quasi tutor pariter cum ipso imperaret. Sed cum Philippus se contra Gordianum superbissimè ageret, ille conquestione apud milites non tantum nihil egit, sed quod curæ eorum famis causa vehementes essent, privatus etiam imperio est, & paulo post, jubente ac connivente Philippo, occisus sexennio imperii, juvenis egregius, prorsus ut nihil præter ætatem ei ad imperium deesset. Familiæ Gordiani hoc senatus decrevit, ut à tutelis atque legationibus, & à publicis necessitatibus, nisi si vellent, posteri ejus semper vacarent. Quicunque illum gladio appetiverant (qui novem fuisse dicuntur) postea sua manu, suisque gladiis, & iisdem quibus illum percussérant, feruntur interisse. Titulus Gordiano positus in finibus Persidis, Græcis, Latinis, Persicis, Judaicis, & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur: *Divo Gordiano Victori Persarum, victori Gothorum, Victori Sarmatarum, depulsori Romanarum seditionum, Victori Germanorum, sed non Victori Philipporum.*

Capitol. Aurel. Victor. Eutrop. lib 9. Oros. l. 7. cap. 19. A. M. 4215. Christi 245. Rufus Festus brevia.

Tunc Pontiano in Sardiniæ exilio, Anthero autem in Maximini tyrannide peremptis, successit in Episcopatu Romano *Fabianus*, qui cum nuper rure in urbem commeasset, columbæ in ipsum devolantis omine dignitatem assecutus est. Origenes Athenodorum fratremque ejus Theodorum (qui & Gregorius Thaumaturgus postea) discipulos Cæsareæ habuit: & Beryllum Bostrensem in Arabia Episcopum, negantem Christum fuisse, ante, quam in humanam carnem immigraret, ab errore in viam reduxit. *Euseb. Histor. Eccl. l. 6. cap. 22.*

Florebant tunc *Historiographi* Herodianus Alexandrinus, Arrianus, Dexippus Græci. Vulcatius Terentianus, Curius Fortunatus, Serenus Sammonicus Latini, quorum Capitolinus in Gordianorum historia meminit.

M. Julius Philippus Cum filio.

Anno Christi 245. Mundi 4215. *Aurel. Victor. Zonar. T. 2. Eutrop. lib. 9.*

M. *Julius Philippus* Arabs Trachonites, ortus patre nobilissimo latronum ductore, in consortium sumsit *filium* puerum, eumque pro Caio Julio Saturnino C. Philippum appellavit. Hinc rebus ad Orientem compositis, conditoque apud Arabiam Philippopoli oppido, quæ quondam Bozra fuerat, Romam venit. Ibi extructo trans Tiberim lacu, quod eam partem aquæ penuria fatigabat, annum urbis millesimum ludis omnium generum celebravit. Exhibiti elephanti triginta duo, alces decem, tigres decem, leones mansueti LX, leopardi mansueti XXX, hyænæ decem, gladiatorum fiscalium paria mille, hippopotamus & rhinoceros unus, archoleontes decem, camelopardali decem, equi feri quadraginta, & cætera hujusmodi animalia innumera & diversa, quæ Gordianus antea ad triumphum Persicum paraverat. Cum Pontificum lege hostiæ mactarentur, suis utero maris fœminarum genitalia apparuêre. Id haruspi-

Julius Cap. in Gord. tertio Cass. in Chron.

haruſpices ſolutionem poſterorum portendere, vitiaque fore priora interpretati.

Aurel. Victor. Lampr. in Alex. Quod fruſtratum iri æſtimans Philippus, uſum virilis ſcorti removendum honeſtiſſimè conſultavit. Veruntamen manet, inquit Aurelius, quippe conditione loci mutata pejoribus flagitiis agitur, dum *avidius periculoſa, quibuſque mortales prohibentur, petunt.* Sed ignoraſſe patet verum aruſpices, molliſſimum quemque beatum fore dicentes, Satanæ haud dubio inſtinctu. *Pudore enim amiſſo, fortunatus quis eſſe poteſt?* Philippus, tradente ex fama Euſebio, Chriſtianiſmum amplexus eſt, ſed non admiſſus ob ſcelera, quibus maculabatur, donec inter pœnitentes humiliter anteactorum veniam petiit. Filius ejus adeò ſeveri & triſtis animi dicitur fuiſſe, ut tener adhuc nullo prorſus cujuſdam commento ad ridendum ſolvi potuerit, patremque ludis ſecularibus petulantius cachinnantem, vultu notaverit averſato. Forte ex Chriſtiana inſtitutione inſolitam morum gravitatem traxit, quam in multis tunc velut miraculo fuiſſe, Origenes contra Celſum teſtis eſt. Cæterum Philippus Priſcum fratrem Syriacis exercitibus, Severianum generum Myſiæ Macedoniæque præfecit. Ipſe adverſum Carpos profectus, Iſtri vicina populantes, victos in fœdus recepit. Sed abeunte Philippo, Myſorum & Pannoniorum legiones Marinum, Orientales avaritiam Priſci non ferentes, Jotapianum Imperatorem creant. Tertius Philippus, & jam de deponendo agitans imperio, confirmatur à Meſſio Decio, rebelles deturbat. Decium in Pannoniam mittit, caſtigaturum ibi factionis Marini complices. Illi in rem ſuam rati, beneficio vincere Decium, qui pœnas ſumpturus venerat, imperare eum ſibi compellunt, & in Philippum contra tendentem infeſto agmine pergunt. *Philippus*, filio urbi relicto, quanquam debili per ætatem corpore, confligit apud Veronem cum Decio, pulſoque & amiſſo exercitu *cadit*. Queis Romæ compertis, apud caſtra prætoria *filius* duodecimum agens annum *interficitur*. Annos potentiæ ſex egêre.

Euſeb. l. 5. c. 27. & in Chron. Oroſius l. 7. c. 20.

Origen. contra Celſum lib. 3.

Aurel. Victor.

A. M. 4020. Chriſti 250.

Hoc demum tempore quum vehementer augeſceret fides Chriſtiana, *Origenes* jam ſexagenarius per notarios exigi dictata ſua, & in lucem edi paſſus eſt. Confutavit & Arabum hæreſin, animas cum corporibus exſtingui, pariterque cum iis reſurrecturas delirantium. Confutavit & Helceſaitas, Paulum Apoſtolum improbantes, & ſatis eſſe dicentes, ſi quis corde fidem teneat, etiamſi eam ore non confiteatur. Tunc etiam *Plotinus* Philoſophus, & *Dionyſius Alexandrinus* Epiſcopus efflоruêre.

Euſeb. l. 6. c. 28. Suidas.

Decius cum Filio.

Anno eodem. Aurel. Victor. de Cæſaribus & in Epitome.

Decius è Pannonia Syrmienſium vico ortus, militiæ gradu ad imperium conſpiraverat, lætiorque hoſtium nece, filium Hetruſcum nomine Cæſarem facit: ſtatimque eo in Illyrios præmiſſo, Romæ aliquantum moratur, mœnium gratia, quæ inſtituit, dedicandorum. Atque ut erat oſor Philippi, qui Chriſtianis faverat, odium in ſanctos evomuit, ad ſupplicia eos rapi imperans, aliis contra placidus & communis, inque armis promtiſſimus. Interea ad eum Jotapiani, qui Alexandri tumens ſtirpe, dum per Syriam tentaret nova, militum arbitrio occubuerat, ora, uti mos eſt, inopinatâ feruntur, ſimulque per eos dies Lucio Priſco, qui Macedonas præſidatu regebat, delata dominatio, Gothorum concurſu, poſtquam direptis Thraciæ pleriſque illo pervenerant. Qua cauſa Decio, quam potuit maturrimè, Roma digreſſo, *Julius Valens* cupientiſſimo vulgo imperium capit. Verum utrique mox cæſi, cum Priſcum nobilitas hoſtem patriæ cenſuiſſet.

Jornan. de rebus Geticis. Zoſim. l. 1. Zonar. tom. 2.

Tunc Gothi è Scanzia quondam inſula progreſſi, è fœderatis hoſtes Romano populo effecti. Inter Scanziæ populos numerat Jornandes Oſtrogothas, Fin-

nos, Suetidos, Cogenos, Danos. Expulsos à Danis Herulos, eosque ob proceritatem inter Scanziæ nationes nomen sibi affectare præcipuum. Ex iis tunc Gothi, ob detracta stipendia, Mœsiam vastabant, Cniva duce. Itaque Vibius Gallus à Decio Tanaidis ripæ præficitur, Imperator ipse in Gothos vadit, eosque aliquot præliis superat. Tandem omni eos præda exuere, intercluſis itineribus conatur, sed frustra. Nam Cniva Philippopolim, à Philippo nuper conditam expugnat, Priscum urbi præsidentem sibi jungit, *Deciique filium* in conflictu *interficit*. Decius cum perculsi milites ad solandum eum multa præfarentur, dixisse fertur: *detrimentum unius militis parum videri sibi*. Tamen paternum non ferens affectum hostes invadit, delususque à Gallo apud paludem eos aggreditur: Ubi *circumseptus à Gothis voraginibus hauritur, ita ut nec cadaver ejus potuerit inveniri*. Qui Christum oppugnant reges, ita pereunt. Imperavit menses triginta. Succeſſit Gallus impietati, & imperio, & exitio.

A. M. 4222. Christi 252.

VIBIUS GALLUS *Et* VOLUSIANUS.

Anno Christi 252. Mundi 4222. *Zozim. lib. 1. Johannes Zonar. tom. 2. Aurelius Victor. Euseb. l. 7. c. 1. Jornandes de rebus Geticis.*

GALLUS non tantum Gothis prædam & captivos, quos de Romanis ceperant, permisit, sed etiam annuam sibi pensionem stipulatus, recepit in fœdus. Inde Romam profectus, cum filium *Volusianum* Cæsarem creasset, & Hostilianus, cui Senatus Augustum nomen dederat, pestilentia interiisset, Decii filium alterum adoptat, adoptatum interficit, scilicet, quasi ideo eum adoptasset, ut securius agentem sceleratius interficeret. Quum autem negligenter Imperium administraret, grassareturque etiam in Christianos, vota pro ipso facientes quotidie, divinam irritavit manum. Nam Scythæ Macedoniam Thessaliamque & Græciam pervagati, usque ad Ephesum omnia diripiebant; Gothi quoque & Borani, cum Burgundis & Carpis, reliqua percurrebant Europæ; & Persæ, occupatis Mesopotamia Armeniaque, Antiochiam ipsam Orientis metropolin expugnabant. Nec minus bello lues ex Æthiopibus orta, quicquid erat humani generis reliquum, depascebatur, totos XV annos sæviens. Ea Romam vastante, Gallo Volusianoque favor quæsitus, quod anxie studioseque tenuissimi cujusque exequias curarent.

Christianis interim certamina pro pietate decertabantur, quibus multi ingenti cum piorum luctu succubuerunt. Romæ quidem Fabianus, Antiochiæ Babylas, Hierosolymæ seu Æliæ Alexander, Episcopi: Alexandriæ Apollonia virgo, & infiniti alii, Decio adhuc regnante, generose usque ad mortem perstiterunt in veritate: At Origenes Alexandrinus, doctor omnium sui seculi clarissimus, cum reliqua tormentorum ludibria superasset, ne Æthiopi daretur stuprandus, animum sacrificio idolorum polluit. Quem lapsum cum lacrymis confessus publicè, docere deinceps noluit. Sic vita functus annorum duodeseptuaginta, acerbas posteritati & spinosas quæstiones, pestilentiumque opinionum ova discipulis excludenda reliquit. Nam nec de Filii DEI æqualitate cum Patre, nec de regno ejus, sanorum verborum formam servavit.

A. M. 4228. Christi 258. *Euseb. l. 6. c. 32. 33. 34. Zonar. Tom. 2.*

Exstitit eadem tempestate *Novatus* Presbyter, & mox suæ factionis Episcopus, qui lapsis in persecutione veniam denegavit. Hic cum Romæ & alibi multos erroris contagione inficeret, qui Catharos se, id est puros insolenter appellabant, Cornelius Romanorum Episcopus LX Episcoporum Synodo convocata, cætu eum exclusit sacro, & Fabium Antiochenum rerum gestarum admonuit. Convenere igitur accitu Heleni Tarsensis, Dionysius Alexandrinus, Firmilianus Cæsareæ Cappadocum, Theoctistus Cæsareæ Palæstinæ, Demetrianus Antiochiæ, Episcopique alii Orientales, & Novati dogma condemnarunt: quibus etiam

Euseb. l. 6. c. 35.

Euseb. l. 6. c. 38. & l. 7. c. 2. 4.

Euseb. l. 7. cap. 5. etiam Cyprianus & Afri doctores plerique adstipulati sunt. Suborta est etiam in Pentapoli Libyæ hæresis Sabellii, quæ Noëti quondam atque Praxeæ fuerat, eundem Christum dicentium & Spiritum Sanctum qui Pater est, & Patrem quoque passum; unde à quibusdam Patripassiani cognominantur.

Æmylius Æmylianus.

Zosim. lib. 1. Zonar. Tom. 2. Aurel. Victor. Eutrop. lib. 9. A. M. 4224. Chr. 254.

Gallo & Volusiano Romæ morantibus, *Æmylius Æmylianus* legionum Pannoniæ dux, genere Maurus, pugnax, nec tamen præceps, cohortans milites, ne nomen Romanum Scythis conculcandum darent, præter exspectationem hostes concidit, partisque opimis spoliis, legiones in ipsas Scytharum regiones traduxit. Ab iis creatus Imperator in Mœsia, senatui per legatos pollicetur, se Barbaros Thracia, Persas Asia Syriaque expulsurum, ac pro duce tantum militiæ futurum, imperio senatui relicto. Sed ad eum expugnandum Gallus & Volusianus cum exercitu eunt, Licinio Valeriano ad Germanorum copias adducendas ablegato. Æmylianus properato itinere Italiam ingressus, nullo labore victoriam obtinuit. Corrupti enim spe præmii amplioris milites, qui cum Gallo & Volusiano erant, simul quia immodici per luxum lasciviamque officia benevolentiæ corruperant, ambos Interamnæ occidunt, & ad Æmyliani transeunt partes. Biennium illis potestas manserat. Æmylianum proceres primò hostem, dein exstinctis superioribus, pro fortuna, uti solet, Augustum appellarunt, mox ejusdem fortunæ pilam & ludibrium futurum. Nam iisdem, quibus acceperat potestatem, artibus cum vita eam amisit, trimestris Imperator, exercitu ad Valerianum inclinante, qui generis nobilitatem & morum innocentiam cum imperio conjuncturus videbatur, Æmyliano militem magis, quam Cæsarem agere ignaro. Ergo qui imperium Æmyliano dederant, Vibii Galli odio, mox & vitam ei & imperium auferunt, favore Valeriani.

Inter Ocriculum Narniamque cæsus est apud pontem, qui ab ejus cæde sanguinarium nomen accepit, militaris perfidiæ documentum. *Aurel. Victor. de Cæsaribus.*

Licinius Valerianus, Et Gallienus.

Licinius Valerianus, Censor antea publico Senatus & Decii testimonio lectus, quod ejus vitam censuram diceret, per omnes dignitatum gradus, ad summum in terris gradum adscendit, non tam tumultuario populi aut militum strepitu, quam jure meritorum & quasi ex totius orbis una sententia. Ejus filium *Gallienum* Senatus Romæ Cæsarem creavit. *A. M. 4224. Chr. 254. Trebell. Pollio in Valeriano.* *A. M. 4229. Chr. 259.*

Principio omnibus gratissimus, eâ Christianos benignitate complectebatur, quantâ nemo ante eum Cæsarum, totaque ejus domus planè Ecclesia Dei erat. Verum depravatus à principe quodam Magorum Ægyptio, & ærarii præfecto Macriano, cœpit impuras obire ceremonias: profanas exercere præstigias, nefanda mysteria exequi, tenera infantium dissecare viscera, Christianos variis exagitare suppliciis, octavus post Neronem persecutor, Domitiani, Maximini, Decii impietatis æmulator. Ita Cyprianus è Rhetore Episcopus Carthaginiensis, Sixtus vel Xystus Romanus, Laurentius Diaconus, crate ad ignem tostus, alii aliis tormentis absumpti: sanguinemque suorum mox Deus ultor excepit. *Euseb. l. 7. Hist. c. 9.* *Prudent. de Coronis.*

Nam simul bellum & lues, quæ aliquantulum remiserant, incubuere orbi. *Impietas enim flagella quidem excruciata senserat, sed à quo flagellaretur, obdurata contemserat. Pestilentiam communis casus esse, accidentemque ex morbis mortem, naturæ dicebat finem, non pœnam.* Quare tantis undique cladibus sævitum, ut iratum Deum profanissimæ etiam gentes intelligerent. *P. Oros. lib. 7.*

Zosim. l. 1. Primum Scythæ suis iterum sedibus effusi, cum Marcomannis, Macedoniam Græciamque incursant, Thessalonica ægrè se tuente, Athenienſibus muros tum demum post Syllanam cladem reparantibus, Peloponnesiis Isthmum munientibus. Borani, Gothi, Carpi, Burgundi, nullam nec Italiæ, nec Illyrici oram à vastationibus immunem relinquunt. Hinc Borani cum Scythis per Bosphorum in Asiam penetrant, & à Successiano duce modicum reprimuntur.

Trebell. in 30. Tyran. Ergo Valerianus Gallienum filium Augustum creat, alterum Cornelium Valerianum Cæsarem; Gallieno Occidentem tradit, ipse in Orientem adversus Persas proficiscitur, qui instigante Cyriade, in solum Romanum irruerant, captisque Antiochiâ & Cæsareâ, Cyriadem dixerant Imperatorem, hominem perfugio, parricidio, tyrannide, luxuria, tandemque digna sceleribus suis morte clarum. Sed nihil feliciter provenit Valeriano, quanquam Cyriadem sui interfecerant. Nam cum Successianum prætorio admovisset, eo amoto regressi in Pontum, & Asiam Borani, Trapezuntem urbem cum innumera hominum opumque multitudine capiunt, avectaque prædâ auctiores, Chalcedonem, Nicomediam, Nicæam, Chium, Apamæam, Prusam expugnant, diripiunt, incendunt. Va-

Zosim l. 1. lerianus per Mesopotamiam interim anceps & diuturnum instruebat bellum. Inde adversus Scythas in Cappadociam usque progressus, attritis duntaxat in transitu oppidis, stolidus multumque iners pedem refert inglorius.

Tandem lue corripiente exercitus, eorumque majori parte absumpta, Sapores Orientem aggressus, exitio dat o-

Trebell. Pollio. Euseb. l. 7. c. 9. mnia, Valerianus imparem se viribus conspicatus, pecunia placare Barbarum conatur. Sed proditus Sapori ab eodem Macriano, qui in Christianos eum armaverat, ignobili servitute consenuit. Quamdiu vixit, incurvati Valeriani cervicibus pedem imponens Sapores, equum adscendebat, nec ullis precibus aut pretio adduci potuit, ut Romanis suum principem restitueret, Armeniorum Caduſiorumque regibus moderatè fortunâ utendum, frustra eum monentibus. Ad extremum detracta cute fœdè laniatum interfecit, ac infeliciſſimus principum à filio Gallieno in Deos relatus est, quasi Deum facere posset, quem liberum facere aut nequiverat, aut neglexerat. Etenim Gallienus, capto patre, velut amoto censore lætatus, satis duxit Odenato, Palmyrenorum principi, Orientis relinquere ducatum, ipse ganeis & ludis vitam deputavit. Igitur Macrianus, cum filiis Macriano & Quieto, rapit imperium, autore Balista, qui prætorio præerat, & Pisonem in Achaiam destinat ad Valentem, qui proconsulari illic imperio erat, tollendum.

Zonar. Tom. 2. Aurel. Victor. Trebell. Pollio. Sub idem tempus Gallienus, cum à Gallia & Italia Germanos, Ravennam usque progressos, prosperè arcuisset, in Illyricum properans discedit, ubi Ingenuum, comperta Valeriani clade, imperandi cupido incesserat. Hunc Mursiæ devicit, tanta in Mœsiacos milites ac cives sævitia, ut pleraſque civitates virili sexu vacuaret. Quamobrem autoribus Mœsiis, Regilianus prosiliit ad imperium, receptisque militibus, quos Mursina clades reliquos fecerat, duplicat bellum. Sed hic quoque timore provincialium, instinctu Roxolanorum periit.

Interim Valens, sumto contra Pisonem, jam in Thessalia purpuratum, dominatu, interemit hominem, & mox ipse vicissim à militibus interimitur. In Illyrico Aureolus, vir fortissimus, coactu militum purpuram accipit, frustra oppugnante eum Gallieno; indignante Macriano, qui quidem ad eum opprimendum ex Asia in Illyricum advolavit, cum XLV millibus, præsertim quod Gallienus, metu Posthumii, pacem cum Aureolo faceret. Sed Macrianus conser- *Trebell. Pollio in 30 Tyr.* ta manu à Domitiano, Aureoli duce, victus, cum filio & copiis suis periit, XXX militum millia in potestatem Aureoli concessere.

Eodem-

Eodemque tempore Quietus, alter Macriani filius, & Baliſta, ab Odenato oppreſſi exſtinctique ſunt. Has Valeriano & Chriſtianis pœnas dedit Macrianus, reſplenduitque iterum Gallieni imperium, ac benignitatis in Chriſtianos præmium tulit, quibus late per omnes provincias pacem promulgaverat, & cœmiteria agendis conventibus reddi præceperat: quam ob cauſam diuturnius ei imperium dari à DEO, quam prædeceſſoribus, palàm teſtabatur Dionyſius Alexandrinus, vehementiſſimis antea Æmyliani minis agitatus, ut Chriſti fidem ejuraret. Sed & idem Æmylianus hoc tempore ſupplicium pependit. Cum enim plurimos Chriſtianorum per Ægyptum, cui præerat, & Thebaidem, variis tormentis excarnificaſſet, orta per Ægyptiorum levitatem ſeditione, ob curatoris cujuſdam ſervum plagis affectum, in tantas venit anguſtias Æmylianus, ut undecunque ſibi pereundum decerneret. Igitur arrepto operâ Transthebaitanorum militum imperio, multa oppida fame preſſit, accenditque acrius ſeditiones, uti Dionyſius Alexandriæ Epiſcopus tutiora Arabiæ deſerta, quam Alexandriæ plateas putaret, qui nec ore tunc amplius, ſed calamo tantum erudivit Domini populum. Tandem Theodotus, dux tunc Gallieni, conflictu habito cepit Æmylianum, vivumque Romam miſit, ubi in carcere ſtrangulatus eſt. Frater Theodoti Cauſoleus Trebellium devicit, qui ab Iſauris imperium acceperat, nihilominus Iſauria locis, non hominibus defenſa, ex hoc tempore Romanum jugum excuſſit, medioque in Romanorum ſolo Barbariæ nomen induit.

Euſeb. lib. 7. Hiſt. c. 12. 18.

Trebell. Poll. in Æmyl. Euſeb. lib. 7. cap. 16.

Ita paſſim ira Dei fervebat, Gallieno non aliter regente Rempublic. quam cum pueri fingunt per ludibria poteſtates. Inter enim tot bellicas clades terræmotus etiam fuit graviſſimus, & tenebræ per multos dies. Multi terrore mortui, multæ fabricæ cum habitatoribus devoratæ. Peſtilentia tanta, ut Romæ vel in Achaicis urbibus, uno die quinque hominum millia pari morbo interirent.

Trebell. in Gall.

Sub hæc Junius Poſthumius Galliam tenebat, Gothi & Clodius occupatis Thraciis Macedoniam vaſtabant, Athenas expugnabant, ſervile quoddam latronum bellum premebat Siciliam. Scythæ Aſiam populabantur, à quibus templum Dianæ Epheſiæ, cujus opes famâ in populo ſatis notæ, diſpoliatum eſt & incenſum. Francorum gentes, direptâ Galliâ, Hiſpaniam poſſidebant, vaſtatoque Tarjaconenſium oppido, nactiſque in tempore navigiis, pars in Africam uſque permeavit. Et amiſſa trans Iſtrum quæ Trajanus quæſierat. Ità quaſi ventis undique ſævientibus parvis maxima, ima ſummis orbe toto miſcebantur. Gallienus interim expoſitus erat Saloninæ conjugi, atque amori flagitioſo filiæ Attali, Germanorum regis, Pipæ nomine: qua cauſa etiam civiles motus longè atrociores orti. Nam *Galli, quibus inſitum eſt luxurioſos & à virtute degeneres principes non ferre*, Poſthumium Auguſtum dixere, perempto Salonino, Gallieni filio. Et juvabatur Poſthumius magnis Francorum Celtarumque auxiliis, imperio cum Victorino participato. Et quamvis pluribus præliis victrices Gallieni partes erant, tamen vulneratus ſagittâ Gallienus abſceſſit, Poſthumius imperium adverſus Barbaros maſculè tutatus eſt. Inde Gallienus Byzantiorum cladem militum ſuorum internecione ultus, decennalia Romæ egit exquiſito luxu, nec erubuit de aliena triumphare victoria, & Perſas captivos oſtentare, apud quos patrem ſuum ſervitutem ſervire nôrat. Quare mordaci ſcurrarum cavillo, pater principis perſonatos inter captivos eſt quæſitus: quæ cavillatio ſcurris morte horrenda ſtetit.

Trebell. Pollio in Gallienu. Aurel. Victor. Eutrop. lib. 9. Oroſ. l. 7. cap. 22. Trithem. in Compendio ex Hunibaldo.

Trebell. Pollio.

Sed Gallienus ut ingratus in Patrem, ita Odenatus gratiſſimus in Principem erat ſuum, qui niſi feſſis Romanæ Reip. viribus in Oriente ſumſiſſet imperium, perditæ res omnino fuiſſent. Is collecto exer-

Trebell. Poll. in 30. Tyrann.

exercitu contra Persas profectus, Nisibin primum & Orientis pleraque, cum omni Mesopotamia, in potestatem recepit, Saporem ipsum acie victum fugere coëgit, & ad Ctesiphontem usque progressus cepit thesauros, cepit etiam, quas thesauris chariores habent reges Parthici, concubinas Saporis, quas Herodi filio suo, paternæ excessu indulgentiæ, tradidit: Captos Persarum Satrapas, insultandi gratia aut ostentandi sui, ad Gallienum misit, quasi ejus vices ageret, qui interim Archontem se ferebat Athenis, aut carmina Romæ vel orationes fundebat, *parum memor, aliud in oratore quæri, aliud ab Imperatore postulari.* In hoc tamen laudandus, quod agnita Odenati virtute, participato imperio Augustum eum vocavit, & monetam victoriis ejus insignem cudi jussit. Facetissimum illud, quod in gemmarium vitreas gemmas pro veris vendentem, cum abripi eum quasi ad leonem curasset, caponem è cavea immisit, mirantibusque cunctis rem adeò ridiculam, per curionem edixit: *Impostoram fecit, & passus est.*

Treb. in Gallieno.

At Scythæ populationibus agentes ferentes omnia, Cæsareâ Cappadociæ cum 400 hominum millibus capta, dum in solum suum navigiis remeant, naufragiis plerique periêre. Odenatus contra fortiter defenso Oriente, non minus suo docuit exemplo communem virtutis exitum militaris.

Trebell. Zonar. Tom. 2.

Nam consobrini sui Mæonii insidiis peremptus est, unà cum filio Herode, in quem Zenobia novercali erat animo, irato haud dubiè Deo gentibus, quod Filii sui regnum jam tot annis vigens superbe aspernabantur. Sed Mæonio mox vicissim à militibus cæso, Zenobia uxor Odenati, quod parvuli essent filii ejus, Herennius & Timolaus, ipsa suscepit imperium, diuque rexit, non muliebriter, atque occiso à Palmyrenis Heraeliano, quem Gallienus miserat, fœmina tanto apud Orientales timori fuit, ut se non Arabes, non Saraceni, non Armenii commoverent; *omniumque judicio virago melius, quam Princeps mulierosus imperio potiretur.* Eodem fato, quo Odenatus in Syria, Posthumius in Germania functus est. Nam cum Galliam in pristinam securitatem revocasset, more illo, quo *Galli semper rerum novarum sunt cupidi*, quod flagitantibus Moguntiacorum direptiones abnuisset, Lolliano agente cum filio interimitur, vir quem Principis locum mereri Valerianus ipse censuerat. Sed, ut fit, Lolliano mox vicem reddidit Victorinus, Victoriæ filius, quæ matris castrorum & Augustæ nomine affecta, similiter Posthumium & Victorinum, sicut Zenobia Odenatum excepit, cum ipsa fugiens tanti honoris onus, primum in Marium, deinde in Tetricum atque ejus filium contulisset imperia, quorum opera effectum, ne Germani similiter Gothis & Persis, Romanum pervaderent solum. Quibus si eadem, quæ illis data facultas fuisset, periisset tunc omne Romani nominis imperium. Victorinum Trajano haud minorem virtute, parem clementia Antonino, Nervæ gravitate, severitate militari Pertinaci, in gubernando ærario Vespasiano, *sola libido perdidit, & cupiditas mulierariæ voluptatis.* Qua cohibita in exordio, post biennii Imperium constupratis vi plerisque, ubi Attitiani cujusdam actuarii conjugem concupivit, facinusque ab ea viro patefactum est, accensis furtim militibus, per seditionem Agrippinæ occiditur: Illico & filius, quem Victorina avia Cæsarem appellabat. Suffectus est Marius, ferri quondam opifex, vix corpore validus, ac militaribus usque ad imperium gradibus evectus, qui carra venientia digito repulisse dicitur. Una die factus Imperator, altera visus imperare, tertia jugulatur gladio à servo, quem ipse fecerat. Ergo Victorina seu Victoria, legionibus grandi pecunia comprobantibus, Tetricum Imperatorem creat; qui familia nobili, præsidatu Aquitanos regebat: filioque ejus Tetrico Cæsarea insignia impartiuntur.

Trebell. in Gall. & Zenobia.

Trebell. in Poll.

Trebell. in Victorino. Aurel. Victor.

Trebell. in 30 Tyrann.

Au-

Aureolus dudum Rhetias ac Pannonias tenens, excitus, uti mos est, socordia Gallieni, Romam novissimè contendit. Eum Gallienus apud Pontem, cui ex eo Aureoli nomen est, fusum acie Mediolanum coëgit, quam urbem dum machinationibus omnis generis oppugnat, ab suis interiit. Quippe Aureolus, ubi solvendi obsidii spem inanem vidit, ducum Gallieni Tribunorumque nomina, quasi destinata ab eo ad necem, astu composuit, literasque è muro, quam occultissimè potuit, abjecit: quæ forte à memoratis repertæ, metum suspicionemque injecere mandati exitii; verum eas effluxisse incuria ministrorum. Qua causa, Martiani & Heracliani consilio, simulâta proruptione hostium, nullis; uti re trepida ac repentina solet, tectum stipatoribus, tabernaculo educunt nocte intempesta; teloque trajicitur, cujusnam, per tenebras incertum. Ita autoris necisse errore, an quia bono publico acciderat, inulta cædes fuit; quanquam *plures suo magis, quam Reip. studio ducebantur, potiorque flagitio tyrannidem amotam vocabat, damno sæpè publico oppressos.* Gallienus novem annos solus cum patre sexennium imperaverat, & à Claudio in cælestium est numerum relatus, vix exsequiis dignus judicio aliorum. Senatus, cui exercitum adire interdixerat, contumeliam ulturus, satellites propinquosque ejus per scalas Gemonias præceps agendos decrevit, precante deos inferos vulgo, sedes impias uti Gallieno darent. Verum in Christianos mitissimus fuit, & persecutionem gravissimam, patre Valeriano adhuc imperante exortam, compescuit. Qua pace subnixi sancti, facilius omnia orbis mala perferebant, & plurimi contagiosa lue conflictantes, quos sui deserebant, Christianorum refovebantur operâ. Lapsi quoque superioribus certaminibus, cum supplices veniam peterent, redibant ad Ecclesiæ gremium, Novatianorum inclementia explosa.

Trebell. Poll. in Gallien.

Zosim. l. 1.

Aurel. Victor.

Euseb. l. 7. c. 17.

De hæreticis tamen, quomodo recipiendi essent, variabant sententiis Episcopi. Cyprianus rebaptizandos putabat, Lucius, Cornelius, Sixtus, Romani Episcopi non putabant. Dionysius Alexandrinus rectè, *semel in Ecclesia baptizatis sufficere baptismum, quem susceperant: sed baptizatos ab hæreticis, quibus integra Trinitatis fides deesset, vero baptismo non privandos.*

Euseb. l. 7. Hist. Eccl. cap. 6. 8.

Idem mille annorum delicias, ex Apocalypsi Johannis à quibusdam confictas, prudenter & moderatè refutavit. Gentes, quæ his temporibus Romanum occupabant solum, eâ occasione fidem quoque Christianam addidicêre. Ita ex ipsis imperii ethnici cladibus Christi regnum augebatur.

Euseb. l. 7. c. 19. 20.

Flavius Claudius et Quintilius Frater.

Anno Chr. 268. Mundi 4239.

Claudius Dalmata Gallieni sententia morientis Imperator designatus, missa sibi Ticinum, ubi tribunatu fungebatur, regia ornamenta accepit, ejusque imperium milites, quos ferè contra ingenium *perditæ res subigunt recta consulere*, avidè approbarunt, Viri laborum patientis, æquique ac dediti Reip. Aureolus ab eo victus prælio, & occisus est. Tetricum in Gallis aggredi noluit, *Reipubl. potius hostes, quam Principis persequendos professus.* Alamanorum, haud procul à lacu Benaco dimicans, ingentem multitudinem fudit. Gothi, quos diuturnitas nimis validos ac prope incolas effecerat, omnes tunc gentes suorum ad Romanas invitaverunt prædas. Scytharum diversi populi, Peucini, Trutungi, Austrogothi, Virtingui, Sigipedes, Celtæ etiam & Heruli, in Romanas ditiones irruerunt, ut trecenta viginti millia armatorum haberet hostium Claudius, cum nec scuta, nec spathæ, nec pila supereſſent Romanis, cum Gallias & Hispanias, vires Reipubl. teneret Tetricus, sagittarios Zenobia posſideret. Pugnatum est apud Mœsos, multa prælia fuerunt apud Martianopolin, multi barbarorum naufragio periêre, pugnatum est

Aurel. Victor. Trebell. Poll. in 30 Tyran. & Claud. Zonar. Tom. 2. Trebell. in Claud. Zosim. l. 1. Aurel. Victor.

est apud Byzantios, apud Thessalonicenses, & ubique tamen victi sunt Gothi, captæ diversarum gentium nobiles fœminæ, impletæ servis militibusque peregrinis Romanæ provinciæ. Cum se reliqua multitudo in Hæmum montem contulisset, illic ita fame ac pestilentia laborarunt, ut jam Claudius dedignaretur eos vincere. Versi autem in prædam Romani, ad duo millia à fugientibus interempti sunt: sed accepta clades virtute Principis antiquata, & Scytharum L millia traduntur occisa.

Zosim. lib. 1. Trebell. Poll. in Claud. Eutrop. lib. 6. Cassiodor. Chron.

Sub hæc Zenobia, majora appetens, ducem Sabdam in Ægyptum mittit, quam Timogenes in ejus potestatem se redacturum promiserat. Palmyreni LXXX millia in aciem produxêre, quorum multitudine superati Ægyptii, præsidium receperunt. Sed illud Probus, Probatum vocat Pollio, præfectus maris ejecit, coactisque Ægyptiorum & Afrorum copiis, indefessa pugnandi continuatione Palmyrenos vicit, ac paulo post ipse, Timogenis interceptus insidiis, sibi ipsi manus attulit. Scythæ interim vagi Cretam Cyprumque vastare tentarunt, sed ubique morbo exercitu laborante, confestim occubuêre, quo paulo post etiam *Claudius* intra biennium imperii Syrmii *periit*, devoto pro Republica, ut putabat, capite. Quæ res sic erat cunctis grata, ut non Divi vocabulum modo, jam pessimo cuique per vim aut adulationem datum, sed ex auro statuam, prope ipsum Jovis simulacrum, atque in curia imaginem auream proceres ei sacraverint.

Intra annos 4239. & 41.

Trebell. Aurel. Eutrop. Zosim. Vopisc. in Aureliano.

Successit *Quintillus* frater Claudii, vir multæ moderationis, & civilitatis, æquandus fratri vel præponendus, dignusque imperio, etiamsi frater Claudii Principis non fuisset. Ob brevitatem temporis nihil dignum imperio gerere potuit. Nam septima decima die, quod se gravem & serium contra milites ostenderat, ac verum principem pollicebatur, eo genere quo Galba, quo Pertinax, Aquileiæ interemptus est, aut metu Aureliani incisis à medico venis, sponte exitium sumsit.

Eo tempore Paulus Samosatenus, Antiochiæ Episcopus, homo arrogans & factiosus, negare ausus exstitisse DEI Filium, propriamve hypostasin habuisse, antequam ex virgine nasceretur, Episcoporum Orientalium Synodo damnatus est: Substituto in ejus locum Domno Demetriani Episcopi filio. *Euseb. l. 7. hist. c. 22. 23.*

VALERIUS AURELIANUS.

Aurelianus Syrmii aut in Dacia Ripensi, modicis ortus parentibus, à prima ætate nullum diem prætermisit, quo se non armorum exerceret officiis. Bello Sarmatico quadraginta & octo hostes uno die interfecisse fertur, pluribus autem & diversis diebus ultra nongentos & quinquaginta. A Claudio oppositus Gothis, Thracia eos expulit, eoque exstincto, statim consensu omnium legionum factus est Imperator. Romanam ditionem ad fines pristinos varia bellorum felicitate revocavit, disciplinam militarem rigidissimè exercuit, animi immodici, & ad crudelitatem propensioris. Militem qui adulterium cum hospitis uxore commiserat, deligatis ad inflexarum arborum capita pedibus discerpsit. Vicario suo scripsit: *Si vis tribunus esse, imò si vis vivere, manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, nemo ovem contingat. Uvam nullus auferat, segetem nemo deterat, annona sua contentus sit. De præda hostis, non de lacrymis provincialium habeat. Stipendium in baltheo, non in popina habeat. Aruspicibus nihil dent, in hospitio caste se agant, qui litem fecerit, vapulet.* Talis ergo Imperator, nihil mirum si florentissimas victorias adeptus est, præsertim cum erga Christianos benignè se ageret, depositumque Paulum Samosatensem, ex ædibus Ecclesiasticis cedere nolentem, vi depelleret publica. Anno Chr. 271. Mundi 4241. *Fl. Vopiscus in Aur. Eutrop. l. 9.* *Euseb. lib. 7. Hist. c. 24.*

Contra Suevos & Sarmatas vehementissimè pugnavit. Marcomannis omnibus simul occurrere volens, tantam *Fl. Vopiscus.*

apud

apud Placentiam accepit cladem, ut Romanum penè solveretur imperium, paventibus Romæ cunctis, ne eadem, quæ sub Gallieno fuerant, provenirent. Nec immerito quidem passi aliquid siniſtri sunt, quod jam adulando dicebant, tantam Principis esse virtutem, ut non opus esset Deos consuli. Implorata autem divina ope, monstris quibusdam speciebusque impliciti Barbari, Romani ter victores facti sunt, juxta Placentiam, apud flumen Metaurum, postremo Ticinensibus in campis. Finito hoc bello, Aurelianus irarum plenus Romam petit, vindictæ cupidus, quam seditionum asperitas suggerebat, quarum autoribus interemtis, in nonnullos senatores cruentius sæviit, cum his leve quiddam, & quod contemni à mitiore Principe potuisset, vel unus, vel levis, vel vilis testis objiceret. Muros urbis Romæ laxiores firmioresque effecit propter Barbaros, ut L prope millia ambitus tenerent, pomœrio nihil addidit, quoad aliqua parte agri Barbarici Rempubl. locupletaret. Tunc contra Palmyrenos, id est, contra Zenobiam, quæ Orientis & Ægypti tenebat imperium, iter flexit. Multa in itinere ac magna prælia fecit cum Barbaris, in Thracia, Illyrico, Bithynia. Cum Thyanam occlusam reperisset, iratus, affirmavit, canem se in oppido non relicturum. Proditam tamen ab Heraclammone urbem everti prohibuit, canes solos occidi jussit, ut votum impleret, & proditorem patriæ, *negans fidem cuiquam servari ab eo posse, qui patriæ suæ non peperciſſet.* Recepta Thyana, Antiochiam, proposita omnibus impunitate, brevi apud Daphnen certamine obtinuit. Pugnatum est posthæc de summa rerum contra Zenobiam & Zabdam ejus Socium, apud Emissam, magno certamine. Cumque Aureliani equites jam fatigati terga darent, hortante quadam divina forma, per pedites restituti sunt. Fugata Zenobia Emissam victor Aurelianus intravit.

Victor Aurel.

Vopisc. in Probo.

Palmyram deinde pergens, à latronibus Syris, malè accipitur, & in obsidione usque ad ictum sagittæ periclitatur. Sed cum auxilia Persarum interciperet, Saracenos Armeniosque corrumperet, Ægyptios per Aurelium Probum vinceret, tandem post multa mulierem potentissimam, novæ instar Semiramidis præliantem, vicit, retractamque ex fuga, quam ad Persas Camelis, quos vocant Dromadas instituerat, ad triumphum servavit, Longinum Philosophum, & belli autores præcipuos interemit. Factusque victoria, ut fit, insolentior, primus apud Romanos Diadema capiti innexuit, gemmisque & aurata omni veste, quod adhuc fere incognitum Romanis moribus videbatur, usus est.

Aurel. Victor. Vopisc.

Pacato Oriente, in Europam rediit victor, atque illuc Garporum copias afflixit, interim Palmyreni, occisis præsidiariis, traditoque Achilleo, parenti Zenobiæ, imperio non mediocriter rebellarunt. Verum ideo Aurelianus, ut erat paratus, ex Europa revertit, atque urbem, quia ita merebatur, excidit, immaniter usus victoria, nec sexui nec ætati ulli impertitus misericordiam. Dum deinde vagantes per Europam hostes contundit, Firmus quidam Ægyptum, sine insignibus imperii, quasi ut esset civitas libera, sibi vindicat. Nec illic defuit felicitas solita. Nam Ægyptum statim recepit. Atque ut erat ferox animi, cogitatione multis vehementer irascens, quod adhuc Tetricus Gallias obtineret, Occidentem petiit: atque ipso Tetrico exercitum suum prodente, quod ejus scelera ferre non posset, deditas sibi legiones partim prostravit, partim in fidem recepit. Princeps igitur totius orbis Aurelianus, pacatis Oriente & Occidente, de Zenobia & Tetrico speciosissimum Romanis triumphum exhibuit.

Vopisc. in Aurel. & Firmo.

Tetricus Corrector Lucaniæ postea fuit, filius ejus in senatu permansit. Zenobia posteros Romæ diu durantes reliquit, mulier venusta, casta, dentibus margaritarum candore præditis.

Vopisc. Aurel. Pollio Tetric. Eutrop. lib. 9.

Aureliano imperante, etiam Monetarii in urbe rebellarunt, vitiatis pecuniis, quum pœnæ metu bellum facerent usque eo grave, uti per Cœlium montem congressi, septem ferè millia armatorum confecerint. Eos Aurelianus victos ultima crudelitate compescuit, plurimos nobiles capite damnavit, sævus & sanguinarius, ac necessarius magis in quibusdam, quam in ullo amabilis Imperator. Provinciam Daciam retineri posse desperans, omisit, abductosque Romanos ex urbibus & agris Daciæ, in media Mœsia collocavit. Annonam urbis auxit, habuitque in animo vinum gratuitum dare, cum diceret, populo Romano saturo nihil quidquam esse lætius. *Eutrop. lib.9.*

Delevit fiscales & quadruplatorum calumnias, consumptis igni tabulis, monumentisque hujusmodi negotiorum, decretaque ad Athenienſium morem injuriarum abolitione. Fures provinciales, repetundarum ac peculatus reos, ultra militarem modum est persecutus, ut eos ingentibus suppliciis cruciatibusque puniret. In templo Solis multum auri gemmarumque constituit. Incitatus adversum Christianos, dum subscribere cruento edicto parat, enervatis subitò brachiorum commissuris repressus est, patefactumque cœlesti indicio, *nihil facultatis esse Principibus mundi, contra Ecclesias Christi, nisi quantum Deus permittat.* *Victor de Cæsaribus. Vopisc. Aurel.* *Euseb. l.7. Hist. c.24. & in Chron. Oros. l.7. cap.23.*

Tandem indicto Persis bello, cum iter faceret inter Heracleam & Byzantium, *malitia notarii sui* & manu Mucaporis *interemptus* est, filioque aut filiæ sororis, & aliis multis, quos levi aut nulla de causa occiderat, pœnas exsolvit, anno imperii sexto. A. M. 4246. Chr. 276.

Mnesteus enim notarius, minas ejus timens, prædæ delictique conscientiâ, ad quosdam militares, amicos ipsius, nomina pertulit annotata, falso manum Principis imitatus, tanquam Aurelianus ipsos pararet occidere; Illique eo metu accensi facinus patravere. Re prodita, templum occiso delatum, Mnesteus bestiis objectus est. Aureliano imperante, Dionysius & Felix Romani, Firmilianus Cappadociæ, Gregorius Thaumaturgus Ponti Episcopi viguerunt. Plotinus senex Philosophus decessit, ejusque discipulus Porphyrius è Christiano, hostis Christianorum, maledicis eos laceravit scriptis, reprehensoresque suos reprehendens, à Methodio Tyri Episcopo, & ab Eusebio, postmodum Cæsarienſi & aliis, digna suis conviciis responsa tulit. *Euseb. l.3. cap.22. Socrat. l.7. c.23. Suidas.* *Hieron. in Catalog.*

Claudius Tacitus
Et frater ejus
Florianus.

Anno Chr. 276. Mundi 4246.

INterfecto Aureliano, pudore ac modestia, si non metu certabatur inter milites & Senatum, neutris Principem sua sententia creare audentibus. Tandem Senatus, sexto circiter mense post Aureliani interitum, *Tacitum* è consularibus, mitem sanè virum, Imperatorem dicit, cunctis ferè lætioribus, quod fracta militari ferocia legendi jus Principis proceres recepissent. Quæ tamen lætitia brevis, neque exitu tolerabili fuit. Namque Tacito confestim à ducentesima regni luce Thyanæ mortuo, aut, ut plerique aiunt, factionibus oppresso; cum tamen prius Scythas, Mæotidem & Phasin transgressos, repulisset, & auctores Aureliani necis excruciavisset: *Florianus* ejus frater, imperium quasi hæreditarium, nullo Senatus aut militum consulto invasit. Qui uno mense aut altero vix retenta dominatione, victus à Probo apud Tharsum, ab suis interficitur. Tacitus verò recusaverat imperium. Florianus illud appetiverat. Idem Tacitus capitale esse sanxit, cum bonorum proscriptione, si quis argento publicè privatimque æs miscuisset, si quis auro argentum, si quis æri plumbum. Patrimonium suum publicavit, quod habuit in reditibus sestertium bis millies octingenties. Pecuniam quam domi collegerat, in stipendium militum vertit. Togis *Aurel. Victor. Eutrop. lib.9.* A. M. 4247. Chr. 277. *Zosim. l.1. Flav. Vopisc. in Tacito.*

gis & tunicis iisdem est usus, quibus privatus. Cornelium Tacitum, scriptorem historiæ Augustæ, quod parentem suum eundem diceret, in omnibus bibliothecis collocari jussit. Holosericam vestem viris omnibus interdixit. Ipse vitæ parcissimæ, ut sextarium vini tota die nunquam potaret, pranderetque uno gallinaceo & ovis, in senectute validior minutulas literas legit ad stuporem, nec unquam noctem intermisit, qua non aliquid vel scriberet vel legeret. Uxorem gemmis uti non est passus. Tamen constat moderatissimum Principem militari improbitate eorum, qui cognatum ejus quendam occiderant, & vindictam metuebant, oppressum, mente atque animo defecisse.

Zozim. lib. 1. Eusseb. Chron.

Vopisc. in Tacit. Zonar. tom. 2.

Aurelius Probus.

Anno Christi 277. Mundi 4247.

Flavius Vopisc. in Probo.

Probus patre agresti, sed tamen ordinum ductore ortus, civitate Sirmiensi, adolescentiam sic egit ut prope imberbis, Valeriani judicio, Tribunatum acciperet. *Nec enim facile quisquam ad virtutum summam maturescit, nisi qui puer seminario virtutum generosiore concretus, aliquid inclytum designavit.* Tacito absumpto fataliter, cum Tribuni manipulatim milites alloquerentur, dicentes, requirendum esse Principem aliquem fortem, sanctum, verecundum, clementem, probum; quasi divino nutu undique ab omnibus acclamatum est, Probe Auguste, Dii te servent. Oneratus igitur Imperio, invitus & retrectans, & sæpè dicens; Non vobis expedit milites, non mecum benè agitis, *Ego enim vobis blandiri non possum:* Cum tamen deponere rem invidiosissimam, ut ipse dicebat, non liceret, egit personam à milite impositam. In Aureliani & Taciti insidiatores animadvertit. Floriani sociis pepercit, quod non tyrannum aliquem videbantur sequuti, sed sui Principis fratrem. Recepit deinde omnes Europenses exercitus, qui Florianum & Imperatorem fecerant, & occiderant. His gestis, cum ingenti exercitu Gallias petit, interfecto Aureliano à Germanis possessas. Tanta autem illic prælia feliciter gessit, ut à Germanis sexaginta reciperet civitates, cæsisque prope quadringentis millibus, qui Romanum occupaverant solum, reliquias ultra Nicrum fl. & Albim removeret. Accepit & sedecim millia tyronum Germanorum, & quinquagenos vel sexagenos limitaneis militibus interseruit. Novem reguli Germanorum supplices, stratique ad pedes ejus jacuerunt. In Illyrico Sarmatas, cæteraque gentes ita contudit, ut propè sine bello reciperet, quæ illi diripuerant. Omnes Gothicos populos aut in deditionem, aut in amicitiam recepit.

His Gestis Orientem adiit in Isauria, Lydio & Palfurio latronibus pertinaciter ducentibus bellum, victisque tandem dixit; facilius est ab istis locis latrones arceri, quam tolli. Itaque omnia loca angusti aditus veteranis donavit. Pacatis denique omnibus Pamphyliæ partibus, Copton & Ptolemaidem à Blemyis vindicatas, Romano addidit juri.

Zozim. lib. 1. Vopisc. in Probo.

Facta & cum Persis pace, ad Thracias rediit, & centum millia Bastarnarum in Romano constituit solo, qui omnes fidem servaverunt. Sed cum & ex aliis gentibus plerosque pariter transtulisset, id est, ex Gepidis, Gautunnis & Vandalis, illi omnes fregerunt fidem, & occupato bellis tyrannicis Probo, per totum penè orbem pedibus & navigando vagati sunt, nec parum molestiæ Romanæ gloriæ intulerunt. Quos quidem ille diversis vicibus, variisque victoriis oppressit, paucis domum cum gloriâ redeuntibus, quod Probi evasissent manus.

Habuit enim non leves tyrannicos motus. Primus à Saturnino fuit, qui Orientalis limitis dux, prohibitus olim ab Aureliano videre Ægyptum, *ne quo eum natura ducebat, societate quoque hominum duceretur*, confestim ut eam adiit, à perturbidis novarumque rerum cupientibus Ægyptiis acclamatum ei est;

Vopisc. in Saturnino.

Saturnine Auguſte, Dii te ſervent. Saturninus flens, omnia ſibi ante benè geſta ſemel affectato honore perire, cum animaretur ab induentibus ei purpuram, *Neſcitis*, inquit, *quid mali ſit imperare: Gladii & tela noſtris cervicibus impendent: imminent haſtæ undique, undique ſpicula: Ipſi cuſtodes timentur, ipſi comites formidantur: Non cibus pro voluptate, non iter pro autoritate, non bella pro judicio, non arma pro ſtudio.* Nam quod Imperatorem me cupitis, in neceſſitatem mortis me trahitis. Sed habeo ſolatium mortis, ſolus perire non potero. Ergò Probus & clementes ad eum literas ſæpè miſit, & veniam eſt pollicitus. Sed cum milites Probo fidem non haberent, variis præliorum generibus victus Saturninus, & in caſtro quodam obſeſſus, ab iis, quos Probus miſerat, invito Probo, periit. Alter motus è Gallis exſtitit, avida ſemſper gente vel faciendi Principis vel imperii. Cum enim Lugdunenſes graviter contuſi ab Aureliano, Probum pertimeſcerent, Proculum Albingaunum ex Alpibus maritimis, divitem & armatam ſemper agentem vitam, duoque ſervorum millia habentem, ſalutant Auguſtum, qui Alemannos Gallia amovit. Sed Probus eum fugatum ad Francos, prodentibus ipſis Francis, quibus familiare ait fuiſſe Vopiſcus, *ridendo fidem frangere*, vicit & interemit.

Vopiſc. in Bonoſo & Probo. Aurel. Victor. Eutrop. lib. 9. Oroſ. l. 7. cap. 24.

Tertium motum excitavit Bonoſus, origine Britannus, Galla tamen matre, dux limitis Rhetici, potator validior quam bellator, carus quondam Aureliano ob inebriandos per eum legatos, arcanaque ab his per vinum cognoſcenda, de quo ſolitus eſt dicere: *Non ut vivat, natus eſt, ſed ut bibat.* Hic cum quodam tempore in Rheno Romanas luxurias Germani incendiſſent, timore ne pœnas daret, ſumſit imperium: idque diutius tenuit, quam merebatur. Nam longo gravique certamine à Probo ſuperatus, laqueo vitam finivit, dictuſque per jocum amphora pendens. Uxorem habuit nobilem gentis Gothicæ, fœminam ſingularis exempli, quam Probus in honore habuit, ſalariumque ei uſque ad mortem præſtitit. Receptis ita pacatiſque omnibus, dixiſſe fertur, *brevi milites fruſtra fore*: quæ vox exitii ei cauſa fuit. Nam quia nunquam militem otiari ſinebat, dicens nefas eſſe, eum gratuitam comedere annonam; ac proinde militari manu Galliam, Pannoniaſque & Mœſorum colles Vinetis repleverat; irritati magis exercitus, cum ad ſiccandam lacunis ac foſſa urbem, Probo patriam, adigerentur, quæ paluſtri ſolo hyemalibus aquis corrumpebatur, paulò cis ſextum imperii annum eum trucidant apud Sirmium, in ferratam turrim fruſtra confu- A. M. 4252. Chr. 281. gientem. Et quantum facinus feciſſent, ſepulcri titulo ipſi teſtati ſunt, qui hic fuit: Hic Probus Imperator & verè probus ſitus eſt, Victor omnium gentium barbararum, Victor etiam Tyrannorum. Sic patuit, *quam difficile ſit, apud milites vel probum vitam tueri.*

Abhinc militaris potentia revaluit, ac ſenatui imperium creandique jus Principis ereptum, incertum, an ipſo cupiente per deſidiam, an metu, ſeu diſſenſionum odio. Quippe abolito Gallieni edicto, reſici ſenatoribus militia potuit, concedentibus modeſtè legionibus, Tacito regnante: neque Florianus temerè invaſiſſet, aut judicio manipularium cuiquam, bono licet, imperium eſſet datum, ampliſſimo ordine in caſtris degente. *Verum dum oblectantur otio, ſimulque divitiis pavent, & earum uſum affluentiamque æternitate majus putant, munivere militaribus, ac pene barbaris viam, in ſe ac poſteros dominandi.* Secundo Pro- *Euſeb. l. 7. c. 25. & in Chron. Epiphanius Hær. 46. Suidas. Hieron. in Catalog.* bi anno Manes, magiſter falſitatis novæ, Paracletum ſe fingens, & duodecim diſcipulos inſaniæ propagandæ emittens, innotuit. Multos errores, ut de duobus principiis, de phantaſmate carnis humanæ in Chriſto, de corporis humani origine mala, & his ſimiles in unum confertos, de Perſide in reliquum orbem ſparſit; impiumque de ſe Manichæorum nomen fudit. In Perſia tandem, ob dece-

deceptum vanis promissionibus regem, excoriatus periit, refutatus ab Archelao, Episcopo Mesopotamiæ. At Christi Ecclesia passim in immensum se diffundebat, præfecturas etiam provincialium, & honores militares consequentibus Christianis, ut Dorotheo, Gorgonio, & similibus, narrante Eusebio, qui vixit his temporibus. Nec sufficiebant amplius priscarum domorum spacia conventibus agendis, sed laxiora ædificia è fundamentis struebantur, succrescente interim cum rebus secundis ambitione & discordia, fictaque specie sanctitatis, quæ multorum fastum & malitiam obtegebat.

Euseb. l. 8. c 1. Socr. l. 1. Hist. c. 17.

M. Aurelius Carus. Numerianus & Carinus.

Anno Christi 282. Mundi 4252.

Vopisc. in Caro. Aurel. Victor de Cæsaribus. Rufus Festus in Breviario.

Carus, seu Romæ, seu Narbonæ, seu in Illyrico genitus (nihil enim certi constat) militibus charus, à Probo præfectus prætorii factus; eo interfecto, Augustum habitum sumsit. *Carinum Numerianumque filios Cæsares* appellavit. Destinato ad Gallias tuendas Carino, fluxis praviscque moribus juvene, Numerianum, lectissimum disertissimumque adolescentem, secum in Persicum bellum, quod Probus apparaverat, duxit. Antea tamen Sarmatas, Probi morte præferoces, inter bella patiendo ita contudit, ut paucis diebus Pannonias securitate donaret, occisis Sarmatarum sedecim millibus, captis diversi sexus viginti millibus. Hinc ingenti apparatu contra Persas profectus, nullo sibi occurrente, Mesopotamiam capit, quod ea Persarum quasi solenni bello subest, & Ctesiphontem usque, inclytam urbem Parthiæ, progreditur. Occupatisque Persis domestica seditione, Imperatoris Persici nomen meruit. Verum dum gloriæ inconsultè avidior, fines transit Imperii à fatis decretos, ægritudine correptus *fulmine conflagravit*. Tanta enim erat tamque immanis tempestas & coruscatio, ut multi terrore dicantur exanimati. Cum igitur æger in tentorio jaceret, post ingens tonitruum subito conclamatum est à cubicularis, Imperatorem mortuum.

A. M. 4252. Christi 284.

Numerianus contracta è fletu oculorum ægritudine, alias sibi familiari, dum lectica portaretur, factione Arrii Apri soceri sui, imperio inhiantis, *occisus* est. Sed cum plurimos dies de Imperatoris salute quæreretur à milite, concionareturque Aper, idcirco illum videri non posse, quod oculos invalidos à vento ac sole subtraheret; fœtore cadaveris res est prodita, ducumque consilio ac tribunorum, Valerius Diocletianus, domesticos regens, Imperator appellatus. Hic cum tribunal conscendisset, & quæreretur, quemadmodum Numerianus esset occisus, educto gladio, Aprum præfectum prætorii ostentans, percussit; addens verbis suis; Hic est autor necis Numeriani. Sic Aper dignum moribus suis exitum, Diocletianus aditum dedit. A Druide enim Gallicana quondam audierat, Imperator eris, cum Aprum occideris. *Carinus* occidenti præpositus à patre, adulter, corruptor juventutis, mimis atque lenonibus palatium implens, uxores ducendo ac rejiciendo, pleraque prægnantes, contaminatissimum se vitiis omnibus, ac proinde detestabilem bonis fecerat, clamante ipso Caro, *non est meus*: Certior eorum quæ acciderant, tanquam liber à frenis domesticæ pietatis, majora scelera edidit. Nec deerat tamen ad vindicandum sibimet imperium vigor mentis. Nam Julianum apud Venetos involantem purpuram, pulsa ejus acie, obtruncavit: Et contra Diocletianum multis præliis stetit. Ultima pugna juxta Murgum congressus, dum victos avidè premeret, suorum ictu *interiit*, quod libidine impatiens, militarium nuptas affectabat: quarum infestiores viri, iram doloremque in eventum belli distulerant. Quo prosperius cedente, metu, ne hujusmodi ingenium magis magisque victoria insolesceret, sese ulti sunt. Is finis Caro liberisque, post imperii biennium, fuit.

Vopisc. in Numerian. Anno eodem.

Vopiscus in Carino. Aurel. Victor. Eutrop. lib. 9. Euseb. Chron.

Anno eodem.

Numerianus cum Olympio Nemesiano & Aurelio Apollinare Poëtis de palma contendit editisque suis carminibus, eos veluti radio Solis obtexit, referente Fl. Vopisco, scriptore horum temporum.

VALERIUS DIOCLETIANUS, AURELIUS & MAXIMIANUS.

Anno Christi 284. Mundi 4254. *Fl. Vopisc. in Numeriano. Aurel. Victor. Eutrop. lib. 9.*

SIc Diocles Dalmata, obscurissimè natus, Anulini senatoris Libertinus, matre pariter atque oppido Dioclea, orbis Romani potentiam cepit, Graiumque nomen in Romanum morem convertens, *Diocletianum* se dixit, mox etiam victis Persis & Ægyptiis, Jovium. Vir callidus, amans Reipublicæ, amans suorum, & ad omnia, quæ tempus quæsierat, paratus, consilii semper alti, nonnunquam tamen effrontis, sed prudentis, nimia pervicacia motus inquieti pectoris comprimens. Parcus idem & largitionum theatralium contemptor, falsè ridens eum, qui Carum causa ludorum laudatum assereret, *Ergo*, inquit, *benè risus est imperio suo Carus. Hic nihil esse difficilius fassus est, quam bene imperare, præsertim quod Aulicis, quatuor vel quinque inter se conspirantibus, sæpissime vendatur bonus, cautus, optimus Imperator.*

Fl. Vopiscus in Aurel.

Ubi comperit Carini discessu, Ælianum Amandumque per Galliam coacta manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incolæ vocabant, populatis latè agris, pleraque urbium tentare; statim *Aurel. Maximianum*, fidum amicitia, quanquam semiagrestem, militiæ tamen atque ingenio bonum, Imperatorem consortio adscivit. Cui postea Herculii accessit cognomen, ut Valerio Jovium. Maximianus in Galliam profectus, fusis hostibus aut deditis, quieta omnia brevi patravit. Eo bello Corausius, Menapiæ civis, factis promptioribus enituit; ideoque illum, simul quia gubernandi (quo officio adolescentiam mercede exercuerat) gnarus habebatur, parandæ classi ac propulsandis Germanis, Francis & Saxonibus, maria infestantibus, præfecêre. Hoc elatior, cum parum multos opprimeret, neque prædæ omnia in ærarium referret, Herculei metu, à quo se cædi jussum compererat, Britanniam hausto imperio capessivit.

A. M. 4256. Christi 286.

Eutrop. lib. 9.

Aurel. Victor de Cæsaribus.

Eodemque tempore Orientem Persæ, Africam Julianus, ac nationes Quinquegentanæ graviter quatiebant. Adhuc apud Ægypti Alexandriam, Achilleus nomine, dominationis insignia induerat.

His de causis *Julium Constantium Chlorum & Galerium Maximinum* (qui nonnullis etiam Maximianus cognomento Armentarius) *creatos Cæsares*, in affinitatem vocant. Constantium enim Carus, quod nemo tunc vir melior videbatur, in locum filii subrogare consultaverat, & Carinum occidere. Idem Constantius, per filiam nepos Claudii quondam Augusti, erat: Galerius in Dacia haud longè à Sardica natus. Constantius Theodoram Herculii privignam accepit, ex qua postea sex liberos, Constantini fratres, habuit: Galerius filiam Diocletiani Valeriam: ambo uxores, quas habuerant, repudiare compulsi, sicut olim Tiberius ducta Augusti filia. Hi quanquam literis parum, juris tamen scientia ac militiæ miseriis imbuti satis, boni Reipublicæ fuere. *Prudentes* enim, (ait Aurelius) *sensu mali promptius fiunt, expertes ærumnarum, dum opibus suis cuncta æstimant, minus consulunt.* Tres isti Valerium, ut parentem, seu Dei magni suspiciebant modo, à quo in Imperium se allectos meminerant. Et quoniam bellorum moles acrius urgebat, quasi partito imperio, cuncta quæ trans Alpes Galliæ sunt, Constantio commissa; Africa Italiaque Herculio: Illyrici ora usque ad Pontum Galerio; Cætera Valerius retentavit. Hinc parti Italiæ invectum tributorum ingens malum, quo exercitus atque Imperator, qui semper aut maxima parte aderant, ali possent: pensionibus inducta lex nova, quæ sanè illorum temporum modestia tolerabilis, in perniciem processit postea.

A. M. 4261. Christi 291. *Vopiscus in Carino & Claud. Euseb. Chron. Zonar. sub. fin. Tom. 2.*

Inte-

Eutrop. lib. 9.

Interim Diocletiano Alexandriam profecto, provincia credita Maximino Cæsari, ut relictis finibus, in Mesopotamiam progrederetur, ad arcendos Persarum impetus, à quibus primo graviter vexatus, cum Diocletiano occurreret, ab irato indignè exceptus est, atque ut erat purpuratus, ante vehiculum ejus ad aliquot millia passuum cucurrisse traditur. Sed reparato confestim è veteranis ac tyronibus exercitu, per Armeniam in hostes contendit: quæ ferme sola seu facilior vincendi Parthos via est. Ibi Narseum Persarum Regem in ditionem subegit: simul liberos conjugesque, & aulam regiam: adeò Victor, ut ni Valerius, cujus nutu omnia gerebantur, abnuisset, Romani fasces in provinciam essent novam lati. Pars tamen utilior terrarum, & quinque ultra Tigrim regiones Romanis acquisitæ, quæ dum acrius deinde reposcerentur, gravia admodum perniciosaque bella pepererunt.

Aurel. Victor & Eutrop. Euseb. in Chron. Oros. l. 7. cap. 25. Rufus Festus in Brevario.

At in Ægypto Achilleus faciliore negotio pulsus, pœnas luit, nudata muris Alexandria, Coptos & Ptolemais excisæ, tota Ægyptus gravibus proscriptionibus cædibusque fœdata. Per Africam gestæ res pari modo: solique Corausio remissum Britanniæ Imperium, postquam jussis ac munimento incolarum, contra gentes bellicosas, oportunior habitus. Quem sanè sexennio post, quidam Allectus nomine, dolo circumvenit. Qui cum ejus permissu summæ rei præesset, flagitiorum, & ob ea mortis formidine, per scelus imperium extorserat: quo usum brevi, Constantius præmisso Asclepiodoro, cum parte classis & legionum delevit.

Cæsi interea & Marcomanni, Carporumque natio translata omnis in Romanum solum; cujus ferè pars jam tum traducta ab Aureliano erat.

Aurel. Victor de Cæsaribus. Eutrop. lib. 9.

Neque minori studio, *pacis officia vincta æquis legibus*, remotumque pestilens frumentariorum genus, qui ad explorandos in provinciis motus instituti, compositis nefariè criminationibus, injectoque passim metu, præcipuè remotissimo cuique, cuncta fœdè diripiebant. Simul annona urbis, ac stipendiariorum salus anxiè solliciteque habita; honestorumque provectu, & econtra suppliciis flagitiosi cujusque, virtutum studia aucta, novis mœnibus ornatæ urbes, Roma, Carthago, Mediolanum, Nicomedia. Neque tamen cum hæc agerent Imperatores, extra vitia fuerunt. Quippe Diocletianus ex auro primus vestem quæsivit, serici ac purpuræ, gemmarumque vim plantis subdidit, affluentis tumidique animi indicia. Levia tamen præ cæteris. Nam renovata Caligulæ Domitianique impietate, Dominum se palam dici passus est, & adorari appellarique ut Deum, *documentumque præbuit, humillimos quosque, ubi alta accesserunt, superbia atque ambitione immodicos esse, dum animus potentiæ expers, tanquam inedia refecti, insatiabilis est.*

Herculius libidine tanta agebatur, ut ne ab obsidum corporibus quidem animi labem comprimeret, propalam ferus & incivilis ingenii, asperitatem suam etiam vultus horrore significans. Hic naturæ suæ indulgens, Diocletiano in omnibus est austerioribus obsecutus, cui parum honesta in amicos fides erat, discordiarum metu, quas enunciationibus agitari suspicabatur. Hinc etiam quasi truncatæ vires urbis, imminuto prætoriarum cohortium, atque in armis vulgi numero. *Triumphum egerunt Romæ* inclytum ex numerosis gentibus, quas devicerant, pompa ferculorum illustri, quâ *Narsei* conjuges sororesque & liberi ante currum ducti sunt. Erat & à Constantio Cæsare pugnatum in Galliis, circa Lingones, die una adversam erat & secundam fortunam expertus. Nam cum repentè Barbaris ingruentibus, intra civitatem esset coactus, tam præcipiti necessitate, ut clausis portis in murum funibus tolleretur, vix quinque horis mediis adventante exercitu, LX fere millia Alemannorum cecidit. Sic omnia imperio

Eutrop. lib. 9. Aurelius Victor.

Eusebius Chron.

A. M. 4272. *Christi* 302.

Euseb. lib. 9. Zonar. tom. 2.

perio prosperè provenerunt, usque ad annum Diocletiani XIX, Christi CCCVI, quo elatiores jam victoriis, sumptisque Deorum suorum cognomentis terribiles, Diocletianus & Maximianus, Christum atrociter oppugnare cœperunt. Sævitum antea in milites fuerat, exautoratis qui immolare idolis nollent, multis etiam occisis. Qua tentatione præludebatur quidem ad truculentiores conatus; Sed vulgus Christianorum aspernatum preces & vota, quibus tristiora præverteret apud Deum, securitate sua multo graviora promeruit, ingenti cessura gloriæ iis, qui serio diligerent Deum.

Euseb. l.8. c.3.4. Oros. l.7. cap.25.

Decima hæc persecutio facta. A. M. 4273. Christi 303.

Igitur propositis publicè edictis, vetiti esse *Christiani*, imperatum, ut Ecclesias diruant præsides, codices sacros ignibus aboleant, honoribus fungentes Christianos ad privatum redigant statum, privatos in servitutem. Mox ut feræ à morsibus sæviores Augusti, Ecclesiarum præsides ad negandum Christianismum compelli, nolentes abnegare occidi jubent. Tandem in omnes sine discrimine cruentum stringunt ferrum. Repertus Nicomediæ est vir illustris, qui præsentibus in urbe Jovio & Galerio, auderet sanguinarium edictum concerpere, atque ob id animandis reliquis subire supplicium. Eum secuti de familia Principum, gestis honoribus clari, Petrus, Dorotheus, Gorgonius, Anthimus, & alii multi, velut duces & primitiæ cædendorum Christi gregum, quorum aliqui vivi, aliqui jam mortui in mare præcipitati sunt. Narrat Eusebius, visas sibi tunc Tyri feras abstinentes à Christianis, in quos incitabantur, & cum furore irruentes in illos, qui circumstabant, crudeli spectaculo saturaturi oculos. Nec tamen ullum crudelitatis genus est, quod piæ & devotæ Christo animæ, illis temporibus non pertulerint. Quidam crucibus suffixi, quidam cremati vivi, alii lentis ignibus assati, nonnulli inflexis arborum ramis discerpti: fame necati quidam, plures gladiis, plurimi à bestiis laniati, cutis detracta aliquibus; alii flagris ferreis per singulas partes corporis cæsi ad mortem; quidam post tormenta reducti in carceres, ut lentitudine tormentorum deficerent. Mulieres uno pede suspensæ nudæ, aduste quibusdam mammæ; nulli sexui, nulli ætati, nulli honori venia data. Philoromus procurator Cæsaris Alexandriæ, Phileas Thmuitarum Episcopus, plurimique passim alii illustres supplicio affecti. Non pauciores tamen vel arte effugiebant confessiones & tormenta, vel pecuniis redimebant, vel hanc miseram vitam Christo Domino præponebant. Nomen æternum de iis meretur Romanus, Cæsarienſis Diaconus & Exorcista, qui conspicatus Antiochiæ multos ad idola transgredi, magna eos voce increpavit, & redire ad Christum compulit. Cui ob id lingua exsecta, diu tortus, tandem constantem animam Christo reddidit, laborum præmia percepturam.

Euseb. l.8.c.5.

Euseb. l.8.c.7.

Euseb. l.8.c.7.8. 10.11.

Eusebius l.8.c.12.

Itaque Diocletiano & Maximiano non potuit durare imperium, quo eum oppugnabant, à quo illud acceperant. Altero statim persecutionis anno invasus fœdo morbo Diocletianus, ac mente motus, ut ad se rediit, intestinas clades dixit, & fragorem impendere status Romani, novoque prorsus & inaudito exemplo, curam abjecit Reipublicæ, adhuc valentior celebrato regni anno vicesimo: Auctorque Herculio fuit, ut pariter in privatam vitam concederet, & stationem tuendæ Reipubl. viridioribus, junioribusque mandaret. Cui ægrè collega obtemperavit. Tamen *uterque una die privato habitu imperii insigne mutavit*, Nicomediæ Diocletianus, Herculius Mediolani. Ille Salonas in patriam, hic migravit in Lucaniam: Constantius & Galerius Augusti creati.

Euseb. l.8.c.13. 26. & in Chron. Aurel. Victor de Cæsaribus. Eutrop. lib.9.

A. M. 4274. Christi 304.

FL. CONSTANTIUS CHLORUS, ET GALERIUS MAXIMINUS. *Anno eodem.*

INter eos divisus Romanus orbis, ut Galliam, Italiam, Africam, Britanniam, *Eutrop. lib.2.*

niam, Germaniam, Constantius; Illyricum, Asiam, Orientem, Galerius obtineret, sumptis duobus Cæsaribus. Constantius tamen contentus dignitate Augusti, Italiæ atque Africæ administrandæ sollicitudinem recusavit, vir egregius, & præstantissimæ civilitatis, divinis provincialium, ac privatorum studiis, *fisci commoda non admodum affectans, ducensque melius, publicas opes à privatis haberi, quam intra unum claustrum reservari.* Quare Diocletiano aliquando exprobrante ei paupertatem, facilè in unum contraxit sparsas divitias, & cum ostendisset tantum legatis, statim possessoribus reddidit. Cultus valdè modici, non amabilis modo subditis, verum etiam venerabilis, præcipuè quod Diocletiani suspectam calliditatem & Maximiani temeritatem sanguinariam imperio ejus evaserant. Galerius pulcher corpore, eximius & felix bellator, ortus Dacia Ripensi, parentibus agrariis, pastor armentorum, unde ei cognomen Armentarius fuit. Is insolenter affirmare ausus est, matrem suam more Olympiadis compressam à Dracone semet concepisse. Moribus certè odioque in Christianos Draco fuit, nec indignus eo, quo se natum parente fatebatur. Latiorem *in Christianos*, quam prædecessorum quisquam, *persecutionem* movit, quam plerique fuga antevertere conati, in eremos & avia se recepêre. Apphianus, apud Pagas Lyciæ nobili loco natus, Urbanum Palæstinæ Præsidem, ab idolorum cultu dehortari ausus, crudelem mortem subiit, adjecto oleo luminis instar ustus: tandem in mare abjectus miraculum præbuit. Confestim enim regurgitans mare, concussa etiam validissimis procellis continente, exanimum corpus littori reddidit. Ejus frater Ædesius, simili de causa, apud Alexandriam eundem exitum habuit. Nec Urbanus, plurimis occisis Christianorum, effugit ultricem Dei manum, capitis damnatus à Maximino, cujus impiis jussionibus subservierat.

Euseb. lib. 8. hist. Hist. Eccl. cap. 25.

Euseb. de vita Const. l. 1. c. 10.

Aurel. Victor.

Euseb. l. 8. c. 14.

Euseb. lib. 8. cap. 17.

At Firmilianus Urbano deterior, in ipsa cadavera sæviit, sepeliri prohibens Christianos, detestantibus etiam profanis gentibus inimicum naturæ scelus, nec sustinentibus dirum oculis spectaculum, cùm carnivoræ aves & bestiæ, humana membra oribus circumferrent, ipsique lapides & columnæ ædificiorum prodigiosas de se lacrymas funderent. Tandem Deus ipse prohibuit novo miraculo immane nefas. Bestiæ enim cadavera Pamphili & duodecim aliorum, quatriduo relicta in plateis, attingere non ausæ, audaciam præbuêre amicis, ut sepulcris inferrent illæsa. Firmilianus mox suo gladio, quem in pios strinxerat, impie periit.

Euseb. lib. 8. hist. c. 19.

Euseb. 8. cap. 22. 23. 24.

Ita grassante per Palæstinam, Ægyptum, Syriam, Mesopotamiam, Pontum, Cappadociam, Bithyniam, omnesque Maximino subditas terras Dracone, urbs quædam Phrygiæ, cum incolis omnibus & magistratibus, fidem Christi constanter confessa, injectis à Tyranno facibus conflagravit. Præsides provinciarum, quasi propositis præmiis nequitiæ, certabant inter se, ut novorum acerbitate suppliciorum se invicem superarent. Sed major erat Dei virtus in sanctis, quam ut deleri ulla Satanæ arte aut virulentia possent.

Octavo enim anno, lassatis judicum oculis, fessisque carnificum manibus, cum certatim glorioſa in certamina rueretur, multoque avidius à multis martyria, quam postea Episcopatus quærerentur, metuentes solitudinem urbium tyranni, contenti fuerunt oculum effodere, & crus alterum suffringere confessoribus, & metalla iis imponere eruenda.

Inter illustriores Ecclesiarum præpositos [*martyrio sunt coronati* Anthimus Nicomediæ, Tyrannio Tyri, Petrus Alexandriæ, Silvanus Emisæ, Silvanus Gazæ Episcopi. Lucianus Antiochiæ, Zenobion Sidonis, Pamphilius Cæsareæ presbyteri; Deinde in aliis orbis partibus innumeri, ut vere scribat Sulpitius Severus: *Nullis unquam magis bellis mundus exhaustus est, neque majore unquam*

Euseb. lib. 8. c. 25. & lib. 9. cap. 5.

Sulpit. Sever. lib. 2. Euseb. lib. 8.

triumpho vicimus, quam cum decem annorum stragibus vinci non potuimus.

Hist. c.25. & l.1. de vita Const. c.9.

Constantius sanè detestatus collegæ sævitiam, per provincias sibi subjectas pacem indulsit Christianis, solumque biennium illud Diocletiani & Maximiani illis fuit infestum. Sed breve Constantio, post abdicationem Diocletiani, imperium contigit, quo laudabiliter functus, præter alia, hoc integritatis edidit specimen. Simulata enim conspiratione cum collega, Christianos aula pellit, ut sinceros, quos cognovisset revocet. Nam remanentes apud se, tanquam Deo suo infidos, ac multo minus sibi fidem servaturos, abjecit, contra Dei amorem præponentes Principi, magno in honore habuit. Dum hæc fiunt, Galerius accessisse administrationi suæ Italiam sentiens, Cæsares duos creavit, Severum per Italiam, Maximinum fororis filium per Orientem, ambos Illyricos. Constantinum, Constantii ex Helena filium, religionis specie ad vicem obsidis tenebat; cujus à puero ingentem animum veritus, ad pericula eum modò cum barbaro hoste, modò cum Leone subeunda hortatur, elapsumque semper interficere cogitabat. At ille arrepta fuga, cum ad frustrandos insequentes, publica jumenta, quaqua iter egerat, interficeret, in Britanniam pervenit, ibidemque Constantium patrem, vitæ ultima agentem, reperit. Quo non sine luce Christi placidè mortuo, & à Romanis in Deos relato, cunctis, qui aderant, annitentibus, præsertim Eroco Alemannorum rege, imperium cepit.

Euseb. l.1. de vita Const. cap.11. Zonar. tom.2. Aurel. Victor. Zosim. lib.2. Euseb. l.1. de vita Const. c.11.12. 15.16. Eutrop. lib.10.

A. M. 4276. Christi 306.

Romæ interea prætoriani, corrupti à *Maxentio*, excitato tumultu, Maxentium Herculei filium, qui haud procul urbe in villa publica morabatur, Augustum nuncupant. Quo nuntio Maximianus Herculeus ad spem erectus resumendi fastigii, quod invitus amiserat, Romam advolat è Lucania, Diocletianumque etiam per literas adhortatur, ut depositam recipiat potestatem. Quas ille irritas habuit, imperium tanquam pestem detestans, dicensque: Utinam Salonæ possitis visere olera, nostris manibus instituta, profecto nunquam istud tentandum judicaretis.

Aurel. Victor. Epitome.

Sed adversum motum prætorianorum atque Maxentii, Severus Cæsar Romam missus à Galerio, cum exercitu venit, obsidensque urbem, militum suorum scelere est desertus, auctæ Maxentio opes, confirmatumque imperium. Severus Ravennæ se mœnibus defendens, dolo Maximiani evocatur, & Romæ apud tres Tabernas interficitur. Maximianus posthæc in concione filium Maxentium denudare conatus, quem indignum judicabat, ut erat, imperio, seditionem & convitia militum tulit.

Zosim. lib.2.

Inde ad Gallias profectus est, dolo composito, tanquam à filio esset expulsus, ut Constantino genero, cui Faustam filiam dederat, jungeretur; moliens tamen Constantinum, reperta occasione, interficere, qui in Galliis, & militum & provincialium, ingenti jam favore regnabat, cæsis Francis atque Alemannis, captisque eorum regibus. Detectis igitur insidiis per Faustam Maximiani filiam, quæ dolum viro enunciaverat, profugit Massiliam Herculeus. Ibi oppressus (ex ea etenim navigare ad filium præparabat) pœnas impietatis justissimo exitu, fractis laqueo cervicibus luit: vir ad omnem asperitatem sævitiamque proclivus, infidus, incommodus, civilitatis penitus expers, nulli nunquam carus, cui Eutropia Syra Maxentium filium muliebri arte suppositum erat.

Eutrop. lib.10. Oros. l.7.c.28.

Epit. Aurel.

Per hoc tempus *Licinius*, à Galerio Imperator est factus, Dacia oriundus, notus ei antiqua consuetudine, & in bello, quod adversus Narseum gesserat, strenuis laboribus & officiis acceptus. Sed *mors Galerii* statim secuta est, cum Cæsaris potentiam tredecim annos gessisset, naturæ officiis instructus nisi ea insulsitate maculasset & atrocitate morum. Quare *compertum est* (inquit Aurelius) *Eruditionem, elegantiam, comitatem præsertim, Principibus necessarias esse, cum sine*

A. M. 4280. Christi 310.

sine his naturæ bona, quasi incompta atque etiam horrida, despectui sint: Contraque Persarum regi Cyro æternam gloriam paraverint; addiderim ego, omnibus quotquot ante Galerium fuere, bonis Principibus Romanorum.

Galerius, relicto ad munimentum Illyrici ac Thraciæ Licinio, Romam contendit, oppressurus Maxentium. Ibi cum obsidione distineretur, militibus præmiorum illecebris à Maxentio attentatis, metu ne desereretur, Italia decessit: pauloque post vulnere pestilenti consumptis genitalibus, & verminante toto corpore, defecit. Ubi monitus à Medicis, quorum multos impatientia dolorum occiderat, incurabile esse malum, quo propter Christianorum supplicia torqueretur, retractavit edicta, reddidit Christianis libertatem, suamque eorum precibus salutem commendavit. Sed sera hominis impii, & cruciatibus extorta pœnitentia, nihil ei profuit.

Aurel. Victor. Eusеb. lib. 8. c. 28. 29. Oros. l. 7. cap. 28.

Hæc ætas non *martyres* solum, sed & *historicos & philosophos fudit.* Nam Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Ælius Lampridius, Vulcatius Gallicanus, Trebellius Pollio, Flavius Vopiscus, è quibus pleraque Cæsarum descripsimus, historias suas Diocletiano & Constantio Augustis inscripsere. Arnobius è Philosophis Christianus, egregiè fidem tutatus, parem discipulum Lactantium tulit.

Fl. Valerius, Constantinus Magnus, & Licinius.

Eutrop. lib. 10. ERgo *Constantinus*, Constantio Augusto ex priore cum Helenâ matrimonio legitimè natus, in locum patris exoptatissimus moderator accessit. *Respublica* tum *à quatuor* Imperatoribus tenebatur: *Constantino & Maxentio filiis Augustorum, Licinio & Maximino novis hominibus.* Adjunxit se apud Pœnos Alexander, ex præfectura dominatui stolidè incumbens, debili ætate, agrestibus ac Pannonicis parentibus suis vecordior. *Aurel. Victor.* Sed eum à Maxentio missi, pauciss imis cohortibus, Rufus Volusianus, præfectus prætorio, ac militares duces, levi certamine confecere. Quo victo, Maxentius Carthaginem terrarum decus, simul Africæ pulchriora vastari, diripi, incendique jussit, ferus, inhumanusque ac libidine multo tetrior. Initio dominatus cohibita Christianorum persecutione moderationem affectaverat: sed firmior sibi visus, Galerio par crudelitate, moribus etiam deterior fuit. Tentata utrique virginum & matronarum pudicitia, fugas quasque & mortes Christi amori, suoque pudori posthabentium. Stupratæ Maxentio illustres Romanorum fœminæ, & post dedecora remissæ ad maritos, secta infantium viscera, secti prægnantium uteri ad elicienda magicis artibus dæmonum consulta: jus fasque omne proculcatum.

Euseb. lib. 8. hist. c. 26. l. de vita Constantini. c. 27. 28. 29. 30.

Per Orientem quidem, interitu & recantatione Galerii Maximini, respiraverat modicum Ecclesia, redeuntibus è solitudine & metallis, qui aut voluntate sua, aut edictis tyrannorum exulaverant. Sed semestre illud gaudium fuit, tristiore statim clade obtenebratum. Nam Jovius Maximinus, successor Galerii extremum Satanæ virus profudit in Ecclesiam, urgentibus imprimis Theoteeno Antiochiæ procuratore, & alio Damasci præside: à quibus subornatæ civitatum legiones, requisita dæmonum oracula, sanctos exscindi postulantium, conficta Pilati & Christi acta, perque omnes provincias & Scholas orbis circummissa, suppositæ mulieres impuræ, Christianas se olim fuisse mentientes, & incestarum Christianismi consuetudinum conscientia pollutas. Instaurari ergo jubet templa & fana Deorum Maximinus, redintegrari sacra, dat illustribus viris sacerdotia, proscribit Christianorum religiones. Imò incisis in æreas columnas edictis, Christianismo imputat pestes, sterilitates, bella, omniaque superiorum temporum mala. Suum ait felix fortunatumque imperium,

Euseb. l. 3. c. 1. 2. 3. 4.

Euseb. l. 9. hist. c. 6. 7.

rium, quia undique profliget Christianismum. Sed ut est *vindex oportunus nominis sui Deus*, extemplo eluxit mendacium, ingruunt subitò morbi inusitati & pestilentes, exstinguuntur oculorum lumina mortalibus, tenebras luci præponentibus, non cadunt ex more imbres, siccitate aduruntur sata, fames affligit provincias, una tritici mensura M M D drachmis, id est, C C C Imperialibus nostris vænit, mediæ sortis homines fame, contagiis absumuntur ditiores. Deserta à suis, abjectaque per vias cadavera hostium suorum sepeliunt Christiani, *bonusque audit Deus ille, quem adeò boni colunt*. Armenii libertatem exercendi Christianismi armis vindicant, clade afficiunt Maximinum.

Eutrop. lib. 10. Aurel. Victor. Zozim. lib. 2.

His tandem gradibus ad deturbandum imperio mundi Satanam proceditur. Etenim *Constantinus* vir ingens, cæterisque, ut ait Aurelius, promptus virtutibus, eruditione usque ad astra votis omnium subvectus: ubi vastari urbem atque Italiam comperit, pulsoque seu interemptos Imperatores duos, Severum & Galerium, composita pace per Gallias, & Licinio sibi per nuptias sororis devincto, quinto imperii anno Maxentium petit, Romæ adversus nobiles exitiis omnibus sævientem. Interim Diocletianus morte, per formidinem, voluntaria consumitur. Quippe cum à Constantino atque Licinio vocatus ad festa nuptiarum, per senectam, quo minus interesse valeret, se excusavisset, res scriptis minacibus acceptis, quibus increpabatur Maxentio favisse, & Maximino favere, suspectans necem dedecorosam, venenum dicitur hausisse: fulmen eum semper formidasse, palatiumque ejus, igni cœlesti deflagrasse, Constantinus ipse ad sanctos Oratione testatur.

Epit. Aurel.

Constant. Oratio. Sextus Aurel. de Cæsaribus. Epit. Aurel. Euseb. de vita Const. cap. 32.

Maxentius pavidus & imbellis, atque in desidiam fœdè pronus, usque eò, ut flagrante per Italiam bello, fusisque apud Veronam suis, nihilò segnius solita curaret, neque patris exitio moveretur. Tandem ab urbe in saxa rubra, millia fermè novem, ægerrimè progreditur. Inde dum, cæsa à Constantino acie, fugiens semet Romam recipit, & in pontem navigiis compositum ab latere ingredi festinat, lapsu equi in profundum demersus est, voratumque limo, pondere thoracis, corpus vix repertum. Eodem exitio satellites & stipatores ejus absorpti, renovatumque in novo Pharaone prisci illius supplicium, tyrannidis ejus anno sexto. Maxentius C L X X M peditum, octodecim equitum duxerat, Constantinus vix dimidium. Hujus nece (verbis loquor Aurelii) incredibile quantum lætitia gaudioque senatus ac plebes exultaverint: quos in tantum afflictaverat, uti prætorianis cædem vulgi quondam annuerit, primusque instituto pessimo, Numinum specie, Patres, Oratoresque pecuniam conferre prodigenti sibi cogeret. Quorum odio prætoriæ legiones, ac subsidia factionibus aptiora, quam urbi Romanæ, sublata penitus simul arma atque usus indumenti militaris. Adhæc cuncta opera, quæ magnificè construxerat, urbis fanum atque Basilicam, Flavii meritis patres sacravêre. A quo etiam post Circus maximus excultus mirificè, atque ad lavandum institutum opus, cæteris (thermis puta Diocletianis) haud multo dispar, Statuæ locis quam celeberrimis, quarum plures ex auro aut argenteæ. Inter eas præcipuam, ait Eusebius, crucis aureæ trophæo insignitam, inscripto basi hoc titulo: Hoc salutari signo, vero fortitudinis indicio, nostram civitatem tyranni jugo liberavi, & S. P. Q. R. in libertatem vindicans, pristinæ amplitudini & splendori restitui.

Zozim. lib. 1.

Euseb. lib. 9. hist. Eccles. cap. 8.

Socrat. lib. 1. cap. 2.

Addit enim oranti, & de eventu prælii sollicito Constantino, oblatum in cœlo crucis ostentum, tempore meridiano lucidissimum, inscriptum literis, *In hoc vinces*. Territo exercitu defixoque in cogitationes profundas Cæsari, apparuisse sequenti nocte Christum, mandantem Constantino, ut eâ, quam conspexerat, figura

Euseb. lib. 1. de vita Const. cap. 22. 23 24. 33. Zozim l. 1. c. 3. 4.

figura pro signo in hostem uteretur. Itaque debellato per Christum crucifixum Maxentio, statim Constantinus, & Licinius, pacem promulgant Christianis; C. Valerius Maximinus per Orientem jam sibi metuens, oppresso scelerum socio, vexandos quidem ulterius Christianos negat, conventus tamen nondum indulget.

Euseb. lib. 9. cap. 8. Eutr. lib. 10. Euseb. lib. 2. de vita Const. c. 51. 52.

Sed eum *Licinius* mox redegit in ordinem, nova molientem, sibique soli primas potestatis partes asserentem. Etenim victum & desertum à militibus, Illyrico primum, mox Thracia expulit, atque in Ciliciam refugum Tharsoque inclusum urbe, cum jam Christianis sero satis libertatem agendi conventus redderet, & suasores interficeret belli, obsidione ursit. Ibi vicinum ab Licinio exitium fatalis mors prævenit, post triennii Augustum imperium, deletisque tyrannis cessavit decennalis persecutio, pax aurea refulsit Ecclesiis Dei. *Maximinus* tam fœdo morbo *consumptus* est, ut corpus ejus adhuc spirans, luminibusque orbatum, vermibus sepulcrum animæ in eo altè defossæ haberetur, teste Eusebio, invocataque crebro morte, cum execratione vitæ præcedentis tandem deficeret. Ita extinctis quinque tyrannis Ecclesiæ infestissimis, Diocletiano, Maximiano, Galerio, Maximino, Maxentio, C. Valerio Maximino: similiter Severo Galerii socio, & Alexandro Africæ tyranno, denique etiam Licinio, cum transversum egisset eum Satanas, & collegis ab ipso dictis Valente Martinianoque, solus *Constantinus* orbis terrarum cepit imperium, perque eum Christus crucifixus omnium Dominus gentium propalam agnitus & celebratus est, dimoto à regnis mundi & in abyssum religato Dracone decicorne illo & septicipite, qui de septem Romæ montibus decem persecutionibus & extremæ persecutionis decem administris, fœtam Christo Ecclesiam ducentis septuaginta novem annis impugnaverat. Atque hic octavo historiæ nostræ libro finis esto, ut sequens liberatam à mystica Ægypto Ecclesiam exhibeat.

Apoc. 12. 20. Euseb. lib. 3. de vita Const. cap. 3. Oros. l. 7. cap. 27.

A. M. 4283. *Christi* 313.

Liber IX.

Explicans regnantis Ecclesiæ ævum, quo Christiani rerum in mundo potiti, usque ad solutum captivitate Satanam post mille annos, imperante Turca Othomanno. Tempus ab anno Christi 314 *usque ad* 1314.

CONSTANTINUS MAGNUS.

Dici nequit, quanta cum orbis lætitia Christianis, post decennales persecutionum tenebras, tranquillitatis lux amica emicuerit. Notati sunt abhinc ignominia, & suppliciis affecti hostes sanctorum, *regna mundi & potestas omnis Christi facta est & sanctorum ejus*, quemadmodum ante ducentos viginti annos divinus Jesu Christi Apostolus Apocalypsi sua prædixerat. Ergo Theotecnus, Peucetius, Cultianus, præcipuique alii familiares & cognati Maximini, supplicia pendere coacti Licinio, filii quoque Maximini in potestatis consortium assumpti. Instaurata vicissim à fundamentis templa Christi, donati libertatibus honoribusque magnis Episcopi & Doctores Ecclesiarum, præsertim contumelias pro Christo passi; gratiæ Deo publicè ab omnibus ingenti cum jubilo magnisque pompis actæ. Soluti oneribus impensisque civilibus ac publicis Clerici, ut expeditiores ad doctrinam & preces essent.

Apoc. cap. 11. 15. 12. 10.

Euseb. lib. 10. hist. c. 1. 2. &c.

essent. Indicta à Constantino Romæ & Arelate concilia, præceptumque Miltiadi Romano, & aliis Episcopis, ut Cæciliani Carthaginensis & Donati controversias, præsentibus Augustæ majestatis Vicariis, deciderent. Absolutus Cæcilianus, damnati *Donatistæ*, qui illegitimam Cæciliano objectantes electionem, singularitatis studio commune Ecclesiæ vinculum ruperant. Nec affecti supplicio tamen, dicente Constantino, commiserandos potius tales, quam pœnis affligendos. Sed dum hæc fiunt, interrupta communis felicitas per *Licinianum Licinium*, ad extremum in ipsius caput vertit.

Lib.10. histor.c.7. *Euseb.de vit.Const. l.1.c.33.*

Hic incitatus à Magis & præstigiatoribus, occultè primum, mox apertè vexare Christianos cœpit. Principio Episcopos inter se convenire vetuit, deinde mulieres publicis exclusit sacris, jubens privatim eas à suo sexu institui, quod aliorum naturam, è sua metiens, castimoniam nulli hominum inesse credebat. Tandem clausis templis, sub dio convenire præcepit omnes, militia & palatio motis, qui sacrificare abnuerent Numinibus. Ad ultimum gladios strinxit in Episcoporum aliquos, Amasenam in Ponto Ecclesiam subvertit, confessores quosdam frustillatim concisos mari mersit. Igitur antequam ulterius pergeret, prævertit cruentos hominis conatus insidiasque sibi structas *Constantinus*, quamvis ei per Constantiam sororem, Licinio nuptam, affinis. *Nam illi præter admodum magna cætera pietas, Licinio parsimonia, & ea quidem agrestis tantummodo inerat, tetrâ avaritiæ cupidine*, ut habet Epitome Aureliana, omnium pessimus, asper admodum, cui ne insontium quidem ac nobilium Philosophorum, servili more cruciatus adhibiti modum fecêre. Infestus literis, quas insitiam immodicam, virus ac pestem publicam nominabat, præcipuè forensem industriam. Agrariis planè ac rusticantibus, quia ab eo genere ortus altusque erat, satis utilis, ac militiæ custos ad veterum institu-

Euseb.l.1. de vita Const.& l.10.hist. Eccl. cap.3.9. *Sulpit. Severus lib.2. Oros.l.7. cap.28.* *Sextus Aurel. Victor.*

tuta severissimus. Spadonum & aulicorum omnium vehemens domitor, *tineas eos soriceque palatii* appellans sine discrimine. Augurum cultor & hariolorum, magna illi & fausta quæque promittentium. Igitur non minus Dii inter se, quam homines concurrêre, Licinio accuratissimè sua venerante Numina, Constantino Christum, cujus insigne præferebat, & modestiam æmulabatur. Nam cunctos hostes (verba refero Victoris Aurelii, scriptoris horum temporum ethnici) honore ac fortunis manentibus texit recepitque, eo pius, ut etiam *vetus teterrimumque supplicium patibulorum & cruribus suffringendis primus removerit.* Hinc pro conditore seu Deo habitus, *calumnias sedans legibus severissimis, nutrire artes bonas, præcipuè studia literarum, legere ipse, scribere, meditari, audire legationes & querimonias provinciarum.*

Euseb.l.2. de vita Const.c.6. &c. *Socrat. lib.1. hist.c.3.* *Epit. Aurel.*

Ergò primum apud Cibalas, juxta paludem Hiulcam nomine, Constantinus nocte castra Licinii irrumpit, Licinium in fugam agit, cæsis partim, partim in fidem receptis ejus copiis, Licinius Byzantium fuga volucri pervenit: Ibi Valentem ut socium habeat belli fidum, Cæsarem creat. Dehinc alio prælio pulsum, fœderaque petentem non admittit solum Constantinus, sed & affinitatis gratia recepti in consortium, adscitique Imperio Cæsarum communes liberi, Crispus, Constantinus Flavio geniti, Licinianus Licinio. Valens dissidiorum author necatus. Quod equidem vix diuturnum, neque his, qui assumebantur, felix fore defectu Solis, fœdato iisdem mensibus die, patefactum.

Euseb.l. de vita Const.l.2. cap.10. Aurel. Victor. Zozim l.1.c.7. Zozim. lib.2.

Itaque sexennio post rupta pace, apud Thraces Licinius pulsus, Chalcedona concessit. Martinianum officiorum Magistrum Cæsarem dicit. Neque novi eum Dii, quos delusus iterum à Magis studiose erat veneratus, neque veteres, quorum infirmitatem superioribus cognoverat præliis, servare potuerunt. Acie omni potior Constantinus, adegit

Euseb.l.2. de vita Const.c.11. 12.15. &c.

adegit eum, pacta salute, indumentum regium offerre uxoris manu. Inde Thessalonicam missum, cum nova denuò moliretur, paulo post eum Martinianumque jugulari jubet. Ita Licinius annum dominationis ferè post quintum decimum, vitæ proxime sexagesimum, fusum Christianorum sanguinem proprio suo piavit.

A. M. 4294. *Chr.* 324. *Lib.* 1. *de vita Const. cap.* 3.

Eo modo Resp. unius Constantini arbitrio geri cœpta, ex tot rebus gestis vere jam Magni, & ut recte judicat Eusebius, Cyro & Alexandro Majoris. De Christianis contrarias plane tyrannicis istis leges tulit, exules revocavit, spoliatos ditavit, servos libertati reddidit, plerisque provinciis Christianos dedit rectores. Si qui Christiani esse nollent, idolis tamen sacrificare prohibuit; hortatus ad Christianismum induendum omnes, propositis diplomatis, *molestus nemini ob mentis errorem fuit, certamen pro immortalitate sponte suscipiendum, cogi non posse dictitans.*

Lib. 2. *de vita Const. c.* 43. 58. 59.

Ejus Principis, totiusque Ecclesiæ felicitatem obnubilavit *Arius*, æternitatis veræque in Christo deitatis hostis, homo argutus, ambitiosus, pertinax, callidus: Antagonistam nactus fervidiusculum, *Alexandrum*, Alexandrinæ Ecclesiæ, cujus presbyter erat Arius, Episcopum. Alexandriæ suscitata dissensionis scintilla, primum Ægyptum, Thebaidem, Libyam, deinde totum orbem incendio aut fumo pestiferarum opinionum, dissidiorumque implevit. Imperator glisscentem flammam, misso Osio Cordubensi Episcopo, opprimere, impositio utrique silentio, cupiens, hortatus gravissima Epistola est, *ne ob quæstionum litis quam pietatis feraciorum temeritatem, Ecclesiam Christi scinderent, præberentque ludibrii causam infidelibus:* sed nihil effecit.

Lib. 2. *de vita Const. c.* 60. *&c.*

Socrat. l. 1. *c.* 7. A. M. 4289. *Chr.* 319. *Theod. l.* 1. *c.* 2. *Apoc.* 9. 1. 2.

Quæsita utrinque suffragia rem ad *Concilium* universale pertraxerunt, quod Constantini indictione *apud Nicæam* Bithyniæ convenit; anno Christi, ut habet Eusebius, CCCXXV. Trecentos & duo de viginti Episcopos, presbyterosque insuper & Diaconos innumeros adfuisse, Sulpitius Severus, Socrates, Theodoretus, Sozomenus tradunt. Eusebius ultra ducentos quinquaginta Episcopos, & Romanum, (erat is *Sylvester*) ob senectam interfuisse per legatos Presbyteros narrat. Consedisse in medio Imperatorem sedili deaurato, post eum Episcopos, dextrique ordinis primum (is fuit *Eustathius* Antiochenus) incepisse Synodum à veneratione Numinis, cujus verba prosecutum Constantinum Oratione ad concordiam directa. *Libri*, inquit, *Evangelistarum & Apostolorum, quin etiam veterum Prophetarum oracula, nos evidenter docent, quid de divino Numine sentiendum sit. Omni igitur seditiosa contentione depulsa, literarum divinitus inspiratarum testimoniis res in quæstionem adductas dissolvamus.* Audita Arianorum dogmata hujuscemodi: *Patrem Domini instituendi orbis causa genuisse filium, ex eo pro potestate sui ex nihilo factum Dominum novum alterumque. Fuisse autem tempus quo filius non fuisset.* Collatis sententiis ea confessio damnatur, *Christus Patri* ὁμοούσιος, id est, consubstantialis, *non factus, nec creatus, sed ab æterno ex Patre genitus declaratur.* Imperator decretum complectitur: Arius cum factione sua in exilium agitur. Sublata & vetus est de Paschate controversia, ut deinceps non decima quarta luna cum Judæis, sed prima post plenilunium æquinoctiale Dominica celebraretur. Alias Episcoporum inter se lites, *conjectis in ignem tabellis, quibus disceptationes continebantur*, abolevit Imperator.

Socrat. l. 1. *c.* 8. *Theod. l.* 1. *c.* 7. *Sulpit. Severus lib.* 2. *Euseb. l.* 3. *de vita Constant. c.* 13. 14. 15. *Sozom. l.* 1. *c.* 20. *Tripart. Hist. l.* 2. *cap.* 2.

Sic velut novo de hostibus Ecclesiæ triumpho potitus, *Vicennalia* celebravit Imperii, Episcopos convivio excepit, muneribus affecit, Paphnutii Thebaidis, & Spiridonis Cypri Episcoporum, accepta *pro Christo stigmata, exosculatus est, beatos prædicans, quibus talia pati datur.* Ejusdem Paphnutii autoritate cohibiti in Synodo, qui ad continentiam ab uxoribus adigendos censebant Episcopos, *assertus matrimonio suus apud omnes ordines*

Socrat. lib. 1. *Hist. c.* 5. A. M. 4296. *Chr.* 326. *Sozom. lib.* 1. *c.* 16. 17.

A. M. 4295. *Chr.* 325. *Euseb. l.* 6. *c.* 6. *&c. de vita Const.*

Heb.13.4. *dines honor.* Cohibita & Dialecticorum argutia, unius ejusque simplicissimi Confessoris Oratione, *non verba sed verborum virtutem proferentis.* Cumque Acesius Novatianorum Episcopus, privandos communione Christi contenderet lapsos, veniamque pœnitentibus non ab Ecclesia, sed à solo Christo exspectandam, audivit à Constantino: *Erigito scalam Aceſi, & in cœlum solus ascende.* Cæterum Arriani nihil contra sanam fidem ructare ausi se quoque tanquam acquiescentes, nec aliud sentientes Ecclesiis immiscuerunt: manebat tamen in pectoribus eorum insitum in Catholicos viros odium, & *adversus quos de fide disceptare non poterant, eos subornatis accusatoribus, fictisque criminibus appetebant.*

Socrat. l.1.c.7. *Sulpitius Sever.l.2.* *Socrat. l.1.c.14.*

Euseb.l.3. *Anno eodem.* *V. Constant. c.25.32.* *Zozom. l.2.c.1.* *Theod. lib.1. Hist.c.18.*

Constantinus interim locum sepulturæ Domini, à gentibus lascivæ Veneris fano conspurcatum, emundari, insignique exornari templo jubet, addita urbe, cui novæ Hierosolymæ nomen datum. Mirumque dictu, quantum hoc temporum tractu invaluerit Christiana religio. *Helena* Augusta, mater Principis, regni usa viribus, Basilicas circa antrum nativitatis, dominicæque adscensionis locum constituit, ubi calcati Deo pulveris perenne monumentum fertur, ut vestigia impressa cernantur, nec ulla temporum damna sentiant. Repertæ crucis non meminit sanè in vita Constantini Eusebius, posteriores autem constanter, *addentes, contactu ejus hominem recens mortuum in vitam revocatum, aut mulierem seminecem valetudini pristinæ redditam.* Quibus gestis *Helena*, liberalitatis in sanctos exemplar octogenaria *decessit.*

Sulpit. lib.2. *Socrat. l.1.c.13.* *A. M. 4297. Chr.327.* *Euseb.l.3. v.C.c.42.* *46.* *Eutrop. lib.10.*

Eo tempore cum Crispus, maximus filiorum Constantini, confictis *Faustæ* novercæ criminibus, occidisset, increpatus à matre Princeps, dolore nepotis nimio, uxorem sceleris convictam *ardentibus balneis interemit*, qui & antea Licinianum, sororis filium, (incertum quâ causa) commodæ indolis juvenem, occiderat, cum alias indulgentia potius quam severitate videretur peccari.

Oroſius l.7.c.28. *Anno eodem.* *Zonar. Tom.3.*

Tum verò *Byzantium* (ut erat laudis avidus, & superstitionis osor Romanæ) de integro struens, *Romam novam* urbemque sui nominis appellavit, quam translatis eò pluribus nobilium Romanorum familiis, collectisque ex toto orbe opibus, subitò ad tantum fastigium evexit, ut Romæ æmulam faceret. Certè ab idolis repurgatam, templis ornavit augustissimis, uti & Nicomediam, Antiochiam, Hebronem, urbesque celebres alias: pari sibi studio duxit idolorum delere instrumenta, & pietatis veræ condere.

Anno eodem. *Euseb.4. v.c.c.3.* *Zozim. lib.3.* *Euseb.3. de vita Const. cap.47.* *Oroſius l.7.c.28.*

Quare duos primariæ autoritatis viros, citra tamen militarem apparatum, circummisit per orbis provincias, à quibus detecta dæmoniorum fraude, protractisque & ludibrio expositis statuis, pleræque gentium abolevêre prisci erroris contagia, & relictis idolis unum creatorem coluerunt. Sic exstirpati Dii famosissimi, Apollo Pythius, Sminthius, Musæ Heliconiæ, Venus Libani & Heliopolitana, Æsculapius Cilicum, & id genus alii. Disturbata & hæreticorum conventicula, Valentinianorum, Marcionitarum, Cataphrygum, Novatianorum, Paulianorum, & plerique eorum erroris pœnitentes ad Ecclesiam redière.

Euseb. lib.9: V. Constan. c.52.55. *Socrat. l.1.c.18.* *A. M. 4302. Chr.332.*

Subactis Ecclesiæ perduellibus, *ad bella* iterum ingentem animum evocavit.

Euseb.l.3. c.62.63. 64.

Victi feliciter ab eo Scythæ, tributis imperio graves; succubuerunt & Sauromatæ, vexillo crucis cœlo monstratæ cedentes, vexatique servis suis barbari, Romano in solo consedêre. Honoratus Imperator Indorum, Blemyum, Æthiopum, Persarum donis ac legationibus, monituque Sapores Persa, ut in honore haberet Christianos, quibus parum æquus, magorum & Judæorum instinctu, vincula & neces inferebat. Sozomenus ultra XVI millia ab eo periisse memorat.

Zozom. l.2.c.30. *Euseb.l.4. de vita Constant. c.5.6.& c.* *Socrat. l.1.c.14.* *Zozom. lib.2. c.13.14.*

Felix imperio Constantinus, *si aures dece-*

Socrat. l.1.c.20. 21.22.

Theod. l.1.c.28. Sozom. l.2.c.24. Theod. lib.1. Histor. c.21.29. 27. Socrat. l.1.c.18. Zozom. l.2.c.17. 18. Tripart. l.2.c.24.

deceptoribus clausisset & sycophantis, à quorum veneno vix ulla satis tuta sanctitas. Etenim Eusebius Nicomediensis, Theognis Nicænus, & alii fautores Arianæ hæreseos, criminando Alexandri successorem *Athanasium*, cujus doctrina imprimis Nicænam apud Synodum enituerat, adhuc Diaconi, pervincunt, ut Tyrum conveniant Episcopi, & solidè refutantem ingesta crimina, quod non exspectata sententia abscessisset, *condemnant.* Similiter *Eustachium Antiochenum* Episcopum ficta adulterii culpa subvertunt, haud sine maximo totius civitatis & pene exitiabili tumultu. Cum autem ad Imperatorem confugeret Athanasius, profecti eodem adversarii obtinent, ut ad Treviros exulatum mitteretur, aliusque Alexandrinam Episcopen susciperet. Sed mox in Ægypto octoginta Episcopi congregati, Athanasium injustè condemnatum pronuntiant.

Nec impotentiores in opprimendis catholicis, quam sublevandis suis, Ariani apud Imperatorem fuêre.

Theod. l.1.c.1 14. Socrat. l.1.c.15. 25. Zozom. l.2.c.28.

Cum enim inducta à presbytero quodam suo Constantia, soror Constantini fratri suo persuasisset, injuriam factam Ario, revocatus ille, juravit in fidem Nicænam, sub axilla gerens aliam, ut dicere posset *juravisse se ut scripsisset.* Sic delusus à veteratore Princeps, mandat Alexandro Constantinopolitano, ut recipiat publicè Arium. Ille in preces totam noctem versus, exorat Deum, ut sequenti luce *Arius*, dum ingenti suorum pompa in templum deducitur, torminibus subito correptus, *fœdam animam cum visceribus fœdo in loco profuderit, documentum omnibus, perjuriis falli homines posse, Deum vindicem non posse.* Atque isthæc forte crudelitas labem imponeret fœdam Constantino, ni ejus virtus è quam plurimis actionibus eluceret. Nam, ut rectè de eo Aurelius, *in summo ingenio atque optimis Reipublicæ moribus, quamvis parva vitia elucent magis, eoque notantur facile: quin etiam acrius sæpè officiunt, cum ob autoris decus in virtutes potissimum accipiuntur, atque ad imitandum invitamento sunt.* Id quod etiam in Constantino accidit, lenitatem ejus pronasque in Arianos aures imitante Constantio, qui in imperii gubernacula successit.

Dubium an A. M. 4306. Chr. 336.

Enimvero multo plura, quæ æmulanda reliquit posteris. *Imaginem suam semper, velut Christum precantis passis manibus, insculpi nummis curavit. Diem dominicum cunctis nationibus feriatum esse jussit. Deorum in fanis locari effigiem suam vetuit. Precandi formulam militibus ipse præivit, negans in armis aut corporum viribus ponendam victoriam, sed in solius manu Dei.* Quare concepta à militibus semper vota hæc: *Te solum Deum agnoscimus; te regem profitemur: te adjutorem invocamus: per te victorias consecuti sumus: per te hostes superavimus. Tibi & præsentem felicitatem acceptam ferimus, abs te & futuram speramus. Tui omnes supplices sumus. Constantinum Imperatorem nostrum, piosque ejus liberos quam diutissimè nobis salvos & victores conserves.* Imperator ipse quotidiè statis horis prolapsus in genua orabat.

Euseb. l.4. vit. Const. c.15.16. 18.23. Zozim. l.1.c.89. Euseb. l.4. cap.20.

Ferebat & leges æquissimas; inter quas, *ne liceret Judæo Christianum habere mancipium. Nefas esset præsidibus decreta Episcoporum infringere: Ne gladiatorio sanguine fœdarentur civitates. Ut qui bona Ecclesiarum tenerent, ea accepto pretio redderent. Ut cuique fas esset, honesto testamento hæredes instituere. Ut orbis & virginibus cognati hæredes essent; Nam virginitatem sanctè colentes in honore habebat,* frequentabatque sermone illud: *Cunctos mortales summo regi omnium rationem reddituros: Sacra differentes stans audiebat, indecorum dicens, institutis de Deo sermonibus negligentes aures præbere.*

Lib.4. c.27.28. 29.30.35.

Tricesimo Imperii anno Constantem filiorum minimum Cæsarem fecit: sicut Constantium vicesimo, Constantinum decimo adsciverat. Tunc Hierosolymæ ingentem Episcoporum conventum egit, Tyro avocatum, quo Athanasii causa venerant. Qua non finita, Euse-

Euseb. de laudibus Constantini & vita

Constant. c.40.45. 49. Zozom. lib.2. c.24 26. Socrat. lib.1. c.19.20. Theod.l.1. c.23.24. Zozom. l.2.c.23. Aurel. Victor. de Cæsaribus. Rufus Festus in Breviario. Hieron.in Chron. A. M. 4307. Chr.337. Euseb.3. vitaConst. c.53.62. &c. Eutrop. lib.10. Socrat. l.1.cap. ultimo. Epit. Aurel.

bius Cæsarienſis, vix ſatis æquus Athanaſio, cum reliquis Conſtantinopolim ivit, & in Conſtantini laudes peroravit. Secutæ ſunt Conſtantii nuptiæ, & Indorum legationes, qui fidem nuper Chriſti per Frumentium Alexandrinum renovatam acceperant, ſicut & Iberes, orta occaſione ex narratis ancillæ regiæ; qui populi à Conſtantino confirmati, teſtimonium Chriſti Majeſtati perhibuêre. Ac patuit omnibus, Principem Chriſtianum ab ultimo Occidente, uſque ad extrema Orientis timeri. Nam ut Britanni initia Conſtantini, ſic ſuprema ejus tempora Indi coluêre. Ultimo imperii anno fratris filium, cui ex patre Dalmatio nomen fuit, Cæſarem juſſit, aſſentientibus validè militaribus. Ita anno dominationis triceſimo ſecundo, cum totum orbem ſolus annos tredecim tenuiſſet, ultra ſexaginta tres natus, in Perſas tendens, & ſumma cum lætitia baptizatus in ſuburbio Nicomediæ, piè placideque migravit ad ſuperos; *cum obitum ejus tetrum ſidus regnis, quod crinitum vocant, portendiſſet.* Funus relatum in urbem ſui nominis, & in Martyrio Apoſtolorum quod ipſe magnificentiſſimè exſtruxerat, ſepultum. Quod ſanè P. R. ægerrimè tulit: quippe cujus armis, legibus, clementi Imperio, quaſi novatam urbem Romanam arbitraretur. Pons per Danubium ductus, æmulatione Trajani, quem ob adſperſos paſſim titulos *herbam parietariam* vocabat, laudis ipſe cupidiſſimus. Caſtra caſtellaque pluribus locis commode poſita. *Fiſcales moleſtiæ ſeverius preſſæ, cunctaque* (ait Aurelius) *divino ritui paria viderentur, ni parum dignis ad publica aditum conceſſiſſet.* Quod ille haud dubiè de Chriſtianis locutus eſt ſicut & Zoſimus, laudibus Conſtantini, perinde ut Chriſti, infenſiſſimus, atque ob id fidei apud Chriſtianos tunc meritò exiguæ aut nullius. Nec meliores illi, qui poſterioribus hiſce ſeculis donatum à Conſtantino Imperium, urbemque Romam Romano Epiſcopo fabulantur, quo figmento nihil eſt ab omni hiſtoriæ veritate alienius, niſi forte pupillum quis velit Conſtantinum noviſſimis annis credere. Per ea tempora *Lactantius* Criſpum Cæſarem, Conſtantini filium, erudivit, *vir ingenio dives, non opibus. Juvencus* item poëta Chriſtianus, *Euſebius* Epiſcopus, pluresque alii viguêre. Cœpit tunc *vita ſolitaria* per Paulum Eremitam, & Antonium, qui tyrannorum & mundi deteſtatione, deſerta petierant, eaque ſanctis ſtudiis excolebant. *Meletius* Epiſcopus, qui tempore perſecutionis in Alexandrinam diœceſin irruperat, multoſque præter legem Eccleſiis præfecerat, cum factione ſua multatus presbyterio, varias orthodoxis turbas dedit, ac tandem Arianorum auxit numerum.

Euſebius Chron. Socrat. l.1.c.2. Hieron.in Chronico. Sozom. lib.1. c.13.23. Theod. l.1.c.9.

Titus Calpurnius Poëta, & *Nazarius*, Rhetor ſub hæc tempora floruerunt.

Fl. Constantius, *Et Fratres ejus* Constantinus *Et* Constans.

Anno Chriſti 340. Mundi 4310.

COnſtantinus ſucceſſores filios tres reliquit, quibus imperium ipſe diſtribuerat, atque unum fratris filium: verum Dalmatius Cæſar proſperrimâ indole, neque patruo abſimilis, haud multo poſt oppreſſus eſt factione militari, & Conſtantio patruele ſuo ſinente potius, quam jubente. Ita ad tres orbis Romani dominatio redacta, qui ſingulis ſuas partes regendas habuerunt. *Conſtantinus* cuncta trans Alpes, avitam ditionem: *Conſtantius* à freto Propontidis Aſiam atque Orientem: *Conſtans* Illyricum, Italiamque & Africam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniamque & Achaiam: *Annibalianus* Imperatorum conſanguineus, Armeniam nationeſque circum ſocias tenebat. Interim ob Italiæ Africæque jus diſſentire ſtatim Conſtantinus & Conſtans cœperunt. Conſtantinus *reſtituto*, ut decretum à patre ejus fuerat, *Athanaſio: dum la-*

Eutrop. lib.10.

Epit. Aurel.

A. M. 4208. *Chr.338.*

Epitome Aurel.

A. M. 4310. *Christi* 340. *Zozom. l.3.c.2. Zosim.l.2. Aurel. Victor. Zosim.l.2.*

latrocinii specie incautus fœdeque temulentus in aliena irruit, ut ignotus obtruncatur prope Aquileiam, & in fluvium, cui nomen Alsa, projicitur, acto triennio Imperii. Ita respublica ad duos Augustos devoluta est, Constantis Imperium strenuum aliquandiu & justum fuit: Francos Galliam populantes devicit, Synodi Nicænæ propugnatores, interque eos Athanasium, nullis non Arianorum fraudibus agitatum, defendit: sed per ætatem cautus parum, atque animi vehemens, adhuc ministrorum pravitate præceps in avaritiam, despectumque militarium, nec libidinum infamia caruit.

Quare dum venandi cupidine per sylvas saltusque erraret, conspiravêre aliquanti militares in ejus necem, auctoribus Chrestio & Marcellino, simulque Magnentio Gallo; queis ubi patrandi negotii dies placuit, Marcellinus natalem filii simulans, plerosque ad cœnam rogat. In multam noctem convivio celebrato, Magnentius quasi ad ventris secreta secedens, habitum veterabilem capit. Ea re cognita, *Constans* fugere conatus apud Helenam oppidum, Pyrenæo proximum à Gaisone cum lectissimis missō *interficitur*, anno tertio decimo Augustæ dominationis (nam Cæsar vivo patre ad triennium fuerat) ævi septimo vicesimoque, rebus plurimis strenue in militia gestis, exercituique per omne vitæ tempus sine gravi crudelitate terribilis.

A. M. 4320. *Christi* 350. *Eutrop. lib.10. Socrat. lib.2. c.20.27.*

Hujus morte cognita *Vetranio*, magister militum per Illyrios & Pannoniam, literarum prorsus expers, idcircoque agresti vecordia pessimus, dominationem apud Mursiam improbè corripuit. Eum Constantius cis mensem decimum, *facundiæ vi dejectum imperio*, in privatum otium removit: quæ gloria post natum imperium, ei soli processit eloquio, clementiaque. Nam cum magna parte utrinque exercitus convenisset, habita ad speciem judicii concione, quod fere vix aut multo sanguine obtinendum erat, eloquentia patravit, persuasisque militibus, consensu eorum Vetranio insigne deponere compulsus est. Constantius grandævæ ejus ætati, non vitam modo, sed etiam voluntarium otium concessit, quæ res satis docuit, *non modo domi, verum militiæ quoque dicendi prodesse copiam, qua proclivius vel ardua confiunt, si modestiæ atque integritate superet.* Constantium quo minus statim in hostes alios ad Italiam contenderet, hyems aspera, clausæque Alpes tardavere: Magnentio jam totum Occidentem suas in partes vindicante.

Aurel. Victor. Orosius l.7.c.29.

Zosim. l.4. c.3. Tripar. Hist.l.4. cap.37.

Interim Romæ corrupto vulgo, simul Magnentii odio, Nepotianus Constantini M. sororis filius, cæso urbis præfecto, armataque gladiatorum manu, Imperator fit: cujus stolidum ingenium adeo plebi Romanæ patribusque exitio fuit, uti passim domus, fora, viæ, templaque, cruore ac cadaveribus opplerentur, bustorum modo: neque per eum tantum, verum etiam advolantibus Magnentianis, qui intra tricesimum diem hostem perculerant. *Eutrop. lib.10. Zozom. lib.2. Aurel. de Cæsaribus. Hieronymus in Chron.*

Constantius imparem se toti Imperio videns, maxime Persis Orientem bello vexantibus, Gallum patruelem Cæsarem pronunciat, sororem Constantinam illi conjungens, quondam Annibaliono nuptam. Magnentius quoque Decentium, suum seu fratrem, seu consanguineum, trans Alpes Cæsarem creat. Ipsi inter se Augusti acrioribus præliis per triennium congressi, apud Mursiam imprimis totius Imperii vires contulêre. *Magnentius profligatus* acie est, ac pænè captus, viresque Romanæ ad quævis bella externa idoneæ, quæ multum triumphorum possent securitatisque conferre, ea dimicatione concidêre. Zonaras Constantiniani exercitus XXXM: Magnentii partium XXXVIM occubuisse memorat. Dehinc cum se Magnentius in Italiam recepisset, apud Ticinum plures fudit incautius, & ut in Victoria solet audacius persequentes. Nec multo post apud Lugdunum coangustatus, gladio occultè provisō, ictum pulsu parietis juvans, A. M. 4321. *Christi* 351. *Eutrop. lib.10. Epit. Aurel. Zonar. Tom.3.*

transfosso latere, ut erat vasti corporis; vulnere, naribusque & ore cruorem effundens, mense imperii quadragesimo secundo, ætatis anno propè quinquagesimo *exspiravit*. Legendi studio promptus, sermonis acer, animi tumidus & immodicè timidus, artifex tamen ad occultandam audaciæ speciem formidinem. Ejus morte audita, Decentius laqueo fasciæ ad collum posito vitam finivit.

A. M. 4323. *Christi* 353.

Et interea Judæorum seditio, qui Patricium nefariè in regni specie sustulerant, oppressa est, multis eorum millibus, à Gallo Cæsare trucidatis, Dio, Cæsarea, Tiberiade, aliisque illorum urbibus exustis.

Hieron. in Chronico. Aurel. Victor. Socrat. l. 2 c. 6. Ammian. Marcellinus l. 14.

Sed idem Gallus ad principale culmen inspirato cultu provectus, ultra terminos potestatis delatæ procurrens, asperitate nimia cuncta fœdabat. Cujus asperitati uxor grave accesserat incentivum, germanitate Augusti turgida supra modum, Megæra quædam humani cruoris avida, nihil mitior quam maritus; qui paulatim eruditiores facti processu temporis ad nocendum, per clandestinos versutosque rumigerulos compertis leviter addere quædam malè suetos, falsa & placentia sibi dicentes, affectati regni, vel artium nefandarum calumnias, insontibus adfingebant. Queis cum multi occidissent, Constantius nuper receptis in fœdus Alemannis securior, Gallum fororemque ad se venire multis fictisque blanditiis hortatur.

Constantina metuens, licet germanum, sæpè cruentum tamen, profecta cum Bithyniam introisset, absumpta est vi febrium repentinâ, Gallus *scelerum conscientia ultima formidans*, principem locum, si qua potuisset, copia, adfectabat: sed proximorum perfidia, & truculentiam ejus levitatemque & altiorem Constantii fortunam horrentium, deferebatur. Itaque *ut solent, manum injectantibus fatis, hebetari sensus hominum & obtundi*, illecebris alicujus Scudilonis ad meliorum exspectationem evectus, pergit quo vocabatur, & apud oppidum Istriæ Polam, jussus sigillatim docere, quam ob causam quemque Antiochiæ trucidasset, cum in Constantinam transferret culpam, in modum noxii latronis cervice abscissa *periit*, Principatus anno quarto. Ita longo intervallo relata ad unum cura Reipublicæ.

A. M. 4324. *Christi* 354. *Aurel. Victor. de Cæsaribus. Ammian. Marc. l. 3.*

Quæ recens quieta à civili trepidatione, Silvano in Imperium coacto, tentari rursus occœpit. Is in Gallia ortus barbaris parentibus, ordine militiæ simul à Magnentio ad Constantium transgressus, pedestre ad magisterium adolescentior meruerat. E quo dum altius per metum seu dementiam conscendisset; legionum, à quibus præsidium speraverat, tumultu, octavum circa ac vicesimum diem trucidatus est. Post quæ ita completa, Constantius, *ut jam cœlo contiguus, casibusque imperaturus humanis, magniloquentia fastuque sufflabatur adulatorum: quos augebat ipse, spernendo projiciendoque id genus parum callentes.* Ut Crœsum legimus, *ideo regno suo Solonem expulisse, quia blandiri nesciebat.* Quæ res pernicioſa vitiorum est altrix. *Ea enim demum laus grata esse potestati debet excelsæ, cum interdum & vituperationi secus gestorum patet locus.* Ergo dominum se totius ferens mundi Constantius, multos, conspirationis cum Magnentio, Gallo, Silvano insimulatos ad supplicia rapit, Episcoporum multos Veritatis potiorem quam gratiæ curam ducentes, exilio damnat, de quibus statim uberius differetur.

Verba Aurelii, de Cæsaribus & Epitome. Eutrop. lib. 10. Zosim. lib. 3. Zosimus l. 5. cap. 1. Ammian. Marcellinus. lib. 16. 17.

Tunc verò ne quid apud Gallos natura præcipites novaretur, præsertim Francis, Alemannis, Saxonibus, Quadis pleraque earum partium populantibus, Claudium Julianum (Athenis recens accitum) cognatione acceptum sibi, fratrem Galli, honore Cæsaris assumit, eumque adnitente inprimis Eusebia Reginâ, Transalpinis præficit. Is nationes feras, captis famosis regibus, brevi subegit: in campis Argentoratensibus cum paucis militibus infinitas hostium copias delevit.

delevit. Stabant acervi montium similes, fluebat cruor fluminum modo, captus rex nobilis Chonodomarius, fusi omnes optimates, redditus limes Romanæ possessionis.

Ac postmodum cum Alemannis dimicans potissimum eorum regem Badomarium cepit. Saxones, & partem eorum Quados, in Bataviam insulam transgressos, multis præliis fudit, multosque eorum legionibus suis adscripsit.. Ergo à militibus Augustus pronunciatur. Contra Constantius urgere legationibus, ut in statum nomenque pristinum revertatur. Julianus mandatis mollioribus referre, se sub nomine celsi imperii multo officiosius pariturum.

Amm. Marcell. l.18.19. 20.21. Orosius l.7.c.29.

Hinc *Constantius*, superatis Sarmatis, qui Illyricum persultaverant, urgentibus contra Persis, per Mesopotamiæ clades, magis magisque ardens dolore, atque ut erat talium impatiens, in radicibus Tauri montis apud Mesocrenem febri acerrimâ, quam indignatio nimia vigiliis augebat, *interiit*, Augustus anno quarto vicesimoque, octo solus, cum fratribus atque Magnentio sedecim. Felix bellis civilibus, externis lachrymabilis, (nam adversus Persas novem præliis parum prosperè depugnatis, novissimam victoriam militum contumacia amisit) mirus artifex in sagittis, à cibo, vinoque & somno multum temperans, mire patiens laboris, literarum ad elegantiam prudens. Cultu genitoris satis pius, suique nimis custos, *gnarus vita bonorum Principum quietam Remp. regi*, Spadonum, aulicorumque amori deditus, & uxorum: quibus contentus, nulla libidine transversa, aut injusta polluebatur. Præcipuè Eusebiam dilexit, decoram quidem, sed sterilem, *per importuna ministeria vexantem famam viri, contra quam fæminis modestioribus mos est, quarum sæpè præcepta maritos juvant.*

Rufus Festus in Breviario.

Ejus historiam, uti & suam, Aurelius Victor, qui tum floruit, ita finit. *Ut Imperatore ipso clarius, ita Apparitorum plerisque magis atrox nihil.* Atque id in gubernatione etiam Ecclesiæ nimis patuit, cujus religionem Marcellinus, scriptor Ethnicus, anili Constantium superstitione confudisse ait, *scrutando eam perplexius, quam componendo gravius.* Etenim *maligna semper adversus Deum verum insectatio Diaboli, ab initio mundi nunc usque infusis errorum nebulis, lubrica hominum corda perturbat.* Postquam Christianis Imperatoribus, summam potestatem in meliora vertentibus, Ecclesiam Christi insano gentium zelo persequi destitit, aliud machinamentum, quo per eosdem Christianos Imperatores Christi Ecclesiam vexaret, invenit. Fit primum Arii discipulis & fautoribus per presbyterum istum, olim Constantino à sorore commendatum, & venales aulicos, promptus & facilis aditus. Suadetur Constantio, ut quosdam in DEO gradus credat, & qui per januam ab errore idololatriæ fuerat egressus, illusus à nugigerulis, in DEO fere Deos quærit, & tanquam per pseudothyrum similem in errorem reducitur. Perverso igitur zelo potestas armatur circumventa, & sub nomine pietatis vis persecutionis agitatur. De novi nominis (Homousion id erat) electione contenditur, ut Arianorum potius Ecclesiæ, quam Catholicorum sint. Sequitur terræ motus horribilis, qui plurimas Orientis urbes solo stravit.

Orosius l.7.c.29. Sulpit. Sever.l.2. Tripar. Hist.l.4. cap.1. Theodor. l.2. c.3.

Cæterum initium turbarum ab Athanasii restitutione fuit, deinde à Constantinopolitani Episcopatus vacatione.

Athanasio imputabant Eusebius Nicomedienſis, Theognis Nicænus, & Theodorus Perinthius Episcopi, quod sine Episcopali judicio sedem suam repetivisset, & vocabulum ὁμοούσιος minimè in scripturis repertum doctrinæ admisceret. Quamobrem indignante Constantio, Romam *profugit Athanasius ad Julium Episcopum*, qui Synodi autoritate volens decidere controversiam, non obtinuit, ut hostes Athanasii Romam irent: Sed Georgius Alexandriam pro pastore lupus intravit, Eusebio apud Antiochiam LXXX Episcoporum conciliabulum a-

Theod. l.2.c.3.4. Tripar. Hist. l.4. c.5.6. Socrat. l.2.c.5.

gente, ubi & fides, deleta Homousii voce, expositâ, & Eusebius Constantinopolitanâ in sede, quam pro Paulo occupaverat, confirmatus est. Sed eo mox vitâ privato, Paulus à Catholicis resumptus, ab Arianis Macedonius ordinatus est, cui cum suffragaretur Imperator, missoque Hermogene duce Paulum niteretur pellere, populus, ut fit, longius pastoris sui amore provectus, Hermogenem interemit, domumque ejus incendit. Quam ob seditionem civitati Constantinopolitanæ annonæ pars adempta. Paulus exilio multatus est. Macedonius tandem, non sine civium trium millium sanguine, cupitum thronum adscendit.

Socrat. l.2.c.9. 10.11.12. *Theod.l.2. cap.5.6.* *Hieron.in Chronico.*

Athanasius interim, faventibus Imp. Constante & Julio Episcopo Romano, regressus Alexandriam, tertio fugatur, delatus ad Constantium, quasi frumenta pauperibus destinata, suis usibus applicaret: qui refugiens ad Constantem, Synodi cognitionem petiit, socio Paulo, Byzantio exulante, qui tamen paulo post Arianorum missu periit. Nec fortunata Macedonio possessio mansit Episcopes alienæ, quin tandem ab Arianis ipsis pulsus, quia Creaturam non diceret DEI filium, novam peperit hæresin, Spiritum Sanctum Patris & Filii ministrum professus.

Socrat. l.2.c.13. Theod. l.2.c.12. Zozom. l.30.c.7. 10.19. & l.4.c.26. Socrat. l.2.c.35.

Ergo de Constantis voluntate ingens apud Sardicam conventus agitur, trecenti occidentalium, Orientales LXXX. confluxere; absolvuntque occidentales Athanasium & Marcellum Ancyranum; Nicænam confessionem confirmant, obnitentibus nequicquam Eôis Episcopis. Ita vir egregius tertio ovibus suis redditur, Ursacio quoque & Valente acerrimis ejus hostibus, à Julio Romano veniam erroris postulantibus. Sed Constante è rebus humanis sublato, nacti occasionem Ariani, conspirant penitus *Sardicenses Synodi* decreta subvertere, revocantque in memoriam Constantio, periculum à fratre ipsi ob Athanasium intentatum, clamantes, tam injustè ibi pro Athanasio judicatum, quam Marcellum absolutum, qui nunc ipsius Athanasii judicio Sabellianus esse probetur.

Sulpit. Sever. lib.2. Socrat. l.2.c.21. Zozom. l.3.c.22. *Habitum A. M. 4317. Christi 347.*

Veruntamen ea tempestate Ariani perfidiam suam occultabant, nihil prius sibi agendum rati, quam ut eos ab Ecclesia submoverent, qui semper eis velut murus obstiterant. Quare devinctum sibi habentes pravis adulationibus Constantium; *per ipsam multitudinem inexpugnabiles videbantur*, quia omnes fere duarum Pannoniarum Episcopi, multique Orientalium, ac tota Asia in perfidiam eorum conjuraverant. Sed Principes istius mali habebantur à Singiduno Ursatius, Valens à Mursia, ab Heraclia Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acacius à Cæsarea successor Eusebii Pamphili, Georgius à Laodicea, Narcissus à Neapoli. Hi ita palatium occupaverant, ut nihil sine eorum nutu ageret Imperator, obnoxius quidem omnibus, sed præcipuè Valenti, quem pugnantibus adversus Magnentium copiis, in basilica orans solatio sibi assumserat, atque ab eo trepidus metu, primum victoriæ nuntium acceperat. Valens enim tum gratiam Constantii captans, tum, si quid contra accidisset, vitæ consulens, callidè per suos disposuerat, ut quis prælii esset eventus, primus ipse cognosceret. Itaque indicem jussus intromittere, Angelum sibi fuisse nuntium respondit. Igitur benevolentia illecti Principis Ariani, extulêre animos, Macedoniusque & Georgius Alexandrinus potestate Augusta abusi sunt, ad afficiendos quibuslibet malis eos, qui Christum patri ὁμοούσιον profitebantur.

Theod. l.2.c.14. Socrat. l.2.c.22. 30.35.

Sub idem tempus *Photinus*, Sirmiensis Episcopus, Artemonis errore renovato, nullum Christi initium, nisi è virgine Maria humanum dicebat; qui ab ipsis Arianis juxta ac Catholicis, acto Sirmii conventu, damnatus in exilio consenuit.

Zozom. l.4.c.5. *Socrat. l.2.c.24. 25.*

Mox Aetius etiam, suam in sacris literis infantiam disputationum argutiis obvelans, ab ipsis præceptoribus suis Arianis fecit

Socrat. l.2.c.28. Theod. l.2.c.29.

fecit divortium: quem imitans postmodum Eunomius ejus discipulus, novorum de se hæreticorum agmina fudêre, ausi filium Dei nec similem quidem Patri asserere.

Sulpit. Sever. lib. 2. Tripar. lib. 5. c.15.18. Theod. l.2. c.15. Zozom. IV. c.8.9.10. Ammian. Marcellinusl.15.

Tandem non recipientibus Hesperiis Orientalium de fide, ejusque propugnatore Athanasio, sententiam, Mediolanum conventus à Constantio Imperatore indicitur. Quò congregati utrique, contentionem nihil invicem relaxabant. Eusebius Vercellensis, Paulinus Trevirorum, Dionysius Mediolanensium, Lucifer Sardorum, denique & Liberius Romanorum & Hilarius Pictavorum Episcopi, quod consentire erroribus, & Athanasii damnationi subscribere nollent, in exilium pulsi: Liberius *nec visum hominem, nec auditum damnare, nefas esse ultimum* sæpe exclamans, ægrè populi metu, qui ejus amore flagrabat, noctis medio potuit asportari, & biennio post illustrium matronarum deprecatione, Arianorum communione maculatus sedem suam recepit. Constatque exules totius orbis studiis celebratos, pecuniasque eis in sumtum affatim congestas, Arianis interim palam & publicè hæresis suæ piacula prædicantibus, quin etiam Synodum Nicænam pro se interpretantibus, quam unius litteræ adjectione corruperant, verbum ὁμοούσιον *quod unius est substantiæ*, in ὁμοιούσιον quod est *similis substantiæ*, commutando. Quidam & ultra procedentes, Anomœusian, id est, dissimilem Christi substantiam impudenti ore blaterabant.

Sulpit. Severus lib. 2. Zozom. IV. c.15.16. A. M. 4329. Chr. 359. Tripar.V. cap. 35. Socrat. lib. 2. Hist. c.31.32. Tom.3. Concil.

Quibus rebus perturbato nimis orbe terrarum, cum nec inter ipsos Arianos de fide conveniret, *congregatur apud Ariminum*, Italiæ urbem, *Synodus* è quadringentis amplius Italiæ, Illyrici, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Britanniæ, Germaniæque Episcopis, quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat. Sed & ibi fit partium secessio, octoginta Arianis separatis à reliquorum consortio. Eodemque tempore ad Seleuciam Isauriæ, totius penè Orientis Episcopos Constantius evocârat, quibus aggregatus Hilarius, in Phrygia tum exulans, suspicionem eis de occidentalibus demsit, & plerisque in Nicæni Symboli comprobationem deductis, avulsi ab Ecclesiæ corpore sunt Georgius Alexandrinus, Acacius Cæsariensis, Eudoxius Antiochenæ sedis invasor, Uranius Tyri, Leontius Tripolis, Theodosius Philadelphiæ, Euagrius Mitylenæ, Theodulus Phrygiæ; Cyrillus Hierosolymitanus omnium primus ad majus concilium, sicut communibus in judiciis, provocavit. Confectis Synodis & utrinque ad Constantium legationibus missis, ipsi quoque damnati una profecti sunt, satis freti sociorum viribus, & Principis societate. Nam qui Arimino venerant, Arianorum decem legati, senes erant eruditi & callidi, facileque juniores Catholicorum legatos circumvenere, offerentes Principi, perque Principem ipsis adversariis confessionem, verbis fallentibus involutam quæ Catholicam fidem, perfidia latente, loqueretur. Nimirum deleto Usiæ vocabulo, ne unius cum Patre substantiæ Filius crederetur, similem eum Patri fatebantur. Ergò Tauro, qui vice Imperatoris Synodo præsidebat, mandatum, ne ante eam laxaret, quam conscriptæ fidei consentire se omnes subscriptionibus faterentur. Ac si qui pertinacius obsisterent, dummodo is numerus intra quindecim esset, in exilium agerentur. Sic paulatim plerique Catholicorum, partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis evicti, dedêre se adversariis, jam post reditum legatorum superioribus, factaque semel inclinatione animorum, catervatim in partem alteram concessum, donec ad viginti usque Orthodoxorum numerus imminutus est. Sed hi, quanto pauciores, tanto validiores erant. Quia minis & terriculis non cesserant, Taurus eos precibus aggreditur, lachrymisque obtestatur frustra, *plurium exemplum sequi, autoritatem ex numero mutuari.* Postremo Ursacius & Valens, si quid minus plenè præsenti fide editum

editum videretur, ipsos addere jubent: præbituros se, in his, quæ essent adjecta, consensum. Favorabilis professio pronis omnium animis excepta, editaque à Fœgadio, & Servatione Gallis Symbola, in queis primum damnatur Arius, totaque ejus perfidia: cæterum non etiam Patri æqualis, & sine initio, sine tempore, Dei filius pronuntiatur. Additum à Valente, Filium Dei non esse creaturam, sicut cæteras creaturas, fefellitque occulto dolo, ut neutra pars viciisse se penitus aut victam putaret. Ita Concilium dimissum, *bono initio*; *exitu fœdo*. Ariani, rebus secundum vota fluentibus, Constantinopolin concurrunt, repertosque ibi Seleucienſis Synodi legatos vi regia compellunt, exemplo Occidentalium pravam illam fidem recipere. Plerique abnuentes, injuriosa custodia ac fame vexati, captivam conscientiam dedêre. Multi constantius renitentes, adempto Episcopatu in exilium detrusi, atque in eorum locum alii dati; Hilarius audientiam Regis poscens, ut de fide coram adversariis disceptaret, quasi discordiæ seminarium, & perturbator Orientis, redire ad Gallias jubetur, absque exilii indulgentia. Ita omnes pene toto orbe Ecclesiæ, sub nomine pacis & regis, Arianorum consortio polluuntur. Hilarius in Galliam reversus, frequentibus intra eos fines conciliis, atque omnibus fere Episcopis de errore profitentibus, Ecclesiarum fidem in statum pristinum reformavit. Lucifer contra etiam ab eorum se communione secrevit, qui Ariminenses illos sub satisfactione vel pœnitentia recepissent. Macedonius fugatus à Constantio, ob motum privato ausu Constantini corpus, Pneumatomachorum sectam profudit. Valens & Ursatius pro veteratoria, qua pollebant calliditate, novam apud Nicæam Thraciæ Synodum contrahunt, expositaque Ariminensi fide, persuadent imperitioribus, Nicænam esse illam veterem, sub Magno Constantino conscriptam; quibus Damasus, Liberii successor, masculè quidem respondit.

Sulpit. Severus Histor. lib. 2. Theodo. lib. 2. cap. 27. Zozom. lib. 4. c. 22. 23.

Hieronymus in Chronico.

Zozomenus lib. 4. cap. 26. Trip. Hist. l. 5. c. 26. 29. Zozom. lib. 4. Histor. cap. 18.

Tunc quasi haud satis esset dissensionum, Apollinares etiam duo, pater & filius, eruditione freti & eloquentia, nec ferentes se ob consuetudinem cum Epiphanio Sophista communione Christiana privari, Laodiceæ novam hæreseos pestem introducunt, negantes animam à Deo verbo in dispensatione incarnationis assumptam, aut si assumpta sit, mentem deesse, Deumque ipsi homini assumto pro mente esse nugantes; unde Dimeritæ appellati sunt. Sed quanquam talia fiebant, Deus tamen Opt. Max. Ecclesiam suam mirificè adauxit. Jerosolymæ columna ignea, ad instar crucis, à monte Golgathano, usque ad collem oliveti porrecta, tantæ venerationi & stupori fuit, ut plurimi Judæorum gentiliumque Christianismo accederent. Jacobus, Nisibis Episcopus Sapori Persarum Regi cinyphes & muscas imprecatus, obsidionem urbis solvere coëgit: Didymus Alexandrinus, corpore cæcus, animo oculatissimus, Eusebius Emisenus, Ephrem Syrus, Julius Firmicus Maternus, Macarius Monachus, Victorinus Afer, Ælius Donatus, maximè Athanasius & Hilarius Episcopi Ecclesiam eruditissimis scriptis propagarunt, sanamque fidem tutati, destruxere vanam. Constantius ipse tantus ethnicæ superstitionis infectator fuit, ut si quis super occentu soricis vel occursum mustelæ, vel similis signi gratia consuluisset quenquam peritum, aut anile incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem, rapi in judicium, pœnaliterque interire juberet.

Zozom. l. 3. c. 25. Socrat. l. 3. c. 26.

Zozom. l. 4. c. 4. Theod. lib. 2. Hist. c. 30. & 4. c. 27. 19. Zozom. lib. 3. cap. 13. 14. 15. Hieron. in Catalogo Et Chron. Amm. Marc. lib. 16.

Fl. Claudius Julianus.

Anno Christi 361. Mundi 4331.

Julianus redacta ad se unum orbis Romani curatione, ut omnes nullo impediente ad sui favorem alliceret, adhærere cultui Christiano fingebat, à quo jampridem philosophorum insusurrationibus, somniis item, nocturnisque spectris monitus, occultè desciverat, arcanorum participibus paucis; aruspicinæ auguriisque intentus, & cæteris quæ Deorum

Amm. Marcellinus lib. 21. Socrat. l. 3. c. 1. Theodo. l. 3. Hist. cap. 2. 3.

Deorum fecêre cultores: unde ei *Apostatæ* cognomentum. Et ut hæc interim celarentur (verba sunt Amniani Marcellini, laudatoris ejus & commilitonis acerrimi, Christianorum inimici) feriarum die, quem celebrantes mense Januario Christiani Epiphania dictitant, progressus in eorum Ecclesiam, solenniter Numine orato discessit. Superstite adhuc Constantio, cum Orationem acrem & invectivam, probra quædam in eum explanantem & vitia scripsisset ad Senatum, eminuit nobilitatis cum speciosa fiducia benignitas grata. Exclamatum est enim, in unum cunctorum sententia congruente, *Autori suo reverentiam rogamus.* Tunc & memoriam Constantini, ut novatoris turbatorisque priscarum legum, & moris antiquitus recepti vexavit, apertè etiam incusans, quod barbaros adusque fasces auxerat & trabeas Consulares, insulsè & leviter, cum ipse brevi postea Mamertinum subagrestem ad Consulatum eveheret, & quod multò minus erat ferendum, *in cessa potestate crudelem.* Ultimis Constantii vocibus in Augusta dignitate confirmatus, exceptusque Constantinopolitanorum exquisitis officiis, adesse sibi liberum tempus faciundi, quæ vellet, advertit, planisque & absolutis decretis aperiri templa, arisque hostias admoveri & reparari Deorum statuit cultum. Utque dispositorum roboraret effectum, dissidentes Christianorum antistites, cum plebe discissa in palatium intromissos monebat, *ut civilibus discordiis consopitis, quisque nullo vetante, religioni suæ serviret intrepidus.* Quod agebat adeò obstinatè, ut dissensiones augente licentia, non timeret unanimantem postea plebem; *nullas adeò infestas hominibus bestias, ut sunt sibi fere nonnulli Christianorum, expertus.* Ubi causarum cogebat magnitudo, vel personarum, lites ipse deminuebat, indeclinabilis sæpè justorum injustorumque distinctor. Exclamante enim Delphidio Oratore, *ecquis nocens esse poterit usquam, si negare suffecerit?* Julianus prudenter motus ex tempore, *ecquis*, ait, *innocens esse poterit, si accusasse sufficiet?* Et hæc quidem, & ejusmodi multa in ipso civilia.

Illud tamen inclemens vocat ipse Marcellinus, obruendumque perenni silentio, quod *arcebat docere magistros rhetoricos & grammaticos ritus Christiani cultores.* Vafer scilicet & nimius, ut *quivis desertor ordinis sui insectator*, exarmare liberalibus disciplinis voluit Christianos, per quas terribiles eos ipsis Philosophis & Magis, cunctisque Numinum defensoribus erat expertus. Christianismum ergo seriò persequebatur, perinde tamen ut cruore abstineret, attestante etiam Eutropio, qui *expeditioni* se ejus *Persicæ* interfuisse memorat. Nam si quos religionis causa neci dabat, ut dabat non paucos, alios supplicii prætextus venditabat. Sed multi tunc Christianorum propria voluntate corruerunt. Erat enim in eo literarum ac negotiorum ingens scientia, æquaverat Philosophos & Græcorum sapientissimos, facundia singulari, promptæ memoriæ & tenacissimæ, in amicos liberalis, diligentiæ minoris, quam Principem decebat, tributorum, quatenus ferri posset, oppressor, civilis in cunctos, gloriæ avidissimus, ac per eam animi plerumque immodici.

Lustratis Nicomediæ, terræ motu nuper fœdatæ, ruinis, Antiochiam venit, Orientis pulcrum apicem, ubi illustrioribus aliquot interfectis, interque eos Artemio duce Ægypti, cognovit animatos nece Artemii Alexandrinos, Georgium Episcopum, à quo vipereis sæpè morsibus erant appetiti, quique Mithræ sacra prolatis interfectorum ibi craniis illuserat, trucidasse, cumque eo Dracontium, monetæ præpositum, & Diodorum comitem. Georgius enim Arianus, Episcopalis professionis oblitus, quæ nihil nisi justum suadet & lene, ad delatorum latronumque ausa feralia desciverat. Julianus pœnas expeturus à noxiis ultimas, mitigatus est lenientibus proximis, acribusque saltem minis Alexandrinum populum

Zosim. lib. 5. c. 1. 2. 3. Nicephor. lib. 19. c. 23. &c.

Ammian. Marcellinus l. 22. Zonaras Tom. 3. Zosim. l. 5. c. 5.

Suidas. Amm. lib. 18.

Amm. l. 22. 25. Hieron. in Chronico. Theod. lib. 3. Hist. c. 6. A. M. 4332. Chr. 362. Hieron. in Chron. Theod. lib. 3. Hist. c. 6. 7. 14. Socrat. l. 3. c. 13. Eutrop. lib. 10. A. M. 4333. Ch. 363. Epitome Aurelian. Zosim. lib. 3.

Amm. lib. 22. Socrat. l. 3. c. 3.

Theod. l. 3. c. 17.

Zosim. l. 5. c. 7.

pulum perstrinxit. Inter hæc expeditionem parans in Persas, quod gens asperrima per LX ferme annos inusitasset Orienti cædium, & direptionum monumenta sæviissima, hostiarum sanguine plurimo aras perfundebat, oscinumque & auguriorum, & omnium fidem crebritate nimia quæritabat vanissimè. Daphnæus Apollo responsum negabat, ob mortuos quosdam vicinis in locis positos. Id percunctatus, dictum de corporibus martyrum, ad quorum cœmiteria conventus agebantur Christianis, & Antiocheni nuper vigilias addiderant, invito Episcopo Leontio: mandat removeri mortuorum exuvias. Factum extemplò non sine acerba irrisione idololatriæ Principis; cantante per vias populo vetus illud Davidicum: *Confundantur qui adorant sculptilia.* Quæ coactus dissimulare pro tempore, irâ sufflabatur internâ, anxius præsertim prodigio, quod amplissimum Daphnæi Apollinis fanum, & simulacrum in eo Olympiaci Jovis, subita flammarum vi deflagraverat. Quare ut Christianis ægrè faceret, *Templum Jerosolymitanum instaurare* sumtibus aggreditur immodicis, addito Judæis Alypio, Britanniæ quondam præfecto, & ipso provinciæ rectore. Qui cum fortiter rei instarent, metuendi globi flammarum propè fundamenta crebris assultibus erumpentes, fecêre locum, exustis aliquoties operibus, inaccessum: hocque modo DEO ipso destinata Juliani repellente, cessavit tam ipsius, quam Judæorum ardens exspectatio, ac veritatis Christianæ lux limpidius multò effulsit. Mox etiam Romæ Palatini Apollinis templum exustum, Cumæis carminibus vix concursantium multiplici auxilio conservatis. Julianus contractas undique vires in Parthos trahens, Christianorum sanguinem Diis suis vovit, si victoriam potuisset adipisci.

Socrat. l. 3 c. 18. Theod. l. 2. c. 24. & 3. c. 9.

Amm. l. 22. 23. Socrat. l. 3. c. 20. Theod. l. 3. c. 17. Anno eodem. Zozom. lib. 3. cap. 18. 19. 21.

Hieron. in Chronico.

Cum Circesium Euphrate & Abora fl. circumfluum perveniisset, Sapores in utero materno ante XXIV annos Rex creatus ad Magorum divinationes, jam in fines irruerat imperii, & latè prædas agebat. Julianus nunciata Persarum irruptione, sexaginta quinque militum millia habens secum, aliquot oppida & castella, inter quæ Bersabora munitissimum, vi, vel deditione cepit; habens inter magistros equitum quoque Hormisdam, regium è Parthis juvenem; qui *interrogatus* olim à Constantio, Romanam magnificentiam stupente, *quid de urbe Roma sentiret*, responderat: *Id tantum sibi Romæ placuisse, quod didicisset, ibi quoque homines mori.* Itaque Assyriam populatus, & transgressus Tigrim flumen, dum exustis stolidè navibus procedit Victor, à transfuga quodam in insidias deductus, urgentibus hinc inde & fame & Parthis, incerti hostis ictu percussus *periit*, expresâ, ut aiunt, victoriæ confessione, licet blasphemâ; *Vicisti Galilæe*; quo nomine Christum iratus miser mortalis incessebat. Sic *misericors* DEUS *impia consilia, impii morte dissolvit*, cum Imperii summam solus anno uno & octo mensibus tenuisset, vitam annis XXXI.

Amm. lib. 16. 23. 24. 25. Rufus Festus in Brev.

Socrat. l. 3. c. 21. Orosius l. 7. c. 30. Theod. lib. 3. hist. c. 20. Sozom. l. 6. c. 12.

Uxor ei fuerat Helena, Constantini M. filia, veneno, ut scribit Ammianus, corrupta Eusebiæ reginæ, ut quotiescunque concepisset, immaturum abjiceret partum. Ergò *de maligno semine* ejus *nemo, qui imperium capesseret, superfuit*, cum ipse post amissam conjugem, egregia castitatis laude venereum nihil attingeret, juvante parsimonia, ciborum & somni, quibus domi forisque tenacius utebatur.

Amm. l. 16. 25.

Zonar. Tom. 3. Socrat. lib. 3. Hist. cap. 10. 11. 14.

Eo regnante secularium literarum dispendia Apollinaris & Gregorius Nazianzenus Poëtæ Christiani, melioris argumenti carminibus correxêre. Maris Chalcedonensis Episcopus, oculis captus, irridente eum Juliano, quod à Christo suo nec oculorum quidem usum haberet; *Gratias*, inquit, *Christo ago, quod te tantam mundi pestem intueri non compellor.*

Zozom. lib. 5. cap. 4. 14. 17. Theod. lib. 3. c. 3. & 4. cap. 2. Socrat. lib. 3. cap. 12. Athanas. Tom. 2. operum. pag. 32. Socrat. l. 7. c. 24.

Agath. lib. 1. Zozim. lib. 3.

Ecebolius Sophista, *religionem cum regibus mutans*, Constantio Christianum, Juliano Ethnicum, Valentiniano iterum Christianum se exhibuit, impudentissimæ levita-

levitatis exemplum. Athanasio, post nec catum Georgium, sedi suæ restituto perbrevis obtigit quies. Nam ad calumnias hostium comprehendi jussus, divinaque elapsus protectione, latuit Alexandriæ, cum diceret: *Secedamus ad tempus amici. Nubecula est citò evanitura.* Is tunc symbolum suum videtur condidisse, quo rectam de sanctissima Trinitate fidem complexus est. Eam enim fidem tomo scriptorum Athanasii secundo excipit Joviani epistola, qua recipere ei Ecclesiam suam permittit.

Jovianus.

Anno eodem. Excerpta Aurel. Victor. Amm. lib. 25. Eutrop. lib. 10. Zosim. lib. 3. Theod. l. 4. c. 1. 2. Rufus Fest. in Brev. Niceph. lib. 10. c. 38. &c.

Post Julianum consensu exercitus elegitur *Jovianus* vel Jovinianus, domesticorum Juliani rector, Varroniano genitus, notissimo Comite, Pannoniæ incolâ, ejusque meritis commendabilior apud milites quam suis. Fuit insignis corpore, lætus ingenio, literarum ac legis Christianæ studiosus, liberalis admodum. A Persis lacessitus prælio, non sine clade utriusque partis, ad Tigrim remeavit. Fluvium istum quingenti è Gallis Germanisque transnatârunt, conculcatis Persis, quos ripas servare dispositos, securitas placido vinxerat somno. Sed cum plerique Romanorum nandi essent rudes, nec pontes compaginari paterentur undæ torrentes, furebat inedia iraque percitus miles, *ferro properans quam fame, ignavissimo genere mortis, absumi.* Erat tamen pro Romanis æternum Dei cœlestis Numen, quod Christiano ritu ab omni exercitu placari jubebat Imperator. Igitur Persæ præter sperata, priores super fundandâ pace Oratores mittunt, animos ipsi quoque despondentes, quod omnibus propè præliis res Romana superior, gravius eos quassabat indies. Nam quo prælio Julianus, aliique ducum primores ceciderant è Romanis, eodem quinquaginta Persarum optimates & Satrapæ, cum plebe maxima erant absumti. Attamen pro redemptione exercitus, quem omnium rerum penuria circumsistebat, postulatæ Persis regiones quinque transtigritanæ, Arzanena, Moxoëna, Zabdicena, Rehimena & Corduena, cum castellis quindecim & Nisibi & Singara, & castris Maurorum, munimento perquam oportuno. Et cum pugnari decies expediret, ne horum quidquam dederetur, terrebat contra fames, ac simul adulatorum globus instabat timido Principi, Procopii metuendum subserens nomen, ob propinquitatem generis regii, & Mesopotamiæ, quam curabat, vires, novas res, nullo retinente, facilè molituri. Fœderata igitur pax ignobilis, sed necessaria, ut Nisibis & Singara sine incolis transirent in jura Persarum, additis transtigritanis: utque negaretur Arsaci, Armeniorum regi, contrà Persas auxilium, unde postea contigit, ut vivus caperetur Arsaces & Armeniæ maximum latus, Medis conterminans, inter dissensiones, & turbamenta raperent Parthi. Atque tunc primum post undecim secula à Romanis impetratum, ut suorum aliquid finium concederent hosti, ac post dedecorosam pacem potior esset jurata fides, quam imperii cupiditas. Ita Nisibis perdita, quæ jam inde à Mithridatici regni temporibus, ne Oriens à Persis occuparetur, viribus restiterat maximis. Quare acclamatum est Cæsari, *Venisti è bello, quo te periisse deceret.*

Amm. lib. 2. 6. Eutrop. lib. 26. Zozim. lib. 3. Suidas in Jovian. Socrat. Hist. Eccl. lib. 3. c. 25. 26. Zozom. lib. 6. c. 3. 4. 5. 6.

Antiochiæ hinc paululum moratus Jovianus, ambientibus favorem novæ purpuræ Episcopis, qui fidei Nicænæ erant adversati, respondit; se nemini, qualemcunque fidem amplexante, molestiam exhibiturum; maximè autem honoraturum eos, qui Ecclesiæ ad concordiam reducendæ autores se ostenderent. Inde Illyricum petens, quo præmissum Lucilianum socerum suum Batavi milites trucidaverant, Valentinianumque fuga semet eripere coëgerant; Dadastanæ, Galatiæ vico, exanimatus inventus est nocte; seu nimia cruditate, ut erat cibis vinoque indulgentior, seu odore cubiculi, recenti calce illiti, quem nimia ob frigus prunarum succensio irritaverat. *Decessit* imperii mense octavo, ætatis anno

Amm. lib. 25. Theod. l. 4. c. 4.

A. M. 4334. *Chr.* 364.

tertio & triceſimo, ſuſcepto clarior apice quam geſto.

VALENTINIANUS *Et* VALENS.

Amm. Marcell. lib.26. Zoſim. lib.4. Epit. Aurel. Victor. Niceph. Calliſt. lib.1. Zozom. l.6.c 6. Socrat. lib 4. Hiſt.c.1. Theod. l.1.c.15.

TUnc recuſantibus Imperium Saluſtio prætorii præfecto, & aliis, Valentiniano abſenti illud aggeritur, Numinis adſpiratione Cœleſtis, nulla diſcordante ſententia. Pater erat ei Gratianus, humili apud Cibalas Illyrias ſtirpe ortus, cui venalitium funem portanti, quinque milites extorquêre nequiverant, atque ex eo corporis robur ad militiam, militia ad prætorianam dignitatem aditum aperuerat. Cum Julianus ſacrificare cogeret Idolis milites, maluit Tribunatu ſuo excidere Valentinianus, quam fide; colaphumque impegit Sacerdoti, ut erat animi vehementior, luſtrales ei aquas aſpergenti: Sed ob fortitudinem retentus eſt cum Valente germano, ſicut & Jovianus, quod minimè exautorandos putaret Apoſtata Reipublicæ neceſſarios duces.

Anno eodem.

Urgente exercitu, ut conſortem imperii diceret *Valentinianus*, cunctanti Dagalaiphus, equeſtris militiæ rector, fidentius: Si tuos, inquit, amas Imperator optime, habes fratrem: Si rempublicam, quære quem veſtigas. Quo dicto aſperatus ille, & occultans quæ cogitabat, cum veniſſet Conſtantinopolin, *Valentem* pronunciat Auguſtum, nullo audente refragari, participem quidem legitimum poteſtatis, ſed in modum apparitoris morigerum majori. Abrogati ſtatim pleriſque magiſtratus quos Julianus dederat, & ad ritum Chriſtianum reformata miniſteria.

Amm. lib.25. Zoſim. Oroſius l.7.c.32.

Hoc tempore, gravis exſtitit *terræ motus*, & velut per univerſum orbem Romanum, bellicum canentibus buccinis, excitatæ gentes ſæviſſimæ, limites ſibi proximos perſultabant. Gallias Rhetiaſque ſimul Alemanni populabantur: Sarmatæ Pannonias & Quadi: Picti, Saxones & Scoti, & Attacorti Britannos ærumnis vexavere continuis: Auſtoriani Mauricæque aliæ gentes Africam ſolito acrius incurſabant: Thracias diripiebant prædatorii globi Gothorum. Perſarum Rex manus Armeniis injectabat.

Ergò diviſo Sirmii palatio, Valentinianus Mediolanum, Conſtantinopolin Valens diſceſſit, Eudoxii ſtatim Arianorum Epiſcopi ibidem fraudibus illaqueatus, ſoceroque ſuo expoſitus Petronio, qui ad nudandos ſine diſcretione cunctos, immani flagrabat avaritia. Antiochiam inde profectus Valens, ut propior Perſarum molitionibus obſiſteret, Eccleſiis mox exegit Catholicos, Euzoiique Ariani partibus ſemet applicans, mulctis ſuppliciiſque innocentes afflictavit. *Extemplo iniquam dominationem, inteſtini tumultus invaſere.* *Socrat. l.4.c.1.2. Theod. lib.4. c.11.12.*

Procopius Joviani metu latens hactenus, ſuſurro militum pretio illectorum, & ſucclamatione plebis, Petronii execrantis avaritiam, ſubitò apud Conſtantinopolin purpuratus apparuit, quæſitæque artes, quibus bellatricis Thraciæ gentes & Gothi allicerentur in partes. Expreſſæ literæ Nebidrio, prætorii præfecto, quibus id poſtulabatur, & Conſtantii Imperatoris filia poſthuma, Fauſtinæ ſoboles, circumgeſtata apud exercitus, quod ejus neceſſitudinem haud vanè prætendebat novus Imperator. Redigitur in poteſtatem variis caſibus Bithynia, conflantur exercitus, mittitur Hyperechius, ventris miniſter & gutturis, cum Arintheo lectiſſimo Valentis duce conflicturus. Sed Arintheus, *fiducia ſui contemptor adverſarii deſpicabilis*, vinciri eum jubet, *tantamque ſui reverentiam nota præbuit virtute*, ut umbratilis turmarum anteſignanus comprehenſus ſuorum manibus inopinatum adferret gaudium Valenti. *Amm. lib.26. Zoſim. lib. 4. Socrat. lib. 4.*

Sed cum Procopii vires recrearet feliciter expugnata Cizycus, ultra homines elatus eſt, parumque memor, quod *quivis beatus, verſâ fortunæ rota, ante* *Amm. lib.26. Zozom. l.6.c.8. Socrat. l.4.c.5.*

te veſperam poteſt eſſe miſerrimus, Arbetionis priſci ducis domum, cui hactenus tempeſtiva moderatione pepercerat, diripuit. Cujus viri fatiſcentem jam excitans virtutem Valens, milites per eum allectat, collatiſque manibus, deſertus ex improviſo Procopius, & mox è latebris ad Valentem perductus, diſcerptuſque abſciſſa cervice diſcordias ſecum civiles finivit, multos, ut fieri aſſolet, trahens perditionis ſocios, adeò ut *crudelem victoriam execrarentur & ii, qui vicerant, boni.* Ac minus quidem id mirum, tentata adeò periculoſa à Procopio, vel atrocem mortem clementiorem æſtimante malis, quibus ob quotidianas ante inſidias conflictabatur: In Damaſo autem & Urſicino Chriſtianis, iiſque presbyteris, portenti ſimilis ambitio, quæ tunc enituit. Hi enim Romæ ſupra humanum modum ad rapiendam Epiſcopalem ſedem ardentes, ſciſſis ſtudiis aſperrimè depugnabant, ad uſque mortis vulnerumque diſcrimina adjumentis utriuſque progreſſus: quæ nec corrigere ſufficiens Ventius, Quæſitor palatii, nec mollire, vi magna coactus ſeceſſit in ſuburbanum: & in concertatione ſuperavit Damaſus, parte, quæ ei favebat, inſtante. Conſtatque in baſilica Sicinini uno die centum triginta ſeptem reperta cadavera peremptorum: efferatamque diu plebem ægrè poſtea delinitam. Neque verò abnuit Ammianus Marcellinus, ſuperſtitionis homo Ethnicæ, Epiſcopatus Romani cupidos omni contentione laterum jurgari debuiſſe, cum, inquit, adepti id quod appetunt, futuri ſint ita ſecuri, ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeo ut *eorum convivia regales ſuperent menſas. Qui eſſe poterunt*, ait, *beati revera, ſi magnitudine urbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorundam provincialium viverent; quos tenuitas edendi, potandique parciſſimè, vilitas etiam indumentorum, & ſupercilia humum ſpectantia, perpetuo Numini, veriſque ejus cultoribus, ut puros commendat & verecundos.*

Amm. Marcellinus l.27. Hieron.in Chronico. Sozom. l.6.c.22.

Socrat. l.4.c.24. 25.

Eadem ambitio cum Mediolanenſium quoque Eccleſiam afflaſſet, Ambroſius urbis præfectus ad comprimendam ſeditionem à Valentiniano deſtinatus, ſubitò omnium conſenſu Epiſcopus expetitur, initiatuſque baptiſmo ſimul & myſteriorum diſpenſationi, frequentiſſimi populi curam ingenti fama geſſit. Sub hæc Valentinianus compreſſis Alemannis, morbique elapſus ſævitiam, *Gratianum* filium, necdum planè puberem, *Auguſtum* dixit, primus morem inſtitutum ſupergreſſus, ut tres ſimul Auguſti Imperio præſiderent. Inde ſeverius exercitâ poteſtate, militares faſtus in majus extulit, ad rerum communium damna, indeflexa ſævitia gregariorum puniens errata, potioribus ad licentiam immanium delictorum interim conſurgentibus.

Theod. lib.4. Hiſt.c.6. Zoſom. l.6 c.24. Nicephor. l.11.c.32. Amm. lib.27.

A. M. 4337. Chr.357.

Sed belli ſtrenuus, Britanniam per Theodoſium vindicavit à Scotorum Pictorumque invaſionibus: Certiorque Randonem Alemannum irrepſiſſe Moguntiacum, ſub ipſam Chriſtiani ritus ſolennitatem, & impræpeditè cujuſquemodi fortunæ omnem ſexum abripuiſſe, barbaros in collem conglobatos circumdedit, magnaque cæde ſtravit. Rhenum exordio ad uſque Oceanum magnis molibus communivit. Similiter Valens irruentes in Armeniam Perſas, necatoque Arſace Rege, nihil non ibi audentes, fortiter coërcuit.

At Romæ Maximinus, dum flagitia exſcindere parat, flagitioſam ipſe immanitatem in quoſvis exercuit, civitate præſertim ita vanitatibus quibuſque dedita, ita ad quemvis flatum turgeſcente, ut nihil penè ſerium vel memorabile ageret, omnemque extra pomœria ſua natum pro vili duceret, teſte oculato Marcellino, moreſque ejus ridiculos partim, partim execrabiles, majore ſtylo depingente.

Amm. Marcellinus l.14. & 28.

Nec multo melior Antiochia Syriæ. Ibi nobili quidam genere Theodorus,

Zoſim. lib.4.

Amm. lib.29. Zosim. l.6.c.34.

suo semper loco superior sibi visus, detestandis præsagiis secretim discit, quátuor priores nominis sui literas competere in Valentis successorem.

Socrat. l.4.c.15. Niceph. l.12.c.44. 45.

Fuerant magicæ curiositatis magistri aut socii, liberalium artium doctores aliquot, qui delati à quodam Palladio, convictique pariter cum Theodoro, omnibus passim Philosophis extrema pericula attraxêre. Tantus eorum numerus hinc inde in carceres est & vincula missus, ut spatia tandem & custodes servandis deessent. Etenim Valens, regaliter turgidus, pari eodemque jure, nihil inter se distantibus meritis, nocentes innocentesque maligna infectatione volucriter perurgebat. Itaque præter Patricium, Hilariumque & Theodorum, flammis exustos, plexi capite sunt Maximus Ephesius, Diogenes quondam rector Bithyniæ, Simonides, Andronicus Car, Alpius ille sub Juliano Jerosolymæ instaurator, aliique magni nominis complures. Jamblichus hausto veneno semet perdidit.

Zonar. Tom.3.

Amm. lib.29. Zosim.l.4.

In occidua orbis parte, *accedente subditorum odio rapaci militarium fastu*, gravis tributis videbatur Valentinianus: quæ res *Afros ad omnes dissensionum motus perflabiles, in seditionem egit.* Apud eos Mauri, non ferentes Romani (militum is magister erat) ferociam, Firmum quendam suæ gentis nobilem, purpura onerant, qui cum Theodosio comite crebris atrocibusque certavit præliis; fractusque ad extremum frequentia cladium, ad Igmazanem Isaflensium fugit regem. Qui & ipse acerbitate certaminum protritus, salutem suam Firmi redimere pernicie statuit, custodesque apposuit homini. Firmus custodibus vino distentis, cum insomnis gradibus longius se discreviſſet, inserto funi collo, animam absque mortis cruciatibus exhalavit.

Dum hoc pulvere dux antedictus per Mauritaniam anhelat & Africam, movetur etiam Quadorum natio, indignata in suis terris, ultra Istrum fl. præsidiaria ædificari castra, regemque Gabinium à Cælestio Perca inter hospitales epulas scelestè trucidatum. Igitur transgressi Istrum, dum plebem Pannonicam circa messes occupatam rapiunt improvisi, penè ipsam Constantii Imperatoris filiam, cum duceretur Gratiano nuptura, intercepissent, nisi Messala Pannoniæ rector, judiciali carpento impositam, ad Sirmium eam cursu reduxisset effuso. Latius inde se pandentes cum Quadis Sarmatæ; prædasque hominum agentes & pecudum, cæsa Mœsiacâ legione, longiùs erant progressuri, nisi Theodosius, prima tum lanugine juvenis, Princeps postea perspectissimus, Sarmatas densis congressibus adeò attrivisset, ut residui, abjecta pugnandi fiducia, veniam pacemque peterent.

Sed cum Cælestius tam segniter defenderet Pannonias, quam turpiter conciverat Quados, Valentinianus ipse à Celtis profectus in Illyricum, Merobauden præfecit exercitui, qui vastatis latè Quadorum regionibus, incolumem exercitum reduxit. Subsequentibus deinde Quadorum legatis, ac nihil communi mente procerum suorum delictum adseverantibus, sed munitionem injustè structam, ad ferociam agrestes animos accendisse, ira vehementi perculsus Valentinianus, nationem omnem ut beneficiorum immemorem & ingratam increpat, vitalique simul via ac voce obstructa, tanquam ictus è cœlo, animam diu colluctatam efflavit, ætatis anno LV, imperii minùs centum dies, secundo & decimo. Princeps solers ingenio, animo gravis, sensu integer, sermonis parcus, severus, acerbus infestusque vitiis, atque, ut breviter concludam, *si ei infidis hominibus, quibus se se quasi fidissimis prudentissimisque dederat, carere, aut probatis eruditisque monitoribus uti licuisset, perfectus haud dubiè Princeps futurus. Inter religionum diversitates medius stetit, nec quenquam inquietavit, neque ut hoc coleretur imperavit, aut illud: nec interdictis minacibus subjectorum cervicem ad id, quod*

Amm. lib.30. Zosim. l.9.c.35. Socrat. l.4.c.26. vel.30.

Epitome Aurelian.

Suidas in voce Valent.

quod ipſe colebat, inclinavit, ſed intemeratas reliquit has partes, ut reperit.

Poſt conclamata Imperatoris ſuprema, quod Valens & Gratianus abeſſent longius, ne ſine ſummo imperio agentem exercitum invaderent Barbari, aut Gallicanæ quid legiones innovarent, Valentinianus adhuc quadriennis, autoribus Equitio, Cereale ac Merobaude propinquis, ubi cum matre Juſtinâ, Magnentii quondam conjuge, fuerat allatus, creatus eſt Imperator, eique Italia, Illyricum & Africa provinciæ ceſſere.

Amm. lib. 31. Zoſim. lib. 4. Zozom. l. 9. c. 36. Socrat. lib. 4. c. 33. 37.

Interim Valentem undique fragores bellorum circumſtrepunt. Iſauris prædæ erant Pamphylia & Lycia. Hunni gens ignota, ultra paludes Mæoticas glacialem Oceanum accolens, abſque lare, abſque lege & ritu ſtabili, ſemper palabunda, in carpentis habitans, nulla verſandi vomeris cura, cum immenſo equitatu in Tranſiſtrianas terras ſe effuderat, Scythas Gothoſque cogens Valentis implorare fidem. Valens exitiali conſilio jubet pulſos depoſitis armis, Romano ſolo ſuſcipere, ſperans Gothorum ſe opibus externa in bella uſurum. Sed dum Maximus, aliique præſides, res ſuas agunt, & conſpicuas venuſtate fœminas mareſque ſuis conquirunt voluptatibus, quod fame penuriaque urgerentur Scythæ exules, plerique barbarorum armati tranſeunt Danubium, auctique indies, Thraciam univerſam ita turbant, ut neceſſe eſſet Valenti, compoſitis quomodocunque bellis Perſicis, deſperatis penè Thraciis ſuccurrere. Irritati enim Lupicini injuriis Gothi, à quo Martianopolis mercatu prohibebantur, cæſis etiam Alavivi & Fritigerni, regum ſuorum ſatellitibus, tumultuarias ejus legiones fuderant, armiſque induti Romanis, impunè jam per obvia quæque graſſabantur, affluente quotidie mancipiorum, fugitivorum, metallariorumque turba, & quemcunque rerum tædebat præſentium. Ergò crebra ibi prælia, cædes altrinſecus nefandæ. Mox novæ ab occiduis etiam partibus turbæ, Alemannis Lentienſibus Gratianum, patruo laturum opem, invadentibus.

Sed eorum ad quadraginta millia, latenter tranſito Rheno, delevit *Gratianus*, Princeps facundus, bellicoſus, clemens, & Occidentalium nationum per oportunam hanc victoriam, ſingulari Numinis nutu hebetator. Sed *teneram ejus fratriſque* Valentiniani *ætatem, plerique malis ſuggeſtionibus adnubilabant*; quæ cauſa exſtitit Sebaſtiano duci, relictis iis, Valenti ſemet applicandi. Qui quidem Dux, reformata ad priſcam virtutem bellatorum manu, fauſtis barbaros excurſionibus fudit, dumque nullam pugnæ majoris copiam facit, caſtellis locisque munitis ſe tenens, ad diram eos famem adigere, ſedendoque conficere bellum conabatur. Verum incitantibus Valentem aſſentatoribus, nec conſortem Gratianum pene jam partæ victoriæ cenſentibus faciundum, cum univerſis copiis in Gothos, Alanos, Hunnoſque itum eſt. A quibus ſuperatus acie Valens, ſagitta ſaucius, caſam ſubit ruſticanam, ubi ſupervenientibus Gothis dignitatis ejus ignaris, ignique ſuppoſito, incendio concrematus eſt. Conſtat vix tertiam evaſiſſe exercitus partem, nec poſt Cannenſem pugnam, uſquam deterius rem Romanorum geſtam. Hanc gratiam debuerunt Valenti nationes Gothicæ, quas autore Eudoxio, Arianâ hæreſi infecerat, Epiſcopo eorum Ulphila pecuniis delinito. Nec illis impune illata clades ſtetit. Nam dum Adrianopolin, propè quam pugnatum fuerat, oppugnant, indeque Perinthum, & ipſam urbem regiam, cæſis per vecordem ſuam audaciam plurimis, repelluntur, prædandoque effuſe, ad Alpes uſque Julias cum cæde ſanguineque tam ſuo quam alieno remearunt. Hoc exitu periit *Valens*, quinquageſimo anno contiguus, cum per annos quatuor imperaſſet & decem, parvo minus; pervigil ſemper & anxius, ultor acer ambitionum, erga deferendas poteſtates vel adimendas nimium tardus, ſubagreſtis ingenii, nec bellicis nec liberalibus ſtudiis

Amm. lib. 31. Zoſim. lib. 4.

Niceph. lib. 11. c. 49. 50.

Jornandes de rebus Gothicis. Zozom. l. 6. c. 40. Caſſiod. in Chronico. Theod. l. 4. c. 29. 31. 32. Amm. lib. 31. Socrat. l. 5. c. 1.

Zozom. l. 6. c. 17. 18. 19.

Theod. l.4.c.16. 17.20.22. & 5.c.20. Oroſius l.7.c.33. Socrat. l.4.c.13. 14.17. Niceph. l.11.c.16. Suidas in Valente.

ſtudiis decenter eruditus, religioni penè omni placabilis, præterquam orthodoxæ. Nam pleraſque Orientis Eccleſias nudare paſtoribus inſtituit, & immanes ejus minas mulier Edeſſena, parvulum filium ſecum ad pœnas rapiens infregit; cumque *Baſilium Magnum* pellere Cæſareâ vellet, ſcripturo nefarium edictum manus pertinaciter contremiſcens, crudelem impetum exſtinxit. At alios octoginta, paci Eccleſiis petendæ delegatos, navi impoſitos combuſſit. Alexandriæ Epiſcopum *Petrum*, qui Athanaſio, XLVI Epiſcopatus anno vita functo, ſucceſſerat, cum Lucio Ariano commutavit, qui in Ægypti monachos & ſacras virgines deſæviit horribiliter. Fuitque Imperatore Chriſtiano moderatior *Themiſtius* Philoſophus, *ignoſcendum ſcribens iis, qui de divinis inter ſe diſſentiunt, quum multò atrociores de humanis rebus, rationi perviis Philoſophi alant diſcordias.* Viguêre tunc duo fratres eximii, *Baſilius* & *Gregorius Nyſſenus*, alterque Gregorius Nazianzi Epiſcopus, qui tres Eunomio, aliiſque hæreticis, eruditione ſolitâ obſtitêre.

Soſom. lib.6. c 27.36. Socrat. lib.4. c 26.31.

A. M. 4335. *Chriſti* 365.

Niceph. lib. 11. c.45.47. Soſom. l.6.c.38.

Viguit & *Auſonius* Burdegalenſis, Gratiani Cæſaris & Paulini, poſtea Epiſcopi Nolani, magiſter. Item *Eutropius*, *Vegetius*, *Jamblicus* Procli Doctor, *Libanius* Sophiſta. *Moſes* Agarenorum, qui obliterandæ ignobilitatis cauſa Saracenos ſe dixere, Epiſcopus, fidem apud eos Chriſti propagavit. *Rufus Feſtus* P. R. rerum geſtarum breviarium edidit.

Anno Chriſti 379. Mundi 4349.

GRATIANUS, VALENTINIANUS II. *Et* THEODOSIUS.

Epit. Aurel. Victor.

GRatianus genitus Sirmii matre Severâ, imperavit cum patre *Valentiniano*, annos octo, dies LXXXV. cum patruo & fratre, annos tres: cum eodem fratre ac *Theodoſio* quatuor, & cum his omnibus, accedente Arcadio, menſes ſex. Pontificis Maximi ſtolam titulumque à deceſſoribus geſtum, animo verè Chriſtiano abjecit. Cum animadverti-ſet, Thraciam, Daciamque, tanquam genitales terras, poſſidentibus Gothis, Thaifalis, atque omni pernicie atrocioribus Hunnis & Alanis, extremum periculum inſtare nomini Romano, accito ab Hiſpania Theodoſio, oriundo Cauca oppido Gallæciæ, committit imperium. Parcus ipſe ſibi ſomnique, & vini ac libidinis victor, literis haud mediocriter inſtitutus, *cunctiſque plenus bonis, ſi ad cognoſcendam Reipubl. gerendæ ſcientiam animum intendiſſet.* Damnata patrui ferocia, exules Epiſcopos revocavit, legemque tulit, ut quiſque quam vellet, religionem ſectaretur, exceptis Manichæis, Photinianis & Eunomianis. Chriſti fretus potentia, Alemannos apud Argentariam fudit: per Theodoſium maximas illas Scythicas gentes, Alexandro quoque illi Magno intactas, nunc autem, exſtincto fere Romano exercitu, Romanis equis armiſque inſtructiſſimas, hoc eſt, Alanos, Hunnos & Gothos, incunctanter aggreſſus, vino cibiſque graves, magnis multiſque præliis vicit. *Theodoſius Theſſalonica baptizatus*, Conſtantinopolin victor liberatorque Thraciæ intravit, præmium virtutis Imperii Majeſtatem adeptus. Cum autem barbarorum filii, quos Valens Imperator per urbes Aſiaticas educari jufſerat, parentare ſuorum manibus, per civitatum excidia, occultè deſtinaſſent, prævenit ſunt dolo educatoris ſui Julii, qui velut munerum cauſa accipiendorum contractos in unum per diſpoſitos ante milites ſubito interemit. Sic terrore barbarorum liberatus Oriens. Theodoſius transfugas in pretio ac honore habuit, miſcuitque, ut jam conſueverant prædeceſſores, copiis ſuis.

Zoſim. lib.4. Socrat.l 5. Hiſt.c.2. Niceph. lib.12.

Soſom. l.7.c.12. Oroſius l 7.c.34. Theod. l.5 c.5. Socrat. l.5.c.6. Suidas Gratiano.

A. M. 4350. *Chriſti* 480. *Amm. lib.31. Soſim. lib.4.*

Quod vehementer carpit pro ſuo in Chriſtianos affectu Zoſimus, nullas non voluptates imputans Theodoſio, quem conſtat moderatiſſimum, temperantiſſimumque fuiſſe Principem, & ſi dignus eſt,

Soſim. lib.4.

Excerpta Aurelii Victoris.

est, ei comparari Trajanus, à quo genus suum ducebat, moribus & corpore, ipsi similimum. Clemens dicitur Epitomatori Aurelii, misericors, communis, solo habitu differens à reliquis, in omnes honorificus, verum effusius in bonos, simplicia ingenia æquè diligens, erudita mirans, sed innoxia, largiens magno animo magna, amans cives vel privato contubernio cognitos, eosque honoribus, pecunia, beneficiis munerans, præsertim quorum erga se aspero casu officia probaverat. Illa tamen, quibus Trajanus aspersus est, vinolentiam & cupidinem triumphandi, usque eo detestatus, *ut bella non moverit, sed invenerit:* prohibueritque lege, ministeria lasciva psaltriasque commessationibus adhiberi: tantum pudori tribuens & continentiæ, *ut consobrinarum nuptias vetuerit, tanquam sororum.* Literis, si multum perfectos contemplemur, mediocriter doctus: sagax planè, multum diligens ad cognoscenda majorum gesta. E quibus *non desinebat exsecrari, quorum facta superba, crudelia, libertati infesta legerat*, ut Cinnam, Marium, Syllamque, atque universos dominantium, præcipue tamen perfidos & ingratos. Hæc Aurelius Victor, scriptor historicus Consularis, Vir sobrietatis gratia, ut ait Marcellinus mutilandus, sub Juliano Dux, sub Valente magister equitum, tandemque urbi præfectus, quem oppono comiti Zosimo, tetricis animi tenebris refertо, qui ingentis loco probri ingerit Theodosio fanorum idolorumque excidia, quibus pietatem Princeps sinceram probare voluit Deo sempiterno. Deorum, inquit, Sacraria per omnes urbes & agros oppugnabantur, periculumque imminebat cunctis Deos esse putantibus, aut omninò suspicientibus cœlum, ejusque luminaria adorantibus. Idem tamen negare non audet, Athanarici Gothorum Regis, qui ad Theodosium transierat, honore & tandem sepultura magnificentissima effecisse apud Barbaros Theodosium, ut Thraciis molesti esse desierint, imò alias gentes à Romano solo submovérint. Item Scyros, Carpadacos, & alios Hunnis permixtos populos magna Theodosii felicitate profligatos. Atque hæc quidem superstite adhuc Gratiano, & Valentiniano puero imperii consorte.

Amm. Marcell. lib. 21. Zozom. lib. 4. Theod. l. 5. c. 20. Zozom. l. 7. c. 20.

Oroſius l. 7. c. 34. Socrat. l. 5. c. 10. Jornandes de rebus Gothicis.

At verò *Gratianus*, dum exercitum fere negligit, & paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad se transtulerat, antefert veteri ac Romano militi, odia contra se legionum excitavit. Quo tempore, Maximus Theodosii commilito, indignatus, nullos sibi honores haberi, apud Britanniam rapit Principatum, transgressusque in Galliam, & ab infensis Gratiano militibus exceptus, Gratianum fugavit: Nec mora, per Andragathium apud Sigiduni pontem eum assecutus, *exstinxit*, cum vixisset annis XXVIII. Socrates eum XXIV anno ætatis, dolo Andragathii apud Rhodanum fl. occisum tradit, item Oroſius, & alii. Hoc tempore *Audæus* in Syria Deum finxit formâ præditum humanâ, non ignis, nec tenebrarum opificem. Cujus sectatores Audæani, & Anthropomorphitæ, arrogantiæ pleni pharisaicæ, usurisque interim ac mulieribus addicti, communione sanctorum excidêre. Quibus suppares erant Messaliani, qui & Euchetæ vel *Enthusiastæ*, vim dæmonis cujusdam admittentes intra animum, quam Spiritum sanctum esse somniabant, quietis captatores, laboresque manuum adversantes. Quibus haud dissimilis fertur in Hispania *Priscillianus*, prædives opibus, nobilis, profanarum inflatus literarum scientia, Gnosticorum recudens hæresin. In hunc Cæsar Augustana Synodo damnatum, Idaicus atque Ithacius Episcopi elicuerunt à Gratiano rescriptum, quo cum sectatoribus extra omnes terras propellebatur. Qui vagantes per Gallias, data Macedonio officiorum magistro pecunia, imperiali autoritate sunt restituti. Hinc ad tribunal Clementis Maximi jam Principis, novo exemplo ducti sunt, obnitente admodum Martino Turonensi,

Excerpta Aurel. Zoſim. lib. 4.

A. M. 4358. *Christi* 383.

Oroſius l. 7. c. 34. Theod. l. 5. c. 12. Socrat. l. 5. c. 11. Theod. l. 4. c. 9. 10. Niceph. l. 11. c. 14.

Sulpit. Sever. l. 2. Prosper. in Chron.

adeò ut sponsionem eliceret à Maximo, nihil cruentum in eos constituendum. At Maximus à mitioribus deflexus consiliis, convictos maleficii, nocturnorumque congressuum hæreticos, supplicio affecit, luce quidem indignos, sed exemplo cordatioribus haud tolerando. Itaque Nardacius, accusatorum suffraganeus, Episcopatu excidit, perpetuumque inter Episcopos discordiarum bellum exarsit, cum inter hæc plebs Dei & optimus quisque probro atque ludibrio haberetur. Inhiabant possessionibus, teste Sulpitio Severo, qui tum vixit, excolebant prædia, auro incubabant, emebant vendebantque, quæstui studebant per omnia. Ac si qui melioris proposiți videbantur, neque possidentes, neque negotiantes, quod erat multò turpius, sedentes exspectabant munera, atque *omne vitæ decus mercede corruptum habebant, quasi venalem præferentes sanctitatem.* Interim & Theodosius convocata CL patrum Synodo apud Constantinopolin, laboranti Ecclesiæ opem tulit, firmatamque ibi de Spiritus sancti divinitate sententiam, Damasus & reliqui Occidentis Episcopi comprobarunt. Repertus tunc novus Episcoporum titulus, ut qui primariis præerant civitatibus, *Patriarchæ* dicerentur, quorum primus Romanus, alter Constantinopolitanus esset, ambo regiis urbibus præsidentes.

Sulpit. Severus l.1.& 2.

Theod.l.5. c.8.9.10. 11.12.

Socrat. l.5.c 9. Sozom. l.7.c.7.9.

Valentinianus II. *Et* Theodosius.

Anno Christi 387. Mundi 4393.

Socrat. l.5.c.10. 11.12.20. Zozim. lib.4. Zonar. Tom.3. Zozom. l.7.c.12. 13.14.

Theodosius propagator Reipublicæ atque defensor acerrimus, *Valentinianum* Gratiani fratrem, sed non uterinum (erat enim Justina matre Valentinianus) in occidente collegam habuit, puerum adhuc, gerendoque imperio ineptum. Igitur pro eo Justina, mater ejus, corporis multo pulcrioris quam animi fœmina, Ariana tabe infecta, imperium moderabatur. Theodosius, subactis jam Gothis, & Prothingis seu Grüthungis, natione Scythica, Promoti ducis calliditate, Istro fl. demersis, conventum egit sectarum in urbe regia. Aderant Orthodoxi, Macedoniani, Ariani, Eunomiani, inter quos cum nec disputando, nec veterum proferendo libros, convenire posset, Imperator exhibitas sibi à singulis confessiones divino subjecit judicio, precatus, ut æternum Dei Numen, ad eliciendam veritatem, opem sibi ferret. Ita discussis singulorum sententiis, cum reliquis omnibus dissolvi unitatem Dei, à Nicænæ autem fidei assertoribus constabiliri perspiceret, veritatem agnitam laudavit, hæreticos in suburbia removit.

Comperto deinde, Maximum tenere cum Britannia Germaniaque Gallias, voluit parcere sanguini humano, & occupatas ei regiones relinquere, præsertim quod Valentinianum, sequiora in Christianismo sapientem, minus adjuvandum censeret. Cui & rescripsisse fertur, *non esse mirandum, si à servo seditioso vinceretur Valentinianus, qui Dominum suum servum esse crederet.* Idcirco Valentinianus per Dominum legatum Italiam sibi pactus & Africam, cum Illyrico, Transalpinas gentes Maximo addixit. At Maximus, fraudulento ingenio, in hoc tantum pacis conditiones admiserat, ut securum, incautumque Valentinianum inopinatus opprimeret. Quare nudatas præsidiis Alpes transgressus, Valentinianum facilè regno expulit, & ad Theodosium profugere coëgit. Theodosius, exstincta priore conjuge Placilla, è qua Arcadium, jam creatum Augustum, & Honorium filios habebat, Gallam Valentiniani senioris & Justinæ filiam, pulcritudine ejus captus, toro suo adjunxit, justisque & necessariis causis ad bellum civile permotus, quod ultionem & Gratiani sanguis exigeret, & restitutionem exulantis Valentiniani miseria, novaque affinitas posceret, posuit in Deo spem suam, solaque fide major, Maximi copias insecutus est. Is tunc Aquileiæ victo-

Zozim. lib.4.

Orosius l.7.c.35.

riæ

riæ suæ spectator insederat: Andragathius comes ejus summam ministrabat belli, qui cum magnarum copiarum fortitudine, præcellente consilio, omnes Alpium ac fluminum aditus communisset, ineffabili judicio Dei, navali expeditione, dum incautum hostem prævenire & obruere parat, sponte sua, eadem quæ obstruxerat, claustra deseruit. Ita Theodosius vacuatas transmisit Alpes, atque Aquileiam improvisus adveniens, hostem illum magnum *Maximum*, trucem, & ab immanissimis quoque Germanorum gentibus, tributa ac stipendia, solo terrore nominis exigentem, sine dolo & controversia clausit, cepit & *occidit*. Valentinianus recepta Italia, potitus imperio est, Theodosio suasore Catholicam amplexus fidem, Gratianique imitatus in detestatione idolorum constantiam. Andragathius cognita Maximi nece, præcipitem sese è navi in undas dedit, suaque desperatione periit. Theodosius incruentam victoriam, Deo procurante adeptus, laudatori Maximi Symmacho, majestatis reo ignovit, non victoria, quam clementia clarior.

A. M. 4359. *Chr.* 389. *Suidas. Ambrosius de obitu Valent. Niceph. l.12.c.21. Socrat. l.5. c.14.*

Valentinianus exstincto etiam Victore filio Maximi, quem Imperatorem Gallis reliquerat, in Gallias ipse transivit: Ubi cum tranquilla Rep. in pace ageret, apud Viennam *dolo Arbogastis Franci*, comitis sui, ut ferunt, *strangulatus*, atque ut voluntariam sibi conscivisse mortem putaretur, laqueo suspensus est. Causa necis erat, quod Arbogastes officio à Valentiniano motus ob rerum novarum suspiciones, in os ei dixerat: *Nec potestatem mihi dedisti, nec eripere poteris:* discerptoque exautorationis suæ libello vindictam antevertere Domini exitio cogitaverat. Ita præfidens militum favore, innumeras invictasque contrahit copias, titulosque Imperatoris Eugenio, quem in aula habebat, viro literatissimo imponit pene invito, ipse acturus sub umbratili purpura imperium. Hi idolorum subnixi fiducia, quorum venerationem restituendam in integrum omnes iterum

Orosius l.7. c.31. Zosim. lib.4. A. M. 4362. *Christi* 393. *Niceph. l.12.c.38.*

sacerdotes, Philosophi, Magi & Poëtæ canebant, in bellum formidolosissimum armabantur. At vero Theodosius in summis Alpibus constitutus, postquam insomnem noctem precum continuatione transegisset, fidenter arma corripuit penè solus, ac vexillo crucis in signum prælii elato, Arbetionem hostilium partium comitem ad suas transduxit. Ubi ad continua miscendæ pugnæ spatia perventum est, confestim magnus & ineffabilis *ventorum turbo in ora hostium ruit*, telaque ab ipsis intorta, retrorsum supinata egit, effecitque miraculo, ut parva manu fusa, Victori Theodosio totus se prosterneret exercitus. Eugenius captus atque interfectus est. Arbogastes sua se manu perculit. Illa victoria motus Poëta Claudianus, Paganus licet pervicax, DEO hominique testimonium tulit, cum cecinit.

Theod. lib. 5. Hist. c.24. Sozom. l.7. c.24.

A. M. 4364. *Chr.* 394. *Zonar. Tom. 3. lib. 5. c.24.25.*

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti!

Ita *cœlitus judicatum est denuò inter partem, de solo Deo humiliter sperantem, & partem arrogantissimè de viribus suis gentiumque idolis præsumentem.*

Zosim. lib.4. Suidas in Theodosio.

Theodosius Romam ingressus Victor, *Honorium* filium *declarat Imperatorem*, eique tutorem Stilliconem attribuit. Senatores deinde Romanos ad abolendum idolorum cultum hortatus, cum illi pertinaciter avitæ superstitioni inhærerent, jactantes se idola colendo mille ducentis annis invictam Urbem coluisse, sumptus in sacra præberi nefanda solitos abstulit. Quibus detractis, publicè quidem dæmoniorum concidit veneratio, at domi & in animis plerorumque mansit. Ut mirari nemo possit, occupatam postea à Gothis Vandalisque Urbem, nolentem Deo vero impendere opes suas, & semper pro idolis insanientem, adeò ut Zosimus neglectionem Deorum, ludorumque secularium in quibus nihil inerat grave aut honestum, exitii publici causam scripserit. Qui sanè furoris sui complures eo tempore habuit

Socrat. l.5. c. 15. Zozom. l.7. c.15.

suffragatores. Cum enim Alexandriæ, & alibi delubra profanarentur Dæmonum, seditiones cruentæ exarserunt inter Christianos & Ethnicos, queis utriusque partis haud contemnenda occubuit turba. Sed vicit tamen Christus, idola funditus subversa, pretium statuarum alicubi in pauperes erogatum est, frementibus frustra amicis dæmonum, permultis etiam ludibria errorum, quibus insueverant, revelata execrantibus.

Theod. l.5. c.17. Zozomen. l.7. c.24. Zonar. Tom.3. Sosim. lib.4. Theodo. lib.5. c.18.19. Sozom. l.4. c.2. Georg. Cedren. p.268.

Nec tamen deerant sua Christianis vitia, quæ impotentem quoque iræ Principem haud mediocri labe adsperserunt. Thessalonicæ ob interfectum seditiose præsidem, ultra septem hominum millia, circumdato legionibus theatro, occidit. Quod ob facinus prohibitus sacris ab Ambrosio maximæ tum autoritatis Episcopo, non intumuit purpuræ splendore, sed fassus publicè delictum, *pœnitentia magis laudari, quam errore carpi meruit*, addiditque legem cohibendæ iracundiæ, quæ *capitales sententias ad tricesimum diem differendas sanxit*. Sic modica dilatione emolliebantur aliquando severa præcepta; quale & illud erat in Antiochenos datum, quos ob raptatam contumeliosè Imperatricis Placillæ, religiosissimæ certè Principis statuam, vastitatis servitiique damnaverat: Sed Flaviani Episcopi, Libanii Rhetoris, Macedoniique monachi monitionibus, vehementior impetus elanguit. Placatus est & Byzantinis, ob Judæorum eversam Synagogam multandis graviter, effectumque Ambrosii Oratione est, ut Judæi urbium mœnibus passim excluderentur.

Theod. l.5. c.23. Sozom. l.7. c.11.

Non tamen eadem Romanorum Episcoporum, Damasi, Syricii & Ambrosii gratia fuit, qui vociferantes, Theodosium tyrannos imperio inhiantes comprimere, Ecclesiasticos fovere, Flavianum Antiochenum Episcopatu eversum ibant. Qui cum exire dignitate, quam Romam ire judicandus mallet, Imperatoris autoritate defensus est. Eadem Gregorii Nazianzeni moderatio fuit, qui Episcopatu Constantinopolitano maluit cedere, quam dissensionibus ansam præbere. Qui substitutus est ei Nectarius, pravum ob facinus optimam abolevit consuetudinem. Cum enim huc usque pœnitentiam audiendis confessionibus præfuisset presbyter, autoritate & silentio venerandus, ille ob proditum Diaconi cum fœmina nobili stuprum, sustulit disciplinam Ecclesiæ, & conscientiæ cujusque liberum de se judicium permisit. Nec cessarunt Ecclesiarum dissidia, augescente licet indies Christianorum numero, sed inter orthodoxos juxta ac hæreticos de quæstiunculis inanibus, liberæque observationis ceremoniis, imperitè dissideri, & contra circa mortuorum ossa passim delirari cœptum est.

Theod. lib.5. c.20.22. Socrat. lib.5. c.20.21. Sozom. lib.7. c.16.17. & 8. c.1.

Cæterum *Theodosius* feliciter acto imperio, apud Mediolanum rebus humanis *excessit*, annum agens vitæ plus minus quinquagesimum, dignitatis XVI, utramque Rempub. utrique, id est, Arcadio & Honorio, filiis quietam relinquens. Corpus ejus Constantinopoli sepultum est. Atque in eo Victor Aurelius desinit. *Scripsere* tunc Optatus Afer, Sulpitius Severus Biturigum, Cyrillus Hierosolymitanus, Epihanius Cypri, Ambrosius Mediolanensis, Amphilochus Iconiensis, Episcopi, Cæsarius Nazianzeni frater, Hieronymus Stridonensis Pannonius, presbyter; Sophronius, & Joannes, presbyter Antiochenus, paulo post Episcopus Constantinopolitanus, dictusque ob eloquentiæ aureum flumen Chrysostomus. Præclarum de Theodosio testimonium Ambrosii: *Dilexi, inquit, Virum, qui cum corpore solveretur, magis de Ecclesiarum statu, quam de suis periculis angebatur; qui magis arguentem, quam adulantem probaret.*

A. M. 4365. Christi 395.

Hieron. in Catalogo. Ambros. de obitu Theod. Tom.3.

ARCADIUS & HONORIUS.

Anno eodem. Zonar. Tom.3. Zosim. lib.5. Hist. Socrat. l.6.c.1.

Arcadius & Honorius accurata Arsenii, Romani Diaconi disciplina erant imbuti, *ut discipuli, non ut Cæsares*, excepti etiam verberibus, si quid deliquissent. Ingressus aliquando scholam Theodosius,

Prosp. & Marcellinus in Chronico. Niceph. l.12.c.21.

dosius, cum sedentibus filiis præceptorem stantem docere conspexisset, mutavit consuetudinem, filiosque auscultari sedenti Arsenio stantes jussit. Cæterum Arsenius ob plagas Arcadio inflictas, insidiis ejus appetitus ex aulico factus est Eremita, & LV integros annos admirabilem omnibus vitam duxit, spretisque opibus, quas Augusti offerebant discipuli, *id unum eis est precatus, ut ad* DEI *Opt. Max voluntatem componerent suum imperium.*

At illorum tenera ætas occasionem præbuit fraudulentis ingeniis tam ipsis insidiandi, quam imperio, in quorum tamen caput insidiæ tandem vertêre. Rufinus homo improbus, haud contentus omnia penè apud Arcadium posse, Alaricum Gothorum Regem attraxit in Græciam, qui pleraque urbes sanguine & direptionibus vastavit, Ruffino è turbida Rep. potentiæ præbiturus majoris materiam. Similiter Stillico, Serenam fratre Theodosii genitam in matrimonio habens, cum susceptam ex ea Mariam Honorio collocasset, Gainam Arcadio mittit cum copiis Gothorum Ducem, atque ejus opera Rufinum, adspectante Arcadio, occidit, Orientis vires suis conjuncturus, æmulo per fraudem sublato.

Sozom. l. 8. c. 1. Niceph. lib. 13.

Inde Gildo Comes Africæ, consueta Romanis stipendia subtrahendo, ad rebellionem concitavit exercitus, spe prava rapiendi inflatus imperii, accendente eum præsertim Eutropio cubiculario, qui subversam Stilliconis potentiam ardenter concupiscebat. Sed & illum paulò post Stillico coëgit ad exitium, usus opera fratris ejus Mascelzelis, qui *Gildoni* (ut sunt *atroces consanguineorum iræ*) erat ob injurias infensissimus, victumque acie, adegit *morte* voluntariâ captivitatem antevertere. Mascelxel deinde insidiis Stilliconis, quasi per militarem insolentiam in flumen detrusus, suffocatusque aquis periit: eoque facto pœnas fraternis manibus dedit. Ita respirantes à seditionum turbis ac tumultibus Augusti, zelum æmulantur patris, totoque orbe Romano templa Idolorum destrui, *ludos tolli gladiatorios* præcipiunt, qui ad id temporis seu Diis placandis, seu efferandis cruento spectaculo militum animis, insanæ plebis studio remanserant. Accitus tunc quoque ab Antiochia Joannes *Chrysostomus, Ecclesiæ Constantinopolitanæ curam capessit*, & Gainam dominationis appetentem in os redarguit. Nam quod omnium Ruffini artium potentiæque velut hæres esset Eutropius, visum erat Gainæ, inita cum Tribigildo gentili suo conspiratione, tollere hominem, ac summam rerum sibi vendicare. Igitur composita civilis belli specie, Tribigildus latè vastat provincias, multas dat & importat clades, missusque in eum Gainas, de industria terrorem auget, eoque motu perficit apud Arcadium, ut securitatem suam Eutropii, jam in basilicâ Christianorum supplicis, exilio atque mox nece mercandam arbitraretur. Ita receptus in urbem Gainas, homo Gothus & Arianus, publicum hæreseos suæ exercitium instaurari intra mœnia postulat, indignum perhibens sua majestate, qui Dux Romanorum esset, extra muros proficisci adoratum. Sed illi validè Chrysostomus obnititur, ingratum vocans & turbatorem Reip. Igitur Barbarus consilia miscere de invadenda urbe & Imperio, quasi recreandi sui causa in villas secedere, alios militum abducere secum, reliquos intra mœnia, juvandis conatibus suis, relinquere. Sed nocturnas insidiatoris aggressiones tardatunt visi circa arcem custodes, quos angelos, creditum est fuisse, quandoquidem Arcadius Imp. ignarus Gainæ fraudium, nullis urbem præsidiariis muniviſſet. Tandem prodita ejus armorum exportatione, declaratur hostis Gainas, Gothi quotquot Constantinopoli erant, concursu armatæ plebis interficiuntur, septem millibus frustra se templi asylo tuentibus. Fravittas deinde dux creatus, Gainam navali bello superat, & ad gentiles suos fugere compellit, quem varia

Oros. l. 7. c.24.37.

Theod. lib. 5. c.26.29. Zosim. lib. 5. c.2.3.4.7. Socrat. lib. 6. c. 2. 3. &c. Anno eodem. Theod. lib. 5. cap. 28. 32. 33.

Zosim lib. 5. Sozom. l. 8. c.4. Socrat. lib. 6. Marcell. Com. in Chron.

A. M. 4361. *Christi* 398.

ibi molientem, Hunnorum tandem Rex prælio congressus interemit.

Sozom. lib. 8. c. 9. & c. Socrat. l. 6. c. 4. 7.

Ita dempto Orienti armorum metu, Ecclesiasticæ dissensiones successêre, causam præbente severitate Johannis Episcopi nimia. Is enim cum *liberrima eloquentia in quorumvis etiam potentum vitia inveheretur*, ac tredecim Episcopos variis de causis exautoraret, nec monachorum ferret in urbibus oberrationes, nec cum quoquam cibum vellet capere, odia excivit multorum. Qui explendis iris idoneum nacti administrum, Alexandrinæ Ecclesiæ Episcopum Theophilum, infensum Johanni, quod monachos quosdam, privatim exosos Theophilo, prætextaque librorum Origenis laudatione privatos communione, susceptisset foveretque; trahunt in partes Epiphanium Salaminis Cypri Episcopum, vitæ præstantia celeberrimum, eisque judicium de Johanne committi procurant ab Imperatore Arcadio. Epiphanius maximis affectus à Johanne honoribus, nihilo tamen æquior litis arbiter, quam Theophilus, prædamnavit Origenis libros, antequam cognitum de iis decretumque Synodo esset. Evictus tamen monachorum colloquio, præcipitantiam ejus culpantium, discessit re infecta, atque in itinere diem obiit. At Johannes, aurei oris Vir cognominatus, cum ferventius in mulieres multa dixisset, accendit bilem Imperatrici Eudoxiæ, Principi feroculæ, quæ facilè effecit, ut properanter advolaret Theophilus, habitoque concilio, appellantem Oecumenicam Synodum Johannem contumaciæ damnaret. Sic Johannes in exilium missus est, majore tamen populi studio mox redditus Ecclesiæ. Sed *cum non desineret linguam adversus iniquitates acuere*, atque histrionicam imaginis Eudoxiæ dedicationem perstringeret acrius, pacem malè sartam disrupit iterum. Quare Arcadium Imp. conjugi obnoxium, expertus infestum, Herodiadem vocavit Eudoxiam, Johannis in patina caput expetentem. Ob id denuo relegatus, exul decessit,

Socrat. lib. 6. cap. 16. 17. 18. Niceph. l. 13. c. 34.

ejusque expulsio, quod videretur iniqua, ingentes in Ecclesiis perturbationes & scandala, multasque cædes peperit. Transiit & in partes Romanus Antistes Innocentius, atque ob damnatum Chrysostomum, Orientales Ecclesias ipsumque Imperatorem communione ausus est interdicere.

Nec melioribus cohærebat Resp. quam Ecclesia vinculis, cum præter Alanorum effusas populationes, Stillico Vandalus Romanam barbaramque juventutem sibi obsequentem, Arcadii ducibus infensam redderet, conatus utrumque inter se collidere imperium. Alarico ad Illyricos occupandos misso, ut velut è turbidis Reipub. aquis suam firmaret latius potentiam. Animos ei addebat parta de Rhadagaiso, Scytharum rege victoria, qui plus quam ducenta hominum millia (sunt qui quadringenta tradunt) in Italiam ducens multasque jam urbes populatus, cum favorem Deorum suorum obsequiis sacrificiorum invitaret, Fesulanis in angustiis circumdato exercitu clausus à Stillicone, fame ac peste interiit. Tantaque multitudo captivorum fuisse Gothorum fertur, ut vilissimarum pecudum modo, singulis aureis passim greges venderentur hominum, emptique illico morerentur. Sed dum ista molitur Stillico, *decedit* Imperator *Arcadius*, Olympiadis CCXCVII anno secundo, cum vixisset annos XXXI, regnasset cum patre XIII, post ejus obitum XIV. Eum Eudoxia Augusta miserabili morte prævertit, fœtus sui, quem utero gestabat, sepulcrum facta.

Sozom. l. 3. c. 25. Marcellinus in Cronico. Orosius l. 7. c. 17. Zosim. lib. 5. Zonar. Tom. 3. Cedren. pag. 274. A. M. 4378. Christi 408.

Ea tempestate *Monachorum* valdè glisceba soboles, hominum, uti quidem Zosimus censet, parum commodantium Reip. sed *dum omnia se cum pauperibus communicare dicunt, plerosque ad paupertatem redigentium.* Hi in Ægypto, ubi Diocletiano imperante prognati sunt initio, tantas hoc tempore quæsiverant vires, ut Theophilo, Alexandrino, quod Deum nollet confiteri humana specie præditum, vitæ crearent periculum, invitumque ad approbationem erroris traherent.

Zosim. lib. 1. Sozom. lib. 8. cap. 11. 12.

HO-

HONORIUS
Et
THEODOSIUS JUNIOR.

Anno eodem. Zozom. l.9.c.1. Socrat. l.7.c.1. Joan. Zona. Tom.3. Paulus Diac l.14. Marcell. Comes in Chron. Prosp.in Chron. Procop. belli Pers.l.1. Niceph. l.14.c.1.

ARcadius octennem reliquit filium, cui Isdigerdem Persarum regem tutorem fecit, officio allectans vicinum potentem, ne pupilli imperio damnum crearet. Et feliciter cecidit consilium, favore potius Dei quam Arcadii prudentia. *Pulcheria* soror pueri, devotæ virgo castitatis, & instituit eum præclarè, & tutelam imperii multa cum laude gessit, Anthemii Præfecti utens opera. Mansuetissimum ac leniissimum principem ferunt fuisse Theodosium, minimeque omnium cruentum, lectioni sacrarum literarum & pietati impensè addictum. Sub initia imperii ejus, Judæus quidam paralyticus, dum baptismi unda abluitur, sanitatem recepit Constantinopoli. Ac Maruthas Mesopotamiæ Episcopus, Isdigerdem regem capitis dolore continuo, filiumque ejus à dæmoniaca vexatione liberavit precibus, parumque abfuit, ut frementibus licet Magis, regem ipsum ad Christiana traduceret sacra.

Socrat. l.7.c.4.8.

Oros.l.7. cap.38.

Dum illa per Orientem fiunt, Stillico, ut Eutherium filium indueret purpurâ, Vandalos, unde ipse erat, Alanos, Suevos, Gothos, Hunnos, ripas Rheni quatere & pulsare Gallias voluit, sperans miser, sub hac necessitatis circumstantia, quod & extorquere imperium genero posset in filium, & gentes barbaræ tam facilè comprimi, quam commoveri valerent. Vandali, duce Croseo, Gallias pervagati, multas urbes & Ecclesias subverterunt. Alaricus Visigothorum Rex, pulsos inde Vandalos, cum Alanis & Suevis egit in Hispaniam: Sed *Stillico* delatus ad Honorium, quasi aditum sibi filioque ad imperium strueret, commoto per Olympium exercitu, *occisus* est Ravennæ, quique cum eo sentire videbantur, Ticini; eodem anno, quo Theodosius imperium consecutus est. Filia Stilliconis Thermantia, post Mariam, nupta Honorio, matri Serenæ reddita est, Eucherius Romæ necatus, tanta militum ira, ut uxores liberosque Gothorum, in Italiæ urbibus degentes, confertim trucidarent. Unde sumpta vicissim irâ, barbari semet Alarico aggregant, ultra xxx hominum millia: qui cum nihil æqui ab Honorio impetraret, incitatus ab occulto quodam, ut ipse dicebat, monitore alacriter *Romam contendit*, omissis urbium, quæ remorari iter poterant, obsidionibus. Eam occupato portu ad omnium rerum penuriam adduxit, audiensque pugnaturos cives, irrisit eorum mollitiem; *spissius*, dicens, *fœnum secare facilius, quam rarius.* Tunc ab Innocentio Episcopo permissum, scribit Zosimus, ut vetera Numina sacrificiis placarentur liberandæ civitati; nec negat tamen, detracta simulacris ornamenta, ut Alarico auri v millia pondo, argenti xxx penderentur. Quibus ille acceptis, annonam quidem laxavit Romanis, & ab obsidione discessit: Sed cum *Honorius* obsides ei dare, pacemque à civitate initam firmare nollet, missos ab eo ad præsidium urbis milites Alaricus intercepit, neque ex eo faciliorem Honorium reperit, qui jam accitis Hunnis, relictisque Constantino tyranno, quem adsciverat, Transalpinis terris, bellum seriò repellere cogitabat. Tum verò Celtæ, Britanni & Armorici spreta Constantini socordiâ, sese in libertatem vindicârunt, Romanosque expulerunt magistratus. Alaricus obsessos iterum pertinacius Romanos adegit *Attalum*, præfectum Urbis, Cæsarem creare, secumque in Honorium arma jungere. Sed cæsis ab Heracliano copiis Attali, quos ad subjugandam Africam miserat, respiravit Honorius, jam fugam circumspiciens; præclusoque commeatu, tanta Romanis fames incubuit, ut in Circo pretium statui humanæ carni poscerent, & Alaricus Attalo abrogaret imperium, detractaque insignia ad Honorium mitteret, firmam ab eo pacem sperans. Qua iterum impedita, Sari Joviique Ducum

Socrat. l.7.c.10.

A. M. 4379. Chr.409.

Zosim.l.6. Histor. Niceph. lib.7. c.39.40. Sozom. l.7.c.8.9.

Anno eodem.

Nicephorus l.13.c.35.

A. M. 4380. Chr. 410. V. C. 1161. *Jornandes de rebus Gothicis.* *Zonar.* *Imperio Honorii Tom. 3.* *Procop. lib. 3. de bello Vand.* *Prosper in Chron.*

cum præcipitanti obstinatione, *Roma* tandem *Alarico* per proditionem *aperta*, fœdeque direpta est, spernente cladem Honorio, acceptoque de capta urbe principe nuncio (ut erat vecordi ingenio) de gallina, quam prægrandem habebat eo nomine, narrari aliquid opinante. Alaricus ut in capta urbe ditissima à milite barbaro, præstare non potuit, quin multa loca incenderentur, multi occiderentur, sanguinis tamen cædisque modum statuit, veniâ illis, qui ad sacra loca confugissent, solemniter promulgatâ. Paulus Orosius scriptor illius temporis, majorem putat cladem excitatam olim Romæ per Neronis lasciviam, quam hanc illatam ab ira Victoris. Incidit hic casus Urbis rerum Dominæ in annum Christi

A. M. 4381. Chr. 411.

CCCCXI. Tertia die quam irruperat, egressus metu Theodosii *Alaricus*, vastatis Italiæ provinciis, dum in Siciliam tendit, subitâ *morte defungitur*. Propinquus ejus *Athaulphus* succedit in potestatem, assumptaque in uxorem Placidia, sorore Honorii, quam Romæ ceperat, blanditiis ejus mitigatus est, ut facta pace Hispaniam peteret, viamque aperiret Honorio, exortos passim tyrannos subigendi. Igitur Constantius Comes in Galliam cum exercitu profectus, Constantinum Imperatorem apud Arelatum civitatem clausit, cepit & occidit; Constantem filium ejus necavit comes suus Gerontius, vicissim ipse à militibus propriis in mortem actus. Jovinus itidem, vir Galliarum nobilissimus, mox ut in tyrannidem assurrexit, cecidit. *Attalus* quoque, velut inane imperii simulacrum, cum Gothis in Hispanias portatus, cum nescio quæ moliretur, captus in mari, *truncataque manu* vitæ relictus est. Heraclianus verò defensa contra Attalum Africa clarus, dum quorundam periculorum suspiciones patitur, rebellionem facit, cumque IIIMDCC navibus in Italiam approperat. Sed occursu comitis Marini territus, facta jam exscensione, subitò refugit Carthaginem, atque ibi militari manu consumitur. Sub hæc recuperata jam à Constantio Gallia-, *Athaulpus* apud Barcinonem Hispaniæ dolo suorum *periit*, eodemque exemplo Sigericus. Post quem Vallia electus quidem à Gothis, ut pacem ab Athaulpho & Sigerico servatam infringeret; at à Deo ordinatus, ut eandem confirmaret, memor cladium, quas decessores acceperant, pacem optimam cum Honorio Imperatore datis lectissimis obsidibus, pepigit, Placidiam ei reddidit: quæ Constantio deinde eximio duci nupta, peperit ex eo Valentinianum, postea Imperatorem.

Orosius l. 7. c. 24. Zosim. l. 6. c. 13. 14. 15. 16. Marcell. in Chron.

A. M. 4387. Chr. 417.

Alanis interim, Vandalis Sueviscque continua cum Gothis per Hispanias certamina fuêre, fatentibus ipsis, quod sibi perirent, Romanis vincerent, magnoque Honorii quæstui mutuis semper cladibus attererentur. At Burgundionibus è mediis malis salus maxima ineffabili Dei misericordia emersit. Nam cum infestissima Uptari Hunnorum regis tyrannide premerentur, ad Christianorum Deum, suis semper propitium, conversis animis, baptismum repentè postulant, eoque mundati, extemplo in Hunnos vadunt, & congressi prælio, XXX eorum millia prosternunt: ex quo tempore Christianismum amplexi, constanter deinceps tenuêre.

Orosius l. 7. c. ult. *Sigebert. Cemblac. in Chron.* *Socrat. l. 7. c. 30.*

Interea temporis, cum quievisset Oriens, tempestatibus tandem & ipse suis cœpit agitari.

Socrat. lib. 7. c. 18. 20. Nicephorus. l. 14. c. 21.

Baraanes Persa, instigatus à Magis, latè propagatum Isdigerdæ indultu Christianismum afflixit, cumque profugos non redderet Theodosius, bellum ei intulit. Sed Persam Ardaburius ab Theodosio legatus felicibus præliis fregit, X Persarum millia, quos *immortales* vocabant, mortales esse omnes docuit, neceque quam parabant, insidias facturos oppressit. Saracenorum ad centies mille subito Romanorum terrore perculsi, dum fugiunt, Euphratis vorticibus sunt absorpti. Palladius, stupendæ celeritatis eques, uno triduo è Mesopotamia Constantinopolin advolans, victoriæ nuncium

A. M. 4393. Chr. 423.

cium attulit. Sub hæc *Honorius* tricesimo Imperii anno *decessit* hydropicus, ætatis XL, quem præcesserat Constantius sororis ejus maritus, v solis mensibus Imperio functus. Principatus Honorii *illustribus Poëtis*, Claudiano, Prudentio, Sedulio, Paulino; atque *Ecclesiæ Doctoribus*, Hieronymo, Augustino, Ruffino, Orosio, & aliis effloruit. *Pelagius* quoque hæreticus, gratiæ Dei inimicus, liberi in hominibus arbitrii patronus, sub eo extulit caput, plerisque Episcoporum Synodis damnatus, Augustini imprimis acutis confixus disputationibus.

THEODOSIUS II.
Et
VALENTINIANUS III.

Paulus Diac. l. 7. cap. 21. Prosper. in Chron. Marcell. Procop. lib. 3. bell. Vand.

EXempto rebus humanis Honorio, fultus præsidio Castini magistri militum Joannes Scriba imperium invadit, missaque ad Theodosium legatione, Africam à Bonifacio duce ob injurias ei à Castino factas, occupatam, bello reposcere deprecatur. At vero *Theodosius* legatis Joannis in carcerem trusis, Ardaburium prætorem mittit adversus eum, quem tyrannus apud Ravennam aggressus inclusit. Quo Theodosius cognito, *Valentinianum* amitæ suæ Placidiæ filium, Cæsarem effectum, cum matre ad recipiendum Occidentis imperium dirigit, præmisso Aspare Ardaburii filio, quem pastor, ignoto habitu, per paludem inviam, apertis Ravennæ portis introduxit, (ut angelus credatur fuisse) oppressoque Joanne tyranno liberatus. Ardaburius, Castinus in exilium missus est. Ita Valentinianus consensu totius Italiæ Imperator efficitur, magistris militum præcipuis Bonifacio atque Aëtio, quos Theodosius probaverat. Sed inter illos enata æmulatio atque odium, sicut antea inter Rufinum ac Stilliconem, Occiduum pessumdedit imperium, irritantibus Dei iram superstitione, superbia atque hæresibus, quibus Christiani ex longa pace agitabantur. Etenim Arianismo adhuc

A. M. 4395. Chr. 425.

& Macedonii in Spiritum Sanctum delirio laborabant plurimi, totæque nationes Gothorum, Vandalorumque isthac erant peste contaminatæ. Accesserat nuper Pelagianismus, & super hæc omnia urgebat pleroque sacrarum ignorantia literarum, ac potestas Episcopalis in secularem commutabatur dominatum. Narrat Socrates horum scriptor temporum, ab Cyrillo Alexandrino Episcopo usurpatam gladii potestatem, mox & à Cælestino Romano. Ita vi armatâ ademptum. Novatianis religionis suæ exercitium, Judæos Alexandria expulsos, Orestem Cæsaris præfectum ab Ammonio lapide ictum, quod ægrius ferret, novam Cyrilli ambitionem, ac Cyrillum martyris elogio honorasse hominem, qui ob violatam magistratus autoritatem pœnas dederat. Mox acrius exarsit ambitio, fomitem præbente *Nestorio*, qui Sisinnio successor apud Constantinopolin datus, homo arrogans & divinorum rudis mysteriorum, vociferabatur de Maria virgine purum hominem esse natum, & à Judæis crucifixum, *nec* proinde *Dei genitricem dicendam* beatissimam inter mulieres Mariam. Quam ob causam, cum jussu Theodosii *tertia Synodus Oecumenica* CC patrum Ephesi ageretur, cunctante Johanne Antiocheno, Cyrillus Alexandrinus adscitis iis, qui aderant, damnavit Nestorium, ostenditque *manere in duabus naturis unam Jesu Christi personam.* Sed decreto Joannes Antiochenus, Theodoretus Cyrensis, Ibas Edessenus, & alii, per contentionem adversati, Cyrillum ipsum communione Ecclesiæ interdixere, præsentisque vix tandem Theodosii autoritate in concordiam reducti sunt. *Nestorius* cum non desisteret sententiæ suæ suffragatores aucupari, Oasin Arabiæ remotus, *corrosa à vermibus lingua periit.*

Socrat. l. 7. c. 7. 13. 14. 37.

Socrat. l. 6. c. 32. 33. Euagr. l. 1. c. 2. 3. 7. A. M. 4401. Chr. 431. Niceph. l. 14. c. 35.

Interea Valentinianus non tantum Hispaniam, Galliam Britanniamque direptionibus expositas, minime liberavit, verum etiam Occidentalem amisit Lybiam, dum instinctu Aëtii Bonifacium, Africæ ducem, novarum suspicione re-

Procop. lib. 3. belli Vand. Paulus Diac. lib. 14.

Iornandes de rebus Gothicis. Prosper in Chron. Niceph. l.4.c.56.

rum onerat. Bonifacius enim edoctus dolosis Aëtii literis de periculo, quod ei à Placidia & Valentiniano immineret, in perniciem efferbuit Reipublicæ, Gunthariumque & Genserícum, reges Vandalorum, ex Hispania evocavit in Africam, qui eam ferro, flamma, rapinis crudelissime devastarunt, Arianaque simul infecerunt impietate. Patefacto deinde dolo Aëtii, in animo quidem habuit Bonifacius pellere Africa, quos introduxerat, Vandalos, sed inferior prælio Romam venit, victoque acie Aëtio, tantarum fraudium magistro, paucis diebus interjectis, morbo *exstinctus* est, Africa Vandalis relicta.

A. M. 4402. *Chr.* 432.

Sub hoc rerum turbine beatus *Augustinus*, Hipponensis Episcopus, ne civitatis suæ ruinam cerneret, tertio ejusdem obsidionis mense, LXXVI vitæ annis expletis, ad Christum perrexit, vir cui parem sacra eruditione sequentia secula vix tulêre, Donatistis, Manichæis, Pelagianis, Arianis, aliisque Hæreticis validè obstiterat, Episcoporum etiam Romanorum ambitioni, qui causas transmarinas, ad suum trahere tribunal conabantur, Apiariumque presbyterum ab Africanis Episcopis damnatum, de integro judicari Romæ postulabant, prolato ad id Nicæni Synodi canone, qui requisitus in archivis Ecclesiarum Orientalium nusquam comparuit.

A. M. 4400. *Chr.* 430. *Prosper an* 433. *Tom.* 1. *Concil. Synodo Carthag.* 3. 6. 7. *Possid. in vita Aug.*

Ita Zosimi, Bonifacii, Cælestinique Episcoporum elisa dominatio, statutumque, *ut unaquæque negotia in suis locis, ubi oriuntur, accipiant definitionem; nec putetur, Deum uni inspirare examinis justitiam, & innumerabilibus congregatis in concilium sacerdotibus eam denegare.*

Epist. Concil. Afric. ad Cælest. Papam. Socrat. l.7.c.37.

Dum ita Spiritus Christi libertatem Africani, & Christi hominis gloriam Ephesini patres tuentur, Judæi in Creta à quodam Pseudo-Mose miserabiliter delusi, veritatem serâ pœnitentiâ agnovêre. Ille enim cum freta eis pervia, sicut quondam mare rubrum verus Moses, promisisset, plurimos in aquas desilire impulit, mox vorticibus hausios, reliqui deceptione tam exitiabili emendatiores, relictis majorum erroribus, Christi crucifixi potentiam cœperunt venerari.

Paulo post Aëtius, Hunnorum usus amicitiis, pacem principum, cum receptâ interpolatæ potestatis usurâ obtinuit, dataque Vandalis Numidia, Africæ portione, pax cum eisdem necessaria magis quam utilis facta. Aëtius Burgundiones, Litorius Gothos, Theodorico rege Narbonem obsidentes, pacem amplecti coëgêre.

Paul. Diac. l.4.

Porro Imperatori Theodosio conjux erat Athenais, Leontii Philosophi Athenienſis filia, literis bene erudita, quæ ex baptismo Eudoxiæ nomen acceperat. Ex ea susceptam filiam matri cognominem, Valentiniano dedit conjugem, Constantinopolin profecto: Mater Augusta Jerosolymam ivit anno sequenti, gratificos hymnos ac donaria Christo oblatura, unde secum catenas Petri retulisse fertur.

Euagr. l.1.c.21. Zonar. Tom.3.

Tricesimo deinde anno Theodosii, terræ motus facti sunt ingentes per menses aliquot integros, maximarum prænuncii mutationum, quibus Respublica tum Ecclesiastica, tum mundana mox laboravit, ac tantum non occidit. Romanum tunc præsulatum accepit Leo, qui primus in omnes totius orbis Christiani Episcopos dominatum sibi aliquem, velut ex privilegio Petro dato, cœpit arrogare, venerator imaginum & reliquiarum magnus, autorque verborum canonis: quibus sanctum sacrificium, immaculatamque hostiam se Deo offerre dicit Sacerdos, Dominicam cœnam celebrans. Vir cæteroquin eruditus, & assertor veritatis adversus Eutychen, à quo tamen deceptus, cum Flaviani improbaret Synodum, qua Eutyches erat damnatus, maximarum præbuit dissensionum materiam. Negabat Eutyches, Archimandrita Constantinopolitanus, remanere in Christo incarnato duas naturas, divinam atque humanam, docebatque am-

Euagr. l.1.c.17. Sigebert. Gembl. Tomus Conc.1. part.2.

Euagr. lib.3. Hist. Eccl. cap.9.10.

ambas in unam contemperatas permixtasque esse. Eum communione privaverat Flavianus Episcopus, quam sententiam Eutyches à Leone cupiens retractari, effecit, ut temeritatis collegam argueret Leo. Quare Chrysaphii Eunuchi potentia subnixus hæreticus, impetrat concilium fieri Ephesi, ubi præsidente cum militibus Dioscoro Alexandrino, damnatus est Flavianus Episcopus, absolutus Eutyches. Episcopi qui aderant, metu coacti, placitis Dioscori subscripsere. Flavianus calce ictus Dioscori, triduo post mortalitatem explevit. Postea Domnus Antiochenus pœnitens suffragii, in stabilimentum impietatis dati, vociferationibus suis accendit iras Theodosii in Dioscorum. Quibus sedandis Chrysaphius Anatolium Apocrisiarium admovet ad Episcopatum urbis regiæ, Pulcheriamque prudentissimam Theodosii moderatricem fictis criminibus in privatum redigit statum.

Zonar. Tom. 3. Verum Theodosius vix tandem meliora edoctus, Chrysaphium multat exilio, sororemque in aulam revocat. Illa ut erat solertis ingenii, ad coarguendam fratris socordiam, componit literas, quibus Eudocia Augusta Pulcheriæ vendebatur, curataque subscriptione regiâ, accersitam ad se non patitur redire ad Imperatorem. Interrogata facti tam insolentis, profert Syngrapham, convincit subscribi à Theodosio literis non perspectis. At Eudocia in suspicionem adducta postmodum levitatis, quod pomum ab Imperatore missum comedisse dejeraret, cum constaret ab ea datum alteri, pulsa matrimonio est, ac Jerosolymam magnis cum opibus commigravit.

Paulus Diac. Hib. 17. Segebert. in Chron. Nicesh. l. 14. c. 46. Cæterum in terræ motu, quem dixi trepidantibus cunctis, adolescentulus quidam subitò in aërem sustollitur, repositusque in terram ait canendum omnibus, *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis, miserere nostri*, nihilque aliud apponendum; haud obscurâ invocationis Sanctorum, quæ tunc incipiebat, damnatione. Quare cum passim cantaretur illud, *Kyrie eleison*, & quæ sequuntur, cessavit terræ motus. At religiosa defunctorum veneratio non ob id cessavit, sed vires acquisivit majores indies, donec multiplicatis passim Diis tutelaribus, penè renovatum adspiceres mutato habitu, paganismum.

Igitur ad ruinam inclinavit imperium, barbaris quaslibet ejus partes fœdè lacerantibus, Theodosio eunuchis avaris simis habenas permittente Reip. *Suidas in Theodosio Minore.*

Primum ergo Gothi, capto Litorio duce, cæsoque Valentiniani exercitu, pacem eum poscere compulerunt, tradita parte Galliæ. Aëtio autem ibi intento; *Gensericus*, de cujus amicitia nihil metuebatur, *Carthaginem occupavit*. Anno sequenti *in Siciliam* transiens, magnis eam affligit calamitatibus, missique ab Theodosio duces Areobinda & Anaxilus, dum longis cunctationibus bellum differunt, Siciliæ magis oneri quam Africæ præsidio fuere. Paulò post atrocius ingruit Dei flagellum *Attila* Hunnorum Rex, Thracias & Illyricum sæva depopulatione vastans, omniaque castella & civitates redigens in servitutem, præter Adrianopolin & Heracliam. Hic sex millibus librarum auri delinitus, annuumque ab Theodosio pactus tributum, paululum quidem recessit. Interempto deinde fratre ejus *Bleda*, repertoque, ut putabatur Martis gladio ferocior, renovat bellum, causatus tributum haud fideliter persolvi. Eodemque tempore Picti & Scoti Britanniam, frustra Aëtii subsidia precantem, vexando pertinacius ad circumspicienda Anglorum Saxonum auxilia compulerunt. Anglorum natio, cum prosperum suorum iter domi comperisset, eas in Britanniam vires intulit, ut & Pictos pelleret loco, & ipsam Insulam, stipendium minus præparatum habentem, sui juris faceret. *Prosper in Chron. & ex eo Diac. l. 14. A. M. 4409. Chr. 439. Cassiodorus in Chron. Nicesh. l. 14. c. 57. A. M. 4411. Chr. 441. A. M. 4414. Chr. 444. Beda l. 1. Paulus Diac. l. 14. Malmesb. Iornandes de rebus Gothicis.*

Attila interim Genserico fœderatus, innumeras gentes quibus præerat, Scythas, Ostrogothos, Sarmatas, Quados, Rugos, Bastarnos, Marcomannos, Bructeros, Saxones, Gepidas, in bellum *Paulus Diac. l. 15. Marcellinus Com. in Chron.*

evocat, nec minor aestu quam viribus, simulat apud Valentinianum, se Gothos Gallia pulsurum; apud Gothos, se Romanis fingit solis inimicum. Sed fraude patefacta, Valentinianus omnes Galliarum reges, Theudericum Gothorum, Gundericum Burgundionum, Meroveum Francorum, Sangibanum Alanorum, communis metu periculi sollicitatos sibi sociat, & duce Aëtio dubiam Attilæ palmam proponit, eodem tempore, quo *Theodosius II* equo delapsus, contracto ex luxatione vertebrarum morbo, *obiit* quinquagenarius, omni penè vita Imperator. Regnavit tamen post obitum patris Arcadii annos XLII.

A. M. 4420. Chr. 450.

Latissimis ergò *in campis Catalaunicis* conseritur *pugna*, cui vix par alia veterum. Ab utraque parte CLXII millia cæsa referuntur, exceptis XC millibus Gepidarum & Francorum, qui ante congressionem publicam noctu sibi occurrentes, mutuis vulneribus concidere. Franci Romanorum, Gepidæ Hunnorum castra sequebantur. Theodoricus Gothorum Rex, dum adhortans discurrit exercitum, equo dejectus vitam maturâ senectute concluſit. Attila post prælium adversum castris excedere non ausus, cladem suorum maximam fuisse prodidit. In copiis eum quingenta millia habuisse Jornandes, P. Diaconus septingenta scribit. Aëtius Thurismundum patris sui ultione ardentem à persequenda revocavit victoria. Hinc digredientibus ad sua Gothis, securior hostium *Attila* cœpit Aquileiam diuturna obsidione fatigare. Ejus reformidantes adventum Veneti, relicta patria, in insulas se conferunt, futuræque Reipub. quam florentissimam sequentia dedêre secula, fundamenta locant. Eversis interim ab Attila Aquileia, Mediolano, Ticino, Vincentia, cum ulterius tenderet, Leonis Episcopi Romani legatione placatus, reduxit exercitum in Gallias, ubi à Thurismundo victus prælio, in Scythiam recessit, ac nuptiali in toro, dum vino madet, intercluso sanguine è naribus erumpere solito, feralique itinere in fauces illapso, stertens *suffocatus* est. Itaque glorioso per bella regi temulentia pudendam mortem attulit. Exitum ejus subsecutus est paulò post Valentinianus III, corrupta dolo uxore Anicii Maximi Consularis, dolosam passus adulterii vindictam. Maximus muneribus aliquos induxit, qui calumniis efficerent, ut Valentinianus sua manu Aëtium, quo tunc præcipuo bellatore Respublica utebatur, interficeret. Hinc facilè persuasum satellitibus Aëtii, ut fortissimi ducis mortem ignavi Imperatoris sanguine expiarent. *Occisus* ergò in campo Martio est *Valentinianus*, anno Imperii XXX, cladibus imperii insignior quam imperio, præstigiisque ac divinationibus addictus.

Iornandes de rebus Gothicis c. 42. 49.

A. M. 4424. Chr. 454.

Procop. lib. 3. bello Vand.

Zonar. Tom. 3.

A. M. 4425. Chr. 455.

Hac tempestate *septem Martyres*, in spelunca quondam, Decio imperante, obstructa quiescentes, post CC fere annos *excitati*, resurrectionis mortuorum fidem apud multos labantem firmasse referuntur.

Photius in Bibliotheca.

Theodosius codicem legum à se dictum promulgavit, Bononiensem condidit Academiam, virtutum suarum laudatores reperit viros eruditos Theodoretum, Socratem, Sozomenum Historicos: quibus suppares fuerunt Proclus, Prosper Aquitanicus, Evodius, Maximus Taurinensis, Palladius, primus Scotorum Episcopus: Johannes Cassianus monachus, Isiodorus Peluſiota, Synesius Cyrenensis, Symeon Stylita vitæ repertor mirabilis, quam in columna egit, Nilus & Marcus monachi, Eucherius Lugdunensis, Vincentius Lirinensis, Salvianus Massylienſis.

Niceph. lib. 14. c. 53. 54. Gennad. de viris Illustribus. Prosper. in Chron. Euagr. l. 1. c. 1. 13. 14. 15.

MARTIANUS.

DEfuncto Theodosio, soror ejus Pulcheria virgo, quinquaginta annis major, *Martianum* virum militarem, sed probum & prudentem, Thracem genere, ad imperium evexit, matrimonium quidem ejus pacta, sed salva, ut volunt, virginitate. Martiano magna non solum

Euagr. l. 2. c. 1. Marc. in Chronicis. Procop. lib. 3. belli Vand.

Jorn. de regnorum succeſſ.

ſolum imperii & pacis publicæ, ſed & religionis cura fuit. In ore habuit crebro illud: *non movenda eſſe arma, ſi pace frui liceat.* Euagrius & Procopius juraſſe eum ſcribunt Vandalis Africanis pacem, accepto omine imperii, quod aquila dormienti umbram feciſſet, nec fas duxiſſe jam Auguſtum à fœdere, quod privatus percuſſerat, reſilire.

Zonar. Tom. 3. Evagr. l. 2. c. 4. 18. Niceph. l. 15. c. 2.

Ut diſſidia Epiſcoporum maxima, Eutychiana ex hæreſi nata, compeſceret, quartam univerſalem Synodum indixit apud Chalcedonem, eique ipſe interfuit. Convenerunt Epiſcopi ſexcenti triginta. Damnatus eſt Dioſcorus Alexandrinus, definitumque, manere in Chriſto divinam humanamque naturam. Verba concilii ſunt; *Chriſtus ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ eſt ſecundum Dietatem, ejuſdem ſubſtantiæ & ſimilis nobis per omnia ſecundum humanitatem, dempto peccato. Unus idemque in duabus naturis citra confuſionem, mutationem, diviſionem, ſeparationem, diſtantiam unitis, facientе quaque natura quod ſibi eſt proprium, cum alterius communione.* Decretum autoritate Auguſta firmatum, multumque valuit ad Arianorum, Macedonianorum, Neſtorianorum, Eutychianorumque lites finiendas, quæ ad CL annos fœdiſſime vexarant incolas terrarum.

Niceph. lib. 15. c. 10. 11. Tomus Conc. 11. parte 1. Balſamon. in Conc. Chalc.

Cæterum terræ motus crebri, & ſigna de cœlo ignea novorum nunciabant malorum veſtigia adeſſe. Nam non tantum Attila eo tempore Occidentales adhuc vaſtabat provincias; ſed & diuturnior peſtis Eccleſiam cœpit infeſtare, arrepta ex hoc concilio anſa: Nimirum primatus & dominii cupiditas orta inter Epiſcopos, Occidentales ſimul & Eôos. Synodus Conſtantinopolitano Epiſcopo poteſtatem in Oriente tribuerat, parem illi, quam Leo Romanus in occiduis ſibi aſſerebat provinciis.

Concil. Chalc. act. 15. Leo Epiſt. 61. 62.

Ea definitio Leoni Papæ vehementer improbata, publiciſque ad Eccleſias Epiſtolis impugnata eſt, ſeminarium perpetuæ diſſenſionis: longiuſque per ambitionem alienandis à ſe Chriſtianis, quam unius alteriuſve dogmatis conjuncti ſuffragio fuerant. Quare nihil mirum, ſi imperii quoque mundani convulſa eſt compages. Peremptis enim Valentiniano Aëtioque, ſoluti metu Barbari, paſſim volitare, & tanquam laxatis vinculis diſcerpere Rempubl. cœpêre. Franci, ſive à ferocia, ſive à Francione dicti duce, ex Aſia olim in Germaniam variis delati caſibus, poſt Feramundum & Clogionem Reges, Meroveo parebant, quo duce Pariſios, eamque Galliæ partem, quæ deinde Francia dicta eſt, occuparunt; Viſigothi Theodorici regis ductu Hiſpaniam ſubegerunt, victis acie Suevis.

Apol 3. 14. 15. Aimoinus l. 1. c. 2. 3. Trithemius in compendio. Jornan. c. 44. 45. Procop. 3. l. de bell. Vandal. Euagr. lib. 2. Hiſt. c. 7.

Roma *Maximus* Eudociam Theodoſii filiam, conjugem Valentiniani, in matrimonium adſcivit ſuum, imperiumque ſimul & torum armis rapuit. Sed cum imprudenter aperuiſſet Imperatrici, ſuo conſilio Valentinianum interemptum, vindictæ cupida mulier Genſericum ex Africa accerſit occultis literis, *communi pernicie privatum dolorem ſolatura.* Genſericus occaſione uſus, Romam advolat claſſe valida. Maximus ab exercitu imparatus, in fuga lapidatur, Principes diffugiunt, urbs traditur Genſerico. Ea per XIV dies diripitur, deformaturque: Eudocia cum filiabus Placidia & Galla Eudocia, multiſque captivorum millibus aſportatur in Africam, Romanum imperium à ferrea quâ pollebat, firmitate in teſtaceam fragilitatem decidit.

Aimoinus l. 1. cap. 5.

Super hæc Burgundiones Lugdunenſem Galliam, Aquitaniam Gothi pervadunt, neque ea pars Galliæ Romanis remanet integra, quam Rheni fluenta atque amnis Ligeris determinant. Cum Franci indies regni ſui pomœria dilatarent, Genſericus perpendens, bilem ſe moviſſe Martiano, ob ſpoliatam nefariè Romanam urbem, abductaſque reginas, filiarum Valentiniani alteram filio ſuo Hunerico jungit, alteram Placidiam, cum matre remittit ad Martianum,

Procop. l. 3. bell. Vand.

quam ille Olybrio tradidit patricio in matrimonio habendam. Procopius ad Leonem demum remissas eas affirmat. Crediderim ad Martianum destinatas, eo mortuo ad Leonem perveniſſe. Interim *Avitus* in Gallia sumit imperium, invito Martiano, sed repulsus ab Romanis, & à Ricimero Suevo militiæ magistro comprehensus, deponere cogitur purpuram, fitque ex Imperatore *Episcopus* Placentiæ: neque sic tutus satis, cum in Galliam refugisset, peste aut animi mœrore *exstinguitur*. Quem subsequitur paulo post Martianus, dum nequaquam se expedit de successore Occidentalis imperii, Asparis patricii veneno sublatus, anno imperii VII.

Sidonius Apollinaris.

A. M. 4426. *Chr.* 456. *Euagr. l.2. c.7.*

LEO I.

Anno Christi 457. Mundi 4427. *Euagr. lib. 2. cap.8.9. 10.11. Paulus Diac. lib.15. Zonar. Tom.3. Niceph. lib.15. c.15. &c. Jornand. Got.c.50.*

LEO I. Thrax aut Dacus genere, studio Asparis Patricii Martiano succeſſit imperio Orientali, Chalcedonensis Synodi, fideique rectæ tenax, ac proinde punitor Alexandrini populi, à quo Proterius Episcopus nefariè interemptus, & Timotheus Æluus per seditionem suffectus fuerat. *Majoranum* creavit militiæ magistrum, misitque ad accipiendum regimen Occidentis; cujus ille reliquias tenuit, varioque Marte defendit quadriennio, necatus tandem à Ricimero, quem ad expellendos Gallia Alanos, cum exercitu advocaverat. Ostrogothos fœdere sibi junxit Leo; qui Hernacum Attilæ filium, acie victum, in Scythiam repulêre, cumque Suevis Hispaniam tenentibus tam diu ambiguis depugnarunt præliis, donec tandem ad internecionem eos redegerunt. Ardaricus Gepidarum Rex, qui primus viam monstravit gentibus, ab Attilæ filiorum servitute se in libertatem vindicandi; Daciam à Leone suscepit, Gothi Pannoniam, Alanorum pars Mœsiam inferiorem. Sic filii Attilæ, *dum inconsultè imperare cuncti cupiunt, omnes simul imperium perdidere.* Cæterum post Majoranum *Severus*, triennis Imperator fuit, sub quo Ricimer Alanos in Italiam irruentes devicit, Beurgo rege eorum interempto. Caput Orientalis regni Constantinopolis, oborto ex candela in foro relicta incendio, per integrum quatriduum arsit; Antiochia, Gallia, aliæque orbis partes horrendis terræ motibus sunt quassatæ: quibus sedandis Mamertus Viennæ Episcopus, majores instituit Litanias, postea in consuetudinem receptas sempiternam, ut sexta post Pascha hebdomada agerentur. Sed *sublato* Ricimeri fraude etiam *Severo*, rogatus à Romanis Leo direxit *Anthemium* in Italiam, cujus ducta filia Ricimer paulo diutius acquievit, victusque est interim Gensericus navali prælio, qui omnes propè imperii partes prædæ habebat adeo, ut quocunque ventus ageret, impressiones faceret impunè. Sed cum jam Sardinia & Tripolis essent receptæ de Vandalis, Basiliscus frater Verinæ Augustæ, inertia haut proditione victoriam corrupit, atque omnis ferè classis mille navium in potestatem venit Genserici. Ricimer verò jam satis sibi visus habere potentiæ, *Anthemium* Imp. socerum suum Romana in urbe obsidet, eaque capta *occidit*, post annos quinque dominationis, pauciſque post diebus ipse moritur, perbrevi gaudio usus victoriæ nefandæ. Successit *Anicius Olybrius*, qui quarto mense decessit, eodem tempore, quo Leo Imperator crebris Asparis patricii flagitationibus evictus, filium ejus creavit Cæsarem indignante admodum populo, nec ferente Arianâ infectum hæresi Dominum. Quare Leo, insidias expertus Asparis, ipsum filiumque ejus Ardaburium interemit, atque Leoni puero, suo ex Ariadna filia nepoti, legavit imperium, Zenonis generi sui spreta corporis animique deformitate.

A. M. 4431. *Chr.* 461. *Jorn. cap.45.*

Cassiod. in Chronico. Aimoinus l.1. c.25. Euagr. lib.2. c.12.13.

Post Olybrium Ravennæ renunciatur Imperator *Glycerius*, favore Gothorum, quos datis muneribus demulsit, ne Italiam irrumperent. Iisdem artibus *Leo* Imper. ab occupandâ eos Græcia vertit, qui paulo post *decessit* ventris confectus profluvio, annos dominatus XVII.

A. M. 4435. *Chr.* 465. A. M. 4437. A. M. 4437. *Chr.* 467. *Procop. lib.3. de bello Vand. Zonar. Tom.3. Cassiodor. in Chron.* A. M. 4442. *Chr.* 472.

A. M. 4443. *Chr.* 473. A. M. 4444. *Chr.* 474. *Marcellinus in Chronico.*

Desi-

Deſignabat Julium Nepotem Imperatorem Occidentis, qui claſſe advectus in Italiam, movit poteſtate ſua Glycerium, atque Epiſcopum Salonenſem fecit in Dalmatia, quinquennio purpura uſum.

Jornandes Got. c. 56. Regnante Leone, Childericus Francorum Rex, ob inſolentiam pulſus à ſuis, exulatum ivit in Thuringiam. Franci Ægidium Romanum ducem ſibi legerunt. Sed poſt octennium, perſuaſis ab occulto amico Principibus gentis, reverſitur Childericus, & modeſtius ſceptro utitur.

Niceph. l. 15. c. 23. Cedrenus. Theod. lector. lib. 1. Conſtantinopoli Studius conſularis cœnobium excitavit monachorum inſomnium, id eſt, per ordines continuos, laudes Deo juges decantantium. Ibidem pictori cuidam, Chriſtum ad inſtar Jovis delineare inſtituenti, manus exaruit, Gennadii precibus curata.

Bonæ interim literæ & artes liberales, itemque ſolidior ſacrarum literarum ſcientia, ruente imperio unà ruere cœperunt, barbaris ſecum barbariem importantibus, ſtudiiſque melioribus bellica paſſim clade obtritis. Sidonius tamen Apollinaris, Priſcus Rhetor, Victor Uticenſis, aliique viri docti hæc tempora illuſtrarunt. Romæ Leoni Papæ erudito ſucceſſit Hilarius, Hilario Simplicius. Gennadio Conſt. ſpectrum apparuit, quod repulſum ab eo reſpondit: *Te quidem vivo, recedo: ſed poſtea modis omnibus Eccleſiam perturbabo.* Apparuitque *Dæmonem aliquando vera, ſed malo animo loqui.* Leo Imper. expilatis paſſim ſubditis, adeo ut tributo non eſſent ſolvendo, Hyperechium quoque Grammaticum miſerat in exilium, à Malcho ob id iſtius ſeculi hiſtorico minimè laudatus. Laudatur tamen vox ejus, qua ſtipendium, Eulogio Philoſopho datum, in militiam inſumere ſuadenti, reſpondit: *Utinam liceret meo tempore, quæ militibus dantur, in artium profeſſores impendere!*

Suidas in Leone.

ZENO.

LEonis Nepote in infantia extincto, *Zeno* corripuit imperium, corpore animoque turpis. Tyranno enim quam regi propior, fratrem habuit Cononem, mactationibus hominum intentum, & Sebaſtianum aulicum honorum venditionibus. *Anno eodem 4444. Procop. de bell. Vand. l. 3. Euag. l. 3.*

Eo tempore *Nepos* Romæ dominabatur, Glycerio velut in pœnam ad Clericatum detruſo. Sed Nepotem Oreſtes patricius, exercitu inſtructus in eandem relegavit Dalmatiam, quo ipſe Glycerium egerat, filiumque ſuum Momyllum creavit Auguſtum, qui ob ſtaturæ brevitatem *Auguſtulus* eſt appellatus, ominoſo cognomento. Etenim amici Nepotis accerſivêre *Odoacrum*, Turcilingorum ſeu Herulorum ac Rugorum regem, qui occupato Ticino, pervaſaque Italia, Oreſtem Placentiæ interemit, ac Romanam urbem cepit, quarta jam vice, ex quo condita fuerat, pulſoque in exilium Auguſtulo, regem ſe nominavit Italiæ. Ita Auguſta dignitas, quæ Romæ in Auguſto cœperat, in Auguſtulo exſpiravit. *Odoacer* abrogata Conſulum eminentia, ſedem regni Ravennæ conſtituit; ita occidit gloria Occidentis, anno Auguſtorum DXXII. *Caſſiod. in Chronico. Jorn. de regnorum ſucceſſ.* A. M. 4445. *Chriſti* 475. *Niceph. l. 16. c. 1. 2. Theod. Lector lib. 1. Suidas in Vocabulo Zeno. Jornand. Got. c. 46.* A. M. 4446. *Chriſti* 476.

Orienti etiam nova clades orta eſt. Baſiliſcus Verinæ Imperatricis frater, è Thracia movit bellum Zenoni, Verina Auguſta fratrem concitante adverſus generum, & è ſenatu quibuſdam graviter adjutantibus. Zeno, ut erat homo timidus & effœminatus, cum uxore Ariadne ad Iſauros confugit, populares ſuos, ibique annum & octo menſes egit. Interea Baſiliſcus, nihil melior Zenone, ad reliquam improbitatem Eutychianam quoque adjunxit hæreſin, ac dum Chalcedonenſi Synodo autoritatem abrogare omnem conatur, adacto in ſuffragium Epiſcopo Conſtantinopoleos Acacio, autoritatem ipſe ſuam perdit: Nam & Doctorum & Senatorum oppugnatus ſententiis, Armati Ducis, adulterique reginæ *Marcell. in Chron. Zonar. Tom. 3. Cedren. pa. 288. 289.*

Suidas in Harmato. & Baſiliſco. reginæ Zenonidis, quem contra Zenonem miſerat, proditione, ad hoſtem tranſeunte exercitu, deſeritur à ſuis. *Zeno* regreſſus Conſtantinopolin, Baſiliſcum in Caſtellum quoddam miſit Cappadociæ, ubi cum uxore & liberis fame *interiit*, poſt biennii dominatum, inſignem bibliothecæ incendio Byzantinæ, in qua cxx millia librorum arſêre.

Euagr. l.3.c.24. Zeno adverſis rebus nihil emendatior, Armati proditoris filium Baſiliſcum Cæſarem deſignavit, ut promiſſa quidem impleret: ſed patrem occidit, dicens; qui Baſiliſco fidem fregiſſet, nec ſibi eam ſervaturum. Filium quoque ejus mox è Cæſare effecit Clericum, recepta jam ſemel conſuetudine, *ut male regnaturis aut regnantibus caſtigatio eſſe ſacri officii ſeveritas crederetur.* Filium Zenonis Principatui innutritum, ſed cui nihil eſſet regium, præter morum & vultus inſolentiam, maturè exemit rebus humanis Deus, ne ſua eis vanitate illuderet.

Suidas.

Iornandes Got.c.57. Marcellinus in Chronico. Cum autem *Theodoricus*, Theodomiri Amali filius, Oſtrogothorum rex, Thraciam Mœſiamque populatus, Byzantio minaretur, promptior ad blanditias quam ad arma Imperator, invitatum in urbem inimicum, Conſulem creavit, maximiſque honoribus vix ſaturatum, cum novas iterum res moliretur, in Italiam adverſus Odoacrum ut iret, perſuaſionibus induxit. Theodoricus Princeps fortiſſimus, comperto *Dominam olim mundi Italiam obſcuræ Herulorum genti parere*, & Odoacrum, victo captoque Phœba, Rugorum Principe, (quorum ſedes Longobardi è Scandinavia egreſſi occupaverant) ſecurum agere, expeditionem ardenter ſuſcepit, *Odoacrum* ad pontem Sontium cum tota gente *fugat*, eodemque anno (erat Zenonis xv) repetito apud Veronam conflictu, iterum vincit, unde Veronenſis dictus eſt. *Tertio* tandem certamine *pulſum*, includit Ravennæ, nocturnaque eruptione pugnantem redigit in urbem. Hinc relicta ad continuam obſidionem parte copiarum, per reliquas Italiæ urbes circumfert bellum, factaque pace cum Hunerico, Vandalorum in Africa rege, Siciliam ab eorum deprædationibus liberat. Is Hunericus patre ſuo Genſerico immanior, inſtinctu Epiſcoporum Arianæ hæreſeos, ægre ferentium Catholicæ veritatis incrementa, ultra cccc millia Orthodoxorum antiſtitum exilio aut morte multavit. Aliquos ex ſcelerum ſuorum conſcientia veritus, mutilavit linguis, ex quibus fuerunt, qui nihilo minus divina myſteria expedite eloquerentur. Tyrannus, ultore Deo, vermi-nante corpore, propriis tandem ſe morſibus laniavit, magnoque ſed merito cruciatu abrupit vitam, anno regni octavo.

Victor de perſecutione Vandalorum. Gregor. Turonenſis l.2. Hiſt. Franc Marcell. Chron. Euagr. l.4.c.14. Niceph. l.15.c.28. & 16. c.2.13.24. Euagr. l.2.c.25. 26.27. Zonar. Tom.3. Cedren. p.291.

Nec melior Zenoni contigit exitus, licet à Theodorici Scythæ, Martiani quoque generi ſui, Ilique & Leontii tyrannide mirè liberato. Etenim *Zeno*, ſive acutiore morbo, ſive ebrietate nimia exanimatus, cum concidiſſet, Ariadnæ uxoris juſſu in ſepulcrum illatus eſt vivus, receptoque ſenſu, nequicquam lamentabiliter vociferatus, nemine ſuccurrente, ita interiit, cum imperaſſet annos xvii, anno poſt mortem Julii Cæſaris Dictatoris, quo ſolus regnavit Auguſtus 532. poſt urbem conditam 1244. Hic Petrum Fullonem ſeu Cnaphea Antiochenis Epiſcopum dedit, virum ſtolide Eutychianum, qui ſolenni Trinitatis hymno adjecit; *qui mortuus eſt pro nobis*, ac ſtolidam Theopaſchitarum hæreſin condidit. Circa hoc tempus, cum eſſent, qui ex Auguſtini libris colligerent, Chriſtum pro aliquibus tantum prædeſtinatis mortuum, coacto Arelate concilio damnatus error, ac virtus univerſalis gratiæ aſſerta eſt. Euſtachius Syrus & Joannes Rhetor horum temporum hiſtorias ſcripſere, teſte Euagrio, Gennadius Maſſylienſis, Julianus Pomerius, Gildas cognomine ſapiens, Vigilius, Cæſarius Arelatenſis ſacræ eruditionis monumenta reliquerunt.

Theod. Lector Coll. l.1. Tom. Concil. Euagr. l.3.c.26. 28.37. Biblioth. Patrum. T.3. par.3.

A. M. 4459. Chriſti 489.

A. M. 4460. Chriſti 490.

ANA-

ANASTASIUS DICORUS.

Anno Christi 491. Mundi 4461. *Euagr. l.3. Th. Lector. lib.2. Georg. Cedren. p. 293. Niceph. l.16.c.25. 26, &c.*

EXstincto Zenone, Ariadna Augusta *Anastasium* Silentiarium, (humile id munus erat) de sententia Senatus & Legionum, annitente Urbicio Eunucho ad imperium pariter, conjugiumque suum evexit. Cognomen ei fuit *Dicoro*, ob pupillas oculorum bicolores. Cum coronandi Imperatoris jus ad regiarum transisset urbium Episcopos (quos *Patriarchas*, id est, patrum seu Episcoporum Principes appellitabant, interdum & Archiepiscopos), Euphemius Patriarcha Anastasium diademate ornare noluit, quoad data syngrapha, in Synodi Chalcedonensis decreta semet obstrinxit. Ita coronatus Anastasius, *fœda è meretriciis amoribus flagitiisque tributa, licet fisco fructuosa, abrogavit; magistratus vendi solitos gratis tribuit, optimum de se Principem omnibus pollicitus.* Longinum, Zenonis fratrem, regno inhiantem relegavit. Deinde per Isauros inferentem bella, victum acie interfecit. Scenitas Arabes, Mesopotamiam populantes & Palæstinam, adegit ad fœdus. Cabadæ Persarum regi occupatam armis Amidam multo demum labore extorsit, castellumque Daras in Romani imperii finibus munivit. Cabaden hunc, Parozæ patri, quem Hunni Euthalitæ occiderant, suffectum, *moverunt Persæ regno, quod lege lata, communes esse uxores jusserat.* Sed eum amor conjugis carcere exemit, cum sua pudicitia custodi prostituta marito exitum mercaretur. Cabades elapsus facilè recepit potestatem, cognitaque Dei Christianorum virtute, in magno eos honore habuit. Porrò *Anastasius* longum *murum* ducentis & LXXX, à Constantinopoli stadiis distantem *struxit*, opus memorabile & amplissimum, utrumque mare amplexum, barbarosque è Ponto, Colchide & Mæotide palude excursare suetos, arcentem oportune. Varia sub eo Episcoporum inconstantia & inquietudo fuit, Chalcedonense concilium seu approbantium, seu anathemate notantium, inter quos etiam erant, qui licet Eutychem & Dioscorum damnarent, tamen Synodi decreta minimè admitterent, in sedes potius intenti Episcopales, quam dogmatum Christianorum sinceritatem. Anastasius utique Eutychianis visus propensior, quamvis pacis & concordiæ amantissimus. Exilio multabat ferventiores Orthodoxorum, *nulla* tamen *sanguinis gutta*, ut aiebat, *vindicare cupiens contraria sentientes, modo quiete agerent.*

Euagr. l.3.c.38. Niceph. l.16.c.36. 37.

Euagr. l.3.c.34. Marcell. Chron.

Euphemium Patriarcham ejecit, surrepto successori ejus, aut extorto, quod reddere nolebat, chirographo, obligationem hanc suam Imperio dedecorosam esse prætexens: quem & ipsum, Macedonium nomine, exilii damnavit, eaque re vehementer alienavit populum, præsertim cum Episcopum faceret Timotheum assentatorem suum, veris infamem stupris, quæ Macedonio frustra imputaverat.

Itaque in Anastasium Vitalianus Comes, Thrax genere, insurgit, qui conciliatis sibi Mysis Scythisque ex agro Byzantino jam prædas agebat, classe urbem obsidens: cum Anastasius per præfectum prætorii suum Martinum Syrum ei restitit, & à machina quadam à Proclo, Archimedis æmulo, fabrefacta, classem hostium exussit. Sed ad extremum fractus populi in Vitalianum, Orthodoxorum receptorem, studio, spem fecit de Synodo, qua causa cognosceretur exulantium, Vitalianumque promissis allectum in honore interim habuit. Misit ob id legatos Constantinopolin Symmachi successor *Hormisdas* Papa, ut concilii habendi rationes edocerent Anastasium. Verum cum viderentur imperosius agere nuncii, per posticum emissis omni Græcia interdictum est. Concilii spes decollavit. Intera Severus, Flaviano Antiocheno suffectus in Episcopatu, afflixit valdè monachos, Synchyticorum sectæ adversantes.

Jorn. de regnorum successione.

Anastasius hymno solenni, Sancte

Deus, sancte fortis, sancte misericors, adjici præcepit illud Petri Fullonis: *Qui crucifixus es pro nobis*, suspicionemque præbuit, quasi Deitatem sentiret crucifixam, unde cruentæ seditiones extitêre, queis deprecatus ipse coram populo culpam, positoque diademate, vix tandem remedium attulit.

Euagr. l.3.c.44.

A. M. 4463. Christi 493.

Secundo Anastasii anno *Theodoricus*, occiduarum partium Rex, ab Zenone destinatus, cum ex fœdere Ravennam obsidione fatigatam diutina intrasset, molientem sibi insidias *Odoacrum interemit*, regnumque Italiæ xxxiii annos tenuit. Romam cunctorum expetitus votis venit, senatumque mira tractavit affabilitate, plebi donavit annonas, dirutisque mœnibus deputata per singulos annos pecunia, subvenit; castella, urbes, palatia condidit, ut operum magnitudine antiqua miracula renovaret.

Cassiodorus in Chron.

A. M. 4469. Christi 499.

In Galliis regnabat *Clodoveus* Jornandi dictus Lodoin, Childerici filius, qui à Clothilde, Burgundica conjuge, ad Christianismum incitatus, *cum parere differret, periculo coactus est sapere.* Nam in bello adversus Alemannos, laborante exercitu, fidem vovit conjugis suæ Deo, si lapsam Francorum erigeret aciem, victoriamque ex hostibus donaret. Itaque voti reus, à Remigio Episcopo Rhemensi baptizatur, exemploque movet subditos, ut Christo colla subdant, anno Domini cccc xc ix. Favente dehinc, quem colere cœperat, Deo, Gundebaldum Burgundiæ, & Alaricum Gothum Aquitaniæ regem subegit, propagatisque Francici regni finibus, regiam sedem Parisiis statuit. Ejus filiam Audifledam Theodoricus duxit uxorem, omnesque vicinas gentes aut affinitatibus sibi, aut amicitia devinxit, vix quoquam Cæsarum moderatione, prudentia, liberalitate aut justitia inferior.

Gregor. Turonensis Francicæ Hist. l.2. c.29 30. 31. Aimoinus l.1.c.22. Isidorus in Chron. Gothorum. Iornandes Get.c.58.

Simultas autem suborta inter ipsum & Anastasium Imperatorem, quod is Bulgaros, ignotam antea gentem, in Illyricum irruentes & Thraciam, in occiduas avertisset provincias. Quibus proinde bello prostratis, Theodoricus Sirmium Pannoniamque suo subdidit imperio.

Cassiodor. Zonar. Tom.3. Marcellinus in Chronico.

Contra Anastasius Clodoveum, missis insignibus, Patricium Augustumque nominavit, unde iræ inter Clodoveum & Theodoricum, ac bellum varia utrinque fortuna gestum, Theodorico Gothos adversum Francorum tuente potentiam, perque Hibbam Comitem xxx eorum millia delente uno certamine.

Nec quies inter Romanæ sedis Candidatos fuit. Symmachus & Laurentius, defuncto Papa Anastasio, dissentientibus Cleri populique Romani studiis electi, triennali discordia, ad sanguinem usque depugnarunt. Theodorici regis decreto Symmachus, qui prior electus fuerat, obtinuit honorem, cum Paschasius Diaconus Laurentii adhæreret partibus, cujus animam, ob id thermarum addictam ministeriis, suisque liberatam precibus, jactavit Germanus, Capuæ Episcopus.

Aimoin. l.1.c.11. Sigebert. Gembl. Theod. l. Lector. lib.2.

Verius illud sane, quod revocatis à Gundamundo Catholicis per Africam, ac deinde expulsis à Thrasamundo, *Olympius* quidam in balneis Sanctam Trinitatem blasphemans, ignito jaculo cœlitus veniente, visibiliter *combustus* scribitur: quodque Constantinopoli *Deuterius* Arianus, Barbam quendam baptizaturus, mutatis Christi verbis, non in nomine Patris & Filii, sed per Filium in Spiritu Sancto, aqua subitò *disparuisse* memoratur. Memoriam quoque meretur duorum Principum circa religionis dissidia acumen, Theodorici, inquam, Gothi, & Alamundari Saraceni. Theodoricus ita amavit Arianismum suum, ut nollet tamen sua causa quenquam deficere à fide, quam corde semel probasset. Itaque Diaconum quendam sibi antea æstimatissimum occidit, quod in gratiam Regis Arianismum esset amplexus, addito elogio, *non servaturum sibi fidem, qui Deo eam non servasset.* Alamundarus lepidè elusit Severi fraudes, Antiocheni Episcopi, qui eum ut neophytum

Paulus Diac. lib.15.

Theod. Lector. lib. 2.

Niceph. l.16.35. Theod. Lector. lib.2.

phytum Regem Eutychiana inficere hæresi parabat. Fingens enim magnam sibi esse mœstitiam, quod Michaëlem Archangelum comperisset vita esse defunctum, confessionem elicuit Episcoporum præsentium, *Angelum mori non posse*, consolari cupientium stolidè, ut putabant, dolentem. Quibus ex tempore Alamundarus: *Quomodo ergò Christus*, inquit, *mori potuit, si non nisi solam habet Deitatem?* Cæterum Theodoricus etiam coluit Orthodoxos, inter quos *Boëtium* & *Cassiodorum*, viros clarissimos doctissimosque ad Consulatum provexit, quorum scripta egregia adhuc supersunt. In Hispaniam quoque protulit arma, eamque tutorio nomine sibi vindicavit, atque filiam suam Amalasuentam Eutharici Gothi copulavit matrimonio, tertio ante Anastasii obitum anno. *Anastasius* oraculo quodam doctus, fulmine sibi pereundum, tholoto in ædificio se habuit, quod securitatem eo præstari à cælesti igne esset persuasus, sed frustra. Nam sæviente aliquando tempestate, cum discurraret per cubicula, subito *mortuus* est inventus, territus ante mortem viri cujusdam horribilis specie, in somnis ei dicentis: *En ob perversitatem fidei tuæ* XIV *tibi vitæ annos deleo.* Regnavit annos XXVII & tres menses, vixit LXXXVIII.

Cassiod. in Chronico.

Zonar. A. M. 4488. Chr. 518.

Ipso imperante, Angloſaxones in Britannia novis Coloniis, multoque cum suo & Britonum sanguine, regnum sibi potestatemque firmarunt. Patricius in Hibernia fidei Christianæ jecit fundamenta. Gelasius Papa primatum sibi in omnes Ecclesias, Anastasio refragante, adstruxit. Immeres bellicosi, reginæ quondam Austri obedientes, quæ Salomonem invisit Regem, missis ad Anastasium oratoribus, Christianismum sunt amplexi, & Episcopum expetiêre. Acephali hæretici, Chalcedonensem exsecrantes Synodum, cum Episcopis ceu capitibus carerent, varias de se sectas fudêre, Tritheitas, Agnoëtas, Theopaschitas, Jacobitas, Armenios, Severitas, Aphthartodocetas, Severi Antiocheni, Juliani Halicarnassæi, Joannis Philoponi & aliorum scriptis deliria adstruentes.

Ethelb. Malmes. Marian. Scotus. Decret. Gratiani. Nicephor. l. 16. c. 37. Theod. Lector. lib. 1. Nicephorus l. 18. c. 45.

JUSTINUS.

Anno eodem. Euagr. lib. 4. Niceph. lib. 17. Procop. lib. 4. Paulus Diac. lib. 15. Zonar. Tom. 3. Sigebert. Gemblac. Chronico Cedren. p. 298. A. M. 4889. Chr. 519.

Justinus Thrax è subulco miles, è milite Tribunus, hinc Comes, & tandem Imperator, mira fortunæ commutatione, & pecunia aliena, factus est. Cum enim mortuo Anastasio, Amantius Eunuchus donativum ei dedisset, pro Theocritiano militibus distribuendum, Justinus suum egit negotium, potestatemque alteri cupitam sibimet acquisivit. Id ægerrime ferens Amantius, dum insidias ulcisci insidiis quærit, prævenitur à Justino, ac cum sociis necatur, implevitque somnium, quo à grandi quodam porco se devorari viderat. Justinus Chalcedonensis Concilii acerrimus propugnator, relegatos ab Anastasio reduxit, Arianos Eutychianosque multavit exiliis. *Severum* novatorem, Antiochena sede pulsum, lingua privasset, nisi fuga ille prævertisset malum.

At Vitalianus, sub Anastasio affectator imperii in Justini intimam receptus familiaritatem, effugere tamen exitium nequivit, dolo cæsus, annuente Justino, à Byzantinis, quorum necessitudines civili bello peremerat. Ejus loco Justinianus, sorore natus Justini, legionibus est præfectus.

Exorto cum Cabade Persarum rege bello, Justinus Zelioben Hunnorum regem, socium sibi auro facturus, *infidelem experitur emptam pecuniis militiam.* Zeliobes enim majori aut novo inescatus lucro ad Persas semet transtulit. At cum Justinus per literas explicaret Cabadi ingenium transfugæ regis, nec ille inficiari datam sibi à Justino pecuniam posset, incensus ira Cabades, sustulit proditorem, & quotquot Hunnorum fuga non anteverterent exitium, (erant autem XX millia) paribus suppliciis interemit. Justino ob animi sinceritatem pax data, sed minus diuturna. Nam postquam

Tzatus, Lazorum seu Colchorum Dux, ad religionem se applicuisset Christianam, Justinus baptizatum eum regemque & filium suum appellatum, remisit in Colchidem, Persarum imperio subditam. Eo facto inimicitiæ recruduerunt, Colchis Hunni adversus Persas venêre auxilio. Postea Cabades fatis vicinus, Cosrhoem filium adoptandum dare Justino voluit: Factusque esset voti compos, nisi Proclus Quæstor tum Cæsari, tum Justiniano, pernicioſum esse id consilium demonstrasset. Unde paulatim acrius bellum utrinque sumi cœpit. Quemadmodum autem *Justinus* Tzati promotione Cabaden, ita *Arianorum persecutione Theodoricum offendit* Veronensem, qui ne idem in Catholicos statueret, quod Justinus in Arianos, legati venerunt Constantinopolin Johannes Papa, successor Hormisdæ, & præstantissimi Romanorum Boëthius, Symmachus, aliique, exorantes Justinum, ne sua in hæreticos austeritate, Theodoricum in Catholicos efferaret. Quibus honorificè habitis, Justinus Imperatorum primus, à Romano Pontifice, qui superiorem se ferret Constantinopolitano Epiphanio, insignibus est Augustalibus redimitus, ingenti indignatione Theodorici, arbitrantis oratores conspirasse cum Justino in suam regnique Occidentalis perniciem. Itaque Johannem reversum in Italiam diutinâ maceravit custodiâ, eumque jejuniis & squalore carceris, comites verò ejus, partim igne, partim aliis suppliciis exstinxit. *Symmachum* Patricium generumque ejus *Boëthium* Consularem *punivit gladio.* Hi ambo quantum seu divina seu humana sapientia excelluerint, monumentis à se editis testantur.

Procop. de bell. Persico lib. 1.

A. M. 4494. *Chr. 524. Niceph. l. 17. c. 9.*

Aimoinus l. 2. c. 1.

A. M. 4496. *Chr. 526.*

Verum in Theodoricum nec sera, nec obscura cœlestis ira Numinis apparuit. Nonagesimo octavo post hoc facinus die, piscis forte appositi caput, tanquam Symmachi esset, torvis oculis, exertisque dentibus exitium minitantis exhorruit, subitaque est *morte defunctus.*

Successit in regnum *Amalasuenta* filia, probè literis exculta mulier, cum filio *Athalarico*, qui puer ferè pueriliterque vivens, matrem imperii administram habuit octennium, Galliarumque partes avo quæsitas bello, Francis repetentibus reddidit. Mortuo Alarico Amalasuenta cum Theodatum, amitinum suum, regni feciſſet participem, non multo post, ipso jubente, in balneo strangulatur. Nam pravos Theodati mores, liberius increpârat, & tres Gothorum primores, *indignum esse vociferantes fastigio Principis, si ferulam pateretur & literis incumberet*, astu quodam interfecerat, ut petulantiam Alarici castigare decenter posset. Ita sagacissima regina, dum filium ad bonam frugem, & agnatum reducere studet, gentilium suorum ferocia interiit.

Anno eodem. Jorn. de regnor. succeſſ. & de rebus Got. c. 59. Procop. de bello Gothor. lib. 1.

Feliciori institutione Eudoxia Valentiniani III filia, Childericum filium imbuit. Ille enim defuncto Thrasimundo, Vandalorum in Africa regnum adeptus, non patrem hæreticum, sed matris catholicæ monita sequens, cultor rectæ fidei enituit. Adstrictus à patre juramenti nodis, ne unquam in suo regno catholicis faveret, priusquam regni jura assumeret, universos Episcopos ab exiliis revocavit, LXXIV annis evolutis, ex quo à Genserico, avo suo, primitus per Africam Ecclesiæ erant Arianismo contaminatæ. Sub hæc *Justinus*, cum quarto ante obitum mense Justinianum successorem designasset, *in vivis esse desiit*, gesto imperio annis IX.

Paulus Diac. lib. 15.

A. M. 4497. *Christi 527.*

Eo tempore Fulgentius Ruspensis in Africa, Ennodius Ticinensis, Nonnus Panopolita Ægyptius, Severinus Abbas in Noricis, Germanus Episcopus, & Genovefa virgo Parisiis, Brigitta vidua in Scotia, doctrinæ sanctitatisque laudibus, floruêre. Gabades Persarum Rex Manichæos, quod filium ejus Phatuarsan, superstitione sua imbutum, ad res novandas pellicerent, spectante Magorum Principe & Christianorum Episcopo, contractos in unum omnes exstinxit.

Aimoinus lib. 1. Bibliotheca Patrum. Tom. 6. Paulus Diac. lib. 15.

Ju-

JUSTINIANUS.

Anno eodem. Procop. de bello Persico lib. 1. Nicephor. lib. 17. c. 10. 24. Paulus Diac. lib. 16. Georg. Cedren. p. 392.

CUm Justinum Imperatorem in Persas arma parantem, mors præripuisset, *Justinianus*, sorore ejus genitus, consensu Senatus atque exercitus Augustus, statim ad Remp. reparandam adjecit animum. Persas Mesopotamiæ & Colchidi imminentes, per varios duces, Belisarium imprimis, cui comes ivit Procopius historicus, præliis fregit attrivitque, ut mortuo Cabade, qui bellum intulerat, Cosrhoes ejus filius fessus malis, pacem amplecteretur, quæ muneribus invicem missis coaluit. Judæos quoque & Samaritanos in Palæstina rebellantes, occidione delevit.

A. M. 4498. *Chr.* 528.

Hinc dum novum in Africa glisicit bellum, *Justinianus* Triboniano legum quidem perito, sed homini impio & avaro, cæterisque Jurisconsultis dat negotium, ut jus vetus per immensa volumina sparsum, in paucos libros certosque titulos digerant, promptuarium quibusvis litium casibus determinandis. Inde Codex, Digesta, Institutiones juris natæ, docendisque legibus Romæ, Beryti & Constantinopoli instituta collegia, *magno generis humani bono, nisi obscuritas legum quarundam & repugnantia alendis multorum pravis ingeniis subserviret.*

Interim Antiochia, iterato quassata terræ motu, cives suis obrutos ædificiis exstinxit, ultra quadringenties mille: *Cedren.* Constantinopoli seditio ultra triginta hominum millia absumpsit, parumque ipse Imperator ab exitio abfuit.

Marcell. in Chron. Aimoinus lib. 2. c. 15. 16. Zonar. Tom. 3. Nicephor. l. 17. c. 10.

Etenim Hypatius, Pompeius & Probus consobrini, nepotes Anastasii Imperatoris, omni seditiosorum turba armis doniisque ministratis illecta, dolis invadere tentabant imperium, ac per quinque continuos dies urbem regiam per conscios depopulati, ipsi interea ut fideles Reip. in palatio versabantur. Tandem Hypatius torque redimitus aureo, & Pompeius Comes sub veste loricatus, dum ascendunt occupare palatium, prodiditi trucidatique *ante perdidere quam haberent imperium.* In eo tumultu insignis Belisarii in Justinianum fides enituit, qui licet ob quorundam calumnias in privatum esset redactus ordinem, tamen veteris commilitii memor, habensque in matrimonio Antoninam, sororem Theodoræ, & Antoniæ (quondam ex adolescentiæ amoribus Justiniano cognitæ, ac deinde nuptæ) ad fores venit theatri, fortissimorum globo juvenum vallatus. Ibi repertum novum Cæsarem Hypatium (Aimoinus Florianum vocat) veluti venerabundus accedit, strictoque derepente gladio obtruncat, & Justiniano in dignitatem restituto, mox & ipse, satis jam purgato crimine, suam recipit. Procopius in carcerem trusos, ac prostridie à militibus cæsos Hypatium Pompeiumque memorat. *Procop. de bello Persico l. 1.*

Dum illa aguntur in Eois partibus, & Heruli nuper facti Christiani partes tuentur Justiniani apud Constantinopolin, alii Heruli ad Thulen, id est, Norwegiam refugiunt; Africa, Hispania, Italia, Roma, Britannia, Germania, novis motibus inardescunt. *Procop. lib. 2. Goth. Zonar. Tom. 3.*

In Africa Hildericus, re adversus Mauros improsperè gesta, à fratre Gilimera & regno privatur, & carceri includitur, frustra pro eo deprecante Justiniano. Qui cum ob id arma intentaret Gilimero, ille etiam vitam captivo Hilderico ademit. *Isidorus in Chron. Gothor.*

In Hispania Crothildis, Clodovæi filia, ob religionis disparitatem indignè habita apud regem Almaricum conjugem, fratres suos, Theodoricum (qui nuper Thuringos subegerat), Clodomirum & Clotarium, Francorum reges, ad ulciscendas instigat injurias. Theodorici filius Theodobertus, pro patre defuncto junctus patruis, in Hispaniam abit. Fugatus occiditur Almaricus, cumque ejus etiam successore Theude continuatur bellum, Francorum denique clade finitum. Theudes vero à quodam palatii ministro insaniam simulante, confossus est. In Italia non tantum Go- *Procop. lib. 1. de bello Gothic.*

thi à regina Amalasuenta dissidebant: sed & Pontificiæ sedis usurpatores, Bonifacium & Dioscorum, incessit discordia, Dioscori morte, & Senatorum Romanorum intercessione brevi interrupta, successore Bonifacii II. Johanne II. qui biennio insessam cathedram Agapeto adscendendam reliquit. *Anastas. Platin.*

In Britannia Occa Cantiæ Rex, auxiliares Saxonum copias in Arturum Britonum regem evocat, qui non admissi ad littora, Francorum se regi jungunt, præstitaque bello Thuringiaco forti operâ, Thuringiæ partes accipiunt incolendas. Certicius Australium in Anglia Saxonum rex, insulam Vectam occupavit. *Gregor. Turon. Sigebert. Chron. Ethelb.*

A. M. 4504. Chr. 534. *Procop. de bello Vandal. lib. 3. 4. Niceph. lib. 17. c. 11. 12. Paulus Diac. lib. 16. Euagr. lib. 4. c. 16. 17.*

Cæterum *Belisario*, Justinianei exercitus Duci, præclarius res in Africa successere. Nam *Gilimer* ab eo in Numidiam *fugatus*, Carthago recepta est XCV anno, postquam ab Genserico adempta Romanis fuerat. Inde Gilimer in monte obsessus, fameque subactus in potestatem venit Belisarii, Belisarius catenis adstrictum argenteis, triumphoque ductum exhibuit Imperatori. Quum videret Justinianum alto conspicuum throno Gilimer, irrisit mundi vanitatem, luxumque aulicum, non immemor sortis humanæ, &, qua paulo ante superbierat, regiæ, identidem exclamans, *vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Acceptis postmodum in Galatia prædiis, cum imperio aliquanto fines Orientis adversus Persas tuebatur.

Justinianus Africam in septem provincias, tres consulares, quatuor prætorias distribuit, Belisariumque creatum consulem mittit in Siciliam, vindicaturum cædem Amalasuentæ reginæ, quæ dudum adhuc captiva, clientelæ se ejus commiserat. Occupata à Belisario Sicilia, Theodahatus Agapetum, Romanum Papam, mittit Byzantium, cum Imperatore de pace acturum, qui Anthimum Patriarcham hæreseos damnavit, & Menna ei substituto decessit Constantinopoli. Agapeto Theodahatus successorem dedit Silverium, ac mox ipse, expugnata à Belisario Neapoli, occisus est à suis Ravennæ, socordiam ejus detestantibus. Ita Consobrinæ Amalasuentæ pœnas illati exitii dedit. Gothi regem crearunt Vitigem. At Belisarius invitatus à civibus Romam obtinuit, murosque urbis instauravit. Ejus viri virtutem admirati Italiæ populi, certatim in Justiniani ditionem transierunt. Vitiges, Francorum pactus amicitias, ad centum quinquaginta millia contrahit hominum, obsidione Romam cincturus. Cui obvius, forte cum M equitibus Belisarius, singulari sua suorumque fortitudine defensus, evadit in urbem, eamque tuetur masculè adeò, ut Gothorum ad XXX millia, unius diei oppugnatione interirent. Certatum est, durante obsidione per annum diesque novenos, sexagies novies: Gothi ab urbe depulsi. Exinde cum Silverium proditionis insimulatum, Justiniani monitu in Pontiam insulam relegasset Belisarius, Vigiliumque effecisset Papam, obsidionem quidem Arimini solvit, at Gothi Mediolanum deditione capiunt adjuti à Burgundis. Quicquid ibi virilis sexus erat occisum, ad trecenta millia, ut ferunt: mulieres Burgundis donatæ. Tantaque exstitit fames per Italiam, cultura agrorum neglecta, ut solo Piceno L hominum millia periisse narret Procopius, *nec è parvulorum carnibus abstinente matrum misericordia, & fœminis clam dormitantes in viros irruentibus, ut eorum visceribus pascerentur.* Quæ etiam causa Francos, Theodoberto Rege jam tumultuantes in Italia, ut Romanos juxta Gothosque exturbarent, retro in Gallias compulit. Quare in angustias redactus Vitiges, Cosrhöen Persam incitat ad bellum, ne omnes in Italiam vires posset effundere Imperator. Sed nihilominus se cogitur dedere, expugnata à Belisario Ravenna, cujus tunc *non minor fides in Dominum, quam virtus in hostem* eluxit. Repudiato enim, quod Gothi offerebant, Italiæ

Tom. Concil.

Procop. lib. 1. de bello Gothic. Niceph. l. 17. c. 17. Jornand. de rebus Gothicis. Euagr. l. 4. c. 19.

Procop. lib. 2.

Anno 541. Procop. de bello Gothor. lib.3.

Italiæ imperio, revocanti ſe Juſtiniano paruit, avecto ſecum Vitige, cui Gothi Tranſpadini Theudibaldum ſuffecerunt, anno poſt natum Chriſtum DXLI, quo extremum Romæ conſulatum Flavius Baſilius ſine collega geſſit. Theudibaldus, erectis per avaritiam Romanorum ſuis partibus, cum Vrajam ducem muliebri inductus contentione occidiſſet, vix annuo functus imperio, viciſſim trucidatur. Succeſſit Alaricus, eoque mox necato, Baduilla, cui cognomentum erat Totilæ. *Totilas* Romanos de occupatæ noctu Veronæ præda diſſidentes, aggreſſus cum paucis exturbat, eoque caſu recreatus, aperto duces prælio vincit: Beliſario interim in Syria Perſiaque adverſus Coſrhoëm præliante, tantaque Conſtantinopolin vaſtante peſtilentia, ut decem millia quotidie in rationes Libitinæ venirent. Coſrhoës Antiochiam, Apamæam, Berrhœam, Seleuciam, captas igni deformavit. Ergo inſcitia aut rapacitate Juſtiniani Ducum, ſolertia verò & moderatione Totilæ, inſtauratis viribus Gothorum, recuperatur Neapolis, præſidium benigne dimittitur, incolæ magna cura, ne ex graviſſima fame ſubita eſculentorum copia ſuffarcinati interirent, præbitis ad medicorum conſilia cibariis, refocillantur, tanta militaris diſciplinæ obſervantia, ut Totilas ſtupratorem virginis, licet ſanguine ſibi junctum, morte afficeret, ejuſque omnia bona daret ſtupratæ. Iis artibus, cum pleraque amiſſa recepiſſet, Juſtinianus revocatum è Perſia Beliſarium rurſus mittit in Italiam, ſed exiguo rerum profectu, quod veterani aut dilapſi, aut contumaces, qui remanſerant, eſſent, nec novi facile comparari poſſent. Itaque *Totilas Urbem Romam*, fame domitam, atque à quatuor Iſauris proditam, intrat, murorum partem diruit, excidio abſtinet, monitus à Beliſario, *ne vel victor propria, vel victus* tandem *aliena perdidiſſe diceretur.* Urbs per aliquot dies deſolata manſit; qui in ea remanſerant, clementem experti ſunt victorem, tunc quidem Pelagii Præſulis, antea quoque, Benedicti Monachi precibus delinitum, Deoque victoriam hanc, non Gothicæ virtuti adſcribentem.

Procop. lib.2. de bello Perſico. A. M. 4511. *Chr.541.*

Niceph. lib.17. c.14.18.

Procop. lib.3. de bello Gothor. Paulus Diac.l.16.

A. M. 4516. *Chr.546.*

Interea Juſtinianus, Epiſcoporum implicitus controverſiis, damnantium aut abſolventium Origenis dogmata, ipſumque autem Origenem, ante trecentos propè annos defunctum, etiam Vigilium Papam Româ evocârat. Vigilius varius ſententiæ & anceps, modo damnabat Theodorum Mopſueſtenum, Theodoretum & Ibam, (quos Theodorus Cæſarienſis, non minus, quam Origenem defunctum anathemate notandos cenſebat, quod fidei ſanæ adverſa quondam ſcripſiſſent) modò eoſdem ad Univerſale concilium differebat. Beliſarius verò nactus tandem exercitum, Tarentum, Spoletum Urbemque Romanam recepit, exſtructaque pro muris dirutis munitione, cœpit eam defendere. Sed cum renovaret Coſrhoës bellum, quod duce indigeret virtutis ſpectatæ atque continentiæ, deſertam rurſus à Beliſario Italiam percurſat *Totilas*; *urbe Roma*, prodentibus eam rurſus Iſauris, *potitur*, eamque velut ſuam munit, ac commeatu invecto ibi ludos agit, eodem tempore, quo Sclavini, gens Scythica, trajecto Iſtro occuparunt urbes Illyriorum & Macedonum, expulſi tamen poſtea: Dani verò aliquot ante annis à Gallia repulſi, Friſiam invaſêre. Ex eorum terris pridem progreſſi Longobardi, rege Daniæ, Suione, innumeram ſecum juventutem traxerant, continua ſterilitatis damna ſuo exilio, quam ſuorum pernicie relevare præoptantem. Qui ad Pannoniæ fines delati, Alboino duce, vincunt Cunimundum Gepidarum regem, tenentem Sirmium & Dalmatiæ pleraque. Mox à *Narſete*, quem Juſtinianus pro Beliſario ducem Italis miſerat, in auxilium vocati, egregiam navant in pugna operam, qua proſtrati ſunt Gothi, & paulo poſt *Totilas*, in Thuſcia prælio inferior, accepto vulnere *occubuit*. Sic Roma Italiaque

A. M. 4519. *Chr.549. Procop. lib.3. Gothor.*

Annæl. Friſiæ. Greg. Turonenſis. Saxo Grammaticus.l.6.

Procop. lib.3. Gothor.

A. M. 4522. *Chr.552.*

que ad Justiniani imperium redîêre, deletis etiam aut pulsis Italia Gothorum reliquiis, qui Teiam sibi regem fecerant. Teias enim ad Cumas, post anni unius principatum gravi prælio interemptus est, anno belli Gothici vicesimo secundo. Aligernus Cumanidux præsidii, cum perpenderet aut Justiniano, aut Francis, quasi auxilio venientibus, serviendum, Narseti semet dedidit, consilio prudenti & salutari. Nam mox Franci Alemannique, cum aliquandiu Italiam persultassent, præda sunt exuti universa; de triginta millibus tantum quinque incolumes in patriam redîêre, reliqui gladio aut peste absumpti. Pacata sic demum Italia, & Cosrhoe ancipites & cruentas cum Romanis pugnas, quas Agathias libro tertio & quarto persequitur, cum pace commutante, terræ motu vastatæ sunt ambæ urbes regiæ, Roma & Constantinopolis, pestisque secuta immensam mortalium vim rapuit. Justinianus, *posito diademate, pecunias spectaculis impendi solitas, in egenos erogavit, masculæ Veneris reos punivit genitalibus*, testatus etiam sacrilegis manus abscindi, quibus facinus patrare soleant. Zabergæ deinde, Hunnos in Chersonesum & Græciam immissuro, opponit Belisarium jam senem & incurvum, qui etiam tum strenuè hostes repulit. Plenus autem vir gloriæ, ad extremum *invidiæ, excellentes semper viros comitari assuetæ*, dentibus appetitus, quasi conjurationis particeps, carceris subiit molestias. Sed sequenti anno, re ad liquidum explorata restitutus est in integrum, incolumemque sepulcro gloriam intulit, aut potius immortalem ad superos subvexit.

Agath. lib. 2.
Agath. lib. 3. 4.
Agath. lib. 15.
Paulus Diac l. 16.
Cedren.

Cæterum Vigilius Papa, cum Anthimum non ut promiserat, Episcopatui suo redderet, accitusque Byzantium, ad Justinianum se voluisse ire, sed ad Diocletianum venisse, liberius eloqueretur, accepta ab adstantium quodam alapa in Basilicam confugit. Ex qua extractus, conjectusque in carcerem, post biennium, ad Narsetis monita est dimissus. Sed antequam Romam reverteretur, Syracusis calculi defecit dolore, cum jam ei Pelagius successisset. Justinianus quintum egerat Constantinopoli concilium Universale, ubi Eutychius Byzantinus & Apollinaris Alexandrinus, cum CLXV patribus congregati, damnarunt Theodorum Mopsuestenum, Nestorii quondam magistrum, Theodoretum & Ibam; Origenistas item Didymum atque Euagrium. Hi fabulabantur, animas ante corpora exstitisse, suppliciorum infernalium finem fore, Dæmones pristinam recuperaturos felicitatem, & alia id genus plura. Vigilius, etiamsi scripto interveniente Eutychio consentiret, *assidere tamen illi in Synodo noluit, sed altiori collocari throno*, quod antea Johanni Papæ datum noverat. Itaque *confessus abstinuit, prodito nimis arrogantiæ spiritu, qui quidem nimium jam Romanos præsules cœperat agitare.*

Euagr. l. 4. c. 37.
Zonar. Tom. 3.
Niceph. lib. 17. c. 6. 27.

At Imperator, ædificationum nimius, cum infinitis egeret pecuniis, multos facultatibus spoliavit, stipendia liberalium disciplinarum magistris olim constituta, in omnibus urbibus sustulit, *quas* proinde *vacantibus literarum ludis, rusticitas barbariesque implevit.* Exstructo admirabili sapientiæ templo (Æterni Patris sapientia indigitabatur) in Severitarum opinionem ipse incidit imprudens, qua carnem Domini immortalem & passionum expertem, ex quo assumpta fuit, credidit. In quam cum omnes secum adductos vellet, Eutychium Constantinopolitanum Patriarcham in Cappadociam relegavit, dato ei successore Johanne Scholastico.

Zonar. Tom. 3.
Niceph. l. 17. c. 20. 29. 30.
Euagr. lib. 4. c. 29. 39.

Inque hac persuasione *decessit*, honorem se hunc Christo habere eximium ratus, expletis potentiæ annis XXXVIII, mensibus VII. Eo imperante, Monachi duo telam sericam texere, allatis ex India bombycibus, monstrataque vermium generatione, Romanos docuêre. Nam antea serica vestis à Persicis mercatoribus adferebatur, ignorantibus Romanis *vermium telam esse, qua tantum hac mortalitas*

A. M. 4535. Chr. 565.

Niceph. l. 16. c. 16.
Aimoin. lib. 2.

Niceph. l.17.c.32. Cedren. *talitas insoleſcit.* Occaſionem præbuit David ſeu Adad Axumitarum Indorum rex, qui cum viciſſet Homeritas, ex voto Chriſtianiſmum ſuſcepit, Epiſcopumque Conſtantinopoli petivit; cum eo Monachi in Indiam profecti.

Niceph. l.17.c.28. Juſtinianus feſtum Purificationis ſeu Hypapantes toto orbe celebrari juſſit, quemadmodum natalitia Domini Juſtinus, Dormitionem Mariæ poſtmodum Mauritius.

Paulus Diac. lib.16. Autor eſt Paulus Diaconus, triceſimo primo Juſtiniani anno, Conſtantinopolim veniſſe Avares, locos habitandi poſtulantes ab Imperatore, ac novitate ſpectaculi excitam univerſam civitatem, quod perplexa comarum prolixitate à cæteris Hunnis differrent. Illis poſtea Pannoniæ, diſcedentibus in Italiam Longobardis, obtigêre.

Platin. *Eo tempore* Procopius, Jornandes, Agathias, Marcellinus Comes, hiſtoriographi *floruerunt*. Dionyſius Exiguus monachus tempora à Chriſto nato pietati convenientius ſupputare incepit, quum antea à Cæſarum initiis aut aliis rebus geſtis numerarentur. Ei ſuppares ætate ſunt Anaſtaſius Sinaita, Junilius & Primaſius Epiſcopi Africani, Procopius Gazæus, Liberatus Archidiaconus, Arator Poëta Chriſtianus, Priſcianus Cæſarienſis Grammaticus.

Justinus Junior.

A. M. 4535. Chr.565. Zonar. Tom.3. Paulus Diac. lib.10. Euagr. lib.5. hiſt.Eccleſ. Niceph. lib.17. c.33.34. *Juſtinus* Thrax natione, Juſtiniani nepos, Imperium adeptus avunculi, urbem quidem regiam ædificiis, templa donis exornare non deſtitit: ac cum morbido eſſet corpore deditoque laſciviæ, vecordia ſua tantum penè afflixit Romanas ditiones, quantum eas Juſtinianus aut Beliſarius erexerant. Sacerdotia venumdedit, Juſtino, cui par ad imperium jus erat ex cognatione, caput dempſit. Injuriis ad conniventiam ejus gliſcentibus repertus eſt, qui præfecturam ſibi deposceret urbis, tutioremque à ſceleribus Rempublicam promitteret. Hic, cum citatus aliquis Senatorum ad tribunal minime compareret, ſed epulis inſuper adhiberetur regiis, ingreſſus palatium poſtulat ab Imperatore, ut deſinat fovere injurias ac reos ſtatim ad pœnas tradat exſolvendas delictorum. Quo impetrato, cum damnatum Senatorem plagis juſſiſſet affici, alios ſeveritate exempli perterruit. Traditur tamen & Juſtinianum Praſinæ in urbibus factioni, ad ſcelerum uſque impunitatem, impenſius indulſiſſe. Unde ea conſuetudo graſſandi in alios incrementa ſumſerat. Cæterum Juſtinus Narſetem liberatorem Italiæ, à Romanis accuſatum, quod tetrior ipſe Dominus, quam Gothi, foret, exautoravit, ſubmiſſo in locum ejus *Longino*, qui primus Ravennæ *Exarchus* dictus eſt. Aucta verbis ignominia, Sophia Auguſta Narſen ut Eunuchum, ad penſum in Gynæceo abſolvendum revocare auſa eſt. Qua ille irritatus contumelia, verſa in furorem ira, *telam minatur ſe exorſurum, quam neque ipſa, neque maritus ejus retexerent.* Neque ſegniorem ſe deinceps præſtitit in perdenda Italia, quam ante in liberanda fuerat. Cum enim perſpectam haberet Longobardorum vim, in ſubigendis bello Gothis, victiſque Gepidis, ad Alboinum regem eorum mittit, qui paupertina Pannoniæ rura deſerere, & in Italiam ſolo uberem eum hortarentur tranſire. Qui monita non aſpernatus, adjunctis ſibi Saxonibus aliarumque gentium non paucis, *cum omnibus Longobardorum familiis commigravit in Italiam.* Tradita Hunnis Pannonia, ea lege tamen, ut ſi minus feliciter caderent conſulta hæc, veteres reciperet ſedes. Hunni & Avares regnum Gepidarum penitus exſtinxerunt. Sigibertus Francorum Rex, cum deſertas Saxonum terras pervaſiſſet, novis eas Suevorum coloniis implevit. Novorum hoſpitum adventum armatæ in cœlo acies, aliaque oſtenta mortalibus portenderant. Narſes, tantæ tempeſtatis Italiæ concitor, relicta urbe Romana, Neapolin conceſſit. Quem ſubſecutus Papa Johannes III, qui Pelagio ſucceſſerat, ut

Euagr. l.4.c.31.

A. M. 4538. Chr.568.

Sigebert. Gembl. Ann 563.

Romam rediret exoravit. Sed ambo post aliquantum temporis defuncti, Italiam Barbaris dimisêre lacerandam.

Paulus Warnef. lib. 3. de gestis Longobardorum.

Etenim Alboinus, occupata primo impetu Cisalpina Gallia, Longobardiæ ei nomen intulit, unde postmodum corrupto, ut solet fieri, vocabulo, *Lombardia* est appellata. Difficillima ei Ticini expugnatio fuit. Urbem toto triennio & sex mensibus obsessam cepit tandem, regnique ibi sedem constituit: cui deinde Papiæ nomen inditum. Ducatus facti tres sunt, Unus Foro-Julianus in aditu Italiæ: alter Spoleti, media ferè terra: Tertius deinde Beneventi, ad inferiorem Italiam regendam. Sed inspératam Alboini felicitatem, quarto regni anno barbara ejus temulentia corrupit. Occiderat prælio ante annos plures Gepidarum Regem Cunimundum, ac defuncta conjuge sua (ea Clotharii, Francorum regis filia fuerat) Rosimundam perempti hostis filiam, matrimonio adsciverat. Ei cum, apud Veronam, in convivio poculum propinasset, quod è soceri cranio confecerat, juberetque reginam lætanter bibere cum patre suo, ex rei indignitate altum cordi ejus dolorem impressit. Ardens ira mulier, patris sui necem mariti cogitat cæde ulcisci, initoque cum armigero regis Helmiche consilio, prostituit, ei & Peredioni, viro bellicosissimo, corpus suum, eoque pudicitiæ pretio percussores Alboino emercatur. Sic Alboinus, *qui per tot hostium strages incolumis iverat, in cubiculo suo, dum meridiano indulget somno, fœda morte occubuit*: Helmiches, frustra spe regni agitata, cum Rosimunda adultera ad Longinum Exarchum profugit. Illa novis sollicitata amoribus, oblato veneni poculo, paulo post interemit Helmichen, balneo forte egressum. Sed antequam concideret, animadversa fraude, Rosimundam evaginato super eam gladio, quod reliquum erat, bibere coëgit. Ita Dei omnipotentis judicio *Alboinus* Cunimundo, Rosimunda marito, Helmiches Domino interfecto, meritas exitii pœnas exsolverunt. Post Alboinum, cum *Clephus* Longobardorum nobilissimus, sesqui annuo principatu, multos Romanorum, potentia aut natalibus claros, gladio aut exiliis puniviset, servuli cujusdam sui gladio jugulatur. Longobardi, ut quondam habuerant, duces iterum pro regibus sibi crearunt. Hi non tantum Italiam latè subegerunt, sed & in Galliam excurrendo, multas ei attulerunt clades. Nec minoribus repulsi, decennium Rempubl. tenuêre.

Paulus Warnef. lib. 2.

Longob. c. 31. 32.

Eodem fermè tempore Cantabria à Visigothis, Leovigildi regis Ariani ductu, (Athanathildi is erat filius) subacta, Suevi debellantur, atque à Gothis late potitis Hispania, Toleti sedes regni figitur.

Aimoin. l. 3. c. 17. Isidorus Chron. Goth. Paulus Diac. l. 16. Histor. Miscell.

Sub hæc Justinus, retentis auri quingentis libris pro stipendio dari Cosrhoæ solitis, armatoque in Parthos Aretha Æthiopum Rege, ac receptis in fidem majoris Armeniæ incolis, Persicam solvit pacem. Acerrimo tunc prælio cum Persis conflixit Martianus, dux Cæsariani exercitus, vicitque & obsedit Nisibin. Sed breve gaudium fuit moti temerè tumultus. Cum enim Justinus, ignavorum more domi gloriabundus, Nisibin pro capta haberet, nec Gregorii Antiocheni literis, Persarum vim referentibus, haberet fidem, Martiano fortissimo viro, Acaciam sui ingenii ducem substituit. Martianum subitò exautoratum videns exercitus, invito Justino obsidionem solvit, castrisque desertis dilapsus est. Qua occasione arrepta, Hormisdas, Cosrhoæ illius Magni filius, misso Ardamane cum novis copiis, longè lateque vastavit Orientem, & Sophiam Justini conjugem ad pacem petendam adegit. Nam *superbia in mœrorem versa nimium*, Justinus contraxit phrenitidem, è qua restitutus aliquantisper, de consilio Sophiæ Augustæ, Tiberium excubitorum comitem creavit successorem, mandans ei publicè; *ut* Deum *ritè coleret, subditis bene præesset, oppressis ferret opem, militarium avaritiam coërceret, pur-*

Zonar. Tom. 3. Euagr. l. 5. c. 7. 10. 11. 13.

Niceph. l. 17. c. 37. 38. 39.

purpura nautiquam intumesceret, divitibus præstaret securitatem suis fruendi opibus, nihil habentibus daret. Imperatricem, benignam antea Dominam, convenienti honore afficeret. Ita non sine planctu vitæ insipienter actæ decessit, *melior auri custos, quam imperii, meliorque monitor quam Imperator*, actis potentiæ annis XIII. Venantius Fortunatus, Episcopus Pictaviensis & Poëta, Childerico Francorum regi & Geleswintæ Athanagildis filiæ epithalamium cecinit. Gallia fratrum inter se regum armis collisa, multas clades perpessa. *Gregor. Turon.*

TIBERIUS II.

A. M. 4546. *Christi* 576. *Euagr. l.5.c.13. 14.15.16. Paulus Diacon. lib.17. Hist.misc. P. Warnef. de gestis Longob. l.3.c.11. 12. Niceph. l.18.c.1. 2 &c. Cedren. p.322. 323.*

Tiberius Justino adhuc superstiti consors imperii, justus, prudens, munificentia in pauperes & bellorum felicitate inclytus benè gessit labefactum à decessore imperium. Increpante prodigalitatem ejus Sophia Augusta, *non defuturum*, dixit, *fisco pecuniam, quo ad ipse Christi secutus præcepta, in cœlo thesauros colligeret, egenorum fovendo defectus.* Igitur de improviso locupletissimos thesauros reperit. Cum tabulam marmoream cruce insignitam tolli de pavimento jussisset, ne pedibus conculcaretur, defossa invenit multa auri talenta. Advenit & senex ex Italia, immensas Narsetis opes suæ commendatas fidei indicans, quibus è terra erutis, clarius Tiberii in pauperes munificentia eluxit. Ita *abrumpens peccata eleemosynis, Deumque propitians precibus fidei, nihil mirum, si feliciter hostiles repulit incursiones.* Missio enim in Persas, Armeniam ingressos, exercitu, Justiniano duce, potentissimè eos devicit, præclara ex hostibus præda capta, recuperatisque omnibus, quæ sub Justiniano & Justino erant amissa; Cosrhoës rei malè gestæ perculsus dolore, senex admodum decessit, scripta lege, ne quis rex Persarum deinceps Romanis bellum faceret. Tiberius Mauritium Cappadocem, cujus fortitudo & fides enituerat Persico bello, generum sibi cooptavit. Quin & captivis impertiendam ratus benignitatem, egregiè ornatos domum remisit gratis. Fame etiam laborantibus Romanis eaque urgente, ad Longobardos magno deficientibus numero, ab Ægypto ingentem frumenti submisit copiam, depulsaque inopia obsidionem eluit barbarorum. Pelagius II. Papa Gregorium Diaconum ablegavit ad Tiberium, consecrationem inscio Imperatore in urbe obsessa factam purgaturum. Ea legatione & Commentarios in Jobum orsus est Gregorius, & Eutychium Constantinopolitanum de corporum resurrectione, Origenica sectantem deliria, saniorem ad sententiam reduxit. *Aimoinus l.3.c.33. Sigebert. Anno 581. P. Warnef. l.3. Longob. cap.13.*

Cæterum Tiberius, ante acceptum Imperium, à Justino adversus Avares missus, qui à Vicinis Turcis exagitati, è Scythia superiori erant transgressi Caucasum, & ripas Istri occupaverant, Sirmioque jam urbi imminebant, pœnè captus fuisset, non ferentibus Barbarorum vim Romanis militibus, nisi miranda Dei benignitate evasisset. Composita cum iis pace, Caganus rex Avarum petiit fabros à Tiberio Imperatore, qui balneas ei Romano ritu construerent, sed missos in Danubio facere pontem coëgit, quo transito Romanas ipse provincias securius popularetur. Sub hæc *Tiberius*, contracta è præcocium mororum esu tabe, *decessit*, cum per se solum, annos IV, cum Justino triennium & menses XI, imperium tenuisset. Mauritium publicè egregiis ad benè imperandum monitis instruxit, cum *sceptrum non immoderatæ potestatis, sed splendidæ potius servitutis habendum insigne diceret.* *Euagr. l.5.c.1. 11.12. Zonar. Tom.3. Nicepn. l.18.c.6. Euagr. l.5. c.22. 24. A. M. 4553. Christi 583. Paulus Diac. lib.17.*

MAURITIUS.

A. M. 4553. *Christi* 583. *Euagr. l.5.c.19. & 6. cap.1.2. Nicephor. l.18.c.8.*

SUccessit *Mauritius*, vir strenuus, gravis, calumniarum contemptor, temperans, ingeniosus, qui Constantinam Tiberii filiam habebat in matrimonio, & Persico bello Alamundarum Saracenum ceperat, quem in Siciliam relegavit.

Paulus Diac. lib.17. Zonar. Tom.3. Georg. Cedren.

vit. Maxima illi cum Perſis & Avaribus bella fuere.

Caganus Avarum Rex, ſubacto Sirmio, inſigni Pannoniæ urbe, & annuo à Romanis ſtipendio elatus, patientia Mauritii abutebatur, nec ſaturari ſe paſſus indulgentiſſimo ejus obſequio, tandem Sclavinos ad populationes Romanorum finium excitabat, qui ad longum uſque murum progreſſi, ductu Commentioli, quem Mauritius copiis inſtruxerat, ceſſerunt captivis prædaque omni Romanis recuperata. Inde Mauritius Philippicum, deſponſa ei ſorore, in Perſas miſit, quorum rex Hormiſda legem patris aſpernatus, bellum in Romanos nequaquam deponebat. Augebant ei animos Romani exercitus, qui Priſco duce ob inſolentiam rejecto, Germanum ſibi privata autoritate invitum præferebant. Quo acie ſuperante Perſas, multis tandem precibus obtinuit, magnaque eloquentia Epiſcopus Gregorius, ut Mauritio parerent legiones, ac Philippicum ſuſciperent ducem. Itaque Philippicus validis in Mediam Perſiamque expeditionibus rem Romanam feliciter geſſit, niſi quod prodita Perſis Martyropoli à Sitta Decurione, ſucceſſor miſſus eſt Philippico Commentiolus, qui fugatis ad Martyropolin Perſis ingentium calamitatum occaſionem præbuit. Cum enim Hormiſda ducem ſuum Baram, poſt expugnatos Turcas, ſtipendiarios ſibi factos, in Lazicam & Colchidem ablegaſſet, eumque ibi Romanus, Mauritii prætor, gravi affeciſſet clade, veſtem Baræ muliebris ludibrii cauſa miſit, eumque ducatu privavit. Baras non ferens contumeliam, componit literas velut ad omnes exercitus ſcriptas, quibus Hormiſda eis mollitiem exprobrabat, ſtipendioque militum ſueto non parum detrahebat. Quibus velut ab Rege profectis injuriis irritati Perſæ in Baræ verba jurant, ac Bynodoës illuſtrium unus, quem Hormiſda in vinculis habebat, à Baſta fratre liberatus, catenas injicit regi, collectoque Perſarum ſenatu, ob crudelitatem, ob mota temere bella, aliaque ſcelera, indignum regno pronunciat. Ergò interfectis ejus uxore & filio, quem ſucceſſorem deſtinaverat, Coſrhoëm patri inviſum conſtituunt Regem: Hormiſdam privatum luminibus carceri includunt. Coſrhoës aliquantiſper benigniſſimè habito patre, quum perpetuis ejus maledictis laceraretur, tandem fuſtibus eum curavit occidi, eoque facinore ſibi totius gentis odium peperit. Quamobrem deſertus à ſuis, ad Baram declinantibus, admiſſo equo quam celerrime in Romanorum ſe caſtra recepit. Receptus eſt à Probo Patricio, ac commendatur Mauritio Cæſ. jubente ipſo per Narſeten ducem debellatur Baras, Coſrhoës in regnum reductus eſt: Ceciderunt multa Perſarum millia, ſex millia capti, quos omnes Coſrhoës occidit, demptis Turcis qui Byzantium ad Imperatorem ſunt miſſi. Horum ſupercilia in crucis formam compoſita, atramentoque fuiſſe illita narrant, quod eo inſigni, ex Chriſtiani cujuſdam perſuaſione ſuſcepto, famem diram effugiſſent. Sed poſito tandem bello, profunda Orientem pax occupavit, anno Mauritii octavo. Coſrhoës reſtitutionem ſuam Sergio Martyri acceptam retulit, opinionibus Chriſtianorum parum ſanis Antiochiæ delibutus. At cum Cagano Avarum rege continuum fere bellum Mauritio fuit, ancipiti utrinque fortuna geſtum, crebriſque interpellatum induciis, ſed quæ ob Sclavinorum deprædationes facilè diſſolvebantur. Decimo imperii ſui anno ſtratagemate eum depulit Thracia Mauritius. Fictis enim ad Priſcum Prætorem literis, ut Zurulum conſtanter tueretur, quoniam in ditiones Avarum claſſis eſſet ab ſe miſſa, ad eos effuſiſſime populandos. Caganus interceptis tabellis fidem adhibens, feſtinanter ad ſua rediit. Sexennio proximo cum Sclavinis certatum, ac vix compreſſus Caganus ne univerſis copiis Sclavinorum ulciſceretur clades. Decimo ſexto anno eum irritavit prætor Priſcus, Sigidunum repetens, ideoque Caganus

Paulus Diac. lib.17. Euagr. l.6.c.14. 15.16.17.

Euagr. l.6.c.3. Niceph. l.18.c 11. 14.15.18. &c.

Paulus Diac. lib.17. Zonar. Tom.3.

Euagr. l.6.c.20. Niceph. l.18.c.28. Paulus Diac. lib.17.

xL Dal-

XL Dalmatiæ civitates depopulatus est, ac Diriziperam Thraciæ occupavit. Cum autem Mauritius succenseret legionibus, quod stipendii partes aliquas armis ac veste sibi persolvi abnuerent, Commentioli ducis artibus effecit, ut plurimos militum caperet Caganus. Jamque habebat XII millia Romanorum Barbarus, ac dimidium saltem numisma in singula capita petebat, fractus animo, quod pestifera lues uno die septem ejus filios absumpsisset. Sed surdas Mauritii aures pulsavit, seu odio, seu avaritia spernentis tot jacturam militum: Qua re asperatus vehementer Caganus, omnes occidione occidit, ac pactus L aureorum millia in Pannoniam remeavit. Mauritius Commentiolum ex eo proditionis accusatum absolvit, petitusque ob id lapidibus à Byzantinis, supplicio affecit autores contumeliæ, renovatoque Avarum bello, ingentibus potitur victoriis. Sed paulo post cum Theodosii filii, quem Cæsarem nuncupaverat, nuptias peregissent, Monachus quidam strictum circumferens gladium, per plateas exclamavit, *Mauritium brevi gladio periturum.* In Nilo fl. species hominum aquatilium apparuêre, & cometa maximus multis diebus luxit. Quare cum preces pro se fieri jussisset Imperator, *ut peccatorum suorum in hoc seculo pœnas penderet*, visus est sibi in somnis ante tribunal Christi positus interrogari, *ubi vis reddam tibi, in hoc, an futuro seculo?* Respondit illicò, *Amator hominum Domine & judex juste, hic, non illo seculo*; traditusque est divino judicio cum uxore & liberis Phocæ militi. Expergefactus Imperator extemplò advocat Philippicum, suspectum sibi antea insidiarum, ac deprecatus culpam quærit, an sciant aliquem inter agmina Phocam militem. Regerente illo, esse juvenem eo nomine, temerarium quidem, sed timidum, adjecit Mauritius: *Si timidus, & Homicida.* Hic Phocas cum strator fuisset Prisci Patricii, Centurionis nuper locum adeptus contradixerat cumprimis imperio Mauritii, stipendia mutare volentis. Ergò cum iterum parcius rigidiusque haberet exercitum Imperator, juberetque in hostili Sclavinorum solo hybernare, atque exinde commeatum & annonam petere, coorta seditione, Phocas de more in clypeum sublatus salutatur Imperator, ac Petrus frater Mauritii, qui copiis præerat, in fugam agitur. Accedunt & civiles turbæ, Constantinopolitanis Theodosium, aut socerum ejus Germanum, ad imperium deposcentibus. Mauritius castigato filio, dum Germanum è templo, quo confugerat, extrahere nititur, accensa acrius seditione pellitur urbe; ubi dissidentibus Veneta & Prasina factionibus, Phocas à Prasinis recipitur, præstitoque jurejurando, *se nihil novaturum in fide*, à Cyriaco Patriarcha coronatur. Sed quinto die, exclamante factione altera, vivere adhuc Mauritium, in necem ejus commovetur tyrannus, retractumque è fuga Imperatorem cum quinque filiis ac tribus filiabus, ipsaque Augusta Constantina, Tiberii filia gladio percussit Chalcedone; Augusta tamen & filiæ tunc templi asylo servatæ, quinto demum post anno decollatæ sunt. Spectato suorum exitio, Mauritius hanc eximiæ patientiæ ac humilitatis vocem protulit, *Justus es Domine, & recta sunt judicia tua.* Cumque filiolum ejus minimum suffurata nutrix, suum pro eo offerret ad necem, non est passus, necatusque Cæsaris infans omnibus excivit lachrymas. *Ita ob avaritiam periit, cætera eximius Imperator, adversa laudabilior fortuna, quam prospera*, cum gessisset imperium annis XX.

Roma Italiaque eo regnante variis laborarunt calamitatibus. Saxones quidem, intolerantes Longobardici imperii, pristinas in Germania sedes repetiverunt; quas cum tenerent Suevi, majorique parte ultro cedere vellent, illi, ut plane expellerent Suevos, armis congressi cum iis, ultra XX millia occubuerunt.

Niceph. l.18.c.35. 36.37.38. Paulus Diac. lib.17.

Paulus Diac. lib.17.

A. M. 4572. Christi 602.

Warnef. lib.3. Longob.

Warnef. l.3 c.16. 17. &c.

At Longobardi, poſt decennale ducum regimen, ultrò ſibi regem crearunt filium Clephonis Antharit, augendæque dignitati Flavium cognominârunt, Romanorum id nobiliſſimorum nomen eſſe edocti. Atque ut novus Rex ſtatum tueretur decentius, dimidiam ei bonorum ſuorum partem ſunt largiti: ipſe Theudolindam, Bajoariæ Principis filiam, uxorem duxit. Sed Mauritius, conducto in eum Childeberto Francorum rege, ad ſummam ſanè rei profecit nihil, niſi quod variis turbis Longobardiam implicuit. Ingens tunc fuit in Italia aquarum diluvium, Romæ etiam muros ſupergrediente Tiberi, ac magno Dracone per urbem mediam in mare deſcendente, ſecuta eſt inundationem peſtis inguinaria, quæ & Papam Pelagium abſumpſit. Ac narrat Euagrius, teterrimam peſtilentiam ad 52 annos, modò ſævius, modo mitius, totius orbis peragraſſe provincias, qua & ipſe ſit conflictatus, ac ſuorum amiſerit non paucos. Ea in calamitate cum ſufficiendus eſſet ſucceſſor Pelagio, Gregorius (quem appellarunt Magnum) literas ad Mauritium Imp. dedit, ne electioni ſuæ conſentiret. Sed ſubſtitutis, à Præfecto urbis Epiſtolis, quibus confirmatio electionis petebatur, invito honor eſt impoſitus, *quem tanto majori devotione geſſit, quanto minori* eum *ambitione ſumpſerat.* Litaniis depellere morbum inſtituit, in ſeptem cœtus diſtributa civitate, cum inter ipſas deprecationes intra horam octoginta homines ſpiritum exhalarent.

Aimoinus l.3.c.35. 37.

Sigebertus Chron.

Euagr. l.4.c.28.

P. Warnef. l.3. Longob. cap.25.

Aimoinus l.3.c.73.

Gregorius in pauperes munificus, divinum cultum Ceremoniis, novis canticorum formulis & ſtationibus auxit.

Beda l.1.

Anglorum nationem jam ad CL annos in Britannia dominantem, miſſis Auguſtino, Mellito, Joanne, aliiſque monachis, ad Chriſtianam fidem perduxit. Cum Joannes Jejunator, ac Cyriacus deinde, Patriarchæ Byzantini, *Oecumenici* vellent appellari, Gregorius eam eſſe Antichriſti ambitionem judicavit, & *dato uni Epiſcopi Univerſalis titulo, reliquos Sacerdotes honore debito privari.*

Greg. l.4. Epiſt.32. 34.39 40. & l.6. Epiſt.24. 28.30.31. & l.7. Epiſt.30. 69.

Iſidor. Chron. Gothor. & Suevor.

Hiſpania fere omni potitus, exſtincta Suevorum poſt annos CXXVI dominatione, Leuvigildus Viſigothorum Rex, filium Herminigildum, Catholica fide à Leandro Hiſpalenſi Epiſcopo imbutum, ſecuri, ipſis in Paſchalibus feriis, percuſſit. Sed paulo poſt exſtinctus ipſe, & pœnitens ſceleris, Ricaredum habuit filium ſucceſſorem, qui Arianam in Hiſpania luem diſcuſſit, ac *Catholici Regis* obtinuit nomen, bello juxta ac pace inclytus. Francis enim ob ſororem ſuorum Regum, Herminigildo olim nuptam, cum ſexaginta millibus armatorum in Hiſpaniam irruentibus, miſſo Claudio duce adverſus eos, glorioſo triumphavit eventu, nec ullo unquam in Hiſpaniis Gothorum major victoria exſtitit. Ricaredus *tantæ humanitatis ac modeſtiæ laudatur, ut malos quoque in amorem & reverentiam ſui traxerit.* XV regni anno Toleti deceſſit.

Euagr. l.6.c.27.

Greg. Turonenſ. lib. 20. Hiſtor. Franc.

Hac tempeſtate *Euagrius* Scholaſticus hiſtoriam Eccleſiæ ad Mauritii Imperatoris annum XII pertexuit; *Gregorius* Turonenſis Francorum res, non ſine fabularum fermento, ſicut & Gregorius Papa ſui temporis miracula expoſuit, de moribus piè ſatis, de fide pro ejus ſeculi ſuperſtitione multa diſſerentes. Ac tanta paſſim eruditionis inopia valeſcebat, ut nec Gregorius, Doctorum ſui temporis clariſſimus, Græcè, nec Conſtantinopoli ferè quiſquam tantum Latinè ſciret, ut Romano ſermone dictata, in Græcum benè transfunderet.

Greg. l.6. Epiſt.57. Niceph. l.18.c.13. Euagr. l.6.c.8.

Antiochia ſexageſimo & uno poſt extremum terræ motum anno iterum quaſſata, LX civium M perdidit. Gregorius Civitatis Epiſcopus, collapſo poſt ejus egreſſum ſtatim tecto, in quo morabatur, divino favore ſervatus eſt.

PHO-

PHOCAS.

A. M. 4581. *Chr.* 611. *Niceph. lib.* 18. *c.*41. *&c. Zonar. Tom.* 3. *Aimoin. lib.* 4. *Paulus Diac. lib.* 10. *Georg. Cedren. p.* 352.

PHocas Tyrannus verius quam Imperator, *ut acquisivit potestatem, ita gessit*, crudelitate, temulentia, fraudibus, nequitia nobilitatus apud posteros. Cosrhoës, Mauritii interfecti amicus, ob cædem amici iniquam, parricidæ bellum intulit. In eum missus Narses, à Phocæ defcivit imperio, victorque jam Germani, quem ei Phocas succellorem dederat, ac celebris apud Persas victoriis, à fratre Tyranni Comentiolo juramentis inductus est, ut fidei se Phocæ traderet. Sed Phocas, contempta jurisjurandi religione, fortissimum virum, cum Constantinopolin venisset, vivum incendit. Interfecit & cognatos omnes Mauritii, præter Philippicum, monasticen amplexum. Nec Commentiolus Thraciæ Prætor evasit exitium, jamque id ipsum Priscus timebat Patricius, cui Phocas Domnentiam junxerat filiam. Peractis enim splendide nuptiis, cum signa Prisci ac Domnentiæ, Tyranni essent statuis pari columnarum ordine copulata, indignissime rem Phocas accepit.

Greg. lib. 11. *epist.* 36.

Gregorius Papa Phocæ de imperio gratulari sustinuit, alteroque ejus anno morte avocatus, *Sabiniano* reliquit sedem avaritia & tenacitate infami, cui post sesquiannum successit *Bonifacius* III.

*Aimoin. l.*4 *c.*4. *Sigebert. & Regino in Chron. Marianus Scotus. l.*2.

Hic contendit à Phoca, *ut sedem Romanam caput omnium Ecclesiarum constitueret*. Eo enim seculo Constantinopolitana Ecclesia parem sibi cum Romana honorem vendicabat, atque haud dubium in Oriente tenebat primatum. Sed annuit Tyrannus ambitiosis Papæ postulatis, gnarus quanti referret in Italia Pontificum amicitia niti. Sed Bonifacio III, post VIII menses ac dies XII, vita functo, ejusdem nominis IV suscepit gradum, & ex Pantheo, omnibus quondam diis Romanorum sacrato templo omnium Sanctorum & Mariæ virginis Rotundæ Basilicam effecit, ejusdem indultu Phocæ, commutata in melius, non abolita superstitione.

Dum ita Romano insultatur Imperio, Persæ Syriam, Phœniciam, Palæstinam subigunt; Cappadociam, Paphlagoniam & Galatiam vastant excursionibus; populabundi Chalcedonem usque procurrunt. In Europa Avares persultant Thraciam, ac Romanæ legiones utrobique occidione occiduntur. *Niceph. lib.* 18. *cap.*43.

Super hæc omnia pestis humani generis Phocas, cum nescio quid populi in ejus temulentiam cavillarentur, furore percitus multos necavit, alios mutilavit, aut demersit mari: aliquos prætorio incluit, quo à multitudine incenso captivi diffugere. Judæi quoque Antiochiæ, excitata seditione, complures Christianorum, interque eos Anastasium Patriarcham trucidarunt, cadaver Antistitis in foro cremarunt publicè. Ea ob facinora aut capite aut genitalibus puniti sunt, anno Phocæ septimo.

Verum ut *nulla tyrannis vel quieta est vel diuturna*, Heraclius Africæ Dux, à Prisco & Gregora Patriciis adjutus, ea pacta iniit, ut qui prævenisset ex iis Phocam, imperio frueretur. Prævenit Heraclii filius Heraclius, ac navali superior pugna, urbe regia potitur. Photius vir illustris cujus conjugem Phocas stupraverat, occupata regia, solio eum deturbat, vinctumque exhibet Heraclio. Dicente Heraclio, Itane miser administrasti Rempubl.? amens dolore Phocas, ac fortunæ præsentis oblitus, *Tu vero*, inquit, *melius eam administrabis?* ob quod dictum calcibus in eum insiliit Heraclius, detractisque ob multorum uxores adulteratas, virilibus, æreo eum camino exurit, anno tyrannidis VIII. Ex universo Phocæ exercitu, qui per seditionem eum creaverat Imperatorem, duo tantum milites supererant: reliquos varia mortis via perdiderat *magistratuum vindex Deus*. *Niceph. lib.* 18. *c.*55. 56.

Nec minus in fœmina apparuit judicii divini specimen. Caganus, id est, Rex Avarum, immensa cum multitudine incursans Longobardiam, occiso cum copiis Gisulpho duce, qui Agilulpho Regi suberat, Forojulium arcto pre- *Paulus Warnef.* 4. *Long. cap.*38. *Aimoin. l.*4. *c.*5.

premebat obsidio. Hic dum lustrat munitiones, à Romilda Gisulphi conjuge visus, impudicos ejus oculos pulchritudine ac ætatis flore capit, proditione urbem obtinet, proditrice matrimonium ejus pacta. Ad hunc modum multa Longobardorum agmina servitute, aut vita sua, unius emunt mulieris voluptatem. At Caganus, nefariam Romildæ perosus libidinem, una ei nocte, quod promiserat, exsolvit, de cætero cum militibus tradidisset polluendam, postremo transfixam palo interemit. Filiæ Romildæ matris dissimiles, arte conservarunt pudicitiam. Nam pullorum carnes mammis subtratas, calore corporis putrefecerunt, eoque fœtore abegerunt milites, omnes ob id Longobardas pro fœtidis exsecrantes. Earum altera deinde Alemanorum Regi, altera Bajoariæ Principi nupta, *egregia custoditæ pudicitiæ præmia habuerunt.* Agilulphus Longobardorum Rex, Theudolindæ judicio allectus, in matrimonio juxta ac regno Anthari succesit, ac conjugis impulsu, quam Gregorius Papa libris literisque instruxerat, catholica religione imbuit Longobardiam. In Hispania Vittericus, qui Liuvam Recaredi filium occiderat, *id quod fecerat suo Regi, est passus*, septimoque regni anno inter epulas à suis cæsus occubuit. Eum Gindemanus biennni, inde Sisebutus octenni imperio est secutus. Hoc tempore Sclavini qui & Winidi, durum & flagitiosum Hunnorum Avarumque (qui postea Hungari uno nomine dicti sunt) imperium excussserunt, sumto Rege Samone, negotiatore Franco, cujus auxilio Hunnos acie superaverant.

Aimoin. l. 4. c. 5.

Gregor. lib. 12. Epist. 7. Niceph. l. 18. c. 46. & segq. Aimoin. l. 4. c. 9.

Johannes Grammaticus, dictus Philoponus, Monophysitarum hæresin instauravit, Tritheitarum condidit, refutatus à Leontio Monacho & Georgio Pisida. Jacobus Syrus, ob tenuitatem vocatus Zanzalus, Armeniam Syriamque Severiani & Eutychiani implevit dogmatis; ex eo Jacobitæ dicti.

Heraclius.

Anno eodem. Paulus Diac. lib. 18. Aimoin. lib. 4. Zonar. Tom. 3. Sigebert. in Chr. Cedren. p. 334. & seq.

Heraclius dissolutam tyrannide Rempublicam, egregie sed lente resarsit. Comperto Cosrhoëm Christiano nomini infestum, imperio illudere, & Avares Europam deprædari, cum maxima laboraret militum inopia, legationibus tentavit pacem componere. Sed cum nullum effusioni sanguinis modum statuerent hostes, confidenter, quantiscunque in unum contractis copiis, contraivit. Tardius illud factum, quam res postulabat. Nam cum primo Heraclii anno usque Antiochiam processissent Persæ, altero expugnarunt Cæsaream Cappadociæ, tertio etiam Saraceni Syriam incursarunt, quarto Damascus venit in potestatem Cosrhoïs, quinto Palæstina & Jerosolyma, dicente Cosrhoë, nunquam se parsurum Christianis, nisi crucifixum inficiati, Solem adorarent. Morabatur interim Heraclium Caganus Avarum perfidus, pacem sæpe bello mutans, Cosrhoës, expugnata Jerosolyma, infinitam Christianorum multitudinem perdidit. Fertur, Judæos vili precio commercatos sanguinem Christianorum, ad xc millia captivorum occidisse. Pretiosum crucis lignum, & Zacharias urbis Episcopus, captivitatem subiêre Persicam. Anno Heraclii sexto protulerunt Persæ arma in Ægyptum, captaque Alexandria, totam Ægyptum, & Libyam, usque ad Æthiopes subegerunt, ditatique immensa præda ad suos remearunt fines. Septimo anno capta à Persis Carthago, Heraclium adhuc Cagano fatigante & prædæ habente Thraciam, Joanne etiam Lemigio, Smaragdi successore, & deinde Eleutherio Exarchis, per Italiam tyrannidi inhiantibus, militumque conjuratione interemptis. Hasce tantas calamitates attraxerat imperio Phocas, quod indigniissima Mauritii cæde & filiorum ejus efferasset animum Cosrhoïs, Christianis interim plerisque verbum divinum ac jus fasque omne conculcantibus. Ne tamen ludibrio esset hostibus nomen

nomen Christianum, indutus tandem zelo Dei Heraclius, composita quomodocunque pace Avarum, exercitus Europæos in Asiam transtulit, *ac detracto etiam templi auro, quod daret militibus*, profectus est in Persas. Hortatus suos *ut memores Dei ac injuriarum, quas Barbari intulissent cultoribus ejus, pietatem justitiamque sectarentur*, improvisus Armeniam intravit, coactumque pugnare Sarbarum ducem hostilis exercitus, acie devicit, & castris exuit. Reversus XIII anno Imperii, penetrata interiori Perside, variis prælis multa Persarum millia orco demisit, lucos eorum cum igni, quem colebant, sacro evertit, & in obvia quæque ferro & igni grassatus est. Tanta eum captivorum copia onerabat, ut cum in Albania hybernaret, L millia laxatis vinculis abire sineret libera.

Paulus Diac. lib. 18. Cedren. p. 346. &c.

In hoc tempus, annum scilicet Domini DC XXIII incidit manifestatio pseudoprophetæ *Mahumedis* Saraceni. Hic cum pauper esset & orphanus, ad cognatam suam prædivitem, nomine Chadigam, primo ut mercenarius, deinde ut sponsus se applicuit, perque eam nactus est divitias vix speratas. Chadiga cum ægre ferret maritum morbo vexari epileptico, specioso ejus mendacio est decepta, fingentis apparere sibi Gabrielem Archangelum, cujus consternatus aspectu, mente defecta concidat. Id mendacii Sergius monachus ob Nestorianam hæresin Byzantio pulsus, audacter firmabat, cujus adjutu & Judaici cujusdam impostoris, novæ prodierunt revelationes, quibus honoratur quidem Mariæ filius, ut Propheta magnus & lux gentium, sed Deus esse aut Dei filius negatur. Infideles appellantur, qui crucifixum colunt, & qui sanctam Trinitatem credunt; Laudatur circumcisio, licentia datur utendi uxoribus quibuslibet: E Christianismo, Judaismo, Ethnicismo inusitatum religionis chaos struitur, illaqueandis indoctis & simplicibus, ac deliniendis voluptatum sectatoribus aptum. Mecha urbe pulsus metu civium suorum Mahumedes, ab Heraclio petiit habitandi locum, & anno ejus XV, ut habet Diaconus, Arabum Princeps cœpit haberi.

Cosrhoës tunc furens, quod premeretur ab Heraclio, expilavit templa suæ ditionis Christianorum, coëgitque eos Nestorianismum, qui jam ante Armenios tenebat & Georgianos, amplecti. Atque ut undique circumdaret bello Cæsarem, missis ad Avares, Bulgaros, Gepidas & Sclavinos nunciis, pacisci tur cum eis de invadenda Constantinopoli. Id cum gnarum esset Heraclio, partitus & ipse copias, in auxilium vocat Turcas, quos Chazaros nominabant, ad XL millia Obsidetur ergo ann. Christi DC XXVI. ab infinitis Barbarorum copiis Byzantium, sed miro DEI favore, post decem dies ignominiosa fuga dissipantur: Solus Persarum Dux Sarbarus Chalcedonis obsidioni inhæresci t. At Turcæ auxiliares, cum non ferrent crebros Persarum insultus, sensim sunt dilapsi, Heraclius eo magis ad fiduciam animatos milites, ad Niniven usque deduxit, acerrimoque prælio fusis hostibus, Razate etiam duce & multis Principibus interfectis, ferias natalitias egit in Assyria. Cosrhoës semet incluſit Seleuciæ, ac misso Sparthario ad Chardarigam, collegam apud Chalcedonem Sarbari, ut eum interficeret, quasi cum Heraclio sentientem, implevit confusionis Persas. Comprehenso enim à Romanis internuncio ac re vulgata, *Heraclius offert pacem Cosrhoï*: Hanc cum repudiaret Tyrannus, facile auxit Cæsar in majus ejus odium. Gundabundas Sarbari Chiliarchus transfugit ad Romanos ac plerique duces Syroi se applicarunt primogenito tyranni, quem ille privare hæreditate, ac Merdasen, Syra uxore genitum, diademate ornare constituerat. *Convenit* ergo *inter Heraclium & Syroën de pace*, A. M. si captivi & adempta loca restituerentur. 4598. Syroës Rex lectus, subito oppressit pa- *Christi* trem fugientique catenas injecit. Con- 628.

gestis deinde auri & gemmarum acervis: *Ob hæc*, inquit captivo, *Romanos in Persas concitasti, tantumque fudisti sanguinis: Fruere ergo divitiis tuis.* Sic fame maceratum ad dies quinque Cosrhoën, cum prius Merdasen, quem regno destinaverat, aliosque filios in conspectu ejus jugulasset, tandem sagittis configi Syroës jussit. *Dignum vastatore mundi exitium, ut qui in Romanos, à quibus regnum receperat, tam ingratus extitisset, ab eo vita pariter ac regno privaretur, qui suam ipsi vitam deberet.* Restitutis utrinque captivis, & quæ bello occupata fuerant, *lignum* quoque *crucis & Zacharias Præsul Jerosolymam redierunt*; septimoque anno Imperator triumphabundus de victis Persis, partaque pace, Constantinopolin introivit. A. M. 4599. Chr. 629.

Cæterum ut erat aliis disciplinis liberalibus, ita & Astronomiæ addictior Heraclius, comperisse per Astrologos dicitur, *imperium suum à circumcisa gente vastandum:* Ratus ergo Judæos designari, cogit eos abjurare perfidiam, & Christiana sacra suscipere, reluctantes undique ejicit, vetans quoque eis, intra tria milliaria appropinquare Hierosolymæ. Idipsum Sisebutus in Hispania, & Dagobertus Francorum in Gallia rex, in Judæos statuerunt, *quem zelum vocat Dei Isidorus, sed non secundum scientiam.* Judæorum sane aliqui Mahumedi se aggregabant, Messiam hunc esse suum rati, sed cum camelo eum vesci vidissent, retrocesserunt; *Mahumedes* in nonum annum propagata ferro & fraudibus ditione sua, constitutisque quatuor Amiris ad expugnandos Christianos, dolo uxorum suarum *periit*, ann. Heraclii XXII, Christi DCXXXII. Quo tempore & Suintilla Gothorum in Hispania rex, qui primus pulsis undique Romanis, tota Hispania potitus fuerat, à Sisenando regno dejectus est. *Isidor. Chron. Gothor.* *Paulus Diac. lib. 18.* *Ildeph.* A. M. 4602. Chr. 632.

Obiit tunc etiam Lotharius Francorum rex, qui Brunichildem reginam, Chilperici matrem, quod perpetua discordiarum semina sparsisset inter reges Franciæ, ac decem reges suis machinationibus peremisset, altero pede & brachio mutilavit, religatamque ad equæ indomitæ caudam, membratim discerpi fecit. Lothario Dagobertus in Austrasia, Neustria & Burgundia, Aribertus alter filius in Aquitania successit. *Sigebert. Gembl. Anno 618.*

Porro Amiræ Mahumetici volentes irruere in Arabicum castellum, à Theodoro Begario repelluntur: tres eorum cadunt, quartus aufugit, Chalegus nomine. Frenari sic potuisset licentia prædonum, ni successum eis præbuisset Spadonis cujusdam Romani importunitas, qui militibus, eremos illas tuentibus, jussus stipendium persolvere, per ludibrium *Saracenos canes appellavit* portioneque eos sua fraudavit. Hac enim ignominia exacerbati milites, assuetam latrociniis Saracenorum gentem in rebellionem propellunt, ac duce Abubecher, cognato Mahumetis, occupant regiones Gazæ, ac Sinæ montis aditus, frustra obnitente præfecto Cæsareæ Palæstinæ, rarumque in multos prædones militem armante. Defuncto post biennium Abubechero, Principatum sumit Homar, statimque aggressus Arabiam, Bosram urbem capit, Theodorum Heraclii fratrem Edessam usque fugat. Heraclius duos opponit Saracenis duces, Theodorum Sacellarium, & Bahanem, instructos XL millium exercitu; Sed cum Sacellarii agmina vicissent Saraceni, Bahanes à suis renuntiatur Augustus. Quamobrem desertus à Sacellario, vento etiam præliantium Romanorum ora pulveris implente, in angustias cogitur Bahanes, cæditurque à Saracenis; Homar Damascum & mox Phœniciam occupat. Hinc in Ægyptum profert arma, eamque tributo subdit. Anno Heraclii XXVI aciem dirigit adversus Hierosolymam, obsessamque biennio capit, quum Sophronio Episcopo ac totius Palæstinæ Christianis securitatem promisisset. XXVIII Heraclii anno, qui erat istius seculi XXXXIII, expugnatur *Paulus Diac. lib. 18.*

Antio-

Antiochia: Muhavias ab Homaro Prætor ſeu Amiras ab Ægypto ad Euphratem ordinatur. Inde Hyaidus Dux Edeſſam & Daras cum Meſopotamia occupat. Sequenti anno potentiſſimum Perſarum regnum, quod poſt annum Syroïs dominatum, tenebat Hormiſdas, addorti Saraceni, in fugam conjiciunt Hormiſdam, captiſque filiabus Coſrhoïs, cum omni apparatu regio, mire tot victoriis triumphantes, late imperitant Orienti. Quarum nuncio cladium in diffidentiam conjectus Imperator, ex Athanaſii Syri colloquio hæreſeos labe etiam aſperſus eſt. Nam cum inquiſiviſſet apud Patriarchas, Sergium Conſtantinopolitanum & Cyrum Alexandrinum, *eſſetne una in Chriſto voluntas & operatio, an duæ*; audiſſetque unam eſſe, in errorem per inſcitiam incidit. *Deceſſit* aqua intercute, anno imperii XXXI, illegitimis quoque nuptiis Martinæ, filiæ fratris ſui, indignatione Dei irritata, quæ & in poſteros, ut ſolet ejuſmodi in crimine, deſæviit.

A. M. 4611. Chr. 641.

Columbanus ex Hybernia his temporibus in Galliam, comitatuſque S. Gallo in Helvetiam devenit, firmaturus Chriſtianiſmum. Amandus Gandavi ſuperſtitiones confutavit ethnicas, Eduinus rex Northumbrorum in Britannia, prædicante Paulino, ſuſcepit Chriſtianiſmum, ab Oſwaldo ſucceſſore deinceps propagatum.

Aimoni continuat. lib. 4. Beda l. 2. & 3.

At Conſtantinopoli Martina, ut contra leges ducta, ita ſecundum leges mota imperio eſt. Comperto enim eam ſuo privigno Conſtantino III. poſt quatuor menſium poteſtatem, venenum propinaſſe, conſcio Patriarcha Sergio, perbrevi uſa eſt imperio.

Paulus Diac. lib. 18. Cedren. p. 364.

Idque ſolo Cæſareæ Palæſtinæ excidio memorabile factum, quam ſeptennio obſeſſam, expugnavit tunc tandem Muhavias Saracenus. Martina, exſecta judicio ſenatus lingua, filius ejus Heraclionas abſciſſo naſo, poſt ſemeſtre imperium, pulſi ſunt in exilium. Conſtantini filius Conſtans, nepos Heraclii, avitum obtinuit principatum. Pyrrhus patriarcha in Africam aufugit, ſucceſſore Paulo, Eccleſiæ Oeconomo. Iſaacius Exarchus Ravennæ, certior Honorio Papæ congeſtos pecuniarum theſauros, eos ſibi rapit, Mauritiumque chartularium, qui Italico regno, adactis in ſua verba militibus inhiabat, capit, ac Ravennæ ſupplicio afficit. Longobardis poſt Ariobaldum regnabat Rotharis, eorumque leges ſcripto comprehendebat, anno poſtquam in Italiam venerant LXXVII. Iſidorus eo tempore Hiſpalenſis rem Catholicam in Hiſpanis ſcriptis adhuc durantibus promovit.

Warnef. l. 4. c. 44.

Constans II.

Conſtans II. qui & Conſtantinus laudato ob punitam Martinam Senatu, ſopire conatus Epiſcoporum de voluntatibus Chriſti diſſidia, exſtinctam eſſe controverſiam juſſit. Sub eo Homar, ſtructo Jeroſolymæ templo Mahometico, à Perſa quodam transfoſſus interiit, ſuccedente Hormano, qui Gregorium patricium, Conſtanti rebellantem in Africa devicit prælio, & Africæ partibus Saracenicum tributum impoſuit. Anno ſequenti (erat is Conſtantis ſeptimus) Muhavias expedita mille ſeptingentarum navium claſſe, invaſit Cyprum, captaque à Saracenis Conſtantia, Inſulæ ejus metropoli, impoſuit ei jugum. Aradus Inſula reſtitit ſane acriter, ſed pertinaci Muhaviæ oppugnatione ſuperata, dedit tandem manus, cum pro civibus & habitatoribus ſuis liberam, quo vellent diſcedere, poteſtatem hoſti extorſiſſet. Ne Conſtantinopolin invaderent Saraceni, fratrum duorum (buccinatoris filii erant) ſtupenda impedivit audacia, qui effractis foribus carceris trucidarunt Amiram, & injecto in claſſem igni, cum omni eam apparatu cremarunt.

A. M. 4612. Chr. 642. *Paulus Diac. lib. 19. Zonar. Tom. 3. Sigebert. in Chron. Cedren. Synop. Hiſt. Aimoin. lib. 4.*

At nihilo Muhavias mitior, novam ſtruit claſſem, ac prope Phœnicem Lyciæ portum, navali bello profligat Conſtantem, tanta Romanorum cæde, ut

mare eorum sanguine purpurasceret, & Imperator vili circumdatus amiculo, inque dissimulationem sui compositus, elaberetur hostiles manus. Tunc etiam Rhodus Insula à Saracenis subacta, qui celebratissimum in eâ Solis Colossum demoliti, æs ejus statuæ Judæo cuidam Emisseno vendidêre, onus nongentis camelis asportatum.

Guilh. Tyrius l.9.c.20.

Sed mox cum intestinis quaterentur dissidiis Saraceni, quod aliqui Muhaviam, aliqui sequerentur Halin Mahumetis generum, qui novum se jactabat prophetam, & Gabrielem ad se missum divinitus, per errorem adiisse Mahumetem mentiebatur, repressa nonnihil audacia est gentis, invidiosis tumidæ successibus. Muhavias quotidiano se mille nummorum tributo obstrinxit Imperatori, quoad redintegrata concordia suorum dependere illud neglexit. Idemque Muhavias cum partes Halis, aqua intercepta, siti excruciaret, sine dolore de iis victoriam tulit, Constantis anno XV.

Constans Martinum, Romanorum Pontificem, qui acto Episcoporum concilio Monotheletas damnasset, per Olympium Exarchum jussit Constantinopolin deportari. Inde auditum in Synodo, quum non satisfaceret adversariis, misit Chersonam in exilium, suffecto in Episcopatum Eugenio. Abhinc indies pejor, Theodosium fratrem suum, licet Clericum pridem, interficit, ejusque parricidii agitatus furiis, quod frater ei insomnis subinde calicem cruore plenum exhiberet, de deferenda Constantinopoli, & transferenda aliorsum sede cogitat. Aiunt voluisse eum Romam migrare, *quod plus diceret honoris matri quam filiæ deberi.* Sed cum Imperatrix & filii, cognatorum ac populi deliniti precibus, Byzantii remanerent, evanuit hoc consilium. Ferunt Byzantium quoque venisse his temporibus Persarum regis conjugem, & Christianismo imbutam exemplo movisse regem, ut eidem religioni nomen suum daret.

P. Warnef. l.4. Longob. cap.52.

Cæterum *Constans* in Italiam transgressus, cum Longobardis & Romoaldo eorum principe varia fortuna depugnavit. Primum Luceriam & pleraque Apuliæ civitates, à Longobardis possessas devicit, Grimoaldo eorum rege, patre Romoaldi trans Padum tum occupato. Nam cum Rodoaldus filius Rotharis, à Longobardo quodam, cujus uxori stuprum obtulerat, periisset, Aripertus successor ejus, Theudelindæ reginæ fratre genitus, duobus filiis adolescentibus reliquerat regnum. Oborta ut fit fratrum dissensione, Grimoaldus Beneventanus princeps, dum suspectum habet insidiarum Godobertum, à quo accitus auxilio fuerat, interfecerat eum, ac regno potitus, altero ex fratribus profugiente, Romoaldo filio dederat Beneventanam ditionem, quacum Constans Imperator bellum gerebat. Sed cum comperisset adventare Grimoaldum Cæsar, soluta Beneventi obsidione, Neapolin se recepit, atque exinde affectus clade à Romoaldo, Romam. Ei sexto ab urbe milliario, Vitalianus Papa, cum clero populoque Romano occurrit. Constans cum B. Petro pallium, auro intextum obtulisset dono, paulo post multo plura Romanis, quam dederat, abstulit. Duodecim diebus omnia urbis ex ære ornamenta mandavit detrahi, etiam tegulas, quibus opertum erat pantheon, à Bonifacio IV omnium Sanctorum honori dicatum. Inde Siciliam, Calabriam, Sardiniam, Africam insolitis exhausit tributis, tanta Græcorum avaritia, ut à maritis uxores, filios à parentibus avellerent. Quare ut *haud lenta fuevit esse malorum pœna principum*, mulieribus Siculis, sævitiam ejus execrantibus, ab Andrea Troili situla capiti ejus impingitur, ad eumque modum in balneo *exstinguitur Constans*, anno imperii XXVII.

Paulus de gestis. l.5.

Aimoin. l.4.c.32.

A. M. 4639. Chr. 669. *Diac. Cedren.*

Anno mortem ejus præcedente Sapor Armeniæ præfectus, qui ad Muhaviam Saracenum defecerat, *equo perfidum caput per lasciviam ad portam affligente*, interiit. Amorium Phrygiæ oppidum insigne,

insigne, quod Saraceni expugnarant, feliciter est à Romanis receptum.

P. Warnef. l.6. Long.c.5. Anno imperii Constantis undecimo, cinerem de cœlo narrat decidisse Diaconus; addit cum illo Sigebertus secutam esse diram pestilentiam, *visumque spectrum venabulo circuire & pulsare domos, totidemque exinde mori cujusque familiæ, quot vicibus ostium esset pulsatum.* *Regino.* Idipsum anno hujus LXXXII contigisse vult Regino Prumiensis, ac imperante bono angelo, pulsationem illam mali genii manu factam.

Liber Pontif. Vitalianum Papam hoc tempore *organa musica* ad concentus sacros adhibere cœpisse, liber Pontificalis memorat.

Beda. l.3. Hist. Angl. c.21.24. Flandri, docente Eligio, Noviomagensi Episcopo, Christum induerunt, Mercii etiam in Britannia, Osuii regis exemplum secuti, referente Beda, qui illa tempora attigit.

Sigebert. Gembl. Aimoin. l.4.c.3. Constante Augusto, decessit Dagobertus Lotharii filius, Saxonico, Sclavico, & aliis bellis clarus. Is cum superstitionem circa corpus S. Dionysii Parisiensis propagasset, percrebuit de mortuo rumor, debuisse animam Dagoberti ob exspoliationem Ecclesiarum, à diabolis abripi, sed interventu Dionysii, cui se devoverat, esse liberatam. Successerunt ei filii, Sigebertus Austrasiæ, & Clodoveus, qui & Ludovicus, Burgundiæ reges.

Æneas Sylv. Histor. Boh. l.1. cap.3. Zechius Croata, è gente Sclavorum nobilis, perpetrato domi homicidio, judicium ultionemque fugiens, in regionem eam venit, cui nunc Bohemia nomen est, ac Bohemicam condidit gentem. Frater ejus Lechus, paupertatis & exilii comes, in aliam locorum planiciem coloniam deduxit, cui Polonia nomen datum. Nam planicies Sclavorum lingua *Pole* nominatur. Ejus hæredes in numerosam multitudinem brevi coaluerunt, ac Russiam, Pomeraniam, Cassubiamque sui generis hominibus impleverunt, sicuti Zechii Moraviam Lusatiamque.

Constantinus IV. Pogonatus.

Constantinus IV. Constante genitus, eoque adhuc superstite insignibus ornatus imperii, prima lanugine vestiebat maxillas, cum genitor ejus in Sicilia occideretur. Eam cum ad ulciscendam patris mortem in expeditione nutrisset, rediens promissa barba, *Pogonati* invenit cognomentum. Mizizium seu Mazentium quendam Armenium, conspicuum decore corporis ducem, legiones Sicilienses Imperatorem dixerant; Sed Theodorus Calliopa Exarchus, ac vicini in Sardinia Africaque exercitus, ægrè ferebant novi hominis potestatem. Itaque classe victus, & à Constantino interemptus est. Sociis tyrannidis, inter quos Justinianus erat patricius, pœnæ inflictæ. Cæterum clamantibus Orientis proceribus, Heraclium & Tiberium fratres Constantini, pariter esse coronandos, ut sicuti crederent Trinitatem, ita & à tribus regerentur Principibus: Constantinus simulato assensu, evocatos Principes pro seditiosis interfecit, præcisoque fratribus naso, spem capessendi omnino ademit imperii. A. M. 4639 Christi 669. *Paulus Diac. lib.19. Ado. Viennensis æt. 6. Regino lib 1. Zonar. Tom.3. Greg. Cedren. Diac. de gestis. Longob. l.5.c 12. 13.*

At Saraceni in omnes occasiones intenti amplificandi dominatus, vastarunt Africam, raptis in servitutem LXXXM. hominum capitibus. Direptis deinde Syracusis, septem in circuitu Byzantii promontoria occupant. Varia inter Byzantinos ipsosque prælia commissa narrantur, donec septenni bello, pluribus navibus hominibusque amissis, redire ad sua coacti sunt Arabes, dum domum cogitant, obortis divina indignatione tempestatibus, mari demerguntur omnes. Quam cladem correcturus Suphiam, accepit parem, Callinici Mathematici artibus invento igni marino, quo omnis Saracenorum classis combusta est, perierunt hominum XXX millia. Accessit alia calamitas Saracenis anno Constantini nono. Mardaitæ Libanum & reliqua Palæstinæ montana insederant, auctique

servorum & indigenarum transfugio, nihil eis tuti relinquebant. Idcirco rati id, quod res erat, Mahumetani, *Christianorum imperium divina muniri virtute*, pacem ineunt ad triginta annos tributariam, terna millia auri pondo, quinquagenos viros, totidemque equos promittunt Cæsari annuos.

Hoc intellecto, hostes Græcorum Europæi veriti, ne ad se vis belli transiret, concordiam ab Imperatore missis legatis muneribusque petierunt. Ita Oriente atque Occidente pacato, factus est sequenti anno *terræ motus*, ingruentium malorum prænuncius. Muhavias Saracenorum Princeps decessit, successore Gizido filio. *Anno Christi 679.*

Nec diuturnam mortalibus quietem peccata permittunt sua: Bulgari gens Scythica à Volga fl. devocati, in Transdanubianas provincias semet effundunt, effuse omnia vastantes. Illis terra marique, non sine gravi animi motu, occurrans Constantinus, terrorem incussit quidem, ac munitioribus se locis tenere compulit: At protracto bello, dum levandæ pedum ægritudini, in Mesembriam sese balneis lustraturus abit, editur per castra rumor, metu perculsum cessisse, fugaque exercitus, nemine persequente, oritur. Tum vero cedentium tergis inhærentes Bulgari, cædes faciunt maximas, ac positis eis Istrum tentoriis, Sclavinos sibi subigunt. Necessitas etiam tributi imposita Constantino, ut Romanis ditionibus parceretur, dedecore ejus majore quam damno.

Ado Viennensis. A. M. 4650. Christi 680. Constantinus deinceps quietus unire Ecclesias studuit, jam inde à Proavi Heraclii tempore, ob *Monotheletarum errorem* dissidentes. Igitur concilium indicit Constantinopoli, ac CCLXXX Episcopos contrahit in unum. Jussi sunt omissis disputationibus Philosophicis, pacifico colloquio de vera fide perquirere, datis de bibliotheca Constantinopolitana, sanctorum patrum, quos petebant, libellis. Ibi convicti, qui unam voluntatem, & operationem in Christo adstruebant plurima patrum loca falsasse, Georgius Byzantinus Patriarcha correctus est, Macarius vero Antiochenus cum suis sequacibus simul & decessoribus, Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathemate notatus. Theophanes Abbas Antiochenæ præpositus Ecclesiæ est. Jerosolyma & Alexandria Episcopos ad Synodum non misere, à Saracenis occupatæ. Agathonis Romani legati primas ibi tenebant, præsidente tamen Imperatore. Decretum, *venerandas esse quinque Oecumenicas Synodos, Nicænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem, Constantinopolitanam alteram sub Justiniano, & hanc sextam Universalem, qua ut duæ in Christo sunt naturæ, ita duas esse voluntates & operationes in unum conspirantes, placuit.*

Cum deinde iterum civilibus laborarent dissidiis Mahumetani, & Muctar novus pseudopropheta Persidem occupasset, Abdimelechus ab Ægyptiis, Palæstinis & Phœnicibus probatus, devicit tyrannos, pacemque à Muhavia quæsitam instauravit. 365 nomisma ta, totidemque servos & equos tributo Constantino obtulit, qui paulo post obdormivit anno Imperii XVII. *Paulus Diacon. lib. 19.*

Pecuniam hactenus pro ordinatione Pontificis, Roma dependerat Augustæ potestati. Eam relevavit hic Imperator, hac tamen lege, ne quis citra decretum Cæsaris Papa consecraretur. Ravennati Episcopo mandatum, ut Romano se ordinandum sisteret, quod ille Exarchorum fretus autoritate facere antea neglexerat. *Sigebert. Gembl. Anno 680.*

Partharis Longobardorum Rex, è dissidiis cum Godeberto fratre varios expertus exilii casus, Grimoaldo ob læsum post sectionem venæ brachium, exstincto, velut à Deo revocatus successit, justitiæ & liberalitatis cultor egregius. Similis ei Bamba Hispaniarum Rex, qui laudabiliter gesto regno, victisque etiam Saracenis littora carpentibus, monachi habitum sumsit. Hildericus rex Franciæ, Bodilonem è nobilibus, cum servili verbere castigasset, in venatione ab *Anno 684. Paulus Diac. l. 5. Longob. lib. 33.* *Ildeg. Vasæus.*

eo

Sigebert. Gembl. eo cum prægnante uxore cæsus est, sic Theodorico in cœnobium ante detruso, reditum ad sceptrum aperuit, & Ebroino Majori domus (sic proximam regiæ potestatem vocitabant Franci) ad regni administrationem. Ex eo nimia Majorum domus vis facta, regibusque ipsis formidolosa. Ebroinus Leodegarium, antea sibi adversatum, post varia tormenta, capitis affecit supplicio.

Justinianus II. Rhinotmetus.

A. M. 4566. *Christi* 696. *Paulus Diac. l.* 16. *Regino lib.* 1. *Zonar. Tom.* 3. *Cedren.* Constantino Barbato successit filius *Justinianus*, Anastasia Augusta natus, acris quidem sed præcipitis ingenii, qui *cum suo omnia arbitratu faceret, rempublicam seque in gravissimas conjecit calamitates*, & magna fortunæ varietate supremam orbis potestatem habuit. Primum duce Leontio, Iberos, Albanos, Armenios, Medos, aliasque Orientis nationes in suam redegit ditionem, Saracenis inter se ipsos decertantibus. Nam Abdimelecho grande cum Persiæ & Arabiæ tyrannis bellum erat, queis tandem devictis, totam Persidem, Mesopotamiam, majoremque Armeniam subjugavit; ac per id intestinis Mahumetanorum dissidiis imposuit finem, anno Justiniani V.

Interea tamen Saraceni rerum suarum prudentes, pacem cum Justiniano, reddita ei Africa, inierant tributariam, pendentes in dies singulos millena nomismata: servumque simul & equum, addita lege, ut Mardaitæ, insessores Libani & montium reliquorum, amoverentur à Justiniano, quippe, qui omnes Arabum civitates à Mopsuestia in Armeniam usque infirmas inhabitataque efficerent: Contra vero Iberiæ, Cypriique tributa ex æquo dividerentur. Sed ea cautio, Mahumetanis, quam Græcis opportunior erat. Mardaitæ enim Christianarum propugnatores partium, perpetua è Saracenis præda victitabant, quorum XIIM cum suis Justinianus copiis sociasset, nudavit per imperitiam fines sui imperii, eosque barbarorum insultibus patefecit. Idem secundo regni anno, fœdus à patre suo ictum cum Bulgaris dissolvit. Initio victor, postea in angustiis oppressus est, corruptoque exercitu, pene solus Byzantium revolavit. Anno deinde septimo cum è Sclavicis gentibus evocasset XXX armatorum millia, quem populum Σεβαστον appellitabat, elatus robore copiarum, Saracenicam pacem disrupit, prætendens, monetam non pendi sua signatam imagine.

Saraceni *implorato perjurii ultore Deo*, scriptas pacis conditiones hastæ alligarunt, sublatisque in acie instar vexilli, cum Romanis conseruerunt manus. Sed primo congressu inferiores, pecuniis corrumpunt Sclavorum ducem, quorum cum XX millia transfugissent ad Saracenos, demsêre animos reliquis, fœdamque in Romanis fugam excitarunt. Justinianus ipse cum paucis servatus, ut Leucarem pervenit, reliquias Sclavicæ illius acquisitæ gentis omnes occidi, cadavera in mare abjici præcepit. Agareni ab eo tempore impune Romanas incursarunt provincias, & Sabbatius, Armeniæ Prætor, cognita Imperatoris clade, Armeniam eis tradidit.

Hinc acta Constantinopoli Synodo, decretum inter alia est, *nequis presbyteros cogeret à ductis legitime uxoribus abstinere*, quod scriptum sit, *honorabile in omnibus conjugium, & torus immaculatus*. Cui refragantem Sergium Papam, qui Cononi post ingentes eligentium turbas & dissidia successerat, Justinianus mandavit trahi Constantinopolin: sed renitente exercitu Ravennate, frustra fuit Imperatoris legatio, qui & paulo post imperio excidit. Cum enim Stephano Persæ, Eunucho, & Theodoro Monacho, hominibus avaris & atrocibus, qui nec ab Imperatoris matre cohiberent manus, se suaque omnia permitteret, civium promeruit odia. Itaque Leontium ducem suspectum sibi, & biennio in vinculis habitum, dimittit ad Græciæ præfecturam,

Anast. Biblioth. in vita Sergii.

Tom. 3. *Concil. parte* 1.

Suidas in Just. Rhinotmeto.

ram, parum sibi boni ab reconciliato Principe exspectantem. Leontius Pauli Monachi Astrologicis inflatus vaticiniis, *audendum aliquid* dicentis *pro secundis adeo fatis*, Byzantium regreditur, assumtisque fidissimis effringit carceres, quibus non pauci nobilium ad supplicia servabantur. Eorum concursu, adjuvante præsertim Callinico Patriarcha, à quo cædem publicam auspicari velle *Justinianus* dicebatur, extrahitur è regia sua Imperator, præcisoque naso (unde ei Rhinotmeti nomen) & lingua, relegatur Gherſonam, anno imperii x. Ministri tyrannidis funibus raptati per urbem & incensi sunt.

A. M. 4566. *Christi* 666.

Anne eodem. Paulus Diac. lib. 19.

Ita *Leontius* Imperium arripuit, & triennio qualitercunque tenuit.

Nam Arabes tum alias provincias incursando, tum Africam subigendo multum Imperio damnum inferebant. Lazicam Sergius eis Patricius prodidit. Sed Joannes frater Imperatoris Leontii, universis cum copiis missus, mascule recuperavit Africam, expulsis Saracenis, perbrevi vincentium gaudio. Caliphas enim mox adornata ingenti classe, iterum invasit Africam, cui impar Johannes Constantinopolin majores postulatum vires proficiscitur. Interim Classe Romana in Cretam appulsa, partim ignominia sua, quod victi cessissent Saracenis, partim metu Leontii, cum res novare cuperent præfecti, persuadent classiariis, ut Absimarum Cibyrræotam Drungarium salutent Augustum, qui Tiberius appellatus est. Hic Byzantium pervectus, proditis sibi clavibus, urbem occupat, Leontium defecto similiter, ut ipse Justiniano fecerat, naso, custodiæ tradit, ac principibus, qui ab illo stabant, exilii damnatis, imperio potitur.

Dum ita *glisscentibus Christianorum vitiis*, *propagatur Mahumetismus*, Germaniæ quibusdam populis melior Dei notitia cœpit illucescere.

Beda l. 5. Sigebert. Gembl.

Nam præter Kilianum, ducis Francorum Gosberti conjugis dolo peremptum, Wigbertus, Willibrordus, Suidbertus, Wilibaldus, Eoualdi, ex Anglia profecti, Frisiis, Rugis, Danis, Saxonibus, Bructariis, Francis Orientalibus ac vicinis eorum, Christianam instillare religionem tentarunt, conatu non prorsus irrito. Nam Suibertus Westphalis, Willibrodus Trajecti Frisiis Episcopi sunt facti, annitente & Pipino, novo palatii magistro per Gallias, qui post multas antecessorum neces, dignitatem hanc erat adeptus, ut Radbodus Frisiorum Rex Euangelistis illis pacem vel invitus daret.

A. M. 4669. *Christi* 696. *Paulus Diacon. lib. 26. Zonar. Cedren. Anno* 700.

Cæterum *Tiberius Absimarus*, simul rerum potitus est, fratrem suum Heraclium in Orientem adversus Agarenos, Theophylactum Patricium, Joanni Exarcho, successorem in Italiam misit. Heraclius Samosata usque peragratis Syriæ regionibus, hostium ad ducenta millia vel cepit, vel occidit, præda ditatus immensa, ipso Christi anno septingentesimo. Et Armeniorum Principes, occisis per seditionem Agarenis, in Romanorum ditionem se restituerunt. Sed Mahumetes tum Princeps Arabum, acerbam de eis exegit vindictam, coactisque iterum parere incolis, Principes gentis Armeniæ vivos cremavit. Inde cum arma inferret Ciliciæ, acerrimis repulsus est præliis, ac majore exercitus ejus parte deleta, Heraclius reliquos fere omnes cepit, & ad fratrem Absimarum transmisit, pro mancipiis futuros.

Diac. lib. 20.

Sub hæc elapsus custodia Justinianus, Principis seu Chagani Chazarum amicitiam & affinitatem impetrat, ducta ejus sorore Theodora. Fretusque illis fidei vinculis per annum fere degit in Phanogoria, donec Barbarus Rex, Absimari auro correptus, illum tradere promisit, hospitem & affinem suum. Sed ille fuga antevertit exitium, præsentiens scelus à Theodora, quæ per servum insidias suo marito locari intellexerat, cujus & instinctu vocatis ad se seorsim percussoribus ambobus fauces elisit. Relicta

licta deinde conjuge, ad Trebellin Bulgarorum regem profugit, cujus & armis protectus, & in patriam reductus est, anno exilii decimo. Castris ad mœnia positis, largiter proscissus conviciis à Byzantinis, tertio post die aperto grandi aquæ ductu intravit urbem, fugiente Absimaro. Sed is in urbem retractus, atque interempta magna civium multitudine, cum altero usurpatore imperii Leontio, ad pedes Justiniani jacuit vinctus, clamante populo: *super aspidem & Basiliscum ambulabis.* Calcati ergo pedibus ambo, in medio circi spectaculum fuerunt, supplicio de eis sumpto. Callinicus Antistes, demtis luminibus, Romam est exulatum missus, suffecitque ei Justinianus Cyrum, à quo exul animatus ad recuperandum imperium fuerat. *Anno Christi 703.*

Indulsit inde Justinianus nimium dolori suo, utpote qui Leontii odio, quoties truncas emungebat nares, unum aliquem, qui in ejus fuisset partibus, ad supplicium juberet rapi, quod & antea, cum promittere Deo clementiam in hostes, tempestatibus jactatus admoneretur, crudeli proposito jactaverat se facturum. *Diacon. lib.20. Long. l.6. Zonar. Tom.3. Cedren. Regino lib.1.*

Trebellin quidem Bulgarorum Regem magnifice donatum dimiserat: sed oborto postmodum de finibus dissidio, rupta pace, bellum genti maximo apparatu intulit. Bulgari, ut imparatiores, territi initio in montes se abdidere; at conspicati postea palabundos otio indulgere Græcos, tanta eos strage cecideruntut Justinianus, conscensis propere navibus, multo cum dedecore Constantinopolin refugeret.

Iram deinde in Chersonæos exspuit, memor se, cum apud eos exularet, pene in ipsa novarum rerum molitione ab illis oppressum. Itaque misso exercitu, quoscunque nanciscipotuerunt, Maurus Patricius, & Helias, Prætor creatus Chersonæ, crudelissime mactarunt, primoribus etiam igni assatis, solos impuberes ad servitium custodierunt. Sed nec illis parcendum decernens ultor sanguinarius Cæsar, classem eos advectum misit, frustra dehortante Constantino Papa, quem Roma evocaverat, magnoque in honore habebat. Nam lætari etiam visus, quod oborta tempestate septuaginta tria Chersonæorum millia fluctus rapuissent.

Tum vero patuit *pro miseris & innoxiis vindicem Dei oculum vigilare.* Nam quia excindi Chersonæorum oppida, & parvulos allidi ad parietes mandarat, illi implorato Chazarorum ope, Philippico Bardani persuadent, qui nuper ab exilio revocatus, classis præfecturam acceperat, ut imperium induat, adjuvante Helia Prætore. Bardanes transfugio classis in ipsum missæ confirmatus, in Justinianum insurgit, qui interemptis in sinu matris Heliæ liberis, ipsam coquo Indo nubere coëgerat. Quare Helias Amastri urbe capta, ubi erat *Justinianus, sua ei manu caput amputavit*: Filiusque ejus Tiberius, quem à Theodora susceperat, atque imperii crearat consortem, è templo abstractus, pecudis instar secto gutture occubuit, de stirpe Heraclii ultimus, cui soli contigit Augustorum, ut sextum haberet è sua progenie successorem. Imperabat Justinianus post exilium annum VII, quum exercitæ crudelitatis pœnas exsolvit. A. M. 4682. Christi 712.

Nec Longobardis per Italiam civilia arma defuere illa tempestate. Alachis dux Tridentinus Guniberto Regi rebellavit, occupato etiam Ticino, sede Longobardorum regia, quam absente Rege duo ex optimatibus fratres defectori prodiderunt. Erat sacro imprimis ordini infestus Alachis, ac jam olim Perthari rebellis, patri Cuniberti, intercessione Filii recuperaverat gratiam Patris. Cunibertus contra in tantum æstimabatur viris Ecclesiasticis, ut Clericus ei corpore persimilis, habitu indutus regio, congrederetur acie cum Alachi, mortemque oppeteret pro rege. Quamobrem eo vesaniæ processit Alachis, ut juraret, si denuo victoria potiretur, se puteum Clericorum testiculis impleturum. Sed mox infandi odii damnatus à *P. Warnef. Diac. l.5. Longobar. c.40.41. lib.6. Long.*

Deo, in prælio cecidit, *suoque exitio antecepit, quæ in alios crudelis consultaverat.* Cuniberto post duodecenne regnum vita functo, filius successit Luitbertus, qui à Taurinensium duce, agnato suo, victus acie, atque mox à filio ejusdem Ariperto captus occisusque, eadem traxit ruina tutorem suum Ansbrandum; cui tamen ad Bojoarios profugo, Luitprandum filiolum clementia victoris an contemptus remisit. Aripertus ita potitus regno, Alpes Cottias, factam olim à Nerone Imperii provinciam, Pontifici Romano donavit, ac donationis instrumentum aureis perscriptum literis ad Johannem VII Romam misit. Id initium temporalis Paparum dominii exstitit. Ecclesiasticum in transmarinas Ecclesias, jam inde à Leonis primi temporibus, sibi arrogare cœperant, & à Phoca Tyranno Oecumenicum sumserant cognomentum, quod decessoribus suis, licet oblatum inde ab Chalcedonensi concilio, contemptum tamen pro fastus Antichristiani nota, præclarè scripsit Gregorius. Sed nunc Constantini ad pedum usque oscula se demisit Justinianus: Cerdualla vero Westsaxonum in Britannia Rex, Romæ initiari Christo voluit, initiatus sacro fonte statim decessit, successore Ina.

Paulus Warnef. 4. Diac. l. 6. Longob. cap. 28.

Gregor. lib. 6. Epist. 24. 28. 30. 31. & l. 7. Epist. 30. 69. Anast. Biblioth. Beda l. 5. cap. 20. Paulus Warnef. Longob. l. 6. c. 15. Herm. Contractus. Tol. Concil. 17.

At Conredus Merciorum in Anglia Rex, assumto secum Offa, Sigeri Orientalium Saxonum regis filio, pro regiis monastica Romæ indumenta sumsit. Felix Archiepiscopus Ravennas, qui subesse Romano nollet, dignitatem amisit & oculos. Judæi per Hispanias regno Egicæ comperti insidias struere, omnes in servitutem redacti sunt, bona eorum fisco adjudicata, liberi eorum septimum egressi annum Christianis traditi, quorum institutione avitas traditiones desuescerent.

Sigeb. Gemb.

Magnæ tunc erant Pipini ducis Austrasiæ, in regno Francorum vires, qui magister palatii sub Theodorico, Clodoveo & Childeberto regibus, regiam exercebat potestatem, & Lambertum Trajectensem Episcopum creaverat. At quum postea Plectrudi conjugi pellicem superinduceret Alpaidam, ex qua Carolum Martellum genuit, nec ferret mulier Lamberti censuras, Dodoni eum fratri suo trucidandum objecit Leodii, qui sceleris pœnas exigente Deo, vermibus postea corrosus, ob intolerantiam fœtoris Mosa flumine demersus est. Pellex expiando flagitio scilicet & cædi, collegium Canonicorum suo sumptu instituit. Ea tunc temporis deploranda devotio inolere cœperat, ut maxima flagitia templis excitandis expiari putarentur. Sed *quam Deus abhorreat libidines ac scelera*, Hispaniæ exemplum monstravit istis temporibus.

Chron. Magn. Belg.

Ibi Recesuindi nepos Rodericus, Vitizæ Regi, à quo pater ejus, Gordubensis Comes, privatus oculis fuerat, adjutu Justiniani Imperatoris acie devicto paria reddit, ac Gothorum in Hispania regnum familiæ suæ debitum recuperat. Inde subditis, ne filios Vitizæ revocarent, exarmatis, viam pandit Saracenorum turmis, ut impune deprædentur littora. Mox effusus in libidines, cum Juliani comitis uxorem adulterio maculasset, sibi totique regno attraxit perniciem, Juliano Saracenos, Taricho duce, ex Africa in Hispaniam transportante, *ut domus suæ casum patriæ ruinis ulciscereturr.* Hi in monte, qui Gebel Tarich, hodie Gibraltar, ex duce appellatur, castra munierunt, ac bellum Hispaniis exitiale è flagitio Regis ortum intulere.

Ildeph.

Rodor. Tol.

PHILIPPICUS BARDANES.

INterim *Philippicus Bardanes*, jugulato, ut dictum est, Justiniano, invadit imperium Græcum, tenetque biennio & mensibus novem. Constantinus Papa cum populo Romano nomen, litteras & imagines ejus plane respuit, prætexens hæreticum esse Imperatorem, cui nulla debeatur obedientia.

Anno eodem. Paulus Diac. lib. 20. Zonar. Tom. 3. Sigebert. Gembla.

Nam Philippicus, Monachi cujusdam

Chron. Regino lib. 1.

Cedren. Anast. in vita Constantini. Papæ.

dam Monotheletæ, qui ab eo adhuc exule Synodi sextæ abrogationem stipulatus, imperaturum esse prædixerat, secutus judicium, Monotheletarum sententiam approbabat, ejectoque Cyro Patriarcha, alium istius factionis substituerat, per quem acto conventu infirmavit, quæ in Monotheletas erant decreta. Idem melior verborum, quam rerum gerendarum, congestos à decessoribus thesauros prodegit stolide, nihil pensi habens, cui quid largiretur. Bulgari sub eo Thraciam, Saraceni Asiam vastarunt, occupantes Pisidiæ Antiochiam. Quare in odium venit apud proceres, atque ab illorum duobus, ut è convivio digressus somno indulget, domi suæ *privatur luminibus*. Postridie (erat dies pentecostes) Artemius Secretariorum Princeps, publice renunciatur Imperator. Theodorus & Buramphus, quorum fraude excœcatus erat Bardanes, proximis sabbatis *passi sunt, quod fecerant suo Imperatori*. Primus Pontificum Constantinus, adspectu hæreseos, obedire renuit summæ in terris potestati. Onuphrius ex imaginum despectu obortum Philippici hunc contemptum memorat, cum Petrus regi qualicunque propter Dominum jubeat parere.

A. M. 4685. Chr. 715.

Onuph. apud Platin.

1 Pet. 2. 13. 18.

P. Warn. 6. Long. cap. 25.

Similem fere casum expertus eodem tempore Longobardorum Rex Aripertus, is qui Alpibus Cottiis donarat Pontificem, solerti quidem ingenio Princeps, dissimulata majestate passim explorare solitus, *quid de se, quid de judicibus populi sentirent; nunquam ostentare legatis divitias aut rerum abundantiam, ne aliis de se quam ipse sibi plus crederet*; ad extremum præcipiti metu pristinam felicitatem ac prudentiæ laudem corrupit. Nam ex dubio cum Ansprando exule prælio, quod Ticinum refugisset, auxit hosti animum, suis dempsit. Quorum reveritus offensam, dum auro gravis transire in Franciam festinat, demergitur pondere, ac Ticino amne suffocatur. Ita potitus rerum Asprandus novennio exul, actaque trimestri potentia, Luitprando filio transmisit sceptrum.

Artemius Anastasius.

Anno eodem P. Diac. lib. 20. Zonar. Tom. 3. Cedren. Anast. in Constantini vita. & Greg. P. Warnef. Long. l. 6. cap. 36.

Artemius, qui & *Anastasius*, Philippicum *imperio male parto, male gesto, male exuit*, post biennum & ipse paulo molliori fortuna eodem exuendus. Agareni tunc deprædati Galatiam, Ulidis jussu classem instruebant in Phœnicia, qua urbem obsiderent regiam, quos præveniendos ratus Artemius, tum civibus imperavit de commeatu sibi prospicere in triennium, & qui re arctiori essent, emigrare, tum classiarios ire jussit armatos igni marino, ut apparatum Saracenorum incenderent. Sed ex his audentiores, Joannem Diaconum pro imperio eos alloquentem Rhodi confodiunt, & Theodosium Adrumettenum, tributa colligentem, cogunt imperare invitum. Qui progressus Constantinopolin versus, semestribus præliis fatigavit Artemianos, ac tandem proditione quorundam admissus in urbem, diripiendam permisit seditiosis & auxiliaribus suis Gottho-Græcis, Germanum novellum Patriarcham ac Principes pro Artemio stantes constrinxit vinculis. Imperatorem ipsum Nicææ se tradentem, ejurato imperio, tonderi in Clericum, & Thessalonicæ exulare jussit. Artemio huic cum Constantino Papa bene convenit, quod missis legatis confiteretur se assentire sextæ Synodi canonibus; ac proinde Romæ Petrus Dux, Philippici portans imaginem, ob quam Romani seditionem moverant, eam sponte abjecit. Tum Rodericus Hispaniarum Rex, collectis regni viribus, prælio congreditur cum Saracenis, occisisque licet XVI eorum millibus, cadit tamen ipse, & Barbari potiuntur Hispania, Hispalin, Legionem, Cordubam occupant, Francis ea, quæ Gothorum adhuc erant in Galliis, ad se rapientibus. Eorum tunc Ductor præcipuus Pipinus fatis concessit. Vidua ejus Plectrudis Carolum Martellum privignum suum mancipavit

Roder. Tolet. Tudensis. Sigebert. Gembl. Warnefrid. Long. c. cap 42.

custodiæ, ex qua tamen ille, mortuo paulo post rege Dagoberto, elapsus, paternam adeptus est dignitatem, eamque tanta gessit felicitate, ut stirpi suæ Francorum regnum acquireret.

Theodosius III.

A. M. 4687. Chr. 717. Paulus Diaconus. Zonar. Cedren.

Theodosius verò Imperator arbitrio militum sibi obtrusum principatum, vertente anno deposuit. Quia enim Dux Orientis Leo, Artemii secutus partes, nequaquam consentiebat per vim invasæ dominationi, ejusque virtus timori Saracenis, exercitibus reverentiæ erat, capto per eum filio Theodosii, pater suas vires tanto conspicatus impares fastigio, exuit semetipsum purpura, atque accepta fide, nihil in se consultum iri gravius, vitæ reliquum tranquillus pro Clerico exegit Ephesi. Filius eandem sortem amplexus, *sibi potius quam aliis imperare didicit.*

Hoc regnante, Pergamum cepit Musalmas Saracenus. Nam cum oppidani, Magi cujusdam instinctu, dissecto mulieris prægnantis utero, fœtus ejus sanguine dexteras inunxissent manicas, justo Dei judicio victi, nefariæ impietatis suæ pœnas exsolverunt.

Leo Isaurus.

Anno eodem. Paulus Diac. Miscel. Hist. l. 21. Hist. Long. lib. 6. c. 47. 49. Zonar. Tom. 3. Georg. Cedren. Synopsi Hist.

Leo inter familiares adscitus Justiniani, atque ab eo Abasgis domandis in Alaniam seu Albaniam missus, exstincto ipso, & Philippico excœcato, Orienti Rector datus ab Artemio fuerat. Quo amoto, favore fisus militum & Artabasdi Prætoris Armeniorum, cui filiam desponsarat Annam, ad imperium emersit, fraudesque elusit Musalmæ & Humaris, principum Arabicorum, sub tegmine pacis faciundæ provincias deprædantium.

Itaque ingenti adornata classe, Constantinopolin penè triennium obsident, atque interim cum frigore, bello, fame, pestilentia, sine numero periissent, navibus partim fluxili in aquis igne, partim fulmineæ grandinis tempestate consumptis, partim etiam demersis, qui remanserunt abscedunt, ex tribus navium millibus, ut ferunt, vix quinque cladis nuncias domum retrahentes, *documentum potentiæ* Dei, *quem Christiani venerabantur.* Bulgari soli xxii millia ex iis, prædatum excurrentia cecidêre. Hoc urbis regiæ periculum occasionem suam ratus Prætor Siciliæ Sergius, inhiat tyrannidi, eamque Gregorio cuidam è suis dat gerendam. Sed Paulus Chartularius missu Leonis profectus in Siciliam, in fugam egit Prætorem, peremptoque Gregorio, deprecantem Sergium recepit in fidem.

Similiter tertio Leonis anno Nicetas Xylinites in novas spes recuperandæ dignitatis impulit Artemium, Thessalonicæ exulantem, qui & Bulgarorum fultus auxiliis Byzantium appulit, conatu ut temerario, sic infelici. Nam cum minimè admitteretur à Byzantinis, Bulgari acceptâ pecuniâ Artemium produnt Leoni, à quo peremptus est cum conjuratis: Opes Xylinitæ prægrandes fiscum implevêre augustum.

Nec immunis tamen à flagellis mansit seu Romanus seu Byzantinus populus, pestilentia atroci ad tercentum habitatorum millia depascente, Romanosque muros transcendente Tyberi, ut pateret *in Christianis etiam suis quam plurima animadversione digna reperire omnipotentem Deum.* Eodem tempore insignis Satanæ fraus in Judæos, Ethnicos & Saracenos eluxit. Judæos novus quidam Pseudomessias Syrus delusit, quos cum ob id promiscuè baptizari cogeret Leo, reperti sunt, qui desperatione icti semetipsos cum familiis cremarent. Paulus Diac. lib. 21.

In Germania Radbodus Frisonum Rex, ethnicissimi propugnator acerrimus, cum alterum jam pedem in sacro fonte haberet, salutaribus aquis aspergendus, interrogare cœpit de majoribus suis, ubi plures eorum degerent. Dato ei responso, plures in inferno esse, *Satius est*, inquit, *ut plures quam pauciores sequar.* Itaque ludibrio est habitus à Dæmone, qui Sigebert. Gembl. Anno 718.

ad

ad tertium diem incomparabilia ei bona promiserat, ac pernicie eadem die subitaneâ oppressus, damnatorum numerum auxit.

Similiter Gizid Saracenorum princeps, cum Judæo cuidam præstigiatori fidem adjunxisset, diuturnum ei promittenti imperium, si omnes Christi & sanctorum imagines aboleret altero anno periit. Alia longè Leonis Augusti sors fuit, qui & ipse anno imperii decimo ad venerationem dudum consecrari cœptas *imagines* jusserat *deponi*. Inter Constantinum enim Papam & Philippicum Bardanem, ea lis agitari cœperat, dum ille passim in templis imagines Patrum, qui conciliis interfuerant, locari, hic eas amoveri imperat. Leo autem addidit, *idololatriam committi, cum quis imagines & statuas religiosâ veneratione colit, atque in ea sententia Judæorum quoque autoritate est confirmatus, quibus disertè ab summo Numine imaginum cultu interdictum, nec id uspiam Christi ullo verbulo Christianis relaxatum edocebatur.*

Sigebert. Anno 724.

Hæc ἐικονομαχία incidit in A. M. 4695. Chr. 725.

Percepta Imperatoris sententia, Gregorius II Papa detinet Romanæ urbis & Italiæ tributa, dicens: *Imperatoris non esse, quidquam in fide innovare*, tanquam fidei Christianæ sit, manuum humanarum opera colere, quod clarissimo Dei verbo est damnatum. Quare cum de Leone in suas partes pertrahendo frustraneam sumsisset operam, populum militiamque in Imperatorem & Exarchum exacuit, quorum viciſſim petitus irâ, universam Italiam seditione, rapina, cæde implet, ac tale suscitat incendium, quo tandem cum fide, Imperii Augusta autoritas in Romana urbe deflagravit. Et sicut eo tempore præcedente horribili flammarum fumo, inter Theram & Therasiam nova emersit insula; ita è conflictu Imperatoris & Papæ portentoso, novus in Italia Ecclesiæ dominatus surrexit.

Diac. lib. 21.

Nec mirum exarsisse sævitiam Leoni, cum suos etiam Byzantii imaginum demolitores è furente turba occidi persentiscret, ipsamque ob id urbem ab Agalliano & Stephano ducibus bello quati: quorum seditiosa classis, Græco igni combusta interiit, sicut è Saracenorum gente horrenda adversus Nicæam Bithyniæ evanuit expeditio, qui prostrata licet muri parte, urbem tamen invito labore oppugnarunt. Ad eundum ferè modum Pelagius, regiæ Gothorum stirpis in Hispania, cum filiæ suæ vim illatam didicisset, collecta popularium manu Asturiæ montes occupat, ac reliquiarum suæ gentis libertatem, masculè adversus Saracenos tutatus, novum inibi regnum condit, sicut & Garsias Gentilis ejus in Cantabria.

Vasæus.

Blanckard.

Hinc Eudonis Aquitaniæ Ducis accitu, infusi in Galliam Barbari, ad Caroli Martelli vires infringendas, Abdirama duce Garundam capiunt & Burdegalam. Carolus contra Longobardorum & Germanorum succinctus auxiliis, ipsum ducem prælio interimit, Eudone, ut jam facti pœnitentia tacto, castra Saracenorum invadente. Trecenta septuaginta quinque Saracenorum millia cecidisse, narrant Anastasius, Sigebertus, Annales Fuldenses, & scriptores ejus ævi similes; cum Francorum mille tantum & quingenti desiderarentur.

Paulus Warnef. 6. Long. cap. 46. Fredeg. cap. 108.

Sigebert. Gembl. Annal. Fuld.

Tanta ergo Victoria insignem Carolum, legatione adit Papa Gregorius, ut Romanam urbem Ecclesiamque imaginum patrocinio laborantem sublevet. Veneti & Pentapolitani subnixi Papæ autoritate, exuunt se Leonis obedientiâ, deque alio eligendo Imperatore consultant. Exhilaratum Campaniæ ducem adorti occidunt, cum filio, mox etiam Exarchum ipsum Paulum Patricium. Ei suffectus Eutychius notatur Romæ anathemate. Romani sanctissimis se jurisjurandi vinculis adstringunt, nunquam se passuros, ut Gregorio, imaginum defensori, vis ab Imperatore ulla afferatur.

Anast. in Greg. 2. Cedren. in Synopsi Hist.

Contra Exarchus cum Luitprando paciscitur, ut Rex Spoletanum Beneven-

tanumque ducatum; Exarchus Romam, imperio palam rebellantem, subigat. Sed ducibus in Luitprandi venientibus fidem, Gregorius Oratione mitigavit Regem Luitprandum, ejusque interventu resarta & cum Exarcho pax est, & Tiberius jam regni invasor bello peremptus.

Polyd. Virg. Inter hæc accrescunt vires Pontifici. Inas Westsaxonum in Anglia Rex, vectigales ditiones suas Romanæ Ecclesiæ fecit, jussa quaque domo denarium pendere S. Petro, ut loquebantur, annuum. Luitprandus Longobardorum Rex, Alpium antedictam donationem renovat.

Quîs rebus clarior Gregorius, cum Leo Imperator Germanum Patriarcham alioque Episcopos morosius sibi obluctantes, sedibus expulisset, Anastasium Germano substitutum, advocata Synodo damnat, acriusque instans, ut Leo mutet sententiam de imaginibus, decedit vita, anno Pontificatus XVI.

Vunofridi Angli, qui & Bonifacius, in Germaniam ablegatione clarus hic Pontifex, per quem apud Cattos, Frisios, alioque Rheni accolas, propagatus Christianismus.

Anastas. in Greg. 3. Successit Gregorius III. flagrantissimo in imaginum venerationem zelo, adeò ut Leo classem dirigeret in Italiam ad compescendos Pontificis ausus; qua disjecta tempestatibus, Papa acto concilio excommunicavit omnes imaginum oppugnatores, eoque in Deum & magistratum impietate, seipsum exemit è filiorum Dei cœtu, quicquid posteriorum temporum scriptores monachi, Paulus Diaconus, Sigebertus, Zonaras, Cedrenus, ac fidus Pontificum Satelles Anastasius, pluresque alii, poculo Romanæ Babylonis dementati, pro imaginum cultu differant. Leo rectius è divinis informatus literis, idololatricam statuarum adorationem, & Sanctorum ambiendas, ut fingebant, precibus intercessiones, cum superstitioso reliquiarum cultu, quibus insanire cœperat orbis Christianus, constanti animo damnavit, susque deque habens, quæ de majorum quorundam institutis denarrabant impoliti nugarum patroni. Nec laudaverim tamen sævitiam, nisi atrocioribus fortè accensam facinoribus, ut quod Oecumenicum, quem vocabant, magistrum, qui bibliothecæ præerat Byzantinæ, cum XII collegis, ob improbatam imaginum demolitionem, incendio puniviſſe dicitur, alioque aliis affeciſſe pœnis conquisitissimis. Sed hæc eo quis zelo gesta dixerit, quod David quondam Ammonitas. Idololatras simul & magistratuum contemptores, caminis exussit, non sine laude, ardentibus.

At Gregorius spiritu percitus erroris, Romam Italiamque, quantum in se erat, abscidit à Græco imperio, initoque cum Francis in Luitprandum Longobardum fœdere, quod is ob receptum defensumque Thrasamundum, Romana circumsideret mœnia, obtinuit à Carolo Martello, ut pro sua apud Luitprandum autoritate & amicitia perficeret, ne gravius quid ab ipso Romani paterentur.

At Leo Imperator postquam suos detineri census vidit ab eo, qui Christi, censum reddere jubentis Cæsari Ethnico, vicarium se venditabat, Ecclesiæ Romanæ per Siciliam Calabriamque proventus suo addixit fisco, impeditusque crebris Saracenorum incursionibus, qui Cæsareâ Cappadociæ & castris quibusdam captis, ad ipsos Turcarum fines excurrebant, ulcisci defectionem non potuit. *Paulus Diac. lib. 21.*

Sub hæc *Gregorius* III vibrato in Imperatorem anathemate, *moritur*, atque ad tribunal vocatus Dei, dispensationis suæ poscitur rationes. Quem non multo post *secutus Leo*, præcedente mortem ejus terræ motu maximo, quo Constantinopolitani muri, Nicæa, Nicomedia, multæque urbes aliæ gravibus prostratæ sunt ruinis. Imperaverat annis XXIV & mensibus duobus, nisi imagines destruxisset, multo benigniores imperii sui *Cedren. & Diac.* A. M. 4711. *Chr.* 741.

Sex annis ante Leonem.

sui scriptores habiturus. Sub eo *decessit Beda*, Epitaphio ei à Discipulo conscripto *venerabilis* dictus, ad numeros versiculi implendos. *Joannes Damascenus*, vir cætera doctissimus, suscepto & ipse imaginum patrocinio, infensum expertus Imperatorem, inter Saracenos fuisit.

Constantinus V. Copronymus.

Anno eodem Leonis. Paulus Diac. lib.22. Miscel. Zonar. Tom.3. Cedren. Anast. Zach. Sigebert. Gembl.

Constantinus V. Leonis Iconomachi filius, sacrum fontem fœdasse fertur ventris onere, cum infantulus adhuc baptizaretur, unde ei *Copronymi* cognomen, ut & ex Caballinarum æstimatione sordium Caballini.

Imperii fideique paternæ jam inde à teneris particeps, ob imaginum detestationem plerorumque subditorum odia incurrit & diras. Unde dum abest in bello Saracenico, Artavasdus Curopalates, sororis ejus maritus, annitente simul Anastasio Patriarcha, & Constantino imputante Nestorianismum, restituit per regiam urbem imagines, atque imperium sibi sumsit, vanissimo vulgi favore intumescens. Hinc intestinum inter affines bellum, multo cum Reipubl. damno, tertium in annum terra marique gestum, quo victor haud sine expresso Dei favore Constantinus, capit Artavasdi filium & primores, fame capit urbem, excœcatumque cum duobus filiis tyrannum exponit ludibrio, quemadmodum & Anastasium Patriarcham. Hunc enim verso ad asini caudam capite, ignominiose per urbem circumduxit: Sed pœnitentem facinoris postea, Ecclesiam regere iterum sacrisque operari passus est.

Fredegarii Chron. Regino lib.2. initio.

Interim in Francia, Carolus Martellus, cum debellatis Saracenis, Saxonibus, Frisonibus, Gothis, per XXVII annos regiâ vixisset potestate, regibus Francorum domi ferè abditis, Pipino & Carolomanno hæreditarium reliquit regimen Galliarum, magnæque partis Germaniæ. Illi Saxones Thuringiam vastantes communi reprimunt marte, donec superstitione captus Carolomannus pro regno habitum sumsit monachi, atque Cassinense Cœnobium, recens à Petronacte quodam studiose instauratum ingressus, abjectissimam fortunam subiit.

Anno imperii quinto Constantinus, dum Saraceni domesticis flagrant dissidiis, Syriam pervasit Assyriamque & Germanicia potitus urbe rem Christianam restituit. Traduxit & in urbem Bulgaros, Augustæ cognatos, quæ cum Cagani esset filia, sacris imbuta Christianis Irenes nomen tulerat. *Diac. lib.22.*

Sed felicitatem Principis maculavit infelix de imaginibus disceptatio. Earum enim venerationem gentilismi dicebat errorem redolere, intercessionem Sanctorum ficulneum appellabat præsidium, reliquias, quæ dicebantur Sanctorum, ad cultum prostantes vulgi, partim terra obruebat, partim demergebat mari, vel igni curabat exuri. Hinc acerrimum adversus illum odium, Pontificum præsertim Romanorum, & monachorum rudium, superstitiones quaslibet mordicus retinentium, quos proinde cogebat aut civilem amplecti vitam, relictoque impuro cœlibatu matrimonio se applicare, aut plagis affectos in Cyprum jubebat deportari insulam, quam à Saracenis invasam egregiè defenderat.

Sextum ejus septimumque annum insignes reddidit pestilentia atrox, quæ Calabriam, Siciliam, Græciam, Thraciamque pervagata, tantam induxit Constantinopoli solitudinem, ut cadaveribus vespillones deessent, catervatimque jumentis deposita exportarentur urbe humanda. Quod Dei flagellum præcesserant tenebræ insolentes, quæ mensis Augusti dies penè decem ad stuporem mortalium obscurabant, ostentum simile caligini illi, *qua relicto Deo vivo, lignis & lapidibus stupidus se orbis incurvabat.* Secutus est terræ motus in Syriâ, quo urbes nonnullæ è montibus præcipitatæ in valles, quædam ad sextum lapidem transpositæ, quædam ipso in jactu conservatæ incolu- *Cedren.* *Cedren. & Sigeb. ann.753.*

columes, incredibilem fecerunt mortalibus admirationem potentiæ cœlestis.

Warnef. Diac. Long. l.6.c.53.

Præerat tunc, post Luitprandum Longobardis Ratechisus, oblitusque pacis vicennalis, quam juramento firmarat Pontifici Zachariæ, Perusiam obsidebat. Ad eum in castra profectus Papa, muneribus eum delinivit, blandaque deinde oratione adeo perculit animum regium, ut violatam jurisjurandi religionem conaretur monasticâ eluere pœnitentiâ, depositisque insignibus, cum filiis & uxore cœnobium intraret, Clericorum adscriptus ordini. Diversa incedens via Aistulphus Ratechisi germanus & successor, expugnatâ Ravennâ, totum Exarchatum in suam redegit ditionem, Eutychio Exarcho Byzantium fugato, cum illustris hic principatus in Italia viguisset annis CLXXXII. Inde ademtis Pontifici, quas ille ad jura D. Petri pertinere dicebat, civitatibus, nullis eas precibus ut redderet, movebatur. Quare accensus Papa Stephanus, is qui plumbo primus tabulas obsignavit suas, & humeris bajulorum portari in Lateranum voluit, ad Francias confugit opes, easque ex memoria beneficii, nuper à Zacharia in Pipinum collati impetravit.

Anast. in Zacharia.

Polydorus Virgilius.

Etenim Pipinus, altero fratrum Carolomanno monasticen amplexo, altero Gryphone, post varias molitiones trucidato, cum regnum concupisceret Francorum, Zachariam Pontificem per legatos consuluerat, *deceretne frui regno eum, qui stupidus & ignavus nihil commodaret Reipubl. an eum potius, qui quotidie pro ea domi militiæque pervigilaret.* Zacharias mentis Pipini gnarus, Chilpericum Regem, ut rebus gerendis inutilem, privari sceptro, Pipinumque inungi Regem jusserat. Id præstitit Bonifacius, recens Moguntinorum Archiepiscopus; Chilpericus Merovæi stirpis postremus, pro regio paludamento monachi sumere cucullam coactus est. Ita rerum potitus *Pipinus*, ac jam de filiis Carolo & Carolomanno ad consortium successionemque evehendis regni cogitans, facilè assensum præbuit Stephano, A. M. 4720. Chr. 750. per omnia sacra oranti, D. Petro ut suppetias ferret. Transgressus cum exercitu Alpes, Exarchatum & Pentapolin bello extorquet Aistulpho, quodque id ad animæ salutem, & peccatorum remissionem valiturum sibi persuasisset, Ravennam, Bononiam, Imolam, Faventiam, Ferrariam; & in Pentapoli, Ariminum, Pisaurum, Anconam, Auximum, Urbinum, id est, provincias, quas hodiè vocamus Romandiolam & Marcam Anconitanam, Æmiliam olim, Flaminiam & Picenum, hæreditarias assignat Romanæ Ecclesiæ.

Eginhartus in vita Caroli M 4. in Chron. Fredig. Scholast. Adelmus in Annal. Francorum. Regino lib.2. Marianus Scotus lib.2. Sigebert. Gembl. Chron. Belg. Anast. in Stephan. III.

Sed Pipino in Gallias regresso, Aistulphus pœnitens transactionis, denuò circumdat Romam exercitibus, vicinaque omnia ferro ac flammis vastat. Quamobrem imploratâ à Pontifice iterum Pipini ope, coactus à Pipino Aistulphus tertiam thesaurorum partem & stipendium dare Francis, paulo post in venatione projecti sui equi interiit. Pipinus cum Guajofarium Aquitaniæ ducem, ob jura Ecclesiis denegata, longo fregisset bello, eo tandem à suis interfecto, universam adjecit regno Aquitaniam. Constantinus Imperator missis muneribus, inter quæ fuit & organum, amicitiam expetiit Pipini, & Exarchatus Ravennatis restitutionem, sed frustra; quod eas regiones Divo Petro acquisitas donatasque diceret. Sic vita decessit Pipinus Parisiis, datâ Austrasiâ Carolo, alterique filiorum Carolomanno Burgundiâ & Alemanniâ, Aquitania verò divisa utrisque, anno Christi D CC LXVIII. Saltzburgi, Ratisponæ, Aichstati & Frisingæ fundavit Episcopatus, cum Burchardus Herbipolensi Ecclesiæ, Cœnobio Fuldensi Bonifacius initium darent.

Frendegari Chron. Annal. Franc. Adel. ope. Anno 756. 757. & seq. Regino lib.2.

Compilatio Chron.

Cæterum exstincto Aistulpho, Ratechisus repetere regnum cœperat Longobardicum, despectui habens Desiderium, qui ex Thusciæ rectore ad fastigium regni assurgebat. Sed eum Papa Stephanus isto consilio depulit, confirmatisque Desiderii partibus, Faventiam ab eo Ferra-

Tudensis & Vasæus.

Ferrariamque recepit. Sic immensis aucta divitiis Ecclesia Romana, moritur successore Paulo fratre suo, eodem anno quo Alphonsus, qui Catholicum nomen sumserat in Hispania Frojolæ filio reliquit regnum, qui Juzaphum Saracenorum principem in Gallæciæ finibus insigni prælio fudit, à quo tempore Hispania Miramolino Babylonio vectigalis esse desiit, quod Abderamen, pulso Juzapho, Cordubæ se regem scriberet. Etenim Saraceni dudum in factiones distracti, partiti erant dominatum, Abubales Persiam, Salimus Ægyptum, Syriam Habdallas occupaverat. Sed Habdallas, peremptis æmulis, potitus imperio Saracenico annis xxi, Christianis auxit tributorum onera, templorum pretiosa Judæis concessit emenda, Antiochenis tamen permissa iterum Patriarcham legendi potestate. Persarum Magos aliquod incantamentorum fiducia volare conatos, cum decidissent in terram, sustulit è medio, præcipuosque ejus delirii magistros xvi affecit suppliciis.

Paulus Diac. lib. 22.

Diac. Zonar. Cedren. Sigebert.

Interea Constantinus Imperator acta Byzantii Synodo cccxxxviii Episcoporum, Theodosio Ephesio & Pastilla Pergano præsidentibus, damnat imaginum cultum, eique superstitioni inhærentes Ecclesia ejicit, inter quos fuêre Georgius Cyprius, Johannes Damascenus, aliique doctores non pauci. Id Concilium septimum Oecumenicum appellavit Imperator, reclamante Papa, & secundum prædecessorum vias Iconolatriam pertinaciter asserente. At nihili autoritatem faciens Pontificis Constantinus, perstitit in demolitione statuarum, reliquiarum, & quæ alia divinis tabulis dissona irrepserant Ecclesiam. Templum Euphemiæ martyris multa hactenus religione cultum profanavit, loculumque in quo servari putabantur ossa odorifera, projecit in pelagus, quæ ad Lemnum appulsa Insulam, nocturno, ut putabatur, Euphemiæ monitu suscepta iterum, & postea relata Chalcedonem sunt, Irene jam imperante. Etenim *mortuorum apparitionibus & oraculis indigebant sacra ista, divinis monumentis improbata, queis mortuos audire prohibemur.*

Constantinus vero indies irritatior, Stephanum Monachum, quod multos ad vitam allectaret solitariam, docerentque contemnere regias dignitates, protractum è claustris affecit supplicio, atque adegit jurejurando subditos, *ne quisquam domi aut publicè, imaginem haberet venerationi.* Nec paucos illustrium capite punivit aut exilio, quod consilia agitasse seditionis, cumque Stephano clam congressi dicerentur. Mox & Constantino Patriarchæ, qui Anastasio successerat, imputata sunt cum principibus relegatis clandestina commercia, ob quæ in exilium, ac tandem probrosam in mortem actus est. Atque eo processit atrocitatis ferale dissidium, ut si quis familiari in sermone exclamasset, *Dei genitrix adjuva,* aut noctu advigilasset mortuorum cœmiteriis, pro Imperatoris perduelle notaretur ignominia.

Vigilantiam tuendo imperio non exiguam adhibuit Constantinus. Animadversus enim Saracenorum dissidiis, Theodosiopolin & Mitylenen, Armeniorum oppida cepit, multosque è Syris & Armeniis traduxit Constantinopolin, ut vacuefactæ per contagia urbi frequentiam redderet civium. Anno imperii vicesimo secundo, occasione arrepta è Bulgarorum discordiis, qui principes suos per seditionem interfecerant, Zeletinem novum eorum regem prælio devicit memorabili, qui eam ob cladem necatus à suis, successorem habuit Sabinum, mox propter ambitam pacem regno pulsum à popularibus.

Secutæ Turcarum eruptiones è portis Caspiis, qui Armeniâ persultatâ, inde & Iberiâ, præda graves reverterunt domum. Is motus incidit in annos ejus seculi sexagesimum tertium & quartum, queîs tanta memoratur hyemis sævitia, ut Euxinus Pontus glacie stringeretur triginta pedes alta, perviumque esset mare pedibus ad centum milliaria, imo omnes

Paulus Diac. Misc. 22.

Anno 763. 764.

omnes à Lycia usque ad Danubium, & rursus ad Euphratem usque regiones, interveniente gelu tanquam vinculo sociarentur. Excepit hyemem æstas siccissima, ut fontes arescerent. Fragmenta glaciei, ad instar montium, muros quarundam pulsarunt urbium subverteruntque. Visæ & stellæ delabi cœlo, inductæque cogitationes mortalibus, adesse finem hujus universi, scriptor Miscellarum oculatum se harum rerum testem nominat. *Hist. Misc.*

Cæterum Imperator, cum novis expeditionibus, pacem petere Bulgaros adegisset, eamque immissis inopinato in Romanos copiis violare decrevisset Telerichus, gentis ejus princeps, per aliquos procerum vulgatis sibi arcanis, locavit oportunis locis insidias, ac prædones intercepit, incruenta planè victoria. Telerichus emanasse secreta contemplatus, astuto id agit consilio, ut in proditoribus ulciscì acceptam cladem queat. Fingit se in fidem venturum Constantini, habere quæ secreto cum illo colloquatur, petit describi eorum sibi nomina, quos dignos familiariori congressu, exploratæque fidei inter Bulgaros judicet Cæsar. Ita nominatos ab eo per imprudentiam amicos, Telerichus jugulat, quod per eosdem comperisse Cæsarem arcana suspicabatur. Ob eam Barbari fraudem renovata expeditione in Bulgaros, ardenti corripitur febre *Constantinus*, vivumque se velut in ignem mitti questus, *consumitur* actis in imperio annis XXXIV, mensibus III. Pessime audit apud scriptores ob reprobationem imaginum, persecutor Ecclesiæ, Diocletianus, Dæmonum socius, hostis Sanctorum proclamatur, sed ab iis, qui operibus humanarum manuum colendis addicti, *imperitorum more, nisi quod ipsi faciunt, nihil rectum putant.* Uxores duxit tres. E prima Irene Bulgarica suscepit Leonem, cui uxorem dedit Irenem Atticam, quæ avum eum fecit procreato nepote Constantino, cum annum ageret imperii tricesimum. A. M. 4745. Chr. 775.

Quo mense exstinctus est Constantinus, periit & Habdallas princeps Arabum, eodemque anno Adalgisus, Longobardorum Regis Desiderii filius, ad Imperatorem venit profugus, Carolo Magno paternas ejus ditiones armis invadente. *Diac. lib. 22.*

Eam Longobardico regno, quod annis CCVI duraverat, perniciem conciverunt Pontifices Romani, Stephanus III & Adrianus I. *Anast. in Stephano & Adriano.*

Stephanus Constantino surrogatus, fratri ducis Nepesini, adhuc superstiti contracta Synodo perfecerat, ut excœcatus Constantinus, quod per vim creatus videretur, ignis periret supplicio: Inde obstitit vehementer, ne Carolomannus, frater Caroli Regis Franciæ, Desiderii filiam matrimonio sibi jungeret, clamans fœtidam esse Longobardorum gentem, perjuram, horridam, leprosam; effectumque dedit criminatione, ut Carolus viduam fratris paulò post defuncti, cum filia remitteret ad Desiderium genitorem. *Reg. l. 2. Marianus Scot. l. 3.*

Mortuo post triennium Papatus Stephano, suffectus ei Hadrianus acrius exarsit in Desiderium, jam universa, à Pipino donata Ecclesiæ Romanæ, infestis armis repetentem, eique viribus impar, sueta decessoribus via, Caroli implorat opem, qui dimissa nuper filia Desiderii Bertha, ductaque pro ea uxore alia, Hildegarde Sueva, alieniori à Longobardis animo apparebat. Carolus, cum neque deprecationibus neque donis flectere valeret Desiderium, transgreditur Alpes armatus, ac Longobardos cum rege suo in fugam propellit, Ticino inclusos obsidet. Adelgiso interim Constantinopolin migrante, Romam pergit, Apostolorum, ut loquebantur, limina visurus. Fatigatum deinde diuturna obsidione Desiderium, seque & sua dedentem, misit cum uxore in Galliam, Italiaque universa potitur dempta Neapoli, & cæteris, quæ Siciliam spectant provinciis. Exarchatum & Pentapolin reddit Hadriano, coactaque Romæ Syno- *Paulus Warnef. Long. 6. cap. 61.* *Dist. 63. C. Hadr. Sigebert. Gembl. 773. 774.*

Synodo Patricius, (quam dignitatem largiri Augustæ erat potestatis) creatur, ac jus ei tribuitur Episcopos investiendi, addita lege, *ne quis nisi à rege Carolo laudatus probatusque accipiat Episcopatum.* Ita completur annus Domini septingentesimus & septuagesimus quintus. Biennio ante bellum Italicum, cum Saxonibus, dæmonum adhuc cultui addictis, præliari cœperant Franci, populo naturâ feroci ac retinentissimo moris patrii, qui XXXIII annos continuos Caroli arma mirabili pertinacia exercuit.

Eginhard. vita Caroli.

LEO IV. PORPHYROGENNETUS.

Anno eodem. Paulus Diac. lib. 23. Zonar. Tom. Cedren. Synopsi.

LEO IV. quod puerulus purpuram induisset, consors factus imperii, sicut & pater, *Porphyrogenneti* cognomen tulit. Ac post obitum Constantini solus tenuit gubernacula, avitæ hæres mentis & sententiæ. Initio statim regiminis eam de se præbuit opinionem, ut proceres filium ejus Constantinum, Irene genitum matre, postularent ad participationem provehi dominatus. Sed Leo haud ignarus instabilitatis & perfidiæ mortalium, non est suffragatus, nisi jurati promitterent Senatores, & populus, se nulli præterquam Constantino & semini ejus parituros. Quod cum fecissent, Constantinus puer Imperator pronunciatus est. Et mox apparuit, *nullius vinculis religionis compesci perfidiosos posse.* Compertum enim, Nicephoro quosdam autores esse capessendæ tyrannidis, fratri Leonis. Quos Imperator rebellionis convictos multavit exilio, itemque Nicephorum fratrem. Alterno anno Telerichus à Bulgaris suis regno ejectus *quod finxerat quondam se facturum, fecit revera*, atque in fidem venit Leonis, cujus hortatu baptizatus consobrinam Irenes Augustæ accepit uxorem, patriciique honore insignitus est. Secutum deinde à Saracenis bellum, quod Ithumas Madys Principis Legatus excitavit in Syria. Id strenue repulit Leo, quinque Saracenorum Amiras & sex Arabum millia prælio occidit, Syros Jacobitas magno numero transtulit in Thraciam. Accensos verò dolore Mahumetanos, & Dorylæum usque persultantes Asiam, subtracto undique commeatu & in urbes convecto munitas, coëgit re infecta retrocedere, Madye interim in Christianos suæ ditionis, contra datam fidem sæviente, è quibus aliqui Martyres effecti, sanguine obsignarunt divinam veritatem.

Sub hæc *Carolus* à rebus gestis *Magnus* dictus posteris, ductis in Saxones copiis, Ostphalos, Angarios, Hessos se dedentes, in fidem recepit & clientelam, reliquis intulit clades multas, ac dedit vicissim. Tandem etiam Westphali datis obsidibus, imperata se promittunt facturos. Sed comperto, Regem ad Rodgaudi Longobardi comprimendam rebellionem in Italiam rediisse, expugnant Ereburgum ad Lippam fl. castrum: Sigeburgum obsidione claudunt, vano recipiendæ libertatis flatu turgentes. Nam mox Carolus, recepta Longobardia, suo eos reditu ad baptismum adegit, Witekindo rege ad Sigfridum Danorum (qui & Normanni) principem, socerum suum confugiente. Qui fortem Carolo operam navassent in subigendis Saxonibus, eos nobiles creavit, ac de publico sanxit alendos.

Eginhard. in vita Caroli. Regino lib. 2. Herm. Contract. Chron. Sigebert. Gembl. Chron. Belgic. Adel. in Annal. Anno 777. 778.

Militari viro nunquam defuit bellandi materia. Nam dum Paderbornæ moratur, venit Ibnalarabas Saracenorum regulus in Hispania, ac pollicitus Christianismum, se suaque dedit, si armis Caroli principatum recipiat. Reducitur ergo, capta Pampilone. At prosperam cum infidelibus pugnam infaustus obnubilavit reditus Caroli, cujus exercitus in jugis Pyrenæi saltus à Vasconibus, peritia nitentibus locorum, fœdè cæsus est: Eginhardus, Anshelmus, Rolandus & alii insigniores ducum occubuerunt. Saxones, Witikindo duce, resumpta audacia, procursarunt ad Rhenum usque, obvia quæque ferro & flamma prosternentes.

Annal. Francor. 778.

nentes. Sed Alemannorum repulsi virtute, denuo fidem jurant Carolo, oblata mox rursus occasione rumpendam. Nam crebris vicinarum gentium motibus incitati, ac jugi impatientia extranei, annuas penè Francis expeditiones fecerunt, subnixi Danorum imprimis & Vandalorum auxiliis, quorum & in finibus non pauci eorum consedêre. Carolus destructis passim Idolis, interque ea Crodone, quem Hardesburgi colebant Saxones, Mindensis, Paderbornensis, Osnabrugensis Episcopatus jecit fundamenta. Wittikindus tandem Attiniaci baptizatus est, anno DCCLXXXV. Dum ille Saxonum delet Idola, Leo similiter mysticam ratus Idololatriam, quam sacrarum imaginum venerationem dicebant imperiti, eam in aulicis, ipsaque Irene conjuge damnavit. Theophanem & alios ejus superstitionis propugnatores, affecit pœnis. Sed post annos v Imperii præmatura *abreptus morte*, impuberem filium reliquit successorem. Mors ejus superbiæ adscribitur, quod coronam è templo Sophiæ insignem gemmis applicuisset capiti, qua gestata febri correptus, enatisque in capite carbunculis, decessisse fertur. *Paulus Diaconus* Aquilegiensis & *Alcuinus* Anglus hoc tempore pro eruditis habiti.

Diac. Sigebert.

A. M. 4750. *Chr.* 780.

IRENE, CONSTANTINUS VI. Porphyrogenitus, Nicephorus, Byzantini: CAROLUS MAGNUS Romanus Imper.

Anno eodem. 7. Id. Sept. Indict. quarta. Misc. l. 5. Zonar. Tom. 3. Cedrenus. Regino lib. 2.

IRene Augusta cum filio *Constantino* potita rerum, prout testamento erat cautum Leonis, varia fortuna gessit imperium, & calliditatis impotentiæque muliebris specimen præbuit populis. Imaginum cultui dedita superstite adhuc marito, clam habuit superstitionem suam, quam defuncto ipso prodidit in vulgus, eoque facto rudis plebeculæ & patronorum superstitionis laudes promeruit. Cæterum insidias passa à fratribus Imperatoris demortui, fautores eorum exilio, ipsos multavit dignitatibus; ac pro clericis rasos fungi sacris jussit. Mox ut filio adstrueret potentiam nuptiis, Rotildam Caroli Magni filiam ei curavit desponsari, misitque Elisæum Eunuchum, à quo virgo regia Græcas literas moresque doceretur. Interim Elpidium Siciliæ Prætorem, Nicephoro favéntem Constantini patruo, crebris fregit præliis, atque in Africam ad Saracenos confugere adegit: à quibus cum metueret sibi, relicta eis Africa, pacem pepigit. Aaroni autem Saracenorum principi impar, tributarium reddidit imperium, primamque ei imposuit labem, *fructum corruptæ per imaginum vanitatem religionis.*

Tertio anno corruptior Pauli Patriarchæ ineptiis, qui pœnitens iconomachiæ, subitaneus ex Episcopo monachus evaserat, successoris ejus Tarasii cura concilium fieri imperat apud Nicæam Bithyniæ, quòd septimum appellarunt Oecumenicum, ab Adriani quoque Papæ concelebratum nunciis. Ibi quæ à tribus Augustis, Leone Isauro ejusque filio ac nepote, circa imagines decreta fuerant, & præcedentium Synodorum roborata autoritate, omnia sunt abolita, & veneratio imaginum postliminiò reducta in Ecclesiam. Sed prius arte quadam muliebri exarmati erant, & relegati ab urbe, qui præcedentium Imperatorum sententiam tuebantur. Hi enim cum anno sexto disturbassent Synodum, Irene, simulata expeditione in Saracenos, ac demisso Episcoporum cœtu, arma ab eis reposcit, quæ partita inter suæ factionis milites, facilè instauravit Synodum, anno imperii VIII. firmavitque autoritate publica, quæ patribus Iconolatris probabantur. Quo patrato facinore, addidit aliud mulier Deo hominibusque fœdifraga. Etenim matrimonium Constantini cum Rotilda, à seipsa inchoatum, temerario ausu dissolvit, Mariam quandam Armeniam filio jungens invito, atque

ut

ut ægrè Carolo faceret, Adalgiſum Deſiderii filium, adjunctis copiarum ductoribus, ablegans in Longobardiam, turbas ibi daturum novas, ſed comprehenſus à Francis Adalgiſus, amara luit morte mulieris intemperiem.

Anno Imperii decimo *Conſtantinus*, animadverſo matris conſilio, pro arbitrio agentis omnia, ac per Stauratium Patricium exercentem ſceptrum, ſe, qui legitimus poteſtatis hæres eſſet, excluſo, arripere imperium cogitat. Carolus Magnus eodem tempore devictis iterum Saxonibus, magnoque numero tranſlatis in Flandriam & Brabantiam, pulſis itidem Slavis & Vinidis, Magdeburgum populantibus, Thaſſilonem Bajoariæ Ducem Luitbergæ conjugis ſuaſu renovantem rebellionem, ut Soceri ſui Deſiderii cladem ulciſceretur, capit bello; atque majeſtatis damnatum, in monaſterium miſit cum ſuis. Ibi tam religioſè vixit Thaſſilo, quam libenter illud vitæ genus erat amplexus. Acceſſio ejus belli fuit Hunnorum Avarumque, id eſt, Hungarorum irruptio in Germaniam, quos Thaſſilo adſciverat ſocios, qui & ipſi Caroli viribus ſuccubuerunt.

Miſc. lib. 23. Zonar. Tom. 3. Cedren.

In Oriente Irene, perſuaſa fato ſibi deberi non filio imperium, comprehendit amicos ejus omnes, eoſque affectos plagis aut contumeliis in Siciliam vel aliorſum relegat. Filium jam vigeſimum agentem annum, verberibus excipit, ac domi tenet, legiones adigit ſacramento, ne ſe viva, Conſtantino ſint dicto audientes. Verum Armeniaci exercitus, quum conſtanter adhæreſcerent Conſtantino, traxerunt exemplo reliquos, ut violata juris jurandi religione redirent ad filii obſequium; qui ſepoſito Stauratio per ſe egit poteſtatem, ac Matrem Eleutheriano in palatio, quod ipſa conſtruxerat, regaliter haberi juſſit, alteroque anno cum tentaſſet Bulgaricam expeditionem, & Arabicam, reſtituit dignitati. Irene admota iterum gubernaculis, id egit omni modo, ut filium ſuppliciis cognatorum & familiarium, ac divortio uxoris Mariæ, inviſum redderet ſubditis. Quibus rebus occaſionem ſuppeditavit infelix in Bulgariam expeditio, ubi inferior prælio Imperator, Optimatum jacturam fecit grandem, quam ſecutæ ſuſpiciones de Nicephoro, Chriſtophoro & Niceta patruis, quibus velut affectatæ tyrannidis reis oculos eruit inſtinctu matris, eaque atrocitate vehementer Armenios offendit, deinde abdicata conjuge, tanquam veneno ejus eſſet petitus, ac profugatis Saracenis elatior, Theodatem è gynæceo virginem creat Auguſtam, frementibus monachis, ac anathemate dicentibus notandum bigamum. Sed eos in exilium expulit Conſtantinus, ſuffragante etiam tum matre Deinde iterum in Bulgaros profectus, inſolenter efflagitantes tributum, ut comperit, natum ſibi filium, propere contendit in urbem, relicta apud exercitum Irene. Quæ filii abſentiam occaſionem rata ſuam, corruptis auro, aut delinitis blandimento muliebri, Ductoribus perſuadet, ut ſibi reddant poteſtatem, uſa fideli ad id opera Stauratii, aliorumque amicorum veterum. Illi avocatum ab Saracenico bello Imperatorem, dum comprehendere ſtudent, detecta fraude, in fugam propellunt. Ac parum aberat, ut ipſi inſidiatores concurſu interiiſſent populi Verum Imperatrix gnara eſſe apud filium conjurationis conſcios, ſcribit eis, niſi maturent factum, omnes ſuo indicio perituros. Quare ab eis reductus in urbem incautus Imperator, effoſſis crudeliter oculis excruciatur, quinto poſt anno eodemque die, quo patruis ille ſuis idem intulerat ſupplicium. Exinde *mors conſecuta* confeſtim eum exſtinxit, Irene filii ſanguine recuperatum ſolium denuo inſedit, ipſo ſole ſeptendecim dierum tenebris tam tetrum averſante ſcelus, anno ab incarnatione Filii Dei duodeoctingenteſimo. A. M. 4768. *Chriſti* 798.

Melius occiduas Imperii partes *Carolus* adminiſtrabat, qui Saxones Tranſalbinos, à quibus præſides ipſius erant tru- *Annal. Fuld. Regino lib. 2.*

Anno 794. Eginth. vita C.M. Annal. Franc. 794.

trucidati, & Slavos Aiſtoſque maris Balthici accolas, armis ultus; Hunnos etiam octenni bello ita contudit, ut exciſa eorum nobilitate, congeſtos ex longo tempore theſauros diriperet, Pannonia penè omni evacuatâ. Hinc ſepeliendis doctorum diſſidiis incubuit. Igitur convocata Francofurtum Synodo, pluſquam trecentorum Epiſcoporum, decernitur, *Chriſtum etiam ſecundum carnem dicendum non adoptivum, ſed verum Dei Filium*, quod Elipandus Toletanus & Felix Orgellitanus Epiſcopi Neſtorianiſmum reducerent, Chriſtumque hominem minori dicerent afficiendum honore quam Deum. Damnatur & imaginum veneratio tanquam impia ac divinis contraria legibus: Synodus Nicæna II tanquam ſpuria rejicitur.

Regino Anno 798. Adelmus in annal.

Alphonſus quoque Aſturum & Gallicorum in Hiſpania Rex, pertæſus tributi virginum, quod exigebant Saraceni, acri eos pugna ſuperat, Vlyſſibonam capit, multiſque hoſtium millibus cæſis, jugo Saracenorum eximit magnam partem Hiſpaniæ; inſignia victoriæ Carolo mittit, qui Saracenum quendam profugum eo tempore Barcinonem reduxerat.

Adelmus Annal.

Non minor penè Romæ ſub hæc, quam Byzantii extitit tumultus. Leo III Adriano Pontifici ſucceſſor datus, populum in Caroli verba adegerat, vexillo Romanæ urbis ad ipſum tranſmiſſo. Ob id & ob crimina, quæ ipſi objectabant

Zonar. Tom. 3.

æmuli, indigniſſimè habitus ab Adriani neceſſariis, oculorumque ſuorum privatione damnatus, miſeratione eorum, quibus demandatum erat ſupplicium, læſis tantum leviter oculis, aciem eorum retinuit incolumem, atque elapſus cuſtodia ad Carolum profugit in Germaniam, ejuſque autoritate & armis reductus Romam, recepit thronum, ringentibus fruſtra adverſariis. Irene interemptis mariti ſui patruis, ne reſpirare ad

Annal. Fuld.

imperium poſſent, legatos de pace mittit ad Carolum, qui benigne auditi, è captivitate recipiunt Siſimnium Taraſii fratrem, & novas cruentæ & inſidioſæ mulieri ſpes firmandarum opum afferunt. Nam imperii deinde ditiones cum Carolo partita, ut ipſa è Neapoli Siciliam verſus omnia retineret, reliqua Italiæ Carolo cederent. *Adelm.*

Anno igitur Chriſti octingenteſimo rerum maximarum & inſolentium exordia memorantur. *Regino lib. 2. Sigebert. Gembl. Suffrid. lib. 1. Epit. Eginh. in vita Caroli. Annal. Franc.*

Carolus Romam profectus, ut accitâ Synodo cognoſceret de criminibus intentatis Pontifici, *audit nefas eſſe, Papam Romanum à quoquam judicari*, ac proinde, cum nemo criminum probator eſſe vellet, permittit Leoni, ut jurejurando ſe purget, purgatumque in ſede relocat Pontificia.

Leo gratiam relaturus benefactori tanto, ac ponderans ſecum, quanto odio laboraret Irenes Auguſtæ infame ac cruentum imperium, Natalitiis Chriſti feriis *Carolum* in Divi Petri Baſilica ſolenniter *pronunciat Auguſtum*, corona ad id capiti ejus impoſitâ, acclamantibuſque Romanis: *Carolo Auguſto, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Unde mos inolevit, ut Imperatores Occidentis ab Romanis Pontificibus acciperent coronas, atque ex ea ſolennitate Auguſti in Italia haberentur, cum Romæ jam à multis annis, ex quo de imaginibus diſceptatum, perexigua aut nulla Græci Imperatoris reverentia eſſet. Pontifex Carolum Imperatorem, antiquorum more Principum, adoravit, memor quantum deberet illi Patrono ac Domino. Sed ſucceſſores ejus, vice verſa, Cæſares poſtmodum ad ſuorum detraxerunt pedum oſcula, ut ſuo tempore dicetur. Reipub. hanc mutationem, cum Epiſcopus corripuiſſe viſus Auguſtæ jura Majeſtatis, notavit graviſſimus terræmotus, ac dira peſtilentia, queîs totus Occidens laboravit. Carolus Siciliam ſibi ſubjicere cogitans, à legatis retinetur Irenes, pacemque ac nuptias præ bello amplectitur. *Annal. Fuld.* A. M. 4770. Chriſti 800.

Obierat enim præcedenti anno Luitgardis, tertia uxor Caroli, ideoque haut in-

inconsultum videbatur imperii utriusque opes connubio principum copulari. Irene satis ad id propensa, sed Aëtius Spado tanti negotium momenti dissipavit, cupiens per Irenæ nuptias, Leonem Thraciæ ac Macedoniæ ducem, fratrem suum, rerum potiri in Oriente, eaque spe inflatus cum Stauratio Patricio validas exercebat inimicitias; quo exstincto solutior illustriores quosque despectabat, quæ vis tandem ipsi & Augustæ vertit exitio.

Miscel. & Albericus in Chron. Belg.

Etenim ægrotante forte Irene, optimatum aliqui persuadent Legionibus, Augustam destinasse Imperio Nicephorum Logothetam, eumque velle ad fastigium evehi Reipubl. ut importunis Aëtii sollicitationibus liberetur. Extemplo milites, quod fidem virorum dignitati adhibendam ducerent, Nicephorum Imperatorem consalutant, inque ejus semet verba adigunt. Nicephorus obsepto custodibus palatio, Irenem cogit thesauros indicare absconditos, fatentem jam sero, peccatis se suis commeruisse hanc contumeliam. Sic dimota à gubernaculis mulier impia, *in Lesbium* denique relegatur insulam, ubi appositis excubitoribus tam arctè eam habuit Nicephorus, ut mœrore *contabescceret* misera, actis potentiæ annis XXIII.

Miscel. lib. 24. Zonaras Tom. 3. Cedren.

A. M. 4773. Chr. 803. 9. Augusti.

Nicephorus nihilo melius aut fortunatius administravit rem Græcorum, homo omnium receptaculum vitiorum, avaritia inexplebili, fallax, perfidus, qui nec iis pepercit, quorum opera Principatum acquisierat. Bardanem Patricium ab Orientalibus creatum Imperatorem, juratâ fide, se nihil ei incommodaturum, ad deponenda insignia pellexit, monachumque sponte factum, per subornatos à se Lycaones excœcavit, fingens se invito id factum, simulatisque lacrymis deplorans tanti casum ducis. Adscito inde ad consortium potestatis Stauratio filio, Saracenis occurrit apud Crasson Phrygiæ, ac certamine inferior amissis quam plurimis, ægrè effugit manus hostium. Sed dum Aaron Persam comMiscel. lib. 24. Sigebert. Gembl. Zonar. Tom. 3. Cedren.

ponit tumultuantem, munitur à Nicephoro Ancyra Galatiæ, aliaque oppida, ad hoc saltem utili consilio, ut ne insequenti anno omnia prosterneret Saracenus. Nec subterfugere tamen potuit dedecus ab Irene susceptum antea, ut Christiana in terris summa potestas tributo se obligaret Mahumetanis. Impar enim Aaroni, cum trecentis millibus percursanti Romaniam, trecenta ei millia numismatum obtulit annua, atque ut agnosceres servile Imperatoris caput, terna pro se filioque coactus pendere, addita lege, ne instauraret munitiones, ab Arabibus destructas. Sed mox Nicephorus solita levitate contempto fœdere, irritavit in Cyprum Saracenos, à quibus templa ejus Insulæ diruta, incolæ expulsi sunt. Tentata est & Rhodus, multo cum Insulanorum exitio: Sed urbs expugnari nequivit, classisque ipsa Arabum tempestatibus disjecta periit. Mox & Aaron ipse in Perside vita defungitur, succedente Mahumete ejus filio, qui agitatus fratris bello intestino, res Arabum & Christianorum illis in locis degentium vehementer afflixit, Ecclesias ac monasteria multa æquavit solo. Nicephorus interim Stauratio Cæsari sponsam delecturus, dum formarum virginearum spectatorem agit, duas sibi sumit stuprandas, præstantissimo puellas corpore: Filio Theophaniam quandam Atticam, Irenæ cognatam, jungit, sed avulsam ab alieno toro.

Miscel. lib. 24.

Delinitus deinde Caroli Magni legationibus, recepta Venetia, fœdus cum eo amicitiamque firmat, subditis ipse molestissimus novis iniquisque legibus; intolerandus præsertim tributo, Manichæorum insuper, qui Pauliciani vocabantur & Athingani, amicus & defensor. Admonitus à Theodosio patricio, quod omnibus execrationi esset, ac cæsibus ejus nemo ingemisceret. *Quid* inquit, *si Deus cor meum obduravit, ut olim Pharaonis? Tu noli exspectare à me alia, quam quæ vides hactenus.* Landulphus Sagax, qui Miscellas Diaconi pertexuit, ex Theodosii ore se id accepisse refert.

Regino Anno 810. Annal. Fuld.

refert. Voluit videri tantæ calliditatis Nicephorus, ut diceret, Imperatorem à nullo circumveniri posse, siquidem vigilanter principatum teneat.

Miscel. lib. 24. Zonar. Tom. 3. Cedren.

Tandem nono imperii annò ulturus damnum à Crunno illatum Bulgarorum rege, qui direptis stipendiis, à Nicephoro submissis exercitui, occupataque Sardicâ, multa Romanorum millia occiderat, nullis induci legibus potuit, ut pacem deprecanti Barbaro concederet. Itaque vastatis latè Bulgarorum agris, nocturna Crunni invasione capiuntur ejus castra, cæsisque, ut in re improvisa, copiis, suo in tabernaculo perimitur Imperator, ac malus malè interit. Caput ejus recisum ligno figi Crunnus, atque exponi ostentui curavit. Amissi procerum præcipui, cum armis omnique imperiali instrumento, Stauratius Cæsar in collo ictus, cum plurimum sui sanguinis amisisset, marcidus refugit Byzantium, ubi plerique Michaëlem Curopalatem, sororis ejus Procopiæ maritum destinabant imperio, filium Nicephori *ut mali corvi malum ovum perosi.* Michaël cum ob id insidiis se cognovisset appeti, *prævenire tutius quam præveniri æstimans* ab Affine, per Theoctistum & Stephanum, præcipuæ autoritatis viros, devinxit sibi milites noctu, ac postridie in Hippodromum vocato Senatu, Imperator salutatur, tertio mense postquam exstinctus erat bello Nicephorus. Stauratius audita acclamatione plebis, monachi sumpsit habitum, inque eo decessit post trimestre, fœtente admodum vulnere, quod à Bulgaris acceperat.

Michaël largitionibus, comparata benevolentia omnium ordinum, cum Carolo etiam & Leone Papa junxit amicitiam, petens Theophylacto filio suo uxorem de filiabus Caroli. Hinc in Bulgaros ductat copias exitu infelici. Barbari enim prævalentes Thraciam & Macedoniam deprædando, exegerunt Christianos è Berœa & Anchialo, vociferantibus multis, nec immerito, *ob imaginum stolidam venerationem præda esse gentibus orbem Christianum*, ac proinde Constantini Copronymi filios è Panormo reposcendos, ad imperium de Barbaris liberandum. Igitur eos Michaël, erutis oculis, exilii damnavit atrocioris: Neque impunè tulit. Nam Crunnus petita in hanc conditionem pace, ut veteres haberet Bulgariæ limites, ac fugitivos reciperet, cum minus adstipularetur Michaël, Mesembriam oppugnavit. Ea Arabis cujusdam Christiani, quem stipendio fraudârat Imperator, instrumentis potitus, immensum reperit variarum opum thesaurum. Mox & Michaëlem, inanimatarum defensorem imaginum, adeo ut Monacho cuidam ob erasam statuam, oculos eraderet, tanta perculit strage, ut arrepta ex desperatione fuga, spoliatusque exercitu, imperium cum monastico habitu commutaret, ac Leoni illud Armenio prudentius gerendum relinqueret. Theophylactus ejus filius, jam Imperator appellatus, exectis virilibus, cum matre Procopia & fratribus exilio vertit solum. Tam bellos se Iconolatræ Imperatores præbuêre. Tanti stetit populis, quod relicto Deo vivo, auro lignoque insipienter se incurvarent.

Miscel. sub fin. Adelm. in Annalib. Anno 813.

At Carolo propagandæ intento religioni, felicius provenit Occidentis imperium.

Erat illis temporibus haut parva Danorum, quos Normannos, septentrionales scilicet viros, appellitabant, potentia, sed majorum adhuc immersi tenebris Christianissimum detestabantur. Angliam aliquoties classe adorti, magnas ex ea prædas egerant. Horum Rex Godefridus graviter acceperat Caroli in Nordalbingos Saxones, nunc Holsatos, impressionem, atque educto exercitu morantem in eis Carolum statuebat opprimere. Sed procerum præpeditus consiliis, confinia Eidoræ munivit vallo, utriusque Oceani complexus littora, ut currus saltem aut bini equites per eam munitionem recipi ac emitti possent. Carolus desperato ulteriori progressu, castrum munivit ad Storam fl. haud procul à Crempa,

Regerius.

Adelmi Annal. Fuld. Reg. l. 2. Anno 804. 808.

Saxo Gramm. l. 8. Crempa, tranſlatiſque in Franciam Nordalbingiorum plurimis, pagos eorum Obotritis Vandalis conceſſit habitandos.

Biennio poſt Godefridus ducentis navibus advectus in Friſiam, victis prælio Friſonibus, tributum imperat; ne cum Carolo congrederetur, morte eſt præventus. Occiſo ei à Satellite quodam ſucceſſit Hemmingus, fratris ejus filius, eodem anno, quo Pipinus Italiæ Rex, Caroli primogenitus, qui Beneventanos ac Venetorum duces ſubegerat, è vita migravit, reſtitutaque Nicephoro Venetia, pax inter Græcos Francoſque coiit.

Adelmi Annal. Anno ſequenti, qui erat noni poſt Chriſtum ſeculi undecimus, ſancita inter Francos & Danos pace, Carolus vaſtavit Lunonum agros & caſtrum Hamburgenſe vel Hohenburgenſe ad Albim, à Wilzis deſtructum egregiè reſtauravit. In Pannoniam quoque miſſo exercitu, Slavos Bohemoſque Hungarorum populantes ditionem repreſſit, & Aquisgrani donis Hemmingi Danorum Regis cultus, Eardulphum Regem in Britanniam reſtituit. Hemmingus mox fatis conſumptus, Sigefrido & Aniloni regnum reliquit armis diſceptandum, qui cum ambo interiiſſent prœliis, ac Danorum ferè XIM, fratres Anilonis Hazaldus & Regnifridus Dania potiti ſunt, eodem tempore, cum Michaël Curopalates Imperio Byzantino. Sed hi fratres paulò poſt ab alterius factionis exulibus, è Suionibus reverſis, pulſi regno ſunt, anno Domini octingenteſimo XIV, quo & *Carolus Magnus*, maxima bonorum parte Eccleſiaſticis pauperibuſque teſtamento legatâ, gravis ſenio, & continuis febribus *deceſſit*, LXXII annos natus, Rex Francorum XLVII, Italiæ XLII, Imperator XIV annis. Ejus corpus nullo non genere honoris adhibito Aquiſgrani, ubi deceſſerat, eſt ſepultum in templo beatæ Virginis, ab ipſomet ædificato. Princeps fuit adeo deditus literarum ſtudiis, cum per otium liceret, ut pleriſque ſui ſeculi eruditis major haberetur, ac primus Pariſienſem Academiam excitârit, maximas opes in Græcæ ac Latinæ linguæ ſtudium impenderit, concordiæ in Eccleſia amantiſſimus.

Regino Anno 812. Herm. contr. Lambr. Schafn. Sigebert. Gembl.

A. M. 4784. Chr. 814. 28 Jan.

Præcedente ejus obitum anno deflagravit pons ſumptuoſiſſimus, quo Rhenum apud Moguntiam ſtraverat, incenſus à Richolpho Archiepiſcopo, quod eo latrones ad prædas abuterentur nocturnas. Carolus juxta propriam, id eſt, Teutonicam linguam ventis menſibuſque impoſuit nomina, ut ait Sigebertus, ac per manum Pauli Diaconi decerpens optima quæque de ſcriptis Catholicorum patrum, lectiones unicuique feſto competentes in Eccleſia recitandas curavit. De ejus anima, autore Turpino Rhemenſi Epiſcopo, turpis rumor circumlatus eſt, debuiſſe eam dæmonibus tradi ad inferos rapiendam, niſi in ſtatera ædificationes templorum cœnobiorumque malis facinoribus præponderaſſent. Fridericus I. poſtea Imperator, autoritate ſubnixus Alexandri Papæ, eum conſecravit, ut Aquiſgrani ei caneretur, velut eſt in Chronico Belgico:

Marianus Scot. l. 3. Sigebert. Gembl.

Turrin. cap. 32. Comp. Chron. Belg. ex Turpino.

O ſpes afflictis, timor hoſtibus, hoſtia victis,
Regula virtutis, juris via, forma ſalutis,
Carole, ſervorum pia ſuſcipe vota tuorum.

Eginhardus notarius Caroli, atque ob furtivum Immæ filiæ ejus amorem, tandem gener factus, recenſet provincias, ab ipſo Francorum imperio adjectas; In Galliis ſcilicet Aquitaniam & Vaſconiam. Hinc Pyrenæi montis jugum & fertiliſſimos Hiſpaniæ agros uſque ad Iberum amnem. Poſtea Italiam totam ab Auguſta Prætoria uſque in Calabriam inferiorem. Tum Saxoniam, duplo latiorem, quam erat reliqua Germania Francis olim ſubjecta. Pannoniam ſimiliter utramque, & oppoſitam in altera Danubii ripa Daciam, Hiſtriam quoque & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis quæ ex fœdere Conſtantinopolitanus ſibi Imperator vendicabat.

Eginh. de vita & geſtis Caroli. Chron. Lauriſhamenſe. Vita Ludovic. cap. 10.

Denique nationes Barbaras inter Rhenum & Vistulam, Danubiumque & Oceanum positas, ut lingua ferè similes, ita moribus atque habitu dissonas, inter quas numerat præcipuos, Welatabos vel Sclavos, Sorabos, Abotritas, & Bohemos, queis tributum ab Carolo imperatum. *Ivo Cornuti.* Nicephorus, Michaël, & Leo Cæsares Byzantini, ultrò amicitiam Caroli & societatem expetivêre, suspectam habentes ejus potentiam, adeò ut proverbio diceretur Græcis, *Francum amicum habeas, vicinum ne habeas.* Aaron Saracenorum Princeps ex ipsa Persia missis ad Carolum legatis, Elephantem, horologium & alia ei munera donavit. Cum novem genuisset filias, è duabus uxoribus (nam è tertia nihil liberorum tulit) & IV concubinis, nullam earum marito elocavit, eamque ob causam domesticis maculatus infortuniis alto silentio pressit dolorem. Duabus conjurationibus, una Pipini gibbosi, filii sui è concubina, altera Germanorum, Fastradæ reginæ crudelitatem non ferentium, appetitus, feliciter ultus autores, evasit. Ex Hildegarde Sueva tres susceperat filios, Pipinum, Carolum & Ludovicum. Pipinus Italiæ Rex, & Carolus, fato rapti ante patrem, Ludovicus solus superstes, de patris manu Augustæ dignitatis hæreditatem adiit. Una & viginti metropoles thesaurorum Caroli hæredes scriptæ. Eæ erant Roma, Ravenna, Mediolanum, Forum Julii, Gradus, Colonia, Moguntiacum, Saltzburgum, Rotomagus, Treviri, Senones, Visuntium, Lugdunum, Remi, Arelatum, Vienna, Tarantasia, Ebrodunum, Burdegala, Turones, Bituriges.

Turpin. de gest. Caroli. c. 14. 15. Turpinus autor est, Aigolandum Saracenorum in Hispania regem, fractum præliis à Carolo, venisse ad eum baptismi suscipiendi causa. Sed cum vidisset tredecim pauperes, quos de more Carolus semper alebat in atriis malè vestitos, humi jacentes, inquisivisse qui essent: acceptoque responso, *esse populum & amicos* DEI, qui sub numero XII Apostolorum Christi pascerentur, resiliisse à proposito, dicentem falsam esse Christianorum legem *secundum quam melius haberent Regis amici, quam* DEI. *Cap. 16.* Sed eundem postero die congressum acie cum Carolo, cruenta morte peremptum. Ait Turpinus se interfuisse expeditioni Hispaniæ, ac solem aliquando per triduum stetisse immobilem, donec Carolus comprehenderet Saracenos, fabularum major autor quam historiæ.

LEO ARMENIUS, MICHAEL II. BALBUS. THEOPHILUS, IMPERATORES ORIENTIS.

LUDOVICUS PIUS, CÆSAR GERMANICUS.

Anno eodem. Miscella in fine. Zonar. Tom. 3. Cedren.

LEO V. *Armenius* ex Orientis duce Byzantinus Imperator paulo ante excessum Caroli factus est, Michaële cœnobii claustra ingresso. Crunnum Bulgarorum Principem, tot Imperatorum ferocientem cladibus, magno prælio devicit, sagittaque ictum penè interfecit. Parta victoriâ, cum à monacho quodam, cujus futuri scientiam venerabatur, didicisset imaginum cultum idololatriam esse, tolli eas de Ecclesiis imperavit. Nicephorum Patriarcham sibi adversantem exulatum misit Proconnesum: cui suffectus Theodotus, Imperatoris subscripsit sententiæ, Protopsalte etiam animante eum in detestationem imaginum, prolatis Esaiæ divini Prophetæ verbis, quibus inquit: *Cui assimilabitis Dominum, quam imaginem effingetis ei?* Unde Leo in delinquentes implacabilis, *acer & vigilans in Repub. magistratuum censor, qui nihil prece aut precio cuiquam concederet indigno*, Michaëlis balbi appetitur insidiis. Hunc convictum in judicio facinoris, atque ad ignem damnatum, rogatu conjugis Augustæ, sed non sine præsagio mali, è clementiâ sua orituri, distulit, ne feriatos natali Servatoris dies improbi hominis supplicio videretur

tur contaminare. Cum autem carceris clavem ſuo aſſervaret ſinu, noctemque illam curis inſomnem duceret, ingreſſus fortè cuſtodiam, reperit Balbum altè ſtertentem in lecto, ac præfectum Papiam ei cuſtodiendo deſtinatum, jacentem humi. Hoc Papiæ in ſontem affectu commotior, minaci manus agitatione iram præ ſe ferens, obſervatur à quodam vigilum, atque extemplo res excitato Papiæ indicatur. Ille Imperatoris prævertendum ratus minis, communicato cum captivo perduelle conſilio, conſcios Michaëli inſidiarum ſubitis perterret nunciis, impellitque ut metu attoniti, ne Michaëlis perirent indicio, in necem conſpirent Leonis. Nec *Adelm. anno 821.* mora ſceleri. Sumpto Clericorum habitu abditiſque ſub veſte pugionibus, conjurati pſallentium ſe in templo choro miſcent, ac Leonem cum reliquis DEO cantantem adorti, amputatis capite & manu, indignum in modum ipſo in ſacrario perimunt, diſſectiſque compedibus, *è carcere ad imperium protrudunt ſceleratum Michaëlem.*

Michaël nefandam ſacrorum violationem ſuſque deque habens, mox in eadem æde, quam Leo ſanguine imbuerat ſuo, corona inſignitus eſt. Uxor Leonis, & quatuor filii, demptis partibus queis viri ſumus, exilio deportati, atrocis exemplum vindictæ DEI, quod Manichæis multum detuliſſet Imperator, ſi vera ſunt, quæ Zonaras & Cedrenus furibundi cultu imaginum, impingunt crimina defuncto. Sed *profundior cœleſtium abyſſus judiciorum eſt, quam ut eorum ſemper ratio nobis homunculis conſtet.*

Aimoin. lib. 4. c. 120. &c. Annal. Fuld. ab anno 814. Annal. rerum geſtar. Ludovic. Felicior ſub hæc *Ludovicus*, ex liberalitate in ſacros ordines *Pius* cognominatus, nec prorſus tamen. Triceſimo poſt exceſſum patris die ex Aquitania advolavit Aquiſgranum, ſuſceptiſque imperii gubernaculis, cum Leone percuſſit fœdus. Bernhardum, fratris ſui Pipini filium, Italiæ donatum regno à patre, cum muneribus dimiſit in Longobardiam, ſuorum filiorum alteri Lothario Bajoariam, alteri Pipino Aquitaniam regendam dedit. Herioldum Danum, à Godefridi filiis pulſum regno, fruſtra inſtituit reducere. At Sorabos Sclavos mixti Francis Saxones ad obedientiam redegerunt, uti & Bernhardus Romanos, qui decumbente Leone Papa, prædia ejus cremarant igne. Leoni poſt XXI Pontificatus annos mortuo, ſucceſſor datus Stephanus V. maximis itineribus ad Ludovicum contendit, exquiſitiſque exceptus honoribus, diademate eum inſignivit Rhemis, jam tertium imperantem annum. Ei poſt exiguam honoris iſtius uſuram, ſubſtitutus Paſchalis, excuſavit ſe Ludovico per nuncios de ſumpto apice, ipſo inſcio. Ludovicus tunc ruentis Aquiſgrani porticus impetu proſtratus, mortis adierat periculum. Ex eo vulnere recreatus, dum Sclaomirum, Abotritorum, id eſt, Orientalium Sclavorum regem, ob defectionem caſtigare parat bello, audit Bernhardum in Italia, obſtructis Alpibus, res moliri novas. Bernhardus autem mox deſeritur à ſuis, ſeque patruo infeſtis cum copiis venienti tradit. Acto concilio, ſeditionis autores, qui Laici eſſent, oculorum, Clerici dignitatis damnantur. Quam pœnam non ferens Bernhardus, paucis diebus migravit è corpore, ingemiſcente poſtmodum præcipiti ſententia Ludovico.

Marianus Scotus lib. 3. Sigebert. Gembl. Adelm. ab anno 814. & deinceps. Aimoin. lib. 5. vita Ludovici.

Mox nova Britonum ſeditione compreſſa, Irmengardin amiſit conjugem, ex quâ Lotharium, Pipinum, & Ludovicum filios habebat. Id infortunium captivus Sclaomir aliqua parte leniebat, qui à Saxonibus perductus ad Cæſarem, cum parum defenderet, quæ egerat, multatus regno eſt; Ludovicus luſtratis nobilium filiabus, Juditham Welpho Bavaro genitam applicuit toro conſanguineam ſuam: unde plurimum in domum ejus exuberavit mali. Friderico Trajectinorum Epiſcopo id conjugium ſtetit capite. Nam cum Imperator eum obſtringeret jurejurando, quo libidines Selandorum acriter ſe ſponderet correcturum, ille liberius in Judithæ

Chron. Traject. Annal. Francorum. Adelmi Annal.

invectus matrimonium, *ut piscis*, inquit, *caput primum edi, sic Principum vitia primò reprehendi decet.* Ob quod dictum immissis à Juditha percussoribus, sanguine post suo altaria conspersit. Agebatur jam annus Ludovici septimus, ac bellum cum Luidevico Hungarorum rege flagrabat, diuturnum & atrox, morte tandem finitum Luidevici, quo tempore celebratis Lotharii nuptiis, consortem eum imperii pronunciavit pater, Haraldus à Godefridi filiis in regni Danici adscitus est societatem. *Michaël Balbus* Græcorum imperio potitus est.

Zonar. Tom. 3. Georg. Cedren.

Balbus Phryx genere, linguæ intemperantis & corruptæ, sectarum sentina, *ofor disputationum; quod eas evertendis opinionibus esse suis cernebat*, male partum imperium non administravit melius, quam acquisierat. *Principio nemini molestus ob religionem, ut firmiores res nactus est, laxavit animum.* Statuas quidem oderat juxta ac Leo, sed & resurrectionem carnis repudiabat & Jusjurandum. Dæmones esse negabat, scortationem habebat in levi. Igitur eum aggressus Thomas, fœderatorum legionis Tribunus, bellorum felix, Oriente toto in potestatem redacto, coërcitisque Agarenis tumidus, terra marique vicit, & magnâ vi oppugnavit Constantinopolin: Hyeme quidem depulsus, cum vere statim rediit, crebrisque ac dubiis congressus præliis, ad extremum à Bulgarorum Principe, ipsoque etiam Michaële profligatus, inclusit se Adrianopoli. Qua urbe fame perdomita traditus, truncatis pedibus manibusque miserabili periit cruciatu. Perinthus & Panium, ejus etiam mortui partes pertinaciter tutatæ, multo labore expugnatæ sunt. Quibus dum distinetur bellis Balbus, Agareni Hispanienses Cretam invadunt, ductique ejus insulæ fertilitate, sedes in ea, redactis in servitutem incolis, Achapso duce ponunt. Hos Michaël majoribus semper suorum cladibus pellere conatus, Siciliam quoque amittit, proditam Saracenis à quodam Euphemio, quem ob monachæ amorem capite punire Prætor ejus Insulæ voluerat. Dalmatia quoque Græcorum excussit jugum. Ita debilitato undique ac fœdè lacerato Imperio homo avarissimus præfuit, aut, ut verius dicam, defuit, annis VIII & mensibus IX, phrenitide tandem & urinæ compressu absumptus. Cum Ludovico Imperatore, dum vixit, pacem coluit.

Annal. Francici.

Haud paulò melius Occidentis se res habuerunt eo tempore. Ludovicus excitatâ Corbejensi in Cœnobio scholâ, bonas literas jussit propagari, Canonicis vitæ ac laborum præscripsit normam. Monachi Corbejenses Rugianos Christianismo imbuerunt. Cæsar Paschalem Papam, qui nuper Lotharium insignierat diademate, juramento se purgare coëgit, de occisis Romæ Imperatori fidelibus ministris. Paschalis paulò post exstinctus, locum fecit novis Romanorum dissidiis, quibus superior Eugenius ambitiosum ascendit thronum, exacto triennio eundem Gregorio relicturus. Ludovicus interim gratulabundus excepit Ebbonem, Rhemorum Archiepiscopum, qui publico consilio ad Danos Christiana fide imbuendos profectus, effecerat, ut Haraldus dudum in Daniam reductus, adjutu Cæsaris, cum magna Danorum multitudine Christianismo initiaretur Moguntiæ, anno ejus seculi XXVI. Eadem id factum tempestate, qua Ranimirus Alphonsi Casti successor in Hispania, de Saracenis luculentam tulit victoriam, interfectis acie LX millibus Barbarorum. Sed eam felicitatem novi bellorum interruperunt tumultus. Danum expulerunt filii Godefridi, vel Gotrici Regnerus & Hella, veteris subnixi superstitionis æmulis. Saraceni ex Hispania Barcinonem vastarunt & agros Gerundensium, Bulgari Pannoniam. Haraldo attributa pro regno Frisia est, velut religionis autoramentum: qui tamen, ut præcipuum inchoatæ pietatis specimen, ita primum neglectæ spectaculum fuit, Saraceni prædis onusti aufugerunt.

Adelmi annal. anno 823. &c. Vita Ludovici. cap. 10. Helmo. l. 1. c. 6.

Vasæus.

Sax. l. 9.

gerunt. Bonifacius Corſicæ Comes, regeſſit cladem Afris, nec laxamenti quicquam dedit Saracenis, firmandi ſuas in Sicilia opes, quam nuper de Balbi præfecto ceperant. Duces Pannoniæ ob rem adverſus Bulgaros malè geſtam, exemplo ut eſſent ignavis, loco ſunt moti & dignitatibus. Dux Forojulienſis ditione etiam ſua exutus. *Annal. Franc.*

Nec leniore in caſtigandis Eccleſiaſticis cenſura uſus eſt Ludovicus. Cingula enim auro gemmiſque radiantia, exquiſitæ veſtes & calcaria clericorum præcipuos onerabant. Id *monſtro ſimile ducebat Imperator, adſpirare ad ſecularis gloriæ ornamenta, qui Chriſti ſe profitentur legatos.* Pariſienſi etiam Synodo *habendas ad memoriam imagines, neutiquam adorandas decrevit.* Sed quæ eſt hoſtis Tartarei immanitas, non deſtitit ſe oppugnantem oppugnare, & per membra ſua Chriſti amicum laceſſere. Inducti enim principum aliqui Pipino Aquitaniæ regi perſuadent, indignum eſſe diuturniori imperio patrem, qui Bernhardum Judithæ Auguſtæ corruptorem ferret, nec domeſticum ſcelus ultore gladio exſcinderet. Horum conſpirationi ſimul acceſſit ex Italia Lotharius. Penè deſertus à Gallis Imperator, amandat è Palatio Juditham, inſtantibus ſuis, ut & ipſe cœnobio ſe manciparet. Sed adventus Germanorum in comitiis factionum ſeditionem diſcuſſit, Lotharius primum, mox & Pipinus atque Ludovicus reconciliati patri, autores rebellionis incluſi monaſteriis ſunt, Juditha judicio abſoluta Auguſtam recepit dignitatem. *Aimoin. lib. 5. c. 11. 12.*

Sub id tempus Egbrechtus Weſtſaxonum Anglorum Rex tota eſt potitus inſula, & Theophilus Balbi filius, imperio Orientis. Is mira juſtitia, parricidas Leonis Armenii, quorum ope pater ſuus è carcere ad imperium eſſet protractus, omnes affecit ſupplicio. Petronam uxoris ſuæ Theodoræ fratrem, qui luminibus cujuſdam viduæ obſtruxerat aditum, cum demoliri illud ædificium nollet, verberibus affecit, aream viduæ dedit dono. Ita & bona ducis cujuſdam attribuit viduæ, quæ mariti ſui equum Imperatori donatum, quaſi ducis eſſet, probaverat, eamque donationem cauſam mortis in prœlio marito ſuo factam. Nec indulgentior in conjugem, navem ejus mercimoniis onuſtam allato igni incendit exclamans, *Imperatorem ſe à Deo conſtitutum, quem uxor nauclerum & inſtitorem conaretur facere.* Idem imaginum veneratores deteſtatus, multos ex iis exilio multavit, multos morte. Joannem Syncellum, virum eruditiſſimum, maximis cum opibus ad Amiram Saracenorum, Bagdem verſus (ubi vetus erat Babylon) ablegavit, imperii negotia curaturum. *Annal. Faldenſ. Cedren.*

Puellæ cujuſdam aulicæ forma captus, juravit ſe nullam præter hanc & uxorem cognoviſſe ſuam, delictique veniam humilis petiit. Cumque non deſiſterent imagines adorare ſuperſtitioſi, *Theophilus* Lazaro monacho iis pingendis dedito aduſſit digitos, ne opera ejus digitorum ſtulti colerent mortales. Qui convaleſcens iterum, nec ceſſans agere ſolita, miraculum inſipientibus fuit. Theophilus meliori ſtudio melodiis vacavit componendis, ac Arabum vaſtationes frequentibus expeditionibus, varioque marte repreſſit. Cum Sozopetram Syriæ, Amiræ patriam cepiſſet, doloris impatiens Amiras, ut paria redderet, Amoriam Phrygiæ, unde originem ducebat Theophilus, obſidione fractam pertinaci expugnavit, multiſque occiſis hominum millibus, clariſſimos quoſque captos redimere cupienti Theophilo non reſtituit. Quamobrem mœrore confectus Imperator & inedia, interfecto tamen ante Theophobo, quem xxx Perſarum, quibus præerat, millia Cæſarem dixerant, animam exhalavit, anno Imperii XIII. Dum ita habet Græcorum Reſpublica, Latina inteſtinis motibus fœdiſſimè eſt colliſa. Ludovicus Imperator ſolita clementia, ut ſuperioris concitores rebellionis in gratiam receperat: ita & Bernhardum Barcinonenſium comitem, adulterii ſuſpectum cum Auguſta, quod *Aimoin. lib. 5. ſeu vita Ludovici. c. 12. &c.*

armis probare innocentiam vellet, ac deficiente adversario, juramento dilueret culpam, repositit pristinæ dignitati, nolentemque assentiri Pipinum Aquis tenuit. Pipino in Aquitaniam, inscio patre, dilapso, male resarta aula deteriorem egit. Animadvertendum namque judicans Imperator in filii contumaciam, Treveris eum custodire jubet, subductumque noctu à suis, Turonum citat ad Comitia. Sed Pipinus obfirmatis in Aquitania suis partibus, improviso excursu fregit paternas copias, persuasisque susurronum instinctu fratribus, scelerata sumuntur arma, quibus filii patrem deponere imperium adigerent. Adscisitur in consortium Gregorius IV Papa, ordinari olim vetitus à Ludovico, donec Legatus Cæsareus electionem ejus examinatam probasset. Hic cum Ecclesia diceretur ejecturus Ludovicum, Episcopi, qui cum Cæsare faciebant, masculè, *Si excommunicaturus*, inquiunt, *venit, excommunicatus vicissim abscedat.* Tandem utraque acies propè Basileam in campo mendaciorum (*lügenfeld* dicto Teutonibus) dimicatura constitit, quum Pontifex subdolo ad Ludovicum transitu, tanquam reconciliaturus patri filios, prælium antevertit, ut occasionem præberet suæ catervæ, Cæsarianos ad defectionem allectandi. Extracta enim per aliquod dies consultatione, promissis interim aut minis traducitur Cæsaris ad filios exercitus, Ludovicus in periculo constitutus, quum se honorifice putaret habendum à filiis, procedit ad castra eorum, & custodiæ mancipatur. Ita nequissimè ab iis exuitur regno, qui vitam ipsi regnumque post Deum debebant. Ac tanta rei indignitas visa est subditis, ut haud diuturnam ingratis esse contumaciam sinerent. E quibus Varinus & Bernhardus comites, collecta manu validâ, per Legatos denunciarunt Lothario, ut aut patrem redderet libertati, aut armis secum divinum experiretur judicium. Qui conjecta in Episcopos culpa, patrem Dionysiano in monasterio reliquit, ipse in Burgundiam deflectens, stativa ibi cœpit habere. Ludovicus consilio & ope suorum facilè recuperata dignitate, tanta recreatus lætitia est, ut ipsum cœlum, ex nubilo turbidoque inopinanter serenum per plures dies, congratulari communi felicitati videretur. Mox Lotharius, expugnato licet incensoque Cabilone castro victor, desertus tamen à fratribus Ludovico & Pipino, supplex ad patrem venit, verbisque pro tempore castigatus, dicto patri sacramento, remeavit in Italiam. Ludovicus aditus obstruxit Italiæ, ne quis se invito in Germaniam transiret. Ebbo Danorum ille Euangelista, & Theodulphus Floriacensis, multique Episcoporum alii, quod fidem Imperatori fregissent, ordinibus moti verterunt solum. Theodulphus tamen cantato Cæsari carmine, non veniam solum, sed & Aurelianensem Episcopen deinde est consecutus. Reliqui consultores Lotharii divinam non effugere manum, intra IX septimanas dira omnes peste absumpti, *nequaquam insultante hostium morti Ludovico, sed alto cum gemitu Deum illis propitium comprecante.* Quinto post receptam potestatem anno, Pipinus patri pœnas pependit, præcoci leto mersus, præcedente ejus mortem minaci Cometæ signo. Cometam conspicatus Imperator, accivit eum, qui annales, à nobis ad marginem laudatos concinnavit, quidque hoc Sidus portendat, percunctatur. Cum ille propheticum illud produceret, *A signis cœli nolite timere, quæ pavent gentes. Benè*, inquit Ludovicus, *illum timemus solum, qui nos & ista creat. Sed & clementiam ejus veneremur, qui nostram inertiam talibus admonere dignatur judiciis. Itaque manè largissimè distributis eleemosynis, omnes aulicos precibus jussit divinum placare Numen.* Hinc instigatu Judithæ, divisit inter filios regiones, quorum Lotharius imperium cum Italia accepit, partemque regni Francici Australem, ad Mosam usque fluvium; Carolo Judithæ filio Francia; Ludovico

Annal. rerum gestarum Ludov.

Marian. Scot. l. 3.

Annal. rerum gestarum Ludovic.

vico Bajoaria obvenit. Sed Ludovicus sua nequaquam contentus portione, quicquid trans Rhenum erat, sibi asserendo, novis Germaniam concussit motibus. Ad quos compescendos, festinante Augusto, deliquium solis maximum, ut stellæ tanquam nocturnis è tenebris promicarent, lumen aliquod mundi mox ei subtrahendum prænunciavit. Itaque eodem mense 11 Kal. Julii, Cæsar curis confectus & apostemate intraneo, spiritum A. M. 4810. Deo reddidit prope Moguntiam, anno vitæ LXIV, Imperii XXVIII, Christi DCCCXL. Drogo frater ejus, Episcopus Metensis, funus Cæsareum maximo honore Metis sepeliendum curavit.

In hæc tempora locantur Oecumenius, Suidas, Græci: Haymo Halberstadensis Episcopus, Rabanus ex Abbate Fuldensi, Episcopus Moguntinus, Aimoinus & Freculphus Historiographi. Tunc etiam Ansgarius Hamburgo Episcopus datus, Holsatorum Euangelista, Brema ad Visurgin munita, Stada portus ad Albin, intercludendis Danorum irruptionibus objecta. Georgius presbyter Venetus Organum cœpit fabricari Aquisgrani. Paschasius Ratbertus Abbas Corbejensis contra Bertramum asseruit, Corpus & sanguinem Domini verè sumi in S. S. cœnâ. Jonas Aurelianensis ita defendit adversus Claudium Taurinensem imagines, ut nullum eis cultum deberi pateretur, peregrinationem tamen ad loca sancta propugnaret.

Alber. citat. in Chron. Belgico.

Annal. Fuldens. ann. 827.

Bibliothe. S. S. Patrum.

LOTHARIUS I. OCCIDENTIS, MICHAEL III. ET THEODORA ORIENTIS AUGUSTI.

Anno eodem.

Annal. Fuld. Aimoin. l. 5. c. 19. 20. Chron. Laurisham. Reg. l. 2.

L*Otharius* Imperator susceptam Caroli fratris tutelam mala fide gessit. Cum enim ipsi & Ludovico Germaniæ regi, non ut fratribus consulere, sed ut Imperator dominari cuperet, nec arbitris decerni litem pateretur, ad vim conversus, intestinum commovit bellum, quo Francicæ conciderunt opes. Ludovicus & Carolus Fratres absentis Lotharii copias magno superant prælio, centena ex utraque acie virorum millia cadunt. Ita flos regni Francorum decussus, Lotharius regerere avidus cladem, pellitur denuò Germaniâ, Ludovicus Caroluſque Galliam & Germaniam dividunt pro tempore: Placati tamen deinde fratris legationibus ex æquo partiuntur regiones, & Lothario media inter illos provincia obvenit, cui ex eo Lotharingiæ supereſt nomen, Pipino juniori, regum nepoti, ex fratre, relinquitur Aquitania. Hanc dum deinde Carolus affectat, proprii damnum pertulit exercitus, nec semel cæsus, tandem Pipinum Lothariumque captos à suis, regno Aquitaniæ exuit, & pro monachis in cœnobia detrusit. Nec mitior in Bernhardum, matris quondam suæ, ut habebatur, amasium, inopinato illum obruit leto.

Marianus Scotus l. 2.

Annal. Fuldenses anno 850. Sigebert. Gembl.

Ludovicus Germaniæ rector Abotritos defectionem molientes, interempto eorum rege, bello perdomuit, terramque illorum per duces administrandam ordinavit. XIV Bohemorum duces, Christianismi candidatos, sacro curavit fonte ablui. Nihilominus Bohemos paulo post rebellionem agitantes, instructo terruit exercitu, ut imperata se promitterent facturos. Sed cum de pace cum iis agit Thachulphus, Sorabici limitis dux, primates alii indignati, velut ad ipsum inclinaret Respublica, irruunt in Bohemos, & grandi sternuntur clade, coacti obsides dare iis, à quibus accipere noluerant. Additque Annalium scriptor Fuldensium, eo tempore spiritum nequam ex arreptitio quodam professum, suo instinctu ac sociorum, discordiam fastumque inspiratum belli ducibus, ut tanta clades acciperetur, quemadmodum solens est Satanæ, quandoque vera maligno animo profari.

Lothario regnante, Mauri Arabes primam in Campaniæ littora exscensionem facere ausi, Beneventum occupa-

runt,

runt, Cassinum deprædati sunt, mox & Romana suburbia: quo tempore Sergius II, victo Johanne æmulo, capessit Papatum, Lotharii suffragio firmatus. Is cum antea *os porci* vocaretur, nominis A. M. 4814. Christi 844. detestatus fœditatem, Sergii sumsit vocabulum. *Unde mos Papis nomina immutandi.* Qui triennio potitus throni, reliquit eum Leoni IV, qui Romanam Urbem adversus Saracenos muniit, atque eorum classem, adjuvantibus Neapolitanis & Cajetanis, vicit. Munita nova urbs Leonina civitas appellata, quam Corsi Sardique à Saracenis pulsi impleverunt.

Rod. Non minores fidei Christianæ hostes erant Nortmani eo tempore. Hispaniæ maritima incursantes, atque à Ranimiro rege haud exigua cum clade rejecti, in Galliam converterunt impetum, eamque allecti potius Caroli calvi regis largitionibus, quam aversi, ad Parisios usque persultando, prædæ ac direptioni habuêre. Nec meliori loco illis Frisia, Anglia, aut Saxonia fuit. In Saxonia Cisalpina destruxerunt Hamburgum, quod Carolus M. retinaculum cohibendæ eorum irruptioni objecerat. Ad ultimum cum Valacram insulam occupassent, Selandiam eis dictam à patria sua, ac per xx annos Franciæ plurima intulissent damna, in Daniam reversi sunt accepto auro, atque intestino semet bello deleverunt, Deo sanguinem Christianum de manibus eorum exigente. *Lotharius* Imperator, grassante in suos pestilentia, quos acervatim mori conspiciebat, cum paulò ante mortem habitu se onerasset monastico, febri *extinctus est* Placentiæ, anno dominii xv.

Annal. Fuldenses. Aimoin. l. 5. c. 20. Reg. l. 2.

Sigebert. Gembl. anno 854. 855.

A. M. 4823. Christi 853.

Ipso imperante & vetus & nova Roma fœminæ subierunt dominatum. In veteri enim Roma Leoni IV substitutum narrant Radulphus, Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacensis, Gotfridus Viterbiensis, Martinus Polonus, Platina, Laonicus, Hartmannus Schedel, Matthæus Palmerius, Volaterranus, Rolevincius & alii, Johannem quendam nomine VIII, *specie Papam*, *re fœminam scortum*, cum sacerdote olim Anglicano versatam Moguntiæ, & è cœnobio Fuldensi ductam Athenas, ubi eâ literarum floruerit laude, ut Romam profecta, Pontificatum promeruerit. Sed cum sexum Reip. non amasio mentiretur, conceptum è scortatione fœtum enixam publicè, ac partus doloribus solenni in processione exstinctam, cum biennium, & vi menses orbi Christiano turpiter illusissel. Indignitatem rei notarunt terræ motus, grandines, ac insolitæ aëris concussiones. Contradicitur historiæ huic ab Romanæ sedis amicis, quâ fronte, quo fundamento, non est hujus loci dispicere, quo compendia rerum assignatis autoribus sine circuitione sectamur.

Apertius *Theodora* Augusta, Theophili Imperatoris vidua, pro Michaële adhuc puero, dominata est Constantinopoli. Manuel, Theoctistus & Barnas, tutores erant à patre dati Michaëli Porphyrogenneto, non sine emolumento Reip. sed Theodora, de gente orta Paphlagonum, ut erat imaginum veneration dedita ab incunabulis, ita laxatis ingenii habenis pergebat. Itaque rescindere acta Theophili, Joannem Syncellum dejicere Episcopatu Constantinopolitano, Manuëli imperii tutorem per monachos eodem imbuere errore, Methodium sibi assentantem in thronum Episcopalem evehere. Sed Methodius mox stupri reus, novâ & pudendâ probatione, arefacta ostendit judicibus genitalia, professus se Petro & Paulo Apostolis hoc debere donum, à quibus istam Romæ continentiam obtinuerit. Igitur fœmina & illo precatore annitentibus, imaginum restituta veneratio apud Græcos, dignis illo dogmate miraculis roborata.

Zonar. Tom. 3. Georg. Cedren.

Apud Bulgaros Christianismus invaluit, Principe eorum Bogore pestis ac famis levamentum invocato Christo ferente acceptum, quem soror apud Constantinopolitanos captiva, & veri imbuta Numinis notitia ad id faciundum instigavit.

gavit. Cum autem Bulgari more gentium tumultuarentur, atque ob novatam religionem bellum inferrent regi, ille devictos acie, ad eadem traxit sacra, suorumque incrementum finium ab Theodora Augusta meruit.

At Manichæi à Paulo & Johanne ejus sectæ autoribus Pauliciani dicti, tantum abfuit, ut in viam se reduci paterentur, ineptis præsertim doctoribus, quos miserat Imperatrix, ac pœnarum doctioribus quam artium sacrarum, ut ad Agarenos planè defecerint ingenti numero, eisque juncti multas intulerint Byzantinis clades. Centum eorum millia suppliciis periisse, ait Cedrenus, reliquos exstructis urbibus, omnes Imperii in Asia provincias incursasse.

Eo tempore Hincmarus Rhemensis & Rabanus Moguntinus Episcopi Godescalcum refutarunt monachum docentem esse aliquos absoluto DEI placito ad exitium destinatos æternum, alios ad vitam, proque his Christum oppetiisse mortem, pro illis non. Eum Ludovicus regno Germaniæ expulit. Rabani discipulus fuit Strabus, qui ex patribus cœpit decerpere notas in sacrum codicem, glossæ ordinariæ insignitas vocabulo, Eulogius, Angelomus, Simeon Metaphrastes, literarum similiter laude floruerunt. Edelvolfus rex Angliæ, Cantiam & Northumbriam ad redimendum popularibus suis pœnitentiæ onera, in vectigal obstrinxit Pontifici.

LUDOVICUS II. OCCIDENTIS, MICHAEL III. BASILIUS MACEDO ORIENTIS AUGUSTI.

Anno Christi 855. Mundi 4825. *Annal. Fuldens. Regino lib. 2.*

LUdovicus II. de sententia Lotharii patris regnum Italiæ cum Augusta dignitate, frater ejus Lotharius Lotharingicum, Carolus Provinciæ Phocensis accepit dominium, Carolo Calvo reliquam Galliam, Ludovico Germaniam tenentibus, qui Dalmatiam quoque & Bohemiæ multa adjecit regno suo, & invitatus à quibusdam Galliarum proceribus, penè excussit regno Carolum fratrem. Sed cum ad Soraborum comprimendam seditionem iter acceleraret in Germaniam, Carolus facilè recepit amissa, tandemque anno ejus seculi sexagesimo Confluentiæ concordia inter reges restabilita est.

Eo tempore spiritus nequam, singulari DEI permissu, Moguntiam eique vicinos locos mirè perturbavit. Primum lapides jaciendo, & parietes pulsando domorum infestus hominibus, paulatim loqui & furto sublata indicare cœpit, eoque pacto discordias serere inter vicinos. Denique omnium animos in unum quendam exacerbavit, quasi peccatis illius exigentibus, cæteri talia paterentur. In quamcumque is domum se recepisset, ea extemplò deflagravit: nec in agris tutus, congestis eò frugibus igni absumptis, fuit. Cum ob id irruerent in eum vicini, cædem facturi, ille candens gestando ferrum innocentem se probavit. Ergo missi urbe presbyteri cum reliquiis & crucibus, aquaque lustrali, qui malignum spiritum depellerent: Sed hos lapidibus impetitos abegit spiritus, unum ex iis filiam vitiasse procuratoris vociferans. Talia per triennium agitando non cessavit, donec universa ædificia incendio consumeret, planissimum documentum, quantum Satanæ in superstitiosos mortales liceat, quamque parum reliquiis, crucibusque percellatur. Sub hæc per dissidia procerum, nudatam consilio Galliam contemplati Britones, arma corripiunt, transeunt Ligerim, & ad Pictavos usque omnia cædibus ac rapinis depopulantur. Carolus Calvus collecto exercitu ulcisci se cupiens, gemino vincitur prælio, turpique se fuga proripit. Britones Francorum opibus ditati pacem extorserunt Carolo, ut datis utrinque obsidibus Herispius Rex eorum, muneribus honoratus, sub fide Francorum genti suæ imperaret, quo postmodum à suis interempto, Salomon

Annal. Fuld. Sigebert. Gembl.

Reg. l. 2. Annal. Franc. Fuldens.

Marianus Scot. l. 3. Sigebert.

eadem lege Britanniam minorem poſſedit.

Aliquanto poſt Lotharius illicito correptus amore, odium induit conjugis ſuæ Tietbergæ, & communicato cum Epiſcopo Colonienſi conſilio, ſimulat ſe neptem ejus ducturum, ſi Tietberga damnari judicio poſſit. Gunterius Epiſcopus, adducto in ſententiam collega Trevirenſi, convocat Metis Synodum, gravia impinguntur crimina reginæ, inter quæ & inceſtus, ſeparatur à regali toro, fit poteſtas Lothario ducendi aliam. Rex liber jam à vinculis tori, repudiata Epiſcopi nepte, Waldradam, formâ conſpicuam, matrimonio ſibi jungit, Nicolao Papæ per legatos eum increpanti obtendit Synodi ſententiam. Ergò citantur Romam Epiſcopi, actoque ibi concilio multantur dignitate. Ea affecti ignominia, Ludovicum Imperatorem Beneventi tunc morantem adeunt, inauditam dicentes Papæ tyrannidem, citra Principum & Metropolitanorum ſuffragia Epiſcopos exautorantis. Sed ſpe fruſtrati, Thietgandus quidem Trevirenſis paruit Nicolao, Guntherius nihili fecit prolatam in ſe ſententiam: deinde veniam ambiens, ſurdas pulſavit Nicolai aures. Lotharius verò, ne ſacris prohiberetur, recepit ad tempus reginam, ſed mox novis obrutam criminibus iterum dejecit, quæ ad Carolum Francorum confugit regem, patruum mariti. Papa ſub hæc Waldradam diris devovet, minatur Lothario, Carolum collaudat de ſuſcepto expulſæ patrocinio.

Reg. l. 2. Actiones has bellum interrupit. Nordmanni iterum Metenſes, Andios, Pictavos, Turonenſes populantur: Rupertum Marchionem & Ranulphum Aquitaniæ ducem ſuperant prælio, ac præda graves domum abeunt. In Anglia ſimiliter Eboracenſes vaſtant, Northumbrorum occidunt Regem, Mercios ad pacem adigunt, ac Britanniam pro lubitu agunt ferunt.

Rogerius.

Chron. Caſinenſe.

Eodem modo Saraceni Beneventanam deprædantur ditionem, quos tamen

Reg. l. 2.

Ludovicus Imperator, advocata Lotharii fratris ope, feliciter profligavit, Capuam & Beneventum recepit de barbaris: Gallicanum exercitum peſtilentia attritum reduxit ad ſua Lotharius. Inter hæc Nicolaus decimum annum Pontifex decedit, ſucceſſore Adriano; qui permiſit Lothario, ut Romæ diſceptaret cauſam ſuam, id quod Nicolaus abnuerat. Itaque Lotharius cum Optimatibus ſuis, ſumto corpore & ſanguine Domini, jurat ſe innocentem eſſe, nec commercium cum Waldrada amplius habiturum. Sed antequam Italia excederet, intra annum correptus peſte, Placentiæ extinguitur, eodemque morbo Summates periere.

Quo Tempore Ludovicus Romano potitus imperio eſt, Michaël quoque Theophili filius, amota matre, Græcorum cœpit adminiſtrare Rempublicam. Jam enim pueritiæ annos egreſſus, iniquius ferebat, penes alios eſſe vim Auguſtam, ſibi nomen relinqui vacuum. Itaque incitatus à Barda avunculo ſuo, Theoctiſtum matri adhæreſcentem, cum præſertim pædagogi ſui obniteretur honoribus, concurſu ſatellitum interemit. Theodoram matrem metu cedentem, cœnobio incluſit cum ſororibus, quum mulier, traditis mille ac nonaginta centenariis auri, tribus millibus argenti, parcè ac frugaliter demonſtraſſet à ſe adminiſtratam Rempublicam. Nec diu calamitati huic manſit ſuperſtes, auri ac imaginum patrona.

Zonar. Tom. 3. Curopalates. Cedren.

Michaël à cuſtode & magiſtra liber, theſauros in mimos profudit, & aurigas, quum congerronum liberos è baptiſmo ſuciperet, ſolitus centum auri libras viliſſimis dilargiri homunculis. Igitur brevi egens platanum auream, leones, veſtes, aliaque aurea imperii monumenta conflari ac procudi in nummos juſſit. In Saracenos progreſſus Samoſata, Syriæ urbem, cinxit obſidione, repulſus iteravit expeditionem, nihilque felicior periculum adiit vitæ, fortiſſimorum vix virtute ereptus. At per Petronam, avunculum, præclaram de Saracenis

cenis adeptus est victoriam, Amira ipso in acie trucidato. Cum autem ludis suis nihil non seriæ rei posthaberet, Bardas interim Theodoræ frater ad gubernacula sedit imperii, quem & Cæsarem creavit tandem.

Is vir Philosophiam & liberalia studia, quorum vix scintillæ supererant, aggressus instaurare, *cuique disciplinæ scholas instituit, professoribus de publico stipendia ordinavit*, Leonis præcipua usus opera, qui tunc eruditorum apex habebatur. Leo is in Andro Insula à Michaële Psello Rhetoricam, Arithmeticam & Philosophiam hauserat, ac per quendam discipulorum à Saracenis captum, deprædicatus eorum Amirumni, ea impleverat fama orbem ut Amirumnes centum auri libris & perenni fœdere aliquantam informationem ejus emercari cuperet ab Imperatore Theophilo, patre Michaëlis. Sed Theophilus *adspectu eminentiæ, quam artes præstarent ingenuæ Græcis, noluit pecunia commutare istam Reipubl. dignitatem, ne ut armis, sic ingeniis superarent Græcos Agareni.* Igitur Leonem Thessalonicensium creaverat Episcopum, apud quos in maxima positus autoritate, exciderat tamen sacerdotio, quod Joanni Syncello, cognato suo, in oppugnanda imaginum veneratione subscripsisset, regnante Theodora. Huic pro Episcopatu Scholasticum orbis magisterium tradidit Bardas Cæsar, atque hoc pacto animam agentes, si non intermortuas literas, feliciter resuscitavit. Idem verò Bardas, ob repudiatam uxorem, sacris prohibitus ab Ignatio Patriarcha (is Michaëlis Rangabis quondam Augusti, filius erat spado) dejecit eum sede Byzantina, ac Photium insignem doctrina virum, cujus bibliotheca thesaurum præbet adhuc priscæ eruditionis, primarium tunc à secretis, evexit in thronum, per quem Nicolai Papæ, quos Byzantium miserat imaginum curaturos adorationem, legati, tracti sunt in sententiam, ne rem sacris contrariam legibus morosius perurgerent.

Cedrenus.

Paulo post Rossi, Tauri montis ad Boream accolæ, classe invadunt Pontum Euxinum, ac Byzantium annituntur expugnare: sed manifesta de cœlo ira impediti, renavigant domum, ac Deum, cujus manum senserant, revereri incipiunt. *Cedren. Zonar. Luitpr. Ticinens. l. 1. c. 2.*

At Michaël indies corruptior, ne interpellari quidem passus est nugas suas. Cum fortè certamen ludicrum interturbasset nuncius, qui per ignium dispositorum in montibus indicia cognoverat, Saracenos in provincias imperii feciisse irruptionem, stolidus homo amoveri præcepit stationes excubitorum, ut securius deinceps indulgere voluptatibus suis posset. Neque contentus imperii majestatem lusitando exponere derisui, sacras etiam templorum ceremonias histrionicis vecordium adolescentum gestibus imitabatur. Per quæ tandem exitium sibimet ipse comparavit. Traduxerat in aulam Basilium quendam Macedonem, è prisca quidem Arsacidarum nobilitate, sed longa annorum serie obscurata, hominem pauperculum, exulem, mercenarium, fortitudine & circa equos curandos dexteritate commendatum. Hunc cum stabulo præfeciisset, brevi tantum dilexit, ut ad ejus & aliorum calumnias Bardam avunculum, ineptiis suis morosius refragantem, sineret se adspectante trucidari, Basiliumque juncta ei Eudocia nobilissima conjuge, pellice sua, Cæsarem pronunciaret. Sed cum per amentiam familiaris suos variis exciperet ludibriis, naso unum, alterum manu, capite etiam multaret aliquos, subvereri cœpit novus Cæsar, ne idem aliquando sibi eveniret lusus. Nec vana fuit suspicio. Paulo post ebrius Michaël, remigem quendam, effusius sibi adulantem purpura induit, torvumque ob id videnti Basilio, Nonne, inquit, licet mihi, sicut te feci, sic & alium Imperatorem facere? atque exinde insidias ei ponit. Basilius cognito periculo, anticipare insaniam hominis certus, effracto cubiculo, crapulabundum & semisomnem percusso-

Cedren. Sigeb. Anno 869. Aimoin. l. 5. c. 22.

rum gladiis interemit. Dominatus erat Michaël cum matre annos XIV, solus XI. Basilius rara felicitate ex equisone Imperator, annis XVII gubernavit Orientem.

Is Justitiæ & legum studiosus, *quos noverat ab avaritia alienissimos, præfecit judiciis, ipse omnium querelis faciles præbuit aures, Pauperibus judiciorum implorantibus opem, alimenta ordinavit, ne inopia coacti, vadimonia desererent.* Cum statuissent Optimates, adigendos ad restitutionem eos, qui malis rationibus à Michaële pecuniam obtinuissent, Basilius mitigata sententia, dimidium reddi jussit. Hoc modo auri CCC centenaria recuperata sunt ærario. A Photio sacris prohibitus, tanquam homicida, Ignatium ab exilio reduxit, Photium expulit. Insidiis quorundam patriciorum denudatis, filios suos Constantinum, Leonem, tandemque & Alexandrum Augustalibus ornavit insignibus, quartum Stephanum adscripsit clero. Adversus Orientales Agarenos aliquot secunda prælia fecit, totamque peragravit Asiam ad Euphratem usque, & captis, eorum pluribus castellis, triumphans rediit Constantinopolin.

Annal. Fuldenses 869. 870. Reg. l. 2.

Eadem fortuna Ludovicus pugnavit, Germaniæ Rex, missis filiis in Sorabos, Siuslos seu Silesios, Bohemos & Sclavos. Carolomannus Bojoarios defendit, Ludovicus junior Thuringos & Saxones, Carolus Rasticen Sclavorum regem devicit. Bohemi in fidem Caroli, datis dextris sunt accepti, cum interim Ludovicus pater decumberet, & Carolus Calvus, occupatâ Lotharii ditione, imperio inhiaret, qui tamen deinde convalescenti Ludovico alteram Lotharingiæ partem restituit, in qua erant Argentoratum, Treviri, Trajectum, Metis.

Aimoin. l. 5. c. 24.

Sed contra Adrianus Papa Ludovicum Imperatorem coronat, ut Regem Lotharingiæ, ac literis minacibus jubet patruos fraternas Augusto ditiones restituere, quod & Engilberga Augusta precibus juxta contendit. Basilius interea defuncto Ignatio Patriarcha, reddidit honorem Photio, quem Synodus acta Constantinopoli damnârat, asserto imaginum cultu, sed in favorem Pontificis, contra antiquos Canones, ut habet Aimoini Continuator. Idemque Basilius receptis liberatisque aliquot Italiæ oppidis, incitavit Adelgisum, Beneventanum Ducem, missisque auxiliis roboravit in Ludovicum Imperatorem. Ludovicus cum aliquoties rebellem superasset, dolo tandem persuasus dimittit exercitum, atque ita inermis in potestatem Adelgisi redigitur. Solutus est ignominiosis conditionibus ne unquam fines intraret Beneventi. Verum à Johanne IX Papa, qui Adriano successerat, solita Pontificum indulgentia, juramenti religione eximitur, novumque Adelgiso infertur bellum. Imperator tamen, reverentia execrationum, quibus suum devoverat caput, per conjugem & duces Beneventum recuperavit, Adelgiso ad Corsos profugo. *Aimoin. l. 5. c. 23. Reg. l. 2.*

Domesticis sub hæc calamitatibus implicantur reges. Ludovicus Imperator expers prolis moritur, anno ejus sæculi LXXV, Imperii XX. Carolus Calvus, cum ex Hirmandrude regina tres haberet filios, Carolum natu maximum fortuita amisit cæde: Carolomannum, quem coëgerat invitum sacros ordines suscipere, ex clerico rebellem factum excœcavit, Ludovicum solum retinuit incolumem. Ludovicus Germaniæ rex, Sclavis, per Moraviam & Bohemiam rebellibus, magna cæde prostratis, Caroli filii insidiis petitur. Sed Carolus, qui patri suo laqueos tendebat, ipse in laqueos diaboli incidit, tam atrociter vexatus à malo spiritu, ut vix à robusti corporis viris teneretur. Sedata tandem infestatione Satanæ, multis *audientibus confessus, meditatum in patrem scelus, documentum fuit fratribus, omnibusque adeò liberis, ne quid siniştri in parentes suos machinentur.* Ea tempora prodigiosis locustarum agminibus, pestilentia, frigoribus insuetis, fame, infensa feruntur mortalium generi, peccati *Reg. l. 2. Sigebert. Gemblac. Annal. Fuld. Regino. Aimoin. l. 5. c. 30.*

peccati molè onusto; tertiam hominum partem intempestivis absorptam perhibent mortibus. Ludovicus Germaniæ rex, specie patris oblata in somnis, liberari se precantis à tormentis inferorum, multa excitavit monasteria, ut animam patris eriperet cruciatibus. Ea enim opinio tunc animos hominum pervaserat, spectris firmata & mendacibus miraculis, *ut mortui à vivis, vicissim vivi à mortuis opem auxiliumque poscerent.*

Sigebert. Bulgarorum rex, aucto per Basilii, Pontificis, & Ludovici regis episcopos, Christianismo in gente sua, seipsum disciplinæ damnavit monasticæ, filio tradidit sceptrum. Sed postea contemplatus filium ad Ethnicismi revolutum tenebras, resumtis regni gubernaculis, oculos ei ademit; alterumque filium evexit ad dignitatem regiam.

Regino. Cedrenus. Cedren. p. 420. Zonar. Tom. 3.

Basilius Græcorum Augustus, Chrisochirem Manichæorum Principem, fines populantem suos, acie devicit atque occidit, Manichæorum res ad summum elatas fastum redegit ad extrema. Recepit & Cæsaream Cappadociæ, & Agarenorum terras latè prædando exhausit adeò, ut captivorum gravis multitudine, plerosque tolleret è medio, & plurima Arabum castella deleret. Cum autem Tarsenses Saraceni resurgerent atrocius, eorumque Amiras contumeliosis literis jactaret suam potentiam, ac nihil adversus eam valiturum diceret Mariæ filium: Andreas Scytha, Patricius ab Imperatore creatus, audenter in eum ivit, consertaque manu jactabundus Mahumetista sensit divinam Filii Mariæ virtutem, deletus adeò cum exercitu, ut pauci admodum Tarsum se reciperent, cladis nuncium allaturi. Sed hic suum tenuit morem invidia, calumniis onerans Andream, ut qui cunctatione ignava Tarsum expugnare distulisset; Igitur abrogato ei imperio, successit Stypejota, verbis quam manu promptior, qui cum munire etiam castra negligeret, Saraceni, fraudulenta equorum immissione territis Romanis dum instant, castra incauti ducis opprimunt.

Basilio & Ludovico regnantibus, Agarenorum etiam occidentalium vires non parum diminutæ sunt. Qui enim per Michaëlis socordiam Dalmatiæ, Siciliæ, atque Calabriæ multos locos occupassent, Basilii vigilantia Ragusii obsidione (caput ea urbs Dalmatarum) depulsi sunt. Quam rem apud animos reputantes cæteræ nationes, quas Saracenica premebat tyrannis, eandem postulant ab Cæsareis opem, junctisque Basilii & Ludovici copiis capitur Sultanus, & Capuam perducitur. Qui tristis alias, cum rotæ volubilitatem aliquando data opera risisset, atque interrogatus causam insolitæ lætitiæ, *symbolum esse eam diceret rerum humanarum inconstantiæ*, amicitiam obtinuit Ludovici intimam, prudentiam viri mirantis. Sed *fides habita Barbaro Ludovicum fœdè delusit.* Cum enim persuasissel Imperatori Sultanus, ut illustriores Capuanos Beneventanosque, ne quid rerum molirentur novarum, aliò transferri curaret, evulgavit eis, adversus quos dederat, consilium, effecitque suis artibus, ut ab Imperatore urbes deficerent, Sultanumque in Africam reducerent. Hinc ipse reparatis viribus, obsidione iterum pressit civitates, atque ad Francorum coëgit refugere auxilium. Sed Ludovicus, cum supplicarent, lætari se, respondit, repertum esse perfidiæ eorum, qui credidissent, vindicem. At Basilius ab iisdem imploratus, promisit opem, cujus legatus à Sultano captus, insigne dedit fidei in patriam documentum. Jussit enim negare obsessis auxilium, quod à Basilio petiissent, dissimulato, donec exaudiri posset, consilio, magna voce exclamavit, mox adfuturam ab Imperatore classem: ob quod factum à Saracenis dissectus, sua morte Beneventanis salutem attulit. Nam Sultanus, desperata urbium expugnatione, abscessit. Exinde Capua & Beneventum Græco devinctæ imperio, prædictas Ludovico turbas excitarunt. Crobatæ, Servii, aliæque

Cedren. p. 475. 476.

circa Dalmatiam Scythicæ nationes, ad Basilii obedientiam redîêre.

Aimoin. l. 5. c. 28. Photius sub hæc, ut dictum, Anastasius Bibliothecarius, vitæ Pontificum scriptor superstitiosus satis & ineptus, Ado Viennensis Episcopus, eruditione & scriptis claruerunt.

CAROLUS II. CALVUS, BASILIUS MACEDO.

A. M. 4845. Chr. 875. Reg. l. 2. Annal. Fuld. Marianus lib. 3. Sigebert. ann. 876. Aimoin. Cont. l. 5. cap. 32. Annal. Fuldens.

Carolus II Calvus cognomento, Magni nepos, defuncto in Italia Ludovico secundo, muneribus sibi conciliavit Papam Johannem, Italiamque ingressus, frustra reluctante fratre ejus Ludovico natu majore, diadema accepit Romæ, & Imperator salutatus est. Secundis nuptiis junxerat sibi Rothildem, Lotharii quondam Augusti viduam, ex qua liberos quidem tulit, sed natos mox amisit, execrante DEO incestum matrimonium. Ludovicus interim occuparat penè Galliam, sed obsistente Hincmaro Episcopo, & deprecantibus Francis, ne superbiam regis in subditis vindicaret, abscessit ultrò, & paulo post morbo exstinctus est, anno post mortem patris Ludovici Pii XXXVII. Filii ejus, Carolomannus Bavariam, Bohemiam, Moraviam, Carinthiam, Pannoniam, annos tres; Ludovicus Belgium, Franciam, Saxoniam, Thuringiam, Sorabos quinque: Carolus Crassus Sueviam, Alsatiam, Lotharingiam, donec imperio potiretur, tenuit. Calvus, creato Italiæ Duce Bosone, conjugis suæ germano (qui Hirmingardin, Ludovici Augusti filiam, uxorem duxit) jam ultra se elatus, insolentes affectabat habitus. Cumque esset lepore timidior, & *hostes fugere paratior quam fugare*, fratrem tamen minaciter bello lacessebat. Cujus comperto obitu immaniter gavisus, ut injuriam in ipsum meditatum evomeret in filios, cum L hominum millibus in Germaniam properavit. Ludovicus Junior, pace frustra implorata, propè Andranacum, indicit suis jejunium, atque instructus exiguis copiis, vadit in patruum, eumque ingenti perculsum prælio, fuga quærere salutem compellit. Victori demum aggregantur fratres, *divinam extollentes opem, non suam.* Calvus vehementi post acceptam cladem morbo oppressus, recuperata denuò valetudine, accersitur in Italiam, ut Saracenos Pontifici imminentes repellat. Eò cum perveniisset, regem creat Bosonem, Carolomanno patrueli opponit exercitum: ipse Romam meticulosus refugit. Carolomannus falsis territus nunciis, relinquit Italiam. Mox Calvus in Franciam redi- *A. M. 4847. Chr. 877.* turus, corripitur febre apud Mantuam. Eum Sedechias Judæus pulvere veneno temperato interemit *exemplum daturum posteris, quam tuto ac prudenter Christiani valetudinem suam Christi hostibus committant curandam.* *Aimoin. Continuator. l. 5. cap. 35.*

Eo tempore Pasquitanus & Varfrandus duces Britonum, interempto rege suo Salomone, mox in seipsos iram vertunt, acerrimoque confligentes prælio, Pasquitanus Nortmannorum licet subnixus copiis succumbit. Varfrandus prodigiosæ homo audaciæ, ingentem exercitum modica prosternit manu. Dein reparantem bella Pasquitanum æger lecto jacens fugat denuo, patrataque victoria exspirat, novus Epaminondas Britonum. Nec segnes Basilius habuit duces. Oenejates Græciæ præfectus, Euripum masculè adversus Saracenos Tarsenses defendit: Osmam Amiram in prælio occidit. Nicetas Oryphus Cenchreensem in portum delatus, naves per continentem in alterius lateris mare curavit deportari, improvisoque insultu palabundos obruit Saracenos, è Creta tunc populantes Græciæ maritima. Similiter Nasar, cum securos in Cephalenia & Zacyntho oppressisset Africanos Arabes, trajecit in Siciliam Calabriamque, ac stipendiarias ibi Mahumetanorum urbes vastando, præda implevit Constantinopolin. *Reg. l. 2.* *Cedren. p. 477. &c. Zonar. Tom. 3.*

LU-

LUDOVICUS III. BALBUS.

Anno eodem. Aimoin. l.5.c.36. 37. Regino lib.2.

Ludovicus III. è sermonis vitio *Balbus* cognomento, audita patris in Italia morte, donis sibi conciliavit, quoscunque potuit procerum, atque indignis largiendo bilem movit cordatis. Coronatus tamen ab Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, ac novercæ Richildis adventu confirmatus in regno Galliæ, gravem in morbum incidit. Ex quo cum aliquantum revaluisset, advenit Joannes VIII, aut IX potius, (nam eum, qui VIII est, ob rei indignitatem, è Pontificum plerique albo expungunt) ut anathema dictum à se Lamberto & Adelberto Comitibus, ac Formoso Portuensi sociisque eorum, firmaret per Episcopos Gallicanos. *Annal. Fuld.* Hi Comites cum manu valida Romam ingressi, Optimates in Carolomanni verba adegerant, Papa interim altaria cilicio operiente, omniaque suspendente sacra; Assumptoque post annuam fugam Bosone, Italicum regnum ei vendicare annitente. Episcopi Galliarum adstipulati Pontifici hoc in negotio, promotionem Ansegisi Senensis *Aimoin. l.5.c.33. 38.39.* Episcopi, quem præsidere Synodis suo nomine jusserat, neutiquam comprobarunt. Ibi Ludovicus Augustalibus à Papa insignibus exornatus, pacem cum patruele suo Germaniæ rege fecit, ut Lotharii quondam regnum ex æquo possiderent, Italicum in ambiguo esset, quoad Carolomannus tunc decumbens, & Carolus, fratres Ludovici, conventui *A. M. 4839. Chr. 879. 10 April. die paraseeves.* possent interesse. Ita *Balbus* nulla re memorabili gesta, altero imperii anno *decessit* Compendii, non sine veneni suspicione. Moriturus coronam regiaque Ornamenta ad Ludovicum filium, adolescentem adhuc, destinavit; Bosone instinctu suæ conjugis, quæ Ludovici Augusti filia esset, Hugone contra Waldradæ filio stirpis Lotharianæ fiducia, ad regnum adspirantibus.

BASILIUS MACEDO, CAROLUS III. CRASSUS.

Anno eodem. Annal. Fuld. Aimoin. l.5.c.40. Regino lib.2.

Carolus III. Crassus, filiorum Ludovici Germaniæ regis natu minimus, Caroli Magni pronepos, superstitibus adhuc fratribus, Carolomanno & Ludovico, regnum Italicum occupavit, defuncto Balbo. Frater ejus Ludovicus Viridunum usque processit populabundus, partemque Lothariani regni extorsit Francis. Ei ad se accito Carolomannus paralyticus, & jam lingua captus, scripto commendavit uxorem, & filium Arnolphum nobili concubina procreatum, ac paulò post spiritum emisit. Ludovicus posthac Nordmannos, Scaldin tenentes fluvium, affecit clade, quinque eorum millibus peremptis. At in Saxonia cum iisdem per duces suos pessimè pugnavit. Duodecim Comites ac duo Episcopi ceciderunt prælio, inter quos & Brunno Dux, Brunsvigæ urbis conditor. Ea Francorum clade audentiores Sclavi, Dalmatiam, Bohemiam, Sorabiamque habitantes, invadunt Thuringos, sed à Poppone Sorabici limitis duce ad internecionem cæduntur.

Sub hæc Ludovicus, Balbi filiorum tutelam gerens, alteri eorum Carolomanno Burgundiam & Aquitaniam, alteri Ludovico Neustriam assignavit, accedente & Caroli Crassi sententia. Hi cum Hugone & Bosone, qui Reges se ferebant Francorum, variè dimicârunt. Tandem Hugo in fidem venit Ludovici, largiterque ab eo muneratus aliquandiu interquievit. Sed cum postea res novas moliri cœpisset, à Carolo Crasso oculis multatus, tandemque manu Reginonis Abbatis Prumiensi in monasterio tonsus est, Bosonem Carolus conjunctis cum patruelibus suis copiis, Vienna expulit; inde perrexit in Italiam, citatoque itinere Romam profectus, ab Johanne VIII accepit diadema. Is Papa tres, sed brevis ævi Augustos, coronis exor-

exornavit, Calvum, Balbum & Craſſum.

Regino lib. 2. Interea verò Nordmanni ex cladibus ſuis reviviſcentes, Cameracum, Trajectum, Coloniam Agrippinam, Bonnam, rapinis atque incendiis vaſtant, ac Ludovico mox Cometam, mortis prænuncium ſequuto, omnia Rheni confinia ad Confluentiam uſque cremant: Inde & Trevirorum urbem, Epiſcopo interempto. Ludovici filius unicus, Ratisbonæ è feneſtra delapſus, fractis cervicibus ſtatim exſpiravit.

Annal. Fuldenſ. Quare cum Gallia Germaniaque jam à multo tempore Danorum patuiſſet inſultibus, Carolus Imperator, quantis poteſt copiis munitionem eorum ad Moſam flumen oppugnat. Ubi dum diutius hæret, prodigioſa grandine tam obſeſſi percelluntur quam obſeſſores, & ad pacis conditiones inclinant utrique. Godefridus Rex icto fœdere, ut ſibi Friſia provincia & Giſela Lotharii regis filia darentur, baptiſmo initiatus eſt. Milites tributis muneribus placati, aliquanti temporis quietem præſtitére.

Agebatur jam annus iſtius ſeculi LXXXIII, cum Johannes VIII Papa veneno potatur à quodam ſuo propinquo, eoque non, ut putabatur, confectus, malleorum ictibus occiditur, actis Papatus annis X. Conſtructor factionis, invaſo throno, brevi poſt interiit. Succeſſit Marius Archidiaconus, quem Carolus Imperator rumoribus excitus in Italiam, excepit honorificè. Ibi Vido Comes Thuſciæ, Dux Spoletanus, majeſtatis reus, ut effugeret judicium, Saracenos ſibi Mauritanos adjunxit fœdere, genteſque Italicas timoris implevit. In hunc Carolus Berengarium, conſanguineum ſuum, dirigit, à quo Vido magna ditionum parte eſt exutus. Ne debellaretur, morbus obſtitit, totam Italiam, inque ea milites fœdè tunc populatus. Igitur Carolus Bajoarios in Italiam perduxit. Illorum terram atrociter afflixerat Zuentibaldus Moravorum Dux, ſocietate uſus comitis Arbonis, quem à Cæſare conſtitutum, principum duorum filii, eam dignitatem ex majoribus ſibi deberi prætexentes expulerant. Involutus eſt iiſdem calamitatibus Arnulphus, Carolomanni filius, Pannoniæ rector, quod Arbonis comitis tueretur inimicos. Nam Zuentibaldus Pannoniam viris opibuſque exhauſit. Tandem advenienti Carolo ſacramentum dixit Moravus fidelitatis; Caroluſque per Carinthiam in Vidonem profectus, redegit eum in ordinem, Vido purgatis jurejurando culpis, in fidem receptus eſt Cæſaris. Dehinc Carolomanno (Balbi is filius erat) Francorum rege, ex vulnere, quod venanti aper inflixerat, mortuo, reverſi ad ingenium Nordmanni, & *cum rege* dicentes, *non cum regno pactas inducias*, neceſſitatem impoſuerunt Francis, Carolo ſe Imperatori ſubjiciendi. Et Godefridus ſanè Nordmannus Batavia in inſula dolo peremptus eſt: Carolus tamen inexpugnabiles hoſtium vires æſtimans Pariſios obſidentium, pacem ab illis ea conditione eſt mercatus, uti regiones ultra Sequanam ſibi haberent; qui tractus abhinc Nortmanniæ nomen tulit.

Poſtea Caroli *felicitas*, qui Germaniam, Galliam, Italiamque penè ſolus teneret, *more ſortis humanæ, præcipiti lapſu ruit*. Cum enim corpore ſimul animoque inciperet languere, ac Luituardo Vercellenſi Epiſcopo, cui totum ſe permiſerat, litem de ſtuprata Richarde Auguſta intenderet, adoptata jam Boſonis, rebellis iſtius, ex filia Ludovici prole, iras accendit Germanorum. Franci, Saxones, Thuringi, Bavari, Arnulphum è Carinthia accerſunt Francofurtum, eumque Regem ſibi ſtatuunt, fruſtra obnitente Carolo. Qui cernens ab omnibus ſe deſeri, miſſis ad Arnulphum muneribus, pauca Alemanniæ loca ad neceſſarios vitæ uſus ſibi dari petiit: quibus impetratis, ſequentis anni initio diem clauſit ultimum, novo exemplo patruus nepotis ſui Cliens aut pupillus factus, acto Imperii ferè novennio. *Chron. Laurisham. menſe.*

Nec *Baſilius* Græcorum Imperator per- *Zonar. Tom. 3.*

perpetua fortunæ blandimenta ſenſit. Dum enim templorum ædificationibus Michaëlis expiare cædem nititur, & claſſiariorum in iis abutitur opera, ratus ſe ab Elia Vate, quem colebat eximiè, in cœlum rapiendum: Agareni arrepta occaſione oras maritimas impunè deprædantur, & Syracuſas, inſignem ac pervetuſtam Siciliæ urbem, prorſus evertunt. Mox Abdalla, novus Africæ Calypha, Mahometum execratus, & Halyn ſecutus atavum ſuum, ritus & orationes Saracenorum immutavit. Produxit deinde *Tyrius l.19.c.20.* de ſe nepotem Elmedinallam, qui potitus Ægypti, Carium urbem ſtruxit, & regnum ibi Babylonico æmulum condidit. Id Chriſtianæ reipublicæ detrimentum reſarcire viſi Ruſſi, Chriſti ſe familiæ applicantes. *Georg. Cedren.* Cum enim Epiſcopus eis à Baſilio Imper. miſſus, Dei potentiam extolleret, atque inter alia ſervatos mediis in ignibus referret cultores ejus, Ruſſi iſtius rei poſtularunt documentum ſibi dari, & Euangeliorum librum in ignem mitti, veritatem dogmatis hoc ſigno exploraturi. Epiſcopus Deum obteſtatus, ut virtutem ſuam tantæ multitudini approbare dignaretur, obtinuit quod poſcebatur. *Liber flagrantiſſimo in camino nihil læſus, conſumptaque tandem omni ignis materia incolumis repertus, movit Ruſſos, ut extemplo nomen Chriſto darent.* *Cedren. Zonar.*

Sequiori miraculo illuſus eſt Imperator Baſilius, prophana curioſitate inductus. Cum enim Conſtantinum, filiorum vetuſtiſſimum, ægritudine fatali extinctum, ardentius deſideraret videre, Theodorus Santabarenus monachus ſpeciem defuncti, tanquam viventis, repræſentavit ejus oculis. Admirante Baſilio, alter filiorum Leo præſtigias has dicere Satanicas, Santabarenum magiæ inſimulare; haud immerito. Monachus in longum jacere doctus odium, id egit interim ſedulò, ut retenta Imperatoris gratia filio exitium ſtrueret. Perſuadet Leoni, ut ad incertos caſus pugionem ſecum ferat clam in ocreas abditum. Fingit deinde apud Baſilium, inſidiis eum à filio peti, teſtimonio eſſe gladiolum, quem occultè in ocreis Leo geſtet. Ita circumventus calumnia præſtigiatoris egregius juvenis, in vincula mittitur, multis civium miſerabilem ejus fortunam lamentantibus. Quorum voces obiter hauſtas Pſittacus quidam palatinus, ſolenni in convivio, ut conſuetudo fert avis illius, repetens crebrius ingeminanſque, *Heu Domine Leo*, profundam epulantibus triſtitiam incuſſit. Cujus ut cauſam poſtulat Imperator, illi arrepta è garritu avis occaſione, deprecantur pro Leone, hominemque innoxium vinculis eximunt. Baſilius haud impunè tulit Satanicæ artis commercium. Nam paulò poſt in venatione, ingentem percuſſurus cervum, zonam mirabili caſu ramis cornuum ejus implicat, itaque raptatus confeſtim periiſſet, niſi aliquis Comitum diſſecta enſe zona exemiſſet eum periculo. Qui ob id facinus, ut qui gladium ſtrinxiſſet in Imperatorem, cui ſalutem attulerat, capite truncatus perniciem pro præmio tulit. Mox verò Baſilius Servatoris ſui perditor, inverſis ex vulnere inteſtinis, cum cruciatu interiit, imperio functus annos XIX.

Remigius Antiſiodorenſis, Ambroſius Ansbertus, Regino Prumienſis, monachi his temporibus claruerunt.

ARNULPHUS, LEO VI. PHILOSOPHUS.

ARnulphus Caroli Magni abnepos, Carolomanni Germanici è nobili pellice filius, ab Optimatibus Germaniæ ſuffectus eſt patruo, corporis animique viribus enervato. Miſeranda rerum facies, *ex nobiliſſima Caroli Magni ſtirpe nullum ſupereſſe legitimo procreatum matrimonio, qui ſummam orbis capeſſat dignitatem.* Habebat & Carolus Craſſus è pellice filium Bernhardum, quem xeniis inſtructum Arnulpho commendavit. In Gallia ſupererat è Ludovici Balbi filiis poſthumus quidam Carolus, quo ne- *Regino lib.2. A. M. 4857. Chr.887.*

glecto, Franci Odonem Parisiorum comitem, qui urbem adversus Nortmannos masculè defenderat, Regem sibi præficiunt, cujus prudentia ac moderatione flexus Arnulphus, regnum ei sub fide & clientela sua habendum permisit. *Annal. Fuld. An. 888.* Rodolphus autem Conrado prognatus, Hugonis Abbatis filio, occupatis inter Juram & Penninas Alpes terris, regem se Burgundionum fecit, profectusque Ratisbonam ad Arnulphum, data acceptaque fide, toto vitæ suæ tempore deinceps in rupibus Penninis, adversus Arnulphi & filii ejus Zuentibaldi vires se tutatus est. *Luitprand. l. 1. c. 6.* In Italia Guido Lamberti filius, Dux Spoletanus, cum Berengario, Forojuliano Duce, de regno contendebat, fractumque præliis æmulum ditionibus tandem expulit.

Regino lib. 2. Illas principum dissensiones occasionem sibi sumserunt Nortmanni, Galliam & Germaniam infestandi, Hungari Italiam, Pannoniam, Carinthiam, Moraviam. Britones etiam Christiani cum gentis suæ paganis atroci colliti bello, uno prælio ad quindecim eorum millia prostravisse memorantur.

Luitprand. lib. 3. c. 5. Hungaris aditum in Germaniam aperuit Arnulphus, dum Bohemos ob impositum sibi ducem Zuentibaldum rebellantes, eorum auxilio comprimere annititur. Nortmanni à Parisiis aliquoties rejecti, navibus per aridam ad duo passuum millia tractis, iterumque immersis Sequanæ, *An. 890.* Burgundiam populantur, anno sequenti (is erat nonagesimus ejus ævi) Constantiam exurunt; nonagesimo primo Arnulphi copias ad Mosam magna profligant strage, Imperatore interim cum Sclavis Bohemiæ incolis bellante. Arnulphus animoso in pectore versans illatum sibi damnum transmittit Rhenum fluvium, *Annal. Fuldenses.* & Nortmannos cum insultatione & derisu improperantes fugam exercitui, ad Tiliam amnem atroci prælio devincit, vix cladis nuncium eis relinquens. Ubi & Dani, Nortmannorum præcipui, nec ullo prælio, ut ferebatur, domiti antehac, duos amiserunt reges, Godfridum & Sigfridum, signaque militaria XVI. Inde accersitus à Berengario, in Italiam Arnulphus, ut Guidonem Imperatoris nomine superbum amoveret, Zuentibaldum præmisit filium: quo parum promovente, subsecutus ipse in Longobardiam, Placentiam usque pervasit, reflexoque in Galliam itinere, Rodolphum Penninis se tuentem jugis, dejicere non valuit. *Luitprand. l. 1. c. 7. 8.* Guido Arnulphum infectans, ad Tarum amnem sanguinis vomitione exstinguitur, aut pro mortuo latet, anno ejus seculi XCIV. Arnulphus filio suo acquirit regnum Lotharianum, & Ottonem Galliarum Regem, adversus quem Carolus, Balbi ex Adelheide filius, regnum sumserat, honorificè dimittit, mox à Zuentibaldo armis affligendum. *Regino lib. 2. Luitprand. lib. 1. c. 9. Annal. Francorum. Fuldenses.*

Deinde alteram in Italos expeditionem suscepit, quod Lambertus Guidonis filius, diademate insignitus à Formoso Papa, minus ex sententia Pontificis imperaret. Peragrata igitur Italia, obsidione cingit urbem Romanam Arnulphus, eamque miro ac ridendo casu occupat. Lepusculum fortè versus urbem fugientem, exercitus pars cum clamore sequebatur. Romani in muris excubantes, impetum hunc in se ferri putant, metu dilabuntur, facilemque hostibus irrumpendi in Leoninam viam præbent. *Sic velut à lepore captam urbem, mundi Dominam, Arnulphus ingreditur*, acceptaque de Formosi manu corona, adversarios ejus plectit capite, Romanos juramento, ad fidelitatem sibi præstandam obstringit, urbem ipsam Faroldo cuidam custodiendam tradit, Agildrudem inde ejusque filium Lambertum bello persequitur. Dum Firmi obsidet vafram mulierem, illa fæmineo astu famulum corrumpit Imperatoris, perque eum veneno vitam ipsi tentat adimere. Quo ille hausto, triduum semianimis jacuit, inde paulatim ad se reversus, retro cœpit ferre pedem. Lambertus carpere lausus & lacessere ejus copias, interficitur, per venationem, ab Hugone Mediola- *Luitprand. l. 1. c. 15. 12.*

diolanensi comite, cujus patrem rebellionis causa supplicio affecerat, rex solam ob severitatem Italicis exosus. Arnulphus paralysi languens, redit in Germaniam; Ludovicus Bosonis filius, è Provincia in Longobardiam irrumpit, Zuentiboldo interim, ob expulsum ducem Reginarium, civilibus cum armis conflictante. In hunc irritatus & Carolus Simplex, qui jam exempto rebus humanis Othone, Gallia potiebatur, legatorum interventu placatur, eodem anno, quo Ludovicus, fugato Berengario, ingressus Romam, Imperatoris nomen à Stephano Papa obtinuit.

Regino. Annal. Sigebert.

Etenim Formosum Pontificem Bonifacius homo nefarius, Bonifacium xv die podagra consumptum, Stephanus excepit, homo coopertus flagitiis. Hic Formosum antecessorem suum, quasi vivum, traxit in judicium, devovit diris, corpus è sepulcro productum Papalibus nudavit ornamentis, abscissisque tribus dextræ digitis, præcipitari in Tiberim jussit. Regino Abbas Prumiensis, æmulorum factione detrusus, Richarium, ut scribit, invidiosum successorem habuit: Sub excessum anni nonagesimi noni *Arnulphus* Imperator, longa dissolutus ægritudine cum uxor ejus adulterii esset convicta, *migravit è mundo*, anno imperii ferè duodecimo. Luitprandus & Sigebertus phthiriasi consumptum scribunt.

Luitprand. lib. 1. c. 9. A. M. 4869. Chr. 899. 29 Nov. Zonar. Tom. 3. Cedren. p. 488. &c.

Orienti tunc imperabat *Leo*, ob studia artium & Philosophiæ *sapiens aut Philosophus dictus*, filius Basilii. Is Santabarenum, jam è monacho Episcopum, flagris cædi, Athenas deportari, demptisque oculis ibi exulare jussit. Ne defenderetur à Photio Patriarcha, seposuit & illum in Armeniorum monasterium, suumque fratrem Stephanum levavit in thronum. Angæum (Berengarium voluit fortè dicere Cedrenus) Longobardiæ ducem expeditione infestavit infelici. Nam Dux Leonis omnibus penè suis amissis ægrè fugam evasit. Malè audit Leo ob pellicem, Augustæ Theophanæ superinductam, cui nomen Zoë Ejus patrem Zausan nova dignitate Basilcopatorem salutavit, defunctaque conjuge, Zoën legitimæ habuit uxoris loco. Zausas, mercimoniis Bulgarorum ex urbe regia translatis Thessalonicam, iniquitate vectigalium, accendit bellum Bulgaricum. Leo cum vincere non posset Simeonem regem Bulgarorum, Turcos Istri accolas, qui Ungari vocabantur, irritavit in Bulgaros, à quibus illi cladem acceperunt ingentem. Sed eam brevi post regessit Simeon, & Leonem reddere captivos, quos ab Ungaris emerat, adegit. Deinde omnes Leonis copiæ Bulgaris succubuêre, cruento utriusque certamine, quo annales eo scripti tempore narrant, xx Bulgarorum millia cecidisse. Leo ipse domesticas vix effugit insidias, Zoës detectas vigilantia, quæ pauxillum eis supervixit. Alias ei postea intendit Zoës patruelis Basilius, quarum conscius Samonas Agarenus, indicium fecit Leoni, Basilioque exilium procuravit, sibi honores ingentes. Mox & tertia Leonis conjux Eudocia in partu exstincta cum fœtu. Imperator ipse Sacro Pentecostali, dum oraturus templum ingreditur, valido fuste percutitur caput, letali utique ictu, nisi ejus vehementiam candelabrum, à percussore minus observatum, nonnihil infregisset. Creditus insidiarum autor fuisse Alexander, sed nullo latronis indicio adspersus est, quamquam ille amputatis artubus in circo cremaretur. Leo Arnulphum anno seculi ejus nonagesimo sexto insigni legatione coluit, perque Lazarum Episcopum munera ei transmisit Ratisbonam. Post illum in templo casum, decennium adhuc Græcorum rebus præfuit, fortunâ mediocri, Ludovico interim IV Germanis jura reddente. Luitprandus lepidum Leonis factum memorat, quo excubitorum palatii integritatem explo-raverit. Dissimulato enim quis esset, noctu solus, velut ad lupanaria egressum quæreret, custodes cœpit precio demulcere. Cum prima & secunda statio *lucri*

Annal. Fuldenses. anno 896.

Luitprand. lib. 1. c. 3.

potiorem quam fidei rationem habuiſſent, tertia nihil mota prece aut precio, flagris cæſum in cuſtodiam dedit donec illuceſceret. Tum verò re cognita, corruptos expulit aula, fideique expertæ vigiles donis magnificis ac reliquorum fortunis muneratos, excitavit ad virtutem.

LEO PHILOSOPHUS
Et
ALEXANDER,
LUDOVICUS IV.

A. M. 4870. *Chr.* 900. *Regino lib.* 2. *Marianus Scot. l.* 3. *Luitprand. lib.* 2. *Gotfridus Vit. Chron. par.* 17.

ZUendeboldus Arnulphi nothus, Lotharianum poſſederat regnum hactenus, qui ob injurioſe habitos quoſdam procerum, deſertus à pleriſque, dum redigere ad obedientiam eos nititur, bello peremptus cecidit, cum paulò ante principes Germaniæ Ludovicum duodecennem, juſta Arnulphi uxore genitum Imperatorem deſignaſſent Forchemii: Hattone Moguntino & Ottone Saxonum duce præcipuam Reip. curam gerentibus. Sed Ludovicus Boſonis filius Italiam ſibi uſurpabat, Hungaris interea Germaniam affligentibus. Iis viam Arnulphus aperuerat, ut dictum, dum Bohemos eorum auxilio in ordinem cogit. Ludovicus, filius ejus, in Bajoaria quidem & Carinthia eos profligavit; ſed illi diſſidiis Germanorum robuſtiores, continuis poſtea populationibus Bajoariam, Thuringiam, Saxoniam exhauſerunt. Leopoldus Saxonum & Burchardus Thuringorum duces occiſi in prælio, Ludovicus ipſe Imperator quinto regni anno (erat ſeculi decimus quartus) grandi pugna victus, Franciam Ungaris tributariam facere coactus eſt. Neque ea contenti inſolentia Barbari, Transpadanas Italiæ civitates cæde ſimiliter atque incendiis peſſundant, nihil ſacri prophanique habentes. Ludovicus Biſonis, quum pulſo in Bavariam Berengario, Italiam ſibi ſecurus videretur poſſidere, exauctoratis copiis, Veronæ ociabatur. *Herm. Contractus anno* 903. *L. Schafnaburg. Sigebert. Gembl.*

At Veronenſes, Berengario addicti, citatis eum nunciis è Bajoaria accerſunt, qui contracto undecunque exercitu, nocturna irruptione improvidum oppreſſit Ludovicum, eumque regno pariter oculiſque privavit. Ita Berengarius, quæſito tot infauſtis prælis dominio, per ſolam æmuli deſidiam potitus, atque exinde Italicus Imperator ſalutatus eſt. Sub hæc Leo, Græcorum Imperator, à Nicolao Patriarcha ob quartas nuptias, prolis cauſa maſculæ initas, ſacris prohibetur, multiſque, ut in gratiam reciperetur, precibus fruſtra connixus, pellit ſede obſtinatum antiſtitem, atque in monaſterium quoddam deportandum curat. Suffectus Nicolao Euthymius Syncellus, vehementer obſtitit, ne regio diplomate tertii quartique matrimonii libertas ſanciretur. At Deus benedixit Auguſti Leonis conjugio, ac Zoë filium ei ex voto, nomine Conſtantinum peperit, imperii deinde aviti potitum. *Cedren. Zonar.*

Cæterum Samonas Saracenus, opum quam Chriſtianiſmi amantior, collectis, quos paraverat in aula, theſauris, fugam molitur ad populares ſuos, ſed retrahitur à Conſtantino Duca, convictuſque perfidiæ, cuſtodiæ mancipatur. Reconciliatus poſtmodum Leoni, familiarius uſo transfuga, machinatur Conſtantino, ac familiæ ejus perniciem, Saracenis interea Tauromenium Siciliæ, Lemnum Inſulam, & Theſſalonicam urbem expugnantibus. Mox verò *nimia familiaritas contemptum* Leonis *peperit* Barbaro. Cum Eunuchi cujuſdam ſibi ſuſpecti exitium non impetraret, omnia ex arbitrio ſuo decerni ſuetus famoſum de Imperatore libellum ſpargit, proditusque à conſcio quodam, exilii damnatur. Ita Leo variè geſta per xxv annos Græcorum Republica, ventris morbo contabuit, Alexandro fratri ſuo tutela Conſtantini parvuli commendata. Alexander annua adminiſtratione in omni deliciarum ludorumque genere functus, cum jam caſtrare moliretur pupil- *Cedren. Zonar. Sigebert.*

pupillum ſuum, homo guloſus per nimiam corporis jactationem vaſa rupit ſpermatica, multoque ſanguine per veretrum & nares rejecto exſtinctus eſt. Conſtantinum aliorum reliquit inſidiis obnoxium.

Conſtantinus enim ſeptennis adhuc, ſtatim Conſtantini Ducæ factione eſt impetitus, cujus familiam Samonas perfuga fœdè afflixerat. Sed tutores, concitatis in Ducam prætorianis, id operam dederunt, ut adempto ei capite comprimerent rebellionem. Quod cum feliciter peregiſſent, atrocius perſequendo interfecti neceſſitudines, odia accenderunt publica, ac novum ferè bellum ſuſcitarunt. Simeonem tamen Bulgarum jam ad urbis hærentem mœnia, pactis demulſerunt & muneribus. Nec ipſi diuturno exultarunt dominio. Nam quod Conſtantinus matris ſuæ Zoës, quam Alexander palatio depulerat, pio flagraret deſiderio, revocata illa brevi adminiſtrationem Reip. ad ſe traxit, tutorum pleriſque dimotis gubernaculo.

Pejor erat Romanæ urbis conditio, quam deteriores fœminis Pontifices lacerabant.

Platina. Nam Romanus I. prædeceſſoris ſui Stephani acta improbaverat; ejuſque veſtigia legens poſt tertium menſem Theodorus II, cui xx die ſuffectus Joannes IX, aut X, Formoſi tutando decreta, tantam conflavit ſeditionem, ut paulum admodum ab juſto prælio abfuerit; profectus Ravennam, LXXXIV Epiſcoporum habito conventu, Stephani VI reſcidit omnino ſanctiones.

Sed & huic biennium acto Papatu, ſucceſſit Benedictus IV eodem tempore, quo Ludovicus Boſonis, poſtremus è ſtirpe Caroli Magni Principum in Italia regnum oculoſque amiſit, *ut ſolent occidere quæ orta ſunt & aucta maximè ſenescere, præſertim ubi remiſſa exercitatione virtutis, voluptatibus thermiſque ad effœminandas potius, quam roborandas mentes vocatur.* Quod idem Pontificali accidiſſe dignitati fatetur Platina, nullo Principe coërcente portenta illa, *à quibus ſanctiſſimam Petri autoritatem occupatam dicit potius quam poſſeſſam.*

Igitur Leo V, Benedicto poſt triennium ſubſtitutus, quadrageſima die vincula pro ligandi poteſtate ſubiit, dolore animi enecatus, quod Chriſtophorum, ut lupum, domi ſuæ aluiſſet. Sed & Chriſtophorus ſeptimo menſe dejectus, monaſticam vitam, unicum calamitoſorum refugium, obire cogitur. *In monaſteria enim velut in inſulas, clerici & Principes malè de Republ. meriti, tum relegabantur.* Ejus Succeſſor Sergius III, Gallorum Regis amicitia fultus, Chriſtophorum arctiore cuſtodia revinxit, & Formoſi facta improbavit adeò, ut cadaver ejus inveſtigatum capitali juberet ſupplicio affici, iterumque in Tiberim projici. Quod deinde repertum à piſcatoribus, ferunt Baſilicæ Apoſtolorum illatum, & ſi credere fas eſt, ab imaginibus Sanctorum venerabunda capitum demiſſione exceptum. Sergius hic è Marozia ſcorto Johannem XI Papam genuit, teſte Luitprando. Sic ſævientibus in ſe invicem Chriſtianæ legis anteſignanis, crudeles Hungari à DEO ultores immiſſi ſunt. Illi enim Ticinum, prædando delati, Berengarium tunc Italiæ Regem immenſis ſubnixum copiis, ad Brennam fl. ingenti ſtrage ceciderunt. Cum enim à tumido viribus ſuis rege, ablata licet omni præda, incolumitatem corporum obtinere nullis precibus poſſent, verſi in deſperationem Hungari, tripartitis inſidiis aggrediuntur ſecura agmina, & quos placare muneribus nequiverant, implacabili cæde ſternunt Italicos. Neque fuit deinde quiſquam, qui eorum vim ſuſtineret, niſi munitiſſimis fortè in locis. Pars Italiam, pars Germaniam effuſiſſimè devaſtarunt. Similiter in Thracia Bulgaricum recruduit bellum.

Luitprand. l. 1. c. 8. 13.

Luitprand. l. 2. c. 5. 9.

Simeon, Bulgarorum Princeps, Adrianopolin proditione cepit: Zoë Auguſta iiſdem eam artibus recuperavit, vario utrinque marte geſta res eſt. Auguſta ut reſiſteret fortius Bulgaris, pacem cum

Cedren.

Agarenis Orientalibus fecit. Contractis in occidentem omnibus copiis, exorta est inter duces discordia, Phocam imprimis & Romanum, qui ambo muliebris contemptores aut puerilis imperii, potentiam affectabant supremam.

Zonar. Cedren. Luitpr. l. 3. c. 6. 7. 8. Sed Romanus (cognomen ei *Lacopeno* fuit) *tam fortitudine præstans, quam genere humilis*, præfectus maris, æstu Phocam superavit. Dicto enim jurejurando, nec Imperatori se nec imperio insidiaturum, intromissus est in regiam, datâque Constantino in uxorem filiâ Helena, generum sibi fecit Augustum, vicissimque ab eo pater appellatus est. Quo comperto, deseritur à suis Phocas, mox ut perduellis excœcatur. Paulo post Imperatrix Zoë seponitur in monasterium, Romanus Cæsaream à genero dignitatem impetrat. Interjecto tempore apparuit, *nec generum à socero tutum, nihilque non sacrum regnandi causa violari.* Romanus enim fortunæ elatus blanditiis, non habuit satis secundas à genero partes tenere Imperii, sed par ei initio, ac paulo post major haberi concupivit. *Luitpr. l. 1. c. 2. & 3. c. 8.* Igitur Christophorum filium suum ornat diademate, & infra se Constantinum dejicit, pro arbitrio Rempubl. temperans, frustra queritante se delusum à genero, soloque *Porphyrogenneti* nomine, *quod in conclavi Porphyra, legitimis imperii hæredibus destinato esset procreatus*, Socerum superante.

Sub hæc Siciliam tenentes Saraceni iterum cœperunt infestare Italiam, quibus impar Constantinus, per Eustachium Calabriæ præfectum XXII aureorum millia pro tributo eis addixit annuo. *Cedren. p. 536. Sigebert. anno 910.* Addit Sigebertus, Garelianum illos occupasse montem, ibique constructa munitione permultas Italiæ urbes debellasse.

Luitpr. l. 2. c. 3. Suffrid. lib. 1. Witichindus l. 1. Annal. Nec Germania intestinis caruit motibus. Adalbertus Francorum Comes, Othonis Saxonum Ducis è filia nepos, per septennium rebellis Ludovico Imperatori, Conradum Francorum Comitem, ob interceptam quorundam locorum jurisdictionem, occidit, neque vi ulla redigi in Ludovici potuit manum. Eum Hatto Moguntinus præsul, data dextera, se indemnem eum reducturum in urbem, fraudulento consilio circumscripsit. Simulata ex itineris tædio defectione corporis, ad prandium, quod antea abnuerat, revertit cum Adalberto. Hinc velut expleto juramento, quo se comitem reducturum promiserat, offert eum Ludovico, à quo damnatus majestatis, capitale supplicium luit, frustra Hattonis perfidiam exsecratus.

Biennio post *Ludovicus*, anno imperii XII ob tyrannorum in Italia insolentiam, multamque ingruentium malorum molem, non additû Italiâ, *morbo absumitur* XXIV annorum juvenis, in quo Caroli Magni mascula stirps defecit, ut & Chronicon Reginonis. Cui suppares feruntur, Marcus Eremita, & Radulphus Flaviacensis. A. M. 4282. *Christi* 912.

CONRADUS I. OCCIDENTIS IMPERATOR ROMANUS.

LACOPENUS & CONSTANTINUS VII. PORPHYROGENNETUS, ORIENTIS AUGUSTI.

CUm Otho Brunsvicensis annis gravis abnueret imperium, ad commendationem ejus *Conradus* Francorum Dux, illius ab Adalberto occisi filius, à proceribus Germaniæ designatus est Imperator, regnavitque septennium absque benedictione Pontificia, quam recusasse traditur à Gotfrido Viterbiensi. Altero anno Arnoldum Bajoariæ, Burchardum Sueviæ, Eberhardum Franciæ, Giselbertum Lotharingiæ Principes, illisque omnibus majorem Henricum, Othonis jam defuncti filium, Saxoniæ & Thuringiæ rectorem, rebellionem meditantes, quâ sapientia, quâ fortitudine revocavit ad obedientiam. Solus Arnoldus cum suis profugit ad Hungaros. Eos ex Berengariano fœdere Alemaniam infestantes, gravi prælio ad Inum fl. juncti Aleman- *Luitpr. l. 2. c. 7. A. M. 4289. Christi 919. Siffrid. lib. 1. Continuator Regino. Schafnaburg. Marian. Sigebert. Gembl. Gotfridus Viterb.*

Alemannis Bavari fuderunt. Saraceni interim liberius à Fraxineto & Gareliano monte Calabriam percurſarunt, Apuliamque. Sed cum parum cohæreret inter ſe Germania, reverſi poſt biennium Hungari, penetrarunt Fuldam uſque, hinc & in Alſatiam ſe effuderunt, Lotharingiamque, latè omnia proſternentes. Henricus Saxonum dux, invidioſa ſuſpectus potentia, Hattonis Moguntini petitur inſidiis, per aureum monile eum capere, & Conrado tradere molientis. Sed patefacto veteratoris dolo, incanduit Henricus, miſſaſque in ſe Conradi copias tanta cecidit ſtrage, ut proverbio jactarent Saxones, Ubi infernus, qui tantam cæſorum capiat multitudinem? Hatto conſcientia ſcelerum ictus, ut alii volunt, fulmine; ut Siffridus Presbyter, murium infeſtatione periit, à quorum ſe morſibus nec inſulis poterat, nec arcibus defenſare. *Witichindus lib. 1. Annal.*

Nec diu ſuperſtes Conradus, imperii inſignia ad Henricum æmulum mittit, commendatum proceribus ac potentia animique virtute ad illud culmen aptiſſimum. Ita decedit Imperator, eo maxime nomine memorandus, quod fati præſcius *majorem Reipubl. curam, quam ſuarum neceſſitudinum cupiditatumque habendam duxit.*

Pugnatum ſub hæc à Byzantinis ad Lemnum cum Saracenis, & claſſis eorum merſa. Pugnatum & cum Simeone Bulgaro, ſed illatæ tantum acceptæque clades. Bulgarus iterum ad Blachernas progreſſus, colloquio Imp. Lacopeni *à cæde eum dehortantis, ſi Chriſtianus audire vellet & eſſe*, oblatis muneribus ceſſit. Sed ut erat homo inquietus & ſanguinarius, à Crabatis deinde & Serviis, quibus bellum inferebat, in montium anguſtiis circumvenitur, & mox cordis dolore exſtinguitur. Petrus ejus filius neptem duxit Lacopeni Mariam, & pacem cum Græcis coluit. Inde Lacopenus haud contentus inferiorem ſe eſſe Conſtantinum, etiam filios ei ſuos tres antepoſuit. Porphyrogennetus genuinus Imperator quaſi pro adſcriptitio fuit, adeò ut Luitprando & Sigeberto teſtibus, *pingendis imaginibus lucrum faceret*, inopemque in purpurâ vitam toleraret. In Apulia ſuffectus Euſtathio Joannes Muzalo, imperioſa in ſubditos inſolentia exitium ſibi attraxit. Calabri Dandulpho, (Landulphum vocat Platina) Longobardorum deinde regi, ſemet ſubjecêre, Græcorum abjecto imperio. *Cedren. p. 537. Platina Anaſt.*

Cedren. Zonar. Luitpr. l. 3. c. 9.

Sed Romanus, miſſo Coſma Patricio, blanditiis an minis perfecit, ut Landulphus, icto fœdere provincias Græcis reſtitueret. Luitprandus, Saracenos ait à Græcis attractos, qui in Lucanos Campanoſque moventes, urbi Romæ exitium ſint comminati, à Johanne XI. vel X. qui Anaſtaſio & Lando, brevis ævi Papis, ſucceſſerat, *ſpirituſque militares magis & meretricios, quam religioni deditos fovebat*, adjutu Alberici Marchionis repreſſi. Sed Saraceni occupato monte Gargano, loca circumquaque poſita incurſionibus valdè vexârunt. *Luit. l. 2. c. 12. 13.* *Platina in Johanne X I.*

Felicius in Hiſpania Alfonſus, ac deinde filii ejus Garſia & Ordonius Saracenos debellarunt, adeò ut Almanſor uno aliquando prælio, amiſſis LXX millibus, cum paucis arriperet fugam. *Vaſæus. Mariana.*

Cluniacenſis Ordo ab Odone Muſico initium ſumſit, cum Conradus capeſſeret imperium. *Sigebertus.*

ROMANUS & CONSTANTINUS VII. ORIENTIS AUGUSTI.

Anno Chriſti 920. Mundi 4890.

HENRICUS AUCEPS, OCCIDENTIS.

HEnricus, qui de Saxonum gente primus imperavit, *Auceps* dictus eſt, quod dum aviculas caperet, renitenti oblata ſunt inſignia. *Romani Imperii dignitas à Francis ad Saxones transfertur.*

Arnoldum Bavarum ab Hungaris reducem, armiſque ſibi aſſerentem Auguſtam dignitatem, non tam bello quam prudentia pacavit. Jam enim conſtiterant acies, cum Henricus petito colloquio

A. M. 4890. Chr. 920. *Luitpr. lib. 2. c. 7. 8. 9. Siffrid. lib. 1. Witechindus lib. 1. Annal. Ditmarus. lib. 1. Chron. Otto Frising. l. 6. cap. 18.*

quio ostendit æmulo, *divinitus sibi unanimo procerum suffragio datam esse coronam, inque eorum se futurum potestate, si adimere eam velint. Immaniter facturum Arnoldum, si divinæ ordinationi obsistere contumaciter pergat.* Ea oratio ambitiosum fregit ducem, qui accepta ab Imperatore potestate, ut Episcopos suæ ditionis ipse confirmaret, sceptro se submisit Henrici. Non tam facile fuit Hungaros mitigare, Christianismo nondum tinctos. Hi non persoluto, quod Ludovicus Imper. promiserat, tributo, Henrici Saxoniam pervagabantur, omnesque supra pubertatem mares dabant leto. Imperator licet corpore invalidus, indicta præproperè Saxonibus expeditione, ad Mersburgum, in confinio Saxonum, Thuringorum & Sclavorum oppidum, obruit Hungaros. Primas sagittas prudenti scutorum objectu excipere mandat, ac dum secundo tendunt arcus, maximo impetu irruere. Sic in fugam aguntur Turcorum coloni Hungari, atque in fuga ad internecionem cæduntur. Reliquias latrocinantis exercitus roborabant è nobilibus multi, qui *stemmatis dignitatem infami militia maculabant.* Hos miro consilio delevit Imperator. Data enim captivis & capite damnatis venia, non exiguam facinorosorum armavit manum, eaque adversus prædones feliciter est usus. Ita victis hostibus, intestinam regni eluit labem, *Simoniam appellabant, qua Spiritualia munia pecuniis elocabant multi.* Id cacoëthes, si Hungaros profligarent, abolituros se voverant Magnates. Et rei votorum præstiterunt, quod juraverant. Egregio Imperatori ditiones dilatavit Francorum regum dissensio.

Sigebertus Gembl. Cont. Reginonis Hermann. Contract. Schafn. Marianus Scotus lib. 3.

Cont. Reginonis anno 922. &c.

Rudbertus, Odonis quondam regis filius, Galliam sibi adversus Carolum Simplicem vendicabat. Pugnatum est tanta utrinque clade, ut ambo sibi æmuli victores viderentur. Carolus tamen Sacrilego Rudberti ori ita inflixit lanceam, ut dississa lingua cervicis posteriora penetraret. Inde Lothariense regnum, ad Moguntiam usque, sibi hostiliter usurpans, territus Henrici copiis, quæ Vormatiam pervenerant, aufugit: Henricus obsessa Metensi urbe, redactoque in potestatem Episcopo, adegit Carolum restituere Lotharingiam & Franciæ regnum Augusto apici submittere. Sed Carolus hic ex ingenii hebetudine Simplicis cognomen adeptus, ab Heriberto mox Comite in Aquitania comprehensus est, alteroque anno decessit in custodia: Filius ejus in Hiberniam profugit. Itaque Rudolphus, dudum Burgundis dominatus, Galliam occupat, Ludovico ejus agnato Italiam tenente, quam Adalberti Marchionis opera, Berengario extorserat. Sed cum lustraret Thusciam, excidit Ludovico verbum, nihil videri inferiores Adalberti opes regiis. Quo dicto offensa Marchionis uxor Berta effecit apud maritum & alios Italiæ principes, ut proditus Berengario Ludovicus, & regno multaretur & oculis. Ex eodem Alberto Marozia, scortum impudens Sergii III concubina, Albericum Romanæ urbis Principem genuit: Berta pari ingenio Vidonem, Lambertum, & Ermengardem, dignam matre sobolem, quæ impudico cum Principibus commercio maximam sibi potentiam fertur comparasse. Sub hæc Berengarius recepta Lombardia, dum Lambertum emere cogit Præsulatum Mediolanensem, & in vinculis habet quosdam Principes, rebellioni ansam præbet. Itali Rudolfum Burgundum advocant, cui impar Berengarius conducit Hungaros, perque eos occidit aut capit factiosos. Gilibertum comitem dimittit. At Gilibertus immemor beneficii, intra xxx dies reducit in Italiam Rudolphum, qui receptus ab omnibus, nil Berengario, præter Veronam relinquit, totoque triennio Italiæ imperat. Sed ut erat in horas penè mutabilis, alienat quorundam à se animos, quorum affluxu, recreatus Berengarius, vicisset prælio Rudolphum, ni affinis ejus Bonifacius, in insidiis latens, labentem aciem erexisset. Tantam tunc hominum

Luitprand. l. 2. c. 10. 11. 13. 15. & 3. c. 2.

Luitpr. lib. 2. c. 16. 17. 18. 19. 20.

minum ſtragem ſcribit factam Luitprandus, ut maxima deinceps militum raritas per Italiam exſtiterit. Berengarius paulo poſt Flamberti cujuſdam, quem ſummis affecerat beneficiis, ſcelere necatus, vindicem habuit Melonem familiarem ſuum, qui ſuſpendio percuſſorem punivit.

Luitpr. lib. 3. cap. 1.2. 3. & 2. cap. 113.

Hungarorum rabies, defuncto Berengario, regreſſoque in Italiam Rudolpho, Salardo duce ingraveſcit per Italiam, qui Ticinum circumſeſſum capiunt, atque incendio delent. Urbs tamen paulò poſt inſtaurata, prout Luitprandus ejuſdem Eccleſiæ miniſter, & hujus ſcriptor temporis memorat. Nec immeritò clades has ſenſit Italia, quum magnates turpiſſimæ obnoxii libidini Ermengardis Principis, Rem mulieri publicam permitterent, atque ipſe Papa Joannes eo nomine pro Ravennate Romanam obtineret Eccleſiam, ut Theodoræ, ſcorto Romani, propinquior eſſet toro. Mox & Rudolfum, in Italiam cum exercitu reverſum, eadem deluſit Ermengardis, amore ſe ejus fingens attineri, quò minus familiaribus necandum tradat. Igitur amens Rex & credulus meretrici, deſertis ſuis, ocyſſimè ad eam tranſit, qui indignati turpitudinem, Mediolanum coëunt, atque Hugonem Arelatenſium Comitem evocant in Italiam. Rudolphus deſertus haud immerito ab iis, quos ipſe prior deſeruerat, in Burgundiam revolavit, ac fruſtra miſſo in Italiam Burchardo Suevorum duce, ſocero ſuo, Hugoni coactus eſt regno cedere. *Tanti illi meretricis amor ſtetit.*

Luitpr. l. 3. c. 5. Sigebertus Gembl. 925. 926. Crantzius. Coſmus Pragenſis.

Hugo utrumque Imperatorem legationibus coluit honorificis. Ad Romanum Byzantinum legatus ivit Luitprandi pater. Henricus tunc, capto Brandeburgo, Sclavorum caſtro, conſtitutoque ibi Marchione Sigfrido, numeroſiſſimam Sclavorum gentem ſubjugârat. Miſniam deinde exſtruxit contra Sclavos Bohemicos, primumque Miſniæ creavit Marchionem cognatum ſuum: obſeſſaque Praga, cum Wenceſlao Bohemorum duce Chriſtiano fœdus pepigit, qui anno ſequenti fratris Boleſlai perfidia in templo eſt trucidatus.

Hinc & Vandalos Saxoniam vaſtantes Tranſalbinam, per Luneburgicum ducem Bernhardum profligat acri prælio ad mare Balthicum, ubi 120 millia cecidiſſe hoſtium prodit Crantzius, atque exinde ab Imperatore Marchionatum Sleſvicenſem conditum, qui poſtea in Epiſcopatum tranſiit. Tranſlatum deinceps in Daniam bellum, Vormiumque regem tributo ſubditum: impetratum ab Hamburgenſi Epiſcopo Hunni, ut Chriſtianiſmum apud Boreales neglectum inſtauraret. Obetritos Vandalos ad Chriſtiana traductos eſſe ſacra conſtat.

Albertus Crantzius.

Luitpr. l. 3. c. 13. Helmol. l. 1. c. 8.

Parum aberat, quin Rhedariorum (Sclavicus hic populus erat) ingens multitudo felicitatem obnubilaſſet Henrici, jam multis popularium in rebellionem depravatis. Sed Bernhardo & Dithmaro ducibus, omnes perempti, ſeditio reſtincta eſt.

Witichindus lib. 1. Annal.

Imperator & Danos Friſiam incurſantes repreſſit, Chiupa rege eorum ad Baptiſmum compulſo.

Sigebert. Gembl. 935. Luitpr. l. 5. c. 12.

Interea Romana civitas iterum tumultuatur. Guido Thuſciæ Marchio, Maroziæ maritus, clam collecto milite, Petrum, Johannis Papæ fratrem, ſpectante Papa occidit, ipſumque tradit cuſtodiæ, in qua cervicali occluſo ejus ore ſuffocatus eſt, ſucceſſore Johanne XI, quem ipſa Marozia adulterino concubitu è Sergio Papa ſuſceperat. Mortuo paulo poſt Guidone, partes ejus apud Maroziam, Herodiadem novam, ſuſtinet Guidonis frater Lambertus, donec accitus ab ea Rex Hugo inceſto ſuccederet cubili.

Hugo per Maroziam Româ potitus, cum Albericum, quem illa ex Marchione genuerat Thuſciæ, incautius aquam ſibi affundentem, pugno percuſſiſſet, tantum incuſſit audaciæ in juvenem, ut concitatis ad arma civibus Regem urbe expelleret. Rex pulſus cum indignè ferret,

Luitpr. lib. 3. c. 13. 14.

Lambertum fratrem dici ſuum, captum eum luminibus privat, & Boſonem creat ducem Thuſciæ: Rodolphum tradita Provincia placat, ne Italiam deinceps repetat. Arnoldum Bajoariæ ducem & Carinthiæ, jam Veronam uſque progreſſum, ſternit prælio, atque in Germaniam retro agit. Sed *Romam, aſylum tunc improborum*, recuperare non valuit, quantumvis Albericum, data ei in conjugem filia, demulceret. Nec Saracenorum è Fraxineto populationes avertit, nec Africanorum irruptiones, qui Genuam eo tempore adorti, necatis pauperibus, imbelle vulgus omne, in ſervitutem abripuerunt, *ebullitione fontis ſanguinei triſtem civitati cladem prænunciante.*

Luitpr. lib. 4. c.1.2.3.6.

Nec mirum infeliciter Hugoni multa proveniſſe, *qui optimas animi dotes fœdavit libidinibus*, & Manaſſi cognato ſuo, primus Veronenſem ſimul Tridentinamque & Mantuanam commendarit, ſeu quod verius eſt, in eſcam dederit Eccleſias, *peſſimo in poſteritatem exemplo.* Idemque defuncto Rodolpho rege Galliarum & quondam Italiæ, viduam ejus Bertham concubinarum, quas amabat, gregi ſuperinduxit, ejuſque Berthæ filiam junxit filio ſuo Lothario, jam regiæ poteſtatis conſorti.

Sub hæc Henricus Imperator, victis iterum Hungaris, & tributo quod petebant in pauperes diſtributo, pacis ſtudioſior quam gloriæ, Italia tyrannis relicta, *paralyſi correptus obdormivit*, anno regni XVIII. Sepultus Quædlinburgi Saxonum. Jam quæſtui cœperat eſſe & oſtentationi paſſim pietas. Defuncto apud Byzantinos Stephano, ſurrogatur Tryphon monachus, ſed ea lege, ut Theophylacto, Romani Imp. filio, admodum adoleſcenti, poſt aliquantum temporis decedat Epiſcopatu. Tryphon nihil minus in animo habens quam fructuoſa abire diſpenſatione, Theophanis Cæſarienſis Epiſcopi illaqueatur dolo. Is perſuadet homini, rudem eum credi literarum, nec parum ipſi adſtrui dignitatis poſſe, ſi charta pura titulum ei nominis ſua ſcriptum manu exhibeat. Cum id feciſſet Tryphon, additur deinde à Cæſarianis reſignatio Epiſcopatus, ſuaque quaſi manu convictus ſtipulationis Patriarcha dejicitur ſede, adſcendit Theophylactus, & contra morem majorum ſedecennis adoleſcentulus potitur ſummo ſacerdotio, equorum quam ſacrorum ſtudioſior, qui ſaltationes, vociferationes & inſulſas cantilenas divinis admiſcuit laudibus, narrante Georgio Cedreno & adjiciente, præfuiſſe tunc Romanis Johannem, ejuſdem notæ Pontificem, ad omnem laſciviam malitiamque propenſum.

Sigebertus Chron. Luitpr. l.4. c 7. Zonar. Cedren. A. M. 4906. Chr. 936. Jul. 2. Ætat. 60.

Cedren. p. 527. Sigebert. anno 936. Luitpr. l.3. c.1.

Nihil ergo mirandum, ſi Ruſſi & Saraceni periculum excitarunt Byzantinis, Africani & Hungari Romanis. Ruſſorum enim rex Inger comperto, quod Græcorum exercitus in Saracenos eſſent emiſſi, animum adjecit ad expugnandam Conſtantinopolin, adductiſque aliquot navicularum millibus (XV millia Græci ferunt fuiſſe) tam ſecurus victoriæ fuit, ut Græcos non tam occidi quam capi præciperet. Sed Johannes Curcuas & Bardas Patricius, variis uſi artibus, claſſem hanc diſperſere, ut paucæ cladium nunciæ domum dilaberentur. Saracenis quoque inter alias urbes adempta eſt Melitena, quæ magnos Græcorum ærario reditus fudit. Qui Edeſſæ erant Agareni, incolumitatem effigie Chriſti Græcis tradita redemerunt, Curcuas pleramque Syriam ditioni reſtituit Byzantinæ. Meridionales Saracenos Siciliam tenentes, ac prædæ habentes Italiam, donis demulſit Romanus, quibus demonſtratis, Phatlumus Africæ Amiras tributi, quod à Græcis pendebatur, ſemiſſem eis ultro remiſit. Ludovicus Carolo Simplice natus, ærumnoſe tandem avitum recepit regnum Galliarum. Luitprandus, ut teſtis oculatus, ſuæ ætatis hiſtoriam in literas miſit.

Cedren. p. 523.

Sigebertus Chron. Luitpr. l.4. c.1.

OTHO

OTHO I. MAGNUS *Occidentis.*

CONSTANTINUS VII. PORPHYROGENNETUS, ROMANUS II. Junior.

NICEPHORUS II. PHOCAS, *Orientis Augusti.*

Anno eodem. Luitpr. lib. 4. c. 7. 8. 9. &c. Rosuita virgo de gestis Oddonum. Witichindus lib. 2. Annal. Lambert. Schafnaburg. Sigebert. Gembl. Otto Frising. l. 6. cap. 19. Ditm. l. 2. Chron. Regino. Continuator.

OTHO ex Mathilde Saxonica Henrici filius, patri in imperio successit, ob felicem ejus per XXXVI annos gubernationem, *Magni* cognomine honoratus.

Primum compressis Bohemis, grave & diuturnum adversus seditiosos bellum, exitio illorum finivit. Etenim Tancmarus iratus fratri Othoni, quod Marchionatum Brandeburgicum in Geronem Comitem non in se transtulisset, nactusque consilii socios, Eberhardum Comitem Palatinum, & Gislibertum Lotharingiæ ducem, Barduicum urbem diripuit. Sed mox captus Ereburgi, confoditur. Eberhardus Henricum, Othonis alterum fratrem, quem captivum abduxerat, dimittit è custodia, & in novas armat molitiones, Boleslao Bohemorum Principe, qui regnandi cupiditate Wenceslaum fratrem occiderat, jam ad obsequium retracto Cæsaris. Accedit & Fridericus Moguntinus, haud inefficax rebellionis instrumentum. Itaque Imperator, subjugatis Arnoldi Bavari filiis, ab obitu patris hæreditatem armis cernentibus, instauratâque in finibus Saxonum Magdeburga, & Editæ attributâ Anglicanæ conjugi, versus Lotharingiam movet copias. Transgressus Rhenum cum paucis, *supplicando vicit magis quam pugnando.* Plerique enim hostium, incusso divinitus timore, tergum nullo insequente verterunt. Hinc Friderici Moguntini, qui pro amico erat apud Cæsarem, artibus cum multi corrumperentur, nudareturque indies defectorum perfidia Otho, repertus est comes quidam, qui Laurishamense cœnobium ab ipso peteret, nihil à trepido Imperatore negari iis, qui remanerent, posse autumans. Sed longè subleste fidei hominem sententia fefellit. Imperator enim odoratus fraudem, *Deo sacrata negavit in profanos usus vertenda*, ac si vellet desciscere comes, id ei integrum fore respondit; *sibi majoris Dei quam hominum gratiam esse.* His dictis, importunus precator confusus animi, veniam delicti petiit.

Otho deinde, quum in Alsatia templum, orandi causa, ingrederetur, læto affectus est nuntio, victos esse prostratosque perduelles propè Andernacum. Ibi enim à Clerico quodam, cui jumentum ademerant, proditi Eberhardus & Gillebertus, inopinato sunt obruti prælio à Conrado Sapiente duce Suevorum. Eberhardus gladiis militum, Gillebertus Rheni undis periit. Moguntinus Episcopus à suis exclusus, subiit captivitatem. Henricum Othonis germanum, soror Gilleberto nupta, non admisit in castella; qui cum nihil tuti reperiret usquam, atratus occurrit Imperatori apud Francofurtum, sacra petenti Christi natalitia, atque ad pedes ejus provolutus veniam impetravit, constanti imposterum fide compensatam. *Fortunam*, ut solet, *favor aliorum Principum est comitatus.*

Luitprand. l. 4. c. 18. & l. 5. cap. 1. Rosuita de gestis Oddonum.

Ludovicus Francorum Rex, non tantum à bello, cui se recipiendæ causa Lotharingiæ miscuerat, destitit, sed & viduam Gilleberti, Othonis germanam duxit. Bertholdus Bajoariæ dux filiam ejus nubilem viduæ matri prætulit, Conrado Luidgarda Imperatoris filia obvenit cum Lotharingia. Hermannus dux Suevorum opulentissimus Liuthulfo Othonis filio, unicam, quam habebat, natam junxit matrimonio Idam.

Zonar. Tom. 3.

Eodem tempore Romanus Lacopenus Orientis Augustus perfidiam, quam genero suo Constantino præstiterat, recepit à filiis. Sanè pœnitentia tactus perjurii, pauperum exsolverat debita, largitiones multas fecerat, sed opinatus se peccata expiare eleemosynis,

alienas prodegerat opes. Jamque vicesimum sextum annum cum duobus filiis (nam Christophorus decesserat) ludificabatur Constantinum, *cum vindicta, lento quidem gradu eum secuta, sed tamen assecuta est*, monstro duorum puerorum biformi tetram præmonstrante imperii combinationem, atroque simul sole ac diro cometa scelera mortalium accusantibus.

Etenim Porphyrogennetus vias circumspectans, quibus amissam recuperaret potestatem, Stephanum, collegam scilicet in imperio suum & affinem, per idoneos artifices in Romanum facilè excitat, dudum infensiorem filiorum suorum vitiis.

Luitprand. l. 5. cap. 9. 10. 12.

Stephanus captata occasione, comprehendi patrem, tonsumque in Insulam deportari Protam imperat. Inde præmonitus ab amicis Constantinus, tetriora in se consilia à Romani filiis coqui, adjutus ab uxore Helena, sorore eorum, ambos secum prandentes conjicit in vincula, patrique exilii comites addit. Eorum quidem Stephanus fortiter fortunam tulit, & annos XIX Lesbo in Insula degit: At Constantinus impatientior, sæpè molitus fugam, cum tandem custodum proximum interfeciisset, à reliquis necatus est anno exilii altero. Ita Romanus & suam in Constantinum generum, & filiorum in se fraudem, justo Dei judicio agnovit vindicatam.

Domitis ita rebellibus, Constantinus VII. cum filio deinde Romano, ex relegati Imperatoris filia genito, Orientem: Otho jam Magnus occidentem disponere pergit.

Constantinus artes liberales pene emortuas refocillavit, invitatis ad eas excolendas prämio, qui ingeniis pollerent. Segnior autem in administranda Rep. & in pœnis sumendis inexorabilis, multorum & passus est insidias, & ultus. Ungaros, qui & Turci appellantur Zonaræ & Cedreno, adduxit ad Christianismum, uti & reginam Russorum Elgam. Hugonis Italiæ regis filiam Romano, potestatis jam paternæ consorti, uxorem dedit, eaque defuncta Anastasiam, vili quidem loco, sed ad miraculum usque pulcram natam. Quo tempore Theophylactus Augustæ frater, *equis quam sacris aptior*, læso ex ferociore equitatione corpore, sanguinem vomens, decessit aquâ intercute, & Constantinopolitanam Ecclesiam regere cœpit Polyeuctus. Hic cum Senioris Romani necessarios accusaret avaritiæ, odium incurrit Imperatricis, à qua incitatus Constantinus, pellere Patriarcham sede instituit. Sed dum hoc agit, prævenitur à filio, habere volente, quam exspectare imperium. Venenum, quod is dari jusserat, medicamento mixtum purganti, cum maximam partem fortè effudisset Constantinus, hausto eo quod supererat, non penitus superavit. Nam paulò post ex itinere in Olympum montem suscepto reversus interiit, ætatis anno LIV. Dux ejus Bardas Phocas cum Orientalibus Saracenis, ductu filiorum suorum, prosperè; Gongylas navarchus cum Cretensibus infelicissimè dimicavit. Imperavit Constantinus tot annis, quot vixit; Sed puer cum patre, patruo & matre, annis XIII, penè ut pupillus cum Romano ejusque filiis XXVI. illis submotis solus XV. In Italia Stephanus VIII Pontifex, natione Germanus, tam malè multatus est à suis civibus, ut ob inhonesta vulnera prodire in publicum erubesceret. Cupiebat quidem Rex Hugo tantam injuriam ulcisci, sed quod Albericus, instaurata Romanis quasi ad veterem formam Rep. in potestate haberet civitatem, cremare quæ extra urbem erant potuit, urbem expugnare non potuit: Saracenis præsertim & Berengario Juniore, qui ad Othonem perfugerat, negotium ei facessentibus. Saracenos sanè adjutu Romani & Constantini, navali devicit prælio, & Fraxinetum, eorum propugnaculum, occupavit armis: sed cum delere eos posset, in fœdus adscivit Christi perduelles, ut Berengarium, Othonis suffultum auxiliis opprimeret, *consilio tam infausto, quam impio.*

Platin.

Luitprand. l. 5. c. 6. 7.

Etenim

Etenim licet intentus esset in peregrinas expeditiones Otho, tamen Berengarius, adjutus ab eo qui Adalberto Marchione Eporegiæ, & Gilla Berengarii quondam regis filia ortus, odio Hugonis amorem contraxerat Italicorum. Is exploratis clam per Amedeum, astutissimum nobilem, animis principum, dum Saraceni Christianos in Alpibus deprædantur, perrepsit in munitionem Formicariam, suaque vafricie omnes ad se primates pellexit Italiæ. Hugo abjecta spe tuendæ Italiæ, collegit gazam, atque in Provinciam digressus, Lotharium filium Berengarii fidei tradidit, ovem lupo: mox ipse explevit mortalitatem. Berengarius obviis omnium exceptus animis, ingens in capita, etiam lactentium, imperavit tributum, quo Hungaros Italia dimoveret. Expletis facilè decem modiis nummorum, quantum & olim Hugo pependerat, reliquum in suam rem convertit, uxore ejus Willa interim domi presbyterum, filiarum præceptorem, deamante. Sub hæc Otho, adscito in consortium regni Luithulpo, liberat Ludovicum regem Galliæ, qui, quod Heribertum patris sui inimicum suspendisset, & Wilhelmum Normannum trucidasset ex insidiis, Hugonis in Parisiensis custodia detinebatur. Cui regis affinis contumeliæ vindicandæ, Otho cum XXXII legionibus aggressus Galliam, libertati restituit Ludovicum, Luitprando interim Ticini Imperatoris admirante magnificentiam, cui & Otho Imp. suum legatum adjunxerat. Paulò post Danicum exoritur cum Haraldo rege bellum. Ejus pater Gormo templum Sleswigæ ab Henr. Imp. conditum everterat, Haraldus Marchionem ibidem constitutum trucidârat. Quamobrem Otho, nactus Jutiam, regio ductu vacuam (Haraldus enim in Hollandia erat, memorem damnorum iram adversus invisam Erici, Sueonum regis, dominationem distringens) ad Lymicum usque sinum penetravit, cujus objectu in Wandaliam excurrere prohibitus, conjecta in undas lancea, iter ad Eydoram fl. reflexit. Interim pro Marchionatu Sleswigæ excitat Cathedram, itemque Oldenburgi Episcopalem, & Danis Christianissimum imperat. Haraldus rebus cum Imperatore compositis, consortium Christianæ religionis amplexus, divinam humanamque pacem regno suo conciliavit, cum mater ejus Thyra, Edeldrado Anglorum genita rege, quantum à Sclesvico ad occidentalem Oceanum patet, vallo fossaque proscindere aggressa est, deinde opus Waldemaro regi reliquit absolvendum. Nam Haraldus superbius subditis usus, Suenonis filii sui armis expulsus regno est; Sueno totam religionis stirpem ab radice convulsit, ingenti ob id favore sublatus Danorum, qui ter à Julinensibus piratis captum, impenso etiam mundo muliebri, redimere non abnuerunt.

Luitprand. l.5.c.12. &c.

Witichindus l.2. & 3.

Saxo l.9.

Saxo lib.10.

Helmol. lib.1.c.9. & 15.

Mox Lothario, filio Hugonis, phrenesi extincto in Italia, novis exarsit motibus Imperium Occidentis.

Berengarius, qui tutelam quasi egerat regni pro Lothario, viduam ejus Adelheidem, Italiæ hæredem (erat enim Rudolpho nata rege) Canusiana in arce obsedit. Regina indignè habita, implorat auxilium Othonis, accedente & Agapeti II Pontificis voto. Mittit Otho filium Luithulphum; cumque is socordius rem gereret, ipse conscriptis majoribus copiis in Italiam vadit, deturbatisque statim è regno Berengario & Alberto, Adelheiden è carcere eductam Augusto jungit toro Papiæ, Berengarii filias in Germaniam servandas ablegat. Inde Conradus, gener Othonis, præficitur Italiæ, qui captum Berengarium cum filio deduxit in Germaniam, cum jam filius Cæsaris Ludolphus, ob novas patris nuptias, alieniori ab genitore animo esset. Nec Conradus satis gratum reperit officium suum, Othone vix in conspectum admittente Berengarium. Quare gener & filius conspirant in Othonem; Berengarius jurata Imperatori fide, remittitur in Italiam; sed Aquileia & Verona

Chron. Cassinense. Witechindus lib.3. Annal. Frodoard. in Chron. Regino. Contin. lib.2.

rona Henrico Imperatoris fratri assignantur. Inteſtinum id diſſidium multo Germanis ſanguine ſtetit. Conradus, dedita Othoni Moguntia, rediit in gratiam cum ſocero. Ludolphus pertinacior, cum occupaſſet Bavariam, Ratisbonæ incluſus, & fame domitus tandem, aſſumto habitu miſerabili veniam obtinuit, non ſine Henrici patrui objurgatione, impietatem ei in eos exprobrantis. Neque ſic finis erat turbarum. Rebelles iſti Hungaros antea exciverant in Germaniam, moleſtiam creaturos partibus Othonianis. Hungari, compoſito inter Othonem filiumque diſſidio, cum atrox movere certamen pergerent, grandi prælio ſunt victi apud Auguſtam. Centum enim Barbaris militum millia, octo Othoni legiones erant. Sed Hungari occidione occiſi ſunt. Conradus bellator acerrimus eorum gladiis in prælio cecidit, quos malarum auxiliatores molitionum adſciverat. Eademque tempeſtate & Sclavi, qui erectis per infortunia Germanorum animis arma moverant, fuſi domitique. Hermannus Bilingus, conſpicuæ vir ſeveritatis, Lunæburgenſem ab Imperatore ducatum accepit, fineſque ditionis ſibi attributæ egregiè tutatus, ſtemma principum de ſe longa ſerie propagavit.

Sigebert. Gembl. Herm. Contractus. Gotfridus Viterbienſis. Chron. part. 17.

Eo tempore vetus Roma à Johanne XIII Papa; nova, id eſt, Conſtantinopolis, à Romano, Conſtantini VII filio, quem puerum, à moribus magis, quam ab ætate appellant, peſſimis corrumpebantur exemplis. Romanus enim Imperator puerilibus vacabat laſciviis. Percunctatus Nicephorum Phocam, quî fieret, quod adeo res Romana peſſum iret, magnæ libertatis accepit reſponſum: *Ideo fieri, quod ipſe imperaret, atque ipſius Nicephori pater exercitui præeſſet. Nam tu, inquit, imperium male geris, & ille ſtudet pecuniis.* At ſi tu volueris, & animi Romanorum & Reſpublica ſat brevi mutabuntur, nec tamen ſubito. His dictis, juſſus ſuo arbitratu rem diſponere militarem Nicephorus, diſciplinæ ante omnia attendit animum, legiones priſcas reformavit, conſcripſit novas, bellicis utraſque ſtudiis exercuit. Queis artibus Cretenſes Agareni ſuccubuerunt, pleræque urbes receptæ, interque eas Candace metropolis, unde Inſulæ nomen Candia. Curupas Cretenſium Amiras, & Anemas ſecundus ab illo dignitate, vivi in poteſtatem redacti Nicephori. Leo Phocas, frater Nicephori, pari animo Halepi Dominum devicit prælio, quo tantam Saracenorum multitudinem proſtravit, tantam cepit, ut illos deſiderarent agri, his implerentur affatim. Cumque Chabdanus Amiras inſtauraſſet bellum, fugatus à Nicephoro iterum; Berœa Syriæ expugnata eſt. Romanus triennio in poteſtate acto, exhauſtoque voluptatibus corpore obiit, relicta Anaſtaſia (quæ Theophano dicebatur) uxore cum filiis duobus. Sorores, urgente conjuge, ex aula remotas, monaſterio incluſerat invitas.

Zonar. Tom. 3. Cedren. p. 530.

Ergo Bringes cubicularius, ut ad clavum ſederet Reipub. Nicephoro in Cappadocia agenti inſidiatus, coëgit virum, inſtigantibus præſertim Zimiſce & Curcua, arrepto ſemet imperio tueri. Nicephorus facilè ab Orientali exercitu dictus Imperator, à Conſtantinopolitanis etiam admiſſus odio Bringis, ut firmaret autoritatem Theophano Auguſtam matrimonio ſibi junxit, oblatrante ſecundis nuptiis Polyeucto Patriarcha, ſed fruſtra. Obtendit Polyeuctus ſpiritualis neceſſitudinis vinculum, quod Nicephorus aliquem Theophanûs filiorum è baptiſmo ſuſcepiſſet, ideoque aut dimittere eam, aut Eccleſia abſtinere præcepit. Nicephorus, ut in re ſacrâ dicto audiens Epiſcopo, abſtinuit aliquantiſper: Sed mox acta Synodo, judicatum eſt lege illius neceſſitudinis nihil Imperatorem teneri: Fuit etiam, qui negaret, contractam neceſſitudinem. *Rudes ſacrorum Epiſcopi, colare culices, deglutire camelos didicerant.*

Inter quos vel præcipuus erat Romanus Papa Joannes XIII, octavo illi perſimilis, niſi quod hunc marem ſatis fuiſſe con-

Luitprand. lib. 6. c. 6. Witichindus 3. Annalium.

Sigebertus Chron. Platin.

ſe conſtat, illum fœminam. Homo ſane, (ut verbis dicam Platinæ) ab adoleſcentia omnibus probris ac turpitudine contaminatus, venationibus magis, ſi quid temporis à libidinibus ſupererat, quam orationi deditus. Erant tum Romæ duo annui conſules, ex nobilitate præfectus unus, qui jus populo diceret: ex plebe autem Decuriones XII, qui vicem gererent Senatus. Supra hos Johannes (Octavianus antea dictus) Alberici patris fretus potentia, pontificium ſibi munus ſumſerat. Cujus improbitatem cum ferre non poſſent Cardinales quidam, imploratus eſt Otho, cujus paulo ante filius Ludolphus febri in Italia perierat. Igitur Othone, ſeptenni adhuc, Aquiſgrani coronato, Italiam valido cum exercitu ingreſſus Imperator, tyrannos Berengarium, Adalbertum, & alios majeſtate nominis ſui ita exterruit, ut vel latibula quærerent, vel Saracenorum patrocinia. Romæ à Johanne benedictus, confirmatis auctiſque de ſuo prædeceſſorum donationibus, redit in Germaniam, cum jurejurando obſtrinxiſſet Johannem & Romanos, ne unquam Berengario filiove ejus ſtuderent. Sed cum Imperator, ut ait Luitprandus, earum rerum teſtis oculatus, ea quæ Dei ſunt ſaperet, Joannes illis omnibus adverſabatur, perinde ut Diabolus creatori. Itaque fidei immemor datæ, Adalbertum è Fraxineto, Saracenorum receptaculo, Romam revocat, ſanctiſſimè promittens ſe ei contra Othonem adfuturum; invitat & Germanos ad lacerandam Germaniam, ut domi Imperatorem diſtineat. Imperator his cognitis, *Puer eſt*, inquit, *Papa, facilè bonorum immutabitur exemplo virorum*, atque hac mente Ravennam pergit. Ibi obvios habuit Johannis legatos, querentes, eum hactenus juventutis igne flagrantem, multa deſignaſſe puerilia, impoſterum de Imperatoris arbitrio vitam correcturum. Sed nihil Johanni minus erat cordi, quam turpitudinis deſinere & perfidiæ. Mox enim iterum ſuſceptus ab eo Romæ Adalbertus, ut urbi adverſus Othonem præſidio eſſet. Sed adventante cum copiis Othone, Papa comes ſtatim Adalberto fugæ additus. Imperatori urbem ingreſſo ſacramentum dixere Romani, nunquam ſe ipſo, filioque ejus Othone inſciis aut invitis, Papam electuros. Citatur Joannes, atrociſſimorum reus criminum, ut in Synodo ſe purget, ſi poſſit. Ille tantum abeſt ut pareat, ut congregatos Epiſcopos & Cardinales anathemate auſit notare. Retorquetur extemplo in ipſum anathema, damnatoque totius Synodi ſuffragiis ſubſtituitur Leo, Protoſcriniarius, ut vocabant, Eccleſiæ, eique ſacramento ſe obligat civitas. Imperator his geſtis, captoque jam Berengario, & cum uxore in Bavariam relegato, ne oneri ſit Romanis, dimittit milites, cum paucis Romæ moratur. Interim Expapa largitionibus corrumpit cives, ut Imperatorem improviſo obruant dolo. Canitur claſſicum, concurritur à Romanis, ut Imperatorem contra omne jus faſque occidant. Sed ille ſuorum durato bellis robore, profligat perjuram multitudinem, multos terga vertentes cædit: ne pergat ad exitium reliquorum, exoratur à Leone Pontifice; qui & obſides reddi obtinuit, ac ſe civibus, ovem lupis, committi. Etenim dum Adalbertum perſequitur Auguſtus, meretriculæ Romanæ Johannis amoribus, divitiiſque ſuis in urbe potentes, perficiunt apud pleroſque, ut Leoni letales ſtruantur inſidiæ, quas tamen ille fuga antevertit, Joannem paulo poſt digna facinoribus ſuis mors oppreſſit. In ipſo nimirum adulterio tempora percuſſus à Satana, octavo die interiit, & ſine Domini viatico, ad eum cui ſervierat, migravit.

Luitprand. l. 6. c. 10. 11. Theod. de Niem. in Nemore unionis. Dact. 6. cap. 33. Reginon. Continuator lib. 2. Sigebert. Gembl.

Romani tali Pontifice digni, calcata ſacramenti religione Benedictum ſibi Papam ſtatuunt, nec minus pro ejus ſalute, quam nuper pro Imperatore & Leone ſua devovent diris capita adverſum eos, quibus ſe ſacerrima juramenti religione dudum addixerant.

Adeo

Adeo illis nulla DEI aut fidei cura fuit.

Sed Otho machinis & fame adeo afflixit perjuram Civitatem, ut Leonem VIII acciperent, annum & quatuor menses potitum sede: Benedictus Hamburgi apud Adelgagum Archiepiscopum exulem vitam clausit.

Witichindus Annal. lib. 3. Saxo Grammat. l. 10. Sigebert. Ann. 966. Dithm. lib. 2. Adam. Bremensis l. 2 c. 26. Cranzius l. 4. c. 24.

Dum ita Romæ furorem castigat Deus, meliorem sui notitiam per Septentrionis regna spargit.

Sueno Danorum Rex, Scanico bello ab Erico Sueonum rege devictus, Olaum Norvegum petierat auxilio; ab eo spretus Eduardum Anglum. Cum & is eum adversaretur, confugerat ad Scotos, atque ab illis levamen senserat, unde nihil sperarat, fortunæ sævitia ad Christianismi, quem antea abjecerat, amorem revolutus. Quare reverso in Sueciam suam Erico, Sueno amore sui receptus in regnum avitum, præceptoris sæpè partes apud nobiliores desumsit, suasurus religionem, quam olim exciderat, cupidiore tamen instituto; quam efficaciore. Populus enim Daniæ, patriis innutritus superstitionibus, Christiana sacra pro externis & adventitiis adhuc aversabatur, concedens sanè Deum esse Christum, sed suis Diis nihil quicquam majorem. Sed eam opinionem Poppo, ingenio vir & sanctitate conspicuus, sermone miraculoque discussit. Regnante Haraldo id contigisse Dithmarus, Witichindus, qui tum vixit, Adamus Bremensis & Albertus Stadensis notant: Saxo Suenonis, filii Haraldi, tempore. Percunctatus enim Poppo, an monitis suis obsecuturi essent populares, si ad flagrantis ferri tactum manum suam illæsam conspexissent, universis haud dubiè parendum respondentibus, *candentem ferri laminam ceu chirothecam brachio induit, eamque per omnes intrepide circumlatam ante Principis pedes excussit, incolumi dextera omnibus demonstrata.* Ejus miraculi evidentia moti Dani idola sunt demoliti, Popponi Episcopatum dederunt Athusiensem: felix deinde & larga Christianorum messis secuta per totum Septentrionem. Eodem tempore & Poloniæ Christus illuxit, per Micislai cum filia Bohemorum Principis Boleslai, nuptias. Cum enim haud annueret conjugio sponsa, nisi solennibus aquis abluereturMicislaus, & Seminaria Christianismi per Poloniam institueret, juvenis amoris vi subactus, amare & illum cœpit DEUM, quem tanti fieri ab ea, quam amabat, intellexerat. Itaque baptizatus, Kracovienssem & Cnesnensem fundavit Ecclesias, cathedrasque Episcopales. At Roma novis exarsit seditionibus. Joannem XIV suffectum de sententia Othonis Leoni, Jofredus Campaniæ comes accitus à Senatu urbe expulit. Unde iratus Otho, magnis itineribus contendit Romam, consules exilio multat, decuriones laqueo suspendit, Petrum urbis præfectum virgis cædi, asinoque impositum, verso ad clunes vultu, circumduci imperat. Hac severitate territi Romani, Johannem deinceps Pontificem ferre didicerunt.

Crom. l. 3.

Continuator Reginonis. Platina.

Cesserunt & Saraceni armis Othonianis. Primum eos Sclavi Dalmatæ de monte Gargano dejecerunt; deinde Hungari Consentia: tandem Otho reliquias eorum Fraxineto expulit.

Obortum denique & de Apulia Calabriaque cum Græcis bellum, Imperatore Nicephoro tam inviso domi, quam militiæ claro, quod gloriam bellicam avaritia & expilationibus fœdaret. Hic cum Imperium Orientis felicibus multum expeditionibus instauraſſet, indignè tulit Calabriam Apuliamque Othonem sibi vendicare. Nam Siciliam Nicephorus, misso Manuële duce, recuperare de Saracenis voluerat, feciſſetque, nisi rudis per adolescentiam Manuël, nec senioribus auscultans, classe in Syrtes impacta corrupisset exercitum. Idem Nicephorus Ciliciam, captis Taro & Mopsuestia urbibus, receperat. Cyprum etiam & maritimas urbes Syriæ; tributariam reddiderat sibi Tripolin Phœniciæ & Damascum. Igitur Otho filiam ejus ambivit, filio sibi cognomini, cui in

Zonar. Tom. 3. Cedren. p. 539.

Witichindus l. 3. Dithm. l. 2. c. 7.

in dotem daretur, quidquid esset Græcorum in Italia. Et jam convenerat de nuptiis, cum qui accepturi venerant sponsam, partim occiduntur fallacia Græcorum, partim capti affectique ignominia, mittuntur Constantinopolin. Helena sponsa Uladomiro Russorum postea regi nupsit. Qua rei indignitate exasperatus Otho, contractis copiis Gunthero & Sigfrido ducibus, Græcos jam Mauris fœderatos, gravissimis præliis ita attrivit, ut tributariam deinceps ab Othone Calabriam haberent, & Apuliam.

Interim Nicephorus Antiochiam Syriæ per Michaëlem Burzen cepit, sed invitus; quod ea urbe expugnata, interitum sibi imminere prædictionibus nescio quibus comperisset. Quare egregio duci, tantæque civitatis victori ademit ducatum. Nec tamen fatum mutare potuit, quod odium ei publicum struebat.

Ecclesiarum fundos augeri prohibuerat, causatus opes à Sacerdotibus malè collocari: Episcopos se inscio nullos fieri sinebat. Monetam à se cusam pluris volebat esse, quam veterem. Cumque duplicem reperisset nummum, graviorem fisco solvi, leviorem quotidianos in sumtus erogari ordinarat. Sustulerat & donaria, senatoribus templisque dari solita annuatim.

Quas ob res gnarus se exosum esse populo, murum circumdedit regiæ, & fame pressam plebem detenta flagellavit annona, quam dein carè vendidit, oblitus execrationis, quam tales incurrere ait Dei Spiritus. Notatum ferunt festivo militis dicterio, qui interrogatus, cur senior jam dedisset nomen militiæ, respondit, robustiorem se nunc esse senem, quam olim juvenis fuerit. Tunc enim dimidii aurei frumentum tollere nequivisse, jam duorum facillimè sustinere. Cumque muro palatium cingeret Nicephorus, audita vox est: O *Imperator, si vel ad cœlum educas fustigia, intus existente malo, facilè captu munimentum est.* Autor vocis reperiri nulla inquisitione potuit. Igitur qua die claves accepit portarum, quas muro indiderat, à conjuratis interfectus est, anno imperii septimo, ævi sui LVII. Conscia insidiarum traditur Theophano Augusta, tum quod frigidius se comperisset amari, tum quod filiis metueret suis, ideoque clam ad Johannem Zimiscem, ducem strenuum, amorem transtulerat. Zimisces cum conspiratis, inter quos & expugnator Antiochiæ Burzes, sporta susceptus noctu intra murum, Nicephorum suopte in cubiculo jugulavit, vociferantem hoc solum, Domine miserere, adjuva Deipara. Saraceni cladibus, quas sub Nicephoro pertulerant, exacerbati, templum sepulcri Domini celeberrimum, ipsumque Patriarcham incendio concremarunt.

Cedren. p. 542.

Marianus Scotus lib. 3.

Cedren. p. 344.

Interempto eum in modum Nicephoro, Zimisces à Polyeucto diademate cupiens insigniri, repudiatur ut homicida: cumque diceret, suis manibus cæsum haudquaquam esse Nicephorum, jubetur Theophano reginam, & percussores in exilium agere, & libellum Nicephori, quo Episcopos Imperatore inscio legi vetuerat, abolere. Obsequenti in omnibus coronam imponit Patriarcha, ac tricesimo quinto post die abit vita, successore Basilio, monacho Scamandreno.

Zimisces Antiochiam maximo apparatu obsidentes Saracenos, per Mesopotamiæ ducem vicit, Ut pax esset cum Othone, Theophaniam neptem suam misit conjugem Othoni juniori, quæ à Joanne XIV Augustum diadema suscepit.

Trith. compil. Chron. Wilhelm. Tyrius. l. 5. c. 20. Plat. Otho Frising. l. 6. c. 24. Dithm. lib. 2. Helm. Hist. Slavicæ l. 1. cap. 11. Theodor. de Niem. Labyr. l. 6. cap. 33.

Inde reversus in Germaniam Otho, condidit metropolitanam Magdeburgi Ecclesiam, dato ei præsule Alberto Trevirensi, ac sequenti anno (qui erat supra nongentesimum tertius & septuagesimus) migravit ex hoc mundo, cum paulò ante Hattonem Moguntinum Antistitem, Wilhelmi filii Imperatoris successorem, ob illusos murium nomine egenos, mures devorassent, & Saraceni in Ægypto Cairum ædificassent urbem maximam. Joannes XIV ea tempestate campanam de suo nomine appellavit,

unde mos inolevit præpoſterus, tintinnabula aquis conſecrandi, humaniſque inſigniendi vocabulis. Otho primus venas auri & argenti prope Goſlariam, quam etiam exſtruxit urbem, induſtria ſua aperuit. Sclavicas gentes per verbi divini præcones imbuit Chriſtianiſmo & Magdeburgenſem, quæ eis præeſſet, ſtatuit cathedram, cui Merſeburgica, Miſnenſis, Cicenſis (quæ & Naumburgica) Havelbergenſis, Brandeburgica & Poſnanienſis diœceſes attributæ ſunt. In Dania fundaſſe dicitur Eccleſiam, quæ ex ipſius nomine Ottenſea, vel Othonia eſt cognominata.

Sigebert. Gembl. Chron. Belg.

Eo regnante Huldericus Auguſtanus, Luitprandus Cremonenſis Epiſcopi; Witichindus Corbejenſis, Frodoardus Rhemenſis monachi, Roſuita Monacha, literarum & pietatis laude floruerunt. Bruno, Othonis frater, ſimul Archiepiſcopus Colonienſis & dux Lotharingiæ, novo exemplo fuit.

Otho Secundus, Joannes Zimisces. Basilius II. & Constantinus VIII.

Dithm. lib 1. Chron. Sigebert. Gembl. Lamb. Schafn. Friſing. l.6. c.25.

Otho ſecundus Magni ex Adelheide filius, jam annum undecimum paternæ ſucceſſor deſignatus eminentiæ, eo defuncto plenam adiit Imperii adminiſtrationem. Primum rebelles Ragineri filios in Hannoniâ, & Henricum patruelem in Bajoaria domuit. Inde movit in Danos, quorum rex Haraldus cum Henrico ad imperium adſpirante ſenſerat, Scleſvicumque progreſſus, pace finivit bellum, Wiſmariæ conventu habito. Henricus ſubinde inſtaurans bellum, Ducatu excidit Bajoariæ, quem Otho Dux Sueviæ accepit, Ludolphi filius, Magni Othonis nepos: Bohemia, quod receptaculum eſſet Henrici perduellis, latè vaſtata eſt quidem: Sed Imperator ad Pilſnam urbem à Boleſlao, Bohemorum Principe gravi affectus eſt clade, ut Cromevam ſe reciperet, & ſequenti demum anno Henricum ſubigeret Patavium fugientem.

Sub illa Benedictus VI, à Cincio, præpotenti cive Romano, in carcerem detruſus ſuffocatur, ſucceditque Donus II, neque malis neque bonis factis memorandus; Illi Bonifacius VII, invaſor ſedis, & ſacrilegus. Quare conſpirantibus bonis civibus, Conſtantinopolin profugit, ac divenditis, quæ ſacrilegio abſtulerat, revertitur inſtructus pecunia, ut largitione repetat amiſſum Pontificatum. Sed perbrevi felicitate uſus, cum Joannem Cardinalem privaſſet oculis, ut conatibus ſuis refragatum, gliſcente majorem in modum ſeditione, turpiter vitam finivit. Ita turbatam trienni propemodum tumultu ſedem arripit Benedictus VII, qui octo eam annos inſedit, quibus omnia Romæ venalia habuit. *Platin.*

Dum illa fiunt Romæ, Othonem Aquiſgrano pellit Lotharius V. Francorum Rex, Ludovico rege & amita Othonis genitus, eoque modo Lotharingiam ſibi imperii provinciam vendicat. Sed eum celeriter abeuntem Cæſar inſequitur, depopulatis omnibus & incendio conſumptis, uſque ad regiam Pariſiorum ſedem. Incenſis Pariſiorum ſuburbiis, dum in patriam copias reducit Otho, tergo ejus inhæret Lotharius. Flumen Axonam tranſeuntes Cæſarianos, vadi neſcios, unda rapit confertim: reliquos ad Arduennam uſque perſequitur Rex, & Cæſarem, plurimis amiſſis, cogit redire ad ſua. Paulo poſt tamen Rhemis ſancitur concordia, redditurque Othoni Lotharingia, indignantibus Hugone duce Francorum & proceribus pleriſque. Sed Lotharium ſeptuageſimo ſexto hujus ſeculi anno defunctum, excepit Ludovicus filius ejus valdè juvenis, qui poſt novennium Carolo, fratri ſuo, morte vacuum reliquit ſolium, in quo planè Caroli M. poſteritas defecit, Hugone Capeto dignitatem arripiente regiam. *Dithm. lib.3. Contin. Aimoin. l.5.c.44.*

Felicius Auguſtum recuperavit ſplendorem Baſilii Macedonis progenies, Baſilius & Conſtantinus VIII. Joannis autem *Joannes Zonar. Tom.3.*

Georg. Cedren in Synopſi Hiſtor.

tem Zimiſcæ felicitas unius fraude Eunuchi concidit. Præclarè quidem rem geſſerat Græcorum Zimiſces. Ruſſos, hortante Nicephoro Imperatore, immenſis agminibus inundantes Bulgariam, eaque ſubacta jam Thraciam vaſtantes, primo per Bardam Sclerum, uxoris ſuæ, quam privatus habuerat, fratrem: deinde & ſuopte ductu vicerat.

In quo bello memorabilis Scleri aſtus enituit. Cum enim reſciviſſet, longe præſtare hoſtes multitudine, inque tres exercitus diviſiſſe Sphendoſlabum Ruſſorum Principem copias; Pazinacas primum, qui Boſni, tum Hungaros & Bulgaros ſingulatim aggreſſus fudit, attritiſque ſingulis turmis expeditiorem Imperatori victoriam fecit. Zimiſces, ſuperato Phoca, nepote Nicephori deceſſoris ſui, aſſumtaque in matrimonium Theodorâ, Conſtantini VII Porphyrogenneti filiâ, multa Ruſſorum caſtra & urbes, inter quas Perſthlaba & Doroſtolum fortiter expugnavit. Cepit Boriſen, Bulgarorum regem: Sphendoſlabum multis proculcatum prœliis, veniam petere adegit domum revertendi. Qui poſtea à Pazinacis Scythis, per quorum ditiones ei iter erat, cum exercitu eſt deletus.

Mox & Nicephoro Phocæ, patrique ejus Leoni, Imp. Nicephori germano, iterata perduellio concivit necem; nam primam clementius vindicaverat Zimiſces. Rectè quidem Filio DEI imperium tulit acceptum hic Imperator, quum nummos Chriſti imagine ſignari primus juſſerit, addita inſcriptione: *Jeſus Chriſtus Rex regum:* quem morem ſervarunt deinde poſteri. At perperam Theodoro Martyri victoriam tribuit, de Ruſſis, quod ſacro ejus die pugnaſſet, credulus nimium ſuperſtitioſis aliquibus, obequitantem ſe vidiſſe ordines Theodorum, religioſo mendacio, aſſerentibus. Itaque ingentem rimam egit proſperitas Joannis. Nam dum Orientis quaſdam urbes debellat, perſpecta Baſilii Eunuchi ſui iis in locis potentia, quod iniquum diceret, *tot præſtantium virorum ſanguine partas poſſeſſiones, ab uno ſpadone detineri*, dato per eum tabifico veneno, & proſtrata corporis habitudine periit, annos ſex totidemque menſes rerum potitus. Sic reddita poteſtas filiis Romani Junioris, Baſilii Macedonis abnepotibus.

Cedren. p. 563.

Sed eorum Conſtantinus, mollioris vitæ homo, in voluptatibus volutabatur. Baſilius XX annorum juvenis acri & excitato ingenio, præerat Reipublicæ. Primum Baſilio Eunucho ut rerum perito publicarum obſecutus, matrem Theophano revocavit in aulam. Bardam Sclerum, qui in Oriente multa fecerat fortiter, potentiam ejus & imperii cupiditatem veritus, detraxit ad inferiora, ac ſolius Meſopotamiæ ducem eſſe juſſit. Quo præpete conſilio hominis non tam exſtinxit ambitionem, quam inflammavit ardentius. Bardas enim velut ignominia notatus, totius Orientis dominium, favente exercitu, corripuit. Baſilianos exercitus fudit prœliis, aut occidit. Nicæam Bithyniæ metropolin redegit in poteſtatem. *Baſilii res una velut ſacra anchora ſuſtentabantur, divino quodam ac cæleſti præſidio.*

Zonar. Tom. 2. Cedren. p. 594.

Ergò reducitur ab exilio vir fortiſſimus Phocas Bardas, & copiis præficitur fratrum Cæſarum. Is ſingulari certamine vulnerato Sclero, perturbatas illius caſu legiones fugavit, & ad Coſroën Babylonium Sultanum ſe recipere compulit, ad quem mox Sclerus proditionis delatus, carcerem pro regali intravit palatio.

Baſilius inteſtino bello liber, Calabriam Apuliamque pro dote attributas Theophaniæ, recuperare Græcis inſtituit. Otho eas provincias, ut conjugi ſuæ dotalitias, defenſurus, valido cum exercitu in Italiam proficiſcitur, anno regni VI, non reviſurus Saxones ſuos.

Per ejus abſentiam Sclavi, ſublatis animis, Brandeburgum capiunt, Bohemi Cizenſem Eccleſiam; Miſtuis Obotritorum Dux Hamburgum cremat.

Dithm. lib. 3. Chron.

Sed Duces Comitesque Saxonum, inter quos & Sigisfridus fuit, Dithmari Merseburgensis Episcopi, ex quo hæc narramus, pater, muniti sacro Domini viatico, compellunt in collem quendam Sclavos, & præclaram de iis victoriam reportant.

Chron. Laurisham. mense. Imperator in Italia videns Græcorum juxta & Saracenorum incursionibus expositam Apuliam, accitis è Germania Bajoariis & Alemannis, occupat Tarentum. Deinde missis speculatoribus, Græcos alicubi improviso obrutos insultu tanta sternit multitudine, ut putaret esse deletos omninò, unde *pallida mors Saracenorum* dicebatur. Sed quemadmodum *nihil est bellicis inconstantius successibus*, conglobati iterum ex inopinato Græci, ad Basentellum ingentem edunt Cæsarianorum stragem. Otho plurimis illustrium occumbentibus, comite Othone fratris filio, ad littus properat, insilienseque in aquam, ab Henrico Zolunta milite, qui forte ibi in navi erat, agnitus, pro gregario quodam offertur, recipiturque navarcho. Patefactus autem petit ad oppidum deduci Rossam, ubi Theophania Augusta maximis se opibus præstoletur. Nautæ prædæ avidi applicant loco navem, intromittuntur aliqui Othonis necessarii, Imperator viribus & arte natandi confisus, dum exutis vestibus simulat se meliores assumpturum, è prora in mare desilit, natandoque remeat ad suos, egregiè delusis Græcis. Reparato deinde exercitu, animadvertere in Romanos & Beneventanos constituit, à quibus initium fugiendi esset factum. Beneventum capit incenditque, Romanorum, qui maxime nobiles essent perfidia, ad convivium invitatos occidit; cum reliquis epulari pergit, unde *Sanguinarii* ei cognomen inditum. Theophania quoque Augusta venit in odium, Græca & feminea levitate insultare visa Latinis, quod suæ gentis hominibus bello succubuissent. Nec diu superstes malis *Otho*, tædio angoreque animi *defecit*; aut vulnere potius, quod victis iterum mari Saracenis, acceperat, decennio acto potestatis. Moriens unam pecuniarum partem Ecclesiis, alteram pauperibus, tertiam Mechtildæ sorori, antistitæ Quedlinburgensi, quartam Benedicto legavit Pontifici & reliquis Episcopis. Germani Othonem tertium, filium ejus Cæsarem designarunt Romæ, Italis Crescentium Nomentanum, aliis Henricum Bavarum, exilio nuper solutum, sibi regem deposcentibus.

Platin. in Benedicto VII.

A. M. 4953. *Chr.* 893. *Dec.* 8.

Ea tempestate Adelbertus Pragensis Episcopus, cum Bohemorum non ferret mores, in Pannoniam descendit, & Geisam Ungarorum regem salutari fonte abluit. Inde profectus in Borussiam, à Barbaris laniatus interiit. Eduardus Angliæ rex egregius novercæ dolis occiditur, successore Edelredo, cujus regnum Canutus Daniæ Rex miserrimè est deprædatus, & ferè pro suo habuit.

Plat. in Don. 2. Cosmas Pragensis.

OTHO III. BASILIUS II. PORPHYROGENNETUS. BULGAR OCTONUS.

A. M. 4954. *Chr.* 984. *Dithm. lib. 4. Chron.*

Othonis Tertii puericia, quantum ex patre amoris, tantum à matre Græca odii apud proceres nonnullos traxit. Igitur raptum Henricus patruelis Bajoariæ Dux, custodivit factiosè, uti & sororem ejus Adelheidam, seque pro Imperatore cœpit gerere. Sed prævalente apud Saxones fide, quam Othoni juraverant, meritisque nitente paternis, extortus est Henrico Imperator à principibus, redditusque matri Theophano & aviæ Adelheidæ. Ubi literis divinis humanisque adprimè instructus, tanta virtute emicuit, ut *mirabilia mundi* vulgo appellaretur. Quedlinburgi Cæsarem egit. Henricus ei Bavarus ad mensam, Conradus Marchio ad Cameram, Hecil ad cellarium ministravit, Bernhardus Saxo equis præfuit, ut Dithmari, qui tum vixit, verbis utar. Principes ii etiam Francos denuò insidiantes Lotharingiæ, & Bohemos repressérunt. Miseco Polo-

Chron. Laurisham. mense.

Polonus, adducto inter alia munera Camelo, Othonis se commisit clientelæ. Oborto deinde inter ipsum & Boleslaum Bohemum dissidio, Boleslaus Luiticios seu Lusatos, Miseco Theophaniam Augustam auxilio jungunt sibi. Sed territus Miseco, transactionem amplectitur, Theophonia decedit Neomagi, anno ejus seculi undenonagesimo. Adelheidis avia exinde Othonem educat, donec protervorum depravatus consilio juvenum, tristem à se eam dimisit. Anno nonagesimo Sclavi iterum appetiti bello, subduntur Othoni, renovatis juxta Albim castellis. At Dani occupata Stada, plurimos capiunt Saxonum, gravesque præda, ut remeant domum, deducti in insidias à quodam Herberto, strage ceduntur magna. Henricus Bajoariæ Dux, à comitiis Magdeburgensibus ad Gerbergam sororem deflectit in Gandersheimanum monasterium, ibique correptus ægritudine subitanea, filium homonymum sibi accuratè hortatur, ut fidem præstet Cæsari illibatam, atque implorata DEI misericordia, obit diem supremum. Arserat tum iterum infandis seditionibus Roma.

Adam. Stad. Ditm. lib. 5.

Platin. Johannem XV (antea Petrum Papiensem) tertio Pontificatus mense captum, Ferrucius Bonifacii VII parens, pedore carceris & inedia exstinxerat. Successor ejus Johannes XVI divina humanaque omnia, posthabito Dei amore dilargitus, clericorum omnium odia excitavit, habitusque est pestis, famis & terræ motus causa, per Dei ac hominum, quo se maculaverat, contemptum. Illo post mensem VIII exstincto, Joannes XVII, qui successerat, à Crescentio Consule imperium sibi urbis vendicante in Hetruriam est expulsus, Othonemque invitavit in Italiam. Ejus adventum pertimescens Crescentius, memor eorum, quæ decessores Othonis egissent Romæ, Pontificem venerabundus revocat, pedesque ejus humillimè exoscülatur. Johannes ita clavium potitus, Gerbertum, qui Archiepiscopatum nactus Rhemensem, multa in Romanos Pontifices dis-

Contin. Aimoin. l. 5. c. 45.

ferverat, sede detrusit, restituitque Arnulphum, quem Hugo Capetus, amotis Carolovingiis, Galliarum rex, proditionis reum abdicare se præsulatu coëgerat.

Otho diu desideratus, pronunciat expeditionem Italicam, actoque Ticini Paschate Romam venit. Ibi defuncto nuper Johanni substituit Brunonem, Othone duce (Ludolphi is, patrui Othonis, filius erat) genitum, qui Gregorium se V appellavit. Mathildis interim, Othonis amita, præerat Saxoniæ, cui defunctæ suffecit germanam suam Imperator, Adelheide avia eodem tempore mortalitatem exuente.

Dithm. lib. 4.

Sed abeunte in Germaniam Imperatore, Bruno seu Gregorius seditionibus exagitatus Crescentii, ad Othonem confugit. Crescentius iterum consul Joannem quendam Græcum, non minus pecuniosum quam doctum, largitionibus corrupto Clero populoque, creat Pontificem, seque moli includit Adriani, quæ exinde arx Crescentii dicta. At superveniente iterum Imperatore, urbemque oppugnare adorto, Romani clementia Othonis freti, portas ei aperiunt. Crescentius, dum arce sua prodit spe veniæ, multis vulneribus à multitudine confoditur. Joannes erutis prius oculis Pontificatu simul privatur & vita, in pristinamque sedem Gregorius, undecimo ex quo pulsus erat, mense, restituitur. Is expensa imperii imbecillitate & varietate fortunæ, quo diutius apud Germanos summa potestas permaneret sanctionem retulit haud abnuente Othone, ut solis Germanis liceret Principem deligere, qui Cæsar & Romanorum Rex esset, habereturque etiam Augustus, quum eum Pontifex approbasset. Erat autem tunc Præsulum Moguntini, Colonienſis & Trevirenſis antiquissima autoritas, Ducum Bajoariæ, Saxoniæ & Marchionis illius, cui Henricus I limites Imperii adversus Sclavos commiserat tuendos Brandenburgi. Tulisse hanc legem ini-

Platin. in Gregor. 4. Trith. in Chron. Hirs.

quo animo Francos aiunt: Verum, quia in Carolo Ludovici fratre, desierat mascula Caroli M. prosapia, jamque exstincto Hugone, Robertus ejus filius Galliæ adierat regnum, Ecclesiasticis clarus Canticis, contentus ea fortuna, conciliandis vulgi animis incubuit, ut recens acquisitam familiæ suæ dignitatem defenderet.

Brunoni tertio Papatus anno vita functo, substituitur Gerbertus, ille quondam Rhemis pulsus, Roberti præceptor Regis: ab Othone Ravennati præpositus Ecclesiæ, dixitque se Sylvestrum II. Homo erat Mathematicus, atque ut ferunt, Diabolo mancipatus, ut ejus opera summos in orbe honores consequeretur. Quos & adeptus est, variante admodum fortuna, admirantibusque ejus literaturam regibus, in illa seculi barbarie. Imperator Otho peregrinationem suscepit superstitiosam ad ossa Adalberti, in Poloniam delata, exceptusque à Boleslao duce magnificè, regem eum creat, Gnesnensem Ecclesiam Archiepiscopalem statuit, subjecta ei Cracovienſi, Colbergenſi, Viotislaenſi. Inter quæ approperans annus Christi millesimus multa protulit mundo prodigia, malorum sequentibus imminentium seculis prænuncia.

Platin. Dithmar. lib. 4. Sigebertus Gembl. Chron. Compilatum. Hartm. Schedel. ætate 6. pag. 181. Crome. lib. 3.

Terræ motus ingens, Cometa, facula ardens longo tractu instar fulguris illabens terræ, eaque evanescente figura serpentis, capite semper crescente, cæruleis pedibus, denunciarunt graviorem serpentis antiqui seductionem indies incubituram orbi Christiano. Nec mirum, cum Romæ præsideret, tanquam Christi vicarius is, qui diabolo semet addixisset, atque Imperator eodem reversus, insidiis peteretur eorum, quos maximi æstimabat. Quibus vix elapsus, impudicæ mulieris artibus intercipitur. Erat illa conjux Crescentii, quæ regnandi cupiditate ad sui amorem pellexerat Imperatorem, trigesimum agentem annum; eoque privata, missis chirothecis veneno infectis, bonum Principem mala amica interemit, anno imperii XIX. Maria Augusta ob adulterium, quod ipsa cogitaverat, Comitique Mutinensi innoxio impegerat, supplicio affecta, perierat. Dithmarus *facie lætum, at conscientiæ in secreto multa gementem facinora*, jejuniis ac eleëmosynis indulsisse Othonem narrat, suorumque conspirationem prævertisse leto, emicante maxima Henrici ducis fide, qui patris sui memor monitorum, assensum haud præberet conjuratis. Otho enim clam scrutando ossa Caroli M. & ad instar veterum Cæsarum adornando cœnas, queis superiori loco solus accumbens epularetur, alienârat multorum animos. *Decessit* orbus, intestina ejus Augustæ, corpus Aquisgrani conditum ab Henrico successore, anno Christi millesimo secundo. Sylvester Papa à Domino suo, cui servierat, percussus, peractis in Basilica Cruci Hierosolymitanæ sacris, cum mortem sibi adesse persentisceret, professus peccatum suum, salutisque æternæ dubius, migravit de vita, exemplum relinquens tam sanctitatis Pontificiæ posteris, quam fraudis Satanicæ, quâ multi illaqueati, ob hujus delicias seculi cœlestia tabernacula aspernantur.

Golfrid. Viterb. A. M. 4971. Christi 1001. *Benno Card. Platina.*

Sub hæc tempora Basilio, Imperatori Græcorum, perpetua cum Bulgaris bellorum seges nata est. Cum enim regia apud Bulgaros familia, Petro exstincto, defeciſſet, quatuor fratribus summo loco natis delato Principatu, tres eorum variis casibus sunt consumpti, quartus vero Samuel nomine, occasione usus civilis Græcorum belli, multas eorum urbes ditionis suæ effecerat. In eum susceptа expeditione, Basilius ducum suorum fraude delusus, non tantum repulsus facilè est, sed & iterum civili impetitus bello Phocæ, ejus qui Sclerum antea devicerat. Is enim indignatus, nullam sui rationem haberi à Basilio, quem tanti curis adversarii liberasset, invasit tyrannidem, variisque demum præliis prostratus, subitanea morte antevertit fortunam graviorem. Tum vero Basilius anno

Zonar. Tom. 3. Cedren.

Imperii

Imperii XXIV, cum sororem Patricii Byzantini Romani Argyri, Venetorum Principi elocasset, & Vrani ducis industria fregisset aliquantum Bulgaros, totam Græciam persultantes, grandem exercitum trans Hæmum montem misit: qui captis majore & minore Perithablis oppidis, victor revertit Byzantium. Sequenti anno ipse à Thessalonica adortus Bulgariam, Sarmatarum, & Soraborum colonos pervasit Servios, dirutasque in Thessalia instauravit munitiones Græcorum, eo tempore, cum Veremundus Hispaniarum Rex Almansorem, Saracenorum Cordubensium Dominum, maximo prælio profligaret.

Auctam ferunt superstitionem hoc tempore, narrante Peregrino, auditas sibi in Sicilia, apud ollas Vulcani, animarum tormenta patientium querelas, quin & dæmonum, eripi sibi animas plangentium precibus monachorum Cluniacensium. Itaque Odilo Abbas memoriam omnium animarum sanxit, sicut antea omnium festivitas sanctorum erat instituta.

Sigebert. Anno 990.

HENRICUS II. SANCTUS, qui & CLAUDUS.

BASILIUS II. PORPHYROGENNETUS.

Anno eodem. Dithm. lib. 5. Sigebert. Chron. Frising. lib. 9.

HEnricus Bajoariæ Dux, primi Othonis ex fatre nepos, regni insignia ab Heriberto Colonienſium Præsule extorsit, conciliatisque sibi nonnullorum animis principum, turbidum discordiis aliquantisper gessit imperium. Æmulus erat Eghardus Marchio, Thuringorum dux, rebus gestis clarus ac pro rege exceptus Hildesiæ, haud exiguis Saxonum suffragiis subnixus. Sed eum Sigfridus Northemius Comes, incertum cujus instinctu insidiis circumventum apud Paderbornam interemit. Exuvias ejus uxor Jenæ condidit. Hoc extincto, Boleslaus Bohemus, Henrici fautor partium, Budissinam, Misnam, aliaque occupavit oppida. Hermannus contra Alemanniæ & Alsatiæ Dux insessis Rheni ripis, ne Moguntiæ inauguraretur Henricus, impedire conabatur. Sed Henricus astu elusit hostem. Simulata enim in Bavariam reversione, ut comperit abisse Hermannum, repentè trajecit Rhenum, atque à Willegiso Archiepiscopo consecratus est. Is Willegisus fabro ortus, rotam insignibus intulit Moguntinorum Præsulum, grandibusque literis in conclavi jussit scribi, *Willegis, Willegis, recole unde veneris.* Hermanni milites Argentinam, caput Alemanniæ, quod Episcopus urbis Henrico studeret, captam deformârunt incendiis. Sed cum Saxonum Magnates, & Fridericus Palatinus Henrici comprobarent electionem, incassum laboravit Hermannus. Nec Henricus Othonis M. ex Ludolpho nepos, quicquam ad rei summam profecit. Sublevabant eum Boleslaus Polonus, invasor Bohemiæ, Bruno Augustanus Præsul, frater Imperatoris, & comes Bambergensis Henricus. Comitem hunc omni ditione exuit Imperator, Schueinfurtum ejus castellum pene excidit. Instauravit deinde Ecclesiam Merseburgicam & alias, Giseleri præsulis Magdeburgici avaritia, & Sclavorum incursu vastatas, suumque Diaconum Tagmonem Giselero defuncto substituit. Boleslaus interea Bajoariis multum intulit damni: Bruno ad Hungaros profugit. Henricus habitu pœnitentis se offerens Cæsari, mancipatus est custodiæ, Cæsar improbis, ut scribitur, precibus Principum impulsus, duxit uxorem Kunigundam, filiam Sigisfridi Comitis Palatini. Inde Henrico, per priorem conjugem genero suo, attribuit Bajoariam, commendataque Regina Tagmoni Episcopo in Italiam proficiscitur, Harduigum pro rege se gerentem Lombardia depulsurus. Ei in itinere occurrit frater Bruno, & annitentibus, quos secum duxerat, Hungaris, in gratiam recipitur. Sic pacata mediocriter Germania, per Carinthios Italiæ aperiuntur aditus, ingressisque Harduicus

Sifrid. Presbyter lib. 1.

Dithm. lib. 5.

Dithm. lib. 9. Huldr. Mutius Chron. Germ. lib. 14.

ducus Rex ſecurum fugâ ſuâ patefecit iter. Introitur Verona, mox Brixia, Bergomum, Papia. Henricus ibi ab Archiantiſtite & regni primoribus regale in ſolium collocatur, murmurantibus interim civibus, quos indulgentia demulſerat Harduigi. Qui & concitatâ ſubitò ſeditione, Heribertum Colonienſem lapidibus impetunt, Giſelbertum Kunigundis fratrem occidunt, omnibuſque modis palatium oppugnant Henrici. Verum tuentibus ſe viriliter, qui pauci aderant, Germanis, excitati interim clamore, qui foris erant, Alemanni, Franci, Lotharingi, fractis intrant muris urbem, eaque direpta & incenſa, ac plurimis civium trucidatis reliquos gratiam petere cogunt ſupplices. Sunt qui in hoc tumultu luxaſſe crus Henricum, atque exinde claudicaſſe memorant. Digreſſus Papia Mediolanum uſque, compoſitiſque, ut poterat, Italiæ rebus reviſit Alemanniam, Hermanni nuper ducis obitu vacuam. Eam filius ejus, puer admodum, Imperatori regendam tradidit: cui ſucceſſit Erneſtus, in venatione pro ferâ occiſus poſtmodum. Tandem ulturus Boleſlai Poloni injurias Henricus, ſuſcepto Jaromiro, exule Bohemiæ duce, Satzam à civibus traditam ingreditur, mox & Pragam, jam à Jaromiro præoccupatam, ibi Godeſcalci Friſingenſis Epiſcopi concione in miſericordiam flexus, Henricum carcere abſolvit, captaque deinde Budiſſinâ, Wilzienorum urbe, Luſatorum auxiliis dæmonia adhuc colentium, Polonos oppugnare inſtituit. Trajectum fluminis Croſna in urbe ſedens Boleſlaus cuſtodiebat: Sed Henricus, reperto per ſpeculatores vado, tranſmiſit ſex legiones, quæ irruentes in caſtra, tantum ingeſſerunt Polonis metum, ut Henrico Poſnaniam uſque progredienti nihil objectarent impedimenti, niſi ſicubi per inſidias laceſſere pabulantes poſſent. Itaque pacem Boleſlaus per legatos precatus, obtinuit, perturbatores pacis Sclavi ſuſpendio ſunt puniti.

Dithm. lib. 6.

Sigebert. Gembl.

Inde cum fame peſtilentia adeò orbem afflixit, ut tædio ſepelientium, ægri adhuc ſpiritum trahentes cum mortuis obruerentur, & pecudes ſine cura hominum per arva oberrarent palabundæ.

Defuncto interim Othone duce Lotharingiæ, Imperator Godefrido eam Arduennæ principi aſſignat, invito Balduino Flandrorum comite: unde novum exſtitit bellum, anceps & calamitoſum. Robertus Francorum rex, & Richardus Normannorum Dux, opem Henrico ferebant, captoque tandem Gandavo & vaſtata Flandria, Balduinus dedit manus, & Valentinam urbem, cum Selandia Inſula, pro feudo à Cæſare impetravit.

Cæterum Henrico, ut erat Eccleſiaſticis addictiſſimus, magni nominis Eccleſiam in Germania placuit excitare, *eluendis, ut tum ferebat opinio, peccatis conſcientiam prementibus.* Ea condita eſt Bambergæ, quem comitatum nuper acquiſierat, omniumque ei bonorum Cæſaris hæreditas legata. Henricus *Monachorum pater* audire publicè cœpit.

Illas largitiones impatientius ferens Theodoricus, Metenſium Epiſcopus, Kunigundis Auguſtæ frater, & ſi orba decederet, hæres, arma occepit agitare. Sed urbs Metenſis ab Imperatore obſidione cincta, ac penè deſolata, deditionem fecit, Epiſcopus cum Henrico in gratiam rediit.

Chron. Laurisham. menſe.

Fervebat eodem tempore in Anglia bellum, quo Sueno rex Daniæ ſubegit tandem Edelredum Regem, totaque Britannia eſt potitus. Boleſlaus Jaromirum Bohemia ejecit iterum, & adductis in fœdus Bernhardo Luneburgenſium duce, ac Miſlibogo Mechlenburgenſi Vandalo, vaſtata eſt omnis Vandalia Imperio ſubjecta; Vandali Sclavique ad Idola ſua redierunt.

Dithm. lib. 7. Helmold. l. 1. c. 19.

Tandem Bernhardus Epiſcoporum monitis reſipuit, ſolutaque Cæſari multa, pacem eſt amplexus. Boleſlaus excidit Lebuſiam, recens ab Henrico conditam: Sed à Boleſlao Polono ſub epulis captus, oculorum lumina & Bohemiam

Coſmas.

fœdè

fœdè amisit. Boleslaum vicissim expulit Othelricus, pariterque fratrem suum Jaromirum, damnatum & carceris postea à Cæsare, quod Bavaros quosdam, injussu Cæsaris munera ferentes ad Boleslaum, trucidasset. Nec diffitetur Dithmarus, eo tempore Merseburgi Episcopus, perperam consuluisse eos Henrico, qui ad hanc fido principi infligendam pœnam eum stimularint. Othelricus injustè usurpatam hactenus Bohemiam tunc gratuito Cæsaris munere suscepit. Boleslai Poloni filius Miseco, allatis donis, fidem sacramento firmavit Henrico Merseburgi, mox & pater ipse Padebronnæ. At cum repressisset Cæsariano auxilio Russos, facilè mutavit fidem, neque ex condicto expeditionem adjuvit Italicam, quam iterum Henricus adornabat, & Pontificis precibus, & suorum in Longobardia querelis ploratus.

Dithm. lib. 6.

Ejus copias veritus Harduicus Longobardiæ Rex, munitionibus se tuebatur, campestri impar prælio cui comitatum saltem petenti obstinatè refragatus Henricus, multum ea re familiaribus damni peperit. Interim profectus Romam, quo Benedictum VIII. Pontificem remiserat, pulsum à Gregorio æmulo, exquisitis suscipitur honoribus, pronunciaturque Augustus, Ecclesiæ advocatus.

Præcesserat Benedictum Sergius, quo sedente, Guilielmus, Tancredi Normanniæ ducis filius, adjuvante Mele seu Molocho Basilii Imp. præfecto, Saracenos ejecit Sicilia. Inde maligna prædæ divisione exacerbatus, assumptâ suorum manu valida, Apuliam Græcis obtemperantem occupat, victumque prælio Melen in suas tradùcit partes, qui missos adversum se Sami ac Cephaleniæ rectores, navali pugna devicit, atque ita regnum Apuliæ à Græcis ad Normannos transiit.

Platina in Sergio. Cedrenus.

Successore Sergii Benedicto in sedem relocato, reflectit in Germaniam iter Henricus, fratremque suum Arnulphum Ravennæ relinquit Episcopum. Tum verò prodiens è latebris suis Harduicus. Vercellis recipitur, ac denuò regium induit fastum, multumque Cæsarianis molestiæ creat; Imperatore interim cum Rodolfo Burgundorum rege, ut avunculo suo, de tradenda sibi Burgundia agente. Ea tractatio tandem peracta offendit Burgundionum primates, nihilque profecit Imperator, nisi quod vastatæ sunt intestinis dissensionibus Burgundorum ditiones.

Dithm. lib. 7.

Sub hæc cum Sueno subacta in Britannia subito interiisset, successit ei Canutus filius: Anglis interim Edelredum è Normannia revocantibus, Haraldus & Canutus Anglorum ulturi rebellionem, CCCXL navibus advehuntur, & Londinum urbem obsident: quam, defuncto Edelredo, tuebantur filii Edelstenus & Ethmundus. Ethmundus congressus acie cum Thurguto duce cadit, cumque eo flos Angliæ: Canutus potitur insulâ. Mox recrudescit etiam cum Polono bellum, quod filium ejus Misecone à Bohemorum duce captum, & Imperatori traditum, non extemplo restituisset Imperator. Miseco effusè populatus est Bohemiam, Henricus Glogoviam processit cum exercitu, variæ utrinque cædes factæ, donec Budissinæ *transigi sineret litem Imperator, non ut decebat, sed ut poterat.* Echardi Marchionis filia Polonorum regi nupsit, anno ejus seculi XVIII, quo & Lusati Mistislaum principem, quòd bello Polonico negasset suppetias, Suerinum in oppidum compulerunt: juxta Obotritis & Varis pararunt facultatem ad Idola redeundi. Canutus, destructor antea Britanniæ, adversus piratas eam strenuè defendit.

Matth. Westmonast. Dithm. lib. 7. anno 1016.

Boleslao Polono aliud grande cum Jaristao Russorum principe exortum est bellum, quòd is Suentipolcum Christianum ducem, expulisset, & in Poloniam iram verteret. Sed Poloni à Germanis adjuti expugnarunt Kioviam, fugatoque Jaristao, Suentipolcus regnum recepit.

Sigebert. Gembl.

Nortmannis inde Frisiam pro more non deprædantibus, Godefridus Lotharingus Comitem ibi quendam castigaturus, à Frisonibus capitur, impetrataque eis ab Imp. impunitate, dimissus obit, successore fratre. Eo tempore Benedictus Papa Bambergensem consecrarat Ecclesiam: cujus è Germania discessum prodigiosa siccitas, cœlique intemperies, animalibus quam plurimis letifera, excepisse traditur. Aquisgranensi in conventu repertæ columnæ sudantes, quem Babo, vir Baro, XXXII filiis, & filiabus octo, legitimo susceptis matrimonio conspicuus, illustriorem reddidit.

Platin. in Benedicto VIII. Maria. lib. 3. Huldr. Mutius Chron. lib. 14. Siffrid. lib. 1.

Compositis ergo Germaniæ rebus, tertio profectus in Italiam Henricus, Saracenos Capua expulit, Harduicum Longobardia, ac Bubaganum Græcorum ducem, qui Mauris faverat, acerrimo bello adeo est persecutus, ut eum quoque è Troja ejecerit castro, in finibus Apuliæ eo loci condito, ubi olim Annibalis castra sunt habita. Felicitatem Cæsaris maculavit pestilentia, qua confertim milites interiere. Sunt qui scribunt, Henricum cum uxore Kunigunda ita castè ac sanctè vixisse, ut conjugali consuetudine mutuo è consensu abstinuerint prorsus, cujus rei, si vera, miror nullam injici mentionem à Dithmaro Henrici coætaneo, curioso satis etiam somniorum annotatore monasticorum. Compilator vetus & Hulricus Mutius Kunigundam aliquando adulterii suspectam, candenti ferro probasse innocentiam memorant. Illud certius constat, insigni pietatis & munificentiæ laude floruisse hunc Imperatorem, orbumque decessisse anno imperii XXII. Sororem suam Gislam Stephano collocavit in uxorem, regi Hungarorum, cujus opera rex ipse, & populi omnes imperio ejus subjecti, Christianismum susceperunt. Proximo ante obitum anno cum Roberto Francorum rege collocutus, de emendando Ecclesiæ Reique publicæ statu, pactusque ut opportune Papam Ticini convenirent ambo, non implevit quæ destinaverat, fatis eum prævertentibus. Consultus de successore, Conradum de meliore nota commendavit principibus, quod & judicium illi sunt secuti. Sic *moritur* Groningæ, ætatis anno LII, sepeliturque Bambergæ, ubi adhuc sepulcrum coli videmus. A. M. 4994. *Christi* 1024. 13 *Jul.*

Eodem pene tempore & Basilius Græcorum Imperator, decessit orbus, victor Bulgarorum, quibuscum multis annis dimicaverat, variis certaminibus & cruentis. Dum autem illos annuis expeditionibus fatigaret, singulare domi tributum instituit, quod divites pauperum in bello consumtorum hæredibus penderent, idque græco vocabulo *allelengyum* appellavit. *Cedren. Zonar. Tom. 3.*

Tandem anno imperii XXXVIII, cum Samuël Bulgarorum rex angustias regni sui obsepsisset, Basilius, circuito magnis itineribus monte, subito à tergo aggreditur præsidiarios claustra custodientes, eosque in fugam agit. Capta eorum ad XV millia, ademptis oculis, relictoque singulis turmis uno duce luscо, ad Samuelem remittit. Qui non ferens tantam suorum calamitatem, vertigine properè oborta concidit, biduoque post exhalavit spiritum. Ejus patruelem Joannem Bladistlabum cum in acie interemisset Basilius, subacta est demum Bulgaria, illustriores quique gentis Constantinopolin translati. Bulgarorum fortunam Crabatarum mox natio, & Sirmium, Pannoniæ urbs potentissima, imitatæ, anno Basilii XLII. *Cedren. p. 587.*

Eodem tempore Turci, Gens Hunnica, populosissima & liberrima, Caucasiorum montium Boreale accolens latus, à Mahumete, Persidis & Mediæ Sultano in auxilium vocati sunt, cujus anteccessor Cosroës, Byzantinorum opera adversus Persas erat usus. Etenim Inargus, regii generis Persa, populares suos diutinam coquentes iram in Saracenos, facile ad rebellionem incitaverat, recuperandæque potestatis spe inflatos, multis conflictibus Cosroë superiores effecerat. Cosroës, qui Bardam Sclerum, ut

ante

ante dictum, multosque milites Christianorum in vinculis haberet, statuit eos liberare, si forte Persas illorum virtute debellaret. Nec fefellit sententia. Sclerus cum suis Persas felicibus præliis stravit, potitusque victoria refugit ad Christianos, Bardæ Phocæ se aggregans, qui tunc cum Basilio de imperio decertabat. Ejus Scleri astutum memoratur consilium. Cum enim Basilii in perduelles felicitatem suopte exemplo comperisset, Romanum, filium suum, pro transfuga subornavit ad Basilium, ut si Imperatoris partes prævaluissent, filii deprecatione evitaret periculum, seu vicisset Phocas, filio ipse veniam impetraret.

Romanus consilium id gnaviter executus, brevi collegit gratiam Imperatoris, intimisque adhibitus deliberationibus, Eunuchum illum Basilium, cujus fraude Zimisces diximus peremptum, ut rei publicæ privatæque onerosum, depulit à gubernaculis. Imperator ablatis homini opibus, lento eum mœrore animique ægritudine absumpsit. Sublato deinde repentina morte Phoca, Sclerus valdè jam senex, è vastatore terrarum, studio filii, Curator palatii designatur: Sed antequam perveniret Byzantium amisso oculorum lumine, cæcus est introductus. Basilius ea tempestate defuncto Iberiæ principe, pleramque sibi addixit. Tripolitanum, Damascenum, Tyrium, Berytium, Dynastas, qui conspiratione inita Antiochiæ agros populabantur, tributarios sibi reddidit. Mediam & Chazariam Romanæ recuperavit ditioni, anno XI imperii.

Cedren. p. 577.

Sed redeo ad Turcos. Cosroën vita functum Mahometus exceperat, à Pisasirio Arabum Babyloniorum exagitatus principe. Cui impar attraxit Turcos, eosque profligatis Babyloniis Indisque, detinuit in Perside, ut eorum opera in alios etiam hostes uteretur. Obseptus jussu Sultani Araxes amnis custodiis, ne Turci ad suos remearent. Sed *pravum consilium & ingratum in caput autoris vertit.*

Zonar. in Constant. Monomacho. Cedren. p. 634. &c.

Turci enim dolore incensi, *quod patria prohiberentur ab eo, cui ipsi suam reddidissent*, desciscunt à tyranno, & montes occupant, homines ad tria millia; prædæ habentur Saraceni, Mahumetus eos depellere conatus, misso exercitu cum ducibus XX millium. Eos Tangrolipices Mucaletus, Turcorum princeps, in fugam compellit. Asperatus ignominia Sultanus oculis multat duces, & dira minatus suis, facit, ut ad Turcos fugiant, eorumque augeant vires. Ita confluente ad Tangrolipicen acerrimo quoque, prælio certare ausus est cum Sultano, quingenta hominum millia offerente certamini, profligatumque occidit. Inde patefacto Araxis transitu fluminis, innumera suorum agmina adducit in Babyloniam, & Saracenicum imperium in se suosque populares transfert. Ab eis Hierosolymam hoc tempore captam, nonnulli scriptores memorant. *Platin.*

Basilius interim crebris elatus victoriis, cives juxta ac milites cœpit contemptui habere, *eruditionem ut rem supervacaneam & inutilem spernere. Fiscum, obstructis liberalitatis foribus, referit thesauris*, ducenta millia talentorum auri, præterque gemmas & margaritas, infinitam argenti copiam congessit, *quæ opes in conclavibus, inutile terræ pondus, jacebant.* Pertinax ipse decretorum, iræ dissimulator, sed quam differret, non auferret, metum incussit subjectis. Cum præmissis copiis, in animo haberet Siciliam repetere, fatis interceptus subsequi duces suos non valuit. Vixit & regnavit annos LXXII exemplo nullo: solus quinquaginta & amplius: reliquo tempore collega primum patris, deinde Nicephori Phocæ, ac post illum Zimisces, sed nomine tantum tenus. Ipso regnante, Bruno Episcopus Borussos cupiens ad Christum traducere, peremptus ab iis præivit morte. *Dithm. lib. 6.*

CONRADUS II. SALIQUUS, Occidentis,

CONSTANTINUS VIII, ROMANUS III, ARGYROPOLUS,

MICHAEL IV, PAPHLAGO, Orientis Augusti.

Anno eodem. Wippo de vita Conradi Salici. Godefrid. Viterb. parte 17. Frising. l. 6. c. 28.

DEfuncto Imperatore Henrico, congregati cum præcipuis Episcopis principes, Benno Saxoniæ, Adelberto Histriæ, Hetzilo Bajoariæ, Ernestus Alemanniæ, Lotharingorum Fridericus, Ribuariorum Gozelo, Cuno Francorum, Uldaricus Bohemiæ duces, in quadam Rheni insula creant Imperatorem Cunonem seu *Conradum* majorem, Francorum ducem, patruo Brunonis, quondam Papæ, genitum, materna stirpe è priscis Franciæ regibus ortum. Is patruelem suum Cunonem minorem, competitorem imperii, modestia & gravitate superavit. Uxorem habuit Giselam, Henrici Imper. consanguineam, Hermanno Alemanniæ quondam duce ortam, matre Burgundica. Ea Suevorum ante nupta duci Arnolfo, Ernestum ei & Hermannum pepererat: Conradus ex illa Henricum filium tulit. Kunigundis Augusta insignia Cæsarei apicis publicè Conrado tradidit. Archiepiscopus Mediolanensis, reliquique Italiæ Optimates Constantiæ jurarunt Cæsari: Ticinenses repudiati sunt, quod regium in urbe sua palatium destruxissent. Basilea urbs in confinio Burgundiæ, Alemanniæ & Franciæ sita, ditionis erat Rodolphi, regis Burgundionum, cujus è sorore neptis Gisela Augusta erat. Is rex, quod liberis careret, Henrico II delegaverat regnum, proceribus invitis. Conradus ergo Basileam occupavit, tentaturus, utrum pactis Rodolphus staret: eique civitati Episcopum præfecit, non sine pecunia, quam tamen post eum pro sacro munere accepisse pœnituit, teste Wippone, qui à sacris Conrado fuit, & vitam ejus mandavit literis. Principia igitur imperii tranquilla & felicia fuêre Conrado, celeriter discussis, quæ à Boleslao Polono, & Roberto Franco ingruebant, bellis. Item quæ Cuno minor & Ernestus Imperatoris privignus, & Fridericus Lotharingus moliebantur. Erat enim *constanti pectore ac imperterrito Conradus, virtutis indomitæ ac penè infatigabilis, strenuus violatorum pacis vindex.*

Tertio imperii anno Henricum sibi filium, puerum adhuc, destinavit successorem, actis Aquisgrani comitiis, conscriptoque exercitu Italiam adiit. Papienses bello coëgit reficere arcem, quam demoliti fuerant. Ravennates mota seditione expellere eum urbe tentantes, Teutonica vicit virtute, misericordiamque supplices petere compulit. Ibi *militem* quendam, cujus pes supra talum eo prælio fuerat abscissus, *plenis argento ocreis remuneratus est.*

Inde Romam profectus, à Johanne XXI Papa accepit diadema, mediusque duorum regum Canuti Angliæ, Daniæ & Norwegiæ & Rodolfi Burgundiæ regis, ad cubiculum deductus legitur. *Wippo 8. Godefr. Viterb.*

Johannes iste nullis ante sacris initiatus, Benedicto VIII successerat, cujus speciem atro in equo ferunt occurrisse cuidam Episcopo, rogantem, ut eleemosynæ quædam Benedicti nomine de justè partis erogarentur, *nam quæ ab ipso præstita essent, nihil juvare, quia è rapinis datæ fuerint.* Talibus spectris satisfactiones vivorum pro mortuis nitebantur. *Platin. in Benedict. VIII. & Johanne XXI. Anton. lib. 16.*

Oborto tum Romæ de corio bovis litigio inter milites duos, Germanum & Italum, ad verbera, & mox ad prælium processit tumultus quo innumeri periêrunt. Inferiores congressu Romani, nudis pedibus, insertisque collo laqueis veniam precati obtinuerunt. Subjugata deinde Conrado Apulia, Normannis attribuitur, ut eam Imperatori Teutonico adversus Græcos pro feudo defenderent.

Potie-

Potiebatur tunc rerum apud Græcos Romanus III. quem Conſtantinus ſucceſſorem legerat.

Zonar. Tom. 3. Cedren. p. 594. 595 598.

Baſilio enim orbo è vivis ſublato, Conſtantinus frater ejus jam ſenex, Ventris ac Veneris mancipium, dominari liberis capitibus cœperat, inſano aleæ ſtudio, theatriſque & venationibus addictus. Hic in barbara prodigus mancipia, in optimos quoſque tenax, tantum inertia ſua afflixit rem Chriſtianam in Oriente, quantum eam frater Baſilius inſtaurare concupierat. Præcipuæ urbes Syriæ & Phœnices, interfectis præſidiis, libertatem reſumere auſæ. Pazinacas tamen, Scythicam gentem, Dux ejus Conſtantinus Diogenes, Syrmii & Bulgariæ præſes, ultra Iſtrum profligavit: Claſſem Agarenorum, Cycladas vaſtantem, devicit dux Sami. Morti confinis Conſtantinus, ut imperium filiæ relinqueret, allaborare omnibus modis cœpit. Itaque Romanum Argyrum, virum illuſtrem, ſimulata primum ira, conjuge ſua ſpoliat, quæ attonſa, quaſi liberando è diſcrimine marito, cœnobium ingreditur. Inde in palatium accito, filiam ſuam Zoën cum imperio dat pro uxore habendam, tertioque poſt nuptias illas die, naturæ perſolvit debitum, rebus humanis LXX annos, ſumma poteſtate uſus triennium. Laudatur in ipſo placabilitas, & de injuriis præcipitanter illatis pœnitentia. Nam illuſtrium pleroſque, vanis perduellionis criminibus circumventos, ut Michaëlis Burtzæ filium, Nicephorum Comnenum, Romanum Scleri filium, Romanum Curcuam & alios, aut interfecit, aut privavit oculis. Sed *turpiſſimum principi, ea per iracundiam committere, quæ infecta fieri nulla pœnitentia queant.*

Romanus, dictus Argyropolus, quod ad prodigalitatem uſque videretur munificus, allelengyum tributum funditus ſuſtulit, refocillavitque Epiſcopos per id penè ad egeſtatem redactos. Zoës Auguſtæ ſororem Theodoram, ob clandeſtina conſilia ſepoſuit in inſulam, Conſtantinumque Diogenem ob affectatæ crimen tyrannidis in turrim conjecit, qui poſtea, ne prodere ret conſcios, ſuopte ſe præcipitio interemit. Cum autem Romanus per deceſſoris Soceri deſidiam receptas ſciret Saracenis urbes Syriæ, repetere eas bello perſeveravit, magni nominis avens, etiamſi hoſtes ſine ſanguine eas parati eſſent reſtituere. Sed *ſanguinis fundendi cupidus largiter eum dedit*, clade nobilitatus maxima, quum Saracenis caſtra ejus fame fatigantibus, amiſſo omni inſtrumento regio, ægrè evaderet Antiochiam. Nec in Sicilia Italiave quicquam actum proſperè, pudenda ducum inſcitiâ. Normanni Apuliam, Conrado Cæſare adjuvante, poſſederunt. In Syria tamen, coita cum Tripolitano Amira, qui ab Ægyptio deſciverat, ſocietate, duo recepit caſtella Romanus. Georgius Maniaces expugnavit Edeſſam, epiſtolamque Chriſti ſcriptam manu Abgaro, ut putabant, regi, tranſmiſit Conſtantinopolin.

Cedren. p. 601.

At Romanus ex infortuniis ſuis pejor, ut amiſſa penſaret, pro Imperatore Exactor, acerbus quæſtor, è tanto opum contemptore factus eſt, obſoleta patrum debita à liberis poſtulando, multos ad egeſtatem adegit extremam. Nec parcior ædificationum interim, *diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.* Profligatis verò per duces claſſiarios è mari Saracenis, unde imperium acceperat, perdidit.

Zonar. Tom. 2.

Nam dum è ſterili ſua Zoë jam quinquagenaria, ſexagenario major ipſe ſobolem exſculpere omni arte humanâ magicâque annititur, irritus propoſiti rarius eam cœpit attingere. Qua alienatione irritata mulier indomitæ libidinis Michaëlem Paphlagonem, cujus faciem natura expolierat ad venuſtatem, deperire incipit, qui ob id ſuſpectus Romano, ejurat facinus, correptuſque ob perjurium morbo comitiali, firmat Imperatori opinionem innocentiæ, non judicanti amari illum aut amare poſſe, qui

tanto malo conflictaretur. Quare deleta adulterii ſuſpicione, Paphlago noctu pedes fricat Romano, nec ſegnior Auguſtæ concubinus, tandem incantamentis & balneis exanimato domino, poſt annos quinque imperii & ſemeſtre, pro mœcho Imperator eſt declaratus, mirâ æterni Numinis tolerantiâ.

Wippo de vita Conrad. Sigebert. Gembl.

Dum illa fiunt, & Italiam componit Conradus, Occidentis Auguſtus, conſpirationem in Germania obortam clementia divina brevi diſcuſſit. In conjuratis erant Fridericus Lotharingus, Cuno Wormatienſis, Erneſtus Alemannorum dux, privignus Imperatoris. Friderici molitiones (vitricus is erat Cunonis) mors antevertit, Gothelo dux Moſellanam exinde ditionem accepit. Cunonis odium vi ſua majus erat, Erneſti maxima audacia enituit. Hic collecta juventutis prævalida manu, Alſatiam vaſtat Burgundiamque, vocatuſque Ulmam, minimè ſupplex venit, certus nihil concedere Imperatori. Sed cum Comites quidam negarent arma ſe laturos in Cæſarem, deſertus à ſuis, deditionem fecit, & Gibichinſtainum pro captivo miſſus eſt. Cuno propugnaculorum deſtructione emercatus Conradi gratiam: Rodolphus Burgundiam tradidit, quæ à temporibus Arnulphi Cæſaris annis pluſquam cxxx gentis ſuæ habuerat reges.

Wippo. Cedren. p.603.

Adelbero dux Hiſtriæ, id eſt, Carentanorum, reus item majeſtatis, excidit Principatu, quem Cunoni, jam ex hoſte ſocio, aſſignavit Imperator. Werintharius Argentinenſis præſul, legatus ivit ad Michaëlem, novum Orientis Cæſarem, quo Byzantii conſumpto, Michaël aureis literis legationi reſpondit, haud dubie, ut conjunctis viribus Saracenos, Sicilia pellerent. Jeroſolymam inſtituerat proficiſci Epiſcopus, ubi tunc templum ſepulcro ſacrum Dominico, incendio deletum à Mahumetanis, conjux Amiræ Ægyptii Chriſtiana inſtaurabat, impenſis adjuta Romani & Michaëlis Imp. Sed variis impeditus caſibus in via defecit peregrinator. Conradus Auguſtus, exempto rebus humanis Rodolfo, hæreditatem Burgundiæ ſine bello non crevit. Odo eam Campanus, Imperatricis materterâ, Rodolfi ſorore genitus, armis ſibi aſſerebat; quicum Conradus fortibus congreſſus auxiliis, trucidato tandem in fuga æmulo, in provinciam redegit regnum, anno MXXXV. Eodemque tempore Miſeconem Polonum revocavit ad obedientiam, qui Othonem germanum ſuum dejecerat regno. Laudatur in eo bello Conradi magnanimitas, qui captum ab Udalrico Bohemo, ad quem confugerat Miſeconem accipere noluerit, *proditorias deteſtatus artes*. Miſeco ambivit deinde gratiam Conradi per Giſelam Auguſtam, tertiamque in Poloniæ partem reſtitutus, Caſimirum reliquit filium Imperatoribus tributarium.

Herm. Contract. Chron. Ant. Bonf. de reb. Hungar. Wippo in vita Conrad. Saxo lib. 10.

Obortum deinde & cum Stephano Hungarorum rege, & Luiticis paganis bellum, quod pari felicitate Conradus Cæſar finivit. Stephanus filio ſuo Emerico, quem ex Henrici II ſorore procreaverat, Bavariam vindicabat, ſed progreſſus in mediam Imperator Hungariam, ad pacem adegit Stephanum, morte præſertim Emerici adeò fractum, ut filium, cui ditiones quæſierat, jam pro Deo tutelari ſuperſtitioſe inciperet venerari. Luiticos duello probantes (quæ tunc nimium vigebat ſtultitia) juſtam ſibi in Saxones belli cauſam eſſe, cædibus & inſectationibus acerrimis vectigales Chriſtianis reddidit. Henricus filius Imperatoris ſubegit Bohemos, cui mox Canutus Anglorum Danorumque rex, filiam junxit Chunelindam: quæ poſt biennium, editâ in lucem filiâ, vitam in Italia clauſit, & Limburgi, quam arcem Conradus in cœnobium verterat, tumulata eſt. Italia eo tempore peſtifero quaſſabatur motu, Epiſcoporum imprimis culpa, Mediolanenſis, Placentini, Vercellenſis, Cremonenſis, quos Imperator ſuſcepta expeditione comprehenſos miſit in exilium, murmurantibus non paucis, qui id abſque Synodo haud ritè fieri cen-

censebant. Sed Conradus Parmensium seditionem severe ultus, transcendit Apenninum, Trojamque, Capuam & Beneventum legibus firmavit & justitia. Dum ulciscì atrocius Mediolanensium perfidiam statuit, terretur quorundam sermonibus, Ambrosium se vidisse narrantium, minaci vultu pœnas Conrado intendentem. Igitur compositis dissidiis revisit Germaniam, ægrotantem exercitum refecturus, dumque omne regnum serenitate pacis illustratum comperit, Burgundiam tradit filio, ac paulo post jam de otio sibi blandiens, Ultrajecti Frisiæ *moritur*, anno potestatis XV. Corpus ejus Spiræ conditum. Præcesserat obitum trabis igneæ in terram lapsus, secutum & solis deliquium.

Hald. Mutius lib. 4. Herm. Chron. A. M. 5009. Christi 1039. 4. Jun. Cedren. p. 604. 607.

Deterior Græci & Asiatici imperii sors fuit, cui Zoë Augusta cum Michaële malis artibus marito præsidebat. Nam totum illud septennium, quo adulter tori soliique Augustalis potiebatur, Cometis, pestilentia, siccitate, fame, terræ motibus, omnique infestum infortunio fuit. Locustæ tantis catervis depascebant agros, ut incolæ novas sedes quærerent, quæ vento in Hellespontum demersæ, cum aliquandiu jacuissent in littore, revixerunt demum, Thraciamque triennium depopulatæ, apud Pergamum tandem mira multaque strage interiere.

Zoë Regina, quæ Michaëlem tori primum, inde imperii feciſſet consortem, aliquantisper simulato demulsa obsequio, at brevi redacta in ordinem, pœnas dedit fraudis in Romanum maritum admissæ. Amoti ab ea Michaëlis jussu ministri, appositi custodes, nec quisquam admissus, nisi qui vigilum præfecto causas adventus sui explicasset. Id de Joannis Spadonis consilio gestum, hominis vigilantis & acuti, nec epulis addicti, nec vino, qui Michaëlem, ut germanum suum, ad apicem rerum imprimis promoverat. Quocirca in eum præcipua imperii administratio incubuit,

Zonar. Tom. 3.

Michaële ob morbum (dæmoniacam invasionem ex Cedreni sententia) publico abstinente. Cum eo Amiræ Ægyptii vidua tricennales pepigit inducias. Georgius Maniaces ulius Saracenorum dissidiis, de Siciliæ dominio dimicantium, totam Francorum adjutu recuperavit insulam, quemadmodum pactus erat cum Conrado Græcus Imperator. Sed postquam Stephanus, cui Michaëlis erat nupta soror, incuria sua Sultanum dimisisset, atque ob eam inertiam increpationibus esset & verbere imperitus à Maniace, homo aulico prævalens favore & affinitate regia, tyrannidis crimine sugillat Principem egregium, effecitque ut dignitate multatus, carceris sordes haberet rei benè gestæ mercedem. Stephanus fallendi melior quam dimicandi cum hoste, totam mox Siciliam amisit; exemplum evidens, *quantum calumnia & præposterus in suos amor apud muliero-sos valeant*. Catacalon Ambustus Messanam defendit Græcis, plurimoque Saracenorum sanguine litavit Christianis. At Germani stipendio fraudati à Doceano, Maniacis successore, desciverunt à Græcis, belloque petiti, ad Cannos eos profligarunt, vindicata sibi exinde Italia, quatuor tantum urbes Brundusium, Hydruntem, Tarentum & Barin Byzantinis reliquerunt.

Cedren. p. 606.

Cedren. 624.

Claruerunt hujus in seculi barbarie Fulbertus Episcopus Carnutensis, Berno Augiensis, Glaber Rodolphus monachus, Historiarum sui temporis scriptor, Wippo Presbyter, Guido Aretinus Musicus, qui sex syllabis modulatim appositis, Musica intervalla digitis distinguere docuit.

Sigebert. Chron.

In Gallia aliqui tanquam per delatas cœlitus literas militiam damnavêre, & direptorum repetitionem; impetrarunt jejunia omnibus, aliaque his similia, quibus Gerardus Cameracensis antistes restitit. Godescalcus Obotritorum dux, quod Nordalbingi patrem ejus Vidonem interfecerant, universam evastavit Hollatiam Stormariamque: at per-

Helm. lib. 1. c. 19. 20.

at perculsus tandem animi, recipit Christianismum, deletamque apud Sclavos religionem masculè instauravit.

HENRICUS III. NIGER. MICHAEL PAPHLAGO. ZOE & CONSTANTINUS IX, MONOMACHUS.

Anno eodem. Herm. Contract. in Chron. Lamb. Schafn. de rebus Germ.

HENRICUS III, à crinium colore *Niger* dictus, Conrado patri successit. Adversus eum cristas erexerat Pretislaus, Bohemiæ se ferens Regem, adjutusque ab Hungariæ Rege Petro, concædibus sylvarum obstruxerat aditus. Henrico prima expeditio infeliciter cessit; dum irrumpit vastatque Bohemiam egregios amisit duces. Sed cum Hungari expellerent Petrum, substituto ei Ovone, Henricus susceptо in fidem exule, regressus in Bohemiam, contumacem Principem obsides dare, & Ratisponæ deprecari culpam coëgit. Poloni requirunt Boleslai filium, Cluniacensem amplexum disciplinam, eumque promisso Pontifici tributo, ad Reipubl. administrationem evehunt. Inde cum Hungaris, minaciter reposcentibus regem suum, ut pro arbitrio de eo statuerent, grande & diuturnum bellum exarsit. Imperator in Pannoniam progressus, expugnatis licet urbibus aliquot, non persuasit recipere Petrum; Principem ab ipso constitutum, mox Ovo rex in Bohemiam depulit. Sed altera expeditione obsides, munera, pacis per jusjurandum confirmationem, Hungaris vix impetrantibus, accipiens, discessit. Sic constituta Imperii pace Agneten Wilhelmi, Pictavorum Principis, filiam regalibus sibi nuptiis Inhelheimi sociavit, ubi gravitas enituit Imperatore digna. *Nam histrionibus & Saliis certatim eo confluentibus, neque cibum dedit, neque præmia; ea quæ in illos essent impendenda, egenis erogari præcepit.* Tranquillitatem hanc geminum interrupit bellum, Lotharingicum & Pannonicum. Illud movit Gotfridus, Gozzilonem fratrem suum, ignaviæ obtentu, ducatu à patre relicto privans. Hoc renovavit Ovo, jurejurando violato iterum sibi usurpans Pannoniam. Hic masculè devictus ab Henrico, ac deinde à Petro restituto comprehensus, capite exsolvit pœnas scelerum. Pannonia feudum Imperatoris factum, cujus partem dictam Austriam, Albertus Bavarus accepit, primus Austriæ Marchio factus. Gotfridus desperans rebellioni, cum se suaque dedidisset, in custodiam missus est. Eodemque tempore Michaël Paphlago, Græcorum Cæsar pœnis ultricibus matureſcebat. Frater ejus Johannes Spado, dictus Orphanotrophus, tributis vexabat subditos: Michaëli persuaserat, ut quoniam ingraveſceret morbus indies, adoptaret sororis suæ filium, Michaëlem Calaphatem, summæ potestatis hæredem futurum. Michaël dat Zoæ Augustæ negotium, quæ obnoxia ipsius imperio, nec ausa refragari, Calaphatem solennibus ceremoniis sibi arrogat filium, avunculus eum Cæsarem appellat.

Herm. anno 1043. Gotf. Viterb.

Dubr. l. 7.

Cedren. p. 610.

Evidens tum superstitionis vanitas apparuit. Cum enim totis sex mensibus non pluisset, fratres Imperatoris circumtulerunt per urbem reliquias, quas putabant, Sanctorum, interque eas & Epistolam Christi ad Abgarum olim, quemadmodum jactabatur, scriptam; atque à palatio Blacernas versus procedentes pedibus, supplicant Deo. Sed rudes veræ peccatorum expiationis homines, non tantum pluviam hoc modo nullam impetrarunt, sed & grandine insuper percussi sunt horrendâ, quâ arbores comminutæ, tegulæque domorum prostratæ. Pari pietate Michaël ipse, jam quoque hydropicus, Demetrii martyris imploravit opem Thessalonicæ. Nam nihil adjutus, Bulgariam quoque amisit, ob inique mutatum tributum. Igitur nimis dedecoro sum professus sibi, *si, qui nihil attulisset ad imperium, partem ejus ullam rapi à quoquam pateretur*, expeditionem in Bulgaros pronunciat, haud irritò conatu.

Zonar. Tom. 3.

natu. Nam Aluſianus quidam, Aaronis quondam Bulgarorum regis filius, cognito popularium errore, qui ſubditium quendam pro ſe creaſſent ducem, occultè ſe inſinuat familiaribus, factuſque imperii conſors, Doluſianum ſuppoſititium inter pocula captum excœcat. Inde gentem Bulgarorum ad Michaëlis reducit obedientiam. Ea potitus inſperata victoria Michaël facinora ſua confitetur Sacerdotibus, abjectiſque Auguſtalibus, initiatur divinis myſteriis. Itaque *mortem peccati voluntariam elegit, jamjam cœleſti ſuccubiturus indignationi.* Zoën ne ad colloquium quidem admiſit poſtea, ſed execratus flagitia ſua paulò poſt vita ceſſit, acto poteſtatis ſeptennio, perpetuo numinis iræ obnoxio.

Succeſſit Michaël Calaphates, picatore olim navium genitus, homo improbus & ingratus. Hic Zoën, cui juraverat obſequium, relegavit. Joannem avunculum ſuum, cujus ſtudio tantæ culmen dignitatis adſcenderat, depulit gubernaculis. Cognatorum pleroſque emaſculavit, maritos etiam & patres. Sed *ſceleſtum mortalem vindicta non dormitans celeri apprehendit pede.* Byzantina civitas impium deteſtata Principem, excitato tumultu, Theodoram à Zoë ſorore ad monaſticum damnatam exilium, in theatrum portat, Auguſtam conſalutat. Sedandæ ſeditioni, Conſtantinus, Calaphatæ avunculus, ſubitò revocat Zoën, ſed majore & ſuo & conſobrini malo. Zoë enim memor injuriarum acrius factiones accendit. Commiſſa in urbe pugna, interemtis licet per prætorianos tribus civium millibus, ſuperiores tamen urbani, Michaëli, & Conſtantino, in monaſterium abditis, eruunt oculos, urbeque eos pellunt, potentiæ quatuor ſolum menſibus elapſis, iiſque aſſiduo terræ motu horridis. Ita Byzantinum imperium in gynæceum devolvitur, triſti interitus præſagio. Quæ tamen dominatio trimeſtris tantum fuit. Nam Zoë viri cupida, *Conſtantino* nupſit *Monomacho*, neptis quondam Romani Argyropoli marito, quem ob ſuſpicionem conſuetudinis cum Zoë, Michaël exilio punierat. Monomachus Sclerænam exilii habuerat comitem voluntariam, fœminam pulcherrimam, quam potitus imperii, pari cum Auguſta loco habuit, non refragante jam propter ſenium. Quali regiæ ſtatu non mirum, ſi malè imperium habuit.

Cedren. p. 618.

Triballi & Servii latrociniis vexati à Scythis, duce Stephano, patre Calephatæ. Michaël Dyrrachio præfectus à Monomacho, rei militaris rudis, cæſus cum XL militum millibus, Georgius Maniaces, dum Rempubl. ſtrenuè gerit in Italia, domi calumniis agitatus & injuriis, tyrannidem arripit, prælioque ſuperior, vulnere demum accepto letali, concidit in Bulgaria. Theophilus Eroticus Cyprum alienat, qui claſſe vincitur. Joannes Orphanotrophus Theodoræ, ob exilium ei ſuum iratæ, oculis pendit ſupplicium. Leoni, Tornicio Monomachi cognato, multorum votis maxima poteſtas deſtinabatur. Monomachus raſo ejus capite, fortunam ſe ſimul eraſurum ratus, hominem tanto citius ad res novandas impulit. Nam quod acceptiſſimus eſſet Macedonibus Leo, recipitur Adrianopoli, collectoque celeriter exercitu oppugnat Byzantium, cepiſſetque, ſi victoria uti ſciſſet. Sed tardior ingenio, dum occaſionem fronte capillatam dimittit è manibus, rejicitur ab urbe poſtmodum, interque importunas moras, evocatis è Media & Abaſgia legionibus, deſeritur à ſuis excœcaturque.

Cedren. p. 623. Zonar. Tom. 3.

Eo hoſte domito, confeſtim alius emerſit, Ruſſorum Princeps Uladomirus. Ille ob unum è ſuis, per litem forte obortam, Byzantii occiſum, infinitis cum monoxylis (navium id genus erat) aggreſſus Conſtantinopolin, nullam pacis admittebat conditionem, quantumvis honeſtiſſimam. Multitudine confiſus pugnatorum, quorum ad c millia adduxerat, nihil moderatum ſapiebat. Sed Deo iniquitatem adverſante Barbarorum, partim triremibus Græcorum,

Cedren. p. 626.

Herm. Contract.

anno 1045. Lambertus Schafn. Benno Cardinal. in vita Hildebrand. Frising. l. 6. c. 32.

partim ventis adversantibus, internecione ferè occiderunt: eo tempore cum in Germania etiam Sclavi Saxoniam vexantes, victas Henrico porrexerunt manus.

Romanæ urbis inquilinos solitis sub hæc factionibus intumuisse, lego. Benedictus IX Magus Papa jam duodecennis, ob immania scelera dejicitur sede, Sylvestrumque III, pecunia inducunt aliqui. Mox Benedictus, favore factionis suæ restitutus, pellit Sylvestrum, & Joanni Gratiano Britannicis reditibus elocat thronum. Ita tres simul Papæ Romanæ insultabant sedi. Indignitatem rei detestatus Imperator, licet Hungari excœcato rege Petro denuò eum irritarent, tamen in Italiam adornavit iter, actisque Synodis, Sutrii præsertim, Pseudopapas Canonica notatos censura, depulit Ecclesia, & Suidegerum Saxonem, Bambergensem Episcopum, præfecit cathedræ renitentem, qui nomine Clementis II auctus, consecravit Henricum Cæsarem, jurantibus Romanis se citra Imperatoris suffragium neminem Papam facturos. Henricus plurimum tum Ecclesiis per Italiam Germaniamque prospexit de pastoribus, Normannis duces dedit, relictoque Benevento Græcis revertit in Germaniam. Ea novis Gotfridi, cui captivitas erat relaxata, & Theodorici Comitis, ob ereptum pagum, seditionibus cœperat laborare. Imperator suffecto in locum Clementis II, qui post menses IX Benedicti decesserat veneno, Episcopo Brixiensi, firmatâque cum Henrico Galliarum rege amicitiâ, Theodoricum Comitem in Phladirtinga accipit occisum, per Episcoporum Leodiensis & Trajectensis copias. Mox paucis Papatus diebus, exstincto Damaso II, substituit Brunonem Alemannum Tullensem Episcopum, qui Leonis IX nomen sumpsit. Ab hoc diris devotus Gotfridus, Imperatoris iterum exambiit gratiam: Balduinus Flander ejus socius contempsit anathema Pontificis. Sed vastata à Cæsarianis provincia sua, aliam induit mentem, placatoque Henrico, obsides dedit.

Papa, actis Rhemis, Moguntiæ, Romæ Synodis, Simoniacos & Berengarianos damnat. Etenim Berengarius Presbyter Turonensis, perspectis absurditatibus, quæ transmutationem panis in corpus Christi, à nonnullis assertam, sequi videbantur, in mystica Christi cœna non corpus ejus, sed figuram esse corporis docebat, unde & adversus eum, & pro eo multum à variis, tam scriptum est, quam disputatum, donec eum Pontifices abjurare dogma, contrariumque ei errorem stabilire coëgerunt. Græci verò Pontificum Romanorum ambitionem, toti se Ecclesiæ Christi pro dictatoribus obtrudentium palam detestabantur, clericorum etiam conjugia, ut divina lege permissa asserebant. At ceremonias quasdam Latinorum imperitè cavillando, zelum in quibusdam scientia vacuum inaniter ostentabant.

Cedren. p. 638. Zonar. Tom. 3.

Erat tunc in periculo Græcorum imperium ob Turcarum invalescentem potentiam. Cum enim è Babylonia, Basilio regnante, occupata, Mediam incursarent, repulsique à Byzantinis, iterarent expeditiones, misso tandem Seriphe (is Sultani successor erat, tali ex lege, quali apud Byzantinos Syncellus Patriarchæ) fœdus postularant, sed indignum adeò, ut Imperatorem Sultano tributo vellent obstrictum. Oratore, ut par erat indignanter dimisso, percursabant Orientem Turcæ, & ad oram maritimam Constantinopoli obversam proferebant castra. Monomachus Imperator, qui nuper Pazinacas Scythas, ductu Regenis transfugæ reguli, devicerat, ad Christianismum adductos collocaverat in Bulgaria, eorum XV millia in Iberiam deduci jubet, adversus Turcas militatura. Nam Turci ab Aarone Mediæ præside erant victi quidem, sed Liparitas Iberum rex captus, Sultano juraverat, non se in Turcas amplius pugnaturum. Verum Pazinacæ Chrysopolin transvecti, progredi ulterius recusarunt, trajectoque ut erant

in

in equis, audacter Helleſponto, ſuis ſe junxerunt populariubus, Thraciamque & Macedoniam, imo & vicina Byzantio quoque populati, multis acceptis illatiſque cladibus, vix tandem xxx annorum inducias pepigêre. Turcæ interim pro libito graſſabantur, quibus ipſe Monomachus, profuſis in ædificationes theſauris, ac deinde avocatis limitum præſidiariis, ut ſtipendiis parceret, ſtultiſſimè aditus patefecit. Nationes enim, quæ anguſtias provinciarum tuebantur, ab antiquo liberas, eo nomine, illigare tributis ſtolidus Princeps conabatur, eaque intempeſtiva avaritia eas Turcis faciebat obnoxias. Quorum impetum, *ne laxatis habenis omnia proſternerent*, *divina cohibuit manus*, immiſſo in Sultanum Perſiæ, ejuſque fratrem Abrahamum inteſtino diſſidio, quo mutuis Barbari cladibus tardarentur. Eum in ſtatum deducta re Græcorum, Latinus Imperator Hungaros, quod malè fidem pacemque colerent, primò per Ratiſponenſem Antiſtitem Gebhardum, inde etiam per Albertum Marchionem Auſtriæ & Bavaros, tandem ſuopte ductu adortus, novam poſtulare veniam coëgit. *Sed malè reſarta gratia mox diſſiliit*, Andrea rege modo hoc, modo illud ſibi indulgeri cupiente. Imperator Berzisburgum, id eſt, Presburgum, multiplicibus oppugnans machinis, cum fruſtra niteretur, nec Leonis IX interventu miteſceret Andreas, anathemate eum papali perculit. Papæ pro Bambergicis & Fuldenſibus, que repoſcebat, legatis, Samnium, Calabriam, Campaniamque velut cambii jure tradidit, quibus in locis tum Normanni violentius dominabantur. Leo inſtructus Teutonum auxiliis, Normannos, quanquam ſubjectionem promittentes, bello aggreditur, excedere Italia jubet. Conſerto prælio, Germani plerique occumbunt, deſerti ab Italis, Papa gravi afficitur clade, occulto Dei judicio, ait Hermannus ejus temporis ſcriptor, quia tantum *ſacerdotem ſpiritualis potius*, *quam pro caducis rebus*, *carnalis pugna decebat*, *& nefarios homines ob impunitatem ſcelerum*, *vel quæſtum avarum ad ſe confluentes*, *militatum ducebat ſecum*. Igitur in caſtello quodam obſeſſus abolere cogitur anathema Normannis dictum, ac Beneventum in cuſtodiam abripitur.

Cedren. pag. 648. 649. *Zonar. in Monomachi regno.* *Herman. Contract. an. 1050. &c.* *Lambert. Schafn. an. 1053.*

Henricus filium ſuum adhuc infantem Tribuatiæ regem curat deſignari, & Conradum Bajoariæ ducem Comitiis abſtinentem, privat ducatu, muſſantibus cunctis ordinibus, *Imperatorem à tenore virtutis ac juſtitiæ indies deflectere*. Conradus Andreæ ſe applicans, Carinthiæ partem ab eo impetrat, quo tempore Leo correptus languore, reſtitutus eſt à Giſulfo Sedi Romanæ, ac paulo poſt obiit diem, ad quinquennium Papa. Huic Imperator Gebhardum, Aichſtatenſem Præſulem ſubſtituit, Victoris II nomine inſignitum, petitumque mox toxico, ſacro Romæ calici indito; quo liberatus, convocato Florentiæ concilio, multos Epiſcopos Simoniæ aut ſcortationis damnatos exautoravit, præſente Cæſare. Henricus Beatricem principem Italicam, Marchionis Tuſciæ viduam, quam Gotfridus Lotharingus, denuò rebellis, uxorem duxerat, ut ejus prætextu opum Italiam poſſet invadere, redegit in poteſtatem, & Othonem Novarienſem Epiſcopum ablegavit Byzantium ad Conſtantinum Monomachum, articulari morbo nuper & pleuritide exſtinctum, anno imperii XIII, cui ſucceſſerat Theodora, Zoës Auguſtæ ſoror, quæ ſequenti anno (is erat ſupra milleſimum LVI) legatis ſuis Epiſcopo adjunctis, amicitiam pactumque vetus cum Henrico renovavit. Ipſa annum unum & menſes IX ad clavum ſedit; exutiſque interim honore & facultatibus nonnullis procerum, Iliaco morbo periit, ſequente mox Henrico, cujus exercitum Luitici Sclavi, interemptis ducibus, proſtraverant: Balduinus etiam Flander Belgicam inquietabat Galliam. Quibus in turbis infirmatus Cæſar, Bothfeldii Saxonum moritur, præſenti Papa Victore II. Vixerat annos undequadraginta, imperaverat XVII, majeſtatis

Herm. an. 1055. Schafn. *Idem an. 1056.*

Cæsareæ adversus ambitionem Pontificiam egregius, ac penè ultimus conservator, succeſſit Henricus IV, septimum annum agens.

Saxo Grammatic. l. 10. Ma. Weſtmonaſt.

Eo tempore defuncto Canuto, magno illo Daniæ, Angliæ & Norwegiæ Rege, cui non minor justitiæ & religionis, quam imperii prolatandi cura fuerat, Canutus ejus filius, Daniæ & Angliæ Rex, Norvegorum defectione, ac titubante Anglorum fide territus, fœdus inierat cum Olai Norvegi filio Magno, ut ejus, qui prior deceſſiſſet, superstiti regnum cederet. Cumque priora Canutum fata abstuliſſent, Dani curioſius fœderis pignus, quam debitam regno prosapiam intuentes, exclamationem extorſerunt Saxoni Grammatico, quâ *adultæ religioni eam exoptat vim autoritatemque, qualem inter antiquos tenera atque enervis habuerit.*

Verum ut Magni votis Danica fides respondit, ita Suenonis, consanguinei ejus, crudelitatem Anglica perfidia circumventam oppreſſit. Nam Haraldus Godovino natus, participato cum incolis consilio, Danicum, ut erat per præsidia distributus, exercitum excipi vicatim conviviis jussit, meroque ac somno sopitum unica nocte trucidari. Ea nox vetustam Danorum dominationem, diuque majorum virtute elaboratum finivit Imperium; Angli dominium ignavia perditum scelere an arte receperunt. Haraldus Eduardo permisit Angliam, *vernæ procerum, contentoque quod alii fructum poteſtatis, ipſe umbram tantum ac ſpeciem teneret.* Sueno Anglia pariter Daniaque extorris adivit Sueciam, è qua, excusſu equi pereunte Magno, revocatus, avitum regnum recuperavit, sed nequaquam à felicitate, ut *propagatum publici ſementem odii rerum geſtarum gloria aboleret.*

HENRICUS IV, OCCIDENTIS:

MICHAEL V, STRATIOTICUS,

ISAACIUS COMNENUS, CONSTANTINUS X DUCAS, Orientis Augusti.

Quidam 5029. Christi 1059.

HENRICUS IV, quinquaginta annis, inter varios fortunæ ictus summum Occidentis apicem tenuit, eodemque temporis tractu multi Græcorum Augusti fuêre, utrumque imperium hinc Pontifices, isthinc Turcæ miseris labefactarunt modis, ipsique vicissim mutuo attritu labefactati.

Lambertus Schafn. Otho Friſing. l. 6. cap. 34.

Henrico puero primum à Saxonibus, ex odio patris, periculum fuit, cujus injurias, dum oportuna insidiis filii ætas esset, excindendas judicabant. Igitur Othonem, Wilhelmi Thuringi fratrem, nuper latebris è Bohemicis reducem, in spem vocant magnarum rerum, manifesti rebelliones. Agnes Augusta Mersburgum convocat Principes, filii sui honorem defensuros. Quo dum properant Bruno & Egbertus Saxoniæ duces, obvium in itinere offendunt Othonem. Concurritur statim paribus utrinque odiis, præter publicam causam, privata inimicitia natis. Cadunt mutuis vulneribus Otho Brunoque; Respublica maximo metu liberatur, Saxones adempto seditionis signifero, nihil sequius in Henricum moliuntur.

Sub hæc Victorem II excipit novus Papa Stephanus VII, frater Gotfridi Lotharingi, multos annos perduellis, qui legatus olim ad Byzantinos majestatem Pontificiam Apostolica quadam Sandaliorum excussione asseruerat; nunc è Cassinensi Abbate Præsul Romanus, citra Imperatoris suffragium, Mediolanensem Ecclesiam ducentis annis à Romana alienam, eidem subjecit, septimoque mense ivit ad plures. Ei nobilium

Platina

quo-

quorundam factione subrepsit Episcopus Veliternus, Benedicti x nomine sumpto; sed Hildebrandus Cardinalis, cujus tunc astu præcipuo ea fulciebatur cathedra, Gerardum Florentinum Antistitem produxit. Eum Imperatrix per Gotfridum Lotharingum, tunc rerum potientem in Italia, Henricoque reconciliatum, collocavit in sede Romana, Nicolai II titulo insignitum. Nicolaus statuit, *Pontificem injustè potitum sede, non Apostolicum, sed Apostaticum dicendum*: Berengarium fateri coëgit, in cœna Domini verum Christi corpus edi, Lanfrancus idipsum editis etiam libris adstruxit. Robertum Guiscardum, id est, erroneum, qui Normannia egressus, Campaniam aliaque maritima, ignavæ plebis victor, occupaverat, Apuliæ & Calabriæ creavit ducem, acceptisque ab eo copiis, Prænestinos, Tusculanos, Nomentanos subegit, bellatori, quam Episcopo propior.

Frising. lib. 1. de gest. Frid.

In Oriente à muliebri manu Theodoræ, ad militarem Michaëlis Stratiotici morositatem defluxit imperium, id agentibus Eunuchis, ut sub principe civilium rudi artium, rem suam facere possent. Ideo senem decrepitum, à puero in castris versatum, nec ullius rei, nisi militiæ gnarum (unde ei Stratiotici nomen) admoverunt regimini, juramento adactum prius, nihil sine eorum consilio acturum. Hic in alios potius omnes, quam in milites optimatesque liberalis, *cum neque artes nosset conciliandi sibi animos eorum, quorum viribus tuenda ipsius dignitas esset, perbrevi ea excidit.* Nam congregati in unum viri militares, Isaacio Comneno imponunt imperium: quem maximè adjuvit Catacalo Ambustus, fusoque in acie altero Stratiotici cornu, ac direptis castris, Nicæam occupavit. Stratioticus *à vi in dolum vertit consilium*, & Isaacium per legatos Cæsarem appellat, cum jurejurando interim obligasset Senatores, ne unquam eum imperare paterentur. Georgius Cedrenus, hisce affinis temporibus, à fide dignis se accepisse narrat, Legatos Stratiotici, Michaëlem præsertim Psellum, autores fuisse Comneno, ne oblatas acciperet pacis conditiones. Itaque promoto Byzantium versus agmine, facilè potitur rerum Isaacius. Primarii sacerdotes Stratioticum è regia eduxêre, quos *percunctatus, quid sibi daretur pro regno; illi, cœleste illud, responderunt.* Ita per annum gestatis insignibus exutus, cœnobium intravit. Ambustus à Comneno præmissus palatium occupat, anno Christi MLX quo Cedrenus historiam suam clausit.

Cedren. p. 651. Zonar. Tom. 3.

Isaacius Comnenus, ut ærario mederetur exhausto, Ecclesiastica bona accidit, donationes à decessoribus factas rescidit, criminationes ea de causa nunciatas sprevit. In Hungaros & Pazinacas susceptа expeditione, illis pacem petentibus dedit, hos vicit. Spectro apri territus, aut vento perstrictus prodigioso, depositi purpuram, eaque cum humili lacerna commutata, imperium biennio & tribus mensibus gestum tradidit Constantino Ducæ. Regni affectationem objectanti cuidam respondit, *ferre se non potuisse conservari imperium, justa sibi præmia denegantis.* Literarum expers Comnenus, imbutos tamen iis in honore habuit.

Zonar. Tom. 3.

Cæterum Pannoniæ non licuit pace frui, quam à Comneno impetraverat. Andreas rex Hungarorum id pertulit à propinquo suo Bela, quod Petro fecerat ipse. Cujus pavefactus armis, Salomonem filium, cui sororem Henrici desponderat, maximis cum opibus ad Henricum mittit, auxiliaque ejusdem implorat. Missi Guilelmus Thuringus & alii duces, quum plurimos Hungarorum occidissent, intersepto reditu, dederunt pœnas genti. Andreas rex equo excussus, pugnantium pedibus conculcatur. Guilelmus Marchio, cum se dederet, ob virtutem restituitur libertati, qui reconciliatione tentata Henrici & Belæ, decessit in Thuringia, successore Othone fratre, anno MLXII. Paulò ante Henri-

Lambertus Schafn. Herman. Contractus.

cus Palatinus, infestationi obnoxius Dæmonis, conjugem suapte manu occidit, vexatusque ad mortem mali insultu spiritus interiit.

Eodemque tempore Imperatrix Agnes, nimia Henrici Augustani Antistitis familiaritate, cujus consiliis gubernabat imperium, in suspicionem incestæ consuetudinis venit, indignantibus etiam principibus, *per unius superbiam, obliterari publicam autoritatem*. Quare Hanno Colonienſis, communicatis cum Ecberto Comite & Othone Bavaro consiliis, Henricum post epulas fortè hilariorem, navim quandam producunt spectatum, eamque ingressum, repentino remigio in medium Rhenum propellunt. Henricus adolescentulus necem sibi parari arbitratus in flumen se dat præcipitem, essetque suffocatus, nisi Ecbertus statim, dato post eum saltu, periclitantem suopte periculo eripuisset morti. Exin blanditiis, quibus poterant, delinitum, Coloniam perducunt, ac mitigandæ invidiæ pronunciant, in cujuscunque ditione principis pro tempore versetur Cæsar, ut ei potestas sit potissima delatas ad ipsum causas dijudicandi. Agnes Augusta *necessitatem in voluntatem vertit*, rejectoque non solum honore regni, sed & onere seculi, Romæ privato deinde in otio consenescere eligit.

Herm. Contract. Platin.

Sed in ipsis Christiani gregis pastoribus, & monastici rectoribus ordinis tanta regnabat ambitio his temporibus, *ut nec conscientiæ plerique nec fronti parcerent*. Romæ Anselmus Lucensis, imposito ei Alexandri II titulo, Pontificalem adscenderat thronum. Cisalpini Episcopi, annuente Henrico, eligunt Cadolum Episcopum Parmensem, qui accitus Romam, Alexandro Lucæ delitescente, in pratis Neronianis commisit prælium grande, cum alterius factionis antesignanis, in quo multi utrinque cecidêre. Repulsus tandem ab urbe, comparato majori exercitu rediit, & Leoninam cum D. Petri Ecclesia, armis expugnavit. Sed iterum eruptione Romanorum fugatus suorum ope perfecit, ut Hanno Colonienſis Episcopus componendæ ex arbitro rei veniret Romam. Qui ab Hildebrando persuasus, Alexandri consecrationem habuit ratam, hac lege, ut Mantuana in Synodo juramento se purgaret Simoniæ crimine, quod & fecit. Tali ab exemplo in inferiores præsules idem manavit malum. Hildesienſis Episcopus & Abbas Fuldenſis, de proxima Moguntino sessione, Goslarienſi in templo armis disceptarunt. Episcopus occupato editiori loco classicum cecinit, admonitisque suis, ut fortiter rem gererent, potitus victoria est, mox tamen à Fuldenſibus interpellata, adeo ut cædibus nox ægrè imponeret finem. Cæsar qui aderat, subtraxit se periculo. Postridiè Fuldenſis, Episcoporum oneratus invidia, largitionibus tantis eorum emercari cœpit gratiam, ut cœnobitas antea ditissimos secum ad egestatem redigeret, parumque abesset, quin suorum monachorum seditione necaretur. Sed hi adspectu majoris scandali, suprema autoritate repressi regi supplicia pependere.

Schafn. Waltheram. in Apol. Henr. IV.

Gesa Ungarorum regis filius, mortuo patre, fidem promisit Henrico, *maluitque moderatis opibus in pace perfrui, quam immodicas periculose affectare*. Ita Salomon in solium Andreæ patris relocatus est, adjutu exercitus Henrici, cui Moguntinus & Colonienſis erant à consiliis Episcopi. Sed cum hi Adelbertum Bremenſem in partem adhibuissent administrationis, ille *qua assentatione, qua obtrectatione perfecit apud principem, ut omnem ad se potestatem declinaret*, ejusque suasu Goslariæ gladio se accingeret, anno ætatis XV; mox propulsus in bellum, cum per adolescentiam parum, quid hoc rei esset, caperet. In Colonienſem imprimis Episcopum ardescebat, memor discriminis ante triennium aditi ipsius culpa, at matris suasu impetum intempestivum cohibuit.

Schafn. Chron. Laurisham. mens.

Reliqui Teutonum Pontifices, Sigefridus Moguntinus, Guntherus Bambergenſis, Otho Ratisponenſis, Wilhelmus Tra-

Schafn. an. 1065. Sigebert. Gembl.

Marianus Scotus. Trajectinus, aliique non pauci, nova impulsi superstitione, versus Jerosolymam iter arripiunt, qui justo Dei judicio male multati à Saracenis & Turcis, plerisque suorum amissis, ne ipsi quidem omnes redire domum incolumes potuêre; de septem M vix duo millia Germaniam revisérunt. Bambergensem præsulatum, suetâ tum mundi viâ, redemit sibi Hermannus, Moguntinensis Canonicus. Eberhardo Trevirensi defuncto, substituit Hanno Conradum, præpositum Colonienſis collegii, sed invitis iis, quibus præesse debebat. Itaque comprehensus Conradus à Trevirorum Comite Theodorico, confectus est militum manu, quos tamen mox divina nemesis corripuit, ut miserandis mortibus interirent. Imperator Comitem expulit in exilium, qui petita voti causa Jerosolyma, cum omnibus suis in itinere exstinguitur. Erat sub hæc maximo in odio Henricus, quod sibi & Bremensi omnia indulgeret. Bremensis communibus procerum studiis oppugnatus, abiit tandem tutela, magno cum probro exercitæ insolentiæ. Quo anno (erat ejus seculi LXVI) Haraldus post Eduardum rex Angliæ, à Guilelmo, Normannorum duce, & Haraldo Norvego pariter invasus, regno vitaque excidit. Et Haraldum quidem Norvegum omnia effusè populantem occiderat: Contra autem infelici cum Normannis pugna recentis victoriæ omnem amisit gloriam.

Herm. Contract. contin. Sigebert. Gembl.

Anno 1066. Westmonast. l. 1. Saxo l. 11. Roger. Ivo Carn.

Guilelmus Angliam annis XXII rexit. Ex eo Normannici sanguinis reges Angliam tenuerunt, usque ad Henricum VII. Dania quoque ab Norwegis afflicta, occiso per Anglos Haraldo, respiravit. Sueno Rex ab hoste jam liber, rudem adhuc Sacrorum Daniam, ad cultiorem religionis usum provexit, Sclavis contra Hamburgum & Nordalbingiam evastantibus, priscamque idolomaniam in usum revocantibus. Henricus Cæsar Bertham, Marchionis Italorum filiam duxit, de qua questus postea, ut inepta ad matrimonium, & divortium petens, ægrè cessit Petro Damiano, Pontificis Alexandri legato, & proceribus Germaniæ postulantibus, *ut majorem publicæ honestatis, quam juvenilis desiderii rationem duceret.* Juventutem certè Henrici non paucis flagitiis obnoxiam, illorum temporum scriptores tradunt. Orientis tum Imperio fungebatur Constantinus Ducas, sine sudore suo elatus, moribus sat commodis, nec à pietate alienus, quanquam ingenio tardiori. Valde obfuit Reip. vel ipsius, vel ducum avaritia. Etenim viros bellicosissimos, quod nimium stipendii poscerent, sacramento solvit Ducas, vectigalibus augendis intentior. Ita ferocitatem aluit Barbarorum, suis animos dempsit. Uzi, gens Scythica, transgressi Istrum ad LXM armatorum, in Macedoniam & Græciam penetrarunt. Imperator omni militum ope, ob accisa eorum stipendia, destitutus, ad preces confugit & lachrymas, obtestatusque Deum anxiè, auditur. Immissa Uzis pestilentia absumpsit plerosque, reliquos Bulgari & Pazinacæ gladiis confecêre. Eas calamitates ingens anteceſſit terræ motus, quo templa & ædes sacræ passim conciderunt: Fulsit & Cometa horrificus, lunæ par plenæ, sed paulatim diminutus, quantum illa crescebat, defecit. Regnante Duca, Joannes Xiphilinus Trapezuntius, mortuo Lichude, Patriarchalem adeptus est thronum, quod Ducas magni faceret viros eruditos, aiens, *malle se doctrina nobilitari suorum quam militia.* Obiit sexagenario major, dominatus in annum octavum: Eudoxiæ uxori tribusque filiis reliquit potestatem.

Joannes Zonar. Tom. 3.

Helm. l. 1. c. 24.

Schafn. Bruno.

HENRICUS IV, CÆSAR GERMANICUS.

ROMANUS IV, DIOGENES, MICHAEL VI, DUCAS, NICEPHORUS III, BOTONIATES, Imperatores Græcorum.

COnstantinus Ducas juramento adegerat Senatum, & Patriarcham Xi-

Zonar. Tom. 3.

Xiphilinum, ne alii, præterquam filiis ſuis, parerent: Eudoxiam Auguſtam, ne alii nuberet viro. Sed cum virum poſceret Reſpubl. qui Turcis Orientem prædæ habentibus obſiſteret, dilapſo præſertim ob adempta ſtipendia milite, Eudoxia poſt menſes ſeptem tori imperiique conſortem adſcivit *Romanum Diogenem*, affectati jam imperii damnatum. Is ſpe eluſa Eudoxiæ, quæ ei marito imperitare cupiebat, in Aſiam tranſivit. Sultanumque & Turcas in fugam actos, præda, quam Neo-Cæſarea expugnata luculentam ceperant, luculenter exuit. Hinc in Syriam progreſſus, Halepum capit & Hierapolin. Turcas ingenti cum ſuo ſuorumque periculo clam adortus, fugam coëgit arripere. Altera deinde expeditione procedit in Cappadociam, varioque cum Barbaris marte præliatur. Turci Iconium deſolarunt, ſed ab Armeniis omni præda ſpoliati ſunt. Diogenes ut erat ingenio acer, quanquam ambiguis certaminibus maximam copiarum partem amiſerat, tamen prælii ſubire aleam cum Azane Sultano, quam pacis amplecti conditiones maluit. Et perculit ſanè audaci impreſſione Turcas, quodque ſerum diei eſſet, in caſtra ſe recipere voluit. Id fugam interpretatus Andronicus, Conſtantini Ducæ frater, properanter abducit ſuos, proditoque & deſerto Imperatori, neceſſitatem imponit extremi periculi faciundi: In quo certe non defecit animo Diogenes; ſed obtruncatis Turcarum plurimis, ad ultimum captus, & premente primum collum ejus, mox vero fortunam miſerante Sultano, gratis recepit dignitatem, quam maſculè eſſet tutatus. Sed durius ab ſuis, quam ab hoſte habitus Imperator privignorum conſpiratione amiſit poteſtatem. Illi Michaëlis Pſelli uſi conſiliis, obſeſſum Adanæ allectant ad deditionem, interpoſito jurejurando nihil paſſurum mali. Dedito crudeliſſimè erutis oculis, nec curatis indigniſſimam necem inferunt, quum quadriennium ferè imperaſſet.

Eadem tempeſtate, anno ejus ſeculi LXX Alexander Papa Romam evocavit Moguntinum, Colonienſem, Bambergenſem Epiſcopos, acerbeque objurgatis, quod ſacros ordines venderent, ipſe eadem ſemet polluit labe. Nam Bambergenſis corruptus muneribus, non ſolum impunitatem ei criminis objecti dedit, ſed & pallium, aliaque inſignia Archiepiſcopatus. Henricus Othonem Bajoariæ Ducem, ſuſpectum inſidiarum, quia minus ſe purgare videretur, bello petiit, Guelfoni Othonis genero dedit Bajoariam; Ducem ipſum haud ſegniter ſe vindicantem, ad deditionem compulit. Robertus Balduini Flandri filius tentata Gallicia, Græciaque, Friſiam tandem occupavit, coactus ad id à patre, qui conſervandæ claritati ſtirpis, uni filiorum dederat principatum, ac more gentis alterum quærere ſibi opes, propriamque gloriam juſſerat. Hunc cum frater Balduinus excutere parta poſſeſſione iniquiſſimè niteretur, occubuit prælio: Robertus Philippi quoque Francorum regis, ſororii ſui, proſtrato exercitu, Flandriam ſibi ſoli vindicavit, fruſtra obnitentibus, quibus Henricus id muneris delegaverat. Albertus quoque Bremenſis, iterum poſſeſſor Imperatoris, *pertinacibus odiis hominum moriendo tandem litavit, cum vivendo non potuiſſet.* Hanno Colonienſis pro ipſo ſuſcepit clavum, vir ſpectatæ probitatis, ſed *per iracundiam convicia in quoſvis amariſſima rotare ſolitus.* Cæſar ipſe fervidioris ingenii, cum cognoviſſet Romanos, ſe inconſulto, Hildebrandum, de nomine Gregori VII celebrem, ſtatuiſſe ſibi Papam, per legatum eos increpavit. Gregorius Deo teſte confirmans ſe conſecrationem hactenus diſtuliſſe, ut regio aſſenſu obtineret thronum, placavit animum Henrici. Hic cum vellet, manicas ſuas diſcutiebat, & in modum ſcintillarum diſſiliente igni, hoc quaſi ſigno ſanctitatis, homo præſtigiator, Laurentii & Benedicti in ſchola necromantica eruditus, ſimplicium oculos ludificabatur. Mox Cæſar atro-

Lambertus Schafn.

Aimoin. Contin. cap. 47. Schafn. Benno Cardin.

atrociori in Saxones ira intumuit, ægerrimè ferentes, quod per montes & colliculos exſtructis caſtellis, avitam eis libertatem ereptum iret. Res legationibus cum componi neutiquam poſſet, ad arma devenit utrinque.

Henricus Hartesburgo in caſtro obſeſſus, crebra nunciorum permutatione detinuit couſque Saxones, donec venatoris cujuſdam ductu per invios ſaltus in Haſſiam evaderet. Ibi convocat Duces, quos prætextu expeditionis Polonicæ dudum in armis eſſe juſſerat. Interim Hermannus Saxo, Magni Ducis jam captivi frater, Luneburgum obſidet, cogitque Henricum, ni deſerere ſuos malit, jam ad extrema redactos, liberare cuſtodia Magnum, quem Ducatu Saxonico privare nitebatur. Caſtella etiam aliquot diruuntur à Saxonibus, & de Rodolfo Suevorum Duce, cui ſoror quondam Henrici nupta fuerat, ad imperium evehendo, inſtituitur conſultatio. Lutitii Barbari ab Henrico incitati in Saxones, & viciſſim à Saxonibus in Henricum, dum inter ſe diſceptant, utras partes juvent, ad inteſtinas cædes deduxerunt controverſiam; Rex Daniæ ſuorum conſiliis revocatus eſt à Saxonum infeſtatione. Jamque in arcto erant res Henrici, quod Rodolfus Suevus, Bertholdus Carinthius, & alii, perſuaſi inſidias ſibi ſtrui à Cæſare, eum deſerebant. Soli Wormatienſes magnificè exceptum aliquantum refocillarunt; Regingerus delator, qui principes fictis in regem calumniis alienaſſet, ac duello cœpiſſet veritatem narrationum adſtruere, paucis ante congreſſionem diebus diriſſimo dæmone arreptus, horrendâ morte interiit.

Schafn. an. 1074. Bruno de bello Saxonico.

Tandem Henricus conſpicatus ſuos diminui indies, *maluit vitam honeſtè, quam per dedecus regnum amittere*, collectis, quaſcunque poterat, copiis acie decernere ſtatuit. Sed Epiſcoporum interventu placati Saxones, bellum omiſerunt. Henricus arces deſtrui paſſus, promiſit ſe non ſemper Goſlariæ incubiturum Saxonico ſolo, ſed & reliquas Imperii provincias de more circumiturum. Sic reſarta qualitercumque pace, Colonienſes æmuli Vangionum, qui Cæſaris adverſam fortunam egregia fide foviſſent, concurrunt in Epiſcopum ſuum, non minus ſibi ob iracunda convicia, quam ob ſuſpectam perduellionem, Cæſari exoſum. Arrepta cujuſdam mercatoris navis oneraria, ut ejectis mercibus antiſtitem quendam portaret, idoneum ſeditioni fomitem attulit. Conclamatur undique injuriam fieri civibus, nec ferendam diutius Epiſcopi inſolentiam. Poſt multas cædes ſuorum, vix evadit ex urbe Epiſcopus, & contractis diœceſeos ſubditis, Colonienſes ad ſatisfactionem adegit.

Jam tum Gregorius VII, ſine ullo majorum exemplo, anathema erat auſus dicere Henrico, quod Eccleſiaſticas vendidiſſet dignitates; perque nuncios, ut vocabantur, Apoſtolicos concilium poſtulabat fieri, quo homines per Simoniam intruſi officiis moverentur. Sed abnuentibus id, velut inuſitatum, Epiſcopis, & concilii indicendi poteſtatem haud ipſi competere aſſerentibus, Hildebrandus frequentibus per Italiam Synodis, presbyteris uxores habendi facultatem adimit, præcipitque per literas Gallis & Germanis, ut & ipſi à contubernio ſacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate reſecent. Adverſus hoc decretum protinus infremuit tota Clericorum cohors, hominem planè hæreticum, & væſani dogmatis eſſe clamitans (oblitus ſermonis Domini, quo ait: *Non omnes capiunt hoc verbum, qui poteſt capere, capiat.* Et Apoſtoli: *Qui ſe non continet, nubat; melius eſt enim nubere quam uri*) *violenta actione cogeret homines ritu vivere Angelorum, & dum conſuetum naturæ curſum negaret, fornicationi laxaret frena & immunditiëi. Sin pergeret, malle ſe Sacerdotium quam conjugium deſerere, & tunc viſurum eum, cui homines ſorderent, unde gubernandis Eccleſiis Angelos eſſet comparaturus.* Nihil minus

Schafn. Sigebert. Gembl. Otho Friſing. l. 6. c. 35. & lib. 1. de geſt. Frid. cap. 1.

instabat ille, minis diriſque urgens Epiſcopos, ut ocyus injunctum ſibi negotium exſequerentur. Moguntinus, evocatis Erphordiam presbyteris, abjurare conjugium aut Sacerdotium Pontificis nomine imperat. Illi velut ad conſultandum egreſſi, partim non redeundum, partim Epiſcopum iniqua præcipientem, vi ejiciendum multandumque morte diſſerunt. Commonitus à ſuis Antiſtes dat operam, ut latere ſaltem tecto abſcedat. Inde Romam profectus, ut Hermannum Bambergenſem adverſus ſuorum criminationes, ſeu auro ſeu gratia tueretur, infecto negotio, rediit. Mox bellum recruduit Saxonicum, quod Saxones templum Hartesburgi conſtructum cremaſſent, nec principes Imperatori dederent Magnum & Othonem, cum Epiſcopis aliquot maximopere exoſis Henrico. Ibi Rodolfi Suevi conſilio obruuntur Saxones, ſecurius agentes, vulgus ad ſatietatem victorum jugulatur, principes diffugiunt. Altera expeditione, ſed cui Rodolfus Suevus, Guelfo Bavarus, Bertholdus Carinthius auxilium denegaverant, plebe Saxonica jam tædio affecta belli, in deditionem venerunt Magnates, Wezil Magdeburgicus Bucco Halberſtatenſis, Otho dux quondam Bajoariæ, Magnus dux Saxoniæ, ejuſque patruus Hermannus, Fridericus Palatinus, Didericus Comes Cadlenburgius, Adelbertus Thuringus, & eminentiores opibus nobiles, qui contra quam ſperaverant, per omnes imperii provincias deportati, triſte exilium pertulerunt. Otho tamen paulo poſt ſuum recepit locum.

Lamb. Schafn. Marianus Scotus. Benno Card.

Dum hæc fiunt, & Henricus imperioſius ſacras diſtribuit ſtationes in Eccleſiis, Hildebrandus Papa eum citare audet Romam, ad crimina, quæ objicerentur, in Synodo reſponſurum: Ni compareat, de corpore Eccleſiæ anathemate reſcindendum. Interim Pontifex ipſe à Quintio præfecto urbis, quem diro ipſe carcere & tormentis maceraverat, de altari abripitur & priuſquam populus auxilio eſſe poſſet, ducitur in carcerem, ipſa nocte Domino noſtro natali. Sed plebs ad arma convolans poſtridie, coëgit Quintium dimittere è cuſtodia Papam: nihilque minus mutuis in ſe cladibus utraque factio deſæviit. Cæſar indignatus ad illatam ſibi à Gregorio contumeliam, Wormatiæ concilium egit omnium regni Antiſtitum, quò peropportunè intervenit Hugo Blancus Cardinalis, deferens ſecum hiſtoriam Hildebrandi, quam perditis artibus perverſoque ordine ſedem occupaſſet, quæ ante, quæque poſt Papatum egiſſet nequiter. Cujus amplexati, qui aderant, autoritatem, ſcripto & voce denunciant Hildebrando, ut malè invaſa, & pejus uſurpata poteſtate ſemet abdicet, ſciatque poſt eam diem, quicquid agat, jubeat, decernat, irritum ſe habituros. Contra ille nihil territus, Imperatorem & tot Epiſcopos anathemate ferire audet, deſtinatiſque in Germaniam & Galliam nuntiis, in rebellionem animat, quoſcunque poteſt, proceres Sed XIII Cardinales præcipui ipſius Papæ communionem deſeruerunt.

Benno Card.

Cæſar quod in dedititios Saxones atrocius conſuluiſſet, nec fidem principum eis, priuſquam dederentur obſtrictam liberaret, inviſus erat multis. Accedente jam Pontificis flabro, in flammam exarſit odium. Hermannus Metenſis Epiſcopus nonnullos Saxonum, inſcio Cæſare, dimiſit è cuſtodia, qui recepta libertate mox inſtaurant per Saxoniam bellum, arces compeſcendæ ſeditioni inædificatas montibus diruunt, Othonem Hartesburgo excedere cogunt. Cæſar Wormatiam indicit Comitia, hinc Moguntiam: Sed alienatis jam Rodolfi Suevi, Bertholdi Carinthii, Guelfonis Bavari animis, & ad alia diverſis conſilia, pauci ad edicta comparebant. Cum igitur & Halberſtatenſem effugiſſe intelligeret, quem Conjugi Salomonis, Regis Hungariæ exulis, ſorori ſuæ, ad fines Pannoniæ deportandum commiſerat, reliquos Saxones ultro abſolvit deditione, & ſacramento obligatos novo fidelitatis, promptiores

ptiores se habiturum ad obsequia opinatur. Sed quum Misnensem Marchiam audirent duci attributam Bohemico, omnes infremuerunt. Egbertus Marchio adolescens adhuc statim eam armis repetere ausus est. Itaque fenestra jam aperta rebellioni, per ausus Pontificis & clientum ejus suggestiones, Rodolfus, Welfo & Bertholdus, allectis ad se Episcopis, Papam respectantibus, alium sibi creant regem, Henrico tamen denunciant, si intra vertentem annum anathemate absolvatur, & statim dimittat à se armatos, Pontificis se sententiæ parituros. Cæsar lætus aliqua vel fœda conditione, extremam declinari calamitatem posse, rigidissima hyeme perrepit in Italiam, Hildebrandum apud Mathildem, Canusina in arce morantem, humilis deprecator adit. Ea Mathildis conjux erat Gozelonis Lotharingorum ducis, nec maritum sequi in Galliam, nec eo nuper defuncto aliud amplecti matrimonium certa, sed Hildebrando semper individua comes adhærebat, jactante fama, eum dum prohiberet Clericis uxore uti, die ac nocte impudenter in Mathildis amplexibus volutari, ipsamque furtivis Papæ amoribus præoccupatam, facilè secundas detrectare nuptias.

Tam indulgens in mariti desertricem Hildebrandus, cum leniter objurgatos Episcopos, qui cum Henrico fecerant, absolvisset, Cæsarem per aliquos Italiæ principes deprecantem relaxari dirarum vincula, ægerrimè admisit in conspectum. Receptus miser intra secundum murorum arcis ambitum, sine comite, sine cultu regio, nudis pedibus, jejunus, à manè usque ad vesperam perstabat, sententiam præstolans Pontificis. Hoc secundo, hoc tertio die fecit. Quarto demum die, exceptus vultu Hildebrandi tetrico, his conditionibus absolvitur, ut evocatis ad concilium principibus Teutonicis, die locoque, quem Papa designasset, ad ejus arbitrium, vel retineat regnum vel amittat: intereaque temporis nihil pro rege agat, cultuque omni regio abstineat; sin persistat regno, subditus Romano Pontifici, semperque dicto obtemperans sit. His conditionibus datis, Papa corpus Dominicum sumsit, imprecatus sibi subitaneam mortem, si Simoniacis artibus Papatum obtinuisset. Quo manducato, invitavit Henricum, ut si nosset se innocentem, quorum argueretur criminum, intrepidus idem faceret. Sed ille eam sui purgandi viam prudenter aversatus, in comitiis appariturum duxit, quam ritè imperio esset perfunctus.

Lambert. Schafn.

Extemplo eluxit, quam vanum id Henrici de reconciliando sibi Papa consilium foret. Exclamatum mox est ab Italis, crimen eum gloriæ suæ intulisse, nunquam abolendum, quod Papæ hæretico, omnibusque probris contaminato, majestatem regiam submisisset; quem justitiæ patronum, legumque Ecclesiasticarum vindicem sibi parassent, eum cum hoste publico privata necessitudine in gratiam rediisse. Indignum jam esse imperii fascibus, filium ei, licet impuberem, substituendum, per quem Papæ illius apostatici gesta delerentur. Vix sedata verbis seditione, cum nil sibi regii honoris usquam exhiberi perspiceret Henricus, serâ ductus pœnitentiâ, Papam autorem turbinis illius, quo concuteretur, agnovit. Quare eum detestatus, deflagrare illicò Italorum furorem, incalescere denuò principum studia animadvertit. Sed cum præcipiente Hildebrando, non statim Forcheimum ad accipiendam ejus sententiam revolaret, jussi sunt principes de alio sibi rege prospicere. Missa est ab Hildebrando corona Rodolfo Suevo, hac inscriptione:

Sigebert. Gembl. an. 1077.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolfo.

Novoque exemplo omnes subditi Henrico obedire prohibiti. Verum paulò post judicium Dei longè à Papali diversum eluxit. Nam Rodolfum à Sigfrido Moguntino consecratum, ipsimet cives Moguntia expulerunt, Henricus, frustratis Papalium insidiis, feliciter

Waldramus in Apol. Henrici IV.

ex Italia Ratisponam assecutus, Rodolfum vertit in fugam. Inde Sueviam depopulatus, Hermannum Metensem Episcopum, Papæ mancipium, patriæ finibus ejecit. Hildebrandus cognito, quod Italiæ exitus Henriciani præclusissent, captos insuper Bernhardum Cardinalem, Sigfridum Moguntinum, Adelbertum Vormatiensem, occisumque Werinherum Magdeburgensem in prælio, oblitus prioris ferociæ, præcepit Germanis, ut discussa utriusque regis causa, justiorem retinerent, seque eum, qui id impediret, pro anathemate habiturum. Vehementer ea Papæ inconstantia perturbavit Teutones, qui repetitis tertio literis, vix dormitantem & exterritum quasi galliciniis excitare potuerunt, auro interim utramque factionem per crebros legatos emungentem.

Bruno, in Hist. Bell. Saxon.

Dum ille ita fluctuat, & Henrico ad Fladersheimum profligato, iterum blanditur Rodolfo, Henricus conventu Moguntiæ habito, Papalem Hildebrando honorem secundò abrogat; petensque Longobardiam, Guibertum Ravennæ Archiepiscopum, in locum ejus substituit. Hildebrandus ad usitatas pseudoprophetiæ artes versus, falsum regem eo anno prædixit moriturum. Nec fefellit novi Cajaphæ vaticinium. Eodem namque anno MLXXX Pseudo-Cæsar Rodolfus, quarto tandem prælio, licet victor, ad Elistrum fl. ab Henrico cæsus, cum multis Saxonum principibus, suo exitio fallacem Papæ mentem, sed dicti veritatem revicit: magnumque mundo documentum datum est (verbis loquar autoris coætanei) ut *nemo contra dominum suum consurgat. Nam abscissa Rudolfi dextera, dignissimam perjurii vindictam demonstravit.* Manifestus mendacii Papa, de anima se Henrici, non de corpore vaticinatum, mentitus est. Godefridus Bulioneus vexillum, quod gerebat, impegit in pectus Rodolfi, eoque transverberato, cruentum rursus erexit.

Anno 1080.

Autor Hist. de vita Henrici IV. Wilh. Tyrius l. 9. Helm. l. 1. cap. 29. Sigebert. Gembl. Benno Card. de vita Hildeb.

Exstincto æmulo, Imperator ad comprimendum incendii civilis fomitem in Italiam proficiscitur, expugnatisque urbibus & castellis, pro Papa adversus se munitis, Romam obsidet, Saxonibus interim novum sibi regem Hermannum designantibus. Captâ Leoninâ, cum pax simulatione Pontificis non conveniret, & percussor in Henricum ab Hildebrando subornatus cum saxo, quod in ipsum orantem moliebatur, decidisset in pavimentum, Romani & Episcopi Italiæ plerique à Papa desciscunt. Eo ad Normannos refugiente, Henricus intrat urbem, ejuratoque à Romanis Hildebrandi pontificatu, Guibertus in sede collocatur, Clemens III appellatus. Ab eo Henricus Augustalibus ornamentis redimitur. Reversus in Germaniam, Comitiis Moguntinensibus abdicationem Gregorii firmat, Guibertum aliquibus ore & manu approbantibus, corde adverso. Vicit deinde ingenti prælio Hermannum, regni invasorem, qui, dum in castellum quoddam irrumpit, dejecto molæ fragmine est necatus. Pacem petunt Saxones, & pacti proscriptorum restitutionem in integrum, nec compotes promissi, ut volebant, rebellant iterum, incentore præsertim Egberto Marchione, Imperatoris consanguineo. Eodemque anno, ejus quidem seculi LXXXV, Hildebrandus Expapa obiit Salerni, confessus ante mortem scelera, prout Sigebertus se legisse profitetur. Benno Cardinalis Archipresbyter, qui tum vixit, oculatus testis asserit. At Monachi, partium studiis abrepti, Lambertus, inquam, Schafnaburgensis, Marianus Scotus, Leo Ostiensis, qui illa ætate scripserunt, vel dubitanter attingunt Hildebrandi vitia, vel laudibus eum immeritis ferunt.

Cont. Schafn. Histor de vita Henric. Sigebert. 1086.

In Oriente jam tum inierat regnum Alexius Comnenus, Michaële Duca & Nicephoro imperio dimotis.

Michaël Ducas scelere paternum solium receperat, ut dictum. Potitus rerum, orationibus & iambis scribendis à Psello adhibitus præceptore suo, cum nullius esset ingenii, eadem dexteritate artes tracta-

Zonar. Tom. 3.

tractabat ingenuas, qua rempublicam, id est, nullâ. Nicephorus Logotheta regia potestate fruebatur.

Ea occasione incscatus Turcorum Sultanus, impunè vastabat Orientem: Crabatæ, qui & Servii, Bulgariæ vim inferebant. Nicephorus Botoniates vacuam à custode Rempublicam, conciliatis sibi in Asia Turcis, mutua laborantibus discordia, ad se trahit: Bryennius novus in Thracia rex consurgit. Botoniates Nicæam occupat eodem ferè tempore, quum Xiphilino viro eruditissimo, Cosmas literarum rudis succesſit. Quare deponitur Michaël, & cum Augusta sua includitur monasterio, expletis potentiæ quantælibet annis VI, mensibus VIII. Botoniates in Bryennium mittit Alexium, fratres in ordinem redigere nititur Botoniates, illi sumunt imperium, & obsessam Constantinopolin proditione Francorum occupant. Crudeliter in cives, matronas, virgines, sacra profanaque omnia sævitum: multo cum sanguine sacerrima inita potestas.

Botoniates annis regni tribus actis, in monasterium seponitur; Alexius Augustus, Isaacius frater ejus, natu major, novo nomine Sebastocrator appellatus. Admota & gubernaculo utriusque mater, quæ muliebri impotentia multos afflixit illustrium. Ei suasu Pontificis, quem Michaël imploraverat, bellum fecit Robertus Normannus, & Græcos prope Epidamnum devicit. Sed Alexius simulatione fugæ, cum repararet interea copias, ex insidiis majorem Normanno cladem regessit. Robertus in Italiam regressus, cum Hildebrandum è mole Adriani secum avexisset, jam pene Henrici in manibus positum, defunctum deinde subsecutus est morte, relictis Rogerio fratre & filio Boëmundo. Boëmundo Apulia obtigit & Calabria, Rogerio Sicilia.

Otho Frising. l. 1. de gestis Frider. Platin.

Sigebertus Gembl.

Invalescebant sub hæc Turcarum vires, & percursata Syria Antiochiam redegerant in ditionem suam, quandoquidem & Botoniatæ faceſſeret negotium Bryennius, & Hildebrandus cum Henrico ferali dissidio dimicaret. Boleslaus Polonus coronam sibi, hac oportunitate usus, sumpsit. Vratislaum Bohemum, pro navata fortiter opera, Henricus diademate exornavit.

Canutus Daniæ Rex, decimas impositurus incolis, religionis causa solvendas, Othonienſi in Basilica fraude peremptus occubuit, pro sancto deinceps cultus.

Saxo, lib. 11. Olaus Wor. l. 1. Fastor. Danic. Anno 1086.

In Hispania Amsul Galliciæ Rex, Toletum, Saracenorum urbem maximam, aliquot obsessam annis, tandem expugnavit, & Christianissimum haud mediocriter instauravit in illis Hispaniæ partibus.

Platin. in Victore III. Sigebertus Autor. Hist. Henr. V.

At per Italiam, mortuis Romæ Henrici præsidiariis, factio Gregoriana, cum Odonem ex Monacho Cluniacensi ad Papatum evexisset, novas sibi vires comparavit. Odo Urbani II sumpto titulo, renovatisque adversus Henricum diris, Turbanus à Bennone appellatur. Unde in Ecclesia (verbis dicam Sigeberti) & in regno aucta sunt scandala, dum alter ab altero dissidet, dum regnum & sacerdotium dissentit, dum alter in alterum excommunicandi autoritate magis ex suo libitu, quam ex justitiæ respectu, abutitur. *Nimirum hæc sola novitas, ne dicam hæresis, necdum in mundo emersérat, ut sacerdotes illius, qui dicit regi, apostata, docerent populum, malis regibus nullam deberi subjectionem, nec perjuros esse, qui contra regnum sentiant. Imo anathema dici, qui Regi pareat: perduellis à noxa injustitiæ absolvatur.*

Sed judicium Dei celeri assecutum est rebelles pede. Nam & Egbertus, qui tertius Imperatoris appetebat thronum, brevi usus felicitate, ab exploratoribus Henrici in molendino quodam est oppressus, Timoni Lansbergio Marchioni data est Misnia: Godefrido Bullionio, strenuo Henrici propugnatori, Lotharingia.

Walt. in apol. Henr. Chron. Belgic. Sigebertus Gembl. Autor. Hist. Henric.

Sic vario peremptis marte seditionum antesignanis, pertæsi malorum Saxones,

compoſita tandem pace, ab armis conquieſcunt. Henrico in Italiam profecto proſperè ſunt recuperata, quæcunque à factionum Pontificiarum ſpectatoribus tenebantur. Occurrentibus & à Roma legatis, & pactum pacis ferentibus, cum inimici mox moliminis fama ſequeretur, Imperator relicto in Italia filio Conrado, qui ſe graſſanti Mathildi opponeret, regreſſus eſt ad Teutones. Sed perſuaſus à Mathilde Conradus (*quem enim aſtutia non ſubvertat fœminea?*) ineſcatuſque filiæ Rogerii Normanni nuptiis, regem ſe fert Italiæ, & multos parentis ſecutos partes in ſua caſtra trahit. Henricus impietatem deteſtatus filii, exhæredato eo in Comitiis, Henricum minorem natu deſignat ſucceſſorem, jurejurando adactum prius, ne quid unquam inſcio aut invito patre imperii ſibi arrogaret. Jamque ad inteſtinum bellum res ſpectabant, quum juſtus rerum humanarum arbiter, *leto* Conradi *præcipiti*, *ſueta contumacium filiorum pœna*, metum communem ſuſtulit. Unde hoſtes Cæſaris, detruncato toties capite, non habentes, cui adhærerent, pactione ſubacti, bellum omiſêre.

Regnabat iis temporibus fames valida, peſtilentibus morbis plurimi mortales abſumebantur, terra quoque & æther inſolitis motibus damnabant humanæ gentis ſcelera.

Sigebert. Gembl. Dodechinus. Autor Hiſtor. Henric. Robert. Monachus l. 1. de expeditione Hieroſ.

Quibus commoti & injuriis Turcarum irritati Principes Chriſtiani, uti & Petri Eremitæ, quas jactabat, revelationibus, Urbano Papa imprimis id agente, ut bellum à ſe ſuaque factione transferret longiſſimè, novum conſilium capiunt de terra ſancta, inimicis Chriſtiani nominis eripiendâ. Quare alii ab aliis animati, præſertim quod nupero pacis decreto ad egeſtatem redigerentur viri militares, crucis ſignum inſuunt veſtibus, concurrunt undique viri fœminæque, ab Germania, Gallia, Apulia, Hiſpania, Britannia, Scotia, Normannia, Lotharingia. Longobardia, Burgundia, aliiſque item regnis & provinciis, atque ultum ire parant contumelias, ut rebantur, DEI à Mahumetanis ei illatas.

Et primò Judæos in urbibus, ubi erant, aggreſſi, ad credendum eos Chriſto compellunt; reluctantes bonis, patria, vita multant, quorum plerique poſtmodum ad Judaiſmum revoluti, ſpecimen præbuerunt, non eſſe ſalutarem per arma viam homines ad Chriſtum adducendi.

Wilh. Tyrius l. 1. Chron. Hieroſ. Alberti l. 1. & 2.

In hac expeditione eminebant, Dux Lotharingiæ Godefridus, & frater ejus Euſtathius, & Balduinus, Robertus Flander, Balduinus Montium, Stephanus Bleſenſis, Robertus Normanniæ, Raimundus S. Ægidii Comites, Hugo frater Philippi, Regis Francorum, Boëmundus dux Apuliæ. Illos anteceſſit Petrus Eremita, qui tamen abſque juſtioribus Principum copiis nihil momenti ad cauſam contulit, ſed per intolerandas Græcorum expilationes, Alexium Byzantinum Cæſarem, jam ante parum Heſperiis æquum, accendit ad iras, ut conatibus illorum qua vi, qua fraude obſiſteret. Petri exercitus XL millium variis cladibus, penè totus periit, Godeſcalci presbyteri ſectatores ad Belgradum, à Colomanno Hungariæ rege cæſi ſunt, ſimiliter Hugonis copiæ à Bulgaris. At Godefrido cum ſuis paulò melius res ceſſit. Cum perveniſſent Byzantium vaſtatione ſuburbiorum coëgerunt Alexium præbere commeatus. Juncti deinde Boëmundo, qui in Græcia hybernarat, fœdus ineunt cum Alexio, ut armis & annona adjuvet negotium, ereptaſque Turcis ditiones, demptis Jeroſolymis, ſibi habeat.

Platin. in Urbano II.

Sic pergitur in Aſiam. Dum Nicæam obſident, advolat etiam Robertus Normannus, inventaque ſunt peditum promiſcui ſexus ſexcenta millia, centum equitum. Nicæa capitur cum uxore Solymanni Sultani. Turcæ conſpicati ſe Aſiam tueri haud poſſe, diffugiunt: Ciliciam occupant Chriſtiani. Inde Balduinus progreditur ad Euphratem uſque, lectuſ-

Tyrius l. 2. & 3.

lectuſque ab Edeſſanis princeps, Samoſata urbem expugnat. Godefridus reliqua trahens agmina, tandem pervenit Antiochiam, ubi poſt ſummam rerum abundantiam intercepto commeatu, dum obſidioni inhærent, præ inediâ plurimi aut mortem ſubeunt, aut capeſſunt fugam, copiæque admodum diminuuntur.

Tyrius l. 4. 5 & 6. Raim. de Agil. hiſt. Jeroſol. Fulch. Carno. in geſtis pereg. Franc. Guibert. Hiſt. Hieroſ. l. 5. 6. Sigebert. Dodechinus in Appendice Mariani. Godfrid. Viterb. part. 17. Chron. Raim. de Agiles.

Nono tandem obſidionis menſe captâ urbe, & Boëmundo commiſſâ obſidentur viciſſim à Mahumetanis victores, ac dira iterum cruciati fame multi, immemores juramenti, quo ſe Jeroſolymæ obſtrinxerant capiendæ, effugiunt. Alexius ingentibus cum copiis laturus auxilium Chriſtianis, terretur obſidentium multitudine. Quapropter deſperata liberatione, eruptione pugnant Occidentales, cadunt hoſtium ultra centena millia, ſolvuntur caſtra Turcarum & luculenta victoria paratur; ſed quam ſecuta peſtis, qua L Chriſtianorum millia perierunt, atra caligine obfuſcavit. Hugo & Stephanus Bleſenſis Galliam ſuam repetivêre.

Alb. Aquen. l. 6. Chron. Tyrius l. 5. 8. Baldr. hiſt. Jeroſ. l. 4. Guib. l. 6. Tyrius l. 9.

Qui remanſerant, expugnatis & aliis Turcarum caſtellis, dum longius provehuntur, tanta iterum fame ſunt afflicti, ut nec à fœtentibus Saracenorum cadaveribus abſtinerent. Sed ab illorum locorum Chriſtianis refocillati, Jeroſolymam, ab Amira Ægyptio interceptam, tandem aggrediuntur, ubi cum denuò laboraretur victu, & preſertim aquæ penuria, omnes communi decreto nudi pedes circumeunt mœnia precando, octavoque eam die expugnant, ex quo obſeſſa fuerat, XXXVIII. Tantum ibi narrant ſanguinis fuſum hoſtilis, ut ad equorum genua pertingeret. Godefridus, qui primus inſilierat in muros, Rex deſignatur, Coronam recuſavit, profeſſus, Dominum ſuum ſpineo ibi ſerto per contumeliam illuſum. Hinc Aſcalonem itum eſt, quo Rex Saracenorum Admiraviſtus quadringenta millia peditum, centum equitum ducens pervenerat. Feliciter ibi à Chriſtianis dimicatum, cæſis Mahumetanorum centum fermè millibus, Godefridus Bullioneus initium regni Hieroſolymitani fecit, anno Chriſti milleſimo undecenteſimo, cum ſub Saracenis urbs fuiſſet, annos ad CCCLX.

Sic recuperata urbe ſancta, tandem etiam Clemens & Urbanus moriendo finem ſuæ de Papatu contentionis fecêre: Reginerus, qui & Paſchalis II, obtinuit ſedem. Eum Simoniæ inſimulatum, Romani quinto poſt anno honore indignum pronunciarunt, recepto in ejus locum Maginolfo Archipresbytero, qui Sylveſter IV dictus eſt. At Paſchalis in Galliam migrans, actis ibi Synodis, dignitatem recuperavit.

Wilh. Tyr. l. 10. Matth. Pariſ. Chron. Belg. Coſm.

Centeſimus ſupra milleſimum annus multis principibus fatalis exſtitit. Boëmundus dux Antiochiæ à Turcis eſt interceptus, ſucceſſore Tancredo, Comite Tiberiadis; Godefridus novus Hieroſolymus Rex deceſſit. Frater ejus Balduinus, princeps Edeſſenus, accepit regnum. Wilhelmus Rufus Rex Angliæ, à Waltero Gallo improviſo ictu, quem is in cervum contorſerat, trajectus occubuit. Henricus Lovanienſis Tornaci in haſtiludio periit. Bretiſlaus Bohemiæ rex à latrone, dum è venatione redit, peremptus.

Saxo l. 12.

Ericus I. Canuti frater rex Daniæ, ob inanes & falſas ſuſpiciones execratione multatus ab Hamburgenſi Antiſtite, Romam è veſtigio petivit, cunctiſque defenſionis partibus actore ſuperior, Lundiæ oppido Archipræſulatum obtinuit, non tantum Saxonicæ prælationi ſubtrahens Daniam, ſed & Sueciam illi Norwegiamque religionis titulo ſubjiciens. Suſcepta deinde Jeroſolymam peregrinatione, Cypro in inſula defecit, ſucceſſore Nicolao fratre. Italorum ingens multitudo victoriis excita Syriacis, dum incolas terrarum injurioſè tractat, in ſolitudines abducitur Paphlagonicas à Raimundo comite. Ibi horrenda clade à Turcis cæſi ſupra CLXM.

Chron. Jeroſol. lib. 8.

Wilh. Tyrius lib. 10.

Cæterum Balduinus, adſcita in auxilium Genuenſi claſſe, Cæſaream Palæſtinæ,

næ, Ptolemaidem aliasque urbes maritimas expugnat, tertia civitatum parte Genuentibus assignata. Boëmundus precio redemptus, cum Tancredo, & aliis societatem init, de Carris Mesopotamiæ obsidendis. Sed dum illi de capta jam urbe, cujus accedere ditioni debeat, litigant, vi depelluntur: Joscelinus & Balduinus in potestatem Turcarum veniunt. Boëmundus repetit Italiam, ductaque Constantia, Philippi Gallorum regis filia, Antiochiam tandem redit.

Platin. in Paschali 2.

Paschalis Papa nihil in Henricum decessoribus suis mitior, curat persuaderi ejus filio Henrico Juniori, ut Ecclesiæ, quam vocabant, obedientiam subjectioni patri juratæ præferat, parum memor, quam nulla divinæ legis sanctio filium culpæ patris vindicem constituat. Hic simulata tandem deprecatione, & renovatâ fraudulento jurejurando fide patrem eò deduxit, ut exautoratis copiis pro captivo esset, & Moguntiæ regni insignibus vi spoliatus, resignaret filio potestatem: Exarmato fortissimo Principi institit legatus Pontificius, ut fateretur, injuste ab se Hildebrandum, & Pontificiam majestatem esse violatam. Sed ille nullis minis, ut id faceret, adigi se passus, ad legitimam causæ cognitionem provocavit. Quamobrem certior à suis factus periculi, Coloniam aufugit, indeque Leodium. Utrobique defensus à civibus fortiter, elusis vindicatisque impii filii conatibus, decessit, anno Domini post millesimum centesimo sexto, *misericordiæ in supplices, & placabilitatis in inimicos exemplar*, inimicis ipsis fatentibus.

Helm. l. 1. c. 32. 33. Frising. lib 7. c. 10. &c. Autor vitæ Henrici. Gotfrid. Viterb. Dodechin. in Appen.

Eodem anno Philippus Galliarum Rex, cum abdicata Bertha regina, Fulconis Andegavensis uxorem rapuisset Bertradam, atque ex ea liberos genuisset, pœnitens adulterii, abiit Miliduni, præsente Ludovico VI filio.

Aimoin. Cont. l. 5. cap. 24.

Tam sterili pietatis & eruditionis veræ seculo monachorum aucti sunt greges. Bruno Colonienſis Carthusianum: Robertus Molismi Abbas Cistertiensem condidit ordinem. Prisci Benedictini, ut plurimum à regula majorum deflectebant.

Sigebertus. Schafn.

Theophylactus Bulgarorum Episcopus, Anshelmus Cantuariensis, Ivo Carnutensis, Valtramus Naumburgicus, Auselmus Laudunensis, glossæ autor, ut vocant, interlinearis, sacra eruditione celebres: Avicenna Arabs naturalium rerum scientia fuit.

HENRICUS V.

ALEXIUS COMNENUS, ejusque filius JOHANNES.

HEnricus senior Leodiensi è sepulcro ejectus, jussu Pontificis, inhumatusque totum quinquennium jacuit.

Godef. Viterb. part. 17. Chron. Ursper. Chron. Dodechimus. A. M. 5079. Christi 1109.

Henricus Junior, usurpatum impie adversus patrem imperium haud minori Pontificum odio, quam ante gratia gessit. Quæ res cordatioribus patefecit, Apostolicos istos non tam ex virtutibus aut vitiis Principes, quam ex avaritiæ & ambitionis suæ favore & patrocinio æstimare. Cum Goslariæ haberet Comitia Henricus, oborta subitò tempestate, fulgur acumen gladii ejus perstrinxit, absumpsit baltheum, corium interius clypei corrugavit, infausto omine, quod arma imperii per ipsum essent hebetanda.

Primum in eos gladium strinxit, qui patrem adversus improbas machinationes filii defendissent. Hi erant, Henricus Lotharingus & Robertus Flander. Henricus Lotharingus, cum ut reum majestatis se tradidisset, custodiæ mancipatus, per industriam suam evasit. Affectans deinde repetere ducatum, quem Cæsar Godefrido dederat Lovanienſi, Aquisgrano, quod oppidum invaserat, expellitur. Godefridi laudatur moderatio, qui uxorem æmuli dimiserit, *indignum ratus, in imbellem sexum, à quo arma non gestantur, carceribus armisve grassari.* Adversus Flandrum cum parum valuisset Cæsar, simulato magis utrinque,

Sigebertus. Gembl. Chron. Belgic.

P. Æmilius l. 5.

que, quam compoſito pacis fœdere, diſceſſum. Henricus, Rex Angliæ, eo tempore cum Roberto Jeroſolymitano fratre ſuo, Normanniæ duce, funeſtum ſuper Angliæ dominatu bellum ducebat, quo victoria potitus, omnes penè Principes Normannorum aut occidit, aut cepit, Normanniam ſibi vindicavit. Cum de Giſortio arce dimicaret cum Ludovico Craſſo, proceres Francorum regi ſuo infenſiores ſollicitavit, juvit, armavit. Sed cum liberi ejus tranquillo mari ex Normannia ſolviſſent, in medio curſu, atroci exorta tempeſtate, naufragio periêre: triſti ſuis, ſed ſalutari ad poſteros exemplo, *ſpem regiæ ſimul univerſam, fortunæ diſcrimini, ventorumque ludibrio credendam non eſſe.* Superfuit filia Anglo unica Mathildis, quam Cæſar Henricus duxit. Mox ad preces Almi (frater is erat Colomanni regis Hungariæ) ereptam ſibi poteſtatem quærentis, fruſtra tentavit Hungariam. Hinc adjutus à Suantoploco Bohemo qui Botivoium, Vratiſlai ſucceſſorem, Bohemia ejecerat, in Polonos movit, tributa veteri ex pacto debita dudum denegantes. Sed delapſis ob cædem clandeſtinam Suantoploci Bohemis, victus acri prælio Cæſar, abduxit ab obſidione Glogoviæ copias, tranſegit cum Polonis. Boriveius irrito conatu laborans in recipienda Bohemia, captus eſt à Cæſarianis, Bohemia Ladiſlao attributa.

Matt. Pariſ.

Coſmas Prag. l. 3. Chron. anno 1109.

Alexius Imperator Græcorum, cum perfidioſè haberet peregrinos, Jeroſolymitanos roborantes regnum, Boëmundi armis adactus, operam promiſit Latinis fideliorem. Bertramus Raimundo natus, provinciæ Comes, Balduini Regis auxilio, Tripolin ſubegit & Byblum, mox & Balduinus ipſe Berytum, & Norvegorum confirmatus claſſe Sidonem.

Tyrius lib. 21. Chronic. Alberti lib. 11. Platin. in Paſchali II. Pulcher. Carnotenſis.

Henricus verò Cæſar, quinto à morte patris anno, Italiam intravit cum exercitu, ſedaturus diſſenſionem inter regnum & Sacerdotium, plurimis mortalium exitialem; aſſerturus ſimul autoritatem ſibi & conſuetudinem, per trecentos & amplius annos inde à Carolo Magno uſurpatam Regibus Teutonum, quâ Epiſcopatus & Abbatias per virgam & annulum conferebant. Papa Paſchalis contra à laicali manu poteſtatem ejuſmodi dari non poſſe contendebat. Sed quum Imperator nervos regni Eccleſiis erogatos oſtenderet, Papa jurejurando confirmavit, quæcunque Epiſcopi & Abbates, præter decimas & oblationes, haberent, ſe imperio redditurum. Confectæ ſunt literæ, quibus Paſchalis promittebat, ſe civitates, ducatus, marchias, comitatus, monetas, telonia, mercatus, jura centurionum, turres, villas, militiam, caſtra, Eccleſiaſticis omnibus in perpetuum ablaturum; prædia & privilegia regalia, quæ à Carolo, Ludovico, Othone & Henrico conceſſa eſſent Eccleſiis, redditurum imperio, eò quod divina lege ſancitum ſit, *ne Sacerdotes curis ſecularibus occupentur.* Sed Papa tam luculenta promiſſa implere aut non voluit, aut non valuit, præcipuis Clericorum in faciem ei reſiſtentibus, à quibus datum Cæſari privilegium *privilegium* appellabatur. Quare deluſum ſe contemplatus Henricus, inque extremo inſuper poſitum periculo, advocatis militibus Romam occupat, Papam cum Epiſcopis & Cardinalibus redigit in poteſtatem, nec niſi comprobato ſibi prædeceſſorum omni jure, libertati eos ſuæ reſtituit. Paſchalis, porrecto Imperatori ſanctiſſimi corporis Chriſti pignore, collationem Epiſcopatuum ei publicè roboravit. Ita reverſus ad Alemannos Henricus, patrem demum ſuum Spiræ magnificè ſepelit, mox ipſe eandem cum ipſo fortunam ſubiturus. Etenim aſſentatores Papæ, & tyrannidis Eccleſiaſticæ avidi Antiſtites, gnari, quantum faſtigii accederet ſuo ordini, *ſi maximas tenerent opes, nulli ſceptro obnoxii*, extortam vi pactionem pronunciarunt irritam, anathemati illigantes Henricum, ni properè Simoniam (eo nomine veniebat Imperatoria presbyteriorum collatio) abjiceret,

Dodechinus in Appendice. Marianus Scotus. Urſperg. Chron.

Helm. l. 1. c. 40. 41.

Friſing. l. 1. c. 13. 14. ann. 1115. Helm. l. 1. c. 41. Paulus Lang. Chron. Cilicenſ. Urſp.

ceret, & ejuraret. Sed Fridericus Suevus, sorore genitus Henrici, omnia, Rheno finitima, ubi maxima vis imperii erat, masculè subegit. Non quiescebant interim paterni odii hæredes Saxones, Censuras Ecclesiasticas rebellioni prætexere docti. Illos anno ejus seculi XV apud Guelfonis Sylvam aggressi Cæsariani, magistro militiæ Hoiero Mansfeldio, acri prælio conflixere. Contrarias ante partes tutatus erat Hoierus: Nunc inferior acie cecidit; Adelgotus Magdeburgicus, Reinerus Halberstatensis, præsules, Luderus, qui & Lotharius, Saxonum dux, profligarunt Henrici copias. Quare omissis Saxonibus, hæreditatem occupaturus Mathildis, in Italiam reflectit iter, anno illo tristissimo (erat ejus ævi XVII) quo terræ motus concussit orbem, terræ hiatibus urbes, castella, villæ, homines absorpti sunt, Leodii non pauci in ipsa sanctorum veneratione fulmine deflagrarunt, sciſſi montes, siccata, imò librata in aëre flumina, visa cœli ostenta: denique ea facta sunt, quæ mundo aut extremum, aut extremo proximum pronunciarent exitium. Paschalis in Apuliam secessit, Henrico Romam contendente, quo cum rediret jam armatus à Normannis Papa, mox exstinctus, Joanni Caietano, qui & Gelasius II, fecit locum. Eo tempore & Balduinus, ex felici in Ægyptum expeditione ægrotus, obiit Jerosolymæ, successore Balduino II, quondam apud barbaros captivo, affine suo. Similiter Alexius Comnenus, multiplicibus & continuis penè appetitus eluctatusque insidiis, cum mediocrem Imperatorem præstitisset (*ut nulli non Principi maximè ad perfectam laudem plurimum deest*, prout rectè hic, historiam finiens, judicat Zonaras) difficillima absumptus est morte, anno XXXVII, inhumaniter extremo in periculo à suis penè omnibus desertus.

Dodechinus anno 1117. Sigebert. contin.

Tyrius lib. II.

Joannes Zonar. in fine Hist.

Platin.

Cæterum novus Papa Gelasius, cum minimè absolveret injustis execrationibus Henricum, pulsus Româ, Caietæ delituit, donec à Guilelmo Apulorum duce, & Roberto Campano instruerentur copiis. Cæsar ob id indignatus, Mauritium Baccarensem Archiepiscopum, creat Antipapam, eumque Fregepanum familiæ, quæ dudum in vincula misisset Gelasium, commendat. Inde motis castris abit Italiâ. Gelasius, quod Romæ ei esse haud liceret, Cluniacum in Galliam profugit, ibique Pontificatus anno primo, die quinto obiit. Eodem tempore Templarii milites, propè sepulcrum Domini degentes, id muneris in se receperunt, ut peregrinos, ad sacra Palæstinæ loca euntes, indemnes præstarent à maleficiis. Rogerius Antiochiæ Princeps à Turcis cæsus, ultorem habuit Balduinum Regem, qui affectis strage Turcis, Antiochiam Jerosolymitano regno adjecit.

Tyrius lib. 12.

Cæterum exstincto Gelasio, à Cardinalibus, qui tum Cluniaci aderant, sufficitur Guido Viennensis, qui rara huic generi modestia Pontificio abstinuit habitu, quoad constaret, Romanos electioni suæ consensisse. Continuata deinde cum Cæsare discordia, Burdinum Antipapam expugnat Sutrii, cameloque impositum in triumpho Romam ducit, omnique notatum ignominia, Cavensi includit monasterio. Majus cum ipsomet Henrico negotium erat, quem Saxonicis denuo oppugnare armis instituerat. Sed Principes regni tantarum pertæsi cladium, persuadent Imperatori, jam quoque Gallis ob Papæ studium infesto, ut cedat obstinationi Pontificiæ, investitura, quam vocabant, per annulum & virgam in aliam Augustæ propiorem commutata. Quare finis certamini impositus is fuit, ut deinceps electioni renunciaret Sacerdotum Cæsar, ac per sceptrum concederet regalia designatis: sin dissiderent votis suffragatores, sua autoritate melioribus robur adderet. Ita Callistus ille III, bellissimè rem gessit Pontificiam, Cæsaream diminuit, anno seculi duodecimi secundo & vicesimo. Idem Rogerium, Siciliæ Principem, frustra dehortabatur ab invasione Apuliæ

Platin.

Conradus Abbas Urſp.

1122.

&

& Calabriæ, indignum ratus ſpoliari Principatu Guilelmum, quum nuptiarum cauſa abeſſet, Comnenam ducturus, Johannis Græcorum regis ſororem. Sed Rogerius oppreſſa vi illa parte Italiæ, ad imperium ſibi ſtruere aditum nitebatur. Calliſtus Venetorum Ducem Dominicum Michaëlem excivit, ut Balduino à Saracenis capto, res lapſas Chriſtianorum in Palæſtina erigeret. Veneti inſtructa claſſe Joppen, à Turcis Babyloniis obſeſſam liberant, Tyrum, celeberrimam Phœnicum metropolin, terra marique menſibus quatuor oppugnatam capiunt, pacti prius cum Wilhelmo Palæſtinæ prorege, ut maritimarum urbium tertia ipſi parte fruerentur. Paulo poſt moritur Papa, quem morte ſecutus Trajecti Imperator, anno regni XIX, quum Balduinus II, multo ſe auro Turcica captivitate exemiſſet. Henrico & majoribus, jucunda cujuſdam Poëtæ ruditas Spire Epicedion, diviſim tumbis applicatum, condidit: *Filius hic, pater hic, avus hic, proavus jacet iſthic.*

Platin. Robert. de monte. Cont. Sigebert. Wilh. Tyrius lib. 12.

Nicetas Choniat. in Johan. Comn.

Orientis imperium tunc moderabatur Joannes Comnenus Alexii primogenitus, ſpirante adhuc patre potitus rerum, ſed diſſimulante injuriam, quod Irene mater generi Nicephori Bryennii juſto ſtudioſior erat. Ac ſororis quidem victus ſagacitate periiſſet Joannes, ni ſocordior Bryennius tarditate ſua occaſionem corrupiſſet, Joannes clementia & moderatione flexit in pœnitentiam ſceleris matrem & cognatos, firmatiſque domi rebus, Sultanum Perſidis, ſpreto fœdere vaſtantem urbes ad Mæandrum fl. ſitas bello aggreſſus eſt. Cepit Laodiceam, cinxitque mœnibus.

Sozopolin, Pamphiliæ munitiſſimum oppidum, ſtrategemate occupavit. Juſſo enim equitum tribuno aliquoties adequitare ad munitiones, conjectiſque ſagittis ſylvas petere, effecit, ut Turcæ aliquanto longius abſtracti à vallis, nudatam ferè urbem Græcis invadendam exponerent. Ejus oppidi fortunam alia ejus tractus ſecuta.

Quinto imperii anno Johannes Scythas Hamaxóbios, qui & Pazinacæ, innumera multitudine tranſgreſſos Iſtrum, donariis vanam in ſpem pacis impulit, atque hoc modo verſos in ignaviam, albeſcente cœlo, adhuc ſtertentes aut ſemiſommes acri prælio devicit. Plurimi eorum capti, pagos deinde ad Iſtrum accepere, plerique pro mancipiis venditi, aliqui & cohortibus adſcripti. Eadem felicitate fœdifragos Triballos (aliis Servios dictos) domuit, captiva eorum turba in Bithyniam tranſlata.

Poſtea ab Hunnis, Danubii & Savi accolis, ob ſuſceptum Stephani, Principis eorum fratrem, inſperato bello laceſſitus, principiis quidem cenſuit obſtandum, ac imparatus ab idoneo milite, Philippopoli ſe tenuit, donec inſtructior Francochorium, fertiliſſimam Hunnici territorii partem ſubegit, ipſumque deinde adortus Chramum, maximam de eo prædam cepit.

Per hæc tempora Norbertus, nobilis Lotharingus, loci & ordinis Præmonſtratenſis fundator, ſtrictiorem monachis vitam præire, Auguſtini nixus regula, cœpit. *Sigebert. Contin.*

Apud Græcos Joannes Zonaras Monachus, & Euthymius Zigabenus, apud Latinos Sigebertus Gemblacenſis, Rupertus Tuitienſis Abbas, Algerus Cluniacenſis, Theologicæ atque hiſtoricæ eruditionis laude claruerunt. Pomerani Othonis Bambergenſis opera Chriſtianiſmo tandem tincti, aut Pontificii Chriſtianiſmi traditionibus imbuti. Namque etiam tum meliores Eccleſiæ præſules verbum Domini viva docere voce conſueverant.

LOTHARIUS II, SAXO.

JOHANNES COMNENUS.

A. M. 5095. *Chriſti* 1125. *Gotfr. Viterb. part. 18. Chron. Urſperg. in Lotharie.*

EXhauſto per civilia bella regiarum apud Teutones familiarum ſanguine, cum vix reperiretur provincia, quæ Dominos non mutaſſet, abrogato etiam Cæſaribus jure dandi Sacerdotia, plurimum

Frising. l.7.c.17. & de gestis Frid.l.1. c.16.&c. Vincent. Speculi Hist.l.18. Aimoin. contr.l.5. c.50. Dodechinus Append. Sigebert. Cont.

mum erat majestati illorum detractum in animis popularium. Nec Henrico V (*memori in oppressorem patris ira Numinis*) proles erat, quæ Augustum apicem propagaret.

Gotfridus Viterbiensis, Conradi III notarius, autor est, quatuor Teutonici imperii Optimates, diversis studiis rerum summæ destinatos: Lotharium scilicet Saxonem, cujus pater Gebhardus Saxonico bello occubuerat, Fridericum Suevorum ducem, Henrici IV è filia nepotem, Leopoldum Marchionem Austriæ, & Carolum Comitem Flandrorum, Canuti Daniæ regis ex sorore Roberti Comitis filium: quem anno sequenti severius habita nobilium turba in templo Brugensi orantem nefariè interemit. Piaculum id Ludovicus VI teterrimis sceleratorum cruciamentis eluit. Fridericus Suevus studebat fratri suo Conrado, duci Francorum Orientalium. Carolum Flandrum popularitas, & in egenos munificentia, præter alias virtutes commendabant. Sed vicerunt vota Saxonum, jus imperii ad suam gentem retrahentium. Sic Lotharius, renitens, ut aiunt hortatu Alberti Moguntini & Oratoris Pontificii, suscepit dignitatem. Qui judicatus olim ab Henrico V perduellis, & quamvis nuptias ejus lugubri habitu adiisset, carcere multatus, memor postea contumeliæ, Henricianam familiam omnibus modis afflixit. Interim Conradus à sua factione Rex creatus, munitis pro se Ulma, Noriberga, Augusta, intravit Italiam, contemptoque anathemate Pontificis, Mediolani se pro rege gessit.

Sed quum Henricus superbus Bajoariæ Dux, gener Lotharii, urbes Teutonicas, & in his Spiram, labore maximo, ad obsequium traxisset soceri sui, attenuatis viribus Conradus remeavit in patriam; Fridericus & Conradus fratres, dimisso regno, interventu Bernhardi, Abbatis Clarevallensis, aliquam in gratiam cum Lothario redierunt. Conradus exinde primam inter Principes sedem honoris ergo tenuit. *Frising. l.1.c.20. 21. Platin. in Honorio.*

Saxonum magna vis à Bohemis cæsa, quum Othonem Moravum imponere eis vellet Lotharius: Moravus ipse occubuit. Gesserat his quinque annis Pontificatum Lambertus, qui & Honorius II. Orator quondam à Calliste ad Germanos missus, ut Henricum V ad deponendam cum Pontifice litem induceret. Intrusus Leonis Frangepanis astu, ita præfuit Ecclesiæ, ut Arnulphum in Cleri lasciviam & factum liberius invectum, occidi Romæ pateretur. Hujus successor Innocentius II, dum Rogerium Siculum Apulia nititur depellere, eumque acie profligatum, Galucii obsidet, filii ejus Guilelmi superventu capitur, cum Cardinalibus militiæ sociis; sed opinione sanctitatis indulgenter satis habitus, dimittitur custodia postmodum. Interim Romæ Petrus, Petri Leonis potentissimi civis filius, creatur Papa, Anacletusque appellatur, qui expilatis templis, cum esset, unde militem aleret, vi tueri dignitatem nihil dubitavit. Innocentius vero attributa Rogerio Apulia, redditus suis, sed impar viribus æmulo, in Franciam profugit. Siculus utrinque auctior factus, ab Innocentio cætera impetrarat; eo profugo se causæ Anacleti conjunxit. Ab eo Rex Siciliæ, contributis etiam cis fretum Brutiis, Lucanis, Apulis, Calabris, salutatus. Innocentius concilium Claromonte habuit, Anacletique factionem damnavit. Ludovicus Crassus Francorum, Henricus Anglorum reges, Innocentii partes amplexi. Crassi filius jam diademate ornatus, dum in suburbano Lutetiæ equitat, occursu fœminæ suis pavefacto equo effunditur, pauciscque post horis exspirat. Innocentius ejus fratrem Ludovicum VII, rogatu patris, regiis sacris initiavit, cum Rhemis concilium maxima celebritate ageret. Solus Crassus in Gallia opem implorantes Papas vidit, Urbanum, Paschalem, Gelasium, Callistum, Innocentium. *Aimoin. Continuator.* *P. Æmilius l.5.*

Sub dimissum Rhemis Concilium, Ponti-

Pontifex in Eburones profectus, cum Lothario Cæsare egit, de sede Petri à schismate asserenda. Cæsar cœpit repetere ab eo potestatem dandi Sacerdotia, nuper decessori suo Henrico V ereptam. Quibus postulatis turbatus, & jam anxius reditus sui Innocentius, Bernhardi interceſſione ſecurus receſſit ab Cæsare. Lotharius Episcoporum suorum precibus delinitus Innocentii probavit electionem, & anno triceſimo ſecundo istius ſeculi, in Italiam ivit, armata cum manu reducturus. Sed quum Romanos à diſſidio partium revocare nequiviſſet, irritus penè cœpti rediit domum, niſi quod Pontificem ſuum Lateranenſe in Patriarchium relocavit, & Auguſtalibus Romæ inſignibus exornatus eſt. Revertentem altero anno, ſolis jubare intercepto, nox mero die obnubilavit. Bernhardus & Norbertus, fautores Innocentii, cum eo ex Italia remearunt, quorum hic Magdeburgenſi præpoſitus Eccleſiæ, vitam ibi clauſit, ille innumeris de ſe monachorum fuſis gregibus, Ciſtercienſis regulæ potiſſimus habetur illuſtrator.

Urſper. in Lothario. Dodechinus 1152.

Robertus de monte.

Helmol. l. 1. c. 50. Saxo Gram. lib. 13.

Lothario in Germaniam abeunte ad compeſcendos Luticiorum motus, rurſum Anacletus, licet Piſis quoque damnatus, Rogerio adjuvante, in Pontificem ſurgit. Nicolaus Danorum Rex, ob cædem patruelis Canuti, à filio ſuo Magno patratam, inviſus populis, Ericum fraternæ necis vindicem perſenſit, à quo & Lotharii arma Scleſvicum verſus pertracta, Cimbris metum incuſſêre. Sed tantæ Jutorum copiæ Vallum, quod opus Danorum vocant, circumfuderant, ut Lotharius inaniter à ſe teri tempus conſpicatus, ſpecioſam ſolvendæ expeditionis rationem excogitaret. Magnus Canuti interfector, ſupplex Cæſarem veneratus, ut caſtra trans Eidoram metaretur, effecit. Inde Adolfum, cui Lotharius multo ante Holſatiam aſſignaverat, extremos tunc curare juſſum, adortus per inſidias Magnus, non ſolum copiis ſpoliavit, ſed etiam arma deformiter abjectantem, nando coëgit fugam capeſſere. Ericus Cæſaris ope deſtitutus, Magni Norwegi, ſororis ſibi matrimonio devincti, ambivit amicitiam: quam auro Danico corruptam eſſe edoctus, Lalandorum evaſit auxilio. Magnum deinde equitatus ſubitaneo oppreſſum inſultu, & pleroſque cum eo Danorum antiſtites occidit. Nicolaus Magni pater, dum Scleſvicenſes ſibi reconciliare parat, in ipſa regia cum prætorianis cæſus eſt. Ita crudeliter fuſo Canuti ſanguine haud minori crudelitate parentatum. Ericus ſublato patruo, & qui partes ejus ſecutus erat, Heraldo fratre, Danorum regno potitur, eo ferè tempore, quo Henrico Angliæ regi, Stephanus de ſorore nepos ſucceſſit, cui Mathildis filia Henrici, Goffrido nupta Andio, ademit Normanniam, inque Anglia maximas turbas dedit.

Porrò Lotharius anno iſtius ævi, XXXVII revocatus in Italiam, ut Rogerium pro arbitrio dominantem compeſceret, Ciſalpinas partes propè ſine ferro ſubegit. Tranſgreſſus Apenninum, Anconam, Spoletum, aliaſque urbes accepit in ditionem. Piſanorum adjutus claſſe Rogerium terra marique oppugnatum, amiſſis rebus omnibus, Italia in Siciliam pepulit. Cujus victoriæ magnitudine motus Joannes, Byzantinus Imperator, legatos ei gratulatum miſit, conciliataque ſibi Lotharii amicitia, Perſarmenios ſpoliavit Caſtamone, triumphumque redux Byzantii egit ſplendidiſſimum, *Mariæ virginis commilitio victoriam imputans, quam rectius æterno & uni Numini adſcripſiſſet.* Quare haud diuturna ei adverſum Turcas felicitas obtigit. Digreſſo eo, Taniſmanius, atque illo exſtincto, Mahumetes, non ſolum amiſſa recepêre, ſed & Gangra, Ponti urbs potentiſſima, in Turcarum ditionem venit.

1137. *Urſper. Platin.*

Nicetas Choniata.

Lotharius ſeſquiannum ferè in Italia moratus, maximis rebus geſtis, & commiſſa Reginaldo Apulia, Henrico genero Thuſcia, dum per Tridentinos ſaltus

in patriam reverti parat, sub vilissima casa obiit diem, imperii anno XIII, funeratus in monasterio Ducatus Brunswigii, quod ex ipso Regis nomine Lotharium appellatur.

Ursperg. Ejus temporibus Gratianus Bononiensis Monachus, post Ivonem, collegit Canones Ecclesiasticos & decreta Pontificum; Hugo Rector monasterii sancti Victoris apud Parisios, eruditione sacra inclaruit; Vernerius libros legum Romanarum, multis neglectos seculis, renovare conatus, favente institutis Lothario, nova doctoribus juris, primum civilis, inde & Canonici, privilegia & immunitates præparavit.

Jerosolymis, præter Hospitalarios, quibus peregrinorum & ægrorum cura erat, & Templarios, itinera tuta præstantes, Teutonicus etiam ordo invaluit, Xenodochium suæ gentis procurans. Initia exigua magnæ opes secutæ. Vicelinus Hamelensis ab Adelberone Archiepiscopo Hamburgensi, vel Bremensi, deductus Meldorfium, per Sclaviam & Nordalbingiam, ubi rara etiam tum pietas, Christianismum propagavit, fretus imprimis Henrici Sclavorum reguli, & Adolfi Schaumburgici favore & studio. Sed cum filii Henrici, Suentepolcus & Canutus, intestinis se bellis confeciissent, Canutus Erico Dano genitus, Sclavorum principatu potitur. Illo autem necato, Vicelinus persuasit Lothario, ut exstructa Sigeberga arce, adversus Pribislaum Wagirensium & Polaborum ducem ethnicum, præsidium sibi compararet.

P. Æmilius lib. 5. Helm. l. 1. c. 42. 48. 50.

Helm. l. 1. cap. 54.

Wilhelm. Tyrius lib. 13.

Anno Lotharii altero, Balduinus II, Hierosolymorum rex, Fulconem Andegavensem, Fulcone & Bertrada (postea pellice Ludovici Crassi) progenitum, suasu amicorum toto ex orbe delegit, cui majorem filiam Melisendam in spem successionis collocaret. Elisa, minor ejus filia, Boëmundo juniori Antiocheno principi nupsit. Tentata inde non sine clade Damasco, & Boëmundo genero à Turcis interempto cum invita filia, & impiè ad Turcicum principem Sanguinum respectante, subdidisset sibi Antiochiam, tricesimo primo ejus seculi anno abiit vita, successit Fulco. Edessenus princeps Joscelinus, ægro in corpore validos animos gerens, lectica deportari voluit in prælium, eaque constantia depulso ab obsidione Cressi Sultano Iconiensi, lætus reddidit Deo spiritum. Raimundus, Guilelmo Aquitaniæ natus duce, inimico quondam Fulconis, secundas ab eo partes in regno, Antiochenum nempe principatum, & Constantiam Boëmundi filiam obtinuit. Ita *opes Asiaticæ Latinorum virtuti, nobilitatique dotales erant*; & Francorum nomen tam illustre, ut omnes Latinos Francorum nomine Barbara religio censeret.

Tyrius lib. 14.

P. Æmilius lib. 5.

Sic inveterascere in Oriente Latinum nomen & imperium, invidiæ erat apud Græcos, suetos imperare Syriæ. Joannes Comnenus à contemptu vindicaturus Græcorum Remp. destinavit Antiochiam recuperare Byzantinis. Sanguinus Halapianus Satrapes, Christianorum simultates occasionem suam ratus, Fulconem sævo adoriri bello statuit. Tharso, Baca, Anabarza, captis à Comneno, fœdus ictum, ut Raimundo Ciliciam redderet Augustus, Raimundus ipsius beneficiarium se profiteretur, præsidium Græcorum reciperet Antiochia. Itaque ab illo & Tripolitano adjutus Joannes, Pizam ad Euphratem, aliasque urbes Syriæ & Mesopotamiæ extorquet Barbaris: Sed Antiochenis adversus præsidiarios tumultuantibus, deducere eos coactus, de amovendis è Syria Latinis agitavit consilia. Jamque in arcto erant res Antiochensium, Edesseno Joscelino obsides imperatos mittente, cum respondit patriarcha & cives, rata sibi publice non esse, quæ injussu procerum populive egisset Raimundus. Missis & ad Fulconem legatis, quibus sacra invisere loca poscebat Comnenus, & adversus Barbaros commilitium, renunciatum est, non esse alendis exercitibus tantis regiones istas.

Nicetas Tyrius lib. 15.

istas. Sin cum decem millibus veniret, regio apparatu excipiendam Græcam majestatem. Ita utrinque excluſus Joannes, in Ciliciam ſe Tharſum recepit, ubi in aprum fortè venabulum jaculatus, everſa impetu pharetra, venenatis telis referta, lævæ infixit vulnus, eoque incurioſius curato, tumeſcentem manum abſcindi noluit, *negans unimano Cæſare terras regi rectè poſſe.* Hoc caſu magnanimo Imperatori mors attracta, anno dominationis XXV. Antequam exſpiraret, Manuëli, inter ſuperſtites filios natu minori, regnum legavit, *negans Iſaaci impotentem iræ animum adminiſtrandæ Reip. idoneum.* Sub idem tempus obiit Joannes à Stampis, quem à temporibus multi vocitant, ob vitam ad miraculum uſque longævam. Plus enim trecentis ſexaginta annis eum vixiſſe faciunt; Sub Carolo Magno meruiſſe ſtipendia, Ludovico Craſſi filio deceſſiſſe.

Faſciculus Temporum.

CONRADUS III.

MANUEL COMNENUS.

A. M. 5101. *Chriſti* 1131. *Urſperg. in Conrado. Otho Friſing. lib. 7. c. 22. & c. Gotfr. Viterb. Helm. l. 1. c. 57. 58.*

ANtequam vita emigravit Joannes Comnenus, jam aliquot annis Germanorum imperio potiebatur *Conradus* III, Henrici V ſorore genitus, quem maxima pars principum, Confluentiæ, ad id faſtigium evexerant. Sed Henricus ſuperbus, gener Lotharii, qui inſignia ab ſocero accepiſſet, Auguſtæ dignitati inhiabat. Ratiſponam accitus Auguſtalia ſanè tradidit, ſed titulo neceſſitudinis multa ſibi reſervando, quæ Reip. erant, iram Conrado movit, unde bellum civile natum. Conradus acto Herbipoli conventu, proſcripſit Henricum, ducatum Saxonicum Alberto Urſo conſobrino ejus, Noricum Leopoldo Auſtriaco, fratri ſuo uterino, dedit. Ita Henricus, principum Germaniæ potentiſſimus, derepentè pauperrimus, notabili Dei judicio, apparuit. Sed idem Saxonum nixus favore & auxilio, Albertum Saxoniâ depulit; reddita & Adolfo II Holſatia, qui eam novis è Belgio, Weſtphalia, Friſiaque colonis frequentavit, & ſecus Dravum amnem Lubecam condidit.

Vincen. ſpec. Hiſtor. l. 18.

Leopoldus Ratiſpona ſubjugata, ad Lycum amnem protulit caſtra, verum affectus aliqua clade receſſit in Auſtriam. Ei revertenti occurſare moliens Henricus, fatis prævenitur, ac Lotharienſi in monaſterio ſoceri exuviis apponitur.

Nihilo ſegnius Saxones, parvuli ejus filii amore, propagarunt bellum. Guelfo frater Superbi, Leopoldum in fugam egit, nec impetrato ab Cæſare Norico, vim majorem attulit. Cæſar obſedit Winsbergum, à quo eum depellere omnibus modis conatus Welfo, acri pugna vincitur, ira Cæſaris omnis in obſeſſos vertit. Hi pacti tandem imbelli turbæ ſalutem, & quantum illa exportare humeris poſſet. Tunc ipſi viri uxorum ſuarum elati humeris, miſericordiam exciverunt egregio Imperatori, eoque multo quam antea placabiliore uſi, incolumitatem impetrarunt. *Tantum etiam virtus in hoſte agnita valuit.* Ea in obſidione inviſa Guelforum & Gibelinorum nomina orta, hoſtibus Cæſaris ſe à duce ſuo *Guelfos*, & Cæſarianos à Veiblinga, natali ejus ſolo, *Gibelinos* denominantibus. Conradus & Ladiſlaum, à Moravo expulſum, Bohemiæ reſtituit.

Trithemius.

Nauclerus.

Friſing. l. 7. c. 26. Gotfr. Viterb.

Non multo poſt rapto morte Leopoldo, cum frater ſucceſſiſſet, vidua ei juncta Superbi, quaſi dotale attulit Noricum, majoris diſcordiæ ſeminarium. Welfo enim nihil ob id ſedatior, provinciam ſibi armis aſſerebat, illectus & Rogerii Siculorum regis muneribus, qui ut ex arbitrio diſponeret Italiam, ſuo periculo in alieno defungi cupiebat. Romani enim multos annos cum Tiburrinis, Tuſculanis, Albanis, Prænestinis, & reliquis Latii populis geſto bello, Tuſculi excidio illud finierant, eaque occaſione ſubmoto ab adminiſtratione Reipubl. Innocentio II. Senatum, quique ei præeſſent, Patricium & judices aliquot conſtituerant. Conradum memorando, quas injurias majoribus ipſius intuliſſent Romani Præſules, ad firmandam ſibi Remp.

hanc

hanc invitabant: Petrum Apostolum tributum solvisse, nec competere Episcopis dominatum terrenum, contendebant. Quibus in litigiis anathemate notati, vulgato Pontificum telo, sed obtuso sæpius, non approbârunt lectos à solo Clero suo Pontifices, Cælestinum II. quinque mensium, & Lucium II Bononiensem: eaque causa Rogerio in Italiam reverso, amissa brevi recuperandi potestatem præbuit. Quæ ut teneret, studii duxit Conradum Transalpino haud extricari bello, ne otium ei esset Italiam more majorum ingrediendi. Jamque ad majores turbas spectabant res Germanicæ, cum subitò audita Edessæ expugnatio, aliorsum abstulit impetus, neque hostes Christiani nominis torsit. Ejus expeditionis, quæ & maxima fuit, & omnium in se populorum traxit animos, occasiones nobis paucis memorandæ.

Otho Frising. l. 7. c. 17. & 1. de gestis Frid. c. 27, 28.

Fulco rex Jerosolymorum, dum recreationi indulget, & leporem fortè oblatum apud Ptolemaidem, fervidius insequitur, excussus tam gravi ruina est, ut cerebro per aures naresque effluente, statim exspiraret, relicto filio tertium decimum agente annum, & Almerico sex annis minore.

Wilhelm. Tyr. in fine l. 15. an. 1142.

Mater Melisendis tutelam gerebat regni, sexus quem neque hostes formidarent, neque subditi admirarentur. Simul in Syria progenies eorum procerum, qui imperium Turcarum propè everterant, non pietate modo religioneque animi, sed armis etiam virtuteque & consilio à parentibus degeneraverat. Joscelinus suo more usus, Edessam rarò inviserat, mercenariis eam tradiderat, ipse deliciis vacans stipendium tardè persolvebat. Cum Raimundo insuper Antiocheno principe haud obscuras exercebat inimicitias. Contra Sanguinus, Persarum & Assyriorum princeps, in omnes augendi imperii occasiones intentus, Edessam, (quæ Rages olim) Mesopotamiæ metropolin, obsidet, obsessam capit, & magna Christianorum edita strage tendit ulterius. Sed dum crapulabundus jacet in tentorio, confoditur à suis, filiusque Noradinus, genitore cautior, legisque Mahometicæ studiosior, suscipit gubernacula. Is Edessam, furtim receptam à Joscelino, trucidatis ingenti cæde Christianis, subegit denuò. Orbis Christianus universus tristissimi rumoris impletus.

Tyrius lib. 16. Frising. l. 7, c. 30.

Regnabat eo tempore in Anglia Stephanus, & Davidem Scotorum regem Angliæ infestum, variis præliis sustinebat. Eo repulso, Mathildem quondam Augustam, Henrico rege, avunculo suo genitam, adversariam reperit constantiorem; cujus filius Henricus ab Ludovico VII, Dux Normanniæ erat creatus. Mathildis transmisso mari, multa in ipsa Britannia prælia cum Stephano, & in his aliquot secunda fecit. Tandem collatis signis, captus Stephanus, ejusque filio Guilelmo bellum reparante, fœdus ictum his legibus, ut Stephanus omni deinceps vita regnaret, defuncto succederet Henricus: Guilielmus certis in Anglia Normanniaque oppidis potiretur. Itaque ab Anglia tunc intestinis implicata bellis, prælidium Christianæ rei nullum.

In Gallia Ludovicus VII, ducta Eleonora, Aquitani ducis filia, dotalem acceperat Aquitaniam. In Theobaldum Blesensium Comitem exarserat nimium, quod is dimissionem Petronellæ (soror ea erat reginæ) armis urgeret apud Rodolfum Veromanduum, obtendens Petronellam, repudiata justa uxore, præter leges Rodolfo ductam. Rex direpto Victoriaco, Theobaldi oppido, in supplices Divorum sævierat, combustis eorum in æde principe MD.

P. Æmilius l. 5. Robert. de monte, an. 1142.

Ob id facinus se lamentis afflictantem, aggreditur Bernhardus, delendo sceleri esse, expeditionem Syriacam suggerit, firmatus autoritate Lucii & mox Eugenii Papæ: res insuper ipsa Asiaticorum, & legatio missa auxilium flagitabat. Persuaso Franco itum ad Germanos, simul oratoribus Latinorum fidem

Frising. lib. 1. de gest Frider. c. 34. &c.

opem-

opemque Cæsaris implorantibus. Nec mora, depositis ad tempus rixis signa moventur utrinque in Turcas Asiaticos, Cæsarem equitum loricatorum LXXM, peditum ad CCM secuta. Pronunciatur iter per Hungariam, ubi Geisa rex, profligato Boricho æmulo imperabat; attinguntur provinciæ Manuëlis Comneni, Græci Cæsaris, fœdere & affinitate juncti Conrado, quod duæ sorores, Berengarii Sulbacensis filiæ, illis nupserant. Francus rex eadem perrexit via.

Frising. lib. 1. de gestis Frid. cap. 24.

Nicetas lib. 1.

Conradus, subdola exceptus magnificentia à Manuële, Bosphoro Thracio transit in Asiam. Græci à se omnia polliciti, autores fuêre, ne rei frumentariæ prospiceretur. Hinc proditis Iconiensi Sultano consiliis, ferro, fame, errore viarum, atque omni miseria vexati Teutones; vix decimus quisque superfuit. Coactus Imperator laceras reliquias ex hostico deducere. Subsequebatur Francus, mendacio fidens seductorum, qui viam in Orientem, expugnato Iconio, apertam Germanis ferebant. Sed Fridericus, Conradi fratre genitus, rapidissimo adequitans cursu, fraudis Græcorum admonuit Ludovicum, & jungere cum Germanis castra induxit. Fertur enim, gypsum farinæ permixtum à Græcis, quo cum pernicie necessario Latini ignari vescerentur. Sic perventum est Ephesum, ubi Conradus multarum egens rerum substitit, inde Byzantio novam Manuëlis opem quæsiturus. Franci ad Mæandrum progressi amnem, haud exiguam cladem à Turcis pertulêre.

Nicetas lib. 1.

Nicetas lib. 2.

Interim Rogerius Siculus, vindicaturus illatas nostris ab Græca perfidia injurias, classe Corcyram occupat, omnemque populatur oram Græcorum maritimam. Unde atrox inter illum & Manuëlem orta concertatio. Conradus Græca, Francus suâ classe Syriam tandem tenuêre. Ingressus Antiochiam Ludovicus, à Raimundo principe, Eleonoræ conjugis & sociæ itineris patruo, rogatus est, ut in Noradinum arma verterentur. Sed Balduini regis preces, & parum pudica inter luxurias Antiochenses Eleonora, fecerunt, ut Rex in Judæam festinaret. Conradus advectus Ptolemaidem, indeque deductus Jerosolyman assensit consilio, ut Damascus oppugnaretur. Eo XLVII ejus seculi anno omnibus copiis ventum est. Suburbanæ munitiones urbis nobilissimæ multo Latinis sanguine stetêre. Expugnatis, illis, dum pro capta habent Damascum principes, deque ejus imperio præmaturè litigant, conspicati duces veterani, inclinare ad Theodoricum Flandrum vota, satius duxere, non capi urbem, quam fructum militiæ ab recentibus advenis præripi.

Wilh. Tyr. l. 16. c. 27. 28. Tyr. l. 17. an. 1147.

Quocirca occulta fraude, transferri in alterum latus castra suadent, quò facilior pateat in urbem aditus, receptisque interim per Damascenos suburbanis, iras conciunt Cæsari, qui deserta obsidione Byzantium, Byzantio domum rediit inglorius. Francus sequenti vere secutus, captivitatem penè subiit Græcorum, è qua Rogerianus eum Prætor explicuit. Manuëlis enim classis, post multas clades, recuperata arce Corcyranâ, mare Siculis infestum ægrè tuebatur. Rogerius eo tempore inter alias prædas, repertos Chalcide serici confectores in Siciliam Apuliamque traduxit, & adversus Michaëlem Palæologum, Manuëlis ducem, vario marte dimicavit. Alia sub hæc Christianorum manus per mare Britannicum Ulyssiponem iverat, eamque urbem & vicinas oras extorserat Saracenis non sine dubio belli ictu, & plurimo sanguine. Ea urbs Alfonso, Lusitaniæ duci nuper à Castellæ rege creato tradita. Saxones & Dani in Sclavos profecti sunt, ad Christianam eos fidem pertracturi. Sed Teuto miles, pecuniis Sclavorum corruptus, deserto in prælio Danos gladiis objectavit infidelium. Ipsi verò Dani, duobus tunc regibus, Juti Canuto, Sialandi & Scani Suenoni parebant, *privatisque gliscentibus iris, publica minus concorditer tractabantur.* Itaque promissa de Sclavis pietas suo exitu caruit.

Nicetas lib. 2.

Frising. de gestis Frid. l. 1. cap. 33. Dodechinus an. 1147. Robert. de monte. Helm. l. 1. c. 63. 66. Saxo l. 14.

Urſperg. Conradus Imp. & Ludovicus novis domi turbis excepti. Ludovicus è Sicilia revectus in Galliam, ante omnia direnit matrimonium cum Eleonora, obtentu conſanguinitatis uſus, ne difficiliore adulterii probatione laboraret. Illa mox Henrico Andegavenſi nupſit, materno jure Anglorum regi, & duci Normannorum; paterno, Comiti Andium, Turonum, Cœnomannorum; uxorio, jam Comiti Pictonum & duci Aquitaniæ. Quæ delicatiſſimè apud novum habita maritum, feralium bellorum facem inter Anglos Galloſque prætulit: Conſtantia, Adelfonſi Gallæcorum regis filia, toro Franci ſociata. Romanis Epiſcopis, per hoſce annos, vix vitam in urbe, aut mortem pacatam civitas ſua conceſſit. Indignatus enim populus, Tiburtinis favere antiſtites, ad priſcum morem reformavit Remp. Pontifices ſacra curare, & è decimis atque oblationibus alere ſemet juſſit. Nec ſegnius reliquæ Italiæ civitates inteſtinis inter ſe bellis concertabant. Eugenius tamen III, Bernhardi quondam diſcipulus, cui illos egregios de conſideratione libros dicavit, Tiburtinorum auxilio coërcuit populum Romanum, pacemque, ſed infidam, eo tenore dedit, ut abdicato Patriciatu, Senatores de ſua autoritate urbem gubernarent. Idem Viterbii Armeniorum legatos, de ceremoniis quibuſdam conſulentes, Romano ritu imbuit, edoctus ab iis, Joannem extremi Orientis regem (quem Presbyterum aliqui nominant) potentiſſimum, Ecbatana nuper expugnaſſe, & cruentiſſimâ acie Medorum ac Perſarum reges eo proſtraviſſe nomine, ut iter ſibi Jeroſolymam verſus patefaceret: qui tamen conatus irritus exſtiterit. Legationi interfuit Otho Friſingenſis Epiſcopus, Conradi Imp. frater uterinus, hiſtoriographus, quem vitæ jam tum tædebat, fœculentam auſus dicere tumultuoſiſſimi Imperatoris improbitatem. Coætanei fuêre Petrus Cluniacenſis: Dodechinus presbyter, Guilelmus Malmesburienſis, Richardus de S. Victore, Petrus Lombardus, quem magiſtrum vocant ſententiarum, Petrus Comeſtor hiſtoriæ autor Scholaſticæ, Malachias Hybernorum Epiſcopus, atque ejus generis alii, pro ſui ſeculi genio ſapientes.

Friſing. lib. 7. c. 29. 31. Rob. de monte.

Friſing. l. 7. c. 33.

Sigebert. Append.

Cæterum Conradi ad Germanos reditum præverterat Guelfo, infirmitatis cauſa in Siciliam delatus, ad veterem belli tubam Rogerium. A quo iterum incitatus, civilia per Germaniam diſſidia cœpit renovare: Sed Friderici, qui Conrado ſucceſſit, prudentia repoſitus in gratiam patrui, conquievit tandem. Conradus, dum Italiam pacare cogitat, Bambergæ moritur, imperii anno XV, non ſine ſuſpicione veneni Italici, per Rogerii medicos dati.

Urſperg.

Friſing. l. 1. c. 63. Otho de S. Blaſ. cap. 2. 4.

Eo tempore, Petrus Abelardus & Giſilbertus Pictavienſis Epiſcopus, ſiniſtrè de Trinitate viſi ſentire, ab Eugenio Pontifice damnati ſunt.

Alius ſtolide dictus Eum, cum ſtolidius ſibi divinum honorem arrogaret, in carcere exſtinctus eſt.

Friſing. lib. 1. c. 46. 54. &c.

FRIDERICUS I, ÆNOBARBUS, Vulgò BARBAROSSA, *Imperator Romanus.* A. M. 5121. Chriſti 1151.

MANUEL COMNENUS, ALEXIUS II, COMNENUS PORPHYROGENNETUS, ANDRONICUS COMNENUS, ISAACIUS ANGELUS, *Græcorum Auguſti.*

CONrado Cæſari ſuffectus eſt, tam ipſius commendatione, quam principuum ſuffragio Fridericus, à capillo & barba dictus Barbaroſſa, fratre genitus Conradi Friderico, & Henrici ſuperbi Noricorum ducis filia; in quo duce Teutonum nobiliſſimæ conſpirarunt familiæ, cum pater eſſet è ſtirpe Gueiblinga Henricorum Cæſarum, mater de ſanguine Guelforum Altorfenſium. Simul conſecratus eſt Aquiſgrani, Trajectinis

Otho Friſing. l. 2. de geſt. Frider. c. 1. 2. &c. Gunth. lib. 1. Ligur. Helmol. lib. 1. Chr. Sclav. cap. 74. Friſing. l. 1. c. 63.

jectinis datum ab Conrado Imp. Epiſcopum Hermannum confirmavit. Reos majeſtatis judicaverat Trajectinos Conradus, quod à ſummi Principis ſententia ad Papam provocaſſent; Fridericus pecuniis eos multavit.

Actis deinde Mersburgi Comitiis, Canutum Magni, regis quondam Danorum, filium, & Suenonem nuper defuncto Erico procreatum, de regno controvertentes, ita reconciliare tentavit, ut Imperatoris Sueno, Suenonis verò Canutus beneficio potiretur Dania; Valdemarus, nefariè quondam à Magno interempti Canuti filius, vadimonio ſe obſtringeret utriſque. Sed reverſus in regnum Sueno, deque æmulo comitem nactus, remiſſis è veſtigio literis, in eas ſe conditiones fallaciter adductum affirmavit, in quas Danicorum adhuc regum nemo conceſſerit. Novas inde cum Canuto pactiones iniit, motiſque in Suenonem Suecum armis, ob filii ejus injurias: Finnos & Verendiam ſubegit. At hyemis rigore ſubactus ipſe, ut retro ferret pedem, domi turbata omnia factionibus reperit; atque à Sclavis inſuper vexatus, ad Henrici Saxonis ſpecioſam magis, quam utilem confugit opem.

Saxo l. 14. Friſing. l. 2. c. 5.

Erat ille Henrico ſuperbo natus, fratre Guelfonis, ac poſt multam Friderici diligentiam, avitum Bajoariæ ducatum receperat. Henricus Cæſaris patruus, ex Marchione Auſtriæ Dux creatus, in compenſationem damni, exemptus fuerat Bajoariæ dominio, cujus principem antea ut ſuperiorem reverebatur. Guelfoni avunculo ſuo, attribuit Cæſar Thuſciam, Spoletum, Sardiniam, & Mathildis principatum. Conradum fratrem Palatinum Rheni fecit, Guichmannum Antiſtitem Magdeburgicum, obnitentibus fruſtra Eugenio, ac poſt eum Anaſtaſio Pontificibus. Pacata ſic quomodocumque Germania, firmataque autoritate, tertio imperii anno expeditionem ſuſcepit Italicam, ab exulibus Appulis, Laudenſibus item & Ticinenſibus, quos Mediolanenſis infeſtabat civitas, multis precibus exoratus. Cum de more in campis Roncalienſibus ad Padum fl. aliquandiu ſtativa habuiſſet, ut ibi civitatum cauſas cognoſceret, progreſſus, aliquot Mediolanenſium munitiones deſtruxit: Evertit Terdonam, pertinacius rebellantem, ac Ticini ſueto in palatio Corona Longobardica redimitus, iter Romam flexit. Viterbii exceptus eſt ab Adriano IV, qui nuper è ſedis Romanæ legato, cum Nidroſienſem in Norvegia Archiepiſcopen inſtituiſſet, ac Lundano Danorum Antiſtiti primatum conceſſiſſet in Suecos, cathedram illam adeptus, invito populo, fuerat. Romani ab Arnoldo Brixienſi, Doctore ſuo perſuaſi, velut Petri Abeilardi diſcipulo, *non convenire clericis aut Monachis civilem dominatum, ſed humilem ſacræ rei curam, Chriſti fretam robore*; minime erant dicto audientes Pontifici, Fridericum per legatos, vetera Romæ jura jactantes, ut priſcam eis redderet libertatem, inſolentius alloquebantur. Ille à Carolo & Othone referens ſubactam vi Italiam, Deſiderium & Berengarium, Romanorum tyrannos, in Germaniam abductos, nec accipere victorem conditiones, ſed dare victis oportere, recipi in urbem ſine tergiverſatione poſtulavit. Mox præmiſſis mille armatis, urbem Leoninam cum Baſilica S. Petri occupantibus, præcedentem ſubſequitur Adrianum, ſtipatuſque exercitu, diadema Auguſtum ſumit. Frementibus ob id Romanis, & caſtra pariter ejus ac templum invadentibus, occurſum eſt fortiter. Cæſi hoſtium aut Tyberi amne merſi pene mille, uno tantum è Cæſarianis necato. Repulſi in urbem, cum commeatum Friderico negarent, inſuperque eum urgeret Sirius, Nari fl. admovit Cæſar caſtra. Huc annonam juſſi expedire Spoletani, non paruerunt, Guidonem ab Cæſare ad Guilelmum Apuliæ regem legatum, conjecerunt in vincula, nulloque contumaciæ genere omiſſo, repentinum ſibi attraxerunt exitium.

Saxo lib 14. Platin in Adriano.

Friſing. l. 2. c. 20. 21. Gotfr. Viterb. Gunth. l. 3. & 4.

Urſper. in Frid.

Friſing. l. 2. c. 8. 9. 10.

Gunth. lib. 2.

Expugnata urbs, & in favillas redacta eſt, anno ſeculi duodecimi LV. Accepta in fidem Apulia, & Veronenſium inſidiatorum quingentis patibulo affixis, in Germaniam revertit Imperator. Hermannum Comitem Palatinum, ob violatam ſe abſente pacem, canes geſtare per milliare Germanicum (probroſi id ſupplicii inſtar erat) coëgit. Duos Henricos, Saxonem & Auſtriacum, ſine ſanguine reduxit ad concordiam.

Anno 1155.

Diod. anno 1155. Friſing. l.2.c.29. Gunth. lib.5. Lig.

Sed ejus præſentia ut Germanis pacem reddidit, ſic Italis abſentia ſubtraxit, Guilelmus Siculus, Rogerio patre importunior, Apuliam & Campaniam, ipſaſque Romani Antiſtitis ditiones bello vexabat. In eum profectus Papa, magna regni parte exutum compellit pacem poſcere, & Manuëlis Græcorum Auguſti ſuccinctus auxiliis, omni Italia nititur ejicere. At mox verſa belli fortuna, captus à Guilelmo, utriuſque regni, Siculi & Apulienſis, titulus redemit ſibi libertatem: nec à ſuis receptus, voluntarii ſemet exilii damnavit, quoad captus à Cæſarianis Arnoldus, qui Pontificem ſubeſſe urbano debere magiſtratui contendebat, à præfecto urbis exuſtus eſt.

Friſing. Urſperg.

Fridericus interea, repudiata dudum, ob ſanguinis propinquitatem, fidemque dubiam, Adela Hochurgica, Beatricem Burgundam, Reinoldi filiam duxit, quæ ei ex morte parentis dotalem attulit Burgundiam, Bertoldo duci Zaringio, Lauſannæ tantum & Genevæ finibus, quæque Juram interjacent montem, de veteri Burgundionum regno reſervatis.

Radev. de geſtis Frider. l.1. Gunth. lib.6.

Italicam expeditionem, quam nova Ligurum rebellio exigebat, inhibuit aliquantiſper Boleſlai Poloni vis, qui pulſum regno Lobiſlaum, conſobrinæ Cæſaris maritum, ſuumque fratrem, recipere, niſi armis adactus, detrectabat. Tranſgreſſus Oderam fl. Cæſar, effuſa Poloniæ vaſtatione leges pacis accipere Boleſlaum compulit, ſed oblata neceſſitate Polonis, illico reſciſſas.

Major inde cum Adriano Papalis exorta, beneficium ſuum aſſerente eſſe imperium, Friderico contra ſe id à Deo accepiſſe, circummiſſis literis, prædicante. Imperator deleri picturam, Lotharii repræſentantem acta imperavit, quam Lateranenſi in palatio fixam à Pontifice compererat, additis verſiculis.

Radev. l.1.c.10.

Rex venit ante fores, jurans prius urbis honores,
Poſt homo fit Papæ, ſumit quo dante Coronam.

Igitur Viennenſi, Lugdunenſi, Valentiano, Avinionenſi, aliiſque regni Burgundici Epiſcopis, Arelate ſacramento ſibi obſtrictis, ac deinde Ratiſponenſibus in Comitiis Ladiſlao Bohemo, ob fidelem in Polonia fortemque operam, ex duce in regiam evecto celſitudinem, præmiſit in Italiam Othonem Witelſpachium Palatinum, & Reinoldum à Daſſelis Cancellarium, qui occupata anguſtiis in Veronenſibus Rivola arce, pleraſque dubiæ fidei civitates in verba adegerunt Cæſaris, Legatos Græcorum, res novas molientes, minacibus dictis protelarunt. Queis territus Papa, quod *beneficium* dixerat, *bonum factum* interpretatus eſt callide, eaque importuni vocabuli emollitione, fremitum Cæſaris & Germanorum Principum mitigavit, cum omnes permitterent, bonum factum dici, quod Papa Cæſarem corona exornaſſet.

Radev. l.1.c.19. 20. Gunth. lib.7.

Sub hæc inveteratum inter Mediolanenſes & Cremonenſes odium, apertum in bellum erupit. Mediolanenſes, olim Lotharii judicio Cremonam, ut proſcriptam, bello vexare aſſueti, à nullo injuriarum genere temperabant. Prohibiti ſeveritate Friderici Auguſti, & ad cauſam citati dicendam, adjunctis ſibi Brixianis & Placentinis, imperata facere renuebant, inſtauratiſque quas Cæſar diruerat munitionibus, Novariam Papiamque rapinis exhauriebant. Itaque Fridericus ad centum millia armatorum in Italiam duxit, urbem circumvallatam, ferro ac fame ad deditionem adegit. Imperatum, ut Cumas & Laudam ſinerent

Urſperg.

Gunth. lib. 4. 9. Radev. l. 1. c. 41. an. 1158.

rent inſtaurari, palatium Cæſari in urbe ſtruerent, in verba ejus jurarent, conſules de ſententia ejus legerent, monetam, telonea, portus, imperio reſignarent, novem millia marcarum argenti multæ loco dependerent. His legibus advoluti pedibus Friderici, in gratiam recipiuntur.

Radev. lib. 2. Otho de S. Blaſio. Naucl. generat. 39.

Mediolanenſium exemplo territæ, aut caſtigatæ ſociæ civitates, atque in his Verona & Ferraria, in jus ditionemque Imperatoris conceſſerunt. Latis deinde Italiæ legibus, de principum & Juriſconſultorum arbitrio, ordinatiſque Rebus publicis, Albam hybernaturus proceſſit, vicini incolis ſoli commeatum advehentibus, quæ res Adriani iterum alienavit animum, accenſum & illo nomine, quod tenacior priſcæ majeſtatis Fridericus, ab Epiſcopis terrenas tenentibus poſſeſſiones, homagium ſibi præſtari poſtularet, & Cardinalibus à latere Papæ legatis civitates clauderet. Regeſſit Fridericus, quæcunque regalia teneat Eccleſia, largitione principum tenere, ac proinde jure ſacramentum eis Epiſcopos dicere. Cardinalibus non patere urbes, *quia prædatores veniant, non prædicatores:* ſi mutent mores, ſtipendiis & commeatu non fraudandos.

Gunth. lib. 10.

Ita flagrante utrinque odio, Mediolanenſes ab Adriano animati, reſumunt ſpiritus, legatos Cæſaris lapidibus inceſſunt, percuſſores ei & veneficos parant. Quare revocatis in Italiam, quos antea habuerat, belli ſociis, imprimis Henrico Saxoniæ & Bajoariæ duce, Crema oppidum Mediolanenſibus fœderatum diruitur, Mediolanum denuo omnibus copiis oppugnatur. Meditabatur interim diras in Fridericum Adrianus, eaſque expuiſſet, niſi muſca gutturi ejus inhærens ſuperbam excluſiſſet animam. Adſtrinxerat autem jurejurando XIV Cardinales, ne quem ſe mortuo Pontificem crearent, niſi qui adverſum Cæſarem Guilelmi Siculi & Mediolanenſium tueretur partes. Ejuſdem conjurationis labe Mediolanum infecerat. Unde accidit, ut plures Cardinales ſuæ factionis ſocium eligerent Rolandum, meliores autem, nec innodati conſpirationis vinculis, Octavianum, qui & prior conſecratus, atque à Clero populoque receptus, Victor appellatus eſt. Duodecimo poſt die, apud Ciſternam Neronis, Rolandus ab altera parte pronunciatur Papa, & Alexandri III nomen ſumit. Tollendo ſchiſmati, Imper. veſtigiis inſiſtens, ut aiebat, Conſtantini, Theodoſii, Juſtiniani, Caroli M. penes quos ea poteſtas fuiſſet, concilium indicit Eccleſiæ præſulum, qui Papiæ congregati, Rolandum defugientem judicium, nec ſe à quoquam judicari poſſe, inſolenter jactantem damnant. Octavianum, qui in Synodi ſe poteſtate futurum profiteretur, rite electum pronunciant. Subſcribunt Imperator, & reges Angliæ, Daniæ, Hungariæ, Bohemiæ. Mediolanenſes religione ſe ſacramenti attineri aiunt, ne pacem invito Pontifice amplectantur, ac proinde, dimiſſa licet maxima Cæſarianorum parte militum, nova cinguntur obſidione. Imperator haud ſine vitæ periculo, victoriam tandem adeptus, urbem ſecundo in ſuam redegit poteſtatem. Cives abſque conditione ſupplices facti, & in crucis formam advoluti ejus pedibus, gratiam veniamque ſcelerum petierunt. Vita donati quidem; at urbe boniſque omnibus multati ſunt. Qui poſtmodum miſerabili per Italiam cultu vagantes, *neceſſitatem in religionem verſa*, Humiliatorum ordinem pepererunt. Mediolanum ſolo æquatum, Placentiæ, Brixiæ, aliorumque illis fœderatorum oppidorum propugnacula dejecta ſunt.

Radev. l. 2. c. 64. &c.

Dum illa occiduis in partibus fiunt, Oriens quoque haud leves ſenſit rerum publicarum mutationes. Nam reverſis ad ſua Conrado Cæſare, & rege Ludovico, audacia creverat Turcis, reputantibus indemnem ſibi extitiſſe maximorum orbis regum præſentiam, quorum antea etiam nomen expaviſſent. Itaque

Wilh. Tyrius l. 17. c. 9. &c. Sigebert. App.

abhinc ultro inceſſere Chriſtianos Damaſcenus & Iconienſis Sultani: Noradinus excurſiones principatum in Antiochenum facere, Raimundum fortius quam prudentius, proſilientem ad certamina, occidere, vacuaſque duce terras pro arbitrio agere ferre. Mox & Edeſſanus Comes Joſcelinus, ubi forte alvi cauſa levandi ſeceſſerat, capi & in carcerem compingi, uterque principatus ad viduas devolvi. Iiſdem diebus & regnum ipſum Jeroſolymæ Meliſendi matri extorſerat Balduinus III, qui reputans imparem ſe tuendis terris, XV dierum itinere diſſitis ab Jeroſolyma, poſtulanti Edeſſanum Comitatum Emanuëli Græcorum Auguſto ceſſit, deducto ex urbibus Latinorum præſidio. Sed effæminati Græci, vix annum vertentem defenſis oppidis, Noradino ſuccubuere: tres cathedræ principes orbis Eoi, Edeſſena, Hierapolitana, Coricenſis, à Turcis ſubactæ. Jacturam hanc reſarſit defenſio Hieroſolymæ quam qui venerant expugnatum Barbari, ingenti cæde repulſi ſunt. Hinc & Aſcalon munitiſſima urbs, pervicaci obſidione victa Joppenſi Comiti acceſſit, repertaque ibi annona famem ſublevavit Palæſtinæ, quam annus 1154 advexerat vehementiſſimam.

Tyrius l. 17. c. 17.

Guilel. Tyrius lib. 18. Nicetas lib. 3.

Emanuël Imperator cum Armeniis decertabat, qui Ciliciæ occupaverant pleraque. Reinoldus Caſtilionæus, qui ducta Raimundi vidua, Antiochenum acceperat principatum, latrones ex anguſtiis Cilicum expulit. Sed fraudatus mercede, ab Auguſto Græcorum promiſſa, Cyprum ſibi ſumſit depopulandam, dum Balduinus de Paneade cum Noradino ambiguis præliis diſceptaret. Hoſpitalarii & Templarii, prædis ditati & oblationibus, jam nec decimas Patriarchis amplius præſtare volebant, Romanæque curiæ auro emercati gratiam facile pervincebant, ne quid Patriarchæ Jeroſolymitano ab ea ſubſidii exiſteret. Exorta eſſet & exitialis Reinoldo à Græcis pugna, ob devaſtatam Cyprum, niſi ille humillima deprecatione, Manuëlis jam in Syria verſantis, iram mitigaſſet, ac Balduinus Rex, nuper Theodoræ (Manuëlis ea neptis erat) matrimonio devinctus Byzantinis, & Reinoldum & Armenios reconciliaſſet Cæſari. Cæſar viciſſim Balduino, qui fracto per venationem brachio Antiochiæ decumbebat, Chirurgi exhibuit miniſteria, ſuaque manu applicatis quotidie medicamentis, *Auguſtam majeſtatem dilectionis obſequio vicit.*

Tyrius lib. 18. cap. 25.

Diverſa Pontifices indole, & illis oneroſi, quorum amorem experiebantur, in Orientem quoque diſſidiorum ſuorum ſemina diſperſêre. Balduinus rex negabat legato opus eſſe Papa, qui Eccleſias impenſis gravaret, extorſionibus attenuaret. Archiepiſcopus Tyrius Alexandrum, alii Victorem probabant Pontificem. Prævaluit inutile conſilium, & mox gravis repertus legatus Alexandri, queis initio benignus apparuerat.

Tyrius lib. 18. c. 29. 34.

Balduinus III, miſſa Manuëli Auguſto Principis Antiochiæ filia pro uxore (nam Reinoldus ejus vitricus in vinculis agebat Turcicis) Berythi obiit, tabefactus pharmaco, quod ei alienus à Chriſtianiſmo Medicus præbuerat, anno ejus ſeculi ſecundo & ſexageſimo. Succeſſit frater Amalricus. 1162.

Tyrius lib. 19.

Hunc negatum ab Ægyptiis tributum perpulit armis jus ſuum perſequi. Sultanus Ægypti Dargan, placato ſibi Amalrico rege, gravem mox expertus hoſtem Savarum, Noradini ſuccinctum copiis, de Chriſtianis conquirit auxilium. Sed Dargane interfecto à ſuis, Savarus Syraconi (fiduciarius is erat Noradini) armis reſtitutus, cum Syraconum pro amico æmulum comperiſſet, Amalricum donis illexit, ut ejus ope Syraconus pelleretur. Fecit id quidem Amalricus, ſed dum longius ipſe abeſt à ſuis, Antiochenus principatus invaditur à Noradino, capiuntur prælio victi Bohemundus princeps, Raimundus Tripolitanus, Colomanus Ciliciæ procurator, illuditur Chriſtianis. Capitur & Cæſarea Philippi, alio nomine Paneas, capitur à Syracono

racono ſpelunca Tyria. Dum liberat auro captivos Amalricus, Syraconus à Calypha Babylonio impetrat exercitum, quo ſucceſſorum Halys in Ægypto dominationem ſubvertat. Per Saladinum, fratre ſuo genitum, occupat Alexandriam, & toti inhiat Ægypto. Verum Amalricus, majoribus ineſcatus Elhadechi Calyphæ tributis, auxilio ei venit, pellit Ægypto Turcas, regrediturque divitiis onuſtus Aſcalonem, anno Domini MCLXVII.

1167. *Plat. in Alex. 3.* Ut Amalricus Ægyptiacis, ita Fridericus Pontificiis ſemet implicuit diſſidiis. Alexander III, cum videret ditionem Romanam, dempta Anagnia, à Cæſarianis teneri, conſcenſo navigio, ad id Guilelmi Siculi juſſu comparato, in Franciam contendit, conventuque in Claromonte habito, anathema in Imp. & Octavianum ſtatim enunciat; Veronenſes, Vicentini, Patavini, Veneti, auxilia Friderico denegant. Fridericus ira incenſus, Veronam ducit, oppugnandæ urbis cauſa. Cum eo perveniſſe aliarum civitatum auxilia intellexiſſet, tollendi ſchiſmatis ergo, novam apud Divonem Synodum indicit. Sed recuſante ejus judicium Papa, redit in Germaniam. Victor Lucæ moritur, eique Guido Cremenſis ſurrogatur, Paſchalis nomine inſignitus. Tum vero Romani, creatis conſulibus Alexandro amicis, eum revocant, Lombardicæ civitates reſumunt arma, præſidia Friderici ex arcibus dejiciunt. Imperator quarto regreſſus in Italiam, ac præter ſpem nulli noxius, Padum trajicit. Anconam aliquandiu obſeſſam capit. Per Chriſtianum præſulem Moguntinum & alios, XV millia Romanorum, pro ſalute Alexandri apud Thuſculum depugnantium, occidit, pulſoque Alexandro, Paſchalem Lateranenſi in palatio collocat, Romanos ſua in verba adigit.

Otho de S. Blaſ. Gotfrid. Colon. an. 1167.

Helm. l. 2. cap. 10.

Verum oborta peſte, cum Reginoldus Colonienſis, Eberhardus Ratiſponenſis, Godefridus Spirenſis Epiſcopi, adhæc Fridericus Conradi Cæſaris filius, Berengerus Sultzbacenſis, Welfo junior interiiſſent; Græcorum quoque Auguſtus Alexandro Græcam offerret opem & conſpirationem, ſi ſibi Latinum diadema redderetur: Veritus graviora mala Fridericus, evitatis Ciſalpinorum inſidiis, rediit in Germaniam.

Illis temporibus Waldemarus, poſtquam Suenonem Canuti interfectorem, ſuique avidum ſanguinis, per Jutos interemiſſet, potitus Daniæ, aſſiduas in Sclavos, piratica infeſtantes Danorum inſulas, expeditiones fecit. Fœderatus tandem Henrico Leoni, & Alberto Urſo Marchioni, Niclotum Sclavorum ducem in eas redegit anguſtias, ut Mechlenburgum, Suerinum, aliaque oppida ipſe deſtrueret, ſola ad Varnum Verla ſibi incolumi reſervata. Henricus & Albertus, accitis è Flandria, Hollandia, Friſia colonis, vaſtatam frequentarunt Sclaviam, præſertim ripas Albis fl. Ab iis excultæ regiones, urbeſque inſtauratæ, Sclavorum nationes diminutæ, Eccleſiæ paſſim erectæ, conditum & Roſtochium à Primiſlao, filio Nicloti. Alter Nicloti filius, Chriſtianiſmo tinctus, apud Danos exulabat, compertoque occiſum patrem, nulla triſtitia victus, *impietatis eum dediſſe pœnas fatebatur.* Ita Waldemarus Rugos vicit, Ericus Suecorum Rex Finlandos, Bremenſium, & nuper ab Henrico Leone aucti Lubecenſium mercatores, Livones armis ad Chriſtianiſmum pertraxêre. Epiſcopatus Altenburgicus, petente Geroldo præſule, Lubecam tranſlatus eſt. Dantiſcum à Danis in Viſtulæ oſtio conditum. Imperator ſub hæc fratruelis ſui ditionem univerſam, ſimul Guelfonis terras, quod Henricus Leo aurum, ſeniori Guelfoni poſtulatum haud præſtaret, ſibi vendicavit.

Helm. l. 1. c. 85. 88. Sax. l. 14.

Helm. l. 2. cap. 14.

Helm. lib. 1. cap. 90. & 2. cap. 12. Chytr. lib. 23. Chron.

Otho de S. Blaſi. cap. 21.

Interim in Italia rebelles, nacti adjutores Alexandrum & Cæſarem Byzantinum, Latini cupidum imperii, inſtaurant Mediolanum; apud Tarum amnem, condunt oppidum, de nomine Pontificis Alexandriam nuncupatum, inque

id

Matth. Pariſ. in Henr. II. id xv hominum millia mittunt. Alexander vero Anagniæ ſedens, Francis Angliſque imperitabat. Angliam pro eo turbaverat Thomas Cantuarienſis, jura regni in Epiſcopatibus, in quæ ſemel juraverat, enervando. Qui ad tempus exul, ut ope Pontificis recepit ſedem, quod anathemate non ſolveret adverſarios, interemptus eſt à regiis, nec multo poſt Sanctorum annumeratus pontificialium gregi. Henricus junior Collega factus patris, conjuncto cum ipſo jurejurando, provocationes ad ſummum
1172. Pontificem ſancivit per Angliam. Pater *Matth. Pariſ. pag. 122. Rob. de monte.* ducentos milites in Palæſtina ſe aliturum ſuo ſumptu recepit. Ita Alexandri gratia Anglis recuperata, anno MCLXXII. Sed Henricum ſeniorem, duritia in filium, cui Ludovici Francorum regis filia nupſerat, multis poſtmodum moleſtiis implicuit, regnumque Anglicanum Scoti regis incurſionibus, & procerum ipſorum inteſtinis populationibus reddidit obnoxium. Verumtamen Deo, *impietatem filii in patrem, licet duriuſculum, adverſante*, tum ipſius, tum Ludovici ejus ſoceri copiæ, Anglis ſuccubuêre. Guilelmus Scotorum rex captus, Philippi Flandri expeditio irrita fuit, pertæſique ſumptuum adjutores filii, pacem cum genitore inierunt. Scotus captivitate ſolutus regnum tanquam de beneficio
1182. Henrici recepit. Henricus ipſe junior anno poſt ſexto obiit, ſeculi iſtius ſecundo & octogeſimo.

Nicetas. lib. 4. Græcorum rei labem impoſuit Andronicus, Manuelis agnatus, homo in flagitiis verſatiſſimus. Hic toties carcere elapſus, quoties in illum miſſus, recuperata tandem Imperatoris gratia, cum Toruſe Armenio bellum geſſit infeliciter, duaſque nobiliſſimas fœminas, Philippam principis Antiocheni filiam, & Theodoram, Balduini III viduam, in ſtupri conſuetudinem pellexit. Manuël interim Hungaros ad ſuſcipiendum regno Stephanum, affinem ſuum, infelicibus armis urgebat. Poſtquam eos tandem acerrimo prælio proſtraviſſet, Ser-
Tyrius lib. 20. viisque dediſſet principem, ineſcatus celeberrima Ægypti opulentia, conjunxit *Nicetas. lib. 5.* cum Amalrico copias, præfectoque claſſi Contoſtephano, bellum ambitioſum & avarum movit. Captum eſt Peluſium, obſidione cincta Damiata, quæ Memphis quondam, coactuſque in anguſtias Calipha Ægyptus. Sed dum fraude Sultani pecuniam offerentis, & ſegnitie Amalrici trahitur bellum, accitus ex Aſſyria Syraconus erigit partes Ægyptias, infectaque re diſceditur. Plerique Græcorum, dum redeunt domum naufragiis interîêre. Syraconus temporum opportuna ſpeculatus, immiſit Sultano & filiis ejus percuſſores, habitoque honore Calyphæ, ſummo Ægyptiorum Imperatori, Ægypti univerſæ procuratio- *Tyrius lib. 20. cap. 1. 12.* nem adipiſcitur. Ita *avaritia vitiorum radix*, amicam antea Chriſtianus Ægyptum, inimiciſſimam eis reddidit, quæ altero anno Saladino ceſſit, Syraconi fratre nato, noſtris infenſiſſimo. Hic cum veluti Calypham pro more adoraturus, intraſſet regiam, eum clava dejectum ſoloque affixum interemit, ac ſupremam ejuſce terræ poteſtatem ad Turcas tranſtulit.

In eum novam moliti expeditionem Manuël & Amalricus, fruſtra deſudant, incenſaque partim claſſe, partim deinde fluctibus abſorpta, innumeram vim hominum diſperdunt. Saladinus adjecit animum ad regni Jeroſolymitani everſionem, prævio, ut ſolet fieri, terræ motu, quo Antiochia, Laodicea, Alapia, Cæſarea, Emiſſa, Tripolis, aliæque urbes nobiliſſimæ pene conciderunt. Cæterum parum ad rei ſummam profecit, dum in vivis fuit Amalricus, annuis irruptionibus vaſtavit, quæcunque inſederat loca; Chriſtiani fortiter ei ſubinde occurrerunt.

Sub hæc in fata conceſſit Amalricus, duobus inſuper magnæ rei conatibus fruſtratus, Aſſiſinorum ad Chriſtianiſmum allectatione, & reſtitutione Paneados.

Aſſiſini (Arnoldus vocat Heiſſeſim) popu-

Tyrius lib. 20. c. 31. 32. Arnol. l. 7. cap. 11.

populus erant in Antarado Phœniciæ, caſtella incolentes decem, homines ad LX millia, qui Mahumeticæ legis obſervantiſſimi, hoc imprimis ſtudio ſibi ducebant, ut quiſquis eorum juſſus à Magiſtro eſſet, Chriſtianum quemcunque Mahumetiſmo pernicioſum, clam ſumta ſica, quavis data occaſione interficeret. Illorum Magiſter, expenſis noſtratium divinis monumentis, inclinaverat ad Chriſtiana ſacra animum, ſi Templarii duo aureorum millia, quotannis in tributum pendi ſolita, relaxarent. Id auri quum Amalricus de ærario ſuo ſolvere promiſiſſet, legatum Aſſiſinorum Templarii in itinere occiderunt, autore facinoris occulto. Ita *pium conſilium fœdo facinore diſturbatum.* Similiter Paneadem Noradini vidua, qua precio, qua armis ſibi ſervavit. Amalrici ſolio impoſitus eſt filius, Balduinus tredecennis, inſtitutus à Guilelmo Tyrio, Jeroſolymitanæ hiſtoriæ ſcriptore, anno duodecimi ſeculi LXXIII.

An. 1173. Urſperg. Otho de S. Blaſ.

Interim Pontificias molitiones diſturbaturus Imperator Fridericus, quintam expeditionem in Italiam parabat. Sed Moguntinos prius, qui Arnoldum Epiſcopum ſuum, arma in proprias oves agitantem, occiderant, datumque ei ſucceſſorem Chriſtianum ejecerant, muro & munitionibus nudavit: Conradus autem Moguntinus præpoſitus, Alexandri ſe applicuit partibus, hoſtiſque Friderici capitalis factus. Quamobrem Cæſar, anno LXXI ejus ſeculi, deſtinavit in Italiam Chriſtianum, à Moguntinis reprobatum, qui Anconam, civitatem maritimam, expulſis Græcis, Imperatori reſtituit, totoque quinquennio cum multa fortiter feciſſet, adunatis anno tertio Cæſarianis copiis, Alexandriam obſidione cingebat. Ea urbs grandibus munita foſſis, opinione diutius, exercuit Friderici militem, nec parva clade affecit. Nihilominus validiſſimas Lombardicarum civitatum copias, priuſquam jungerentur Alexandrinis, adeo perterruit ſua Cæſar fortitudine, ut veniam

Addition. ad Schafn. Conrad. Mogunt. Gotfred. Monach. Colon.

ejus mallent, quam pugnam experiri. Cum proſtratos & ſupplices recepiſſet in gratiam, induciaſque Alexandrinis dediſſet, majorem exercitus partem exautoravit. Mox nova Lombardorum defectione agitatus, ſuos revocare è Germania, eandemque aleam multo imparatior ſubire cogitur. Præcipua tunc erat Henrici Leonis apud Teutones potentia, quod teneret Bajoariam & Saxoniam, omnemque Sclavorum terram victricibus armis ſubjugaſſet. Quamquam enim Pribiſlaus, dolens, ereptum ſibi Obotritorum dominium, & Guncelino attributum Suerinenſium Comiti, bellum renovarat, dirutoque Mechlenburgo, & attractis in partes ſuas Caſimiro & Bugiſlao, Pomeranorum ducibus, occiſis quoque ad Demminum Adolfo Holſato, & Reinoldo Dithmarſo Comitibus, formidoloſus apparebat, tamen Henricus, ſociatus Waldemaro Danorum regi, potenter eos devicerat, ac Stolpam uſque progreſſus, Pribiſlaum omni paterna ditione exuerat. Adeptus etiam erat comitatum Stadenſem & Dithmarſicum, nec pauca per univerſam Saxoniam territoria, quorum poſſeſſioni alii principes inhiabant; cumque ob id bello ſimul à pleriſque Germanorum Magnatibus peteretur, fortiſſime ſe defenderat. Inde Mathilde Henrici II. Anglorum regis filia ducta, Voldemarum regem, Rugia potitum, novo ſibi devinxerat fœdere, Adolfo III addixerat Holſatiam, ſub tutela Henrici ejus avunculi, Pribiſlaum in gratiam receperat, pacataque univerſa ditione ſua, Jeroſolymam adierat. Revertentem magnifice exceperat Sultanus Iconienſis, quem admonitum ab Henrico Chriſtianiſmi, dixiſſe ferunt, *haud incredibile ſibi videri, Deum de virgine naſci, qui hominem de limo finxerit: ſed eum non uno ab omnibus velle honorari cultu.* Itaque Mahometi ſe probare ſententiam, nec ægre ferre, ſi Chriſtiani ſuum Chriſtum ſequantur. Henricus omiſſo eo, jam redux in patriam, ſollicitabatur à Cæſare, ut quia

Helm. Chron. Sclav. lib. 2.

Arnol. Chron. Sclav. lib. 2. c. 7. 8. 9. Crantz. Saxon. l. 6. cap. 33.

Germanorum potentiſſimus eſſet, honoremque ejus Fridericus amplificaſſet, memor beneficiorum labantem erigeret Rempublicam. Ille corruptus à factione Pontificia, prætexuit ſenium, & labores hactenus exantlatos, nimiumque demiſſe ſupplicantem ſibi, Cæſarem rejecit, ea tantum lege exorabilis, ſi Goſlariam præmii loco obtineret.

Urſperg. in Frid. Arnold. l. 2. c. 20. 21.

Quod poſtulatum cum iniquius videretur Friderico, augere cupienti imperium, haudquaquam diminuere, accuſavit eum poſtea læſæ majeſtatis. Tunc vero diſſimulata ira, qua potuit, virtute adortus Ligures, Brixianorum inſidiis vincitur. Corruit ſuffoſſo equo, rapitur ejus aquila, ab uxore pro mortuo lugetur. Sed quinto poſt die, Ticini prius Imperatorio habitu conſpectus eſt, quam vivere crederetur. Ibi plerique Antiſtites aperte teſtati, defecturos ſe à Friderico, niſi Pontifici reconciliaretur, rem ad legationes de pace deduxerunt. Narrant Antonius Sabellicus, Joannes Nauclerus, Jac. Philippus Bergomas, veniſſe Venetias Pontificem, in diſſimulationem ſui compoſitum, quod parum fideret Italis.

Sabel. l. 5. Ennea. 9. Berg. l. 12. Naucl. gen. 4.

Proditum ibi, poſtulatumque ad deditionem à Cæſare, apud Venetos tanto in honore fuiſſe, ut bello eum navali defenderint, quo filius ſit captus Imperatoris. Filium ſub fide ad patrem miſſum effeciſſe, ut pax componeretur de ſententia Pontificis, redditaque ditione Eccleſiaſtica, perferret Fridericus, quicquid pro perpetrata culpa Alexander injungeret. Hac lege ingreſſum urbem, & ad januas ædis D. Marci proſtratum, ut abſolveretur, premente collum ejus Alexandro, audiviſſe illud Pſalmographi: *Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem & Draconem.* Cum reſponderet Pontifici, *Non tibi ſed Petro, cujus es ſucceſſor, pareo*: regeſtiſſe illum ſolita inſolentia; *Et mihi & Petro.* Acta hæc anno poſt milleſimum centeſimumque ſeptimo & ſeptuageſimo: Veneti multis à Papa privilegiis ornati. Alexander poſt XVIII annorum turbas reditus urbi Romanæ, concilium egit magnum ſtabiliendo Papatui, jus allegendi mortuos in Divorum gregem, ſibi ſoli & ſucceſſoribus aſſeruit. Waldenſes multa Pontificiæ docentes ſedi contraria, bello domandos ſtatuit. Petrum Lombardum inique damnavit hæreſeos, parum intelligens eorum, quæ ille de Trinitate alicubi diſſeruiſſet. Legem quoque tulit, ne quis Pontifex haberetur, niſi quem plures Cardinalium elegiſſent, Romanorum magiſtratus Pontifici ſacramentum dicerent. Ita deceſſit, anno ejus ſeculi LXXXI, quo & Manuël Græcorum Imperator, ejuſque æmulus Iconienſium Dynaſta Solymanus. Manuëli & cum Venetis navale bellum fuerat, quod eorum mercatores, opum faſtu contumaciores, comprehendi, boniſque multari præceperat. Illi enim cum præſenſiſſent periculum, inſtructa claſſe, inſulas vaſtarunt imperii, adjutique à Guilelmo Siculo, pro bonis publicatis quindecim auri centenarios Auguſto extorſerunt. Secuta in Sultanum Perſicum expeditio, ex Dorylæi oppidi inſtauratione nata, per quam violata fœdera Iconienſis querebatur. Conſpicatus autem Manuëlem maximis copiis Iconium tendere, præoccupat anguſtias, & pacem petit. Qua ſpreta à Manuële, incautius procedentem obruit ex inſidiis, & gravi afficit clade, ut perparum Imperator ipſe à certiſſima morte abeſſet. Stipulatus ergo deſtructionem Dorylæi & Siblæi Sultanus, ut reliquias exercitus Græci dimitteret incolumes, intellexit Manuëlem parvi facere vi expreſſam pacem. Itaque Tralles & Phrygiæ Antiochiam deditione cepit. Sed ad Mæandrum per duces Græcorum victis Turcis, variis deinceps præliis eſt certatum, donec mors utriuſque principis finem turbis attulit. Manuël fatis vicinus, monaſticum ſumſit habitum, aſtrologorum, quibus attenderat, vanitatem ſera pœnitentia piaturus. Illi enim XIV vitæ annos ei adhuc ſupereſſe

Matth. Pariſ. an. 1179.

An. 1181.

Rob. de monte. Nicet. lib. 5.

Nicetas lib. 6.

Tyrius l. 21. c. 12.

Nicetas lib. 7.

1177.

Robert. de monte. an. 1181.

pereſſe prædixerant. Ceſſit vita, dominatus ambitioſe annis XXXVIII, ſucceſſore Alexio II filio, cui Annam Ludovici Francorum regis filiam deſponderat.

Ludovicus eodem tempore obiit, coronato jam Philippo ejus filio, cui Comes Flandriæ nupſerat, ex quo conjugio, ob dotales Flandrorum provincias, larga bellorum ſeges nata. At poſt Manuëlis obitum, improbiſſimos gubernatores Græcorum imperium habuit.

Nice. in Alexio Manuëlis filio. Tyr. l. 22. c. 6. 10.

Alexius Comnenus ex ephebis nondum exceſſerat, magnates interim pro arbitrio tractabant rempublicam. Alexius Protoſebaſtus, Auguſtæ amoribus fidens, nihil patrueli ſuo, præter nomen Imperatoris, reliqui faciebat. Sororem ejus Mariam Cæſariſſam, compertam defectionis ad Andronicum exulem, ipſo in Sapientiæ templo oppugnabat. Per hæc Andronico, apud Turcas Chaldaicos exulanti, invadendæ tyrannidis occaſio data. Ille enim conciliatis ſibi paſſim animis Aſiaticorum, quod ex teſtamento Manuëlis, vindicaturum ſe profiteretur illatas filio ejus injurias, contraxit exercitum: Andronicum Angelum, à Protoſebaſto miſſum, prælio devicit in Bithynia, ac proditionis reum Byzantii factum, paulo poſt ſocium ſibi adſcivit. Inde promotis ad obverſa Byzantio littora caſtris, pleroſque nobilium ad ſe traducit. Protoſebaſto injecta vincula, mox juſſu Andronici adempta lumina. Sic rerum potitus profaniſſimæ mentis homo, Latinos pro Xene Auguſta, ejuſque amaſio præliantes, expellit urbe, aut capitis damnat: regiamque ingreſſus, ut erat mira calliditate, primo tutelam ſimulat Alexii, eumque propriis humeris deportat in templum, corona decorandum: Joannem Comnenum Batazen, Philadelphiæ præſidem, adoritur bello, quod edicta ejus contemneret. Iconii Sultanus interea Sozopolin, Attaliam, aliaſque urbes ſuæ ditionis facit. Punitis deinde atrociter conjuratis, remotiſque ex aula Reip. primoribus, Andronicus Xenen Alexii matrem, inſimulatam conſpirationis cum Bela, Hungarorum rege, ſuffocat. Ipſe collega additus Alexio, & paulo poſt ex tutore interfector ejuſdem, ſtrangulatum corpus mari demerſit, anno ætatis ejus XV, imperii tertio, tyrannuſque impius undecennem ſobrini conjugem, toro adhiberi ſuo non abhorruit. Nicæam poſtea Pruſiamque, ubi erant, quos timere poterat, quique crudeliſſimum ejus imperium aperte detrectabant, illam deditione, hanc vi redegit in poteſtatem; victoriam atrociſſime exercuit. Quare metuentes eum, Alexius Emmanuëlis nepos, & Latini milites, ad Guilelmum Siciliæ regem profugiunt: Iſaacius Andronici Conſobrinus, Cyprum quaſi pro prætore occupat, tanto crudelior ipſo Andronico, quanto Andronicus aliis. Pari ingenio Siculi, expugnatis Theſſalonica & Dyrrachio, nihil non contumeliæ civibus irrogarunt, nec illis ſacri quicquam humanique fuit, cum Andronicus interim Byzantii in ſuos ferarum in morem graſſaretur. Cujus tamen illa laus fertur egregia, quod *rapaces quæſtorum manus coërcuit, magiſtratus, non pretio ſed judicio dedit, egenos ſublevavit, naufragos ſpoliari ante ſolitos juvari præcepit à littoralibus, eos qui ſecus facerent, altiſſimis in rupibus ſuſpendit. Magnates ſuos aut injurias coëgit relinquere, aut vitam. Diſputationes de rebus divinis inhibuit rixoſas, eruditos in pretio habuit.* Cæterum impulſus à Gnathonibus, ut captivos, omneſque eorum cognatos una ſententia neci daret, hydromantas conſuluit de ſucceſſore: doctuſque ab duabus literis I. S. incipere nomen ejus, vix aſſenſit Hagiochriſtophoritæ cuidam aſſentatori, ut Iſaacium Angelum interficeret. Ille vero comprehenſurus virum, ab eo trucidatur. Angelus metu Andronici, qui ab urbe tum aberat, in templum confugit, & concurſu populari ſalutatur Imperator. Andronicus fruſtra vocatis ad arma ſuis, fruſtra delinito precibus populo, fruſtra arrepta navi, aſſurgente in fluctus

Nicetas. Robert. de monte.

Nice. l. 1. Annal. Andron.

Nicetas Andr. l. 2. Arnold. lib. 3. Chr. Sclav. c. 8. Godefr. Colon. cap. 30.

fluctus mari, retrahitur è fuga, & per mille contumelias interimitur, acto tyrannidis biennio. Præciſa dextera, per aliquot dies inedia maceratur, deinde altero oculo effoſſo, ſcabioſo imponitur camelo, productuſque in theatrum, inter duas columnas pedibus ſuſpenditur. Ibi uncis & harpagonibus petitus miſer, ſæpius iteravit vocem: *Domine, miſerere: & quid calamum fractum conteritis?* Itaque vario corporis laniatu interiit, *lamentabile factus exemplum punitæ in altiori fortuna inſolentiæ.*

Arnol. lib. 2. Hiſt. Sclav. c. 30. &c.

Ejuſdem ſpecimen Henricus Leo eodem tempore præbuit tantæ felicitatis, ut æqualium fere omnium invidia peteretur. Fridericus eum ter citavit ad dicendam in Comitiis cauſam criminum, minimeque comparentem proſcripſit. Othoni Witelſpachio ejus Bajoaria, Bernhardo Anhaldino Saxonia, Colonienſi Præſuli Weſtphalia acceſſit. Sed Colonienſis Adolfo & Holſatis ad Oſnaburgam ſuccubuit: Halberſtadenſem cepit Henricus, itemque Ludovicum Thuringum, & Hermannum Palatinum Northuſam exuſſit. Verum paulo poſt, cum captivos juberet gratis reſtituere Adolfum, obtendente illo, proprio ſe ſumptu militaſſe, ac ſtipendium è captivorum redemptione petendum, iratus tam fido militi Henricus, ditione ejus occupata, multorum à ſe animos abjunxit. Quam rem, ut eſt edoctus Cæſar, tanquam tempeſtas proſtravit pleraque omnia Henrici propugnacula, in iis Hartesburgum, Lavenburgum, Blanckenburgum, Regenſteinum. Bogiſlaus Pomeranus in fidem venit Barbaroſſæ, cumque eo Sclavi omnes Henricum deſeruêre.

Arnol. l. 2. c. 40. 41. Saxo Gram-mat. l. 15.

Imperator Albim tranſgreſſus, obſidione clauſit Lubecam. Cives per Epiſcopum requiſito principis ſui conſilio, qui tum Stadæ erat, tradunt ſe Imperatori, à quo aucti privilegiis, lætanter eum ſuſcepêre. Adolfus mediam vectigalium urbanorum partem, ob præſtitam Cæſari opem, obtinuit. Ibi & Danorum rex Waldemarus, potentiorem expertus vicinum, quam amiciorem Henricum, amicitiam cum Cæſare jungit, eique firmandæ, filiæ ſuæ nuptias promittit Friderico Juniori, duci Suevorum. Cum Luneburgo admoviſſet Cæſar caſtra, ſub fide ad eum venit Leo, Sigefrido Bremenſi interim Stadam recuperante, haud ſine auxilio Philippi Colonienſium Antiſtitis. Henricus Erfordiam accitus, abjuravit ad triennium Germaniam, ſalvo tamen patrimonio Brunſvicenſi, quod filius ejus teneret. Imperator fidem principibus dedit, nunquam ſe reſtituturum in integrum Leonem, niſi de communi omnium ſuffragio. Ita Henricus apud ſocerum exulavit. Bernhardus dux uſurpavit ſibi Saxoniam ſuperbiſſimè. Dithmarſiam conatus adimere Adolfo, itemque Todeſloam & vectigalia Lubecenſium, fruſtra fuit. Adolfus enim, adjunctis ſibi Raceburgenſi & Suerinenſi comitibus, deſtruxit Lauenburgum, depopulatus eſt Sclaviam. Boruinus, Henrici Leonis gener, filius Pribiſlai, Roſtochium obtinuit & Mechlenburgum, roboratus & Pomerani Ducis auxilio. Niclotus & Boruinus capti, ille à Bogiſlao, hic à Germaro Rugiano, ea dimiſſi ſunt lege, ut Canuto Danorum Regi, qui Waldemaro ſucceſſerat patri, clientum fide ſubeſſent, Canutus, Abſolonis Lundani Roſchildenſiſque Antiſtitis ſubnixus prudentia & viribus Sclaviam pleramque ſuæ ditioni ſubdidit, indignante Imperatore. Cœpêre tum pietas, & bonarum ſtudia literarum caput attollere per Daniam, conditumque ab Abſolone Soranum monaſterium, & aliæ meliorum artium officinæ.

Arnol. l. 4. c. 4.

Arnol. l. 3. c. 5. 9. & l. 4. c. 18.

Anno ejus ſeculi LXXXII, Fridericus filium ſuum Henricum, Comitiis in Moguntinenſibus gladio accinxit, & Cæſarem deſignavit; ubique graſſante in monachis ſuperbia, quod *religio peperiſſet divitias, & filia præfocaſſet matrem.* Abbas Fuldenſis ſiniſtrum Cæſaris latus, præ Colonienſi præſule, ambitioſo clau-

Godefr. Colon.

Plat. in Lucio III.

claudere conatu voluit, ſed irrito. Sequenti anno oborta lis Cæſari cum Lucio III Papa, quem Conſulum nomen abolere annixum, Romani expulerant urbe, fautoribuſque ejus eruerant oculos. Lucius enim pollicitus reſtitutionem iis, qui ſub Alexandri ſchiſmate ordines amiſerant, mutaverat poſtea conſilium. Diſceptabatur & de principatu Mathildis, quem Cæſar Imperio, Papa Eccleſiæ datum affirmabat. Præterea Trevirorum Epiſcopum Rodolfum defendebat Cæſar, quod ſuo eſſet electus ſuffragio, Papa probabat Volomarum, à majori Canonicorum parte deſignatum. Nec Auguſtalia dabat Henrico Lucius, niſi pater imperium deponeret. Interim morante in Italia Friderico, Henricus Leo, expleto exilii triennio, reverſus eſt Brunſvigam, Imperator Guilelmi, Siculorum regis ſororem Conſtantiam, dedit filio ſuo Henrico conjugem, celebratis magnifice nuptiis apud Mediolanum, perque id conjugium Sicilia Apuliaque ad imperium rediere. Henricus Rex, de pace agens inter Conradum Moguntinum & Landgravium Thuringiæ, in cœnaculo Erphordiano, triſti eſt exterritus caſu. Rupto enim derepente pavimento, quatuor comites multique nobiles in cloacam deciderunt, turpi confecti morte, quidam ingenti cum vitæ periculo extracti *documentum fuere, quam diſpliceant Deo de lutoſis putidiſque rebus diſſidia.*

Arnol. l.3 c.10. 12.14. Urſp. in Frider. anno 1186.

Hiſtor. Landg. Thur. c.37.

Defuncto ſub hæc Veronæ Lucio Papalem adſcendit thronum Urbanus, qui quod Mediolanenſis erat, acceptum à patria odium adverſus Cæſarem, propagavit, atque ob turbatam Italiæ pacem, Turbanus dici meruit. Cum vehementius urgeret traditum à deceſſore certamen, jamque in Fridericum coqueret diras, præventus morte eſt, ſicque Imperator maledictionis ejus jaculum evaſit. Vitriacus & Platina dolore animi exſtinctum referunt, quem ex calamitate Chriſtianorum amiſſa Jeroſolyma, contraxerit: Quæ quomodo occiderit, paucis erit exponendum.

Anno 1185. Urſp. Arnold. l.3 c.18.

Balduinus IV corpore quidem leproſus, at animo validus, cum cælibem è morbo torum elegiſſet, ſororem ſuam Sibyllam Guilelmo Montisferratenſi elocaverat, ex quo illa filium tulit poſthumum Balduinum. Mortuo interim Noradino, Damaſcena Syria potitus erat Saladinus, acer, impiger, audax, liberalitate mira, *in acie ferox, in victoria mitis, nulla voluptate niſi dominandi, animo magno verius quam pio.* Idem Noradini filium Alapiæ regnantem, exuerat imperio; Tripolitanum Comitem, regni ſacri tutorem, auxilium ferre Aladienſi parantem, beneficiis demulſerat, redditis ei obſidum nobiliſſimis, qui apud Barbaros detinerentur.

Will. Tyrius l.21. Matth. Pariſ.

Anno quarto regni Balduini, Philippus Flandriæ Comes Ptolemaidem (quæ & Accos) claſſe tenuit. Cœptum agitari de invadenda Ægypto. Sed cum Saladinus univerſas eo copias cogeret, depoſito conſilio, obſeſſa à Chriſtianis Arethuſa. Sic vacuum milite regnum Jeroſolymitanum ingreſſus Saladinus, omnia ferro & igni miſcet, Aſcalonem XXVI millibus equitum petit. At Balduinus, ſupra ætatem fortis, palabundos nactus Turcas, admirabili victoria potitur. Ferunt equitibus CCCLXXV, peditumque paucis cohortibus, ingentem illam hoſtium vim ſuccubuiſſe. Autor eſt Tyriorum Pontifex, ejus belli æqualis, è quo hæc deſcripſimus, Turcarum nobiliſſimos, qui Arabicè. Amiri vocitantur, ſervos ſive bello captos, ſive emptitios, ſive vernas, aſſuefacere diſciplinæ militari: ac ut cujuſque profectus animi indoliſve fuerit, ita eos honoribus, ſtipendiis, fortunis augere, qui lingua eorum Mamaluci appellantur. Horum delectiſſimis ſtipatus Saladinus, non niſi fuſis omnibus, finem pugnandi fecit. Ab Arethuſa vero robur Latinorum veterum novorumque, re infecta, deceſſit. Sæpe bellum intermiſſum repetitumque, ambigua utrinque ſorte. Odo Templariorum magiſter, homo

Tyrius l.31.c.23.

nequam, captus ab hoſte, in carcere interiit.

Tyrius lib.22. cap.2.3.

Intrantibus ſub hæc regnum Boëmundo Antiocheno, & Raimundo Tripolitano, ſubveritus Rex, ne quid monſtri alerent, ſororem ſuam viduam Guidoni Luſiniano è ſumma Pictonum nobilitate collocat, cum Saladino inducias facit, mox & Tripolitanus. Hic ſecundæ ab regio genere majeſtatis, quod ſuſpectus rerum novarum eſſet Balduino, prohibituſque ab eo finibus regni, perniciosam rei Chriſtianæ iram animo concepit. Saladinus eo tempore, intercepta apud Damiatam navi, qua mille quingenti peregrini vehebantur, ſolvit inducias, prætexens Antiochenum principem infideliter pacem coluiſſe. In hunc tendentem Barbarum antevertere voluit Balduinus, nudatoque præſidiis regno, aliquot caſtella reliquit Damaſcenis occupanda. Fuſus tamen à noſtris Saladinus, ne victus diceretur, in Meſopotamiam duxit copias, exegit Noradini fratrem, nec Edeſſam modo, ſed & Carras Parthiamque recepit. Ita potitus à Tigri uſque ad Nilum, & à Cilicia ad mare rubrum omni Aſia, inſuperque Ægypto, nil mirum, ſi facilem poſtea de Chriſtianis victoriam habuit, præſertim nec Deum rite venerantibus, nec invicem ſibi fidis. Balduinus apud Nazaretham ægritudine correptus valida, pro curatione regni mandarat Guidoni Comiti Joppenſi, ſororio ſuo: Sed, cum ſocordiorem eum comperiſſet, anno LXXXV moriens Tripolitanum Balduino puero tutorem conſtituit. Puer diademate ornatus, paucis menſibus ſuperſtes avunculo fuit. Quare Sybilla redditam ſibi à Templariis coronam, marito ſuo Guidoni impoſuit, primoribus regni pleriſque, & in his Tripolitano, inconſultis. Renata continuo ſimultas inter Tripolitanum, Raimundum & Guidonem, *peccatis Hieroſolymitanorum fata approperantibus. Apertum odium minus obfuit: ſimulatio gratiæ reconciliatæ res evertit.* Saladinus obſidebat Tiberiadem. Ne urbs nobilis amicaque amitteretur, auxilio eundum erat. Tripolitanus, qui antea ſub ſpecie induciarum tranſitum præbuiſſet Saladino, non ferens, urbem, uxorio jure ad ſe pertinentem, fœda cum nominis ſui ignominia occupari à Turcis, Guidoni ſe conjunxit. Mille ducenti circiter equites loricati, peditum ad XX millia cenſebantur. Hoſtes cum L equitum millibus aderant. Annus ejus ſeculi agebatur ſeptimus & octogeſimus. Saladinus cognito, Chriſtianos, diſſuadente Tripolitano, ad Sepphorianum fontem progredi, aquatione eos intercluſit. In ſitiente iniquoque loco noctem ſollicitam agere compulit. Antequam affectæ jam vires totæ deficerent, prælio erat decernendum. Sed priuſquam conſererentur manus, Tripolitanus in fugam ſe ſuoſque ſubducit. Reliquos acriter pugnantes, laſſitudo, vulnera, jejunium, æſtus, ſol, (quod imprimis captarat Barbarus) ſimul paucitas, ut à ſummo duce deſertos, confecêre. Nobiliſſimus quiſque cum rege capti. Capta crux, fatale ſacri Regni pignus, Templarii & Hoſpitalarii à Saladino necati: Cætera omnia Saladino prona exſtitêre. Inſultatum paſſim nomini Chriſtiano, vacuæ prope urbes in poteſtatem venere Turcarum, Ptolemais, Berytus, Byblus ſine ſanguine ceſſerunt. Tripolin dum Comes tradere conatur, noctu mortuus in cubili fertur inventus. Aſcalonitæ negarunt ſe parituros Saladino, niſi Jeroſolyma expugnata. Guidoni & captivorum nobiliſſimis libertatem obtulit Saladinus, ſi Aſcalonitis deditio perſuaderetur. Sancta urbs undenonageſimo, quam de Barbaris recepta fuerat anno, Sexto nonas Octobris Victori Saladino, cum non ſupereſſent, qui propugnarent, circumſiderenturque, conditionibus reddita eſt, ut noſtris incolumibus abire liceret. Latini emigravêre, in quibus regina fuit. Reliqui Chriſtiani nominis remanſêre, Græci, Syri, Armenii: Jacobitæ, Georgiani, Neſtoriani; Terna nomina, illa gentium, hæc ſectarum.

Tyrius l.21.c.9.

Jacob. de Vitriaco l 1.c.95. Tyrius l.2.c.19.

Tyrius l 22.c.29. & l.23. cap.1. Arnol. Lubec. Chron. Sclav.l.3. c.23.24.

Jacob. de Vitriaco c 94.95.

Arn. l.3. c 25.26. Plat. in Urb.III. 1187.

Anno 1187.

He-

Heraclius Cæſar de Perſis Coſroëque crucem recuperaverat, tunc Heraclio Patriarcha rurſus amiſſa eſt, quem neque caſte neque integre vixiſſe ferunt. Urbano II Pontifice ſancta urbs recepta. Urbano III recidit in ſervitutem. Inde cum Aſcalonitis convenit, ut rege & magiſtro Templariorum dimiſſis, urbs traderetur. Juravit Rex, ſe jus regni armis ultra non proſecuturum. Sed *fidem hoſti religionis haud ſervandam, viſum mala fidei patribus.*

Matth. Pariſ. P. Æmil. l. 1.

Tres tantum urbes Tripolis, Tyrus & Antiochia Chriſtianis remanſere. Fama rerum in Oriente adverſarum animos Pontificis Auguſtique Germani, ac regum Optimatiumque mœrore implevit. Urbanum ſecutus Gregorius VIII, deceſſit Piſis, Pontificatus die LVII. Ita Pontificatus ad Clementem III devolvitur. Hic ſtatim de bello in Saracenos gerendo proponit edictum. Nam Saladinus ſecundo victoriæ curſu uſus, jam civitates quinque & viginti de principatu Antiocheno ceperat, ipſamque Antiochiam, corrupto largitionibus Patriarcha, occupare parabat, occupaſſetque, niſi Guilelmi Siculi claſſis deſperatis rebus levamentum attuliſſet.

Platin.

Hiſtor. Hieroſ. Mari. Sc. l. 3. parte 9.

Adeo Deus Chriſtianorum vitia gravius, quam infidelium inſcitiam immanitatemque ulciſcitur.

Cæterum Imperator Fridericus, ſumpto crucis ſigno contractis XXX millibus militum, ereptum ivit Turcis Palæſtinam. Negatum ſibi à Bulgaris tranſitum ferro aperuit, Græcam aſtutiam Germana fortitudine proſtravit, Philippopolin expugnatam diripuit. Hybernavit Oreſtiade & Philippopoli, invito Iſaacio Angelo, Imperatore Byzantino. Iſaacius ille, recepta de Siculis Theſſalonica, captivos eorum fame & ſiti confecerat, *ſtolide perſuaſus, licere quod libeat victori de victis.* Sed à Cypri Tyranno Iſaacio Comneno, & Valachis (qui Myſi olim) rebellantibus, eorumque deſtinato domitore Alexio Brana, paſſus erat in ſuis, qualia fecerat aliis. Branam forti opera Conradi, Marchionis Montis ferrei proſtraverat, qui exinde Tyrum abiit, eamque urbem maſcule adverſus Saladinum eſt tutatus. Iſaacius à Doſitheo quodam, monacho fatidico deluſus, opinabatur Byzantino imperio inſidiari Alemannos, ac proinde omni eos injuria afficere cogitabat. Nicetas Choniates, qui tunc præerat Philippopoli, ægre eum de ſententia deduxit. Tandem vi territus Græcus, placavit ſibi muneribus Fridericum, & data, quantam vellet, annona, ſtructiſque ſummo ſtudio navibus, eum per Propontidem in Aſiam cum exercitu tranſvexit. Angliæ Franciæque reges primum bello inteſtino, deinde Anglo mortuo, & Richardo filio ſuccedente, tempeſtatibus impediti ſunt, quo minus Fridericum mature ſequerentur.

Nicetas in Iſaacio lib. 1. Otho de S. Blaſ. cap. 32.

Godefr. Colon. cap. 38.

Nicetas Arnol. l. 1. c. 31. 32.

Ille benigne excēptus à Laodicenis, *omniaque bonis bona imprecatus*, Turcarum fines intravit. Chœchoſroëm Sultanum Iconienſem filii ſui expulerant. Hi cum barbarica feritate, pro commeatu quem promiſerant, ferrum & inſidias pararent, Alemannorum virtute ſunt conciſi: Sultanus ipſe ad deditionem coactus. Tantæ ad Iconium ſtrages Turcarum editæ, ut unus Iſmaëlita cc ſtateres pollinctoribus penderet, uti cadavera è ſuo tantum horto exportarent. Unus Germanorum, iſque laſſatus ex itinere, L Turcas profligavit. Quo ſpectaculo attoniti Barbari, datis obſidibus, per fines Fridericum ſuos benigne deduxēre. Fridericus ſupplici Sultano reſtituit Iconium, exercitumque ſpoliis ditatum Tharſum verſus direxit, ubi & Armenii lætanter ad eum confluxerunt. Sed (*ô inexplorata hominibus Dei judicia!*) cum in flumine (Cydnum vocant aliqui) lavandi refrigerandique ſui cauſa natāret, vorticibus hauritur aquarum, extractuſque ingenti labore militum, triduo elinguis, accepto Domini corpore, diem clauſit extremum, Princeps nulli virtute aut Chriſti amore ſecundus, quem quieti & deliciis domeſticis longe prætulit,

Nicetas lib 2. Iſaaci cap. 7. Otho de S. Blaſ. l. 34. 35. Godefr. Colon. Maria. lib. 3. par. 10. Arnold. l. 3. c. 34. Jacobus de Vitriaco c. 99.

tulit, imperio functus annos XXXVIII.

Mœstissimas velut defecto capite copias, Fridericus junior, Cæsaris filius produxit Antiochiam, ubi exitiali correpti tabe plerique cesserunt fatis. Reliquias egregius juvenis Christianis in obsidione Ptolemaidis desudantibus aggregavit, mox febri ibidem confectus. Patuit ita omnibus, nondum desæviisse iram æterni Dei, *absque cujus favore vel honestissime agitata publico nihil conferunt.*

Hæc ætas fertilis scriptorum visa, Joannis Sarisberiensis Clerum objurgavit, nugas curialium irrisit. Petrus Blesensis multa sapienter scripsit. Guilelmus Tyrius, Jerosolymitanam, Nicetas Choniata Byzantinam, Urspergensis Abbas Conradus, Otho de S. Blasio, Godefridus Viterbiensis, Robertus de monte Latinam; Guilelmus Neubrigensis, Rogerius de Hoveden Anglicanam: Helmoldus Butzaënsis Sclavicam, Saxo Grammaticus Danicam Historiam in literas misere. Joachimus Abbas Calaber etiam prædictionibus pollere creditus.

A. M. 5161. Christi 1191.

HENRICUS VI, CÆSAR GERMANICUS,

ISAACIUS ANGELUS, ALEXIUS III ANGELUS, qui & COMNENUS.

Arnol. Lubec. Abbas. lib. 4. Chron. Sclav. c. 1. 2. Histor. Landg. Thurin. cap. 24.

POstquam Syriacæ expeditioni se dedisset Fridericus, Henricus VI, superstite adhuc patre successor designatus, imperii administrationem adiit. Leo interim Saxonicus, ob invasam Thuringiam, captumque Landgravium, novi damnatus à Friderico exilii, ne deesset occasioni, absente Cæsare Stadam appulit, ibique exceptus ab Hartuico Bremensium præsule est, sperante se viri bellatoris auxilio Tithmarsos, Woldemari nuper Dani, Sclesvicensis Episcopi, ditionem amplexos, ad Bremensem diœcesin revocaturum. Nec spes eum fefellit. Holsati, Stormari, quod Adolfus comes abesset in Syria, proni transibant in partes Leonis; Hamburgum, Plona, Etzehoa restituuntur. Dithmarsi cum universa Holsatia autoritatem sequuti Ducis. Hac ille tumens felicitate, Bardevicum, nobilissimam eo tempore urbem, quam Bernhardus Anhaldinus præsidio firmaverat, expugnat & excidit, templa domusque sacras delet igni. Exemplum tam atrox subegit Lubecam, ubi erant Mechtildis, mater Adolfi, cum conjuge ejus & Dasselio Comite. Mox & Lauenburgum ab Henrico receptum. Cæterum Holsati, miseratione exulum mutatis animis, dum Sigebergam obsident, capiunt legatum Henrici, capiunt Helmoldum Suerinensem, seque ad Comitis Dasselii partes transferunt; qui per absentiam nepotis sui reliqua Holsatiæ tenebat. Ea res fortunas Henrici deminuit. Accessit & Imperatoris Henrici ira, qui Brunsvigam vastaturus, cum parum promovisset, Hartuicum Antistitem, belli hujus facem, expulit Bremensi territorio. Henricum, interventu præsulum quorundam, Fuldæ recepit in gratiam, ea lege, ut Lubecæ mediam partem redderet Adolfo, cum universa Holsatia; destrueret Lauenburgum. In has conditiones obses datus Leonis filius, qui paulo post decessit Augustæ: alter Henricus junior militavit Cæsari, in Italiam eunti, qui Romæ à Cælestino III, Clementis successore, coronam obtinuit, restituto ei Thusculano. Romani receptum oppidum illico diruerunt, magno imperii, cujus asylum fuerat, dedecore. Bertoldus Zeringius, qui ante duodecim annos Friburgum condiderat, Bernam anno XCI hujus seculi egregiam urbem exstruxit. Roma in Apuliam movit Imperator, regnum cis transque fretum Siculum, uxoris nomine, quæ Rogerii Siculi filia esset, sibi vendicaturus. Romanus Pontifex eas terras, morte legitimi Regis Guilelmi, redire ad summam sedem contendebat. Tancredus, pellice procreatus

Arnol. l. 4. c. 3. 4.

Otho de S. Blasio cap. 33. anno 1191. Godefr. Colon. Fascicul. Temp.

tus Rogerii, opibus & ſtudiis domeſticæ nobilitatis plus poterat. Itaque jam ſtudioſior Cæſaris cauſæ, quam Tancredi erat Cæleſtinus, cui tamen, ſi Arnoldo fides, poſſeſſionem illarum terrarum, ante Cæſaris adventum indulſerat. Tancredus paulo ante Philippum Auguſtum Francum, & Richardum Anglum reges, è Sicilia dimiſerat, Francum tamen prius; qui in Syriam delatus, velut cœlo miſſus, refecit Latinos, jam viceſimum tertium menſem Ptolemaidi aſſidentes, cum multa tanquam eorum, qui obſidebantur, clade. Ex eo obſeſſi arctius premi cœpti. Anglus ſerius Meſſana ſolverat, extorto prius dotali auro Siculis, quod ſorore ſua ſine liberis mortua, ſibi ut hæredi repoſcebat. Tempeſtate in Cyprum compulſus, cum littoribus arceretur, virtute terram tenuit; Inſulæque tyrannum Iſaacium Comnenum bello cepit. Totam inſulam ſui fecit juris, præſidia arcibus impoſuit. In itinere maximam Saladini navem intercepit. Ita exſcenſione ad Ptolemaidem facta, obſidentibus ſe conjunxit. Tantum non capta urbs erat, certa internecione ſi vi expugnaretur. Deditio facta hac lege, ut cives & præſidiarii ad Saladinum deducerentur, Chriſtiani crucem, & quicquid captivorum in vinculis eſſet, reciperent. Leopoldus ibi Auſtriacus vexillum ſuum in turri quadam poſuerat; Richardus id dejici, & luto conculcari juſſit, gloriam captæ urbis ſibi vendicans. Cum verò crucis ſignum non compareret, fraude id factum interpretatus, quotquot Barbarorum ei obvenerant, ad ſeptem millia interemit. Francus prudentior, ſuorum permutationem fecit. Peſtilentia in Syria plus L Pontifices principeſque abſumſerat inter paucos dies: In quibus Philippum Flandrum, & Sibyllam reginam cum liberis quatuor. Francus valetudine affectus, irritatuſque inſuper Richardi æmulationibus, Othoni Burgundico quingentos equites, decem peditum millia reliquit, repetitoque mari domum revertit.

Jacobus de Vitriac. l. 1. c. 99. 100. Robert. de monte.

Hiſtor. Hieroſ. Mari. lib. 3. par. 10. Matth. Pariſ.

Simile infortunium Henrici Cæſaris conſilia de Neapoli & Apulia interrupit. Nam miles æſtu & peſtis ſævitiâ exhauſtus, occupatis jam CLX caſtellis, à Neapoli re infecta diſceſſit, omnibus penè ductoribus amiſſis. Quo comperto, Salernitani ad gratiam Tancredi recuperandam, Conſtantiam Auguſtam apud ſe degentem, cuſtodibus ſepſêre, nec niſi fulmine Cœleſtini territi, libertati eam reddidere poſt biennium. Sub hæc Henricus Leo Holſatiam & Lubecam, ut convenerat, minimè reſtituens Adolfo Comiti, jam reduci è Palæſtina, armis Bernhardi ducis & Othonis Brandeburgici adjuto, cedere coactus eſt. Adolfus etiam Stadam cepit, & Lubecam. At à Canuto Danorum rege, ob adjutum præſulem Waldemarum, bello petitus, pacem pecuniis redemit. Henricus Junior, Leonis filius, ducta Palatina Principe, patruo Cæſaris genita, tandem gratiam ejus emeruit, diſcuſſiſque in Saxonia bellorum facibus contentus Brunſvigia & Luneburgica ditione Leo in pace deceſſit.

Arnol. l. 4. c. 5. 6.

Otho de S. Blaſ. cap. 37.

Arnol. l. 4. c. 7. 8. 9. 17. 20.

In Syria, poſt Philippi Franci abitum, uni Richardo Chriſtianorum omnia parebant, dempta Tyro, quam Conradus tenebat, Ferratenſis Marchio, cui Eliſa, Sibyllæ reginæ ſoror nupſerat. Is, (ut fama tulit) immiſſis à Richardo Aſſaſinis percuſſoribus, dum otioſus Tyri in foro inambulat, peremptus eſt. Eliſa vidua conciliante Anglo, jungitur Henrico Campaniæ Comiti, ſorore nato Richardi. Guidoni regi ſemel ſalutato perſuaſum, ut regnum Cypri à Richardo capeſſeret, cederetque jure, quod ſibi eſſe in regnum Hieroſolymitanum, cæteramque Syriam contenderet. Guido in Cyprum tranſmiſit, ſublatis ſecum rebus ſuis: quo regno Luſinianorum familia uſque ad trecentos annos potita eſt. Hæc Ptolemaide acta, inde ad tentandam Hieroſolymam itum, occurrenſque apud Antipatridem Saladinus, acerrimo prælio victus eſt, tot barbarorum millibus cæſis, quot illa patrum

Matth. Pariſ.

memoria una acies vix absumserat. Fortitudinis palma eo die Jacobo Avenienſi Comiti opinione omnium tributa, eaque illi morte empta.

Propè in oculis erat urbs ſancta, quæ accendere animum debuiſſet una tot hominum conatibus petita. At Richardus cauſatus hyemem inſtare, Ptolemaidem reduxit copias, Franci Tyri hyemarunt. Inde cupidine tactus reviſendi patriam, quod diceretur Joannes frater ejus regno Anglicano, Philippus Francus Normanniæ inſidiari, in quinque annos induciarum conditiones ab Saladino accepit; ut continuo muros Latini diruerent urbium Aſcalonis, Gazæ, Dari, & aliarum, quaſcunque poſt receptam Ptolemaidem muniviſſent. Id erat, ut tanto duorum regum, tot principum conatu nihil actum videretur; utque in Syria ac Phœnice nihil integrum præter Tyrum, Ptolemaidem, Antiochiam, noſtri obtinerent. Cum fluctibus in Illyrici oram ejectus, ſumpto Templarii habitu, per Pannoniam iter faceret, agnitum ex annulo per hoſpitem Leopoldus Auſtriacus cepit, & ad Cæſarem Henricum duxit, multis criminibus oneratum. Duodeviginti menſes cuſtoditum non dimiſit Cæſar, niſi centum millibus ac quingentis pondo argenti redemptum.

Otho de S. Blaſ. cap. 38.

Continuo auro Anglico auctus, in Italiam duxit exercitum, mortuoque Tancredo rege, cum filio ejus Rogerio adhærerent populi, Campaniam, Lucaniam, Apuliam, Brutios, Siciliam in jus ditionemque redegit. In conjuratos quoſdam, qui necem Henrico intentarant, atrocius animadverſum ferunt, alios rebellionis inſimulatos, exquiſitiſſimis tormentis periiſſe. Atque hæc agitanti Cæſari Auguſtam jam quinquagenariam, Panormi peperiſſe filium Fridericum, poſtea Auguſtum. Reperta & Panormi Irene, Iſaaci Græci Auguſti filia, quæ deſponſa Rogerio fuerat. Eam Henricus Philippo fratri nuptum dedit, eumque ducem creavit Thuſciæ. Manfredi uxor, filius, & filia theſaurique incredibiles capti.

Otho de S. Blaſ. c. 39. 40.

Paulus Æmil. lib. 6. Arnol. l. 5. c. 12.

Hortante inſtanteque Cæleſtino, ut Cæſar tam ſecundis rebus Syriacam ſuſciperet expeditionem, domeſticas occupationes, ac nondum firmatas opes ſuas cauſatus, duces cum exercitu in Aſiam mittit, Conradum Moguntinum, ac Henricum Saxoniæ ducem, Palatinatu etiam nuper potitum. Novæ autem ſemper res in Syria exoriebantur, Henricus Campanus, capta à Saracenis Joppe, jam aut reditum cogitans in patriam, aut peregrinorum Teutonum expulſionem, dum Ptolemaide ſuperiorem ædium partem incautius circumit, præceps delatus exſpirarat. Eliſa matrimonio copulatur Haimerico, Guidonis Luſiniani fratri, jam Cypri & Jeroſolymæ regi ſalutato. Sublatus & noſtrorum terror Saladinus. In cujus, ut juſſerat, funere, qui ſignifer in prœliis eſſe conſueverat, prætulit lancea ſublimem interiorem illius tunicam, clamitans; *Illud unum ex domitore Orientis reſtare.* Filios ejus undecim Saphadinus patruus omnes necavit, præter unum Noradinum, Halapiæ Sultanum, fide virtuteque paternorum amicorum tutum à patrui inſidiis. Ea quidem ingens erat reparandarum rerum Chriſtianis occaſio: Sed illi iiſdem languentes diſſidiis, ultorem Deum vix ſero agnoſcebant.

Jacobus Vitr. l. 1. cap. 100. Maria. lib. 3. par. 10. Otho de S. Blaſ. cap. 42.

Jacobus Vitr. l. 3.

Nec deerat ſuum Hiſpaniæ terræ malum. Dani, Friſii, Hollandi, conjunctis claſſibus Barbariæ Africanæ bellum intulerant, quod non contenta finibus ſuis Hiſpaniam tentaret ureretque, Sylvinam Saracenorum urbem vi captam diripuerant, & everterant. Inde in Siciliam profecti, Jacobo Avenienſi ſe adjunxerant, in Syriam tunc ituro. Eam cladem ulturi Numidæ, Mauri, Afri, tranſmiſere in Hiſpaniam, congreſſique cum Alphonſo Caſtellæ rege, tantam vaſtitatem victores edidere, ut etiam Gallos metus inceſſerit, ne illi Pyrenæum ſaltum ſibi putarent tranſcendendum.

Balduinus Philippi Flandri, qui in Syria

Syria perierat, sorore natus, ex hæreditate Arteſiam ſibi aſſerebat, beneficii nomine Flandris à Franco attributam. Eodem tempore Francus dotem repetebat germanæ, cui Rex Richardus repudium dederat. Fœdus à Franco cum Balduino ictum ut ejus eſſet Hannonia, Atrebates Franci. Ductam deinde Canuti Danorum regis ſororem dimittere auſus Rex Philippus, prætenſo propinquitatis nomine, recipere eam ad ſe Synodorum autoritate coactus eſt. Bellum cum Richardo varia ſorte tractum.

Arnold. l. 5. c. 2.

In Sicilia ſeditiones exercuerant Henricum, jam LX hominum millibus inſtructum, quos ad Palæſtinam ablegarat. Contigit autem ut comprehenderet perduelles, & regem adverſum ſe creatum, diademate clavis acutiſſimis affixo capiti, necaret filios ejus ſuſpendio ignique. At tertia expeditione principes Normannorum crudelius perſequendo, ipſam à ſe alienavit Conſtantiam, qua conſpirante cum popularibus in caſtro quodam obſeſſus, ad uxoris arbitrium pacem iniit, mitigatiſque oratione Siculorum iris, de cætero Palæſtinam curæ habuit. Conradus Moguntinus ejus legatus, regem Cypri corona inſignivit. Inde Sidonem delati principes, urbem deſtruunt, Berytum expugnatam inſtaurant, Toroniam obſident, jamque illud conditionibus recepturi, ferali invaduntur diſcordia, atque occurrentibus auxilio Barbaris, Tyrum & Ptolemaidem recedunt. Percrebeſcente tum morte Imperatoris, qui ex venatione æſtuans, largiore gelidæ aquæ hauſtu febrim, ex febri interitum attraxerat, Archiepiſcopus Duxque quorum in deligendo Imperatore autoritas præcipua eſſet, nulla obſecratione Francorum, qui Simone Ferratenſi Duce advenerant, retineri potuere. Factæ igitur induciæ, cautumque, ne Tyro & Ptolemaidi arma inferrent Barbari, qui fuit annus ejus ſeculi duodecenteſimus. Henricus imperaverat octennium.

Nicetas Alexio Comneno l. 2. c. 1.

Jacobus Vitria. lib. 1. cap. 100.

Hæc inter Iſaacius Angelus, homo vanus & ſacrilegus, deliciarum melior quam belli, à duobus Pſeudalexiis, qui ſe Manuëlis Auguſti filios aſſerebant, infinitiſque aliis exagitatus tyrannis, à Walachis inſuper per exactiones incitatis ad rebellandum, varias accepit clades. Illi non contenti agrorum populationibus, urbes quoque non paucas, in his Anchialum, Sardicam, Barnam, devaſtarunt. Conſtantinum Angelum, acris, ſed inſolentis animi juvenem, qui terrori Myſis erat, poſtquam ob affectationem imperii oculis multatum acceperunt, manifeſtam per irriſionem multos annos precati ſunt patruo ejus Iſaacio, gnari, florituram Valachorum Remp. tam ignavo hoſte. Iſaacius enim imperii ſecurus, modo Balſamonitæ morbido, modo pueris permittebat gubernacula, convivia ſtruebat in colles panum, ſaltus ferarum, piſcium maria, vini flumina, *veſtibuſque ſe & unguentis inſtar pavonis oſtentabat. Aliis largiebatur, adulterabat monetam, auctionabatur magiſtratus.* Tandem conſulto Baſilacio præſtigiatore de ſorte ſibi imminente, ſubſannatur ab eo. Magus imaginem Cæſaris in pariete pendentem oculis ſpolians, mox fidem præſtigiis fecit. Iſaacius à proprio fratre, quem fortè in caſtris reliquerat, fugatus captuſque, & confeſtim oculis exutus eſt, anno dominationis X, ætatis XL, *diceres excœcatum corpore, qui animo videre noluerat*; in quo vix quod laudaret reperit Nicetas, niſi quod magnum facit imaginum beatæ Mariæ veneratorem, dignum ſanè umbratili numine, qui ſtatuam potius Imperatoris, quam Imperatorem præbuerit. Nec illo oculatior fratricida Alexius, ſuſpenſa adverſus Scythas expeditione, largitionibus emercatur auram popularem: Byzantiumque coronandus feſtinat. Eum equus Cæſareus recipere dorſo abnuit, ac vi impoſitum excuſſit, fracto diademate, ut brutum animal indignari intelligeres, quum civitas regia ſceleribus ſerviliter plauderet. Solutus inde in voluptates, & communicato quaſi cum

Nicetas Chonias. lib. 3.

Nicetas in Alexio Comneno lib. 1.

Euphrosyna, impudica conjuge, imperio, in Pseudalexium movit, sed prælio lacessere non ausus hominem plebeio favore subnixum. Eo autem nocturnis insidiis jugulato, impetitur ab Isaacio Comneno, qui à Richardo Anglo cuidam amico donatus, cum servitutem arte evasisset, novas tyrannidis spes conceperat. Sed & hoc venenata potione interempto, frustra Valachis pacem obtulit, doctis & duces Græcorum, & Cæsares ipsos in fugam agere. Ipse contempto Angeli, sumtoque Comneni cognomento tumens, nec Scythis Valachis, nec Persis Galaticis resistere idoneus, utrinque carpebatur.

Otho de S. Blas. cap. 43. Nicet. lib. 1. cap. 7. 8.

Henricus Imperator provincias omnes, ab Epidamno ad Thessalonicam usque sibi, ut Siciliæ regi vendicabat, vetereſque offensas, patri Friderico & Conrado propatruo illatas ulturum minabatur. Ostentantem divitias vestiumque elegantias Alexium, irriserunt Alemanni muliebria ornamenta viri.

Alexius cum tributum à subditis non impetraret, ad pacem redimendam, sepulcra Imperatorum scrutatus, LXX centenarios argenti, aurique nonnihil inde corrasit, quod Germano Augusto penderet, principi pallido & severo, atque vix vesperi curanti corpus, uti quidem Nicetas memorat. Sed eum ingenti cum Siculorum gaudio, plausuque Alexii, mors rapuit, priusquam funebris pecunia ærarium ejus subiret.

Nicet. l. 2. c. 1.

Nicetas lib. 2. Isaaci Angeli cap. 4. Cont. Sig. an. 1198. Otho de S. Blas.

Eo tempore Theodorus Balsamon, vir eruditus, Antiochenæ præerat Ecclesiæ, Constantinopolitanæ, post Dositheum præstigiatorem, Georgius Xiphilinus præsidebat. Fulco presbyter per totam Franciam homines à vitiis revocare studuit, non sine notabili auditorum emendatione: Sed quo fine defecerit, ignoratur.

PHILIPPUS II. SUEVUS, ALEXIUS III COMNENUS, ALEXIUS IV ISAACII ANGELI Filius, ALEXIUS V DUCAS MURZUFLUS, BALDUINUS FLANDER, BYZANTINI CÆSARES.

A. M. 5169. *Christi* 1199. *Otho de S. Blas. c. 45 46. Godefr. Colon. Mona. an.* 1198. *&c. Arnold. Lubec. lib. 6. c. 1. 2. & 6.*

HEnricus VI, filium suum infantem designaverat successorem, solo Colonienſi præsule refragante. Paulo ante mortem destinatus Germaniæ filium, evocaverat Philippum fratrem, cui nuper, exstincto altero fratre Conrado, Alemanniæ Ducatus cesserat. Ille perducto Romam infante, decessisse comperit Cæsarem in Sicilia, remissoque ad matrem Friderico, haud sine vitæ periculis in Germaniam reversus, id egit, ut rata maneret nepotis sui electio, ipse ut patruus tutelam imperii capesseret. Decreta ei potestas Arensbergæ, plerorumque principum suffragiis: sed Colonienſi, Treviro, & Henrico Palatino invitis, qui Bertoldum Zaringium ad summam potestatem extollebant. Zaringius amicorum suasu detrectavit honorem, cumque Leopoldo Austriaco, Landgravio Thuringiæ, & Rege Bohemiæ partes Philippi amplexus est. Nihilominus Episcopi, ab Innocentio Papa incitati, qui Barbarossæ familiam, Pontificiæ ambitioni adversantem oderat, accitum ex Anglia Othonem, Henrici Leonis filium, Cæsarem creant Coloniæ, præsidio etiam subnixum Richardi, & mox Johannis, Regum Angliæ avunculorum suorum. Johannes enim Richardo fratri, in obsidione castri cujusdam Aquitanici sagitta trajecto, successerat. Tantum ea principum dissensio emolumenti attulit curiæ Romanæ, ut exclamet æqualis eorum temporum Abbas Urspergensis: Gaude mater nostra Roma, quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, ut ad te confluant rivi & aggeres nummorum in magna copia. Jucundare

Matth. Paris.

Ursperg. in Philip. Otho de S. Blasio cap. 48.

dare ſuper adjutrice tua diſcordia, quæ erupit puteo infernalis abyſſi, ut accumulentur tibi multa pecuniarum præmia. Habes quòd ſemper ſitiſti, decanta canticum, *quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem viciſti. Ad te trahit homines, non ipſorum devotio, aut pura conſcientia, ſed ſcelerum multiplicium perpetratio, & litium deciſio, pretio comparata.* Quam hæc ille verè, docent, quæ dicta hucuſque è ſcriptoribus ſuorum temporum: Et hæc ipſa duorum Cæſarum triſtiſſima diſſidia. Philippus enim Auguſtalia tenens ornamenta & opes, multos promiſſis, multos minis ad ſe traducebat: Otho Aquiſgrani coronatus à Colonienſi & Treviro, jura jactando & loca, ſummique authoritate Pontificis, Philippi partes ſubinde diminuebat.

Certatum utrinque armis, quæ cum à parte Othonis eſſent debiliora, adjuta ſunt aliquandiu fulminibus Innocentianis, ſed Philippo innoxiis. Tota enim ferè Germania bellis involuta, Argentina, Colonia, totaque ſuperior Teutonia perdomita à Philippo fuit, Saxonia Othoni ſuo adhærente. Primiſlaus Bohemiæ Rex, initio vaſtando Saxoniam, ſibi & ſucceſſoribus regium nomen à Philippo meruerat: ſed ob repudium ſorori Marchionis Miſnici datum, offenſo Philippo, Othonem adeo coluit, ut Othocarus exinde diceretur. Conradus Moguntinenſis reverſus è Palæſtina, quietemque reducere cupidus, inſperata præventus erat morte: Eccleſia ſchiſmate diſtracta, duobus in cathedram inſilientibus, Philippus Imp. probabat Leopoldum Vormatienſem, qui Moguntiæ remanebat, diſcedentem Siffridum Innocentius. Octennio integro Moguntinenſes, fidelium communione excluſi à Papa, ſimulata ejus rei ignorantia, nihilominus ſacris operabantur; Hermannus Landgravius Siffridi tuebatur partes, & Philippum Erphordiæ obſidebat. Philippus item à Bohemo & Thuringo non deſertus tantum, ſed & oppugnatus, clam egreditur Erphordia, & terras eorum ferro ignique vaſtat, donec recedente Othocaro, Hermannum reduxit ad obſequium. Henricum Palatinum à fratre Othone minis abſtraxit: Bohemum dimidio regno multavit. Colonienſis Adolfus muneribus expugnatus, Aquiſgrani Philippum conſecravit, anno decimi tertii ſeculi quinto. Duces Brabantiæ & Lotharingiæ ibidem recepti in fidem, Siffrido Moguntino à latere Papæ fulmen dirarum intentante Adolfo, quod & vibratum eo anno, & Adolfus dignitate ſua exutus eſt, ſuffectuſque ei Bruno, præpoſitus Bonnenſis. Quæ res diœceſin Colonienſem omnibus injuriis reddidit obnoxiam. Capta à Philippo Nuſſia, obſeſſa Colonia, copiæ ab Anglia venientes diſſipatæ, Bruno novus Antiſtes, Waſſenburgi captus. Otho ſub fide admiſſus ad colloquium, in Angliam abiit, auroque onuſtus in Germaniam revertit. Philippus anno ejus ſeculi ſeptimo, redacta in poteſtatem Colonia, injuſtas exactiones abolevit, atque ut diuturnis bellis finem imponeret, elocatione filiarum principes ſibi obſtringere arctius, aut conciliare ſtuduit. Bohemo Wenceſlao, & Duci Brabantiæ, deſpondit duas natu majores: Innocentii Pontificis, qui fortunam ſecutus, ab Othone ſemet ad Philippum tranſtuliſſet, nepotem Richardum ſibi devinxit tertia. Othoni æmulo quarta deſtinabatur, ut adeo Bellonæ faces hymenæis exſtinguerentur, afflictæque Germaniæ lene è regiis nuptiis medicamentum proveniret. Sed ſtrenuo, doctoque, & egregio principi unius filiæ matrimonium capite ſtetit. Otho Vitelſpachius Palatinus, cui eam ob cædis cujuſdam probrum denegaverat, repulſæ, dolore accenſus, Imperatorem nefarie in ipſo palatio Bambergenſi, dum ſalutare ſimulat, interemit, anno Chriſti MCCVIII, imperii X. Urſpergenſis cruentam mortem ideo putat Philippo immiſſam divinitus, quod pecuniis exhauſtus, multas Eccleſias & monaſteria nobilibus oppignoraverit, ut

an 1204. 1204. *Arnol. Lubec. l.7. c.1.2.3.*

1206.

1207.

Otho de S. Blaſ. cap.48. Urſperg. Arnold. Lubec. l.7.c.14.

Arnol. l.6.c.5.6. 7.8.

Godefr. Colon. an. 1200. Chron. Mogunt.

Hiſt. Landgrav. c.32.33. Godefr. Monach.

esset, unde militibus stipendia persolverentur. Nobiles enim isti non tam patronos se fiduciarios Clericorum, quam Tyrannos aut expilatores gerebant.

Arnold. l.6.c.9.10. 11.&c. Ardente civilibus dissidiis Germania, Marchio Brandeburgicus rem suam facere molitus, Sclavos quosdam Canuto Danorum regi subjectos, ad se traxerat. Regis legatus Petrus, Roschildensium Antistes, classe ingressus Oderam, exposuit in Marchia militem, & congressus acie cruenta, captus est. Sed definito custode elapsus, Marchionem, adjuvante Adolpho Holsato, vastantem Sclaviam, meliori marte oppugnavit. Reinholdesbergum, vetus ad Eidoram flumen castrum, Adolpho extortum. Sociatus inde Petro Valdemaro Sclesvicensium Duci, Regis germano, Comitem fere omni ditione exuit. Lubecam occupavit deditione. Scacco quidam Thitmarsiæ comes impositus. Adolfus à Valdemaro cum oppido Hamburgensi captus. Accessit tandem & Travemunda Sigebergumque: mortuoque Canuto, frater ejus Valdemarus II, Rex Danorum, Sclavorumque, & Nordalbingiæ Dominus Lubecæ salutatus; Lauenburgum munitissimum ad Albim castrum, pro liberatione Adolfi deditum Regi est.

Arnold. lib.7. c.12.13. Valdemarus Episcopus Slesvicensis, qui cum Adolfo sensisset, pulsus Episcopatu, cum postea Philippi Cæsaris auxilio Bremam se contulisset, à Burchardo Antepiscopo ejectus est; rex Valdemarus ei defendendo Horneburgum communivit. In quem meditatus expeditionem Philippus, Bambergæ, prout dictum, occubuit. Uxor Irene tam tristi consternata casu, ut erat prægnans, gemino dolore contabuit.

Eodem tempore Imperium Byzantinum à stirpe domoque Irenes ad Latinos transierat, mira divinæ manus dispositione.

Nicet.l.2. Alexio Comneno. Alexius Angelus, seu, ut malebat ipse vocari, Comnenus, fraterno sanguine madens, ita gesserat imperium, *quasi id esset præesse aliis, voluptatum tyrannidi subesse.* Iconiensem Sultanum ob detentum par equorum bello lacessere ausus, Caniam & Tantalum ad Mæandrum fl. oppida amiserat. Barbarus tanta allectabat humanitate Græcos, ut multi, cupidè relicta patria, in colonias ipsius commigrarent. Nam *crebræ tyrannides subditis sobriam cordatamque vivendi rationem extorserant*, plerisque Imperatorum nihil in suos moderati vel cogitantibus, vel facientibus. Inde cum Chryso & Ibanco, Scytharum Valachorumque ducibus, cum improspere pugnatum esset sæpius, desidiaque & muliebri mollitie omnia torperent apud Byzantinos, ab armis ad fraudes, aut turpes conditiones descendebatur. Illi permissæ regiones, quas occupaverat: Ibanco contra fidem datam vincula injecta. Nec deerant seditiones interim crebræ, iisque sopitis expilationes, cædes, incesta conjugia, libidines. Interdum metus ad Astrologorum & Magorum venanda ludibria rapiebat. *Nicetas in Alexio Comn.l.3.*

Inter hæc Isaacius, imperio oculisque privatus, liberiori fruebatur exilio. Alexius filius ejus custodia eductus, consilium fugæ circumspexerat, incitatus à patre, ut à Latinorum opibus recuperandæ dignitatis spem aliquam mutuaretur.

Veneti irati Byzantinis erant, veterum nomine injuriarum, quas Henricus eis Dandalus Dux subinde refricabat. Itaque ad sororem Irenem, Philippo Cæsari nuptam, pervectus Alexius, facile obtinuit, ut rationes ejus reducendi inirentur.

Philippus proprio certamine, adversus Othonem æmulum, implicitus, Philippo Augusto, Francorum regi affinem commendabat, & proceribus novam expeditionem in Syriam professis, Bonifacio, inquam, Marchioni Ferratensi, Balduino Flandro, & aliis. Divina occasio Venetis visa, qua terrestres Francorum vires maritimis suis sociarentur. Ædificata toto triennio classe, ad egestatem redacti, qui crucem sumpserant, ingen-

ingentem vim auri à Venetis mutuantur, inde Jaderam, quæ à Venetis defciverat ad Hungaros, perdomant, contempto Innocentii fulmine, cujus confilio reges duo Hungarorum inteftinum bellum in Syriam tranftulerant. Alexius nihil non pollicitus Latinis, inter alia & depravatæ eorum religionis commercium, excipitur claffe, & Byzantium perducitur, jam multo ante gnaris occidentalibus, *Græcum imperium nihil effe aliud, nifi crapulam & ebrietatem, nec aliud Conftantinopolin, quam Sybarim illam luxu celebratam*, CCL naves vehebant mille cataphractos, peditum XXXM. Iftis copiis oppugnata Conftantinopolis, fugatus tyrannus Alexius, cum molliter & timidè fedifiet in folio per octennium, nihilque minus noffet quam bellare. Vulgata ejus fuga, Conftantinopolitani Iſaacium, manu productum aliena ad folium, adorant. Latinis portas patefaciunt, Alexium adolefcentem ei collegam pofcunt. Datus ea lege, ut fenex Auguftus rata haberet filii promiffa. Sed collatio tantæ pecuniæ gravis ingrataque Græcis erat, folitis exigere aurum, non pendere. Fremebant, oppignoratum addictumque imperium à puero avaræ fuperbæque genti. Ergo difcurritur ad prædam à Latinis, nec facro auro parcitur: Incenditur Saracenorum Synagoga, indeque orta flamma pleramque urbem vaftat. Nullus ftatuitur finis moduſque exactionum, conniventibus ad injurias Auguftis, ne poteſtatis ſuæ autores offenderent, quod indignatio populi, ducem nacta, in ſævitiam efferbuit. Erat in urbe vir regii generis Alexius Ducas, ob conjuncta ſupercilia Murzuflus dictus, qui edito in graſſatores fortitudinis ſpecimine, popularem auram meruit. Itaque concurſu in templum maximum civitatis facto, jactantur in Cæſares, ut malos angelos, convicia, alius Imperator poſcitur. Moritur interea ſenex Iſaacius, jam infeſtus ipſi filio, & ad vanitatem auguriorum ſuorum priſtinam revolutus.

Nicetas lib. 2. c. 9. Arnol. Lubecenſis lib. 6. c. 19. 20.

Nicetas de Iſaacio Angelo & Alexio filio. Godefr. Colon. an. 1205. Gunth. apud Canifi.

Nicolaus quidam Canabus Imperator dicitur. In eum advocat Alexius Bonifacium Marchionem, Latinoſque in urbem invitat, novum Tyrannum depulſuros. Ejus conſilii gnarus Murzuflus, adiit clam Alexium, docet enotuiſſe populo inſidias, ſuadet fugam, & quaſi liberaturus eum producit è regia, teterrimumque in carcerem conjicit. Mox & Canabum è templo extrahit, Alexio guttur elidit laqueo, menſe imperii VII. Deinde aliquanto tempore haud inſtrenuè defenſa urbe, ad pacem reſarciendam egreditur, oppreſſuſque penè à Latinis, refugit intra mœnia, novamque oppugnationem paucis diebus ſuſtinet. Ad extremum contemplatus, ni abiret, paratum ſe brevi obſonium maxillis Latinorum fore, LXXV ſumptæ tyrannidis die diſcedit, abductis ſecum Euphroſyna Auguſta, & filia ejus, quam deamabat Eudocia. Theodorus Laſcaris, gener Alexii Comneni, cum fruſtra incitari videret ad vim propulſandam Byzantinos, fuga & ipſe ſalutem quæſivit. Ita ad ſupplicationes verſi Græci, inexorabili Latinorum ſævitia ſpoliati, laniati, & miſerrimam in ſervitutem redacti ſunt, execrante impietatem eorum Niceta, paulo ante ſummo Logotheta, tetramque eorum hypocriſin poſteris denudante. Latini, cedentibus urbe, quotquot poterant, Græcorum præſtantiſſimis, reliquis ſemet dedentibus, poſt innumera ſcelera flagitiaque, ſortiti ſunt provincias. Balduino Flandro imperium obtigit, cæci imprimis Henrici Dandali ſtudio, quippè qui eò eniteretur, ne quis Latinorum mari potens, vicinuſque Byzantio, tantam adeptus dignitatem, unitis opibus, gravis exinde Venetis exiſteret. Balduinus XXXII ætatis annum non exceſſerat, piuſque ac pudicus præ reliquis, ac dignus eo apice viſus. Cum peragratis provinciis Theſſalonicam veniſſet, cives exemplo Byzantinorum territi, introitum in urbem militum deprecantur, perficiuntque officiis, ut redeatur Byzantium, ubi Boni-

Nicet. in Murzuflo. Urſper. in Phil. Monach. Antiſiod. Chron. Godefr. Colon. an. 1204.

Nicetas de ſtatu Conſt.

Nicetas in Balduino Flandro.

Bonifacius Marchio jam res novas agitabat. Balduinus eum placavit concessa Thessalonica, quam modestè ingressus Ferratensis, mutato paulo post animo, spoliavit opibus, ostentatoque è Maria Hungarica (fuerat ea quondam Isaaci Imperatoris conjux) filio, Græcos ad se pellexit, ut Berœa, Larissa, totaque Peloponneso potiretur; quod & factum, Græciaque occidentalibus collum subdidit, anno Christi supra millesimum ducentesimumque quarto. Balduinus firmandarum opum cupidus, trajecit in Asiam, præmisso Henrico fratre, qui per Idæ montis anguſtias, Adramytium usque processit. Prusa Bithyniæ portas ei clausit, clademque haud modicam intulit. Murzuflum erronem major error Alexius Larissæ orbaverat luminibus, Latini eum & de altissima columna præcipitatum, crudeliter necarunt. Alexius solita ignavia ad Marchionem profectus, panis & vini demenso imperium commutavit. Comites ejus à Walachorum principe susceptì, Macedonum Thracumque urbes, inque his Adrianopolin & Didymotichum ad defectionem impulere, eoque facinore & Balduinus ex Asia, & è Græcia Marchio est revocatus. Adrianopolis à Græcis defensa, tempus Joanni Misorum Duci dedit armandi suos, qui interceptos insidiis Balduinum & Latinos, partim occidit, partim vinculis oneratos in captivitatem rapuit. Balduinus unius anni Imperator, maceratus carcere, fœda tandem morte interiit. Nicetas refert, eum pedibus manibusque truncatum, & volucribus escam factum, tertio demum die exspirasse: Scythisque haud multo mitiores Latinos, terram mariaque rapinis & cædibus compleviſſe. Utrisque populis victæ civitates cum pœnas miserabiles darent, ipsi vicissim Latini Scythæque alternis cladibus atterebant. Dandulus Venetorum Dux, ruptis è fuga intestinis periit, vulneribus Pleæ Comes Doloicus; Henricus Balduini frater capessit imperium. Bonifacius Marchio, à Scythis Berrhœa, Serris, aliisque oppidis exutus, Thessalonicæ se inclusit. Latini passim à Scythis male multati.

1204.

Philippopolis, Rusium, Perinthus, Daonium, Arcadiopolis, Mesena, Athyra, captæ destructæque. Duæ tantum urbes Thracum, Bizya & Selybria, rapinas & vastitatem effugêre. Latini lupis Byzantio velut ovili insidentibus, Græcia à variis distrahebatur tyrannis. In Oriente Prusa, Nicæa, Lydi, Smyrna, Ephesus, & interjecta oppida, Theodoro Lascari parebant, qui & fabricatis navibus pleraſque Insulas subegit. David & Alexius fratres, Andronici quondam tyranni nepotes, alter Ponti Heracleam, & Paphlagoniam, alter Oenoœum & Sinopen urbes, ipsamque Trapezuntem tenebat. Attaliæ Aldobrandinus Italus dominabatur. Ita dilacerati imperii membra quælibet prædonum manus infestabat. Genuenses piratæ, pro mercatoribus ingressi Cretam, ejus insulæ potiti sunt. Vix à quoquam principum in commune consulebatur, quisque sibi captabat dominia, iisque moribus Græcorum Respublicas penè omnes pessumdabant.

Nicet. in Bald. & Henrico. Niceph. Gregoras lib. 1.

Eadem tempestate inter Philippum Galliarum, & Joannem Anglorum regem, flagrabat bellum, quod Arcturus, Angli fratre majore genitus, qui potiorem se Britanniæ hæredem contendebat, ad Mirabellum captus occisusque esset, idque Francus, contemptu legum Francicarum à Joanne patratum diceret. Arrepta igitur occasione, totam Normanniam armis recuperavit Philippus, ducentesimo & septuagesimo anno, quam attributa Rolloni Dano fuerat. Duodecim inde à Rollone Duces ejus numerantur: ex iis sex iidem Anglorum reges. Ac ne quid deesset ad mutationem rerum humanarum, eodem temporis tractu Tartarorum in Asia dominatus, autore quodam solerti ejus gentis viro, quem Chamum appellarunt, institui cœptus. Et Livonia cum tertium jam haberet Episcopum, è Bremensi Canonico Albertum (Meinardus Sigebergensis primus fuerat)

Matth. Pariſ. Paulus Æmilius lib. 6. Anteſiod. Monachus in Chron.

Marin. Sanut. lib. 3. part. 11. cap. 9. Arnol. l. 7. c. 6.

fuerat) novum sacrorum militum accepit ordinem, qui pari Pontificum indulgentia, quo Jerosolymitæ, ad abolendum apud Livones gentilissimum animati, magnas sibi iis in locis opes pepererunt.

Nicet. l. 3. Alexii Comneni cap. 4. Apud Græcos agitata quæstio, an corpus Domini in sacra Cœna perceptum, sit maneatque in omnibus incorruptibile, præcessit ejus Ecclesiæ servitutem. Nicetas *hæc mysteria silentio veneranda, omnique humana disputatione majora*, piè ac prudenter judicat.

OTHO IV, GERMANICUS CÆSAR.

A. M. 5178. *Christi* 1208.

HENRICUS FLANDER, PETRUS ANTISIODORENSIS, Byzantini.

Arnold. Lubec. l. 5. c. 50. 51. Ursper. EXstincto Philippo, turbatam valde Germaniam ad tranquillitatem revocare annixus *Otho*, æmulus ejus, multum impendit laborem conciliandis sibi animis principum. Saxones Halbersteti, Alemannos Francofurti ad comprobandum imperium suum induxit. Frequentissima hæc fuisse comitia ferunt, quibus multa egregiè constituta. Otho Palatinus Philippi interfector proscriptus, possessiones ejus hæredibus delegatæ. Sublata & latrocinia, quibus multi civilium prætextu bellorum insueverant. Firmata VII Electoribus suis jura. Tollendis inter Saxones & Suevos suspicionibus odiisque visum, ut Philippi filia Othonis connubio sociaretur. Obstabat propinquitas sanguinis, quod Othonis pater Henricus, avunculus fuisset Friderici Imperatoris, è quo Philippus genitus. Sed ei peccato remedium reperit Papa facillimum. Dispensatum est, ut vocant, imposita culpa universo Monachorum ordini. Abbas quidem publicè illam in se suosque transtulit, modo Imperator Cistertiense monasterium suo sumptu strueret, & Jerosolymitis subveniret. Paulo post innotuit, Henricum Caletinum Marescalcum, & Welfonis quondam à Witelspacio occisi filium, supplicium exegisse de Philippi Cæsaris interfectore, caputque ejus mersisse Danubio.

Otho Imperator perrexit in Italiam, coronamque de Innocentii manu excepit, perexiguo cum fructu suo. Oborta enim statim lis de Mathildis principatu, conjugis quondam Conradi, filii Henrici IV, quem illa olim circumventa à Pontifice Ecclesiæ Romanæ assignaverat, cumque ab Imperatoribus semper repeteretur, Innocentii astu interceptus fuerat, ardente dissidiis Germania. Otho imperii jura sibi asserenda ratus, & Marchiam istam, & alia territoria, à Friderici II tutoribus prærepta armis recuperare statuit. Eam rem indignè tulit Innocentius, pertinacemque propositi Othonem, nec, nisi juramenti religione, quo dignitatem imperatoriam se promiserat defensurum, absolveretur, ablata restituere volentem, anathematis vinculo innodavit. Otho vicissim, dispositis passim custodiis, ne cui adeundi Papam facultas esset, interdixit. *Matth. Paris. anno* 210.

Idem Pontifex Joannes Angliæ regem percussit fulmine suo, quod Cantuariensem Præsulem repudiaret, ad arbitrium Monachorum, ab Innocentio seductorum designatum. Nam cum duo alii electi essent, Papa Stephanum Langetonium Cardinalem intrusit, cui suffragantes monachos expulit regno Joannes, conspicatusque ob id sacra, ex edicto Papæ, per universam Britanniam intermitti, multavit reditibus suis Clericos, & fugibundo cuidam plumbeam injecit tunicam, in qua animam exspiravit. Nimius autem rex in exigendis tributis fuit. Judæo cuidam singulos quotidiè excussit dentes, donec septimum omni patrimonio suo redimeret. Subegit Hyberniam Walliamque: Alex. Cæmentario Theologo habuit fidem, dicenti, *non esse Pontificis aliena curare regna.* Idque ipsum per Galliam Germaniamque

plurimi asserebant eo tempore, addentes, *Romanam Ecclesiam esse cœtum malignantium, ignarum Euangelii, meretricem Babylonicam, Papam ipsum caput errorum, subnixum suis Scribis & Pharisæis, Prælatis & Monachis. Episcopos bello se miscentes, homicidarum in numero habendos. Deo obediendum præ Episcopis; perniciosas esse Cleri divitias & dominationes seculares; in traditionibus humanis numeranda, quæcunque præter Scripturas observent Monachi; Conciliis & Synodis non obstringi conscientias. Baptismum & S. S. cœnam duntaxat esse Sacramenta, exonerandaque exorcismis & gesticulationibus, præter divina mandata superadditis. Erraſſe, qui matrimonio interdixerint Clericis Occidentalibus, quandoquidem & Orientales conjugiis utantur. Quod è sacris literis autoritatem non habeat, pro fabula censendum; Sacra vulgari lingua; quam omnes capiunt, peragenda. Neminem sanctum, nisi solum Deum invocandum. Consecrationes, translationes, vigilias mortuorum, nihil esse; Crucis signo nullam ineſſe vim, nec efficaciores ducendas in templo preces, quam in cubiculo. Præstare pauperes vestire, quam ornare parietes. Multa post Gregorium in Ecclesiam irrepsisse, priscis incognita aut damnata; nec esse nisi duas vias, alteram electorum in cœlum, aliam damnatorum ad infernum, si bonus sit qui decedit vita, non indigere ope aut suffragio viventium: sin malus, nihil juvari. Purgatorium nugas esse humanas.* Hi aut ab autore, aut à loco, aut ab hostium ludibriis, vocabantur *Valdenses, pauperes de Lugduno, Albigenses, Beggini hæretici*; circumibant vicos & castella, prompti & Scripturarum. Eorum loco Innocentius Minores, Francisco magistro, erexit; aliusque ordo Prædicatorum, Dominico inventore, appellatus. Sed quia verbis expugnari haud poterant Valdenses, in arma propulit Papa suos, qui hinc inde plures variis enecarunt supplicis. Simon comes Montisfortis strenuam navavit Pontifici operam, qui redactos in potestatem, quoscunque minis blanditiisque dimovere haud poterat à sententia, instructo rogo cremavit.

Reiner. contra Waldenses cap. 5. Pilichdorfius contra Wald. Robert. Antiſt.

Urſper. Othone IV.

Godefr. Mona. in annalib. an. 1210. 1211.

Otho sub hæc Imperator, subactis Apulia Calabriaque revertit in Germaniam, jam instinctu Papæ & præconio Sifridi Moguntinensis tumultuantem. Sifridus enim promulgata Imperatoris execratione, Bambergæ cum rege Bohemiæ, & Hermanno Thuringo consilia tractabat de electione Friderici, nepotis Barbarossæ, Siciliæ regis, cui quondam puerulo dixissent principes sacramentum. Sed pluribus assensum minimè præbentibus, frater Othonis, Henricus Palatinus, diœcesin Moguntiacam incendio & rapina devastavit. Imperator, demonstratis Norimbergæ causis dissidii inter se & Innocentium, Comitiorum decreto abrogavit regiam potestatem Odoacro Bohemo, eamque filio ejus cum VI vexillis assignavit. Thuringiam quoque populatus, quarto demum à morte Philippi anno, celebratis cum filia ejus nuptiis, quarto eam die amisit, rebus humanis præproperè exemtam. Eodemque anno Saxones, Westphali, Frisones, Austriaci, in Begginos susceptam expeditionem, quum illi castra & urbes desererent, in Saracenos laudabilius vertere, auxiliatique Hispaniæ regibus, Maroccæ tyrannum acie devicerunt. Saraceni ad naves suas profugi, plerique fluctibus sunt mersi.

Godefr. an. 1212.

Ferunt & pueros ingenti multitudine, fanatici cujusdam hortamenta secutos, tanquam per ipsos Palæstina esset recuperanda, in mari & Sylvis, miserabilibus leti viis interiisse. Sæviebatur interea in Albigenses, quibus Petrus Aragonum rex & Tolosanus Comes suppetias ivêre. Crudeliter utrinque exercitas victorias lego, Petrum bello occubuisse; Albigensium multos, quod fidem suam ejurare nollent, combustos igni. Fervebat eodem tempore inter Othonem & Fridericum æmulatio. Fridericus Moguntiæ à præsule & Alemannis susceptus, Innocentii & Italorum suffragiis nitebatur,

Robert. Antiſiod. in Chron.

Matth. Pariſ.

batur, suisque opibus. Accedebant & Philippi Francorum regis subsidia, qui pernicioſam ſuis rebus Othonis potentiam duceret, nati ſorore Joannis, regis Anglorum, ob ereptam ſibi Normanniam, appetitamque de conſilio Papæ Angliam, infenſi. Ferdinandus Luſitanus, è nuptiis cum Joanna filia Balduini, Flandriæ Comes creatus, cum Anglo ſentire viſus; exutuſque penè ditione à Franco, majori eam virtute recuperavit. Joannes Rex tranſmiſit in Aquitaniam, Andegavum antea receptum, novis munitionibus firmavit. Pictones, obliterata priſtinæ ſimultatis memoria, ei affuere. Cæſar Otho Reginaldo Bononienſi, Ferdinando Flandro, Guilelmo Brabantino ſociatus, conflixit cum Franco acerrimè juxta Tornacum, ad Bovinum pontem. Sed cum ſe inprimis cerneret peti, circumacto ex vulnere equo exceſſit acie. In exercitu ejus CL millia peditum fuiſſe narrant, equitum vim tantam, ut mille & quingenti ex iis aurata balthea virtutis cauſa gererent. Reginaldus in vinculis Peronam, Ferdinandus Lutetiam ductus, Otho cum ſuis evaſit; ſed eo prælio dignitatem amiſit ſuam. *Godefr. anno 1214.*

Fridericus ad Moſellam Moſamque omnia ſubegit, deſertoque à ſuis Othone, & Coloniæ incluſo, Aquiſgrani à Sifrido coronatus eſt. Mox & Colonia Friderici in nomen adacta, inſtauratæque divina, quæ ſeſquiannum fere ceſſaverant, dum civitas anathemati Pontificio ſubjaceret.

In Anglia rem ſuam fecit Innocentius. Joannem regem metu Franci, cui univerſam Angliam, cum venia quoque peccatorum, occupandam conceſſerat, & ſuorum inſidiis territum, ad turpiſſimas adegerat conditiones, ut reſignato in manus Pandulfi legati regno, beneficiarium ſe Pontificis profiteretur; exules omnes reciperet regno, Stephanum pro Cantuarienſi præſule haberet. Ita coactus expeditionem relinquere Francus, in Flandria etiam affectus clade fuerat. Proinde Joannes, intellecta exulum adverſus ſe moſitione, & Innocentii ambitione, & avaritia inexplebili; quem auro in quodvis ſcelus certum effici didicerat, largitionibus eum devinciendum ſibi exiſtimavit. Itaque Nicolaum Thuſculanenſem, Legatum Pontificis, obſervantiſſimè excipit, ad ejus pedes regia ponit inſignia, regna Angliæ Hiberniæque tradit Pontifici, receptaque ei, tanquam feudi Domino, vectigalia facit. Legatus viciſſim differri curat reſtitutionem oblatarum Clericis opum, vacantes locos implet Clericis, ſuo ſolius arbitrio creatis, offendit præſules, & Stephanum ipſum Cantuarienſem, tantum Pontificis clientem, moroſitatis & inſolentiæ accuſat. Poſtea, licet in Normannia, & Pictonibus proſperè bellaret Joannes, tamen infelici partium prælio ad Bovinas conſternatus: *Poſtquam me*, inquit, *meaque regna Romanæ ſubjeci Eccleſiæ, nulla mihi ſecunda amplius, ſed adverſa omnia evenerunt.* Convenit ergo de quinquennalibus inter Gallos Angloſque induciis. Anglus domi novis exceptus, iiſque majoribus turbis. Petebantur à Baronibus & Clericis immunitates, ab Eduardo olim & Henrico primo datæ. Rex contra ſacerdotibus ſatisfacere cupiens de ablato, aurum rapacius exigebat. Ea diſſenſio manifeſtam in rebellionem exarſit. Appellatus iterum Francus, ut invaderet Angliam ne inducias violare videretur, filium miſit Ludovicum IX, qui rex ſalutatus, Londinum urbem regiam introivit. Innocentius omnes Angliæ Barones notavit anathemate, Regem fide immunitatum data abſolvit, Stephanum Cantuarienſem, quod abnueret execrari magnates patriæ, movit cathedra. Ipſe eo anno (erat XV ejus ſeculi) frequentiſſimum egit Romæ Concilium Epiſcoporum CCCCXII, Metropolitanorum LXXII. Intererant utriuſque Imperatoris, Henrici Byzantini, & Friderici Siculi, legati: Patriarchæ etiam Orientalium Eccleſiarum aut ipſi venerant, aut miſe- *Matth. Pariſ. pag. 242.* *Anno 1215.*

Godefr. Colon. Matth. Pariſ. pag. 262. &c.

rant nuncios. Nihil dignum tanto cœtu actum.

Recitata ab Innocentio capita, aliquibus onerosa, aliis grata visa. Inprimis agitata adversus Palæstinenses Barbaros expeditio, solutoque concilio extorta à prælatis pecunia ingens, quam Romæ à fœneratoribus duris coacti sunt legibus mutuari. Haud diu superstes tantis ausibus Innocentius, diem clausit extremum, Pontificatus anno XVIII, successore Honorio III. subsecutus Joannes Rex Angliæ, & mœrore animi confectus, Henrico ejus filio æquiores fuêre gentis proceres, eique contra jurisjurandi, quo se Francis addixerant, religionem, affuere adversus Ludovicum, jam undique omni Anglia evastata, vibrato nominatim in Barones, ipsumque Ludovicum fulmine Pontificis, Anglisque jam serò, quod in servitutem inciderent Francicam, pœnitentibus indignantibusque. Igitur Ludovicus non una prostratus clade, Londinique obsessus, ejurat Angliam: Normanniam Pictaviamque Henrico restituit, anno supra millesimum

1217. ducentesimum septimo decimo. Ludovicus postmodum Albigenses domare co-

Antisiod. Monachus. natus est frustra. Simon Comes, qui velut in præmium militiæ Tolosam sibi vindicaverat, Lateranensi concilio ei adjudicatam, ob pericula adversum hæreticos susceptа, in obsidione ipsius Tolosæ saxo ictus occubuit. Albigenses omnia castra feliciter recuperarunt, filiosque Simonis captos interemerunt. Jactabat sub hæc Honorius Papa, revelatum sibi divinitus Jerosolymam se Pontifice recipiendam à Christianis, quemadmodum & Innocentius ex Apocalypsi asseruerat; Saracenicam tyrannidem annis DCLXVI

Urspер. Antisiod. terminandam. Sed ambo falsi convicti vaticinii. Nam Honorio sedente, Damiata quidem Ægypti maximis Christianorum impensis & laboribus capta, at biennio post, majoribus eorum probris cladibusque amissa est, anno XXIV hujus seculi, ut suo dicetur loco. Potuerat recuperari Palæstina, si cupiditatibus modum sciviſſet statuere Legatus Pontificius: *At dum nimia ambit, pro gloria ignominiam retulit.*

Nec Latini propagarunt suum in Thracia Græciaque imperium. Theodorus Lascaris, Alexii quondam profugi gener, Sultanum Alexio patrocinantem, in Phrygia devicit, captumque socerum liberaliter habuit Nicææ. Cum Henrico Byzantino coluit pacem. Eo post XI imperii annos defuncto, Petrum Antisiodorensem, per nuptias Iolantes, potitum Byzantii, Romaque, ubi ab Honorio coronatus fuerat, revertentem cum copiis, depulit Dyrrachio. Tendentem inde in Macedoniam intercepit, & bienni maceratum captivitate interemit.

Hæc pleraque debemus Arnoldo Lubecensi; Godefrido Colonienſi, Roberto Antisiodorensi, qui historias hujus seculi cujus ipsi pars erant, in literas misere.

FRIDERICUS II. CÆS. GERM.
ROBERTUS & BALDUINUS Byzantini,
THEODORUS LASCARIS & JOHANNES DUCAS, Nicæni.

A. M. 5182. *Godfrid. Colon. anno* 1212. 1218.

CUm Friderico, Ænobarbi nepoti, omnia se superioris Germaniæ Italiæque permitterent, Otho in latebram se recepit Saxoniæ, & Harteſpurgi, pestilenti correptus febre ac dysenteria, discessit, anno gesti post Philippum imperii decimo. Ita Fridericus, favente Honorio, ex sententia Principum potitur rerum occiduarum, quo tempore Joannes, Brennæ Comes, Hierosolymitani regni titulo ornatus est, consilio Philippi Francorum regis; & Robertus Antisiodorensis, capto ab Lascare necatoque patre, Byzantinum conscendit solium. Is Brennus abdicato, & nimia auratarum ingurgitatione mortuo Almarico, Cypri & Jerosolymæ rege, ducta ejus filia Maria, regium susceperat nomen, ac rem Christianam in Palæstina haud segni-

Jacobus Vitr. l. 3. Oliver. Colon. de capt. Damiata. Mari. Sanut. lib. 3. part. II. cap. 3.

ter

ter administrabat. Sed ab Andrea Hungarorum rege, qui corpore ter in Jordane abluto voti se religione solutum putarat, domumque copias reduxerat, desertus, spemque recuperandæ Palæstinæ exutus, castrum peregrinorum inter Cæsaream & Cajapham montem communierat. Ex ea velut arce omnia infesta barbaris circa incolentibus, faciebat. At confirmatus novis peregrinantium auxiliis, statuit invadere Ægyptum, quod eâ incolumi viderentur vix operæ pretium nostri in Syria facturi. Petitur classe Damiata (Heliopolis quondam) munitissimum Ægypti emporium. Perrumpitur virtute arteque catena, ingressu Nili interiore arcens. Turris validissima Barbarorum ingenti labore nostratium, plurimoque cum sanguine expugnatur, Saphadinus interit. Filius commeatus inopia fractus, abducit exercitum quem defendendæ urbi habebat. Conradinus Damasci & Hierosolymorum Sultanus, filius & ipse Saphadini, conditiones offert pacis; pollicetur, sacrosanctam se crucem, & quicquid de Christianis in Syria Phœniceque, ipse aut decessores cepissent, redditurum. Franci, Angli, Germani, Itali, leges comprobabant. Obstabat Pelagius Cardinalis, perdomandam clamans prius, sanandamque Ægyptum. Conradini Oratores infecta pace dimissi. Ille indignabundus Hierosolymam, Cæsaream, Saphatum, muris discinxit, magnificentiora ædificia & monumenta diruit, ne usui nostris fierent. Sub hæc pestilentia nostros, at obsessos, cum lue dira, etiam fames populatur, capiturque tandem sesquiannum oppugnata Damiata, anno ejus seculi undevicesimo. Cum eam Pelagius, jure legationis, Pontificî attribuere niteretur, Brennus rex Ptolemaidem secessit, atque vix nobilissimorum precibus procerum mitigatus revertit. Revocato instat Pelagius, Cairum ducat, Ægyptum subigat. Reponit Brennus, de sancto solo certamen esse, in Syriam, *non quo necesse non est, non unde nullus usus exstet, arma vertenda.* Legatus perstitit in sententia, præcedere Ludovicum Bavarum, sequi cæteros jubet: qui dicto audiens non foret, eum se execrari. Iverunt metu dirarum ad LXX hominum millia: Castra ad decimum ab urbe regia lapidem locant. Munitionibus se continebat Ægyptius, quoad gnarus locorum temporumque, incautos improvidosque incruenta debellaret victoria. Patefactis enim Nili, maxime tunc increscentis, emissariis, castra nostrorum aqua superfusa operuit, usque eo, ut commeatus corrumperetur, nec in sicco consistendi locus esset. Ita plurimis submersis, superstites abjurare Damiatam, cedere Ægypto coacti: irriti tot labores redditi. Damascenus inducias in octo annos dedit: quibus fretus Rex Brennus, venit in Italiam, nova auxilia corrogaturus. Eam ingressus anno hujus seculi vicesimo Fridericus, ab Honorio acceperat Augustalia, ejusque gratiam dato Fundano Comitatu sibi authoraverat. Sed cum Anagniæ Comites, Innocentii III fratres, Othonis quondam partes sequutos, in potestatem redegisset, unus eorum Thomas, custodibus frustratis ad Honorium confugit, à quo perbenignè susceptus, nova inter regnum & sacerdotium sevit dissidia. Fridericus filiolum suum Henricum, quem è Constantia genuerat Arragonica, consecrandum curavit Aquisgrani ab Reginaldo Colonienſi, dum horrendi terræ motus Europam quassarent, & Romæ mixtum sanguine pulverem pluerent nubes, insequentium malorum portenta. Erat annus XXII illius seculi, Waldemari etiam II Danorum regis captivitate insignitus. Ille enim rex à bellica felicitate Victorioſi sortitus cognomen, quum omnem maris Balthici oram Sclavicam, Teutonicamque, adjecisset Daniæ, & Hamburgum de Othone IV recepisset, *florentissimum armorum decus Veneris impotentia maculavit*, summamque fortunam una actione pessundedit. Henricus Suerinensium Comes, Sacram pro-

Paulus Æmil. lib. 6. Matth. Paris.

1219.

Godefr. anno 1220. 1222.

1222. *Trith. Arnol. Witfr. Contin. Saxon. parte* 1. *Ericus Upsal. Hist. l.* 3.

fessus militiam, uxorem regi suam commendaverat, nuspiam ratus tutiorem, quam apud Dominum suum fore. Redux comperit violatum à rege torum, dissimulat iram, agit gratias de servata conjugis pudicitia, vindictæ cupiditatem quovis obsequio velat, donec obvium fraudulento consilio regem venatio maritima apud Fiones, largiorque Bacchus fecerunt. Sopitum enim lassitudine & vino Valdemarum nocturnus aggreditur, obstructoque ore, vinctum portat cum filio in navem, quam in hoc antea parari jusserat, abreptumque in alterum littus, Dannebergensi castro includit. Sic princeps armis inclytus, inopinanter regno & libertate excidit. Biennio post xxxv argenti redemptus talentis, regnum quidem recepit; at quia ditiones Germanicas repetiverant jam plerique, quibus antea ablatæ bello fuerant, Vandalicæ urbes per hoc regis infortunium in libertatem se vindicarant. Major motus inter Fridericum Cæsarem, Honoriumque Papam, & Europæ pernicioſior exstitit. Brennus, autore Honorio, Iolen aut Isabellam filiam Friderico collocavit, ut dotali sacro regno, sacrum majore animo capesseret bellum, unde Siculis regibus mos Hierosolymitani imperii titulos usurpandi.

Thomas. Fazel. lib. 18. de rebus Siculis cap. 2.

Philippus II. Galliarum Rex eodem tempore moriens, sexagena millia aureorum Brenno, & duobus magistris Templariorum Hospitaliumque legaverat; Ludovico filio dederat præcepta, rei Christianæ omnibus modis adjuvandæ. Sed cum is instinctu Honorii, novam in Tolosanos & Avenionenses hæreticos, ut habebantur, persecutionem adornasset, tertio post patris obitum anno periit pestilentia, cumque ipso nobiliores expeditionis socii plerique Francia ad Ludovicum IX, puerum devoluta. Fremebat sub hæc Honorius, ac dira coquebat in Fridericum, quod is minime expeditionem sacram absolveret, Lombardorum licet Saracenorumque impeditus turbis. Balduinus quidam Flandriam reposcebat, fingens se Constantinopolitanum esse illum Cæsarem, quem Nicetas trucidatum narrat. Sed filia eum sua minime recepit, produitsque tandem, capite pœnas luit, licet haud desint, qui verum eum fuisse Balduinum arbitrentur. Engelbertus, Colonienſis præsul, à Comite Isenbergio, suo consanguineo, quem ob tyrannidem increpaverat, trucidatus, successorem vindicemque nactus est Henricum, qui captum Isenbergium rota, ad latronis instar, punivit. Fridericus Imp. Cremonam evocaverat Principes, ut Palæstinæ negotium urgeret, cumque Veronenses, infestis Alpium claustris comitia impedirent, jaculatus est in eos diras suas Papa. Verum ipse mox mutatus, Veronensium se Lombardorumque aggregavit partibus, & conjurationem in Fridericum iniit, quam ne perageret, morte est præventus, anno Papatus XI. Hugo Ostiensis, Gregorii IX nomine sumpto, strenue eam peregit, fulmine in Fridericum torto, tanquam voti reum, cui nequicquam ægritudo prætexeretur. Atque ut appareret, patres illos raptam majestatem, depressis Augustis, firmatum ire, transire jam volentem mare Imperatorem inhibuit Pontifex, minime ex dignitate Augusta instructam classem objectans. Th. Fazellus Monachus Fridericum tradit, pro pede dextro Pontificis Gregorii genua ejus exosculatum idque altius in Pontificis animo, quam ut unquam excidere posset, hæsisse.

Matth. Paris.

Godefr. Colon. anno 1225. 1226.

Th. Faz. d. 2. l. 8. cap. 2.

Cæsar. l. 5. c. 21. 22. Matth. Paris. cap. 322. Godefr. Colon.

Sed Fridericus refutandæ calumniæ ursit iter, spretaque Papali ira, pervectus Ptolemaidem, munit Joppen, Sultanum domestico intricatum bello cogit reddere Jerosolymam, Bethlehemum & Nazaretham. Gregorius interim Joannem Brennum sacratis instruit pecuniis, perque eum Apuliam occupat & Calabriam, adjecta & fama, mortuum esse Cæsarem, fulminis Pontificii telo ictum, ut facilius in suas alliciat partes subditos. Inducit & Templarios, qui exitium

Matth. Paris. p. 443. &c.

tium Friderico parent. Sed fruſtra fuêre iſta. Sultanus ipſe execratus Pontificiam perfidiam monſtravit proditrices literas ſuis, addiditque : *En fidem Chriſtianorum!*

Godefr. an. 1229. Matth. pag. 337. 349. & 354. Chron. Aug. Annal. Suev. an. 1230. Pariſ. pag. 358.

Fridericus ſua coactus repetere, Reinaldo Bavaro committit Syriæ principatum, reverſuſque in Siciliam, brevi recuperat amiſſa, ſocerum perfidum prælio ſternit & profligat, Soram uno die oppugnatam excindit. Gregorium ab ipſis Romanis expulſum, qui aliquandiu decimis hinc inde avariſſime exactis militem ſaginaſſet, jamque auri egeret, per Leopoldum Auſtriacum, immenſa placavit pecunia, ut abſolutus menſæ ejus glorioſe adhiberetur. At de iſtis artibus populari dictum eſt verbo :

Non habet eventus ſordida præda bonos.

Anglia expilationes Romanenſium deteſtata, decreto ſanxit, ne quid ulterius erronibus iſtis penderetur.

Hinc Papa & Imperator in rebelles verſi, igni eos cremant. Fridericus Meſſanenſes in Sicilia, Papa per Conradum quendam innumeros Teutones, hæreſeos inſimulatos. Eodem die, ſcribit Godefridus Colonienſis, quo quis accuſatus eſt, ſeu juſte, ſeu injuſte, nullius appellationis, nullius defenſionis refugio proficiente, damnatur, & flammis crudeliter injicitur. Quamobrem Conradus iſte, immaniſſimæ perſecutionis adminiſter, à quibuſdam nobilibus, nullum gratiæ locum apud eum invenientibus, juxta Marpurgum trucidatur. In Stadingos, Saxoniæ Friſiæque populos, arma ſumpta à Pontificiis, quæ illi maſculè repulere. Gregorius iterum à civibus exactus, libertatem ſpirantibus vetuſtam, Reati ſe defendit Teutonicorum militum præſidio. Ceciderunt uno prælio armatorum xxx millia. Exinde circummiſit prædicatores, qui novas in Palæſtinam copias excirent, pecuniis populos emungerent, eorumque opera ingens multitudo confluxit, ducibus Theobaldo Navarræ rege, Almerico Montefortio, Henrico Campano & aliis.

Godefr. an. 1233. 1234.

Plat. in Greg IX. Matth. Pariſ. pag. 388. 394. 513. Roder. Tol. lib. 9. cap. 16.

Quæ plebs, cum navibus haud poſſet, pedeſtre molita iter paſſimque cæſa & attrita, attigit Ptolemaidem. Verum non multo poſt, ſuperveniente Turcarum exercitu, fortiſſimus quiſque occubuit; pauci admodum in patriam inglorii rediere. Illis temporibus Ferdinandus Rex Caſtellæ, Hiſpalin & Cordubam: Jacobus rex Aragonum, Valentiam & Majoricam de Saracenis recepere, Barbaris in Africam expulſis. Friderico Imperatori Henricus filius, qui Germaniæ præerat, ſe opponere auſus ex ſubjugata Bavaria, *vindicem ſenſit paternæ majeſtatis Deum.* Tradunt Longobardorum conjuratione corruptum, quod Conradum è Iolanta, Hieroſolymæ regina ſuſceptum, tenerius diligeret Fridericus; ſed cum in caſtello quodam captus, ad genua accidiſſet patris, demptiſque vinculis, veniam pene impetraſſet, convictus poſtea venenum procuraſſe genitori, oneratur catenis, & infenſiſſimo hoſti, Duci Bavariæ, quem ſpoliare hæreditate voluerat, cuſtodiendus traditur.

Lucas Tudenſis in Chron. Monac. Pad. Mat. Pariſ. Godefr. Annal. an. 1235. 1237. Indicis rerum ab Arag. regib. geſt. lib. 2. Bern. Gomeſ. lib. 11. Pariſ. pag. 401. 404. 418.

Eodem anno Iſabellam duxit Imperator, tertiam conjugem, Henrici III Anglorum regis ſororem. Papa Gregorius decretales edidit : uſurarios defendit Anglicanos; voto peregrinationis Syriacæ abſolvit pretio, quos voluit. Franciſcani, eandem prædicarunt peccati indulgentiam iis fore, qui pecunias in recuperationem terræ ſanctæ erogarent, quam qui laborioſum iter ſuſciperent. Quibus auditis, infremuerunt multi, *admirantes tot reperiri vias Romanenſibus, queis loculos expilarent populorum.*

An. 1236

Anno xxxvi ſeculi Chriſtiani decimi tertii, in Longobardos, eorumque inſolentiſſimos Mediolanenſes, arma paravit Imperator, cum interfuiſſet conſecrationi Eliſabethæ, viduæ Cattorum Landgravii, Andrea Ungarorum rege genitæ, quam quinquennio anno defunctam,

Matth. Pariſ. pag. 419. Godefr. Colon.

ctam, Gregorius Divam pronunciaverat. Godefridus ejus ætatis scriptor, duodecies centena hominum millia ob hanc causam Marburgum confluxisse narrat. Tanta superstitionis vis fuit.

Parisius pag. 423. Interim ille Divorum creator Gregorius occulte fovebat rebelliones Longobardicas, Simoniam sine rubore exercebat, filia Sion, ut meretrix effrons, prostabat populis. Fridericum ab obsidione Mediolani retraxit Friderici Austriaci violentia, qui Hungaris, vicinisque omnibus ferebatur infestus, citatusque ad comitia edictum contemnebat. Is tota ditione exutus, quumque satisfeciſſet Imperatori, receptus iterum, à libidinibus suis non discessit.

Chron. Aug. Niceph. Greg. l. 2. & lib. 4. pag. 40.

Græcis Byzantinis dominabatur Robertus, Henrici & Balduini sorore genitus Iolanta, qui susceptis Alexio & Isaacio Comnenis exercitum dedit, ad Asiaticos Græcos subigendos. Indignabantur enim Comneni, Johannem Ducam, generum Theodori Lascaris, rerum potiri post socerum, regiumque stemma contemni. Sed *infeliciter cessit ambitiosa expeditio.* Theodorus Lascaris octodecim annis illas imperii reliquias collegerat, filiamque Irenen Ducæ, egregio & cordato junxerat viro, *qui nec inconsulto quicquam faceret, & consulta celeriter expediret.* Itaque non tantum acie devicit æmulos, sed etiam civitates Asiæ, olim Henrico subactas, Latina servitute liberavit. Theodorus Angelus, absente Montisferratense Marchione, regebat Thessaliam, atque ut erat acer, & rebus novandis ingeniosus, Thessalonicam occupavit, regemque se à Primæ Justinianæ Episcopo inungi fecit. Quem ut Bulgariæ suæ vidit imminere Joannes Dynasta, accitis Scytharum auxiliis, prælio vincit Theodorum, & oculos ei eradit. Joannes interim Ducas Lesbum, Chium, Samum, Rhodon, aliasque insulas subigit, cui paulo post & Sestus, Calliopolis, Cardia, & Chersonesus accessere. Itaque Bulgarus sororem Helenam filio Ducæ despondet, Theodoro, inquam, Lascari juniori, eoque pacto Ducas Thraciæ & Macedoniæ urbes, perpetuis conflictatas miseriis, dum modo huic, modo illi subjiciuntur prædoni, sibi subdidit, atque à Byzantio Strymonem usque fl. progressus, Græcorum resovere Remp. cœpit. Joannes Brennus sub hæc extorris Jerosolymæ Rex, tutor Balduini pueri, cui Roberto fratre mortuo Byzantium cesserat, Latini imperii curabat rudera, quem Matthæus Paris aut Parisiensis, hujus scriptor temporis, anno XXXVII ejus seculi memorat defunctum, Græcamque Ecclesiam penitus à Romana defeciſſe: quum, si Godefrido fides, Jacobitæ, Nestoriani, Marmaritæ, aliique Orientales Christiani, Pontificiam subirent ditionem, Armeniam & ulteriora quæque Tartaris Scythis effusissime vastantibus. Eorum dux Sitzis Chanus, conditor Tartarorum Reip. duobus filiis relictis, decessit.

Parisius pag. 425. 1237. *Godefrid. an. 1237. Niceph. Greg. l. 2.*

Telepugas alter filiorum, meridianas Caucasi partes, Caspiique maris littora pervasit, perque Massagetas, & Sauromatas progressus omnes ad Mœotidem paludem & Tanaim fl. gentes subegit. Deinde Tanais fontibus superatis, impetum in Europæas nationes vertit. Hunni & Comani, Istri ostiorum accolæ, intolerabili Tartarorum perterriti impressione, mutandas sibi sedes censuerunt. Neque enim ullis gentibus satis erat ad resistendum fiduciæ, sed velut spicæ in area terebantur. At priusquam certam sibi sedem legerent, Joannes Ducas Imperaror beneficiis eos allectavit, suisque adscripsit legionibus complures, aliis alibi sedibus attributis, partim in Thracia & Macedonia, partim in Asia ad Mæandrum Phrygiaque.

Alter Sitzis filius Chalaus, (M. Paulo Veneto forte Cublai, aliis Cobilas est) relictis ad Caucasi radices hybernis, populos superioris Asiæ ad Indos usque, annuis prædatus excursionibus, ad Chaldæos & Arabes pervenit, tertioque anno,

M. Paulus Venet. l. 2. c. 4. & c. l. 3. c. 38. & segq.

no, postquam Jaxartem fl. transierat, Mesopotamiam tenuit, tribunisque suis & Satrapis, aliis alio missis, Persas primum, & Parthos Medosque subegit: Deinde per Armeniam majorem abscendendo, eo tempore quo Damiatam expugnabant nostri, versus Septentrionem ad Colchidem, & finitimam illi excurrit Iberiam, *auri deliciarumque contemptor initio, postea vero per fortunæ blanditias cum aliis amator.*

Marin. l. 3. p. 2. c. 11. 12. 13. Niceph. Greg. l. 2.

Turcæ, impares se Tartaris simul Græcisque rati, fœdus cum Duca Imperatore inierunt, quod ille cupide amplexus, ad agros vineasque colendas incitavit suos, iisque effecit artibus, ut alimentorum egentes Turcæ, aurum suum gemmasque vili cibo commutatas, haud gravatim Græcis permitterent. *Peregrinas contra vestes, Assyrias, Babylonicas, fericas, inhibuit prudentissimus Imperator, nobilitatis insignia virtute & Græco definiens amictu, divitiasque domo*, quod aiunt, *domum deferens.* Notavit & Germanus, Byzantinorum præsul, Honorii & Romanensium tyrannidem avaritiamque, hortatusque epistolis, ut saniorem ad mentem redirent, nihil profecit. Ex eo Græca Ecclesia, quæ à Latinorum dominatu Romam cœperat ut matrem venerari, deinceps edocta mores ejus, tanquam meretricem novercantem execrata est. Nec Scotiæ rex ullum intra regni sui pomœria Legatum Pontificis admisit. Henricus III, tanto pronior in Honorium, adeo peregrinis indulgebat consiliariis, ut alienatis à se indigenis Magnatibus, intestino Britanniam bello implicaret. Fridericus Imp. Mediolanensibus fortiter punitis, præter urbes quatuor, inter quas Bononia, universam Italiam suis partibus adjunxerat. Balduinus contra, Petri Antisiodorensis filius, à Byzantinis suis Burgundionibus ablegatus, in Anglia, aliisque Latinorum regnis, opem commendicabat, imperio recuperando firmandoque, anno istius seculi XXXVIII. Saraceni similiter in Franciam Angliamque profecti, auxilia in Tartaros petitum, quos à Taro fl. dictos putat Paris, additque Episcopum Wintonienſem dixisse: *Sinamus illos canes invicem se laniare, Christi inimicos, ut nos superstites, mundum Ecclesiæ catholicæ subjiciamus.* Sane Marinus Sanutus tradit, Olacos & Siculos, Pannoniæ populos, montium aditus Tartaris occlusisse, ne in occiduas terras licentius se effunderent: Sed paucis post annis, XLII præsertim, Russiam eos invasisse, vicinasque regiones, Turciamque ipsam, ac XXX regna integra, prædæ ac ludibrio habuisse. Chan princeps Tartarorum nuncium se scripsit Dei excelsi, ad edomandas gentes sibi rebelles missum. Sed tanta incesserat Christianorum principes discordia, ut eo flagello opus esset ad veternum oculis detergendum, quod tamen nec illis vibicibus effectum.

Matth. Parisius 441. & cap. 465.

Georg. Logoth. Chron. Constant. Parisius pag. 430. 431.

P. Æmil. lib. 7. Parisius pag. 435. 456. 465. An. 1238.

Marin. l. 3. p. 2. c. 13. 16.

Paris pag. 455. Matth. Hist. Orient. cap. 18. Vincent. lib. 31. cap. 150.

Fridericus Lombardica è victoria tumidior, nullam Mediolanensibus pacem, nisi se suaque omnia permittentibus, dabat. Subegerat & Sardiniam insulam, ab antiquo Siculis obedientem regibus. Ea fortuna male habebat Gregorium, jam inde à principio Papatus parum Friderico æquum. Jubet ergo reddere Sardiniam Ecclesiæ: ni faciat, anathemate plectendum. Imperator professus publice, nihil se alienum appetere, Sacramento obstrictum imperio recuperare sua, Gregorii indignis modis potestate sua abutentis judicium non vereri, diris devovetur, hæreticus appellatus & hostis Ecclesiæ. Ille vicissim circummissis ad reges literis, innocentiam demonstrat suam, Papam multorum redarguit criminum. Sed nisi Romana avaritia devotionem populorum ab Gregorio avertisset, totus mundus Papæ epistolis exasperatus, in Imperatorem, ut Christi inimicum, unanimiter insurrexisset. Nam & Ezelinus de Romano faciebat ei invidiam, copiis à Friderico acceptis, in Transpadana Italia tyrannidem exercens, redactis in potestatem suam Tarvisio, Patavio, Vicentia, Verona, Brixia.

Matth. Parisius pag. 495. Monach. Padua. Platin.

Pontificem vero cives Romani lucro, quod è præsentia ejus capiebatur, adducti, in urbem receperant. Venetos & Genuenses, de imperio maris decertantes, sibi conciliaverat Gregorius ipse, fœdusque inter eos in nonum annum stabilierat, ut communibus bellum auspiciis gereretur.

Robertum, Ludovici Francorum Regis fratrem, vocabat ad imperium, Germanos nequicquam ad defectionem incitari expertus. Responsum à Francis, plus se religionis in Friderico reperisse hactenus, quam in ipso Papa. Ausu eum temerario abjudicasse potestatem summo principi: *qui si apice isto dejiciendus sit, meritis id exigentibus, penes solum concilium sententiæ dictionem fore.* Helias, Franciscanorum caput, absolvit etiam ligatos ab Gregorio, multorumque eum criminum publice reum fecit. Carthusiensis quidam in Anglia diserte eum hæreticum, & Ecclesiæ pollutorem confirmavit.

Matth. Pariſ. pag. 500. 514.

Matth. pag. 510. 511.

Paulo post Francorum rex Ludovicus, & Anglorum Henricus, inimicitiam induerunt Friderici, quod Raimundum Provinciæ comitem, utriusque regis socerum, Tolosani Comitis oppugnaret armis, prætexens eum minus dicto audientem esse, neque in Flandrum, hostem imperii, bellum ex edicto sumsisse. Gregorius interim pene oppressus à Friderico, inducias interventu Joannis Columnæ cum Cæsare init, quas tamen mox dissolvit, auro Anglicano & Francico refocillatus, *quod mellitis sermocinationibus, & fellitis comminationibus miscuerat*, dicente Parisiensi. Columna jussus renunciare Cæsari datam de induciis fidem, abnuit, oggerentique Papæ, eum de cætero sibi haud pro Cardinali fore, reposuit, *nec tu mihi pro Papa.* Etenim sacratum à Papa exercitum jam orco mactaverat Imperator, Venetosque paludibus conclusos vehementer afflixerat. Ferraria tamen Pontifici recuperata, & Azoni data Estensi.

Pariſ. pag. 522.

Fridericus, cum non satis constaret, qui partes suas, quive Pontificis sequerentur, antiqua Guelforum Gibellinorumque nomina innovavit. Inde Florentini nobiles suos Gibellinarum, id est, Cæsarianarum partium ejiciunt, Aretini & Senenses Guelfos. Exemplum reliquas pervasit civitates; ubique plus quam civilia bella, pleræque urbes à Pontifice desciverе. Defeciſſent & Romani, ni Pontifex, delatis per urbem supplicando Apostolorum capitibus, populum ad commiserationem flexisset.

Plat. in Gregor.

Imperator Beneventum vi captum diripuit, Cassinensi monasterio ejecit Benedicti sectatores, Saracenis Nuceriam concessit, Ravennam repentino incursu petitam, in potestatem suam redegit. Hanc ob rem Gregorius concilium apud Lateranum indixit, in quo de abrogando Friderico ageretur. Verum Fridericus, testatus diplomatibus, locum, tempus, patres, indictionem, omnia pro Gregorio, omnia contra se esse ordinata, terra marique præclusit vias, quosdam Cardinales atque antistites mari captos, adjuvantibus Pisanis, in carcerem conjecit. Qua ex re tantum cepit doloris Gregorius, ut animam cum pravis molitionibus dimitteret, anno pontificatus plusquam XIV, vitæ fere centesimo. Faventia diuturna obsidione subacta, se dedidit Friderico, & misericordem experta victorem est.

Matth. Pariſ. pag. 524. 534. 555. an. 1241.

Fusi etiam ab ejus filiis Conrado Henricoque, & fugati Tartari, jam ad Danubium progressi; Polonia, Hungaria, Silesiaque vastatis. Nam Hungariæ rex Bela subditorum odiis laborabat: ob exceptos regni viscеribus Cumanos, majorique quam Reip. expediebat, liberalitate cultos. Itaque invadentibus eum Tartaris, nihil feliciter gesserat, Barbari incendio, libidinibus, rapinis omnia fœdarant. Cum autem Fridericus Austriacus, Conrado regi junctus, expulisset Tartaros, Hungari Cumanos eis exilii comites addidere. Verum mox revertentes Cumani magna Hungaros affecerunt strage: regnumque totum, fugiente

Anton. Bonfin. d. 2. l. 8. Pariſ. pag. 540. 545. Dubr. lib. 15.

Pariſ. pag. 598.

fugiente Bela, deprædatione habitum Barbaris; qui exsaturati vix tandem, onustique spoliis, Mysia, Bulgariaque peragrata, avitas ad Ostia Istri sedes repetierunt. Bela cum crucigerorum, (quorum larga tum ubique seges) & Cæsaris auxiliis, regnum recepisset, Austriacum adortus est bello, ob ademptos sibi profugo thesauros, eoque cæso, raptis ipsius opibus, expilatam Hungariam cœpit solari.

Crom. l. 8. Apud Polonos, post Lesci Albi obitum, dubiis casibus diu nutavit Resp. Boleslaus puer (cui ex votiva abstinentia Pudici cognomen inditum) ambitiosa tutorum inquietudine pene amiserat regnum. Conradus, ejus patruus, tutelam sibi adversus Henricum Vratislaviensem vendicabat: unde crebri conflictus, & utrinque damna, donec tandem Conradus potiores tulit partes, invita matre Boleslai. Pupillus ipse genitricis secutus affectus, Henrico impensius favebat, ac proinde captus à Conrado, & in monasterio quodam delitescere coactus est. Deceptis autem vino custodibus, cum ad Henricum evasisset, ejus ope operaque principatum recuperavit, ægreque per proceres impetratum, ut tutores ambo potestate se abdicarent. Ita attritam intestinis malis Poloniam Tartari irruperunt, sub annum salutis MCCXL. innumerosque mortales aut vita privarunt, aut libertate. Pudicus cum conjuge in Hungariam profugerat ad socerum: sed cum eadem tempestas, & illum regno exegisset, Tartarique jam Silesiam vastarent Moraviamque, castello se quodam abdidit. Submotis inde Germanorum virtute Barbaris, Henrici Vratislaviensis, qui in acie occubuerat, filius Polonia potitur, mox vicissim amotus à Conrado, Boleslai patruo. Verum nec illi diuturnum imperium stetit. Ubi enim sumptus bellorum severius exigeret, in odium adductus Polonorum extremum, Boleslao reditum aperuit in patriam: qui anno demum XLVII, mortuo Conrado, principatum in pace possedit.

Ea tempestate Balduinus, Latinorum apud Græcos Imperator, urgente re numaria, ferrum spineum, ac crucem Domini (ita habebantur, quanquam Saladinus crucem perhibetur veram abstulisse) Venetis grandi pecunia oppignerarat. Illud nomen luit Rex Francus, Sanctissimaque deposita occurrens reverendissime excepit. Sed ea impietas visa Balduini, sacras opes nundinantis, odium invidiamque ei apud Græcos auxit, & novam ad occidentales oras profectionem imposuit. Successerat Gregorio IX, Cælestinus IV, quum Fridericus, deprecante Richardo Anglo, è Palæstina reduce, Cardinales ad tempus liberasset. Cælestinus duodeviginti dies, nec sine schismate sedit. Exin unum & viginti menses sine Papa egit Ecclesia, quo tempore Bononiensis Academia Patavium migravit, autore Cæsare. Balduinus vero, omissa spe bene gerendæ rei in Asia, cum Raimundo Tolosano in Italiam veniens, tantum precibus valuit & autoritate apud Fridericum, qui tum Parmæ erat, ut Cardinales, alios que præsules missos faceret, juberetque designationi Pontificis intendere. Dissidentes cunctantesque ipse armis, Ludovicus IX minis ursit, malis ambo suis, quantamque rei Christianæ perniciem procurarent, ignari.

Matth. Paris. pag. 532. P. Æmil. lib. 7. Antonin. tit. 19 p. 3.

Platin. Matth. pag. 556.

Creatus Anagniæ anno MCCXLIII Sinibaldus Fliscus Ligur, cui Innocentii IV nomen impositum. Statim ex amico Cardinali Pontifex Cæsari inimicissimus factus, suspicionem firmavit, *sedem Romanam dare potius vitia sessoribus, quam accipere ab illis.* Delusо enim spe pacis Imperatore, in quem statim more majorum fulminaverat, insidias sibi strui suspicatus, mentitusve, Genuam Roma profugit, exinde in Franciam profectus navi, Lugdunum pervenit. Viterbienses Romanis juncti, cladem quandam ingesserant Friderico, subitanea conspiratione præsidibus suis oppressis, ultionem meditanti. Ibi habito conflictu, quidam Imperatori persimilis occubuit,

Matth. Paris. 585. 617. 631.

Paris. pag. 588.

vulgataque exitii ipsius fama, multos, ut *est mobile semper vulgus*, in diversas partes abstulit. Summa, *nusquam erat quies, nisi Deo fidentibus soli.*

Papa & Imperator perpetuis inter se confligentes dissidiis, alebant Tartarorum, Saracenorum, Turcarumque errores, jactantium, benigniorem esse sibi ac suis Deum, quam Christianis, mutuo semet odio perimentibus. Inter Francos Angloscque vix coierant iterum inducie ex bello, quod Hugonis, Marchiæ Comitis, ambitio, & Isabellæ quondam Anglorum reginæ, uxoris ejus, conflaverat.

In Syria Templarii ab Hospitalis Teutonicique ordinis militia dissidentes, classicum canebant, occasionem quoque præbentes Sultano Babylonico, Choraſmios à Tartaris pulsos in Palæstinam immittendi. Qui Gaza & Ascalone expugnatis, plurima intulerunt rei Christianæ damna, cæsisque ad Jordanem sacris militibus, ipsam Jerosolymam sine labore occupatam evertêre, civibus & inquilinis immaniter trucidatis. Sultanus Ægypti novus, è Mamalucis electus, Damascenum, Christianis fœderatum subegit; Tiberiadis castrum, aliaque à Navarreno, Richardo, aut cæteris munita, destruxit. Turcomanni, qui & Mamaluci, exinde & Antiochenis formidini esse cœpêre. Sacra profanaque Christianorum minabantur ruinam. Minores & Prædicatores monachi subitis inflati successibus, utri potiores essent, inter se rixabantur: Subtilius, quam par erat, de visione Dei, de natura divina & Angelica, disputaturientes, humanis etiam viribus ad cælestia acquirenda nimium deferebant. Innocentius continuando expilationes, nationibus, & inter eas Anglicanæ, fastidium creabat regiminis Pontificii, Cistertiensium intercessione humillima apud Ludovicum IX reperit patrocinium, qui rex deliquio oppressus letali, cum admotis cruce & lancea, respirasset, vovit expeditionem Syriacam, Pontificiamque tutatus est inscienti zelo authoritatem.

Marin. lib. 3. pag. 12. cap. 1.

Paris. pag. 592. 596 625. 632.

Igitur legit novos Cardinales Papa, atque ut augustiores efficeret, purpureis eos vestibus pileoque nobilitavit. Imperatorem denuo execratus, cum Germanis sedulo egit, ut Henricum Thuringiæ Landgravium sibi præficerent regem. Sed Fridericus, qua authoritate, qua armis, filii imprimis Conradi opera, perfecit, ne quid illi motus pestiferum procrearent. Itaque Papa altiori intentus negotio, contraxit è variis mundi partibus Synodum Lugdunensem. Ubi eleganter & animose defendentibus Imp. Thaddæo Suessano, Petro de Vineis, Waltero Ocrano, & aliis, cumque parum proficerent, ad plenius concilium provocantibus, nihilominus multo cum audientium horrore, Fridericus è cœtu sanctorum exclusus, omnibusque diris devotus est, anno ejus seculi XLV. Mandatum & principibus, ut actutum novum sibi deligant Cæsarem. Impletum ante omnia Pontificis ærarium thesauris ambitiosorum hominum, accusatoribus avaritiæ & Simoniæ Romanensis nihil responsum. Injectus tamen regibus scrupulus, ne forte deinceps Romani, plebeia licet stirpe orti dicerent: Nos maximum Imperatorem Fridericum conculcavimus, & *quis tu es, qui nobis audeas resistere*? Creditum interea plerisque Imperatorem varias ob noxas haud immerito damnatum.

Marin. l. 3. p. 12. Matth. Paris. pag. 643. Albert. Stad. Chron. an. 1245.

Ap. 13. 4. Paris. pag. 660.

Ille contemptis initio diris, Mediolanenses graviter affligebat: deinde conspicatus se à sponsa Austriaca, ac multis principibus, ut Ecclesiæ extorrem sperni; obtulit Innocentio perpetuam in Palæstina militiam, modo sibi anathematis nexibus soluto, Conradus filius sufficeretur. Sed Innocentius erecta cervice, adeo irrisit conditiones, ut indignaretur & Ludovicus, quod speratam modestiam in servo servorum Dei minime reperiret. Nec annuit Francus incitanti eum Papæ, ut Angliam negatas ob con-

Matth. Paris. pag. 666. 669. 683.

contributiones armis adoriretur, *pluris faciens fidem regiam, quam importunam nefandamque ſuaſionem.* Non deſinebat ſub hæc Fridericus inculcare regibus, intolerabilis exempli rem eſſe, ſi Epiſcopo Romano, cui ut alii præſuli, clavibus regni cæleſtis legitime utenti obedientia minime denegaretur, in ſummas poteſtates tyrannidem liceret uſurpare. Innocentius contra largitionibus devicit Henrici Landgravii cunctationem, & capeſſere imperium ſubegit. Conradus Friderici filius, dum pugnam adverſus eum init, ignarus corruptos eſſe promiſſo aut muneribus duces, deſeritur in prælio, & ad patrem inglorius redit.

Matth. Pariſ. p. 184. Duo ſub hæc nova carcinomata Eccleſiæ gubernationem inſederunt. Si qui principes armis decertarent, illico alteram partem anathematis, urgebat Papa, hac via ex omni diſſidio lucraturus. Et ſi quem ſolita ineſcatus ambientium prodigalitate, ad majorem provexiſſet dignitatem, illi etiam priores relinquebat cenſus, utrinque hiantes impleturus rictus ſuorum familiarium.

Pariſ. p. 687. 689. 691. 698. Chron. Aug. Gemebat interim pietas, in Syria multi Mahumetiſmum amplectebantur. Fridericus jam malleus Romanenſium, haud permittebat ſubſidia advehi Palæſtinenſibus, aſſerens, *nulla arte ditiores effectos, nulla ſophiſtica magis intumuiſſe ſaginatos Pontifices, quam ſpecioſo liberationis Palæſtinæ glaucomate.* Inducias aut pacem petenti Innocentio reſcripſit Sultanus Babylonicus, cum Friderico ſibi fœdus patrique ſuo ictum, abſque eo nullum cum Chriſtianis commercium fore. Innocentius autem ſicarios ſubornavit Cæſari: ſed deprehenſi capite luerunt ſcelus. Magnates Franciæ, Papam ad humilitatem Eccleſiæ primitivæ reducere molientes, partim beneficiis, partim minis emolliti: Pecuniam tamen nec mutuaticiam dedere, fallacia Romanorum jam nimis denudata.

Albert. Stad. Chron. In Germania Epiſcoporum ſubnixus opibus Landgravius, pro Imperatore ſe gerebat; ſolenniter inaugurandus tendebat Ulmam. Ibi excipitur præliis à Conrado rege, qui fata Martis ambigua metuens, xv bellatorum millia arcano cuidam diverticulo incluſerat. Conſerta acie, cum victoria ad Landgravium inclinaret, erumpunt ex inſidiis armati; Pontificius Imperator accepto vulnere fugit, auro ab Innocentio ſubmiſſo ſpoliatur, præcipui ejus fautores cadunt. Ipſe Iſenacum deportatus, mæſtiſſimam paulo poſt animam exhalat, anno ejus ſeculi ſeptimo & quadrageſimo. 1247.

Tanta ictus calamitate Innocentius, quatuor Oratores in Alemanniam, Italiam, Hiſpaniam, Norvegiam legat, pollicitus per eos peccatorum regibus veniam, ſi unanimes in Fridericum inſurgant, deploratamve ex inopia curiam liberalitate juvent. Fridericus Apuliæ Siciliæque præpoſito filio Henrico, quem ex Iſabella Anglica genuerat, captoque per Henſium nothum Sardiniæ Regem, præcipuo Innocentii agnato, cum comperiſſet ſe filiumque Conradum atrociſſimis denuo perſtrictum diris, *Sic fecerunt*, inquit, *qui Chriſtum crucifixum mortuumque lancea perfoderunt.* Exinde ſubmiſſos à Papa Guilelmo Hollando, ad ſumendum contra ſe imperium, theſauros, per Comitem Sabaudum intercepit. Sed legatus in Germaniam deſtinatus ab Innocentio, Conradum Colonienſem, alioſque præſules ſibi devinxit; extortaque variis artibus infinita pecunia, validas armavit copias, quibus firmior jam Guilelmus, Conradum regem Germania exegit, *piſcantibus non homines, ſed nummos* Franciſcanis Dominicaniſque, quos dudum Pontifices *curſores dromedarioſque*, & *publicanos* paſſim ordinarant. *Pariſ. p. 703. 704. 705.*

Quare in Burgundiam cogitabat Fridericus, Lugdunum Pontifici ea parte infeſtum facturus. Iter ei habenti, Parma largitionibus corrupta Innocentianis, portas clauſit. Ibi hæſit, ſtatuens non prius ultra progredi, quam ea expugnata *Pariſ. p. 711. P. Æmil lib. 7.*

deletaque, cæteris terrorem hoc exemplo injiceret. Plus annum ea obsidio tenuit. Ibi novæ urbis condendæ spacium mensus, Victoriam eam appellat, nummum Victoriarum. Sultanorum Orientis, simul Africæ regum socius, missis ad se elephantis ferisque, spectacula edidit; Cæsarum veterum magnificentiam, aut potius vanitatem, alieno tempore æquare conatus, ad penuriam pecuniæ recidit. Victoriatos ex aureis scorteos cudi fecit, fiscum suum aureis eos commutaturum pollicitus. Parmensibus deditionem offerentibus, in superbiam elatus & truculentiam, respondit: parce ac prudenter annona sua uterentur, quia vivente Friderico, nihil ultra quam nunc haberent, manderent. Ea austeritas à Thaddæo ut emanavit, ita in ejus caput vertit. Aberat forte ab exercitu Cæsar, valetudinis se causa recreaturus, magnamque partem militum secum abduxerat, proposito castris Thaddæo. Ista occasione usi Parmenses, *& repentina & fortissima, qualis esse desperatorum solet, eruptione* in fugam agunt Cæsarianos, castris & impedimentis exuunt, præter aliam opulentiam, XV jumentorum millia capiunt, ipsumque Thaddæum concidunt in frusta. Victoria urbs, ante victa eversaque, quam plane in basi consisteret.

Paris. p. 716. 721.

Ea res prostravit partes Cæsaris, Pontificias erexit. In Germania similiter fervebat bellum. Guilelmus consecrationis cupidus Aquisgranum obsidebat. Dux Saxoniæ & Bavarus, cujus filiam duxerat Conradus, haud assentiebantur Guilelmi electioni: Colonienses, Clericique ditiores eam armis dirisque urgebant. Victa tandem urbs aquarum inundationibus, admisit Guilelmum; Conradus à cruce signatis repulsus est cum clade.

Pio magis bello Ferdinandus Castellanus Hispalin, quæ & Sivilia, edomuit eodem anno XLVIII, centumque Maurorum millia expulit urbe. Eadem mente Ludovicus IX, relicta matri Blancæ administratione Franciæ, in Palæstinam susceperat iter, quem prope fame confectum in Cypro, Imperator commeatu largiter misso refocillavit. Quo nomine monitus à Ludov. & Blanca Innocentius, rancorem in Fridericum conceptum demitigare, tantum abfuit, ut morem eis gereret, ut multo acrius Imperatorem oppugnaret. Patuitque eodem tempore horrenda proditio Petri de Vinea, qui depravatus, ut fama erat, ab Innocentio, per Medicum tollere veneno voluerat Fridericum. Detecto autem scelere, quum instaret ægro Imperatori, potionemque suaderet sumere toxicatam, prægustare eam jussus Medicus, effudit in terram medicamen. Petrus effossis ob id oculis circumductus, ne Pisanorum moreretur arbitrio, allisum columnæ cerebrum excussit.

Paris. p. 723. Marianus lib. 12. de rebus Hist. c. 12. &c.

l. 13. c. 5. 7.

Paris. p. 739. Pand. Collenutius l. 4. Hist. Neap.

Innocentius ad Imperatorem Tartarorum quatuor Monachos miserat, è Prædicatorum cœtu, si gens, horrido cœli cardine profecta, beatioresque quærentes regiones, imbui Christianissimo posset, ac ab insita feritate mansuefieri, ne vastitatem orbi terrarum inferret. Et percrebuit, susceptum à Tartarorum rege baptismum, ac missos ad Ludovicum Oratores, animantes eum premere fortiter Damiatam, Tartarum interim superiora Asiæ invasurum. Literæ Arabicis erant literis scriptæ, quas à Mahumeticæ superstitionis antesignanis addidicerant Scythæ; Sed inspectis Christianorum vitiis, moribusque corruptissimis, obfuit magis legatio novæ religionis rudimento, quam profuit.

P. Æmil. lib. 7. Paris. p. 744.

Ab Chorasmiis, qui Palæstinam cædibus impleverant, periculum amplius non erat. Excitata enim adversus Sultanum rebellione, jam internecione erant deleti. Itaque Ludovicus Francus, comitatus principibus & copiis, quas pestilentia ei variique casus reliquas fecerant, Damiatam ab Ægyptiis desertam, incensamque occupavit. Inde promotis Cairum versus copiis, duobus fluviis claditur. Hostes ex adversa ripa tormentis tela

Paris. p. 711. 750. Ludov. regis Epist.

tela ingerebant. Nulla evadendi patebat via. Plurimi tunc occidentalium ad Barbaros defecere, multi Chriſtum, pro quo ſe militare putabant, ſubſannantes, Mahometi acceperunt legem. Monſtrato tandem, transfuga indice, vado, pervenitur ad caſtra hoſtium, Robertus Atrebas cadit, variis prœliis certatur, quibus nobiliſſimi Barbarorum duces deſiderati. Calipha Meledinus, cladis nuncio perculſus, animam exhalavit. Ejus filius Melexala, multo vicinis omnibus acceptior, Babylonicis Arabicisque ſtipatus auxiliis, advolavit in Ægyptum; pugnandi æquo loco copiam non fecit, quod Chriſtianos ſciret peſte, rerumque omnium penuria laborare. Rex Ludovicus corpore tam exhauſto erat, ut ſe, quantocunque animo, ſuſtinere vix pedibus poſſet. Qui pauci à morbis integri adhuc erant, aut minus languebant, ii correptis armis, hoſtem ad pugnam provocant. Exigui numero, locis iniquis, multitudine hoſtium circumventi, vincuntur; fratres regis Carolus Alphonſuſque cum rege capiuntur. Perpaucis receptus in caſtra patuit, quæ ab ægris, rege capto, defendi non poterant. Mori ſanctiſſimum videbatur. Sed conditiones ultro obtulit vitæ Melexala; deducerentur exercitus, Damiata cederetur: captivi utrinque redderentur, induciæ in decem annos fierent: ingens vis auri penderetur. Has conditiones neceſſitas injungebat, cum antea, niſi ſuperbiiſſent noſtri, tota offerretur Palæſtina, modo Ægypto cederent. Ceciderunt equitum duo millia, peditum xv. Sunt, qui LX millia occubuiſſe tradunt. Revaleſcebant interim partes Friderici in Italia & Germania. Conradus Guilelmum in Hollandiam abegerat. Fridericus Parmenſes pace ſecuros oppreſſerat. Bononienſes, qui filium ejus Henſium ceperant, Avenionenſes item, Arelatenſes, & alios pacem petere compulerat. Vulgantur in Francia rumores, ſubmerſum regis fratrem, regem ipſum, reliquoſque duos fratres captos. Tam incredibilis res viſa, ut regina mater nuncios ſuſpendio puniverit. Mox firmata rei veritate, apud aliquos incredibilis planctus, apud plures indignatio in Papam, qui Fridericum tanto bello idoneum procaciter perſequeretur, cruce ſignatos abſolveret mercede, triennalibus decimis emunxiſſet Franciam, qui oneroſus toti orbi Chriſtiano, nil niſi bullas coqueret & diras. Venetiæ, aliæque civitates plenæ ſemi-Chriſtianis, planè vacillarunt fide: multi in blaſphemias prorupêre manifeſtas, nefarium Mahometum Chriſto Deo Dominoque præferentes. Ludovicus Ptolemaide remanſit, Alphonſo & Carolo fratribus in Franciam remiſſis. Injunxit his, denunciarent Papæ, uti Fridericum reciperet in gratiam, qui ſolus Eccleſiæ periculis poſſet medelam adhibere, ni faceret, Lugdunenſi ſtatim excederet urbe. Sed dum Innocentius tenax propoſiti, Burdegalæ hoſpitium ſibi ab Rege Anglorum petit, exul ab Eccleſia ſua & extorris, in Apulia ſua ſtupor mundi Fridericus, acutiſſima correptus febri abſolvitur à Ciſtertienſis ordinis Epiſcopo, legatiſque teſtamento immenſis theſauris, ad recuperationem Palæſtinæ, moritur, anno imperii XXXVIII, ſeculi iſtius L, cum eodem die gravis terræ motus ſecutura mortalibus mala prænunciaret.

Cæſar hic Ariſtotelem, Ptolemæum, Galenum, ex Græca aut Saracenica lingua in Latinam curavit transfundi, ſtudiaque diſcentium juvit.

Hugo Cardinalis, concordantiarum Biblicarum, ut vocant, autor primus, Alexander de Ales, Bonaventura, Vicentius Burgundus, ſpeculorum ſcriptor ſatis inſulſus: Matthæus Paris Anglus hiſtoriographus, Accurſius Juris Conſultus, hac tempeſtate claruerunt, Albertus ex amplitudine doctrinæ dictus Magnus, Epiſcopæ Ratiſponenſi, quæ interdum armis tuenda videbatur, eruditum otium prætulit. Rodericus Toletanus Præſul de rebus Hiſpanicis novem libros contexuit: de Oſtrogothicis &

Ara-

Marin. Sanut. Torſ. l. 2. cap. 3. Antonin. p. 3. t. 19. c. 9.

Pariſ. p. 750. 760. 763. 781.

Matth. Pariſ. p. 771. &c.

Albert. Stad. Matth. p. 786. Pand. l. 4. An. 1250. Th. Fa- ſellus l. 18 c. 2. Platin.

Chron. Auguſt. Anna 1261. Roder. Tol. l. 9. cap. 16.

Albert. Stad. anno 1248. Felix Fabri Hist. Suev. l. 1. cap. 12.

Arabicis singulos. Hallis Suevorum multi Papam hæreticum, potestatisque spiritualis expertem esse prædicarunt, utpote à vita ac doctrina Apostolica alienum.

Fertur Friderici Epitaphium, ejus seculi Poësin repræsentans.

Si probitas, sensus, virtutis gratia, census,
Nobilitas orti, possent obsistere morti,
Non foret exstinctus Fridericus, qui jacet intus;

Crantz. lib. 7. Daniæ cap. 19. Ericus Upsal. Hist. l. 3. Paris. p. 779. Arnold. Witfr. Hist. p. 1. Chron. Hamb. Manuscriptum Adami Thracigeri. Albert. Stad. anno 1250. Matth. p. 787. Mart. Pol. l. 4.

Eo temporis tractu redditus Danis suus Waldemarus, post abjuratam vindictam, cœpit absolutioni fidere Papali, & cum Suerinensi Comite, cum Adolfo Holsato, vadibusque pro se datis, apud Bornhovedam infelici prælio concurrit. Ubi victus, damnata fortunæ inconstantia, acquievit regno paterno, cum in Russia Frisiaque septem Episcopatus Christianismo acquisivisset.

Waldemarus III, regni consors, fortuito ministri telo ictus in venatione ante patrem decesserat. Patre sub annum XLII exstincto, Ericus Lubecanos, jam Hamburgensibus fœderatos, sub jugum redigere cogitabat. Sed à fratre suo Abele, Sclesvicensium duce, nefarie peremptus, *quam impatiens sit consortis dominatio*, exemplum fuit. Miracula ad sepulcrum ejus facta, sanctitatis ei opinionem apud credulum istius seculi vulgus pepererunt, ut passim aliis. Nec effugit Abel, in Cainum versus, vindicem Dei manum. Dum enim Frisones armis ad imperata vectigalia adegit, plebis armatæ impetu trucidatur, Acone Norvego, qui à Legato Innocentii coronam acceperat, septentrionem gubernante.

CONRADUS IV, Rex Germaniæ & Siciliæ.

JOHANNES DUCAS Nicænus, Imperator.

BALDUINUS Constantinopolitanus.

A. M. 5220. Christi 1250. Matth. Paris. p. 786. 805.

SUperstes adhuc Fridericus, Conradum filium Regem creaverat Romanorum & Siciliæ. Henrico, quem ex Angla genuerat, regnum Hierosolymitanum, Manfredo procurationem Italiæ delegaverat. Sed illi telo Innocentiani fulminis icti, nihilo amiciores Pontificiæ tyrannidi, quam pater, exstitêre. Nec gentium in eos favorem Romana exstinxit insolentia, sed auxit. Guilelmus Hollandus propensissimo Innocentii studio, maximisque largitionibus tueri dignitatem haud potuit, suæque sibi conscius tenuitatis, anno post obitum Friderici altero, sumptum temere imperium abjecit.

Matth. Paris. p. 702.

Pontifex valedicturus Gallis, quibus fastidio cœperat esse ejus in Fridericianos pertinacia, orationem habuit ad populum Lugdunensem, faciente verba Hugone Cardinali: quem non depuduit dicere, Veniente Papa, quatuor se reperisse lupanaria Lugduni; recedente eo, superesse unum saltem, sed illud ab Orientali urbis porta ad occiduam extendi.

Paris. p. 783. Plat. in Innoc. IV.

Incussit ruborem fœmineo cœtui, ista audienti, Curiæ Romanæ mores parum emendavit. Ne Romam rediret Innocentius, metus fecit civium, quos Senatorem creasse maxima potestate, cognoverat, velleque repetere sumptus, in Fridericianum erogatos bellum. Itaque Perusiæ substitit, Mediolanensium protectus armis, Petrique Veronensis, & Stanislai Cracovii, consecrationibus se ostentavit apud nationes. In Syria senescebat Ludovicus Francus: ne excinderetur sacrum regnum, non cura Pontificis, quam Italici tumultus circumstabant, sed Mahumetanorum discordia fecit. Illi Sultanum, quod Francorum regem, nobilissimam prædam scilicet, auro commutasset, repentino capti furore trucidarant, percussori sceptrum tradiderant. Qui ab Halapiensi Sultano oppugnatus, inducias Ludovico datas firmavit, quod debebatur pro redemptione ejus, instantius exacturus. Sub hæc in Galliis, ad præconium cujusdam Magi Hungari, ultra centum millia congregantur pastorum,

Paris. p. 795. Marin. Pol. l. 4.

rum, sumptisque cum cruce armis, ut Palæstinam regemque suum liberaturi, Blancæ reginæ & civitatum favore provehuntur, execrantium Innocentii segnitiem malitiamque, qui in Christianos Principes crucem prædicari juberet, omissis Saracenis. Sed cum miracula promissa non præstaret Magus, haberetque prædæ Gallias, à quodam bipennifero trucidatur. Successor ad Sultanum, cujus instructu illa fiebant, ut viris armisque evacuaret Franciam, profecturus, mergitur mari à nautis: Tertius Monstreoli frustillatim conciditur. Multitudo dispersa aut periit, aut in Palæstinam deducta, errore agnito, Ludovico regi dixit sacramentum, Sidonem tunc & Cæsaream, Joppenque restituenti.

Matth. Paris. p.769. Invalescebat interim odium Innocentii. Robertus Lincolnienſis in Anglia Præsul, *Si Pontificiis*, inquit, *emissariis custodiam mandarem animarum, satanizarem.* Magnates Franciæ increpabant Monachos, vocem commodantes Innocentio, ad suadendum hominibus, quod veniam essent habituri peccatorum, tum ipsi, tum parentes largissimam, modo cruce insigniti arma capesserent in Conradum, filium Friderici. Blanca Ludovici mater, manus injecit eorum facultatibus, qui ferali tacti insania, in egregium illum principem insurrexissent. Quare elusis artibus suis, Innocentius neptem suam Henrico voluit collocare, Conradi germano. Sed Teutones id rati dehonestamentum stemmatis Cæsariani, nuptiis contradixere. Thomas vero Sabaudus, & alii, quondam Pontifici hostes, per consanguinearum illius amplexus, non tantum anathematum nexibus exempti, sed & maximis opibus locupletati sunt. Conradus quum armis & benevolentia nationum facile superiores ferret partes, venenis, gladiisque petitus sicariorum, elapsusque divina ope, Papalium infamiam auxit. Romam commeantibus intercluſit iter, *justum asserens bellum in eos geri, qui iniquo Ecclesiæ tyranno adderent robur.*

Matth. Paris. p.805. 819. 719. 8.

Chron. Aug. Paris. p.193.

Guilelmus Hollandus cum Frisiis ducebat bellum, quos portentosa aquarum inundatio pene absorpserat.

Ludovicus à Francis etiam suis derelictus est, quod Normanniam spoponderat Anglo se redditurum, si maturam sibi opem in Palæstina ferret. Sed & Angli sui oderant Henricum, decimis inhiantem regni, quas & Ludovicus à Gallis, belli causa sacri, exegerat. Itaque spe frustratus Francus, Sultano se Babylonico arctius adversus Halapiensem conjunxit, ejusque beneficio Palæstinam cis Jordanem suscepit gubernandam, anno ejus seculi LII, quo & Alfonsus, subacta ferè Hispania universa, & Blanca Gallorum regina, cesserunt vita. Papa vero Innocentius, rebus desperatis, Richardum Angli regis fratrem, pecuniosissimum simul & avarissimum, ad regnum invitavit Siciliæ. Sed Richardus prudenti suorum monitu sprevit hamum aureum, perindeque esse hoc munus dixit, *ac si quis Lunam daret, ea lege, ut adscendens detraheret ipsam.* Robertus quoque Lincolnienſis demonstravit Anglis, Innocentium IV. multo percipere abundantiores ex Anglia census, quam ipsum regem Henricum, ac LXX marcarum millia suis ibi clientibus lucrari annua. Moriens in Curiam Romanam hos torsit versiculos:

Gomes. Paris. p.815. 817. 829.

Ejus avaritiæ totus non sufficit orbis,
Ejus luxuriæ meretrix non sufficit omnis.

Paris. p.830. 848.

Platin.

Verum Civitas ipsa Romanorum Brancaleonem sibi præfecit Bononiensem, adstrictissimæ virum justitiæ & severitatis, qui priusquam iniret magistratum, jurejurando adegit populum, ut triennio sibi audiens dicto esset. Tandemque serio monuit Innocentium, rediret ad cœtum sibi commissum, quippe qui non Lugduni, non Perusiæ, non Assisii, sed Romæ Episcopus esset. Additæ minæ, nunquam rediturum, ni jam rediret, excindendamque urbem, quæ eum foveret,

Paris. p.833. 852.

Herm. Sched. ætate 6. Chron.

Aug. anno 1254. Matth. Pariſ. p.850. 852.862.

manibus Romanorum. Ita tremebundus pater reviſit demum filios, anno, poſtquam abierat, decimo, parumque abfuit, quin Romani in male quæſitos ejus involaſſent theſauros, ni Brancaleo decedere oves eam in paſtorem ſævitiam, docuiſſet. In Burgundia mons revulſus ſubito, ad alios tranſivit longe diſſitos, civitateſque & villas interjectas, lapidibus obrutas delevit. Sub hæc Conradus Neapolin, Capuam, aliaſque urbes ſibi adverſantes contrivit, nudavitque mœnibus. Henricus Anglus Vaſconiam, quæ ad Alfonſum defecerat, revocare ad obedientiam connixus, profuſis inaniter ſumptibus, Eleonoram, Alfonſi uterinam, Eduardo deſpondit filio, eoque conjugio Vaſconiam felicius, quam armis recepit. Ludovicus miſſo è Palæſtina edicto, Judæos exegit Francia, haud temere motus falſo Saracenorum cavillo, exprobrantium, regi minus charum eſſe Jeſum Chriſtum, qui infenſiſſimos ejus hoſtes viſceribus regni foverat. Itaque nemo ejus gentis remanſit, niſi qui victum ſuis ſibi manibus pararet: qua de cauſa haud indignum ſancti nomine hunc regem exſtimaveris.

p. 834.

Matth. Pariſ. p.857. 858.863.

Mox redire eum compulit Margaretæ Flandricæ intemperies. Ea clam è Burchardo Avennio tres ſuſceperat filios. Poſtea Guilelmi Tampeti oblectata amplexibus, dum Burchardus Romæ ambit legitimationem, ut vocant, liberorum, totidem Guilelmo parit. Joannes è priori natus concubitu, quum adoleviſſet, Guilelmum Tampeto genitum, Flandriæ jam imperantem, petit bello, affinitate ſubnixus Guilelmi Hollandi, cujus ſororem duxerat, ſimul & Germanorum auxiliis, Guilelmo ut regi opitulantium. Conſertis prœliis, capta cæſave ad centum millia hominum, necatoque Guilelmo, cui Flandriam adjudicaverant Galli, captiſque cæteris fratribus, potitus Flandriæ Joannes. Tantum unius mulieris luxuries vulnerum populis attulit; Ludovicumque è Palæſtina in Franciam retraxit. Alii Margaretam, poſt exceſſum Burchardi, nupſiſſe Guilelmo aiunt, juſtumque ei fuiſſe cum utroque matrimonium. Guilelmus Friſones ſubinde vexando, exitium ſibi concivit tandem. Etenim cum recederet incautius, equus ejus onere ferri preſſus, hæſit in palude, deſertumque à ſuis Friſones in arundineto latitantem operuerunt telis, ac miſerabiliter precantem parci ſibi, in fruſta conciderunt, anno ejus ſeculi LV. quum præcedenti & Conradus rex æmulus ejus, & protector Innocentius occidiſſent.

Jacobus March. lib.2. Eland.

Albert. Stad. anno 1256. Chron. Aug. Pariſ. 889.894. Chron. Joan. de Beka.

Etenim Conradus, Henrico fratre per Joannem quendam Maurum exſtincto, Innocentii calumnias deterſerat, fuderat ejus exercitum, Guilelmo nepoti Pontificis commiſſum. Apuliam potenter defenderat. Sed quum Innocentius Henrico III Anglorum regi, vano & credulo perſuaſiſſet, Edmundo ejus filio dandam à ſe Apuliam Siciliamque, ditatus auro Anglicano, odore ejus ineſcaverat cruce ſignatos quam plurimos. Quamobrem æger animi Conradus, dum reſiſtere parat, veneno interit, ingenti Innocentii lætitia, qui brevi totam Apuliam ſubegit. Sed impio perparum ſaginatus gaudio, Manfredi, quem Apuli dixerant regem, incurſionibus citius amiſit, quam occuparat aliena, *caputque jam inter nubes condere viſus, quaſi ad Tartara decidit.* Pleureſi laborantem cum plangerent circumſtantes amici, ſublevans oculos jam in morte natantes, *Quid lamentamini*, ait, *nonne vos omnes divites relinquo? quid ultra requiritis?* Atque hæc dicens, ſubituram Dei judicium animam exhalavit.

Anton. p.3.t.19. c.6.7. Pariſ. p.861. 864. Mon. Pad.l.2. Avent. lib.7. Mart. Pol.l.4.

Græcis dominabatur adhuc Joannes Ducas, & Irene Auguſta mortua, Annam, Friderici Imperatoris filiam duxerat: cui cum præferret magiſtram ejus & nutricem Marceſinam, philtris illectus & deliciis amatoriis, tamen impetrare à ſe haud potuit, ut Nicephorum Blemmydem, qui ſacris pellicem excluſerat, puniret, ſed accuſata potius ſuamet libidine, laudavit incorruptam Doctoris integrita-

Nicepb. l.2.p.22. Pariſ. p.864. Georg. Logoth. in Chr. Conſt.

gritatem, Pontificem Rom. de fidei vitæque erroribus vehementer increpavit. Inde Michaëli Angelo, Theſſalorum & Ætolorum Principi male fido cum Macedóniam ei & Theſſalonicam ademiſſet, Deſpotæ indulſit titulum, & Michaëlem Comnenum Palæologum juramento adſtrinxit, de regno nunquam affectando. Correptus ad ultimum epilepſia atroci, deceſſit Nymphæi anno imperii XXXIII. ſucceſſore filio, Theodoro Laſcari ſecundo. Ei præmaturum diadema imponere noluerat, veritus ne tanquam potitus eo, indignum ſe faſtigio præberet, volenſque, ut virtutis via velut ambiendo, conſtanti id potius ſubditorum voluntate, quam paterna indulgentia compararet.

Niceph. Gregor. l.3.c.1.

Chron. Aug.

Eo tempore Bela Hungarus, & Othocarus Bohemus, qui diu inter ſe de Auſtria Styriaque armis contenderant, pacem tandem hac lege fecère, ut Auſtria Bohemo per nuptias Margaretæ Auſtriacæ: Styria Hungaro relinqueretur. Othocarus cruce ſignatus in Pruſſiam abiit, magnamque iſtius terræ partem cultui ſubdidit Chriſtiano.

RICHARDUS ANGLUS, Rex Alemanniæ,

BALDUINUS IMPERATOR Byzantinus.

THEODORUS LASCARIS II. *Et* MICHAEL PALÆOLOGUS, Nicæni.

A. M. 5227. Chriſti 1257. Chron. Aug.

COnradus moriens hæredem ſcripſerat fratris filium Conradinum, tutoribus inſtitutis Bavaris, quod hi & puero, & matri ſuæ gentis fideles futuri erant. Erat enim Conradinus Eliſabetha, Othonis Bavari filia procreatus, cujus fratres Ludovicus & Henricus felices Bavarorum terras tunc tenebant. Sed Manfredus, apud Siculos Apuloſque natus educatuſque, potior eis regno videbatur, jamque victor Innocentio, Saracenis Nuceriam tenentibus accinctus, formidoloſus cunctis erat. Epiſcopus Oſtienſis, Gregorii IX nepos, adſcenderat Papalem thronum, Alexandri IV nomine notior. Hic videns Nuceriam refugii ſinum pandere Manfredo, obſedit eam, duce Octaviano Ubaldino Cardinale. Erant IX millia armatorum in urbe, parque eam numerus militum circumſedebat. Ficto autem à Manfredo Conradini apud Bavaros obitu, maxima obſidentium pars diſceſſit. Reliquas copias eruptione fudit, fugavitque Manfredus, Edmundi Angli inaugurationem ventis rapiendam dedit. Igitur quaſi nulla jam juſta Regiæ Siculæ ſtirpe, Rex Manfredus ſalutatur, cum Petro rege Tarraconenſium contrahit affinitatem, collocata illi filia Conſtantia. Alexander Concionatores circummittit, ad laceſſenda piorum in eum ſacro ære arma, præque Saracenis jam Manfredus, Eccleſiæ hoſtis prædicatur. Apuli contra indignantes, ſe pro infidelibus haberi, arctius adhæreſcunt Manfredo, ac ne matris obſtet ignobilitas, docent matrimonio eam aliquando junctam Friderico. Nec erat Præſulum quiſquam, quem avariſſimi hypocritæ Alexandri cura afficeret, cujus Dromones Franciſcani, à nullo jam genere ſceleris, quod occultari putabatur poſſe, abhorrebant. Neque tamen effugere erat tot mortalium obſervationes, neque illi ſemper fronti parcebant.

P. Æmil. lib.7. Th. Fazellus l.18.c.3.

Bern. Gomeſ. lib.18.

Pariſ. p.901. 949.884. 893.

Morn. in Hiſt. Papatus p.927. ex Guil. de S. Amore.

Londini patuerat inſigne Judæorum nefas, puerum quendam è Chriſtianis annuo velut ſacrificio immolantium. Ejus facinoris autores aliqui ſupplicio ſunt affecti: plures eorum Nigri fratres, pecunia corrupti, ſuis interceſſionibus liberarunt. Hinc Anglicanæ in ipſos plebis tepuit devotio, ſimul in prædicatores Gallicanæ, qui receptas Academiæ Pariſienſis conſuetudines, Papalibus tumidi privilegiis, everſum ibant. Ne quidem in urbe Romana integra Pontificis autoritas erat. Brancaleonem ſane ſua auſteritas inviſum reddiderat nobilitati, captivuſque tenebatur: Sed Bono-

Sigon. lib.19. de regno Italiæ Pand. Coll.l.4. Hiſt. Neap. Matth. Pariſ. p.869.

nienſes, è quibus ſanguinem trahebat, contempto Alexandri fulmine, coëgerunt Romanos eum eximere vinculis. Brancaleo, ut erat multitudini acceptiſſimus, dignitatem facile recepit, deſtructaque nobilium inſolentia, moriens avunculo ſuo tranſmiſit poteſtatem, invito Alexandro. *Pariſ. p.949.*

Nemo regum dicto audientior erat Pontificibus, quam Henricus III Anglus, ut ſupinæ princeps de exteris crudelitatis, ita ſuſpicioſus in ſuos.

Ejus fratrem Richardum plerique Germanorum Principes Regem ſibi deposcunt, miſſuſque in Angliam Colonienſis, electionis nuncius, viam præparabat Cæſari novo; aliis contra, nimirum Treviro, Saxone, Brandeburgico, Bohemio, Alfonſum X, eruditiſſimum juxta & ambitioſiſſimum Hiſpanorum regem deſignantibus; anno iſtius ſeculi LVII. Pontifex exitum ſpeculaturus conſiliorum, neutrius partis videbatur. Richardus prior inſignibus potitus, Rhenanas urbes traxit in obſequium, aliquas oppignoratas redemit, Italicas etiam nonnullas (nam pleræque, exturbato à Pontificiis copiis Ezelino, in libertatem ſe aſſerebant) accepit in fidem. Alfonſus Richardi fratrem appellavit de fœdere, quo auxilium ſibi de eo in hoſtes eſſet ſtipulatus. Verum Anglus feſtive; Igitur *in fratris*, inquit, *mei inimicos tuam imploro fidem, quia mutuam nobis in communes ſtipulati ſumus hoſtes opem.* Richardus interea Trevirenſem ditionem, quod Epiſcopus Alfonſo ſtuderet, igni ferroque vaſtat, Saracenis impedientibus Alfonſum, Cordubam infeſtando, ne ſuppetias ſuffragatoribus ſuis iret. *Pariſ. p.911. Chron. Aug. Index rerum ab Arrag. reg. Hiſt. l.2. Roder. Santius p.4. Hiſt. Hiſp. 1257. Matth. Pariſ. p.942.*

Sed perbrevis Richardo apud Teutones mora fuit, diſperſis, quibus amabatur, nummis, reque Anglicana eum in patriam revocante, quæ dudum per Henrici III ſocordiam ad perniciem ſpectabat. Neque enim tantum emunxerat ære ſuos, octingenta marcarum millia in Apuliæ occupationem effundendo, ſed & omnibus Romanorum nugatoribus adhibebat fidem; alienigenis linguæque ignaris Anglicæ aſſignabat Eccleſias, adeo ut Eboracenſis præſul morti vicinus, ad tribunal ſummi judicis Alexandrum Papam citaret, paulo etiam poſt ſequutum. Fames inſuper maxima conficiebat multos, nec præſtabantur ſeu Baronibus, ſeu Prælatis, quæ Comitiis erant promiſſa non unis. Quare trepidus rerum ſuarum Henricus, pacem componit cum rege Ludovico, Normanniaque ei cedit & Andibus, CCC ſibi millia pactus Turonenſium librarum. Richardus tranſmiſſurus in Angliam, non recipitur, niſi obligatus juramento, nihil adverſus pacta conventa in Comitiis moliturum. Germani, perſpecta ejus apud ſuos vilitate, revocare eum ſpreverunt ad Cæſaris dignitatem. Ita ad interregnum deducta Reſpublica, donec anno ejus ſeculi LXXI in Anglia Richardus viam univerſæ carnis ingreſſus, novis locum conſiliis fecit. *Centur. Magd. 13. c.13. è Ran. l.7. cap.36. Hector. Boëtius lib.13. Scot. Hiſt. An.1259. Chron. Norm.*

Alexander interim IV Papa ſuum in Manfredum fulmen ejaculatus, perierat, anno LX: ſucceſſerat Urbanus IV Gallus, patre ſutore veteramentario, è Patriarcha Jeroſolymæ Pontifex, qui patrimonium Petri, ut appellant, à Romanorum exercitu, cum Siculo ſentientium, vindicavit, ac primus Carolum Andegavenſem, Ludovici IX fratrem, ſpe implevit occupandæ Apuliæ, jamdudum ad id uxoris, quæ reginarum, Anglæ, Francæque & Auguſtæ, Richardo nuptæ, ſoror eſſet, ſtimulis incitatum.

Alexandri deceptus abſolutione Anglus, diſceſſit à fide, quam dederat ſuis, de immunitatibus indigenarum, electionumque jure ſacris collegiis conſervando. Poſt multa & cruenta certamina, Franci judicio lis permiſſa, qui pro Anglo rege ſententiam tulit. Sed turbata ſemel Anglia, extractæ dimicationes ad annum iſtius ævi LXIV. quum commiſſo prælio, Henricus Richarduſque reges capti, & multa utrinque bellatorum millia ferro ſunt perempta. *Contin. Pariſ. Guilel. Rich. p.958. P. Æmil. lib.7. Anton. p.3. l.19. cap.13.*

Eduar-

Pariſius Contin. pag. 964. &c. Polyd. Virgil. lib. 16. Hiſt. Ang.

Eduardus Henrici III filius, Londinenſium patrata cæde, quos in fugam populerat, in eoſdem incidit caſſes, ſeque Simoni Montifortio, Baronum duci, obſidem tradere eſt coactus, in pacem perbrevi reformandam. Verum regiarum duces partium, Simonis vaſtando ditiones, irritarunt cum acrius, ut aſſumpto Leolino, duce Walliæ, atrocem vindictam exerceret. Nec profecit Urbani quicquam anathema, quum Epiſcopi ſuſque deque haberent ejus diras; ceſſiſſetque imperio Baronum univerſa Britannia, niſi, ut fit, *ſuborta inter pares ſimultas*, de captivorum redemptione, animos vireſque disjunxiſſet.

Igitur Eduardus, ſimulato exercendi ſe equis ſtudio, elapſus cuſtodia Herefordenſi, recolligit vires, ſeparataſque nactus Simonis à cæteris copias, occidit eum in acie, cum filiorum maximo, patremque & patruum vinculis exemit.

Henricus proſcriptionibus graſſatus in eos, qui arma contra ſe tuliſſent, velut ignem affudit oleo, nec ſpacium reſpirandi Angliæ dedit.

Mart. Polon. in Chr. l. 4. Monach. Pad. Chr. lib. 3. Plat. in Clem. IV. Chron. Aug. An. 1294. Henricus Erph. cap. 94. Avent. lib. 7. 1267.

Luxit dirus ſub hæc Cometa, & Urbanus Papa Peruſii eadem nocte, qua ſydus illud deflagrabat, deceſſit, hærede ſolii Clemente IV Gallo, marito antea, & aliquot filiarum patre, qui è Conſiliario regio ad Narbonenſem Cathedram, hinc ad Pontificatum evolavit. Carolum hic Andegavenſem, memor patriæ, ſenatorem pronunciavit urbis, & regem creavit Siculum, Manfredum exercitu cruce ſignato, ut impium & hæreticum debellavit, commiſſo ad Beneventum prælio victus Manfredus, & proditione cujuſdam Comitis, cujus conjugem violarat, interemptus eſt, anno iſtius ſeculi LXVII. Cremona, Mediolanum, Brixia, Placentia, Ticinum, Dertona, excuſſo Palavicini imperio, legatos Pontificis ſuſceperunt.

Suppl. Pariſ. pag. 974.

Conradinus, Friderici nepos jam adultus, cum paternam repeteret hæreditatem, adjuvantibus Piſanis, Thuſcis, & Veronenſibus Longobardis, Friderico Auſtriaco comitante, intravit Romam, ubi à Senatore urbis Henrico, Alfonſi regis fratre, auguſtum in modum recipitur. Verum jam victor penè Siciliæ Apuliæque, & magiſtro militum Caroli interempto, poſtea infelici ad Beneventum prælio fuſus prodituſque à nauta, in vincula conjicitur, nec multo poſt inclementi Clementis ſententia, percutitur ſecuri Neapoli, ſupplicii ſocio Friderico. In iis duobus capitibus Cæſarum ſimul Suevorum, & Auſtriacorum familia principum, triſti fato defecit. Robertus Flander promulgatorem ſententiæ, carnificem alius interemit, ne tam nobili ſanguine à ſe fuſo ſuperbirent. Carolus Andegavenſis, Rex novus, vectigalia à Pontifice ſuſcepit regna, XL aureorum millia fiſco Romano ſolvere annua juſſus, Auguſtumque ejurare nomen, ut in officio ſemper fideque Pontificis foret. Nucerini fame perdomiti, Piſani & Senenſes frequenti aſſultu ſubacti, Caroli ſubierunt jugum. Confeſtim & Clemens Viterbii moritur, vacavitque ſedes triennio.

Mon. Pat. Chron. l. 3. Collen. lib. 4. Hiſtor. Neap. Cuſp. in Conr. IV. Thom. Faſel. l. 8. d. 2. cap. 3. Chron. Alth. H. Ster. P. Æmil. lib 7. Albertus Argent. Mich. Ritius de regibus Sicil. l. 3. An. 1268.

Eodem fere tempore (erat annus LXIX) prævaluit Henrici per Angliam tyrannis, ac Baronibus partim auro, partim exilio, partim capite multatis, pax parum amica agros illos reviſit: rex ipſe quinquaginta ſex annis acta poteſtate, vivendi finem fecit, peregrinante in Palæſtina filio ejus Edoardo, ſub annum LXXIII.

Nunc & Græca nobis & Aſiatica ſunt dicenda, haud minores paſſa per ea tempora mutationes, quam occidentalia hæc noſtra, quum & Byzantinum imperium Latinis, & Syriacum Latinis juxta Saraceniſque pene adempta memorentur, ut veriſſime dixeris, *Latinam potentiam, cum Friderico Imperatore ejuſque ſobole, proſtratam concidiſſe.*

Niceph. lib. 3. Georgius Logoth. in Chron.

Theodorus Laſcaris, Ducæ aut Batazis filius, avi referens nomen, Imperium Nicænum, faventibus populis, Arſenio Patriarcha eum coronante, ſuſce-

perat. Asanem Bulgarum principem, & Michaëlem Angelum, Thessaliæ Despotam, in ordinem redegerat. Sed eo in Græcia absente, Michaël Palæologus, à veteri Comnenorum & Palæologorum stirpe ortus, quod aut aliorum calumnias aut facinora sua extimesceret, ad Iconiensem profugerat Sultanum, cui cum Tartaris bellum erat, qui nec parva eum ditionis parte multarunt. Eum Theodorus Imper. novo adactum jurejurando, quo fidem sibi & Joanni filio stipulabatur, revocavit Nicæam; Constantino Tæcho Theodoram elocavit filiam, ut bellum Bulgaricum cum matrimonio principi ejus gentis commutaret. Inde triennio acto imperii, ut fatalem vidit adesse diem, in monastico habitu exspiravit, Georgio Muzaloni sexennis filii tutela commendata:

Georgius Phranzes lib. 2. c. 3.

Muzalo, novæ homo potentiæ, *gnarus quam sibi difficile esset nobilitatis invidiam sustinere*, maluit resignare tutelam, quam perpetuis subjacere insidiis. Sed non licuit ei hoc consilio uti, urgentibus aliis, ut retineret commissam sibi provinciam, aliis paucos post dies dexteras perjuras in cædem ejus armantibus.

Muzalone nefarie interempto, Palæologo, procerum nobilissimo, committitur imperium, additurque Despotæ titulus: quo insignitus, Thessalum Michaëlem, duobus subnixum generis, Manfredo Siculo, & Guilelmo Peloponnesi Principe, ad Bellegradum profligat, ductu fratris sui Constantini; eoque facinore Imperatoris cognomentum emeretur, Peloponnesius captus Monembasiam, (quæ & Epidaurus) Mainam & Spartam addixit Palæologo, ut principatus reliqua recuperaret.

Niceph. Greg. l. 4. Georg. Pach. l. 2.

Palæologus ea oppida fratri dedit Victori, qui earum usus opportunitate, Græcorum auxit Rempub. pignusque hoc velut majoris fortunæ suscepit. Etenim Byzantini, à Palæologo munitis circum castellis inclusi, ob lignorum inopiam pulcherrimis jam ædificiis pro ignis materia abutebantur. Mox in ipsam Constantini potestatem subito redacti, documentum facti sunt mortalibus, *exigua spe manuque maximas sæpe urbes subigi, opesque dissipari.* Etenim Constantinus, cum DCCC omnino militibus, Propontidem transgressus, cum in cives quosdam Byzantinos incidisset, edoctus ab iis est, Latinas copias Daphnusium oppidum circumsedere, vacuamque præsidiis urbem cuniculo posse intrari. Eo igitur à civibus monstrato ingressus, ignem immisit ædificiis, Balduinumque Imperatorem cymba quærere salutem coëgit. Similis somnio res visa Palæologo, orbis terrarum miraculum Constantinopolin, octingentis à viris expugnatam. Ejus Latinorum infelicitatis causam præbuit Venetorum & Genuensium discordia, quorum præcipuè opibus res Balduini steterant.

Chron. Aug. an. 1259. Georg. Logoth. in Chron. Martinus Polon. l. 4.

Uterque populus Ptolemaide suum forum, suum Prætorem, suas areas, suas sibi leges habebant. Philippus à Monteforti, Prætor Ptolemaidis, æquiorem se Genuensibus ferebat. Genuenses fanum divi Sabæ, quod Venetus sibi vendicabat, occuparant, septumque instar arcis emunierant. Veneti indignatione accensi, mota Tyro classe, tres & viginti Ligurum onerarias incenderunt, fanumque diruerunt, anno ejus seculi undesexagesimo. Hoc initium funesti belli, cruentorumque inter Venetos ac Ligures certaminum fuit, quibus inter se dimicantibus, facile fuit Proceribus Græcis Latinos exigere, potentiamque majorum recuperare.

Plut. in Alex. IV.

P. Æmil. lib. 7. 1259. Niceph. lib. 4. Suppl. Paris. pag. 990. Monach. Pad. l. 3. Georg. Phran. l. 1. Hist. c. 5.

Receptum est Byzantium anno MCCLXI ut illius ætatis habent Historiographi, Nicephorus Gregoras, Guilelmus Rishanger, Monachus Patavinus, & alii, qua ex die captum à Franco Venetoque de Græcis fuerat, octavo & quinquagesimo. Michaël Palæologus, instaurata urbe, Græcisque in ea sacris, ut firmaret sibi imperium, Joannem Augustæ dignitatis hæredem excœcavit; sorores ipsius, Latinorum devinctas connubiis, amandavit

vit in Italiam, fratrem ſuum, à Peloponneſio Guilelmo captum poſtea, Manfredi permutavit ſorore, Joanni Batazi quondam Auguſto nupta. Mox impar tantæ felicitati, Arſenium Patriarcham, qui ſacris ei, ob facinus in pupillum, perjuriumque ob apertum, interdixerat, ejicit in exilium, eique Germanum Adrianopolis præſulem ſubſtituit, Latinos opifices & negotiatores pellit urbe, eiſque Galatam aſſignat oppidum; ſervata tamen mercium immunitate. Eubœam, proditione cujuſdam Icarii, Venetis adimit, inſulaſque Ægæi maris, Latinis ſervientes, reducit ad Græcos.

Chron. Aug. Igitur *velut Numine Latinis irato, piacula quærenda omnes cenſebant, moreſque deformatos ad veteris ſanctitatis æmulationem revocandos.* Sed dum alter alterius accuſat culpas, oboritur Peruſii ſubito flagellantium ſe hominum caterva, *Monac. Pad. l. 3. Krantz. Metrop. l. 9. c. 44.* propagaturque ad infinitos alios exemplum, nemine præcipiente, ut multa adeo millia paſſim per vicos diſcurrerent & oppida, iniquitatum ſuarum veniam hoc pacto deprecantium. Manfredus, Henricus Bavarus, Palavicinus Marchio, aliique, novum pœnitentiæ genus ſuis è ditionibus excluſêre, aliaque *magna ingenia, ut ſumtam temerè religionem, pro ſtultitia aut ſuperſtitione averſabantur.*

Marin. Sanut. l. 3. p. 13. c. 6. 7. Mox major ex Oriente calamitas Latinorum mentes concuſſit. Mango rex Tartarorum, Aitonis Armenii conſilio, Chriſtianiſſimum amplexus, Saracenos latè in Aſia dominantes bello petierat, deleverat Aſſiſinos. Frater ejus Haalo, Perſide ſubjugata, Baldacam (Seleucia quondam ad Tigrim nominabatur, de ruinis priſcæ condita Babylonis) expugnaverat, Calypham tyrannum avariſſimum, inter medios auri acervos collocatum, exſtinxerat fame. Meſopotamiam poſtea ingreſſus, Halapiam obſedit cepitque. Edeſſa etiam & Samoſata ſubactis, contendit in Syriam; Antiocheno principatui per Saracenos adempta recuperavit, munivitque præſidiis. Cum ſemel atque iterum Damaſcum fruſtra tentaſſet, Halapienſem Sultanum, quem in vinculis circumducebat, ſub ipſis mœnibus concerpi in fruſta juſſit, ad terrendum ejus filium, pertinacius urbi incubantem. Qui cum nihil tam atroci ſpectaculo moveretur, oppugnatam acrius Damaſcum tandem occupavit, eique Abagam filium rectorem dedit: ipſe cognito, fratrem vita exceſſiſſe, expeditionibus anno ſexto domum revertit ad ſuos, ubi domeſtico implicatus eſt bello, ſicut & Guiboga Chriſtianorum Syrienſium ſeditionibus.

Anon. 1260. Hayth.

Hiſt. Orient. c. 28. 29. 30.

Marin. lib. 3. p. 12. c. 4. &c.

Tum vero Neledinus, Babylonius Sultanus, qui Ægypto ſe tuebatur, CCC inſtructus equitum millibus, invaſit præſidia Tartarorum, & ad pugnam eos excivit in agris Tiberiadis, potituſque victoria, removit Barbaros ultra Euphratem, Saracenis ſua reddidit. Sed eum Babylonem revertentem Ægyptiam, occupat in itinere Bendocdar, dudum imperii æmulus, & occiſi ſtatim tyrannidem corripit violenter, quæque illarum erat levitas gentium, tota Ægypto, Arabia Syriaque potitur, ut veteris iſtius Saladini potentiam videretur æquaturus. Ab Antiochiæ eum quidem obſidione Tartari, ab Armenio rogati, depulêre: Ptolemais quoque tentata fruſtra fuit: At Cæſarea, à Ludovico rege munita, proditione ceſſit Bendocdaro, anno iſtius ævi LXIV. Hugo Luſinianus maritus Iſabellæ reginæ Cypri, defendit quidem adhuc Ptolemaidem, Saphatam vero Sultanus expugnavit. Cæſi ibi ſexcenti, quod Chriſtum abnegare nollent. Venetis & Genuenſibus, his Ptolemaide, illis Cypri receptum habentibus, mutuamque in mari exercentibus piraticam, capitur proditione & Joppe, anno LXVIII. Sequenti anno, Bendocdarus Armeniam deprædatus, Antiochiam Orientis oculum, abſtulit Chriſtianis; XVII ibi hominum millia interfecit, ultra centum millia in ſervitutem rapuit, factaque eſt urbs nobiliſſima miſeranda ſolitudo. Jacobus Rex Aragonum ſenex nau-

Platin.

An. 1264.

Marin. l. 3. p. 12. c. 8. & 9. An. 1268. Mart. Polon. 1267.

naufragiis quaſſatus, nulla ope Palæſtinenſibus allata, redit inglorius. Armenii, & qui Scytharum ad eos confugerant, communi miſſa legatione, Ludovicum Francum, & Carolum ejus fratrem, Siciliæ ſimul & Hieroſolymorum regem nuncupatum, ad bellum concitarunt, ſed infauſta auxilia laturos.

Suppl. Pariſ. p. 973. Bern Gomeſ. l. 18. Mart. Polon. l. 4. Marin. l. 3. p. 12. cap 31. Matth. Pariſ. ſuppl. p. 979. Monac. Pad. l. 3. P. Æmil. lib. 7. Henrici Steron. Chron. Blondus d. 2. l. 8. Chron. Norm.

Carolus firmius regnum ſuum ſperabat futurum, Africanis Saracenorum opibus everſis. Placuit Ludovico conſilium, quod Tunetani in Palæſtinam tendentibus crebra detrimenta inferebant. Jungitur cum Edoardo Angli regis filio ſocietas, ut in Syria rem Chriſtianam tueatur, dum Franci Siculique Afros premunt. Decurritur ad Carthaginis mœnia, toties exciſæ, & prope veteris iſtius veſtigia dudum reſtitutæ. Capitur tandem urbs, transferuntur Tunetum caſtra, ipſa Carthagine majus certamen præbiturum. Dum commeatus inopia ſubigi poſſe urbs ſperatur, exorta peſtilentia, Joannem Treſtannum, filium regis, mox regem ipſum Ludovicum, cui Sancti cognomen impoſitum, abſumit. Ejus morte perculſos Francorum animos, ſuperveniens confirmavit Carolus, noviſque perterrito hoſtibus Barbaro, leges dixit: ut verba facere de Chriſto liceret civitatibus Africanis, & quadragena aureorum millia perſolverentur Siculo, quæ ſumma Pontifici ex formula debebatur.

Inde in Siciliam recurſum, magna ſpe, mutatione cæli leniri luem poſſe. Sed & claſſis pleraque abſorpta eſt tempeſtatibus, & Theobaldus Navarrenus cum uxore, filia Ludovici, aliaque nobilia ſimul & ignobilia capita eidem fato ceſſêre. Edoardus ægre evitatis Aſſaſini cujuſdam inſidiis, cum nihil à Latinis ſuis perciperet auxilii, invitavit Tartaros, qui diſcurſando per Syriam, ad Stratonis uſque Turrim, quicquid erat obvium Saracenorum, trucidarunt. Hac via novas pactus inducias, ad regnum avitum receſſit. Henrico etiam Richardi Cæſaris filio, ad aram Viterbii maximam, à Guidone Montefortio, in patris ſui vindictam mactato.

Illi ſeculo, cum præceptore ſuo Alberto M. Thomas Aquinas, Bonaventura item Cardinalis, Guilelmus de S. Amore, Martinus Polonus, Reinerus Dominicanus, aliique id genus ſcriptores, lucem adferre ſtuduerunt. Robertus Sorbones Theologus, collegium Theologorum Pariſiis excitandi autor Ludovico regi fuit, cui ab eo nomen *Sorbonæ*. Cardinales de ſucceſſore Clementis IV triennium diſceptarunt, *apparuitque Eccleſiam ſine tali eſſe capite poſſe*. Joannes Teutonicus, primus decretorum Pontificialium interpres, à flaminis Romani explicationibus ad communem Chriſtianorum conventum provocavit. Urbanus IV Papa corporis Chriſti ſolemnitatem ſanxit, anno Domini MCCLXIV.

Platina. Miræus ex Nangiaco an. 1270. Contin. Pariſ. Avent. l. 7. Onuph.

Rodolfus I. Habspurgensis. Michael Palæologus.

A. M. 5242. Chr. 1273.

FUncto fatis Richardo, & Gregorio X, poſt triennes Cardinalium altercationes, in Papalem thronum evecto, reſpirare cœpit à calamitatibus ſuis Germania, quibus durante interregno miſerè conflictabatur. Cum enim metu eorum principum, qui Fridericianas partes adverſus Pontificias tuebantur, nemo ſumere gubernacula auderet, patebat potentiorum violentiæ Alemannia, & cuique ſua lubido pro lege ducebatur. Intutæ erant viæ, nobilitatem generis & majorum, multi ad latrocinandi rapiebant impunitatem.

Henrici Steron. Chron. Annal. Colmar.

Igitur querimoniis afflictorum motus Gregorius conſilio inito præcepit Electoribus, ut ſibi de more regem deſignarent Romanorum, ni maturarent, vacanti imperio ſemet proſpecturum. Cum convenîſſent Francofurti principes, Wernerus Moguntinus magnanimitatem prædicavit & prudentiam Rodolfi, Comitis Habſpurgenſis, qui tutum ei, Romam pergenti, iter ad Alpes uſque præſtitiſſet, atque *in æſtimando principe, divi-*

Frag. Hiſt. Aug. Anonymi ante Albert. Argent. Paral. Urſperg. Avent. lib. 7. Felix Fabri Hiſt. Suev. l. 1. c. 13.

divitiis potentiaque egregias animi dotes, diſſerebat longe præferendas. Inducti in eandem ſententiam Trevir & Colonienſis. Mox & Bavarus, cum Saxone & Brandeburgico, filiarum ſibi Rodolfi matrimonia ſtipulantes. Burggravius urbis Noricæ, Rodolfi conſobrinus, Baſileam oppugnanti ei (nam dudum è vicinis civitatibus, & nobilium terris, incrementa rerum ſuarum venabatur) electionis nuncium attulit, ſuæque tenuitatis conſcio, vix fecit jurejurando fidem. Pace ſtatim Baſilienſibus data, Aquiſgrani ornatur diademate Rodolfus, cumque eo Anna conjux, Burchardo Comite Hohenbergenſi genita, ex qua ſex filias, filioſque duos habebat.

Chron. Auguſt. Steron. Chron. Colmar. Aberat à Comitiis Othocarus, rex Bohemorum, qui ex Margaretæ hæredis Auſtriacæ matrimonio, Auſtriam, Styriam, & Carinthiam ſibi vendicabat, atque tam latè propagaverat ditiones, ut longe Rodolfo potentior videretur. Cum Bela, Stephano, Ladiſlao, Hungarorum regibus, de Auſtria Styriaque feliciter dimicarat. In hunc incitarunt Rodolfum expulſi à Bohemis & Cumanis proceres, perfeceruntque, ut pro imperio repoſceret edictis prius, mox armis provincias, ab Othocaro occupatas. Ba-
An. 1277. varus Neapolin Auſtriacam aſtu, paulo poſt Imperator ipſe Viennam deditione cepit. Viennenſes ipſi excurſionibus vaſtarunt Bohemica, nec fuit fiducia Othocaro impetum ſuſtinendi Teutonum. Itaque Alberto, Rodolfi filio, pactus ſuæ nuptias filiæ, in fidem venit Imperatoris. *Studio erat Rodolfo, veſtium contemnere ſplendorem, & ſuperbas pomparum præſtigias.* Eam conſuetudinem adverſus Othocarum curioſius tenuit, inſolentiam hominis ſuo exemplo caſtigaturus. Acceſſit exquiſitiſſime ornatus Bohemus ad Imperatorem, *vili in habitu ingentem prementem animum*, apertoque de induſtria ejus tabernaculo, proſtratus ad genua ſui quondam miniſtri (magiſtrum enim aulæ Bohemicæ egerat aliquando Rodolfus) omnium oculis patuit. Coactus cedere Auſtria, maximoſque ex ea reditus Alberto reſignare, haut diu perſtitit in fide, inſtigante præſertim Kunigunde Cumana ſeu Ruſſica conjuge, quam abdicata Margareta, præter leges duxerat, & indignum dicente, magnificum regem pauperculo Cæſari genua flectere.

Æneas Sylv. Hiſt. Bohem. cap. 27.

Igitur filia Bohemi monaſterio ſacra- *Chron. Colm. parte 2. Annal. Steron.* tur, conſcribuntur occulte x millia militum, qui inſidias Rodolfo ſtruant, tentantur pecuniis proceres, ut deſerant Cæſarem, aut ſaltem debilius juvent. Sed cum male iſta celarentur, Rodolfus collecta Germanorum & Hungarorum manu, ad Viennam prælio congreditur cum Bohemo, & licet impari exercitu, jamque dejectus equo, vincit tamen perfidum regem. Othocarus ab ignobili quodam captus, dum ad Cæſarem ducitur, inſequentis cujuſdam militis manu, cujus quondam fratrem interfecerat, cadit: in acie XIV bellatorum millia cæſa. Subacta mox & Moravia, novum fœdus *An. 1278. Albertus Argent.* percutitur inter Cæſarem & reginam Bohemorum, ut filia Cæſaris nubat Othocari filio Wenceſlao, iſque ut beneficium Cæſaris Bohemiam capeſſat: Rodolfus junior ſorori jungatur Wenceſlai, & Auſtriacas poſſideat terras.

In haſce leges reformata pace, Ber- *Hiſt. Land. Thur.* nenſes Helvetios, hinc & Burgundos, imperata facere cogit Cæſar, cumque XIV conflictibus priores tuliſſet, *Victorioſi* cognomento inſignitur. In Thuringia viciniſque locis, ubi Albertus Lændgravius, ob pellicem matri eorum ſuperinductam, à filiis diſſidebat, LXVI latronum arces diruit. Duodeviginti imperavit annos, nunquam Italiam ingreſſus, *Chron. Hirſ. Avent. lib. 7.* ſemperque novas occupationes cauſatus publicè: apud amicos non diſſimulans, *ſe ab Italia deterreri, quod Cæſarum verſus eam veſtigia læta, magnifica, plenaque bonæ ſpei videret: Sed retroverſa, triſtia, miſera, luctuoſa.* Romandiolam Pontifici donavit, in detrimentum imperii, ut ait Albertus Argentinenſis. Superbia ſub eo & faſtus Roma-

nensium accrevit in Italia, Augustorum vires ex eo tempore vehementer diminutæ: Bononiensibus, Florentinis, Genuensibus, Lucanis, auro data libertas à Rodolfo. Cum rebellantem sibi Columbariam obsideret, quidam Friderico Imper. simillimus, Rhenanas pervagatus partes, Wezlariam pervenit, metumque incussit Rodolfo amittendi imperii. Quare admissis ad pacem Columbariensibus, descendit ad inferiora Rheni, fingensque obsequium erga Imperatorem novum, cum fraudes ejus deprehendisset, igni hominem exussit. Valde senex jam, postquam vitæ finem sensit adventare: *Eamus Spiram*, inquit, *ad alios reges:* jamque vicinus urbi, decessit Germersheimii, & reliquis Germanorum Augustis appositus est, numerosa à se sobole relicta, Princeps facilitate & clementia laudatissimus.

Platin. *Albertus Argent.* *Chron. Colm.* *Siffrid. Epit. l. 2.*

Dominabatur Græcis eo tempore Palæologus Michaël, excœcato, ut diximus, Joan. Lascari, cujus soror Constantini Bulgari in matrimonio agebat. Confugerat ad Michaëlem Azatines, Sultanus Iconii, à Tartaris pulsus imperio. Hic cum arctius custodiretur, impulit Bulgarum, jam domesticis suæ conjugis stimulis concitatum, ut bellum Palæologo inferret, Bulgarus xx Scytharum millia, sibi sociata, intrusit in Thraciam, quorum latrociniis miserè ea terra evastabatur. Palæologus ægre evasit insidiatorum manus: Sultanum Scythæ custodia liberarunt. Comites ejus, qui plurimi erant & bellicosissimi, Christiano baptismate regeniti, nomen Romanæ militiæ dederunt. Palæologus Imperator multam Barbaris sternendæ Christianorum potentiæ occasionem præbuit. Sultano Ægypti & Arabiæ patefecit Hellespontum, qui petitis hac via Europæis Scythis, ad Tanaim degentibus & Mæotidem paludem, mancipia vel transfugas complures in Ægyptum cœpit transferre, quorum virtute fretus, quod perpetuo in armis exercerentur, Celtas Gallosque in Oriente adhuc reliquos partim expulit, partim interfecit. Gregorius senex, Palæstinæ magnus amator, è qua ad Pontificium venerat culmen, Lugduni egit concilium, quo Rodolphum Imperatorem, Philippum Francum, Ludovici Sancti filium, Alfonsum Castilionensem, alioque Europæ principes, incitavit ad recuperandam Palæstinam, Palæologo Græciæ adjudicavit dominium, Balduino profugo etiam atque etiam reclamante. Sed paulo post è vita sublatus Aretii Pontifex, nihil ad rei summam profecit. Eo concilio Palæologus Græcos, tertia decima vice in sententiam Romanæ Ecclesiæ, jam toties deficientes, retraxit, ut habet in Gregorio x Platina. Novæque ibi leges editæ de Pontificis electione, in conclavi undique custodito facienda, ne forte per januam illabens ambitio vel avaritia Cardinalibus sese immisceret. Lectus post Gregorium Petrus Tarantasiensis, Innocentium se vocavit v. Florentinos anathemate solvit, Genuenses & Venetos ad concordiam nequivit reducere. Semestrem hunc Pontificem secutus Adrianus v, qui undequadraginta dies sedit, jamque pertæsus Caroli Andegavensis, Romæ pro arbitrio agentis plurima, frustra Rodolfum in Italiam accersivit. XII tamen millia librarum argenti Patriarchæ misit Jerosolymitano, ad triremes instruendas. Eum excepit Petrus Hispanus, Joannis XXII nomine assumpto, omnibus instructus disciplinis, sed, ut Annales habent Colmarienses, magus, religiosis infestus, decretorum concilii Lugdunensis contemtor, inverecundi & socordis ingenii. Scripsit multa, principes orbis Christiani frustra cohortatus, ut positis dissidiis in Barbaros insurgerent, Cameræ Palatinæ ruina periit, Pontificatus mense octavo.

Niceph. Greg. l. 4. *Niceph. Greg. l. 4.* *Marin. Sanut. l. 3. p. 12. cap. 13.* *Anton. p. 3. t. 20. cap. 2.* *Chron. H. Ster. Platin. Greg. X. Onuph. in add. Plat.* *Marin. Sanut. l. 3. p. 32. cap. 15.* *Annal. Colm. Plat. in Joan. 22.* *H. Ster. Chron. Mart. Polonus in fine Chron. An. 1278.* *Anton. p. 3. t. 20. cap. 3.* *P. Æmil. lib. 7.*

Nicolaus III, dictus ante Pontificatum Joannes Caietanus, cum post semestres Cardinalium discordias, invito Carolo Siculo, thronum conscendisset, abrogavit ei vicariatum Hetruriæ, seque ipsum senatorem urbis fecit. Ubique

Roder. Santius Hist. Hisp. p. 4. cap. 26.

que Franco nomini infensus, Philippo regi mandavit, ut arma vimque omnem ab Hispania abstineret. Volebat enim Francus Castilionense regnum parare sororis suæ filio, quæ ea lege Ferdinando, Alfonsi regis filio, nupserat, ut qui ex ea nasceretur, avo succederet. Sed Sanctius, minor Alfonsi filiorum ipsi patri imperium præripiebat, ejusque petitus execrationibus, procumbebat supplex ad genua senis, veniamque aut supplicium postulabat. Itaque resarta parentis gratia, in haud dubiam spem regni alebatur. Jus nepotum contra armis prosequi nitebatur Philippus. Sed Nicolao Pontifici nimiæ Francorum opes jam timori cœperant esse, quemadmodum & Palæologo Græcorum Imperatori, à quo Carolus Rex, Philippi patruus, Byzantium repetebat, ut dotale suæ filiæ, quam Balduini Imperatoris filio despondisset. Igitur fœdus inter Nicolaum, Græcosque & Tarraconenses ictum, ut Palæologus Græcos, qui iterum defecerant, ad Pontificis obedientiam reduceret. Petrus Rex Tarraconensium, uxorio nomine, quod Constantia Manfredi filia uteretur conjuge, Siciliam Apuliamque occuparet, auro opibusque eum Græcus adjuvaret. Pontifex interim Caroli in Græcos expeditionem impediret. Joannes à Prochyta, prorex quondam Siciliæ, tantæ conjurationis internuntius, omnia sibi terra marique pervia Minorum tectus habitu fecit. Dum dolus ingens cruentusque struitur in Francos, decessit Nicolaus. Hujus consobrina, quod puerum ursinis ungulis periisset (alii concubinam fuisse Pontificis aiunt) rubore perfusus, omnes ursorum imagines è domibus suis abrasit. Succedit post tumultus semestres Simon Turonensis, Cardinalium Gallorum suffragiis, Martinus IV appellatur. Hic Francorum studiosior, execratur Palæologum, Carolo dignitatem à Nicolao ademptam restituit: Tarraconensem sciscitatur, quid sibi velint tanti in adornanda classe apparatus: Cumque Oratores nullum perCunctandi finem facerent; *Comburam*, inquit Petrus, *tunicam hanc interiorem, si suspicer, eam arcanorum meorum gnaram.* Comparata jam classe, in Africam contendit, atque Hipponensium populatus littora (ne quis subolfaceret fraudem) flexit in Sardiniam iter, exspectans conjurationis in Sicilia eventum. Ibi rei atrocis conspiratio, anno ejus seculi octogesimo primo, ipso Dominicæ resurrectionis die, erupit. Cum ex templorum turribus, Campanæ sonitu signum ad vespertinos hymnos daretur, cædes subito omnium Francorum tota insula facta. Tanta superbiæ ac libidinis eorum detestatio apud Siculos fuit, ut nec mulieribus Gallico compressu prægnantibus pepercerint. Inde *Siculus vesper* proverbio increbuit. Naves etiam occupantur, quæ in Siciliæ portubus stabant, paratæ ad Græcos invadendum. Petrus tanto pignore devinctos sibi animos sentiens, quid Carolus moliretur, exspectabat. Ille ex Gallia classem evocarat, transportatoque exercitu, Messanam obsidebat. Nulla multis seculis tenuit acrior & oppugnatio, & propugnatio; animis utrinque pari odio ardentibus. Tandem Tarraconensis Panormum appulit, susceptusque maximo populi affluxu, perterruit Carolum, & in Calabriam recedere subegit. Maximæ hinc contentiones insecutæ, & perpetua inter se Hispanis Franciscque materia bellandi. Cum apud Pontificem de hac consternatione ageretur, Carolo Mamertinos premente, missi à Panormitanis Oratores, non exhorruerunt Martinum, ut Christum salutare, stratique ad pedes ejus exclamare: Qui tollis peccata mundi, miserere nostri. Pontifex id agere dixit Siculos, quod illi, qui, cum regem Judæorum salutarent Christum, caput ejus ignominia & verberibus affecêre. Siciliæ sacris interdixit. Carolus autem contraxit ex omni Gallia vires; è filio Carolo Claudo neptem despondit Franci regis filio, tantumque brevi effecit, ut non tantum terrestres copias haberet pares

Joan. Noviomag. 1218. *Mart. Polon. in app. Tilius in Chr. Franc. Mich. Ritius l.2. de regibus Siciliæ. Blond. l.8. de 2. Fazell. d.2. l.9. cap.1. Luc. Marin. de rebus Hisp. lib.11.*

Niceph. lib.5. Plat. in Nic. III. P. Æmil. lib.7. Chron. Henrici Steron. Jac. Phil. Berg. l.13.

Hieron. Blanc. in Comm. Arag. Th. Fazell. de rebus Sic. d.2. l.8. c.4. Plat. in Mart.4. Bal. ex illust. Bedæ.

Anton. p.3. t.20. cap.4. P. Æmil. lib.7.

Siculis, ſed etiam maritimis præſtaret. Nec aurum Palæologus, commiſſis jam inter ſe Latinis regnis, Petro ultra ſubminiſtrabat. Itaque Arago aſtu procellam procul vertit, provocat ad duellum Carolum, paucorum jubet certamine dijudicari, utra gens bello ſit melior. Placuit utrinque, ut equitibus uterque inter ſe centenis dimicarent Burdegalæ, quod ejus loci dominus rex Anglorum eſſet Eduardus, affinitate junctus utrique. Ingentem exſpectationem gentium, mentemque mortalium ſuſpenſam, fruſtratio ludificatioque excepit. Nullus Petrus comparuit, id ſolum conſecutus, ut præſentem tempeſtatem devitaret, Francorumque vires à limine verteret Siciliæ. Excuſatione ea uſus eſt, quod Francus rex cum juſto exercitu appropinquare Burdegalæ diceretur. Paulo poſt Rogerius Dorius, exul Apulus, filium Caroli Claudum, in mari pugnantem cepit, Roſoſulem in Macedonia Palæologus: tanto dolore ſenis, ut luctu tædioque adverſarum rerum fractus, exſpiraret animam. Ita nobiliſſimo Conradi ſanguini parentatum. Francus Rex Robertum Atrebatem miſit in Apuliam, qui continentem à vi ſpeque Petri tutaretur, deſperata jam Siciliæ poſſeſſione.

Niceph. Gregor. lib. 5.

Robert. Gag. l. 7. Polyd. l. 7.

Martinus interim Pontifex in numero impiorum decernit habendum Aragonem, ſacrum in eum bellum decernit, regnum Aragoniæ Carolo Valeſii Comiti, Regis Franci ex ſorore Petri filio attribuit, ne in alienam cognationem transferri ſceptrum populares conquererentur.

1285. Anno ejus ſeculi LXXXV. Perpenianum perventum à regibus, quæ urbs Jacobo Balearium regi, qui ad Francos tranſierat, deditionem fecit. Genua, Ruſcinonis Comitatus oppidum, magna vi oppugnatum, quod interfectorum, eo bello peccata ſua faceret Pontificis legatus. Cæſi tandem puberes impubereſque, viri, fœminæ. Ad ulteriora tranſgreſſis, Gerunda reſiſtebat, tertiumque menſem Francos morabatur; Petrus locum quendam inſidiis opportunum occuparat. In eum miſſus magiſter equitum cum turma lectiſſima, acerrimè pugnantem, inflicto vulnere, fugere coëgit, ex quo paulo poſt fuit exſtinctus. Gerunda à Francis capta, peſtilentia ſimul eos, novumque à Rogerio Apulo bellum invaſit. Qua pulſi urbe, in anguſtiis montium atrocibus Hiſpanorum præliis excipiuntur, perque infinita vulnera & mortes, cum Perpenianum attigiſſent, Philippus ibi ingraveſcente morbo deceſſit, eodem prorſus anno, quo & Martinus, Francorum amantiſſimus Papa, Caroluſque Philippi patruus, & Petrus utriuſque hoſtis, interierant, Petro Jacobus II, Philippo Philippus Pulcher, filii patribus ſucceſſere, Honorius IV Martino.

P. Æmil. lib. 7. Cullen. lib. 17.

In Palæſtina interim Barbaris res ex ſententia proveniebant. Maria Domicella, regio Hieroſolymitanorum creta ſanguine, cum regnum ſacrum ſibi adverſus Hugonem, Cypri regem, aſſereret, & Romanam ſectaretur Curiam, ad ultimum jus ſuum Carolo Siculo reſignaverat, qui anno LXXVII, miſſo prorege, in ſua verba adegit proceres, quo & anno Bendodacarus à Tartaris ad Euphraten profligatus, accedente ex veneno ventris profluvio interierat.

Marin. l. 3. p. 12. cap. 16. 17. 18.

Ejus filius Melechſaitus, ingenti è Tartaris prælio ad Calamelam fuſus, brevi occubuit, ſucceſſore Helpi. Adverſus eum Armenii, cum iterum Tartarorum implorarent auxilia, & aliquamdiu egregie dimicaſſent, deſerti ab eis in acie ſunt, quod Tangodomor, Scythici dux exercitus, in fugam declinabat. Magna ſic Chriſtianorum recedentium ſtrages edita. *An.* 1285.

Abaga rex Tartarorum, reverſos domum milites ſuos, muliebri damnavit habitu, mollitiem hoc pacto exprobrans; Sed dum ipſe congredi cum Saracenis parat, veneno tollitur; imperium Tangodomori delatum. Hic pro Chriſtianiſmo Mahometis amplectitur deliria, Argoni etiam fratri infeſtus, à quo fo-

Hayth. Hiſt. Orient. cap. 36. Marin. l. 5. p. 13. c. 8. 20 22. Hayth. c. 37.

1285. veri

veri nostros noverat. Nec odii saturatus, intercipere eum insidiis conatur, quod dum agit, suopte præventus dolo interiit. Argon è captivo Rex factus.

Ea Tartarorum dissidia respirandi Ægyptio tyranno occasionem lautam dedêre. Quare cum Henricus, Hugone genitus Cyprio, laceras sacri regni reliquias vix teneret, Melech Messor obsidione cinxit Tripolin, perque cuniculos expugnatam tandem igni exussit, VII Christianorum millibus in urbe interemptis. Ita res iterum ad inducias deducta, mortuoque Messore, Seriphus ejus filius gubernacula suscepit. Hic anno XCI ejus seculi, quo & Rodolphus Imperator obiit, immensis copiis circumsedit Ptolemaidem. Marinus ejus ætatis scriptor, LX equitum, CLX millia peditum ei adfuisse dicit. Capitur ita tandem corona Ptolemais, asylum Christianorum Syrienstum, XXX hominum millia ibi horribiliter trucidantur, quæ remanserant. Plerique enim antea, dum evadere in Cyprum sperant, tempestatis sævitia prope omnes sunt fluctibus obruti. Hinc Sidon & Berytus spoliatæ dirutæque. Tyrii profugerunt urbe, Berytii simulata induciarum fide, nefaria à Barbaris cæde sternuntur. Tyrus mox deditione capitur. Destruitur & castrum peregrinorum munitissimum, nihilque ex eo Christianis occidentalibus in Syria relictum. Reliqui peregrinorum, sarcinis peccatorum onerati, in Cyprum se recepêre. Dum illa superiorem per Asiam fiunt, Minorem incursare cœperunt Turcæ. Palæologus Imperator viros doctos, Pontificis Romani obluctantes imperio, omnibus modis est insectatus, *nudavitque Ecclesiam simul & arces propugnatoribus, qui poterant, tum à finibus Græcis Barbaros, tum barbariem ipsam à templis scholisque propulsare.*

Anno 1288.

Christ. Adrich. in Th. terræ sanctæ. P. Æmil. lib. 18. Anton. P. 3. & 20. cap. 6. Wolf. Drechsterus de rebus Turcic. 1291. Matth. Palm.

Niceph. Gregor. lib. 5.

Etenim postquam Azatinis Sultani, ejus qui ad Palæologum à Tartaris pulsus profugerat, filium sui occidissent, eversus est Turcarum Iconiensis principatus, divulsumque inter Satrapas regnum, quos quia parum metuebat Palæologus, sublatis castellorum præsidiis, latrocinandi quibuslibet viam aperuit. Accessitque mox gravius malum, ut propulsi à Scythis Turcæ, quam infirmi adversus illos, tam validi in Græcos fierent, ac pro desertis suis, plenas omnibus opibus copiisque terras Græcorum infestarent.

Coactus ergo justo pugnare exercitu Augustus Græcorum, in Paphlagonia cum Turcis conseruit manum, eosque ad flumen fugibundos egit. Illos incautius secuti duces, opprimuntur insidiis, atque hinc flumine, illinc ab hostibus intercluti, cadunt pene Græci omnes, ex eoque tempore Turcæ ad Sangarium amnem omnia pro arbitrio populantur. Thracenses interim exercitus distinentur Bulgaricis moribus & Illyricis, quos Terteres Despota, pulso Imperatoris genero, excitaverat; Phryges vero Lyciique aliis Turcarum molitionibus obviam eunt. *Visumque* Imperatori, *quæ reliqua adhuc essent, tueri potius, quam amotis & inde copiis, omnia simul in extremum casum dare.* Andronicum filium, dudum imperii consortem, instauratum Tralles, ultra Mæandrum sitas miserat. Sed Turcæ quadrienni assultu, quicunque fame aut siti non perierant in urbe, deditione tandem cepere, haud pauciores XX millibus. Hinc dum Palæologus Joannem Thessalum, qui rupta sæpius pace animum ejus exacerbaverat, Scythicis petere auxiliis molitur, & prope Lysimachiam recensetopias, palpitatione cordis inopinata exstinguitur, à filio Andronico, nec plebeia affectus sepultura, quod à fide majorum ad Romanam Ecclesiam defeciisset. Potestatem egerat annos XXXV.

Niceph. lib. 5. Plat. in Nicol. IV.

Præerat tum Romanis Nicolaus IV, iterum post annuas penè Cardinalium rixas lectus, qui post novam Francorum cladem, annuit paci inter Aragones Francosque. Cum enim Robertus Atrebas Catanam Siciliæ Francis subegisset, classem ejus ad Neapolin cepit Rogerius,

Plat in Nicol. IV. Th. Fazell. l. 19. c. 2. Mich. Ritius de regibus Siciliæ lib. 9.

rius, interque alios proceres, etiam Guidonem a Monteforti, qui hac via pœnas Anglis dedit, quorum regio sanguine, necato quondam Richardi Cæsaris filio, Viterbii aras perfuderat. Annitente ergo Eduardo rege, qui Vallia tunc subacta triumphabat, fœdus his legibus inter Francos Aragonesque percussum: ut Carolus Claudus dimitteretur; viginti millia pondo argenti penderet, præstaretque intra triennium, liberam Jacobo regi Siciliam: ni faceret, in custodiam ipse rediret. In hanc formulam dati obsides, Carolus, postea rex Ungariæ, & Ludovicus, ob accuratè actam ex regula Franciſci vitam, Sanctus appellatus, filii Caroli ambo.

Anton. Bonif. S. & 9. d 2. Hist. Polon. Crom. l. 20.

Hungaris vero tunc regnabat Andreas, vocatus ex Veneta matre educationeque Venetus, Andreæ regis è Stephano filio nepos, quem, perosi Ladislai regis libidines Pannonii, regem sibi statuerant. Ladislaus & Boleslaus Pudicus vix tandem submoverant Tartaros, Hungariam Poloniamque persultantes. Boleslao apud Polonos, Lescus Niger successerat, Jazygum Victor & Russorum, Conradi etiam Masovii, quem aliqui procerum regem dixerant.

Ericus Rex in Hist. Dan. Anno 1286. Ericus Upſ. l. 3. Arnol. Witſ. Contin. in Sax. pag. 1. Krantz. lib. 7. Daniæ. Hist. regum Daniæ edita ab Erpold. Lind. Chron. Belg. Aub. Miræus ex Dinter.

Apud Danos Ericus VI. Waldemari ex Christophoro nepos, paucorum insidiis interierat, cum Waldemarum amitæ suæ maritum Sueciæ regno depulisset, idque Magno fratri ejus conciliasset. Suffectus ei filius Ericus VII. admodum puer. Regnum consiliis Agnetis Brandeburgicæ & procerum, egregiè administratum. Interfectores regis hostes judicati, regnoque pulsi, piratica vexarunt populares; sed haud impune. Nam paulatim omnes pœnas exsolverunt sceleris. Ericus jam adultus, pacis bellique artibus claruit. Holsatos, Vandalos, itemque Marchiones inter se dissidentes reduxit in concordiam. Rostochiensem ditionem, aliasque in obverso Danis littore provincias, suæ iterum potestati subdidit.

In Belgio Joh. Dux Brabantiæ emptam ab Henrico Limburgensi provinciam, haud sine armis occupare potuit. Impugnatus enim ab hostibus validissimis, prope Coloniam eos insigni prælio prostravit. Capti Colonienſis præsul & Adolfus Nassovius. Henricus Lucelburgensis, & alii bellatores cæsi magno numero. Reinhardus Geldriæ Comes ejuravit Ducatum, atque ita libertate donatus est. Henrici filius, ducta Brabantini filia, dotalem Comitatum recepit, cujus postea nomen Augustum erit.

Hist. Hamel.

Hamelenses ad Visurgin, quum Magi conducta opera, mures fistulæ cantu ejicientis, mercedem ei non persolvissent, ejusdem nefandis artibus cxxx pueros amisere, mirando Dei judicio. Alfonsus Rex Castiliæ sapientia & Matheſi clarus, divina monumenta in Hispanicam traduci linguam curavit. Guilelmus Durandus, Jacobus Vorago, Becus Byzantinus, Ægidius Romanus, sacrarum professi literarum scientiam, Arnoldus Villanovanus & Thaddæus Florentinus, Medicam excoluere.

Tritth. Nicephl. lib. 6.

Adolfus Nassovius.
Andronicus Palæologus.

A. M. 5262. Christi 1292. *Albert. Argent. Annal. Flandr.*

Adolfus Nassovius autoritate Gerhardi Eppensteinii, consanguinei sui, Electoris tunc Moguntini, ad imperium promotus, nihil fere tanto nomine dignum gessit. Eduardo Anglorum regi cum Philippo Pulchro bellum erat, è spoliatis quibusdam Anglorum navibus, ac cæde nautarum ortum. Vastabantur Normannia Aquitaniaque, provinciæ in Gallia Anglorum. Guido Flander cum filia, quam Anglo desponderat, evocatus, vix è custodia erat dimissus Francorum. Sponsa attinebatur. Adolfus ergo cum Guidone Flandro stipendiariam pollicitus militiam Eduardo, LXXV ab Anglo millia pondo argenti suscepit. Robertus eum Atrebas antevertit; Flandriamque ingressus, metu cepit provinciam; Rex Anglus classe oram maritimam tenuit. Albertus Austriacus, Rodolfi Cæsaris filius, Si Dominus, inquit,

quit, meus ſtipendiarium ſe Anglo facit, quidni ego me Franco; Ita in contemptum venit Adolfi principatus. Cum Alberti filiam ſuo ambiret filio, repulſam tulit, addito cavillo: Si Comes eſſet Auſtriacus, velle & ſuam filiam principem facere. Inde ſimultas inter Naſſoviam Auſtriacamque domum firmata. Mox & aliud ſupervenit diſſidii incrementum.

Albertus Thuringus, Friderici Imperatoris è filia nepos, invitis filiis, ſuum vendidit Adolfo principatum, inteſtinoque ſubditos bello implicuit. Adolfus hoſtilem in modum vexavit Thuringiam Miſniamque, & plurimis Fridericum Dizemannumque, Alberti filios, cladibus affecit. Repulſus ipſe viciſſim à Friderico, ex admorſa materno oſculo maxilla denominato, conſpirantibus adverſus eum Pragæ, dum Venceſlaus II coronatur, Imperii principibus, indignus ſceptro judicatur.

Siffrid. Epit. l.2. Idem Moguntinus, qui eum evexerat, imputata ipſi ingratitudine, Eccleſiarum vaſtatione, diminutione imperii, ſtupratione virginum, mercenaria militia, dejectionis autor fuit. Albertus Auſtriacus Moguntiæ Rex deſignatus Romanorum. Inter duos reges nihil non pro conſervanda potentia tentatum. Ad extremum Adolfus, quod eſſet animi vehementior, equitatum ſuum rapit in Auſtriacos, haud exſpectato, ut prudentiſſime monebatur, peditum exercitu. Albertus, qui id operam dederat, ut adverſum haberent ſolem hoſtes, armis eos aſtuque devicit. Adolfum ipſum in prælio vulneravit ſecus oculum. Proſtrati in terram cum galeam armiger levaſſet, modico in collo vulnere inflicto obiit, anno potentiæ octavo.

Albert. Argent. Chron. Mart. Polon. in app.

Anno 1298. Otho Bavarus, Rodolfus Palatinus, & alii, Adolfi partes ſequuti, fuga periculum declinarunt. Factum in agro Spirenſi, anno ſalutis milleſimo duodetrecenteſimo, cum jam Anglus Francuſque fœdere inter ſe affinitate juncti, bellum depoſuiſſent, & Albertum juvandum, adverſus perfidum Adolphum ducerent, quod à Rege in Regem auro corruptus, fidem minime præſtitiſſet.

P. Æmil. lib. 7.

Nicolaus Pontifex, quod omnia male ei cederent, tædio animi exſtinctus, duodetriginta menſium altercationes purpuratis ſuis reliquerat. Lectus tandem Petrus Brutius, vir lucis purpuræque ignarus, & naſcente dignior, quam ſeneſcente Chriſtianiſmo, Cæleſtinum v vocaverunt. Eum mira fraude Benedictus Cardinalis abire provincia, cui impar erat, adegit. Longa arundine per parietem ei queſcenti acclamavit, *cede Cæleſtine, cede: Niſi papatum dimittes, animam amittes:* id aliquoties factum, ut exueret ſe Pontificatu, perpulit. Creatus Papa Benedictus, Bonifacius eſſe VIII voluit. Cæleſtinum eremum repetentem retrahi, & cuſtodiri imperat, animique dolore exſtingui, gnarus nomen ejus ſanctum mortalibus, facile motum aliquem procreare poſſe. Ludovicum Pulchri regis avum, in ſuperos memoria ſacrata retulit. Conciliaſſe quoque viſus eſt pacem inter Francos Tarraconenſeſque, ut Siciliam Jacobus Carolo Claudo redderet, Adela ejus filia ducta, Sardinia inſula dotali. Sed Fridericus Jacobi frater, claſſe in Siciliam ex Hiſpania vectus, Rex obviis cunctorum votis ſalutatur. Aſia interim variam experitur fortunam.

Plat. in Nic. & Cæleſt. 5. Albert. Argent. Henr. Rebd. Anton. p. 3 t. 20. c. 8. Plat. in Cæleſt. 5. Chron. Mart. Pol. Golt. p. 331.

Argon Tartarorum Princeps, à regibus Armeniæ Georgiæque implora-tus, cum fœderibus ſibi conciliaret vicinos ad recipiendam Palæſtinam, obierat diem. Frater ejus Quegatus, ventris Veneriſque mancipium, acta ſexennii luxuria, à Scythis ſuffocatus eſt. Serifus quoque Chriſtianorum everſor in Syria, cum claſſem ſtruere ſuos, & Cyprum invadere juberet, interemptus eſt à ducibus, qui diſſidio inter ſe oborto, inteſtinis concurrerunt armis aliquandiu, dediſſentque anſam reſpirandi noſtris, niſi & Armeniorum reges mutuis ſemet odiis perdidiſſent, eadem tempeſtate.

Marin. p. 13 l. 3. c. 1. 2. 3. Centur. Magd. 13. cap. 16. ſubfin. Hayth. Hiſt. Orient. c. 38. 39.

Verun-

Veruntamen Cazanus, Argone genitus, invitatus à Saracenis ad legem Mahometi accipiendam, ut pro Baytone, Quegati consanguineo, imperium capesseret, simulavit pro tempore obsequium, junctisque sibi Saracenis facile Baytonem devicit, tenendisque in officio Saracenis, Christianorum destrui permisit Ecclesias. Verum firmatis opibus, refovere Christianos, Saracenorum proceres, somnia sibi Mahumeti importunius inculcantes, interficere cœpit. Quamobrem petitus bello à Melecho Nasero, Ægyptiorum tyranno, ac pene victus, desiliit in pedes, tantoque ardore instauravit prælium, ut cæsis xx Saracenorum millibus illustri victoria potiretur. Mox LX Tartarorum millia tradidit legato, Sultanumque in Ægyptum usque persecutus, Baldacæ, id est, Babyloni se includere compulit. Ipse distributa omni militibus præda, solum Sultanienſem, victoriæ documentum retinuit. Ita aliquantulum resurgere visa res Christiana anno millesimo trecentesimo: sed minime durabili felicitate. In Britanniæ insulæ parte boreali, jam inde è lapsu rei Romanæ, dominabantur Scoti, gens ingenii & armorum laude felix. Georgius Buchananus, rerum Scoticarum scriptor indigena, XCV regem facit Alexandrum, Henrici III Angli generum, cum tota stirpe circa hæc tempora exstinctum. Joannes Bajolus, quod uxorem haberet generis regii, patruo quondam magno Alexandri prognatam, Eduardi Angli opera sceptro potitur; Sed expressa antea regni deditione, qua illud, invitis proceribus plerisque, in Angli jus ditionemque concessit. Flagrante ergo inter Galliam Angliamque bello, Bajolus recuperandæ avidus libertatis, Francorum amplectitur partes; vicissim æmulus ejus, pari gradu regium attingens sanguinem, Robertus Bruſſius, armatur in Scotos. Capitur ab Anglo Bervicum, hinc alia oppida. Tota fere Scotia in potestatem ejus venit, captivoque Bajolo, proregem Anglum accipit, præcipui nobilium, ne quid novi audeant, in intimam Angliam relegantur.

Marin. l. 8. p. 13. cap. 8. Hayth. c. 41. 42.

Palm. in Chr. 1300. Georg. Buch. l. 8.

Sed dum in Gallia abest Eduardus, Guilelmus Vallas, nobili, sed paupere ortus lare, manu hominum collecta, quos par fortuna, aut similis patriæ amor ei conciliaverat, primum castella aliquot expugnat. Inde Anglicanum prosternit exercitum, brevique adeo belli fortunam circumegit, ut neminem Anglici generis, præter captivos, in Scotia reliquerit. Igitur Eduardus, compositis cum Pulchro rebus, subito in Scotiam advolat, atque invidia nobiliorum, desertum in acie Vallam ingenti profligat clade, ceciderunt à Scotis supra x millia. Vallas livori cessit, neque post eum diem pro imperio quicquam ausus. Joannes Cuminius Prorex à Scotis legitur, variisque rex extracta præliis est, donec necato etiam Valla, Robertus Bruſſius solium conscendit Scoticum, anno interregni x. *An. 1297.*

Nec quietiores res in Polonia erant. Obierat sine prole Lescus. Boleslaus Masovius, Henricus Vratislavienſis, & Ladislaus Locticus, Lesci frater, de principatu contendebant. Wenceslaus Bohemus Sendomiriam Cracoviamque, velut legatas ab regina ditiones, invadebat. *Hist. Pol. in Cent. Mag. 13. cap. 16. Crom. lib. 10. & 11.*

Nec Tartarica deerant latrocinia. In istis turbis Vratislavienſis moritur; Primislaus à Polonis rex creatus, cum septimo mense decessisset, Ladislaum habuit successorem. Sed ille difficillimis laboribus partum regnum, otio ignaviaque amisit. Abrogatum ei à proceribus imperium, delatumque Venceslao Bohemo, anno ipso MCCC.

In Græco imperio, ob Michaëlis cum Romana Ecclesia collusionem, eo exstincto nihil non turbatum. Patriarcha Becus clam se subducit: rediit Josephus ad dignitatem, quam olim pro Arsenio acceperat. Ita scissa in tres factiones Ecclesia, cum aliqui Beco, nonnulli Josepho, alii Arsenio mortuo adhæresceret. Andro- *Niceph. lib. 6. Georg. Phrant. l. 1. c. 7.*

dronicus natura mitis, ut tolleret ſcandala, Gregorium Cyprium provexit ad Cathedram: Sed eo conſilio diſſidia haud conciderunt. Tandem Adramyttii Synodus acta, placuitque poſt multa verborum certamina, cujuſque opinionem libro conſignatam in ignem mitti, divinumque de ea experiri judicium. Cujus charta incolumis tranſiſſet, ea pars vinceret. At ignis chartas omnes ſubito redegit in cinerem, *non ſine ulciſcu eorum qui Eccleſiam alieno tempore, nullamque ob ſufficientem cauſam turbarent.* Itaque omnes Gregorio Cyprio aſſenſi, interque ſe uniti, Becum & reliquos Pontificiarum partium, exilio aut dignitatum amiſſione damnarunt. Sed cum à contumeliis non abſtinerent, Gregoriuſque imprimis in Becum exulem, ſcriptis detonaret, nec aurem præberet mitiora monentibus, conſpiratione Chilæ Epheſii, & Danielis Cyziceni, exutus honore eſt: qui Epiſcopi viciſſim à ſuis clericis ſunt dejecti. Subſtitutus Gregorio Athanaſius eremi ſectator, Epiſcopos ad ſuum quemque gregem paſcendum abire juſſit, eoque rigore homines, urbanarum amantes voluptatum, adeo offendit, ut quarto poſt anno eum repetere ſolitudines ſuas cogerent.

Imperator ſub hæc perſuaſus à quibuſdam, rei privatæ amantioribus, quam publicæ, claſſem deſtruxerat, qua hactenus imperium maris valide aſſeruerat Græcis, & adverſus Francos, Græciæ inſidiantes, littora defenderat. Tunc Tarraconenſibus junctus matrimonio, Siciliam obtinentibus, nullum eſſe amplius tanti apparatus uſum judicabat. Claſſiarii partim Latinis locarunt ſuam operam, partim ad agros ſe colendos tranſtulerunt. Imperium exinde Græcorum cuivis inſultationi patuit. Acceſſit mox aliud malum. Cum enim delatores ſuſpectam feciſſent Cæſari, fratris ejus Conſtantini munificentiam & comitatem, tranſgreſſus in Aſiam Andronicus, commorantem apud Lydos germanum ſubito in carcerem detruſit, addito ſocio ei Michaële Strategopulo, qui hactenus fortiter cum Barbaris dimicarat.

Albertus Auſtriacus.
Andronicus Palæologus.

A. M. 5268. Chriſti 1298.

Albertus ex veneno quondam altero captus oculo, principum ſuffragiis, & victoria de Adolfo parta firmavit imperium. Philippo Pulchro affinitate eſt junctus, ſorore ejus filio ſuo Friderico deſponſata. Carolus Valeſii Comes, Pulchri frater, quicquid Flandriæ ſuperiore bello occupatum non fuerat, Francis ſubegit: Pulcher à Flandris apparatiſſime excipitur. *Effuſam lætitiam amoremque major mox luctus odiumque ſecuta.* Cum enim regius præfectus *nobilitatem colendo, plebem onerando, rebellioni fomitem ſubminiſtraret*, tanta infremuit ſeditione vulgus Flandrorum Brugenſium, ut quem quiſque Francum hoſpitio acceperat, necaret. Pulchrum bello ulciſci conantem facinus, ſoror Eduardo nupta, Flandrorum protectori, de inſidiis domeſticis admonuit, inhibuit impetum, conatum diſturbavit.

Albert. Argent. Annal. Henr. Steron. Felic. Fabr. Hiſt. Suev. l. 1. c. 13. P. Æmil. lib. 8.

Plat. in Bonif. 8.

Bonifacius Papa Alberto erat infeſtus, quod ſe inconſulto imperii inſignia ſumſiſſet. Mortuo autem Jacobo Aragone, cum Robertus, Caroli Claudi filius, in Siciliam trajeciſſet, Catanamque cepiſſet, tantum ſubito bellum exortum eſt, ut tota fere Italia trepidaret. Nam Siculi Aragonenſibus faventes, comparata claſſe, Philippum Roberti fratrem bello ſuperant, captumque in carcerem conjiciunt. Fridericus non Siciliam modo, ſed & Calabriam recuperat armis. In Etruria vero adeo contra Piſanos Genuenſes exarſerant, ut & Liburnum caperent, incendioque everterent, & naves onerarias demergerent in fluminis oſtio, ne Piſanis navigare amplius liceret. Et ne exiſtimares, tum Deum cum hominibus pacem coluiſſe, tantus repentè terræ motus exortus eſt, quantus nunquam: quo quidem multis diebus, per intervalla durante, plurima ædificia corruêre.

Siffrid. lib. 2. Epit. Mart. Polon. in append. Chron.

ruêre. Inſtabat nimirum ferale ſeculum, quo ſolvendus è carcere Satanas, ſurſum deorſum omnia volutare cogitabat. Reati tum erat Pontifex, ubi rem divinam faciens, præ horrore defecit, caſûlamque ingreſſus delituit in ea aliquandiu, hiatum terræ pertimeſcens. Apparuit & Cometes, uſitatus calamitatum nuncius publicarum.

Tum vero, quod nemini in mentem venerat, Bonifacius VIII, ſibi redditus, luſtralem annum (jubilæum vocant) inſtituit, largiſſimamque peccatorum omnium indixit veniam iis, qui ſacra Romanæ urbis loca rite viſitaſſent. Ibidem inſolenti ſe habitu, Regem ſimul & Pontificem prælatis duobus gladiis geſſit. Tanta undique multitudo confluxit Romam, ut vix incedere per urbem amplam vaſtamque liceret. Venit & Carolus Valeſius, ductaque Balduini, ultimi ex Latinis Byzantinorum Auguſti filia, ſoceri jure, Auguſti titulum à Bonifacio emendicavit. Præfectus ab eodem patrimonio S. Petri, legatuſque in Etruriam miſſus eſt, ad novas ibi ſeditiones comprimendas. Nam à Gibellinis & Guelfis ad Albos & Nigros tranſierant. Valeſius Florentinos continere non potuit, quo minus Albos, id eſt, Gibellinos ab urbe ſua pellerent, interque eos Dantem Aligerium, Poëtam ingenioſiſſimum. Inde Carolus in Franciam ad Pulchrum fratrem revocatus.

An. 1300. Krantz. in Sax. l. 8. c. 36. Marin. Sanut. l. 3. p. 13. cap. 8. 10. Plat. in Bonif. 8. P. Æmil. lib. 5. M. Pol. in append. Blond. d. 2. lib. 9.

In Aſia Tartarorum opes rurſus ingentes erant, anno milleſimo trecenteſimo. Cazanus pulſo, ut diximus, Ægytiorum Imperatore, Syriæ jura dabat. Religione noſter erat, Armenii Regis filiam habebat in matrimonio. Cum ſederet ad fluvios Syriæ Damaſcenæ, comperit Caydonem ſuum conſanguineum in Perſia moliri res novas. Ergo præponit Damaſco, Capchicum, vel Caycaphum, Saracenum transfugam, Damaſci quondam rectorem ſub Ægyptio; Oratores ad Francum regem, Bonifaciumque Pontificem mittit, cum Latinis proceribus fœdus icturus, ut communi animo conſilioque ſacrum regnum recuperaretur. Ea ſpe inflatus Bonifacius, ad Pulchrum regem dat literas imperioſas, ac ni continuo ſumatur bellum, minarum & fulminis plenas. Itaque datur in cuſtodiam Epiſcopus Apamenſis, ſolitus fando male de rege ſentire. Pontifex eum dimitti imperat, Epiſcopos Francorum Romam ad concilium vocat. Vetuit Pulcher à Francia diſcedi. Majore accenſus ira Bonifacius, Pulchrum nominatim execratur, jus ei regni abrogat, proceres ſacramento ſolvit, diploma Narbonenſi Archidiacono tradit vulgandum. Id priuſquam coactis Lutetiam patribus recitaretur, Atrebas raptum igni dedit, faceſſere Archidiacono procul juſſo. Philippus Bonifacio ſcribit: *Sciat tua maxima fatuitas, in temporalibus nos nulli ſubeſſe.* Ipſi Bonifacio domi periculum conflatum. Petro Jacoboque Columnis Cardinalibus jus pilei rubri ademerat, quod Gibellinæ factionis eſſent. Illi viciſſim malis eum artibus dicebant invaſiſſe ſedem, hæreſiſque & cædis reum. Pulcher quaſi vacante ſede, ad concilium appellavit.

Nancl. gener. 44. Morn. hiſt. pap. p. 947. è Boch. Chron. Monſ. Guil. de Nangis. Joan. Mar. de Schil. & Conc. parte 2. cap. 18. Marſil. Patav. parte 2. in defenſore pacis. c. 20.

Ea re percitus Bonifacius, Philippum, ejuſque regnum Alberto Imperatori ſubjicit, quem initio repulerat. Albertus non annuit, niſi hæreditarium ſibi ſuiſque fiat imperium. Ibi vero reputans ſecum curia Romana incrementa domus Habsburgicæ ſubita, ſervitutem ex hoc verebatur, ſi cui familiæ perpetua lege Auguſta dignitas addiceretur. Bonifacius etiam animo contemplatus, Eliſabetam Auguſtam ſororem eſſe Conradi uterinam, pertimuit ejus progeniei dominatum, quæ tantum Pontificiæ ſedi certaminum procuraſſet. Sic ſpes cluſa tam Pontificis, quam Alberti. Franci, per Atrebatis præcipitantiam, inſignem accepere cladem ad Curtracum. Duodecim eorum millia cum nobiliſſimis ducibus perierunt, interque eos ipſe Atrebas, cujus terras Otho Burgundus occupavit.

Albert. Argent. Anton. P. 3. t. 20. cap. 8. Annal. Flandr.

Auxit ſpiritus Flandrorum, quod Guido

do Comes eorum, ſpe veniæ & impunitatis propoſita, eos redire in fidem Pulchri precatus, obierat, relictis filiis victoriæ autoribus. Audebant ergo & Hannoniæ Comiti inferre bellum, qui Hollandiam ſibi Selandiamque uſurparat, occiſo dudum Florentino Hollando à ſuis, ejuſque filio Joanne ſine liberis exſtincto. Sed dum circumferunt bellum incidunt in inſidias, & altera poſt alteram affecti clade, has leges accipiunt, ut ducenta aureorum millia Guidonis filii Francis numerent: Robertus ſtirpis maximus in rem Flandricam patri ſuccedat.

Plat. in Bonif. 8. Blond. d. 2. l. 9.

Interim Bonifacius, *principibus populiſque terrorem potius, quam religionem injicere conatus, regnaque dare & auferre pro animi arbitrio*, auri ſitientiſſimus, indignum ſuo faſtigio, dignum factis exitium ſubiit. Sarra Columna & Wilhelm. Nogaretus, quaſi ad vulgandam Pulchri appellationem, in Italiam venerant. Admiſſi Anagniam à ſuæ factionis hominibus Pontificem nil tale metuentem, in domo paterna capiunt, captumque Romam perducunt, ubi quinto & triceſimo die poſt, dolore animi confectus, periit, anno poteſtatis IX. dictum de illo percrebuit. *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus eſt ut canis.* Suffectus homini Benedictus XI. Pulchrum cenſuris abſolvit: Columnios recepit in gratiam, intra menſem octavum veneno deceſſit. Creatus deinde poſt annuam contentionem Bertrandus Burdegalenſis, Clemens V. vocitari voluit. Purpuratos excivit in Galliam, Lugduni Pontificatum iniit, tribus regibus cœtum celebrantibus, Franco, Anglo, Arragone. Dum pompa coronationis per urbem agitur, Joannes Britanniæ dux ruina opprimitur muri, Philippus rex eadem debilitatur, Pontifex ex equo deturbatus, excuſſa tiara, longe maximi ex ea pretii gemmam amittit. Hoc omine in Galliam tranſiit purpurata cohors & Papatus, anno infelicis hujus ſeculi quinto, ibique ad LXXII annos manſit.

Ranul. Pol. l. 7. cap. 39. Faſcic. Temp. Anton. p. 3. t. 20. c. 9. & t. 21. c. 1.

Tres Cardinales cum Senatoria poteſtate Romam miſſi, quorum auſpiciis urbs atque Italia gubernaretur. *An. 1305.*

Interea, deſinente Chriſtianiſmi regnantis millenario, Chriſtianorum in Syria principatus corruit. Saracenus ille, quem Cazanus Damaſco præfecerat, amicior patriæ, ut putabat, quam benefactori, totam Syriam revocavit ad Sultani Ægyptii obedientiam. Malajus, Syriæ Prorex, in Meſopotamiam receſſit. Sequenti anno, ſeculi illius altero, confluxerant ad recuperandam Syriam Armenii Cypriique: Sed Cazani ægritudine nihil agi potuit. Corruptis dehinc aſtu Sultani graminibus, atque inducta provinciis ſolitudine, penuria conflictabantur Chriſtiani pabulorum. Gotholoſa quoque Cazani legatus, adverſus Damaſcenos male dimicabat. Inter hæc moritur ipſe Tartarorum Imperator, ejuſque frater Campanda, vel, ut Haythonus Armenius, iſtius ævi ſcriptor, eum nominat, Carbaganda, haud diutius Chriſtianam coluit fidem, quam mater ejus vixit. Ea defuncta, Mahumetanis ſe adjunxit, quorum vires augeri perſpiciebat indies. Anno ſexto hujus ævi Cyprii proceres (Templarii erant) Henrico regi abrogarunt imperium, gubernatore de ſe conſtituto, qui velut relegato in Armeniam rege, quadriennio poſt à quodam familiarium eſt interemptus. Percrebuitque eo tempore, Templarios ad Saracenos defeciſſe. Quamobrem paſſim cremati ſunt, qui comprehendi potuêre: eorumque bona partim Rhodiis militibus, (hi Hoſpitalarii erant) qui inſulam paulo ante occupaverant, partim Papæ & Pulchro regi, partim novis religionibus ceſſerunt. Oborta & Fratricellorum hæreſis, qua mares & fœminæ in omnem provolvi libidinem ferebantur, qui in Alpibus armis ſunt Pontificiis oppreſſi.

Marin. l. 3. p. 13. cap. 10. Hayth. Orient. cap. Hiſt. 43. 44.

Matth. Polon. Platin.

Fuerat virgo quædam Anglica, inauditæ autor hæreſeos, quæ Spiritum Sanctum ſe eſſe aſſerebat, in ſalutem mulierum incarnatam, baptizabatque fœmi-

Annal. Colm.

neum sexum in nomine Patris, & Filii, & suo. Hæc cum vita exisset, Mediolanum deportata & combusta est.

Albert. Argent. Albertus sub hæc Cæsar, cum Rhenanis Præsulibus gerebat bellum, iniquas eis imputans vectigalium in Rheno fl. exactiones. Moguntinus etiam Rodolfum Bavarum, qui fratrem possessionibus expellebat paternis, defendere ausus frustra fuit. Cæsar & Ducem Rodolfum in ordinem redegit, & expugnata Binga, Moguntinum alioque præsules, imperata facere compulit.

Per Hungariam, exstincto Andrea rege, Carolus, Claudi Siculi nepos, & Robertus Caroli patruus, & Venceslaus Bohemus de regno contendebant. Magnates Othonem elegerunt Bavarum, qui à Transylvano captus, uxoris ejus beneficio evasit ad suos. Albertus Carolum traduxit in regnum, qui pluribus procerum ejectis, æmulis suis prævaluit.

Siffrid. lib. 2. Albert. Aug. Cum Wenceslao II affine suo, super terris quibusdam dimicatio Alberto grandis fuerat. Wenceslaum paulo post exstinctum, sequitur filius Wenceslaus III in cubili suo ob turpitudinem occisus, filioque Alberti Rodolfo regnum Bohemicum traditur, cui vidua Wenceslai II matrimonio copulatur. Barones designaverant Henricum Carinthium, Cæsare inconsulto. Ille, cum Rodolfus sine prole periisset, regnum sibi iterum vindicabat. Albertus contra suis id asserere molitus, inter apparatus hosce à Joanne, Rodolfi fratris sui filio, quod Kyburgum, aliaque ejus bona diutius pro tutore teneret, prope Scafhusium interficitur. Anno præcedenti MCCCVII, Dicemannus, Marchio Misnensis, à sicario Lipsiæ in templo erat confossus, quem ei Adolfi regis patruus Philippus immiserat. Eoque tempore Helvetii fœderis sui initia ex Austriacorum injuriis cepêre.

Æneas Sylvius Hist. Bohem. c. 30.

Felicis Fabri l. 1. Hist. Suev. cap. 13.

Raimundus Lullius, ex mercatore Eremita, admirandas adinvenit artes, quas ut cœlitus revelatas persuadere conatus mortalibus, multis delirandi materiam præbuit, ut & Joannes Scotus nimiæ subtilitatis. *Joan. Maria. lib. 15. de rebus Hist. c. 3.*

In eadem tempora Nicephorus Callistus, Siffridus presbyter, Henricus Stero historici incidêre.

Andronicus Græcorum Augustus, Caroli Valesii filiam, Michaëli suo filio, quem Cæsarem creaverat, oblatam repudiavit, perque Theodorum Methochitem & Joannem Glycyn legatos, Armeniorum ei regis despondit sororem. Joannem Sozopolitanum creavit Patriarcham Byzantii. Turcas tum primum Mæandrum flumen transgressos, per Alexium Philanthropenum, & Lebadarium Ioniæ rectorem repulit. *Niceph. Gregor. lib. 6.*

Henricus VII. Lucelburgius, Andronicus Palæologus.

A. M. 5278. *Christi* 1308.

TRucidato Alberto Cæsare, Proceres Germani contrariis studiis scindebantur. Philippus Pulcher non tantum aboleri Bonifacii VIII memoriam, sed & transferri Augustam potestatem à Germanis ad Gallos contendebat. Clemens V ea de causa Avenionem, Provinciæ urbem, quæ Roberti Italiæ regis erat avita possessio, se contulit, ne in potestate Pulchri esset. Inde properatis epistolis maturari electionem, atque Henricum Lucelburgium creari Cæsarem curavit. Adjecta à Pontifice lex, ut intra primum biennium, ad motus Italiæ compescendos, Romam novus Cæsar properaret. Civitates enim Cisalpinæ, præfectos urbium suos in Dominos commutaverant. Verona Scaligeros, Mantua Passerinos, Patavium Carrarienses. Veneti Ferrariam, Florentini Pistorium expugnaverant. *Albert. Argent. Conrad. Vecer de Henr. 7. Plat. in Clem. V. Morn. è Thom. Walsi. Chron. Hist. Pap. p. 960. &c. Anton. p. 3. t. 21. c. 1. & 2.*

Henricus fratris sui Balduini, Trevirorum præsulis opera, Cæsar lectus, Albertum & Adolfum, decessores suos, uno die Spiræ sepelivit.

Tenax majestatis quam gerebat, Argentinensibus legatis privilegia suæ civitatis innovari petentibus, nihil respondit, quod

quod dominorum ſuorum juſſu ſe veniſſe dicerent. At cum mutatis verbis præfarentur: Cives veſtri Argentinenſes hoc orant: benigno eos proſecutus eſt reſponſo. Eberhardum Comitem Wittenbergicum, non ſatisfacientem de contumacia in aliquot imperii ſubditos, cujus reus agebatur, ditione ſua expulit. Percuſſores Alberti Cæſaris, lata ſententia, capitis damnavit, quorum nonnulli lentis, aliqui ſubitis caſibus interiere.

Frid. Marchioni, cui cum Adolfo & Alberto de Thuringia Miſniaque certamen fuerat cruentum, avitas confirmavit poſſeſſiones. Luſatiam regno abdixit Bohemico, idque filio ſuo Joanni per conjugium Eliſabethæ, Wenceſlai filiæ, armis acquiſivit, expulſo Carinthio. Frid. Auſtriaco Auſtriam, ob quam quinque reges periiſſe ferebantur, contulit pene invitus.

Æneas Sylv. Hiſt. Boh. cap. 31.

Vituperaſſe fertur proximorum Cæſarum ignaviam, qui Italiam intrare non auſi, decus ibi imperii corrupiſſet. Quare exercitum eo duxit, ſperans velut exule ſede Romana, imperii majeſtatem ſanctius omnes culturos. Sed exitus docuit, Henrici ſpiritus Pontifici nimios viſos, qui ſtatim cum novo Apuliæ rege Roberto, Claudi filio, conſilia contulerit arcana, quibus Cæſareos impetus coërceret. Ea re freti Florentini de recipiendo in urbem Cæſare, tunc ſe deliberaturos reſponderunt, cum propius acceſſiſſet, Ciſalpinarum tamen legati civitatum, honoris officiique cauſa obvii ſtatim fuere. Mediolanum duæ factiones, ut omnia ubique, diſtrahebant. Vido Turrianus Guelphorum, Matthæus Vicecomes Gibellinorum principes erant. Sed tunc Matthæus domo exactus, inopem ſollicitamque agebat vitam. Ad Aſtam Cæſari venienti occurrit: quo ingens vis exulum, ſpe patriæ recuperandæ, confluxerat. Pergitur Mediolanum. Anno ejus ſeculi undecimo ferrea ibi corona redimitur Cæſar, aurum coronarium exigit, magna plebis querela.

P. Æmil. lib. 8.

Inſurgitur in caput Cæſaris, nec deeſt occaſioni Turrianus. Sed revocatis, qui in ſuburbiis tendebant, Germanis, cæſi Mediolanenſes, vicariuſque eis Matthæus impoſitus. Cremonenſes, funibus collo inſertis, pacem coacti petere. Brixiam ingenti obſeſſam exercitu, quanquam à Guelfis omnibus defenderetur, Henricus ſubegit, transfoſſo tamen apud eam ſagitta fratre Valramo, plurimiſque peſte abſumptis. His vicinorum calamitatibus perterriti Mantuani, Veronenſes, Vicentini, Patavini, Tarviſini, Veneti, mandata Imperatoris fecêre. Qui Placentia Genuam profectus, Beatricem ibi Auguſtam amiſit. Piſas claſſe delatus, Joannem Auſtriacum, iſthic repertum, carcere damnavit perpetuo. Per Wernerum Hohenburgenſem multas de Longobardis victorias tulit. Igitur Papa, Philippus & Robertus Reges, ſimul exterminium fortiſſimi principis ſpirabant. Robertus Romam præoccupavit, Urſinorum factione adjutus. Columnii intromiſerunt Henricum, purpurati eum legati tertia corona exornarunt. Romani omnes in verba ejus adacti. Tum vero neque aſſurrexit amplius Cardinalibus Imperator, neque ad menſam eos invitavit, indictoque tributo, fremitum facile populi movit. Tumultu exorto Tibur, inde Piſas regreſſus, Roberto diem dicit. Ubi ea venit, abſentem ſacri imperii hoſtem judicat, majeſtatis damnat: Regni nomen, jus, inſignia ei abrogat. Hoc decretum deinde Clemens Pontifex irritum pronuntiavit, cognitionem cauſæ ad ſe pertinere contendens. Idem Clementinas, ut vocant Conſtitutiones ſanxit, à ſucceſſore ejus Joanne XXIII editas, Pontificii regni robur.

Albert. Argent.

Imperator, aſſumpto in fœdus Siciliæ rege Friderico, Calabros, Apulos, Lucanos, Picentinos, Campanos, magno terrore perculit. Cum in Florentinos & Lucenſes copias duceret, occupato Bonitio, ad Bonconventum ſubſtitit, in itinere morbo implicitus. Ibi ſuperante

Cuſp. in Henr. VII. Avent. lib. 7. Albert. Argent.

rante magnitudinem animi vi morbi, haud dubia veneni ſuſpicione deceſſit. Virus ſacro calici, Florentinorum, ut volunt, conductu, miſcuerat Bernhardus Monachus Prædicator, perque ultimum ſcelus & inauditum, columnam magnanimitatis & juſtitiæ, florem germinis Germanorum, ut eſt apud Albertum, ſubvertit. Sunt, qui ſacrilegum parricidam vivum poſtea excoriatum ferunt. Henrico in quintum annum imperium fuerat. Germani eo orbati, Italici belli concilio deſtitere. Cum eo vigor Germanici imperii apud Tranſalpinas gentes concidit: eodemque tempore, cum paulo poſt Clemens V interiiſſet, de pontificio apice purpuratos, de Auguſtali principes Electores longa & feralis inceſſit contentio, Suitenſes, Urienſes, Unterwaldenſes, qui veterum Helvetiorum terras colunt, excuſſo Auſtriacorum jugo, in libertatem ſe vindicarunt. Leopoldus Dux haud exigua ab iis clade affectus, fœduſque Helveticum Lucernenſium Turigenſiumque acceſſione roboratum.

Paral. Urſſ. Chron. Belg. Nauder. gen. 44. Pand. Coll. lib. 5. Hiſtor. Neap. Bilibal. Pirckh. lib. 1. belli Hel. Niceph. lib. 6. Georg. Pach. l. 3. Georg. Phranzes cap. 8. 9. 26.

In Aſia res Chriſtiana partim inteſtinis, partim externis Turcarum armis inflicta, peſſum ivit. Hucuſque Alexius Philanthropenus & Libadarius, Ioniam & ulteriora Aſiæ feliciter defenderant, repreſſis furoribus Turcarum, quibus Othomannus quidam Ertugulis filius, Carmaniæ antea regulus, manu & conſilio promptus, cœperat præeſſe. At quum Alexius à Turcis ſuisque juxta coleretur, ſubveritus Libadarius ejus potentiam, calumniis effecerat, ut minime cogitatum antea ſcelus, defendendi ſui cauſa admitteret Philanthropenus, & Auguſtalia ſibimet capeſſeret. Tardiorem in exſequendo eo conſilio oppreſſit Libadarius, corruptiſque cuſtodibus, captum excæcavit. Sic magna Turcis janua exercendæ tyrannidis aperta. Etenim Andronicus, ſuſpecta jam ſuorum omnium fide, Alanos (qui & Maſſagetæ) Scytharum fugientes imperia, accepit in fœdus, eorum opera Turcas debellaturus.

Horum adventum ingens præceſſit terræmotus, futurarum prænuncius cladium. Illi enim ex Tranſiſtrianis partibus in Aſiam perducti, & juſſu Cæſaris, gravi ſubditorum incommodo, armis inſtructi equiſque, quos defendere debuerant, tanquam hoſtes ſpoliarunt. Inſuper è Turcis fuſi fugatique, depopulatis undique agris, per Helleſpontum in Europam trajecere, quaſi ea de cauſa duntaxat è Scythia acciti veniſſent, ut Turcis maturius iter ad mare præmonſtrarent. *Neque enim probabile erat, rem bene geſturos eos, qui lacrymas & execrationes pro viatico ſecum abſtuliſſent.* Andronicus eorum cladem edoctus, Magneſiæ ſe tenuit. Quo mox Byzantium reverſo, Turcæ deſcenderunt ad littus, omnibus fere terris ad oram uſque Lesbiam occupatis. Eodem tempore, Veneti Byzantini, ſuorum damna prætexentes, apertè illuſerunt Andronico, & quod claſſe careret armata, domos civium ſpoliare, onerariaſque naves in ipſo ejus conſpectu dirimere ſunt auſi. Quibus rebus tumidiores ferocioreſque facti Turcæ, provincias Aſiæ inter ſe diviſerunt. Satraparum potentiſſimo Othmano, Olympi confinia & Bithynia obvenerunt. Sorte, Haliſurio Carmania Phrygiaque, Helleſponto finitima Calami, aliis regiones aliæ. Oblata tamen mox Andronico alia hoſtes reprimendi occaſio.

Nicephor. Gregor. lib. 7.

Nicoph. Gregor. lib. 7. Laon. l. 1. Calius Aug. Curio l. 3. Hiſt. Sarac.

Ronzerius ſeu Rogerius, Catelanorum Aragonum dux, qui Friderico regi in Sicilia militaverat, compreſſa Caroli ambitione, & fœdere inter duas regias icto, pervagatus fuerat Oceanum, & è piratica quæſierat opes. Tunc Conſtantinopolin profectus, Andronico ſuam obtulit in Turcas opem, honoratuſque ab eo, & in Aſiam miſſus, Turcas in veteres ſubmovit terminos. Sed vetitus ulterius ire miles, cum ſtipendiis fraudaretur, ex amico ſe hoſtem præbuit Aſiaticis, primoque Aſiam, deinde & Thraciam fœdiſſime devaſtavit. Græci, per inſidias cæſo Rogerio, quam ſopire voluerant, accenderunt acrius ſeditionem.

Auxi-

Auxiliares Turcæ, qui dudum Græcis militaverant, pars factionis Catelanicæ facti. Catelani in Thessaliam delati, pecunias extorserunt proceribus. Inde cum Athenarum ac Bœotiæ princeps transitum eis intercluderet, conserta cum eo manu, ipsum exercitumque ejus occidione occiderunt, ac mox Athenis Thebisque potiti, in media confederunt Græcia. Turcarum pars ad Cralem Serviæ Principem se contulit, pars in Asiam reducenda à Græcis, postquam insidias sibi tendi intellexit in Chersoneso, ob manubias, de Græcis ablatas, contraxit auxilia popularium. Res acie disceptatur; victi à Turcis Græci. Michaël Andronici filius, ornamenta Imperatoria amisit, quæ ludibrio Turcis fuere. Sic res in Asia Europaque corruptæ, dignitas Imperii conculcata, Magogicæ & aliæ gentes, impulsore iterum Satana, quemadmodum ante annos mille, Ecclesiam circumsedere, & oppugnare undique cœperunt: quarum potestas ex hoc tempore invaluit indies, Christianismus in deterius vergit. Imperium utrobique, & in Oriente, & occiduis in partibus, in contemptum venit: Romanensium nugæ & ambitiosæ artes orbem Christianum implevêre. Sacros Syriæ & Palæstinæ locos exinde Barbarica tyrannis insedit. Turcæ tam effusè populati sunt Thraciam, ut Constantinopolitanis toto biennio vix porta exire liceret. Apud Gallos Templarii falsis, ut volunt, Pulchri criminibus circumventi, ignibus deflagrarunt.

Append. Mart. Poloni. P. Æmil. lib. 8. Anton.

In regias eorum opes Pulcher involavit. *parte 3. tit. 21. cap. 1.*

Pulcher, mortua uxore Joanna Navarræ regina, Ludovicum filium, Pampelonem missum, coronandum curavit. Nurus regis omnes probri causam dixere. Joanna, Philippi uxor absoluta. Margarita Ludovici, Blanca Caroli, flagitii convictæ. Adulteri verendis convulsis, cute nudati, unca tracti, reste tandem suspensi, pœnas infesti illustris tori graves illustresque dedere. Ludovicus, adultera in carcere exstincta, Clementiam Roberti Apuli sororem duxit; Carolus Joannam, Henrici Imperatoris, Eburonum Comitis filiam: Pulcher per venationem excussus equo, mortuus anno ejus seculi tertio decimo, quo & Henricus VII decesserat.

Hic noni libri, quo feliciora Christianismi tempora depinximus, finis esto; graviora deinceps mala, haud sine animi cruciatu dicturi, quum & Turcæ præcipua orbis terreni spatia, latitudinem terræ, ut vocat Apocalypsis, occupaverint, oppresso iis in locis, aut exstincto Christianismo: & doctrina salutari Jesu Christi in ipsa Ecclesia oppugnata, & propemodum deleta sit, omnium vitiorum sentina naviculam Petri inundante. *Apoc. 20. 9.*

Durandus Mimatensis Episcopus de Ecclesia reformanda bene, sed irrito conatu scripsit. Dantes quoque Aliger, & Arnoldus Villanovanus, maximam in Ecclesia corruptelam agnovere. Dantes Pontifici nullam esse asseruit creandi Cæsaris potestatem. *Durandus de Concil. celeb. Morn. Hist. Pap. è Dante & Vill. p. 972. &c. Dantes l. 3. de Monar.*

LIBER X.

Continens Seculum ultimum Ecclesiæ obsidionem patientis à Gentibus, præsertim Gogo & Magogo.

HActenus viguit per Asiam & Europam Christianismus. Quantquam turba Mahumetana occidit multos, potiori tamen semper loco Christiana res stetit, melioresque terrarum orbis provincias & urbes tenuit. Multi quoque de belluæ Romanæ superstitionibus, characteribus, authoritate, potentia, omnique ejus nomine & valore triumpharunt. Græca Ecclesia Romani Pontificis dominatum sprevit. Imperatorum, invitis ut plurimum Papis, *Apoc. 20. 3. 4. 5.*

Papis, maxima per Italiam, Galliam, Germaniam, autoritas habita. Tartari etiam, Armenii, Ruſſi, Chriſtum Dominum coluêre. Turcarum nationes prædationibus magis, quam ſtabili potentia inſultarunt Chriſtianiſmo. Non pauca illorum millia ſacro fonte tincta, pro ipſo Chriſto depugnarunt.

Niceph. Gregor. lib. 7. Hiſt. Rom. Apoc. 20. 9.

Sequitur ſeculum infelix, malum, triſte, turbidum, ultimorum ultimum. Rara dehinc per univerſam Aſiam Chriſtianiſmi habitacula. Totam hanc mundi partem latiſſimam Scythicæ gentes implent. *Adſcenderunt in latitudinem terræ*, ut prædixit Apoſtolus. Mox Europæ præcipua occupant, ipſum imperii Chriſtiani oculum tollunt, Conſtantinopolin. Alteram mundi metropolin, eamque vetuſtiſſimam, Romam, Papa tenet, excluſis iniquè Imperatoribus: firmam ibi ſuperſtitioſi dominatus ſedem figit, imperium exercet in reges terrarum. Teſtes Chriſti ferro iniquè oppugnat, vincit, occidit. Græca Eccleſia perpetua obſidione premitur Turcarum. Imperatoribus Teutonicis vix per Germaniam integra autoritas manet. Tartari Mahumetum venerantur. Armenii, Ruſſi & remotiorum terrarum Chriſtiani, plus ſuperſtitionis & nugarum, quam religionis habent. Turcarum vires valido ſtant talo, & ſemper res Chriſtiana diminuitur. Pleriſque in mundi partibus, ne mutire quidem veritati Chriſtianæ licet. Solutus è carcere ſuo Diabolus, pertinacius aſtutiuſque Eccleſiam Chriſti obſidet, quam unquam regnante Ethniciſmo fecit. Hæc nobis deinceps curſim contemplanda, ut Dei veritas & potentia in ſuis eluceſcat, Dæmonumque malitia in pravo hoc mundo agnita devitetur, obſidentique Satanæ repugnetur conſtanter, ne locum ſanctis in cordibus reperiat. Igitur Orientis Imperatores mihi poſthac erunt, non qui laceras imperii ruinas apud Græcos poſſident, ſed qui florentiſſimas Aſiæ provincias ad nutum circumagunt, ipſamque tandem arcem doctioris mundi expugnant, habentque Conſtantinopolin. Eorum primus fuit, ut conſtat, Turca Othomannus, rerum potitus maxime, quum, qui auxiliares antea Andronico fuerant, Turcarum exercitus Chriſtiani, ipſam urbem regiam, totamque Thraciam incurſarent. Itaque tunc Imperatores erant

Niceph. Gregor. l. 7. p. 113. & ſeqq.

Ludovicus IV. Bavarus, & Othomannus, & mox Orcanes, ejus filius.

Marſil. Patavin. defenſ. pacis parte 1. c. 19.

Lucemburgenſi mortuo, diverſa Electorum ſtudia fuere, nonnullis Fridericum Auſtriacum, majori parte Ludovicum Bavarum probante, unde gravium bellorum ſemina enata. Eodem tempore, cum ſedes Romana ultra biennium vacaſſet, Jacobus Cadurcenſis, Portuenſis Epiſcopus, ſe tandem ei, ut ſequeſter litium, ſuamet ſententia impoſuit, Joannes tertius & viceſimus dictus Platinæ, & aliis qui Joannem VIII Pontificem agnoſcunt. Apud Francos Philippo patri ſucceſſerat Hutinus Ludovicus X, cui brevis ævi regnum fuit.

A. M. 5284. Chriſti 1314. Albert. Argent. an. 1314. Plat. in Clem. V. Anton. p. 3. t. 21. cap. 4.

Altero enim anno deceſſit, Clementia uxore gravida: unde natus Joannes, octo tantum dies vixit; Philippus V, cognomine Longus, Frater ejus, & ventris procurationem, & infantis tutelam geſſit. Reliqua erat Hutini ſobolis Joanna, ex Roberti Burgundiæ ducis filia procreata, cui avunculus regnum aſſerebat deberi. Sed Francorum proceres legis Salicæ hæc verba defendebant: *In terram Salicam mulieres ne ſuccedant.* Longus rex nemine ultra contendente ſalutatus, trium filiarum maximam Othoni Burgundo deſpondit, alteram Ludovico Flandro, tertiam Delphino Viennenſi. Delphinos enim ſuos Principes Allobroges vocitabant. Anno ejus ſeculi XXI Rex Longus obiit peſte, nulla ex ſe virili prole, Frater ejus Carolus Pulcher ſuſcepit regnum. Peſtilentia hæc fraude humana potius, quam vitio cœli ſævire credebatur. Judæi, gens pervicax,

P. Æmil. l. 8.

1321.

cax, ac execrabili in nos odio furens, cum ab Hutino recepti essent, ut bona sub Pulchro, patre ejus, direpta ulciscerentur, accepta ab Turcis pecunia, elephantiacis, qui stipe mendicanda vagi victitarent, persuaserant, venena in puteos spargere. Eorum quam plurimi comprehensi. Quæstione habita, de confessis supplicium sumptum. Judæi quoque in custodiam alii alio divisi: ex quibus multi suis morientes manibus, ludibriis se suppliciorum subtraxêre.

Chron. Belg. magnum. Chron. de Joan. Reg. Boh. cap. 10.

An. 1316. Annal. Henrici Rebdorf. Henrici Steronis Annal. 1317. Albert. Argent.

Anno XVI ejus seculi dira fames, & Cometa, extrema quæque mortalibus minabantur, cum Ludovicus Imperator Rodolphum Palatinum fratrem suum, quod Friderico Austriaco studeret, ditione avita expulit; qui in Anglia est defunctus. Successit anno XVII, qui millesimus ab eo, quo Constantinus Magnus, victis tyrannis gentium, gubernaculis mundi à Christo, Satana depulso, est admotus. Tunc ad Eslingam infestis aciebus concurrunt Ludovicus Bavarus & Fridericus Austriacus Cæsares, Consobrini; vix usquam pertinacioribus animis pugnatum. Extractum in atram noctem certamen, tanta utrinque cladè, ut neuter sibi victoriam arrogaret. Fridericus Eslingensi obsidio inhæsit, à quo eum Ludovicus diversione abstraxit belli. Nulla non calamitas premebat interim Germanos. Ludovico fovebant Joh. Rex Bohemiæ, Trevir, & Moguntinus Electores. Fridericum Colonienſis, Saxo & Palatinus adjuvabant. Brandeburgicus Legatus Ludovicum, inscio domino elegerat, ob id domi inedia interfectus. Ludovicus Aquisgrani à Moguntino & Treviro, loco quo debuit, sed non à quo debuit: Fridericus Bonnæ à Colonienſi, à quo debuit, sed non loco, quo debuit, erant consecrati. Inferioris Germaniæ civitates Bavarum, Argentina & superiores Austriacum sequebantur, sed valescente Bavari parte, Argentina ad eum transiit. Negotiationes, quibus crescunt civitates, jam totæ propter infesta itinera cessabant. Omnibus malis, bello, fame, seditionibus, latrociniis, Germania vexabatur. Joannes Papa, neutrius Cæsaris amicus utrumque regem appellando, ex illis dissidiis, autoritatis venabatur & potentiæ incrementa. Dividebat Episcopatus, alios divisos redigebat in unum, mutabat in Abbatias Episcopatus, vicissim in Episcopatus Abbatias, novas dignitates, nova collegia instituebat, constituta invertebat. Clementinas confirmabat traditiones, mandans doctoribus, ut publicè prælegerent librum. Novum creabat militum ordinem, in Lusitania adversus Saracenos dimicaturum, cui Templariorum in Hispania opes attribuit. Thomam Aquinatem Divorum addidit gregi. Declaravit edicto hæreticos, qui affirmarent, Christum & Apostolos nil proprii habuisse.

Chron. Belg.

Plat. in Joh. XXIII. Henricus Rebdorf.

Blond. d. 2. l. 10.

Cum octennio inter se vario marte dimicassent Cæsares æmuli, Bavariaque imprimis & provinciæ Rhenanæ ægrescerent cladibus continuis, tandem in agro Salisburgensi, absente Leopoldo, Friderici fratre, consertæ sunt validæ manus. Fortissime pugnavit Fridericus, L amplius sua manu confodisse milites fertur. Sed supervenientè cum recenti exercitu Friderico Norimbergensi, victus captusque cum Henrico fratre Austriacus, Ludovicus solus rerum potitus est, princeps eo fastigio haud indignus, si citra ambitionem & clades publicas id assequi potuisset. Accidit ea strages Austriacis, anno liberationis humanæ XXIV post MCCC, festo Michaëlis die, quo ante annos L, Rodolphus auctor illius stemmatis, lectus Cæsar fuerat.

Cuspin. Frider. Pulcro.

Leopoldus ex hoc casu semper tristis, Badensi Marchione & Civitatibus aliquot subnixus, nihil non liberandi causa fratris tentabat. Egit & cum Necromantico, ut Dæmon sub habitu viatoris Fridericum educeret custodia. Sed *cum venisset ad eum execrabilis viator, precibus se Deo commendavit princeps egregius, atque tam fœdi liberatoris gratiam est aspernatus.*

Albert. Argent.

natus. Ergo armantur in Ludovicum, Pontifex & Carolus rex Francorum. Francus imperium ambit, Papa in Bavarum dira & execrationes jaculatur. Sed Germani, spretis hisce artibus, Ludovicum jam sequebantur, id agentes interim, ut custodia Austriacus exiret. Quod & factum, triennio exacto, ea lege, ut uterque, quoad viveret, regio uteretur titulo; Fridericus vero Italiam non intraret, quod & sancta fide servavit. Sic restituta fuisset pax Reipubl. nisi & Leopoldus, & Bohemiæ rex Joannes, partium studia armis fovere perseveraſſent. Leopoldus variè debacchatus per Alsatiam Helvetiamque, insania denique correptus, sine pœnitentia obiit. Joannes autem Bohemus & Carolus Hungariæ rex, cum altero Friderici fratre Othone, Austriam rapinis & incendiis pervastabant. Paulo post Otho, hinc & Fridericus amatorio, ut ferunt, poculo tabefactus, interiere, anno xxx seculi istius. Ludovicus Alberto Contracto Austriam, Styriam, & Carinthiam contulit, eaque re Bohemum, cujus filius Carinthiam matrimonii lege tenebat, vehementer offendit. Auxitque iras, quum Margaretam Tyrolensem, filio Bohemi impotenti nuptam, suo sociaret filio Ludovico, quem Marchionem Brandeburgensem creaverat, eique Tyrolensem hoc pacto compararet Comitatum. Papa vero Joannes Cæsari jam Victori litem intenderat, quod minimè à se confirmatus, nomen vimque Imperatoriam usurparet, quodque Vice-Comiti Mediolanensi adversus Guelfos auxilia submitteret. Etenim Henrici VII virtute, Gibellinorum in Italia partes revaluerant, quibus Bavarus haud obscurum impendebat favorem, uti & quibusdam Minoribus, quos Papa diris insectabatur. Fraterculi hi vocabantur, *purpuram, opes, dominatum, à Sacerdotio aliena esse prædicabant.* Christum & Apostolos non exemplum modo, sed & legem hanc successoribus dedisse. Hanc sententiam Joannes Pontifex impiam censuit damnavitque. Illi vicissim Pontificem hæresi laborare, novumque creandum contendebant. Wilhelmus Occamus Minor, cum Augustorum jura copiosè tutaretur, Joannem hæreseos aliorumque criminum coarguit.

Vita Caroli IV. Cusp. in Ludov. Annal. Henrici Rebdorf. P. Æmil. lib. 8. Chron. Aulæ regiæ. Avent. lib. 7. Anton. parte 3. t. 21. cap 5. Marsil. Patav. in defensore pacis, p. 2. cap. 25. In Extravag. lib. 22. Tit. de verborum signific. c. 1. 2. 3. & cap. cum inter nonnullos.

Ludovicus anno ejus seculi XXVI Tridentum progressus, obvios habuit rectorum Longobardiæ legatos. Miserant eos, Galeatius Vice comes Mediolanensis, Canis Scaliger Veronensis, Castrutius Lucanus, & alii Italici Gibellini, quos Pontificis legati vexabant. Corruerunt apud Bononiam & passim Pontificii pugnatores. Itaque magnifice exceptus Mediolani Cæsar, secundam ibi de more coronam accepit. Sed cum aurum à civitate exigeret coronarium, Vice comites sibi adversantes movit imperio, quos tamen postea restituit. Pisanos in potestatem redactos, Castrutio jussit obedire. Ibi pestilentia exercitum vastavit.

Papa execratus Ludovicum, mandavit Electoribus, ut alium crearent Imperatorem. Sed Joannes Bohemiæ rex ejusque patruus Balduinus, Trevirorum Præsul, illa consilia disturbarunt. Ludovicus perrexit Romam, invitatus à populo & principibus, ubi tertia redimitus corona, autoribus præsertim Stephano & Sarra Columnis, Petrum Corbarium Reatinum insignibus Pontificiis exornavit, hominem *majoris, quam sanctioris literaturæ*; at ad res gerendas non ineptum. Illi Nicolai V nomen inditum, à quo denuo Cæsar coronatus. Si statim in Apuliam moviſſet, eam Roberto, Pontificias tuenti partes, adimere potuisset. Sed moram trahendo in urbe, & muniendi sui spatium hosti præbuit, & civibus oneri fuit. Quare discedere coactus in Thusciam, dum Florentinos obsidere parat, morte impeditur Castrutii: Inter Castrutii filios & Lucanos, cum parum conveniret, abstulit juvenibus civitatis dominium, Accium Vicecomitem Mediolanum remisit, Antipapam reliquit Pisis, Mar-

Annal. Henrici Rebdorf. H. Mutius in Chron. Germ. lib. 24. Joan. Marius de schis. 21.

sis; Marcus, frater Galeatii, Luca potitur, quam tamen mox milites Spinolæ cuidam Genuensi vendidere. Quam ob rem Ludovicus, vacillantem veritus Italicorum fidem, cum diceret, *Cæsares multos veneno, paucos ense ab Italia abactos*, revertitur in Germaniam, re omni, quam susceperat, infecta, nisi quod civitatibus Procuratores dedit, Vicarios nomine, re dominos terrarum. Eo digresso, Bonifacius Pisanus Comes rem gratam Joanni facturus, antipapam Nicolaum Avenionem (ubi tum curia erat) perducit. Ibi ejurato honore, in carcerem conjicitur Pseudonicolaus, vitamque in ærumnis absolvit.

Cuspi. Lud. IV.

Nicephor. Gregor. lib. 8.

Dum illis Occidens factionibus quassatur, Oriens conculcatur à Turcis, Byzantinus principatus indies imminuitur.

Andronicus Junior, senioris nepos, flagitiosam agebat adolescentiam, nocturnis grassationibus rivales suos persequebatur. Factum casu, ut dispositi milites, dum genio heri obsequuntur, fratrem ejus Manuëlem letali telo transfixerint, hunc de Andronici rivalibus esse rati. Eo infortunio adeo consternatus est Michaël Palæologus, pater utriusque, Thessalonicæ tum degens, ut præ mœrore vita abierit. Andronicus interim senior avus, altum mente dolorem concipit, & de redigendo in ordinem nepote, consilia agitat. Erat eidem nepos è Constantino filio spurius nomine Syrgiannes, cui multum tribuebat. Hic avi consilia adolescenti denudavit, fecitque, ut adjunctis sibi Joanne Cantacuzeno & aliis, Thraciam per illos clanculum occuparet. Senex interim objurgatum, convictumque de flagitiis nepotem, carceri volens mancipare, à Theodoro Metochita persuadetur, moram consilio interponere, quod instante Carnisprivio, lautioribus dediti conviviis cives, facile in seditionem prorumpere solerent. Quo tempore ex equo ad parietem depicto clarissimus resonuit hinnitus, malorum impendentium, ut & olim, prænuncius.

Elapso igitur quadragesimali jejunio, vocatus denuo in senatum nepos, jurejurando adigitur, de non struendis vitæ, aut imperio avi insidiis. Sed illum conjurati adeo in diversum egere, ut & impunitatem illis per Metochitam, Andronici generum, auderet postulare. Ea audacia ingemiscens senior, aperte fassus est, *sua ætate & imperii majestatem & pietatem Ecclesiæ obiisse*, atque comprehendendi nepotis consilium Gerasimo Patriarchæ, qui Joanni Glycæ successerat, aperuit.

Niceph. lib. 8. p. 142.

Antistes male tegens arcanum, accurrit ad juvenem, exponit periculum, accelerare fugam suadet. Itaque nocte Paschali profugit Andronicus Adrianopolim, anno mundi (ut Græci corruptis è libris putant) 6829, secundum Hebræos libros 5327, salutis anno MCCCXXI. Ibi in castra delatus Syrgiannis & Cantacuzeni, colligit militem, & avo bellum facit. Seniorem oderant subditi, per bella Turcica continuis exactionibus & tributis pressi, atque tum maxime in perpetuam classem adversus Turcas annui census poscebantur. Quare junior, pronunciata per urbes & pagos immunitate, totam fere Thraciam Macedoniamque ad se traxit, in eumque egit terrorem avum, ut Thraciam addiceret fœdere nepoti, sola Constantinopoli & Macedoniæ parte sibi retenta. Quo tempore Turci, animadversa imperii labe, classes ædificare, & mare ingredi cœperunt, idque adeo impune & magno numero, ut Thraciam quoque & Macedoniam incursarent, magnasque clades majoribus cumularent. Unde factum, ut exhausto fisco, veterum Imperatorum ornamenta venderet Andronicus, urgente inopia. Sub quod tempus primum visi sunt Byzantii funambuli, & alii curiosarum simul, mirabiliumque artium ostentatores, qui ex Ægypto profecti, theatrumque sibi terrarum præstituentes orbem, suis plerique technis consumpti

A. C. 1321.

Niceph. lib. 8. p. 158.

sunt. Paulo post Syrgiannes indignatus, se consortem potestatis non fieri Andronico juniori, ad senem transfugit, spei-que illum implet fore, ut universum recuperet imperium. At junior, ficta avi morte, ad ipsa Constantinopolis suburbia promovet exercitum, incensus & matris suæ Zenes infortunio, quam Constantinus Despota Thessalonicam ingressus, vi impositam navi avexerat Byzantium, carcerique incluserat. Ejus tamen dimissæ interventu nova pax coiit, flagitante id etiam Philadelphiæ periculo, quum à Turcis tunc obsessam, Philanthropenus, ante XXXVIII annos oculis captus exemit manibus Barbarorum. Junior Andronicus diademate ornatus, collegam se avi gessit. Syrgiannes pro palatio subiit carcerem, opes ejus populus diripuit. Nicephorus Gregoras, unde hæc descripsimus, Pascha haud justo tempore celebrari ostendebat Andronico, sed senex adspectu scandali, nihil censuit innovandum, *temporis esse quæstionem, non fidei arbitratus.* Interea neglectis Orientalibus oris, tota fere Bithynia in Othomanni venit potestatem. Decumbente ex pedibus Othomanno, filius ejus Orcanes Prusam, Bithynorum urbem præcipuam, fame perdomuit, anno Christi MCCCXXVI, ibique anno sequenti patrem argentea in tumba sepelivit, functum principatu annis XXVIII.

Niceph. lib. 8. Annal. Turcic. A. C. 1329.

An. 1327. P. Æmil. lib. 8. Gaguinus lib. 8. Polyd. Virg. lib. 19. Histor. Anglic.

Quo anno Othomannus, eodem & Carolus IV, Rex Francorum obiit: Eduardus III Anglus, sorore ejus genitus, hæreditatem postulavit regni. Ex lege Salica Philippus Valesius, patruelis defuncti, Rex salutatur, sacraturque, quanta non alius multis seculis celebritate. Bellum cum Flandris gessit, natum è seditione, qua illi Ludovicum Comitem ob exactiones asperiores premebant. Comes, superatis ad Casletum Flandris, restitutus suæ ditioni, de autoribus motuum supplicium sumsit, quorum circiter sex millia exstitere.

Froffard. lib. 1.

Eduardus II senior, Anglorum Rex, quod Scotos sibi subjicere tentasset, varias ab iis acceperat clades; Isabellam & Eduardum filium, quod diutius in Galliis abessent, exules pronunciaverat; è primoribus multos affecerat suppliciis; Spensios pravorum consiliorum autores, altius quam propinqui ejus ferre possent, extulerat. Quare à filio atque uxore, modicis copiis transmarinis freta, comprehensus, atque in arctissimam custodiam datus, fœdo mortis genere interiit. Transmisso in anum per fistulam corneam ferro calido, intestina ejus ita sunt adusta, ut nullo exterius indicio, facinus immanissimum proderetur. Nulla quæstione de tanto scelere decreta, uxor & filius ab eo consilio haud alieni crediti. Eduardus III, cum nihil adversus Robertum Scotum efficeret, pacem iniit, salva Scotis libertate. Apud eos Roberto Brussio David filius successit ætate pupillari. Sub eo Scotia multis calamitatibus, per indigenas exterosque hostes affligitur.

Buch. lib. 8. Polyd. lib. 18.

Buch. lib. 9. Chronic. Aulæ regiam. An. 1329.

Joannes sub hæc Bohemiæ Rex, rarus domi & in regno suo, frequens apud exteros, aut Lucemburgensi in principatu, Lituanos, à Wernero Cruciferorum Prussiæ Magistro, invitatus, multis affecit cladibus, qua expeditione alterum oculum ex aëris intemperie amisisse fertur. Boleslaus dux Silesiæ, ejusque cognati, huic se regi obstrinxere, deserto Loctico, Polonorum rege. Hinc cum anno ejus seculi XXX & Fridericus decessisset, & Ludovicus ex Italia repetiisset Germaniam, Joannes rex à Brixianis, aliisque Lombardis invitatus, multas Italorum urbes subegit, ac Pontifici simul Cæsarique simulans obsequium, ambobus displicuit. Quare ne de Bohemia periculum subiret, Cæsari semet excusaturus, rediit in Germaniam. Bononienses, & aliæ Civitates, cæsis Papæ præsidiis in libertatem se vindicarunt. Legatus Avenionem proficiscitur, anno MCCCXXXIV, quo ipso Joannes Pontifex vita abit, anno ætatis XC, Papatus paulo plus XIX, relicto inæstimabili the-

Anton. pag. 3. cap. 21. 6. Plat in Joan. XXII.

sauro

ſauro 1250000 aureorum, ſive ut alii, millionibus XXV, ut vel hinc appareat, haud fruſtra illum ſutoris filium omnibus modis reſtitiſſe, ne crederetur publice paupertatem Chriſti, non dominatum mundi, Eccleſiæ paſtoribus competere.

Annal. Henrici Rebdorf. Bohem. Extra. Joan. ſi fratrem. Niceph. Gregor. lib. 9. Laon. l. 2.

Ludovico Alemania, ſpretis Joannis execrationibus, obedire non abnuit, licet multa inter clerum populoſque altercatione. Jam enim proverbio ferebatur illud: *Curia Romana non paſcit ovem ſine lana.* Joannes pertinaciter, omnem poteſtatem ſpiritualem civilemque Petro commiſſam à Chriſto, contendebat.

Eo tempore nova Byzantinos Principes diſcordia invaſit. Andronicus junior longos pertæſus dies ſenis, Michaëlem Bulgariæ Deſpoten fœdere ſibi junxerat, avum aut purpura, aut vita privaturus. Proditis ſeni inſidiis, auxilia quidem ille contrahit, ſed fruſtra, populorum animis ad orientem potius nepotis fortunam, quam ad ignavum avi ſenium reſpectantibus. Duces ipſi inteſtinis diſſenſionibus exitium ſibimet, nepoti victoriam peperere. Junior proditione cepit Conſtantinopolin, avumque ab omnibus derelictum, blande allocutus, non prorſus dignitate exuiſſet, niſi pravis aliorum, Niphonis præſertim Patriarchæ, ſuggeſtionibus iniquior ei eſſet redditus. Amotus denique gubernaculis ſenex, tanta doloris acerbitate eſt perculſus, ut utriuſque oculi uſum amitteret, reliquamque vitam in meris ageret tenebris. Interim junior ſuſcepta in Aſiam adverſus Orcanem expeditione, ob vulnus in pede acceptum, prælio exceſſit. Eum milites fugere rati, etiam ipſi in effuſiſſimam projecti ſunt fugam, totumque exercitum perturbavere. Ingens à Turcis clades, ignominiaque accepta. Profectus inde Didymotichum Andronicus, ex frigore poſt balneum, ſubito gravem contraxit morbum, quo omnis ei ſalutis ſpes adempta. Id cum percrebuiſſet, Senior Byzantii monachum cogitur induere à Theodoro Synadeno, ejuratoque imperio, nomen immutare, ut pro Andronico jam Antonius diceretur. Mox convaleſcit junior: à Bulgaro ad ſocietatem belli in Triballos invitatur. Sed *cum Bulgarum minus ſincere amaret; fortunam ejus exſpectare, quam periculum adire maluit.* Bulgarus à Crale Serviæ cum copiis cæſus occubuit. Andronicus tantum abfuit, ut afflictis Bulgaris opem ferret, ut & oppida eorum invaderet. *Sed perfidiam ultro ſequitur à tergo Deus.* Occiditur à ſuis Crales, Alexander, Bulgari filius omnia recuperat. Triballi Amphipolin uſque ſimul Bulgari ad Oreſtiadem, cunctas Græcorum provincias devaſtant. Mox etiam Orcanes celeberrimam Bithyniæ Nicæam, diuturnæ obſidionis malis fatigatam, expugnavit. Reliquos illorum locorum Chriſtianos, tributis paulatim exhaurire, quam uno impetu delere maluit. Inter hæc publica privataque mala, Andronicus ſenior tandem, in cucullo ſuo deceſſit, anno vitæ quarto & ſeptuageſimo, poteſtatis L, ſeculi iſtius XXXII. Junior bellum Alexandro Bulgaro intulit, affini ſuo, quod multa Hæmi montis caſtella teneret. Alexander vim deprecatur, *Turcas potius petendos, quam Chriſtianos Imperatori Chriſtiano*, ait. Cum nihil proficeret, copias contrahit, vincit Andronicum, victum obſidet, fame urget. Nihil ei exercituique ſupererat ſpei, cum ultro miſertus tot hominum Alexander, pacem hoſti obtulit, hortatus, ut memor periculi moderatior eſſet impoſterum.

Niceph. l. 9 p. 201. Annal. Sulz.

Niceph. lib. 10.

Hac clade depulſa, Syrgiannes vocatur in judicium, majeſtatis ei crimen intenditur. Ille fugit, conjurat cum Triballis, Macedoniam occupat. Andronicus impar viribus, fraude eum tollit per ſicarium. Crales, id eſt, Dynaſta Triballorum pacem concedit Cæſari, muneribus placatus. Macedonia ad officium redit. Miſſi tunc à Pontifice Epiſcopi duo, Byzantinos ad diſputationem provocarunt. Sed Nicephorus Gregoras

autor fuit Græcis, *ne id certamen subirent, cujus neque fructus, neque judex appareret ullus.* Rescriptum Joanni à Græcis Laconice: *Potentiam tuam summam circa tuos subditos firmiter credimus, superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non valemus; Diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.* Papatum susceperat Jacobus de Furno, Pistore genitus Tolosano, Benedictus XII voluit appellari. Ab eo cum nihil non impetraturum se confideret Philippus Valesius, alienavit à se hominis animum, contemni sacrosanctam potestatem indignantis. Quare cœpit favere Ludovico Benedictus, in quem tamen decessoris diras renovaverat. Ludovicus Rupertum Bavarum, & Wilhelmum Julicensem, Oratores ablegat, reconciliationem petituros. Sed obnitente purpuratorum cohorte, quæ Franco regi studebat, nihil efficitur, fatente licet Papa Ludovici innocentiam. Jam enim proverbio Romanensium ferebatur, *maxime eis expedire, Germanos esse quam stolidissimos.*

Catal. Hist. è Joan. Mand. l. 1. cap. 7. Argent. Annal.

Avent. l. 7. p. 477.

In Italia quasi vacante imperio, quilibet rapere ex alieno conabatur. Scaligeri Parmam, Gonzaga Regium, Estensis Mutinam, Florentini Lucam appetebant. Imprimis vero crescente Mastini Scaligeri potentia, qui & Parmam, & Lucam, & Patavium, dedente Ubertino Carraria, in potestatem suam redegerat; ad tantum dominatum exstinguendum, omnes fere Italiæ populi & principes conjurarunt. Cinxerunt Veronam obsidione Veneti, Gonzaga Estensisque, dum Luchinus Vice-comes Brixiam & Bergomum ditionis suæ faceret. Mox alterante ex metu potentiæ odio, ne Vicecomes augesceret nimium, pax à Venetis constituta, ut Veronam, Vicentiam, Parmam, Lucamque, Scaliger retineret. Romanis persuasum, ut Senatoriam dignitatem, quam diu regio nomine gesserant, suis & Ecclesiæ auspiciis administrarent. Stephano Columnæ potestas ea in quinquennium data. Franciscus Petrarcha, qui intermortuas literas, velut ab inferis revocavit, corona Poëtica in Capitolio donatus. Pontifex veritus, ne Italia iterum ab externo quodam hoste invaderetur, Luchinum Vicecomitem, ejusque fratrem Mediolani, aliarumque urbium Vicarios instituit. Scaligerum Veronæ & Vicentiæ, Philippinum Gonzagam Mantuæ & Regii, Albertinum Carrariam Patavii, Obicionem Estensem Ferrariæ, Mutinæ, Argentæ, suo (ut ipse dicebat) jure, quod *vacante imperio, omnis ejus potestas in Pontificem recideret.*

Plat. in Ben. XII.

Naucler. gen. 45. Cusp. in Ludov. Albert. Argent. Avent. l. 7. p. 477.

Myst. iniquit. ex Wilhelmo Occamo Joan. de Jandu. Leopol. Bamb. a. 1008. 1092. &c. Marsi. Patav. in defensore pacis. Catal. Test. Veritatis ex iisdem. lib. 18. An. 1338. 1339. Annal. Rebdorf. Polyd. Virg. l. 19.

Cæterum Ludovicus, congregatis Francofurti omnibus Imperii proceribus, decreta protulit contraria: *Electorum esse, nec alterius cujusquam, Regem constituere Romanorum; cui plura accedunt suffragia, Imperatorem esse, regem esse. Nomina diversa hæc, rem eandem: designatum posse imperii exercere jura, citra Pontificis approbationem.* Teneri Pontificem inungere eum quem Principes elegerint, nisi horrendo quodam scelere, eoque notorio, sit commaculatus. Sin id recusset, posse ab alio quocunque Antistite Imperatorem proclamari & Augustum. Inunctiones istas esse solennitates adventitias. *Pontifici nullum jus competere in Imperatorem, cum sint distincta potestates, civilis & Ecclesiastica.* Falsissimum esse, quod imperio vacante, potentia ad Papam devolvatur. Imo in Palatino eam & Saxone remanere. Eluendo crimini hæreseos plane confessus est omnes fidei articulos Imperator. Acta hæc anno XXXVIII. Comes Juliacensis Marchio: Geldrus, Dux ibi creatus. Additum aliis Comitiis, si qui deinceps Ludovicum in impiorum numero haberet, aut ob sententias Papales à divinis cessaret officiis, proscriptorum pœnis fore obnoxium.

P. Æmil. lib. 8. Frossi.

Ea tempestate, maximum inter Eduardum III & Philippum VI, reges, subortum est bellum, autore inprimis Roberto Atrebate, cui Artesia ablata, & Mathildi amitæ ejus, Burgundo nuptæ, adju-

adjudicata esset. Anglus suum esse jus regni Francici prædicabat : se Philippi Pulchri nepotem, filia ortum, Valesium patri Pulchri stirpem debere, remotioremque à solio censendum. Bavarus Cæsar, Guilelmi Hollandi gener, alienior à Francis erat, quod consilia Pontificum ab iis regi sibi persuaserat, Francorumque artibus factum, ut neque supplex, neque armatus, benedictionem impetraret. Ipse Eduardus in continentem transgressus, obtinuit ab Cæsare, ut Vicarius imperii in Germania Galliaque instituteretur : ut ea potestate Augusta auctus, proceres imperii cogeret ad nomina danda in Philippum, Valesii Comitem (ita Francum appellabat) jam à Bavaro hostem judicatum, quod oppida Romanæ ditionis, in queis Cameracum, detineret. Nec deerant Eduardo inferioris Germaniæ principes; Cameracum obsidebatur. Philippo tres aderant socii reges, Bohemus Joannes, ejusque filius Carolus, David Scotus & Navarrus. Duces sex, in quibus Britannus & Lotharingus. Sexaginta millia pugnatorum sub signis Anglus, centum millia Francus habebat, inque iis quatuor millia equitum, baltheo virtutis causa donatorum. Cum pugnam detrectaret Francus, Roberti Apuli dehortationibus motus, qui *unius prælii aleæ publicam salutem negabat committendam*; Germani duces, qui in spem propinquæ gloriæ præmiorumque venerant, dimissionem petiere. Eduardus regem se Franciæ scripsit, ut Flandros, qui regi Franco sacramentum dixissent, perjurii noxa liberet. Parisios usque præcedente Ludovico Imperatoris filio, igne ferroque omnia devastavit. Segnescente autem bello, ex re nummaria laborare cœpit Anglus. Interim Philippus ad filiam sororis, uxorem Cæsaris, Oratores mittit, Reginam Alemanniæ Augustamque, quod ad eam diem non fecerat, salutat : petitque ut Augustum maritum Franco nomini, ipsa Francico sanguine orta, conciliet. Ergo Bavarus, cum Anglus, quod convenerat, aurum non penderet, fœdus cum Franco percussit, Anglo vicarii nomen jusque abrogavit. Promissa Bavaro reconciliatio cum Pontifice, Franci ope conficienda. Verum sæpius missi Oratores re infecta redierunt, variis occasionibus dilato negotio, adeo *ut Francus crederetur, quod noluisset, simulasse se velle, Benedictus, quod voluisset, simulasse se nolle.* Hanc enim Ludovici Francique confœderationem novam Pontifex, suis utilitatibus intentus, ægre tulit, qui & inter illas moras migravit vita, succedente Clemente IV, qui ex monacho Præsul factus Rothomagensis, & Carolo IV imperium erat ominatus, & ipsi Papatum Carolus, prout is in vita sua narrat. Anno præcedenti, qui erat ejus seculi XL, pro Sluſa, Anglicarum partium oppido, stans classis Francica, Eduardum appulsu littorum prohibitura, gravem init cum Anglis pugnam, vincenteque Anglo, XXX circiter millia utrinque periisse feruntur. Inde dum Tornacum premit Anglus per sororem Franci induciæ in triennium, inter duas cognatas regias factæ.

Albert. Argent. Crisp. Lud. IV.

Vita Caroli IV. Frosl. I.

Vitæ Caroli IV.

An. 1340. Frosl. I.

Cæterum Clemens, mulierum, honoris ac potentiæ cupidissimus, instante Franco, ut absolveret Cæsarem, diem ei dicit, quo post triduum, Ecclesiæ satisfaciat. Acto triduo, impedivit Francus, ne novas detonaret in absentem diras. Tandem præscripta à Pontifice formula reconciliationis, quam ne captus quidem vilissimus quisque de se daret. Nimirum per Humbertum Delfinum, & aliquot Clericos, confiteretur Ludovicus omnes errores hæreseseque, resignaret imperium, nec nisi de gratia Papæ resumeret; se, filios, dignitatem, opes universas, in manus Clementis deponeret. Indigna & crudelis res visa principibus imperii, judicatumque, perniciem strui Augustæ potestati; missi qui turpitudinem negotii tam bello pastori ob oculos statuerent. Id Pontificem ita exasperavit, ut mox cum Boëmo & filiis, ac Trevirensi eorum patruo, exterminium Impe-

Albert. Argent. in Chr.

Joannes Avent. l. 7. annal Bojorum. Crisp. in Lud. IV.

Imperatoris, ac liberorum ejus meditaretur. 1346. Quadrageſimus ſextus agebatur ejus ſeculi annus, cum renovatis execrationibus in Ludovicum, juſſi ſunt à Clemente Electores novum principem creare. Motus loco Henricus Moguntinus, quod nova comitia haud indiceret: ſuffectuſque ei Gerlacus Naſſovicus, Adolfi Cæſaris nepos: Joannes Bohemus & Carolus id Avenione agebant, qui & Pragenſi præſuli Archiepiſcopalem impetrarunt mitram, ne deinceps Moguntino ſubeſſet. Joannes rex paulo ante Cæſari reconciliatus, Tyrolenſi comitatui renunciaverat nomine filii; Sed Carolus & Joannes fratres eam pacem improbarant. Igitur novus ille Moguntinenſium Antiſtes, ut Pontificis expleret voluntatem, contrahit in unum principes, ac facilè obtinet, quum Balduinus patruus, & Joannes pater Caroli largitionibus pugnarent, ut Rodolfus Saxo, & Valramus Colonienſis, auro corrupti ſuffragia commodarent Carolo, Marchioni Moraviæ, qui in baptiſmo quidem Wenceſlaus, at à Carolo Franco, cui amita ejus nupſerat, Carolus erat appellatus. Mox properatur Aquiſgranum, ut novus Cæſar diadema accipiat. Sed civitates Teutonicæ ſolidè Ludovico adhærebant, inter quas Aquiſgranum. Annitebatur & Margareta Auguſta pro marito, quæ occiſo à Friſonibus fratre ſuo Guilelmo, hæreditatem adierat Hollandiæ.

Vita Caroli IV.

P. Æmil. lib. 9. Annal. Henrici Rebdorf. An. 1346.

Incidit in hunc annum atrociſſimum illud Anglorum Francorumque prælium, ad Sylvam Creſſiacam, quo Joannes Bohemus periit. Anteceſſerat pugna cum Mauris, quorum tres reges in Hiſpaniam tranſgreſſi, & cum veteribus Saracenis Beticam incolentibus conjuncti, noſtros terra marique vicerant. Sed duo Alfonſi, alter Caſtilionenſis, alter Luſitanus, refecta ſpe, opeque divina adverſus pietatis hoſtes implorata, viciſſim Barbaros profligarant. Cæſa eorum parte maxima, reliquis receptaculum Betica factum. Auxilia Hiſpanis Francus tulerat. Hic per inducias Anglicanas, quæſtiones exercendo majeſtatis, quum multos Anglicarum partium proceres damnaret, & aliqui ad Eduardum transfugerent, reſuſcitavit bellum. Anglus plus mille navium claſſe in Normanniam tranſmiſit, (de qua pridem inter ſe Carolus Bleſenſis, & Comes Montfortius, eoque defuncto, uxor Montfortii, hæres Normanniæ, depugnabant) devicit Vaſconiam Pictaviamque. Normanniam ferro ignique populatus, prædam & captivos in Angliam tranſportavit. Philippus rex, præter domeſticas copias, auxilia accerſierat externa. Joannes Bohemus cum Carolo filio, recenti Cæſare, adfuere: Rodolfus item Lotharingus, Ludovicus Flander, duceſque alii. Hi omnes in pugna illa occubuere. At Carolus cum inſignibus Auguſtalibus è prælio fugit, ad nomen ingens in Germania capeſſendum. Pater ejus Joannes, jam oculis captus, & Carolus Franci regis frater, cum xxx millibus pugnatorum cæſi, in quibus & præcipua nobilitas. Eduardus victor. Itium, quod & Cales oppidum unde in Angliam commodiſſimus eſt trajectus, pertinaci obſidione expugnavit, Coloniamque Anglorum fecit. Davidem Scotorum regem, bellum interea facientem, magna clade repulerunt Angli, regemque ipſum ceperunt, eodem anno, quo Imperator Ludovicus, dum venenum agitatione corporis diſcutere ſtudet, excuſſus equo, ex convulſione deceſſit, anno poteſtatis xxx. Obteſtatus antea devotis precibus Deum, miſereret animæ ſuæ, omniaque ſibi ignoſceret delicta. Peſtilentia tunc horrenda Aſiam, Europamque depopulabatur, quæ nec tertiam Europæ partem reliquit incolumem. Florentiæ lx hominum millia abſumſit, Lubecæ nonaginta millia. Viginti quatuor horis, aiunt, ibi ad mille quingentos interiiſſe. Autores habeo, in Anglia Franciaque vix nonum hominem ſuperfuiſſe contagio. Eduardus iii poſt Creſſiacenſe prælium, Gar-

Froſſ. l. 1.

Anno Chriſti 1347. Avent. lib. 7. Cuſpin. Belg. Chron. Platin. Polyd. Virgil. lib. 19. Hiſt. Chytr. Chron. lib 22. Mennenius in Orig. Ord. militarium. Niceph. Gregor. l. 10. 11.

Garterianum ordinem equitum, quorum insigne est ligamen auro fibulatum, condidit cum symbolo: *Probrum ei, qui male cogitat.*

Istis temporibus Manichæi, positis erroribus, ad Ecclesiam Græcam redierant, Turci maritima quæque & insulas classibus cœperant populari, unde consilium Græcis Latinisque uniendi vires, ut Barbaris resisti posset. Sed provocato tot sceleribus Deo, irritum factum. Catanes, Genua oriundus, qui ab Andronico seniore Phocæam possidebat, contemplatus Rhodios & Cycladum principem Lesbo inhiare, Mitylenen intercepit, omissoque in Turcas bello, Andronicum recipere sua de Latinis adegit. Nam & Genuenses, Galatam seu Peram incolentes, Imperatorem Andronicum audebant aspernari. Quamobrem Andronicus Phocæenses redegit in ordinem, Mitylenen Philanthropeno ductore recuperavit, cum interim Scythæ transistriani, Thraciam percursando, Græcos juxta Turcasque, ibi vagantes, in servitutem raperent, hominum ad XXXM. Orcanes vero Byzantio struebat insidias. Producti celeriter LXX Græcorum equites, numerosum Turcarum peditatum, Cantacuzeno duce, fuderunt, *argumentum* Byzantinis *ponendæ in Deum fiduciæ*, cujus solius auxilio insperatam victoriam obtinuissent. Sed vecordia principum, an ulciscendi libido, attraxit paulatim Turcarum in Europam arma. Andronicus, ut securior Ætoliam occuparet & Acarnaniam, principis tum morte vacantem, Turcas accersit in Illyriorum agros, quod suis rebus iniquiores Illyrios comperisset. Sed dum ille Ætoliam Epirumque (quæ tamen defecêre postea) subigit, Orcanes expugnat Nicomediam Bithyniæ, ac sequenti anno Turcæ, magno numero, Thraciam impune persultant. Mox & Hellespontum cum jumentis trajicere ausi, Callipolin tentarunt, eamque duce Solimanno, majore Orcanis filio, postmodum obtinuere. *Irruptionem Græcis exitialem partus monstrosi & biformes, ac habitus majorum commutatio, dudum portenderant.* Sub hæc Andronicus, XLI ejus seculi anno, ex splenis vitio interiit, expletis potentiæ annis XX, quum paucos dies Barlaamus monachus Italus jactantiæ & vanitatis suæ editis documentis, Græcorum esset calculo damnatus. *Niceph. lib. 11.*

Annal. Sultanorum.

Cæsar filio, infra pubertatem adhuc posito, tutorem dederat Joannem Cantacuzenum, opibus præpotentem, sed jurejurando obstrictum, ut bona fide regnum pupillo conservaret. Cantacuzenus, sueta mortalium ambitione, imbellem ætatem despexit, primores Græcorum coluit. Orcani Turcarum Sultano filiam dedit conjugem, omnique arte viam sibi ad firmandam potentiam struxit. Orcanes XXX annis gesto imperio, cessit vita, & ante eum filius Solimanus, qui Hellespontum transmittere Turcas edocuerat. Ita ad Amurathen Turcica pervenit potestas. *Laonic. Chalcond. lib. 1.* *Annal. Sult.*

Apud Septentrionales quoque Europæos inquietas illis tempestatibus res invenio, Ericus VII, sexti filius, à Burgero Sueco, multisque aliis principibus adjutus, Stralesundam, olim à Waldemaro I fundatam, subigere decreverat, ingenti, sed irrito apparatu. Cum enim Ericum Saxonem Stralesundani cepissent, disjectæque essent terrestres copiæ, reges, qui maritimum bellum susceperant, domum discessêre. Triennio post (erat annus XIX istius ævi) obierat Ericus; Burgerus, fratrum suorum interfector Suecia erat pulsus: Christophorus II, frater Erici, exul regnum suscepit Danorum. Eo regnante, Dithmarsi, Altenvurdenses in templo obsessi & supplices, cum ignem injici tectis cernerent, fortissima eruptione Gerhardum & Joannem, Holsatos Comites, in fugam egêre, duodecim illustres occiderunt, anno ejus seculi XXII. Christophorus rex civitatibus infensus, Rostochium Henrico Megapolensi restituit, Rugiam principe vacuam Danorum asseruit juri. Contra *Chron. Huitf. parte 2. Chyt. l. 1. Chron. Sax. 1316.* *Ericus Upsl. l. 4. 1319.*

Joan. Petri Chron. Holſat. parte 2. eum Cimbri, qui & Juti, Valdemarum, Erici V nepotem, adjuvantibus Gerhardo & Joanne, Comitibus Holſatis, regem dixere. Gerhardus ab eo Sleſvicenſem accepit ducatum: Chriſtophori filium Gottorpio depulit. Chriſtophorus regno pulſus, exulavit Roſtochii, donec adjutus opibus atque copiis Holſati Joannis, fratris ſui uterini, reductus eſt Wardingburgum. Dani eum, dominationis Gerhardi jam pertæſi, obviis animis recepere. Mox Cimbri, pro Valdemaro pugnantes, cæduntur, Joannes Selandiam, Helſinburgum, Lundam, aliaque oppida Danica, præmium reducti Chriſtophori nactus eſt, Gerhardo Fionia permiſſa, Valdemaro Sleſvicenſis ducatus. Sed Dani nihil mali timentes Holſatos, per occaſionem adorti, in Scania trucidarunt. Scaniam addixerunt Magno regi Sueco, Erici, quem Burgerus occiderat, filio, jam per matrem quoque Norvegiæ hæredi. Chriſtophorus in iſtis ærumnis clauſit vitam, ſepultus Soræ anno XXXIII. Res ad interregnum devenit ſeptennale. Gerhardus interim Jutiam tenens, filium Chriſtophori Othonem, regnum repetentem, collatis apud Wiburgum ſignis cepit, anno 1337. Lubecenſes à Cæſare Ludovico juſſi, fruſtra eum Segebergenſi ex arce eripere tentarunt. Sed cum ad certas leges captivitatem exiiſſet, eaſque minus implere videretur, renovavit Gerhardus bellum, Valdemaro Sleſvicenſi Daniam acquiſiturus. Eo conſilio progreſſus in Jutos, à nobili quodam, latenter ejus caſtra cum LX armatis ingreſſo, trucidatur. Percuſſorem armis inſectatus Gerhardi filius Henricus, cui à ferreo indutu cognomen, non conquievit, donec captum vulturibus devorandum exponeret.

Albert. Kran. Daniæ lib. 7.

An. 1333.

Chron. Comitum Schauenburg.

An. 1340.

An. 1338. Ludovicus Bavarus, Cæſar, Othonem & Barnimum, duces Pomeranorum, denuo adjunxit imperio, qui cum filio Cæſaris, Brandeburgico Marchione, bellum geſſerant: initumque eſt pactum, ut deficiente Pomeranorum ſtirpe, Marchiones hæreditatem adeant Pomeraniæ. Valdemarus IV, Chriſtophori II filius, qui Cæſari militabat, accitus à Danis, regnum ſuſcepit paternum. Ludovicus Marchio, Cæſaris filius Holſatorum motus precibus, Lubecæ evicit, ut poſita lite, Sleſvicenſis Valdemarus Quarto cederet, Sleſvicenſique acquieſceret ducatu, & quæ paternæ ditionis fuiſſent, oppidis. Pax firmatur nuptiis; ſoror Sleſvigii Valdemaro regi nupſit. Cimbri ei apud Wiburgum ſolenni ſacramento devincti. Ita potitus rerum Valdemarus IV. Holſatos Fionia molitur ejicere. Fraus non latuit. Valdemarus Sleſvicenſis Neuburgum in captivitatem ductus, ſervatuſque biennio, magno ſe ab Holſatis ære redemit. Callundburgum Wardinburgumque arces, poſtea eadem fortuna tentatæ. Capti cæſique ab Holſatis regii. Tandem agente Magno Suecorum rege, Comites Joannes & Henricus, perſoluto ſibi auro, arces oppignoratas reddidere. Magnus Ericum natu majorem Sueciæ, Haquinum minorem filium Norvegiæ regem conſtituit. Valdemarus IV Eſtoniam vendidit ordini Teutonico: pecuniæ maximam partem prodegit in itinere Jeroſolymitano, conſilio inepto & ſuperſtitioſo.

1346.

Chron. Huitf. parte 2.

Eo tempore apud Græcos Georgius Pachymeres, Nicephorus Gregoras, Maximus Planudes, eruditiſſimi viri enituere: Apud Latinos Guilelmus Occamus Theologus Anglus, Marſilius Patavinus, Franciſcus Petrarcha, Nicolaus Liranus, Chriſtianus è Judæo. Permulti ea ætate Pontificem Antichriſtum ſcripſere. Minori laude Franciſcus Maironis Scotus, Pelagius Alvarus Hiſpanus, Petrus Bertrandus, Simon de Caſſia Hernicus, palpum obtrūſere Pontificibus: Juriſconſulti quoque Joannes Andreas, & Calderinus, & Bartholus. Nec defuerunt *qui Papam articulos fidei condere poſſe, in cœlo, terra, infernoque vices Chriſti tenere, tribunal unum cum Chriſto habere, à quo appellare non liceat*, aſſererent; imo Pontificem diſerte *Deum Domi-*

Avent. lib. 7. Cat. Teſt. Ver. l. 17. & 43. Joan. Andreæ Zenzel. Franc. de Pav. in gloſſis Clementin. & Extravag. Joan. 22.

Dominumque vocitarent. Joannes Villanus Italice hiſtoriam texuit.

CAROLUS IV.
AMURATHES I.

A. M. 5319. *Chriſti* 1349. *Albert. Argent. Annal. Henrici Rebdorf. Blond. d. 2. l. 10.*

CArolus quondam Moraviæ Marchio, poſt occiſo ab Anglis patre, Rex Bohemorum, empto Colonienſis & Saxonis ſuffragio, ut dictum, inſignia Bonnæ obtinuerat imperii, clauſo ei Aquiſgrano. Electionem ejus, ut vitioſam, culpantibus pleriſque, varia paſſim prælia ſtudiis partium ſunt exorta. Trevirenſis & Leodienſis Præſules dum Carolum defendunt, Leodienſium x millia occidere. Romana civitas cum gubernatore careret, factionibuſque inſuper laboraret continuis Columniorum & Urſinorum, notarius quidam prudens & facundus, Nicolaus Laurentius, Tribunus à plebe legitur, factioſos ejicit urbe. Clementi VI mandat, ut Romam intra annum revertatur; ni faciat, alium ſe Pontificem creaturum. Carolus, audita morte Ludovici, Ratisbonæ, Noribergæ, Argentinæ, frementе populo, pro Imperatore receptus, Baſilienſibus plane non perſuaſis, niſi divina officia ante omnia juberet inſtaurari. Neque enim Ludovicum Imper. hæreticum, neque hæreſim eam eſſe dicebant, deſignatum ab Electoribus Cæſarem ſequi. Iniqua ſe Pontificis execratione petitos, quod Bavarum Cæſarem coluiſſent, legitime creatum. Nam idipſum ſe quoque impoſterum, quod feciſſent, facturos. Quare cum duo viri, ex formula à Pontifice præſcripta, ſeorſim abſolvi peterent, Legatus toti civitati libentiſſime veniam indulſit. Wormatienſes armis præſentem Carolum adegerunt, uti præciperet Legato anathema revocare. Moguntiam intromiſſus non eſt, niſi hac lege, ne Gerlaco, quem Clemens Præſulem creaverat, tradere urbem moliretur. Ibi reſcivit, à Ludovico Brandenburgico, Erico Saxone, Rodolfo & Ruperto Palatinis, & Henrico Moguntinenſi electum eſſe Renſi ad Rhenum, Anglorum regem Eduardum, è victoriis nuperis, Francica Scoticaque, inclytum. Quamobrem cum reverſus Spiram Carolus non ſatisfeciſſet hoſpitibus, repertus lanio eſt, qui promiſſionem à Cæſare exigeret, ne exiret urbe, donec fidem liberaſſet. Per Sueviam deinde & Noricum in Bohemiam regreſſus, Conſtantiam, Tigurum, aliaque oppida fruſtra ſollicitavit. Ruperti Palatini ditionem vaſtavit quidem, at viciſſim Cuno Falkenſteinius LXX Gerlaci Naſſovii villas combuſſit, laniavit ubicunque repertas Pontificis literas, exegit cenſus, Præſuli Henrico debitos, nec ipſi ceſſit Imperatori, donec defuncto Henrico, & præbenda ſua ſervaret (erat enim præpoſitus collegii) & omnibus Ludovicum ſecutis veniam à Pontifice exprimeret. Qui vir Epiſcopen adeptus eſt poſtea Trevirorum, Teutonicæ exemplar conſtantiæ habitus. Cæterum Eduardus, quod inducias ei Francus nullas concederet, imparem ſe utriſque & Germanis & Gallis ratus, promiſſo Electoribus favoris ſui auxilio, gratias de oblato imperio egit. Mox iidem principes invitarunt imperio Fridericum, Miſnorum Marchionem, abnepotem Friderici II ex filia, Bavari Cæſaris generum. Sed Fridericus arthritidem contemplatus ſuam, & ingentem pecuniæ vim à Carolo oblatam, partes ejus amplectitur, hoc unum ſtipulatus, ne in uxoris quondam ſuæ fratres pugnare cogeretur. Carolus Albertum Auſtriacum nuptiis filiæ, Anglum regem donatione Hollandiæ, quæ Ludovici filiorum erat, ſibi devinxit, Marchioni Brandeburgico per ſuppoſititium Valdemarum ingentes excitavit turbas. Hæc geſta anno XLVIII.

Avent. lib. 7.

Albert. Argent. in Chron.

Chron. Belg.

Albert. Argent. Cuſp. in Carolo IV. Avent. lib. 7.

1348.

Eodem tempore Humbertus, Delphinorum princeps, dolore amiſſi filii unici, ſtatuebat cœnobio Prædicatorum ſe ſacrare, dominatumque ſuum, cujus caput eſt Vienna Allobrogum, Pontificibus non magno pretio addicere. Nobilitas perſuaſit, ut Francorum

P. Æmil. lib. 9.

fidei tutelæque traderentur. Placuit, filii regum, ut quisque in proximam spem regni suscepti essent, Delphini vocarentur, juraque Delphinatibus rederent.

Meliori hæc eis jure, quam Ludovico Tarentino Apulia, Pontifici Avenionensis urbs cessere.

Annal. Henrici Rebo. anno 1346. Plat. in Clem. VI. Fl. Blond. dec. 2. lib. 10.

Robertus Apulus Joannam, neptem suam, Andreæ, Caroli Hungari minori filio, ad se in spem regni evocato, collocaverat. Ludovicus Tarentinus, Caroli Claudi nepos, propiorem se hæreditati putabat, Joannæ placebat magis. Necatur ergo Atellæ faucibus compressis Andreas, adultera Ludovico nubit. Rescripsit Ludovicus Hungarus, exstincti frater, Joannæ: *Et vita antea flagitiose acta, & retentum regnum, & ultio prætermissa, & subsequens matrimonium, & nullo dum accusante defensio tentata, hæc omnia te parricidii arguunt.* Mox cum exercitu in Italiam profectus, quum Joanna Tarentinusque Massyliam refugissent, omni cis fretum regno potitur. Sed pestilentia exercitum vastante, decessit, procuratione rerum Stephano Vaivodæ demandata. Facile Joanna Clementis gratiam, attributa ei Avenione urbe, emercata, recepit ejus auxiliis regnum, cujus censuris notanda ignominia fuisset. Annus iste XLVIII terræ motibus & contagiis adeo est nobilitatus, ut Albertus Argentinensis inde à diluvio, haud regnasse tantam vim morborum & mortium putet. Quædam provinciæ hominibus plane evacuatæ. Clemens VI Cameræ inclusus, continuos habenti ignes, neminem ad se admisit, neminem visitavit. Non uno anno hoc malum grassabatur. Quadragesimo nono plurimos principes absumsit, in his reginam Ungariæ, Cæsaris filiam, ejusdemque sororem, Joannis Franci regis conjugem; sola Argentina eo anno XVI millia Libitinæ dedit. Judæi passim veneficii, corruptorumque fontium accusati, incendiis ad clamorem vulgi periere.

Ptol. Lucens. in Geneal.

1348.

Albert. Argent. in Chr. & vita Berth. Episc. Argent. Annal. Henric. Rebdorf. Cusp. in Gunth. Histor. Laudgra.

Eodem anno Guntherus Suartzenburgicus, princeps strenuus & bellicosus, imponi sibi Cæsaris nomen passus, Francofurtenses agros cum exercitu insedit, sextaque hebdomade in urbem receptus, Wetteraviam dicto audientem reperit. Carolus cum suis collocutus, allectat in partes Rodolfum Palatinum, filiæ ejus matrimonium paciscitur, Guntherus, ab expugnato Fridburgo Francofurtum reversus, in morbum incidit. Freidancius medicus, qui pharmaca ei parabat, venenum admiscuit potioni, coactusque eam prægustare, periit intra triduum. Gunthero ægrotanti, interveniente Ludovico Marchione, Cæsaris filio, XX millia marcarum argenti data, duoque oppida. Hac lege electionis juri renunciavit, ægritudine magis & perfidia Rodolfi, quam alia causa motus. Sexto post mense decessit. Ita tandem potitus exambito honore Carolus, Aquisgrani de more coronatur, Francofurtensibus, quas abstulerat, nundinas restituit, Rhenanis civitatibus telonea indulget nova, quæ tamen mox, quod Argentinenses Rhenum clauderent, abolere est coactus. Comites Megapolitanos Albertum & Joannem, duces creat. Cum Ludovici Bavari filiis transigit Noribergæ. Personatum Marchionem (is molitoris erat filius, armiger quondam Valdemari, ac proinde secretorum ejus conscius) se defendisse ait, persuasum ab Rodolfo Saxone, & Alberto Megapolensi. Romano, Ludovici filio, Brandeburgicum principatum, Ludovico natu majori superiorem attribuit Bavariam, Guilelmo Hollandiam Hannoniamque; Margaretæ Augustæ, Guilelmi matri, pensiones annuas. In hasce conditiones tradidit Carolo Ludovicus insignia, inter quæ *lanceæ*, qua vulneratum putant Christi latus, *clavi*, *spongia*, *pars crucis Domini*, *gladius Caroli Magni*, *dens Baptistæ*, & alia, quæ præter datam fidem, Pragam translata, & solennibus à Pontifice feriis celebrata sunt. Sed Margareta, vidua Ludovici Cæsaris, cum adspiraret ad

Albert. Argent. Chron. Bohem. Huitf. Chron. parte 2. Henrici Rebdorf. Annal.

Annal. Rebdorf. Albert. Argent.

ad imparis cujuſdam matrimonium, repoposcit à filio Hollandiam, maximaſque ei excitavit turbas. Minata filio, ſi eum caperet, ſupplicium, moderatiſſimo ejus reſponſo haud lenita eſt. Reſcripſit, *ſe matrem, ſi in ſuas deveniret manus, non pro hoſte, ſed pro matre habiturum.* Bello inter ſe atroci mater & filius concurrerunt, anno MCCCLI. Tandem Imperatrici Hannonia ad vitam conceſſa, Guilelmus matre defuncta, plures annos impos mentis egit.

Chron. Belg. 1251. Chron. de Beka.

Expiandis vero contagiis, novi Flagellantium greges prodiere, quos Henricus Rebdorfius, ejus temporis ſcriptor, Baalitis, ſemet cultris quondam & lanceolis configentibus, confert. Clemens Pontifex abrogavit eam ſuperſtitionem, ipſe novam adinvenit, ſed lucroſam ærario. Ut enim olim Bonifacius VIII centeſimum, ita Clemens quinquageſimum ſacravit annum, quo Romam euntes peccatorum omnium relaxationem impetrarent, Romani meſſem argentariam meterent. Sed peſtis triennio adeo pervagabatur Italiam, ut vix decimus quiſque è milleſimo homine ſupereſſet. Id malum ex Aſia in Europam tranſierat, creditusque eſt nullus orbis angulus eo vacaſſe. Rebdorfius, qui Romæ tunc ſpectarat ſudarium Domini, multos ſe præſente ſuffocatos narrat; cumque dies XV peregrinis deſtinatos, in octiduum commutaſſet Legatus Pontificis, Romanos indignantes dies decurtari meſſis ſuæ, ſagittis eum petiiſſe, quas cum mitra ferrea eliſiſſet, toxico infectum conſumptumque.

Annal. Henric. Rebdorf. an. 1349. 1350.

Plat. in Clem. VI.

Eodem anno Philippus Valeſius clauſit vitam, fruſtra tentato Caleſio. Joannes regni hæres, decem purpuratos una promotione curavit pronunciari à Clemente. Eduardus, cum nec de uno audiretur, ira incenſus, beneficiarios Pontificis omnes Anglia expulit, pœnamque intendit ſubmerſionis ei, qui papales bullas in ditiones ſuas importaret.

An. 1350. Albert. Argent.

Annal. Rebdorf. Albertus Argent.

Anno LI Carmelita quidam Papam & Cardinales in os reprehendit acerrime, eamque ob cauſam honore excidit. Alius, Minor profeſſione, quod multa Papatui & Imperio prædiceret infauſta, in carcerem eſt miſſus. Paulo poſt affigitur palatio Clementis epiſtola, qua princeps tenebrarum ſalutabat Vicarium ſuum & Cardinales, collaudans eorum vitia, quibus jam feliciter devinceret Chriſtum, *nitentem exaltare pauperes, adverſus hujus mundi poteſtates.* Salutabant eoſdem mater ipſorum *ſuperbia*, & ſorores, *Avaritia Luxuriaque*, cum cætero grege iniquitatum, ut Romana ope bene ſolideque triumphantium. Clemens lecto ſcripto, cum non reperiret autorem, in morbum incidit graviſſimum, annoque ſequenti interiit. In vinculis erat apud eum Nicolaus Rentius Tribunus, qui metuens factionis, quam offenderat, ex urbe in Bohemiam profugerat ad Carolum, ab eoque Clementi dono erat miſſus. At qui ſucceſſit Clementi, Innocentius VI, donationes & proviſiones, quas anteceſſor Simoniacus ſibi reſervarat, ſuſtulit. Nicolaum Tribunum abſolvit vinculis, ut per eum Franciſcum Baruncellum, ejuſdem poteſtatis invaſorem, debellaret. Obſtrictus Pontifici Rentius, Romam vadit, receptaque populi favore dignitate, Baruncellum è Capitolio dejectum interfecit. Paulo poſt ipſe, dum nobilitatem perſequitur, pellitur in idem Capitolium, indeque fugiens, inſtinctu Columnenſium, à civibus obtruncatur.

Fl. Blondus dec. 2. lib. 10. Plat. in Innoc. VI. Albert. Argent.

Decollaverat Nicolaus quendam Hoſpitalium magiſtrum, qui ſocietati bellatorum præfuerat, Caroli Cæſaris in Italia partes propugnantium. Carolus interim Sanctorum circuibat ſepulcra, quorum membra, aut oſſa abraſa, deportabat in Bohemiam, ejuſmodi theſauris regnum illud ornaturus. Societas vero illa militaris, Marquardo Auguſtano ductore, perſecuta quoſlibet, tributa pendere abnuentes, turbarum implevit Italiam, jam ante factionibus civitatum Principumque tumultuantem. Quamobrem imploratus Carolus, intra-

Albert. Argent. Annal. Rebdorf.

verat Longobardiam, Vicecomitibus ſuum Mediolani firmarat principatum, ferreoque ibi diademate redimitus, Romam feſtinabat. Florentini pecunia redemerunt libertatem. Romæ hac conditione exceptus, coronatuſque eſt, ut ſtatim urbe Italiaque diſcederet. Igitur eodem die, quo Auguſtalia acceperat, abiit, obedientiſſimus Servo Servorum Auguſtus, anno ejus ſeculi LV. Piſanorum ſeditiones adverſus eum excitatas Marquardus virtute compreſſit. Qui Præſul, vicarius Imperatoris in Italia relictus, ob æs alienum, quo laborabat domi, valde vexavit Italicos, donec Mediolanenſes captum in vincula conjecere, è quibus altero anno evaſit.

Franc. Petrarcha ad Carol. Epiſt. Blond. d. 2. l. 10. P. Jov. lib. 8. de vita Vicecom. Mediol.

An. 1356. Froſſ. l. 1. P. Æmil. lib. 9. Rob. Gagn. lib. 9. c. 1.

Eodem anno Franci, temerario in Pictonibus prælio commiſſo, & clade affecti ſunt grandi, & rex ipſe Joannes cum filio in poteſtatem Anglorum venit. Id bellum feſtinaverat Carolus Navarrus, qui ob ſimultates Ludovicum Hiſpanienſem, Caroli Bleſenſis generum, eundemque magiſtrum equitum trucidaverat, impetrataque ab rege venia, cum novam inſolentiam ſuperiori adjeciſſet, Lutetiam fuerat in vincula miſſus. Quare cum Joan. Rex Haricuriam & Eburovices ſubigere anniteretur, tota Normannia, in exſpectationem rerum novarum erecta, Anglum exciverat. Conſerta acie, de Gallis quinque armatorum millia occubuere: Princeps Valliæ Eduardus, Joannem regem in Angliam tranſvehi curavit. Navarrus, furto mox è cuſtodia ſubductus, per ſuam factionem, magis turbavit rem Francicam: *ſolum Numen regnum texit.* Rex Scotus cum beneficiarium ſe Angli faceret, dimiſſus cuſtodia eſt. Joannes, ut idem promitteret, adduci nulla ratione potuit. Interim Gallia ſeditionibus quoque, ſupra cætera mala, laborabat. Carolus Delfinus vix tandem Lutetiam ſuam placavit. Induciæ cum Anglis profuerunt biennio populis Francorum. Cum exiviſſet dies, Eduardus ad ſuburbanum Lutetiæ vicum proceſſit, copiam pugnæ fecit. *Nihil fortunæ commiſere Franci.* Sua uri vaſtarique malebant; & ille omnia ferro flammaque miſcet. Ei Dux Claudioceſtriæ: *Nudum*, inquit, *ſolum relinquere Francis potes: ipſi vero malorum aſſuetudine indomiti, cæſiſque patribus ſubinde ſuccreſcentes, te in rebus nullo exitu gerendis, omni vita tenebunt.* Verba hæc repentina tempeſtas, cum cœli fragoribus ſubſecuta, ita perterruit Eduardum, ut æquam ſe pacem Francis daturum voveret. Facta his legibus, ut Aquitaniam & Comitatum Pontivenſem Angli haberent jure quoque optimo. Eduardi duo jurejurando ſolenni exuerent ſe jure, ſi quod illis in ſummum Franciæ dominatum, ſpemque hæreditarii diadematis exſtitiſſet. Eis numerarentur tricies centum ſcutatorum millia. His conditionibus, quarto quam captus fuerat anno, revertitur Joannes rex, profeſſuſque Sacram militiam, antequam moveret quicquam, Londinum tranſmiſit, ibidemque morbo obiit, anno ejus ſeculi LXIV. Ei filius Carolus V. *Sapientis* clarus cognomento ſucceſſit. *An. 1364.*

Ritius lib. 3. de regibus Franc.

Lilius in Hiſt. Anglic.

Vicina Gallis Helvetia hiſce temporibus arctiora in fœdera coivit. Tigurinos incolis Suitiæ Vallium fœderatos, obſederat Albertus Auſtriacus, inani conatu. Depulſa, Bernatum aliorumque vicinorum ope, obſidione, Berna ſe addidit corpori Helvetico, ejuratoque Auſtriacorum dominio, fœderati jam XXXVI annis liberi, jugique vexati bello, Carolo ſemet Imperatori ſubdunt. Eodem autore, Sueviæ civitates, juramento interpoſito, ſe ad mutuam obſtrinxerunt opem; Ulricus Comes Wittenbergicus invitus illi fœderi nomen dedit. *Albert. Argent.*

Carolus ſub hæc Bohemiæ ſuæ ornator maximus, novam Pragam condit, Academiam excitat, collegia doctorum inſtituit: Vicegradum munit, regnum in duodecim regiones diſtribuit, Flagellatorum ſectam delet, multa boni principis officia implet, linguarum etiam quinque, Latinæ, Italicæ, Gallicæ, Germanicæ, Bohemicæ gnarus. Ambitionem ſimul- *Dubr. lib. 22.*

simultatesque Electorum ac principum sustulit sanctione illa, quam *auream bullam* vocat posteritas. Eam approbante frequentissimo procerum Senatu, promulgavit Noribergæ, qua gradus ac potestatem principum, aliorumque ordinum, ita discrevit, ut nullus de jure suo possit conqueri. Imprimis vetera Cæsarum de eligendo rege Romanorum placita, eum in modum renovavit, ut hodiernum in diem Carolina constitutio de mandandis suffragiis, sola apud principes vireat, vigeatque. Clarus certe Imperator, nisi Bohemici regni gloriam magis quam Romani quæsivisset. Nam in Italia *omnia ubique omnibus concessit, è quibus pecuniam abradere potuit*, venditurus imperium, si emptorem habuisset. Gallis jura regni Arelatensis indulsit. Sileſios principes, quos pater ejus à Polonico regno disjunxerat, partim emptione & pretio, partim armis, partim matrimonio Annæ Suidnicensis, Bohemiæ adstrinxit. Marchiam Brandeburgensem à Bavari posteris versute emptam, Sigismundo, suo ex Elisabetha Stetinensi filio, attribuit. Anno LXI natus erat ei filius Venceslaus ex Agnete Palatina, quem maxima solennitate baptizandum curaverat, tantique ponderis aurum, quanti infans esset; miserat Aquisgranum, ut Divæ eum virgini commendaret. Ei bimulo diadema Bohemicum, quindecenni Augustum nomen comparavit. Nam cum principes Electores haud facile ad eam rem trahi possent, ut duos adsciscerent Augustos, *quod virtute non poterat, pretio obtinuit*, promissis cuique Electori centum millibus aureorum. Quos cum repræsentare non posset, publica illis Romanæ Reipublicæ vectigalia obligavit, perpetuum Imperii detrimentum, libertatis Electorum pignus. Hinc enim Augusta potestas pene ad nihilum redacta, attollere deinceps caput nequivit, Electoribus semper jurejurando adigentibus Cæsarem, ne pignora addicta revocet. Sigismundum, cui Mariam, Ludovici Hungari filiam, desponderat, pro spe regni in Pannoniam misit, literis moribusque Hungaricis imbuendum.

Cuspin. in Carolo IV. Theod. de Niem. l. 2. de schism. c. 25. & in Nemore unionis tract. 6.

Æneas Sylv. Hist. Bohem. c. 33.

Krant. lib. 10.

Sax. cap. 34.

Gessit potestatem annis XXXI, defunctus anno ejus seculi LXXVIII. De eo postmodum Maximilianus I. Cæsar dixisse fertur, pestilentiorem illo pestem nunquam Germaniæ contigisse. Lucenburgensem ditionem, cui frater Wenceslaus præerat, in Ducatum provexit. Si quis Clericum in carcerem compingeret, eum infamem pronunciavit. Urbano V. Avenione Stratoris præstitit officium, Papamque equitem secutus est pedes. Is Urbanus Innocentio VI erat suffectus Pontifici, qui alios omnes oves proprias hortaretur pascendas, ipse interim Avenione procul à grege suo desideret. Urbanus Italiam semper factione principum tumultuantem, per Ægidium Hispanum, quo & Innocentius erat usus, pacare instituit, Bernabovemque Vicecomitem, Gonzaga, Carrario, Estensi adjuvantibus, arduo prælio vicit. Aliqua ex eo pax refloruit, sed incerta. Urbanus ipse in Italiam, ut eam componeret, frustra venit; advolavit & Carolus. Sed cum feciſſet metum Florentinis Pisanisque, & undecunque pecuniam abrasisset, tertio mense retrocessit, *majori infamia quam opulentia.* Urbanus quoque, dehortante Brigitta Sueca, & revelationes jactante, Avenionem reversus, periit toxico, anno LXXI. Ejus locum accipit Gregorius XI, à Clemente quondam VI, patruo suo, Cardinalis creatus adolescentulus, & à Baldo JCto institutus Romæ tum Senator semestris jus dicebat, urbis custodia & administratio penes decuriones erat, qui à Vexillis Banderesii dicebantur. Veneti & Genuenses inter se decertabant, quod Petrinus, Rex Cyprius, in Venetos propensior, priorem iis in coronationis suæ pompa locum dedisset. Cyprus ob id à Genuensibus devastata, Famagusta capta. Mox Florentinis autoribus, quos Legatus Pontificius offenderat, multæ urbes Italicæ à Pontifice descivere, Tifernates, Perusini,

Jac. Spigel ad l. 5. Ligur. in principio Chron. Belg. Plat. in Inn. VI. & Urb. V. Blond. dec. 2. lib. 10. Benev. lib. Augustali.

An. 1368.

Magnum Belg. Chron. Anton. part. 3. l. 22. c. 1.

rusini, Tudertini, Spoletini, Viterbienses, Eugubini, Forolivienses, Asculani, Vexillis Libertatis vocabulo inscriptis, id effecerant Florentini, quibus & Bononienses accessere. Gregorius frustra, misso exercitu Britonum, ad obedientiam eos revocare conabatur. Cum Episcopo cuidam præciperet, ne diutius nudam pastore Ecclesiam relinqueret suam: Ille, *cur tu*, inquit, *cæteris exemplum daturus, tuum Episcopatum non repetis?* Iis verbis, damnoque Italico motus, Romam revertitur Gregorius, anno 1376. MCCCLXXVI, excipiturque gaudio civitatis ingenti. Nam & urbanitas & ædificia conciderant, diuturna per LXXII annos absentia Pontificum. Nihilo magis Florentini, vel anathemate, vel armis movebantur, ut ad Gregorii redirent jugum, qui paulo post intolerabili vesicæ dolore exstinguitur.

Frois. l. 1. P. Æmil. lib. 9. Thuan. lib. 1. Rod. Santius Hisp. part. 2. c. 14. 15. &c.

In Gallia adhuc bellum erat de Britannia minori, quæ cæso Blesensi, devictoque Navarro, cessit Joanni. Militia in Hispaniam transiit, ubi Petrus Castiliæ rex Blancam conjugem, reginæ Gallicæ sororem, veneni insimulaverat, captusque amore Padillæ pellicis, sustulerat è medio. Vexabatur ab eodem rex Tarraconensis, & frater Petri nothus Henricus oppidis, quæ habuerat, exutus ad Francos refugerat. Itaque Bertrandus Gasquinas Brito per Tarraconensium fines, in Castilionensem duxit, exegit Petrum, Henricum restituit. Petrus Burdegalam ad Anglum profugit, Princeps Anglus reducit Petrum, Gasquinatem acie vincit, capitque, Henricum fugat. Mox cum Petrus militi stipendia, ut convenerat, non dissolveret, Henricus novo Francorum exercitu adjutus, destitutum jam Anglicis auxiliis, fratrem victor occidit, rerumque potitus, rex salutatur Castiliæ. Eduardus Aquitanis nova, insolitaque genti vectigalia imponebat, tam magnis rebus gestis, ob Petri Tyranni perfidiam, egens. Obsides Francorum, qui apud Anglum asservabantur, ut suos inviserent, dimissi, domum redierunt, nequaquam reversuri in custodiam. Comitatus Pontivensis ad Carolum regem defecit, mox & urbs Cadurcorum. Hinc bellum inter Anglos Francosque, terra marique instauratum. Recepta Francis Rupella: utrinque magno conatu, multa hominum civitatumque strage, res actæ, cum anno ejus seculi LXXVI Eduardus filius, insequenti Eduardus pater rex, decessere. Richardus, Eduardi junioris filius duodecennis, Anglia potitur, nulla ei mota à patruis, clarissimis Ducibus, controversia. Interim tota Britonia, excepto uno Bresto, in fidem Franci redierat, legem tunc ferente, ut mortuo rege, maximus stirpis filius, si XIV annorum esset, statim sine tutela regnaret. Idem Vectigal sali ac promercali vino imposuit. 1376.

Laon. l. 2. Plat. in Innoc. VI. Blond. dec. 2. lib. 10. Annal. Sultaner.

Carolo IV regnante, Joan. Cantacuzenus, pueri Joannis tutor, cum Græcorum dominatum septem ferè annis tenuisset, tandem adulto pupillo, à Græcis ob luxuriam, in monasterium seponitur. Joannes Francisco Catalusio, cujus ope tyrannum exegerat, Lesbum insulam cum Mitylene dedit, anno Domini 1354. Paulo post anno Agarenorum DCCLVIII id est, Christi 1356 Solimannus Orcanis filius occupavit Callipolin, maximamque Turcarum multitudinem in Chersonesum traxit, amœnitate Europæ captam. Agros vicinos sine intermissione vastabat. Tandem, dum leporem effusius insequitur, labente equo corruit, & confestim exspirat: quem pater Orcanes duos post menses secutus, anno ejus seculi LVIII. Laonicus Chalcocondylas à Solimanno captus Adrianopolin tradit, & Philippopolin: Sed Sultanorum annales, Georgius Phranzes, Paulus Jovius, aliique historici, id Amurathi ejus fratri tribuunt, quem & perhibent patri Orcani solum successisse, exstincto ante Orcanem Solimanno. Itaque Amurathes, tertius Turcarum Imperator, pace cum Calo Joanne facta, trajecit in Europam: Cra-

P. Jov. in Comment. rerum Turc.

Anno 1358. Georg. Phran. l. 1. c. 15.

lem

lem & Ungleſem, Triballorum duces, Græcis permoleſtos, caſtigaturus. Eum Triballi primo congreſſu fundunt. Viciſſim auctus copiis Amurathes, utrumque fratrem vincit prælio, occidit Ungleſem; Crales neſcio quo caſu interiit. Hinc Didymotichum, aliæque Cherſoneſi & Thraciæ urbes, à Turcis captæ. Itum eſt Adrianopolin, compulſiſque in urbem Chriſtianis, ſecuta deditio, anno ejus ſeculi LX. Cumque ingentem captivorum vim in Aſiam tranſportare vellet Amurathes, de conſilio ſuorum, Sacerdotum præſertim, quintum ſibi quemque, elegantiſſimum forma delegit. Hi inter Turcas diſtributi, ut diſciplinæ laboribuſque adſueſcant, Turciceque inſtituti triennio, ad Portam reducuntur, Genizarorum ordinibus adſcribendi. Ex his prætorianus miles, & robur belli Turcici adverſus Chriſtianos conſtat. Amurathes Adrianopolin ſibi regiam ſtatuit, populatur Macedoniam, prædam liberaliſſime indulget ſuis. Cognito autem, Triballos Myſoſque ingentem parare exercitum, voluit ſane accepta pecunia, reſtituere Græcis urbes, & in Aſiam reverti: Sed quum terræ motu multorum mœnia oppidorum concidiſſent, armatis ea Turcis dedit occupanda. Mox & *Triballis, per ebrietatem ſuam acie devictis*, Pheræ urbs eorum, & finitima Rhodopæ monti omnia, Barbaris ceſſere. Suſmanus, Myſorum rex, data filia, placavit Sultanum, alteram Andronico Joannis filio junxit, cui pater Auguſtus regni curam commendavit, eumque ſtipendiarium, & vectigalem Amurathi fecit. Oborta deinde ſimultas inter Joannem & Andronicum, quod filius patri, apud Venetos æris alieni cauſa detento, minimè ſuccurriſſet, plurimum Græcis damni dedit. Interim præfecti Aſiatici ab Amurathe deſciſcunt, quos ille, regreſſus cum Joanne in Aſiam, maxima utrinque clade ſuperavit, paulo poſt Sauzis filii ſui, quem in Europa reliquerat, rebellione exagitatus. Etenim Sauzes, abſentibus & Amurathe & Calo Joanne, cum Andronico Joannis filio conſpirationem iniit, ut ambo parentes ſuos imperio dejicerent. At Amurathes, quum revertiſſet in Europam, blanditiis ad ſe retraxit exercitus, filium Didymotichi obſedit, captumque (ut inter ipſum & Joannem convenerat) multavit oculis, idemque Andronicus, ſed lenius, à patre ſuo paſſus. Platina in Gregorio XI. Genuenſem hic interveniſſe operam indicat, qui Tenedon inſulam, præmium facinoris, ab Andronico tulerint: Sed viciſſim Venetos (ut erant perpetua fere inter Ligures Venetoſque diſſidia) reducto per ſe Joanne, eandem ab eo inſulam pactos. Quæ deinceps cruenti cauſa belli inter utrumque populum fuit.

Laon. Chalc. Annal. Sult.

Laon. Chalc. l. 1. Georg. Phran. Protov. lib. 1.

Plat. in Gregor. XI.

Dania & reliqua Septentrionis, non unam eo tempore mutationem experta. Valdemarus VI. cum Roſtochienſem terram Alberto Megapolitano in feudum contuliſſet, filio ejus Henrico Ingeburgin elocavit filiam, Polono Caſimiro fœdere ſe devinxit. At iræ obſequentior rex, Cimbros ſuos adeo offendit, ut Comitibus Holſatis juncti, tyrannidem ei & libertatis avitæ diminutionem exprobrarent. Multis tractatibus vix compoſitio tenuit, ut ſecundum priſcas leges omnia deciderentur. Rex Avenionem abiit; reverſus adulterinam cudit monetam, ſervitia impetravit inſolita. Hinc renovatur bellum, varioque inter Cimbros reliquoſque Danos Marte geritur.

Huitf. Chron. Dan.

Anno 1351. Kranz. lib. 7. Daniæ. Hiſt. regum Dan. Erpoldi Lindeb. Huitf. in Chron.

Nec Suecia pace fruebatur. Rex Magnus vitæ diſſolutioris, quam ut ferri à Republica poſſet, Benedicto cuidam familiarium Scaniam, ab Joanne Holſato emtam, dederat. Is potiori apud Regem loco quam filius Ericus erat. Res indigna viſa regio juveni; concitat nobilitatem, bello extorquet patri Scaniam, Benedictum novum principem exturbat.

Valdemarus ſub hæc Bugiſlao, Barnimo, Wartiſlao, Pomeranis ducibus, Rugiam contulit. Haquino Norvego,

Anno 1359.

alteri regis Magni filio, Margaretam dēspondit, ſeptennem filiam: Ericus, cum paulo poſt iterum faceret bellum patri, Blancæ Valeſiæ, matris ſuæ, veneno intercipitur. Scania ad Valdemarum & Danos redit, anno ejus ſeculi LX. Occupatur iis ſequenti anno & Gotlandia, ubi pridem Visbœa, emporium Arctois gentibus opportunum fuerat, ex quo Vinetam Pomeranicam exciderat primus Valdemarus. Damni ibi civitatibus maritimis illatum haud parum, direptis à milite Dano mercibus, quarum maxima iſthic copia ſervabatur. Ergo fœderantur Suecis, expugnant Hafniam, Helſinburgum obſident, damna damnis penſant. Sed Dani, VI civitatum navibus in freto captis, ſolvunt obſidionem urbis regiæ. Joannes Wittenburgius Lubecenſium Conſul, quod ejus inertia clades Lubecenſibus accidiſſet, domi cervice luit. Dum ita bellum inter Danos Suecoſque trahitur, Haquino Eliſabeta Holſatica adducitur ſponſa, quam Dani, ut in fraudem Margaretæ nupturam Norvego, è mari abductam detinent. Haquinus nuptias cum Margareta peregit, cui datam fidem Sueca nobilitas impugnaverat. Eliſabeta monaſticam amplexa vitam. Verum enimvero Holſati perfidiæ poſtulant Suecos, perficiuntque, ut Albertus Megapolitanus, amita genitus Haquini, frater uxoris Henrici, Holſatiæ Comitis, Rex appelletur Suecorum. Hic bello congreſſus cum Magno rege, capit eum, ſeptemque annis in cuſtodia habitum, dimittit hac lege, ut regno ſe abdicet. Quod factum, ſubmerſuſque eſt in Norvegia tandem Magnus, ann. MCCCLXXIV. Albertus rex Elsburgum, Gotlandiam, Verendam, Vindevidam, addixit regi Valdemaro: Valdemarus Adolfo Holſato Femariam. Eodemque tempore Albertus Megapolitanus Hamburgum pronunciavit ſubjectum eſſe Holſatis Comitibus: ſententia à Carolo IV Lubecæ confirmata. Hamburgenſes dejiciunt Rolandi ſtatuam, quam pro ſigno libertatis in ponte, qui hodie nomen tenet, erexerant, comitibus ſuis deinceps (ut ſemper) conjunctiſſimi.

Ericus Upſal. l. 4.

1360.

Chron. Danic. Huitf. Thracigcr in Chron. Hamb. Krantz. Sueciæ lib. 5. c. 30. 31. Joan. Petri Chron. Holſ. parte 2. an. 1366.

Albert. Krantz.

Sax. l. 10. cap. 2. Chytr. lib. 23. Chron. Sax. Huitfeld. Chron. Danic.

Cæterum urbes Germanicæ, quum minus ſibi in principum favore auxilii eſſe cernerent, mutuo ſemet fœdere colligarunt, quod *Hanſæ* appellatur. Ei nomen dedere ſex Vandalicæ, Lubeca, Hamburgum, Roſtochium, Viſmaria, Straleſunda, Lunæburgum. Pomeranæ: Stetinum, Anclama, Golnovia, Gryphiſvaldia, Colberga, Stargardia, Stolpa, Rugenwalda. Prutenicæ: Colmaria, Thuronium, Elbinga, Dantiſcum, Regiomontium, Brunsberga. Livonicæ: Riga, Derbatum, Revalia, Pernovia. Saxonicæ: Magdeburgum, Brunſviga, Goſlaria, Eimbeca, Gottinga, Hildeſia, Hannovera, Vlyſſæa, Buxtehuda, Stada, Brema, Hamelia, Minda. Weſtphalicæ: Monaſterium, Oſnabruga, Dortmunda, Suſatum, Hervordia, Paderbronna, Lemgovia, Bileveldia, Lippa, Coſwaldia. Clivicæ & Montenſes: Colonia, Veſalia, Duisburgum, Emerica, Warbergum, Unna. Geldricæ. Neomagum, Sutphania, Ruræmunda, Arnacum, Fendloa, Elburgum, Hardervicum. Tranſiſulanæ: Daventria, Campi, Suolla. Friſicæ: Groninga, Staverda, Bolſchuerda. Similiter, quæ anno MDLIV deſcivere, Stendalia, Soltquella, Berlinum, Brandenburgum, Francofurtum, Vratiſlavia, Cracovia, Halla, Aſcherſlebia, Quedlinburgum, Halberſtatum, Helmſtadium, Chilonia, Northeimum. Iſtæ civitates bellum denunciarunt Valdemaro, inter quas reperio Ultrajectum quoque, & Dordracum, & Amſtelodamum. Rex Danus per irriſionem, LXXVII Hanſas, & LXXVII Ganſas, haud devoraturas jactans ſuos anſeres, haud parum tamen damni pertulit à claſſe civitatum: ideoque profectus Avenionem, peregit apud Pontificem, ut anathemate ferirentur & ipſæ omnes, & rebelles Cimbri. At interim Senatus Danorum pacem iniit cum civitatibus, eiſque attribuit Scaniam ad annos XV, ea lege, ut tertiam redituum

Huitf. in Chr. Dan.

An. 1364. 1369.

dituum partem fiscus perciperet regius. Jamque convenerat inter Gregorium XI & Valdemarum, ut absentes signis quibusdam se invicem edocerent quid cuique è re sua videretur, cum Dani missis Oratoribus à Papa obtinent literas, quibus præceptum Valdemaro, ut leniter tractaret subditos, ni anathema vellet subire Apostolicum. Ille ut erat iracundior, rescripsit: *Naturam habemus à Deo, regnum ab incolis, divitias à parentibus, fidem à tuis decessoribus, quam si nobis invides, per præsentes remittimus.* Quinquennio post decessit rex durus, & sententiæ tenax, arcium Gurræ & Vardingburgi nimius æstimator. Sepulcrum ejus apud nos Soræ visitur.

Huitf. Chron. p. 2. An. 1370. 1375. Hist. regum Dan. Erp. Lindeb. Trith. in Chr. Hirs.

Illis temporibus Joannes Taulerus, interioris Sapientiæ præco, & Joannes Wiclefus Anglus, liberioris purioriſque Theologiæ Doctor, Pontificiæ superstitionis subversor, Franciscus Petrarcha melioris literaturæ instaurator, enituere. Albertus Argentinensis, Joannes Bocatius, Henricus Rebdorfius, historias condidere. Apud Græcos Nicolaus Cabasilas claruit. Feruntur & Gregorii Ariminensis, Richardi Armachani, Brigittæ Suecicæ libri, hac ætate editi. Joannes Columbinus Senensis, Jesuitorum ordinem instituit. Juris peritia Baldus claruit Perusinus.

Ioan. Wiclef. l. 4. dialog.

VENCESLAUS Romanorum Imperator.

AMURATHES I. *Et* BAJAZETES Turcarum Sultani.

A. M. 5346. Christi 1376.

VEnceslaus, ut corrogatis coëmptisque suffragiis imperio potitus, haud majori illud fide quam acceperat, gessit. *Voluptatum sequax, laboris fugiens, vini quam regni curiosior, neque præterita corrigere, neque futura præcavere doctus. Si à vino & ebrietate abstineret, haud imprudens: at mero madens, furoris & amentiæ intolerabilis erat.* Cum evocaretur in Germaniam, respondit: Si qui indigeant sui, quidni ad regem suum ipsi veniant; Nihil esse, quod è re sua istic agendum videat. Quarto ejus anno pestis sævissima Bohemiam populata est: Pragæ quatuor mensibus una parochia tria millia funerum & quinquaginta dedit. Quo tempore in Germania novum illud machinarum genus inventum, quod *bombardas* vocant.

Æneas Sylv. Hist. Bohem. cap. 34. Theod. à Niem. in Nemore Unionis tract. 6. cap. 33. Naucl. gen. 47. Chron. Belg.

Dubr. lib. 25.

Chron. magnum Belg.

Venceslaus ne à fœdis quidem abstinuit lustris: à quibus cum dehortaretur eum Joanna regina, Alberti Hollandi filia, offensionem subiit tantam, ut Cæsar Sacerdotem, cui confiteri ipsa consueverat de more Christiano delicta, omnibus modis cogeret arcana effari, renuentemque Muldavia fl. demergeret.

Regina aut animi dolore, aut, ut Chronicon Belgicum habet, à molosso, quem Venceslaus in cubiculo alebat, peremta est. Tyrannus assiduum penes se carnificem habuit, quem familiariter Compatrem salutabat, quod filium ejus de sacro fonte levaverat. Eum secum equitantem aliquoties desilire, subitoque homines ad pœnam rapere jussit. Cum Pragenses per tumultum aliquot Judæorum millia delerent, impunè id facinus fuit: *Sed ut multi qui timent, sæpè uni qui timetur prævalent*, sic Vencesiao accidit. Recenti adhuc duorum procerum, duorumque civium cæde madentem capiunt Pragenses, publicoque in carcere quatuor mensibus fœtore & squalore macerant. Ille exorat Senatum, ut illuviem & sordes balnei lavacro liceat eluere. Inde dum secedit, refrigerandi sui causa conspicitur lembum piscatorium: in quem nudus cum nuda balneatrice desilit, novamque in arcem, ad flumen nuper structam, evadit, ubi à Joanne fratre, Marchione Lusatiæ, & Procopio Moravo defenditur. Nec mitior abhinc, quam feræ solent caveis elapsæ, nullius, nisi Susannæ illius (id balneatrici nomen) alloquio flectebatur, quam ad lectum quoque suum adhibebat; nec

An. 1393. Cusp. in Venceslao.

segnius, per compatrem suum carnificinam exercens in eos, quos suspectos sibi vel invisos habuit.

Dubr. lib. 23. Jam tum Sigismundus, Venceslai frater, regno erat potitus Hungariæ, defuncto Ludovico, cujus filiam habebat conjugem. Attriverat Caroli Neapolitani factionem, quem nonnulli Hungari induxerant, tantosque in eam rem fecerat sumptus, ut Marchionatum Brandeburgensem Jodoco & Procopio, patruelibus suis, in pignus daret. Itaque placuit conjuratis, ut ex voluntate Sigismundi statuerent, de injicienda iterum in Venceslaum manu. Deliciantem ergo cum paucis juxta Beraunam, invadunt, captumque turri includunt Pragensi, inde Viennam ad Albertum Austriacum transportant, quem deinceps Sigismundus, elocata ei filia, generum habuit. *Chron. Augusst. Anno 1386. Pirckh. lib. 1. belli Helvet.* Nam Ludovicus Austriacus ab Helvetiis prælio erat interemptus. Ibi piscatorem, qui pietate ductus, captivis pisciculos frequenter donabat, promissis onerat Venceslaus, ut zona sibi allata serica, demittatur in scapham, Vicegradumque deportetur. Eam arcem mendici propemodum habitu ingressus, exclamat: Qui regius est, ad auxilium regi suo ferendum accurrat. Plures quam viginti præsto fuerunt, injectaque præfecto catena, vinctum illum Venceslao tradunt. Mox ille literas signat annulo præfecti, magistratus aliquot evocat in arcem, eorumque neminem incolumem restituit. Piscator in equestrem ordinem adscriptus. Tuendis deinde opibus, Joannis Palatini ducis filiam duxit Sophiam, ludionibus interim magis & præstigiatoribus *Dubr.* addictus, inter quos quidam Zyto, impostor celeberrimus, à Dæmone fertur abreptus, memorabili ejusmodi artium documento. Principatus Venceslai multis, eisque mirandis regum tyrannorum, Rerumpublicarum, casibus insignitur. *Blond. decad. 2. lib 10. Frosl. 2. Platin.* Sub initium ejus curiam Romanam, post LXX annorum in Galliis exilium, feralis discordia incessit. XIII Cardinales Gallici, Pontificem è suo corpore volebant, Italici quatuor Papatum cupiebant suæ genti, urbique restitutum. Romani stationibus militum cinxerant Vaticanum. Creatur ritè Bartholomæus Barensis, Præsul Italus, Urbanusque VI appellatur. Mox Galli electionem, ut fraudibus metuque extortam, calumniantur. Post mensem tertium, ut aërem mutaturi, Anagniam, inde Fundos concedunt. Joanna regina favente, Gebennensem Cardinalem Robertum, qui ante legatus in Italia fuerat, Pontificem deligunt, cui Clementis VII indita appellatio. Nec eo contenti schismate, Britones, multa tunc Ecclesiæ castella tenentes, in Pontificem Urbanum, & Romanos mittunt: quos tandem Romani ad internecionem cecidere. Discordia hæc totum penè orbem Christianum ultra XL annos divexavit, clarissimum piis documentum, *non esse in eo cœtu divinum spiritum, qui horrendis in seipsum diris grassatur: neque ex eo capite Ecclesiæ pendere corpus, quod ipsi ejus oculi, Cardinales inquam, partim ignorant, partim execrantur.*

Anton. part. 3. tit. 22. cap. 2.

Theod. à Niem. l. 1. de schism.

Itaque Franci, Neapolitani, Scotique Clementem, cæteri Urbanum secuti. Hispani variarunt sententiis, Aragonii Hannonesque neutras partes adscivere. Pax inter regna, Anglicanum Francumque tanto minus convenire potuit. Gandavenses Flandri comitis sui mores perosi, arma in eum corripuerant, insigne factionis alba capitia sumserant. Brugenses, Dammum, Hypras, redegerant in potestatem. Pacem, autore Philippo Audace, Flandri genero, resartam, tegmina ponere jussi, resciderant. Inter nobilitatem plebemque flagrabat bellum.

Angli in Britoniam tendebant, quum interim Carolus Sapiens decessit, relicto impubere filio. De quo rege questum lego Anglum, *nullum sciri hostem, qui illo minus armaretur, & plus negotii faceſſeret.* Flandros intestinum, externum Venetos bellum ad extrema consilia adegit.

Frosl. l. 2.

Anno 1380.

Petrus

Elond. d.2.l.10. Plat. in Urb.VI. Laon. Chalc.l.4.

Petrus Auria Genuenſium præfectus Gradum, Comaclum, Caprulas vi captas incenderat. Clugiam aliquandiu egregiè defenſam expugnarat: Carrarienſis, Patavinorum tyrannus, terra ei ſubminiſtrabat commeatum. Multa Venetorum millia, nec pauca occubuerant Genuenſium. Fracti cladibus Veneti, cum nec terra, nec mari auxilia ſperarent, captivis Genuenſium è carcere liberatis, per eos veniam pacemque petunt, eas accepturi leges, quas clemens victor imponeret. Genuenſes *proſperis rebus elati, quod ſolent victores*; nullam ſpem pacis oſtendunt, niſi ſe ſuaque omnia dedentibus. *Deſperatio animos accendit Venetis ut extrema, quam indigna mallent pati.*

An.1380. Polyd. Virg. de inv. rerum l.2. cap.11. Petrus Ramus lib.2. Schol. Matth. Steph. Forcat. lib 4.de Imp. & Phil. Gall. Guido Pancir. Tit.18. nov. repert. Henric. Salm. in Notis ad Pan.

Portus ſuos catenis obducunt ferreis, diſpoſitiſque in littore equitibus, Victorem Piſaneum (qui ob rem ad Polam male geſtam in carcere latebat) rei maritimæ præponunt. Inſtabant ſane Genuenſes, & captis circumquaque caſtellis, ingredi urbem parabant. Sed eos, poſt longum certamen, Joannes Barbadicus armatis lembis repulit, cum progredi ulterius in æſtuariis illis triremes Genuenſium haud poſſent. Attulit opem tormentum bellicum (*bombarda* ei à bombis & ardore nomen) à Germano nuper machinatore Bertholdo Nigro repertum, *atrox bellicis rebus & anceps inſtrumentum.* Nulla enim erat Venetorum ſcapha, quin duas pluresve bombardas veheret. Singulæ uno ictu binos ternoſve plerumque proſternebant, impetu ob novitatem rei improviſo, ac proinde pluribus letali.

Piſaneus intra portus ſe fauces tenens, in quaſlibet occaſiones hoſtibus nocendi erat intentus. Bernabos Mediolanenſis Venetorum ſocius, divertendis Genuenſibus, verſus urbem eorum copias miſit, ſed irrito conatu. Calo Joannes Græcorum Imp. ut debitam ex fœdere præſtaret Veneto opem, Peram urbem Genuenſium Byzantio vicinam, oppugnavit. Sed Andronicus, excœcari olim juſſus, infuſo aceto oculis, patri juxta ac Venetis erat infenſus: qui Turcorum ſuc-

cinctus Bulgarorumque opibus, Peram acerrime defendit, eoque terroris deduxit patrem, ut falſa Venetis fide, in Genuenſium partes tranſiret. Multa inſuper variis locis utrinque accepta, illataque damna, in hoc opuſculo omittenda. Una res civitatem Venetam mire recreavit. Carolus Zenus opulentiſſimam Genuenſium navem, ab Alexandria venientem, intercepit, inque portum Venetum deportavit, cujus merces trecenta aureorum millia ſuperabant. Inde duas onerarias Clugienſi in portu demerſit, eoque deduxit neceſſitatis Genuenſes, ut ipſi exinde majore quam Veneti penuria laborarent. Proſtratus & Auria, dux eorum fortiſſimus, fulmineo tormenti ictu. Tandem deditionem facere coacti Genuenſes, anno ſupra tredecies centeſimum octogeſimo: capti eorum ultra quatuor millia, plures ab hoſte & fame interierant. Cum finem belli non faceret Genuenſis, captaque præter arcem Juſtinopoli, nova peteret claſſe Venetias, nemo ad certamen prodiit. Feſſum cladibus utrumque populum, reconciliavit tandem Sabaudus, hac formula, ut permutatis utrinque captivis, Hungaro Genuenſibus fœderato Venetus ſeptem millia aureorum quoque decennio perſolveret. Aquileienſi Pontifici, idem quod antea jus, in Foro-Julio permaneret. Arx Tenedi Inſulæ, belli fomes, excinderetur.

1380.

Blondus dec.2. lib.13.

An.1381.

Urbanus Papa non intentus paci, ut par erat, componendæ, Hungarum in Joannam Neapolitanam incitarat, quod ea Clementis Antipapæ partes tutaretur. Carolus Hungari nepos, qui in Tarviſinis contra Venetos dimicaſſet, quum in Joannam ductaret copias, meliuſculas res Venetorum effecerat. Jam ſubegerat Aretium, Florentinos auro multarat, ſuperatiſque Joannæ ducibus, Neapolin deditione ceperat, cum nova belli nubes Italiam inumbravit. Sed hanc, priuſquam demonſtrem, Flandrici, qui præceſſerunt, tumultus, pauciſſimis exponentur.

Theod. à Niem. lib.1. de ſchiſm. cap.21. &c.

Froſſ.l.2. P.Æmil. lib.9.

Etenim Gandavenſes, quum, ut dixi, pilea non ponerent, factionis inſignia, principis ſui animum optimatumque acrius irritarunt. Hyprenſibus etiam ſubmiſerant ſubſidia, quos ob cæſam urbis ſuæ nobilitatem plectere Flander cogitabat. Sed auxiliares iſtæ cohortes interierunt, domitiſque Hyprenſibus, pleræque civitates exemplo territæ, redierunt ad Comitis fidem. Cum autem Gandavenſes arctius obſideri, propter urbis magnitudinem, non poſſent, oppugnabatur Gavra. Sex millia Gandavenſium, qui ſuppetias ibant, intercepta. Eodemque tempore plebs Anglicana, Sacrificio quodam prædicante, parem eſſe omnium conditionem mortalium, natales eoſdem, neminem alteri præſtare, tremendam ſeditionem moverat. Pro-

Froſ.l.8. greſſi Londinum homines ad LX millia, direptis potentium fortunis in via, ægerrime mitigati ſunt ab Richardo rege, omnia illis promittente, *ut inſanam multitudinem blandiendo diſſiparet.* Quod factum eſt.

Flander obſidione cinxit Gandavum, ex Hannonia & Arteſia, cujus non ita pridem à morte ſuæ matris potiebatur, milite convocato. Petrus Sylvanus, & Philippus Artevillanus, furenti plebi duces ſe præbebant. Pariſienſes etiam, aliique Gallorum populi, ob novas exactiones ad cruentam ſpectabant ſeditionem, quæ arte principum ſedata. Flander inopia commeatus preſſos Gandavenſes, adegit pacem petere: Sed cum eam non daret, niſi nudi & inermes univerſi, permitterent liberam de capitibus ſuis ſtatuendi poteſtatem, *ſenſit ſuperbia vindicem Deum.* Quinque enim Gandavenſium millia, quod deſtinatos mori, aut vincere animos attuliſſent, maximum ejus exercitum profligarunt; ipſumque jam vitæ dubium, ad Carolum Francorum regem compulerunt profugere. In victoris populi poteſtatem pene omnis Flandria conceſſit.

At vero Carolus VI patrui ſui (is gener Flandri erat) precibus, communique omnium principum & nobilitatis periculo, id dedit, ut alacriter in Flandros ſuſciperet bellum, LX bellatorum millia in Gandavenſes ducta. Prima propè Cominum pugna fuit. Flandrorum ſex millia cæſi. Hypra deditionem fecit. Altero certamine L Flandrorum millia cum Gallis conflixere, Philippo duce. Ad horam circiter unam pugnatum refert Froſſardus, ejus ætatis ſcriptor, tantilloque tempore viginti quinque millia Flandrorum deſiderata. Cecidit Philippus ſeditionis caput. Si ſecus eveniſ- *Froſ.l.2.* ſet, qui tum erat paſſim rerum ſtatus, in ſummum, ait, eſſe periculum adductos reges, principes, nobiles. Nam multos populos ejus prælii eventum avide exſpectaſſe, fortunam in conſilio habituros. Necdum tamen ſopitum erat bellum, quod Gandavenſes, Sylvano autore, ut principem ſuum Ludovicum agnoſcerent, nulla ratione inducerentur. Carolus rex etiam tum adoleſcens, in regnum rediit.

Clemens ſub hæc Papa Avenionenſis decimas, vitamque æternam largiebatur diplomatibus ſuis, ſi qui in Urbanum dimicarent. Idem viciſſim Urbanus ſuis promittebat. Hujus hortatu patruus Angli regis in Galliam, Epiſcopus quidam in Flandriam claſſe appulit, quantumvis Flandri pervicaciter Urbanum ſequerentur. Ad Duncquercam novem Flandrorum millia Angli occiderunt: junctique Gandavenſibus, novum Ludovico crearunt bellum. Sed cum iterum major Gallorum adventaret exercitus, receſſit Epiſcopus: Britoniæ Dux rem ad inducias deduxit, in quibus Flander pene exul clauſit vitam, exemplum principibus, *ut leniter & moderate habeant ſuos, nec unquam in univerſam plebem citra diſcrimen graſſentur*, Philippus Burgundiæ Dux, Caroli VI patruus, uxorio nomine Flandriam ſuſcepit, ſuamque filiam Guilelmo, Alberti Bavari filio, Ludovici Cæſaris nepoti, collocavit. Ita ſeptennale Flandrorum bellum, quo nimium humani ſanguinis fuſum, data

data per Philippum pace conquievit tandem. Sylvanus multitudini diffidens, in Angliam commigravit.

Froſſ. l. 1. P. Æmil. lib. 9. Plat. in Urban. VI. Blondus d. 2. l. 10.

Haud minoribus interim Italia motibus turbabatur. Joanna Neapolitana, quæ primum maritum interfici curaſſet, altero in Hungariam abducto, Balearium regi nupſerat. Eo in expeditione adverſus Hiſpanum exſtincto, poſtremo adſciverat Othonem Brunſvicenſem. Is contra ſtudium uxoris Urbano cupiebat: in bello tamen fidem Joannæ adverſus Hungarum præſtabat. Mira viſa Hungari felicitas. Urbes advenienti ei victoriam acclamantes, deditionem fecerant. Neapolin receptus, Joannam in arcem novam incluſam obſidebat. Othonem, qui uxori opem ferret, prælio commiſſo egregiè pugnantem, tandem ruente ſaucio equo, incantatoris cujuſdam fraudibus comprehendit, Joannamque, amiſſa jam omni ſpe, deditiam, conjecit in carcerem. Verum illa periculum contemplata ſuum, jam Clementi Apuliam Siciliamque donarat. Ille eadem regna Ludovico Andium Duci, Franciæ tum Rectori contulerat, Caroli VI regis patruo.

Blond. d. 2. l. 10. Theod. à Niem. lib. 11. de ſchiſm. cap. 24.

Ludovicus ergo Provinciam Phocenſem, quod ea ditio Joannæ eſſet, metu, vi, malo, domuit. Ad triginta millia equitum (numerus peditum incertus eſt) in Italiam traduxit. Per Marſos regni fines ingreſſus, ſperabat hoſtes poteſtatem pugnæ facturos, ac ſe tanto exercitus robore facile brevique victoria potiturum. Sed Carolus cunctando eum ratus frangendum, injecto interim faucibus Joannæ pulvino, animam ei interclusit. Jam ad Caſſinenſem ſaltum pervenerat Ludovicus, quum alia ejus equitum decem millia Aretium, opera exulum admiſſi, diripuere. Verum ipſe, dum trahitur tempus in Apulia, morbo an veneno (utrumque traditur) deceſſit. Galli, ut capite reſecto, bini ternive mendicantes in patriam rediere. Aretium Florentinis venditum. Is finis tumultus Gallici fuit.

Theod. à Niem. l. 1. de ſchiſm. c. 37. &c. uſque cap. 60.

Tum vero Urbanus terrore Gallico liberatus, cum nepoti ſuo Campaniam ab Hungaro non impetraret, Luceriam digreſſus, novos creat Cardinales, ingentem turbam; ſeptem ex veteribus dat in cuſtodiam, quod diceret eos cum rege & Clemente adverſum ſe conjuraſſe. Mox Carolum Luceriam citat. Reſponſum ab rege, affuturum brevi, verbiſque juxta & armis objecta crimina diluturum. Cum obſideretur Luceria, Urbanus favore Raimundi Urſini exceptus navi, Genuam deducitur, ubi quinque Cardinales ſaccis involutos mari merſit, homo ruſticus & inexorabilis.

Blond. d. 2. l. 10. Anton. Bonfin. Palmer. in Chron. an. 1335.

Eliſabeta ſub hæc Hungariæ regina, judicium viri ſecuta, ut Sigiſmundus gener adoleſcentulus in Hungaria regnaret, elaborabat. Bona procerum pars exſtincti regis nepotem, recenti fulgentem Neapolitani regni gloria, in Pannoniam accerſebant. Advolat Carolus, coronatur, ſolatium vocatur viduitatis Eliſabetæ. Sed regina dolorem ſimulatione fraudeque atroci armans, parato domi percuſſore, venientem ad ſe Carolum, in ſinu prope ſuo occidendum curat. Sigiſmundus ab Hungaris, Ladiſlaus Neapoli reges agnoſcuntur. Urbanus ditionibus metuens ſuis, regnique Neapolitani cupidus, Genua Ferentium movet, Ladiſlaum hæreditate paterna deturbaturus. Sed quum Cajetani, aliique populi repugnarent, Romam infecto negotio reverſus, Banderenſiorum excipitur inſidiis, quos creatis una die novem & viginti Cardinalibus ſuſtulit, qui omnes, tribus demptis, Neapolitani fuere.

Froſſ. l. 4. Platin. P. Æmil. lib. 9.

Avitum Mediolanenſi erat Vicecomitum familiæ in Pontifices odium. Hoc tempore Joannes Galeatius Bernabovem patruum, inſidias filiæ ejus veritus, conjugis ſuæ, interceperat dolo, captivumque ad mortem tenebat. Placentiam, Parmam, Laudam, Brixiam, Bergomum, quæ in diviſione patrimonii patruo obtigerant, ſibi ſumſerat. Valentinam filiam elocaverat Ludovi-

Blond. d. 2. l. 10. Nauel. gen. 43.

co Au-

co Aurelianensi, Caroli VI germano, dote attributa decies centenorum millium Francorum. Superatis Scaligeris, Veronam, Vicentianique; Carrario Patavium eripuerat. Tremendam Italis omnibus, & in his Pontifici potentiam sibi parabat. Florentini metu servitutis, Franci régis imploraverant fidem. Comes Armeniacus, qui auro Florentinorum motus eam sibi provinciam depoposcerat, educere permissus è regno perditissimorum hominum manum, quindecim millia equitum, decem peditum conscripsit. Jacobus Vermis, præfectus Mediolanensium, passus advenientem eum circumvolitare, provocareque frustra ad cominus conserendas manus, in oneratos præda, incompositosque, impetum repentinum facit: Ad sex millia eorum occidit: Armeniacum cepit saucium. Quo exstincto, reliquiæ ægre domum sunt reductæ.

An. 1389. Platin. Chron. Belg. Theod. à Niem. l. 2. de schism. c. 13. 14. Joannes Marius parte 3. schis. 22. Anton. part. 3. tit. 22. cap. 2. Theod. à Niem. l. 1. de schism. c. 68. 69.

Sub hæc Urbanus VI undecimo infelicis Pontificatus anno obierat: Successor erat Bonifacius IX vir juvenis, sed tanti animi, ut primus populi Romani vim omnem in Pontificem transtulerit, creatis suo nutu magistratibus omnibus, munitaque Sancti Angeli arce, in mole Adriani sita. Huic insueta decessoribus felicitas obtigit, ut messem Jubilæi argentariam bis uno decennio meteret. Nam annum sui seculi nonagesimum sacraverat Urbanus, velut tricesimum tertium, quod id ætatis habens Christus, mortem pro nobis oppetiisset. At minime eum viderat: veneno aut ægritudine luci subtractus. Bonifacius, vorago pecuniarum insatiabilis, non lucratus inde, quantum vellet, mutata mente, centesimum deinde colere, ut sacrum jussit. Litem super Pontificatu cum eo Clemens primum, eoque deinde mortuo, Petrus Luna, cui Benedicti XIII nomen, pervicaciter continuavit. Franci, cum obsecratus Benedictus cedere sententia nollet, oppugnare eum armis tandem cœpere. Ille sacra sua præferens, ne à quoquam violaretur, ad natales suos Tarraconenseseque concessit. Venceslaus Augustus in sedanda ea seditione, nihil memorabile gessit: nullum specimen religionis, magnive animi præbuit. Tantum Joannem Galeatium, ingenti pondere auri exoratus, ducem Mediolani designavit, contributis latissimis finibus.

Æneas Sylvius Hist. Boh. cap. 35. Naucl. gen 47. Joannes Huss. de myst. iniquit. Antich. Item l. de regno, populo, vita & moribus Antichristi. Item sermones de Antichristo.

Eo regnante, vir quidam nobili genere Wiclefi libros Pragam detulit, Joannique Hussio, ingenio & mundiori vita claro, eos commendavit, uti thesaurum singularem. Hussius, cum magistratum Academiæ Teutonicis abstuliisset Cæsar, illique maximo numero commigrassent Lipsiam, princeps Doctorum Pragensium habebatur. Ille, laudatis Wiclefi scriptis & Waldensium, ingenti clericorum & plebis plausu cœpit docere. *Romanum præsulem*, aiebat, *reliquis Episcopis parem esse, inter sacerdotes nullum discrimen, nisi quod vitæ sanctitas conciliet. Animas è corporibus excedentes, aut in æternas è vestigio pœnas mergi, aut perpetua consequi gaudia. Purgatorium ignem nullum inveniri: Dei & sanctorum imagines, quæ ad venerationem prostarent, delendas. Aquarum palmarumque benedictiones irridendas. Mendicantium religiones malos Dæmones invenisse. Confirmationem, quam chrismate Pontifices inducunt, & extremam unctionem inter Ecclesiæ Sacramenta minime contineri. Baptisma fluvialis undæ, nulla interjecta sacri olei mixtura, recipiendum. Templum Dei immensi ipsum mundum esse: coarctare majestatem ejus, qui Ecclesias, monasteria, Oratoriaque construunt, quasi præsentius ibi Numen habituri. Sacerdotales vestes, altarium ornamenta, pallas, corporalia, calices, patinas, vasaque hujusmodi, nil habere ad pietatem momenti. Sacerdotem quocunque loco, quocunque tempore, sacrum Christi corpus petentibus ministrare posse: sufficere, si verba sacramentalia tantum dicat. Suffragia sanctorum in cœlis cum Christo regnantium frustra implorari. In canonicis horis cantandis dicendisque frustra tempus*

tempus teri. Jejuniis feriisque ab Ecclesia institutis, nihil inesse meriti. Sbinco Præsul libros Joannis publicè cremavit: autorem ipsum Praga expulit, qui natali in villa (Hus ei, quod anserem sonat, nomen) docere non destitit. Mox Petrus Dresdensis & Jacobellus Misnensis *communionem calicis, à Christo præceptam, impie intermitti* prædicabant. Sbinco quum in Venceslao parum reperiret præsidii, Sigismundum ejus fratrem adiit. sed leto præoccupatus inhibere Euangelii cursum desiit.

Blond. d. 2. l. 10. Plat. in Bonif. 9. Frosl. 2. Roder. Santius parte 4. Hist. Hisp. c. 21. 22. Alfonsi Carthagena. Anaceph. regum Hisp. cap. 90.

Perpetuis sub hæc Italia motibus quatiebatur, in quibus Albericus Cunii comes, consociatis militarium virorum animis, Italicos docuit bellare, jampridem *arma gestare desuetos, ac proinde exterorum obvios injuriis.* Ex ejus officina militari Brachiani sunt orti & Sfortiani milites, quorum armis Italia aut deterruit postea peregrinos, aut aditum tentantes depulit. Galeatius ejus opera tantum incussit Florentinis metus, ut actum de sua libertate putarent, nisi ipse è medio auferretur. Nam Pisas vendiderat ei Gerardus, Perusini, excusso Pontificis jugo, Bonnonia item Lucaque Galeatio se adjunxerant.

Hispania quoque bellis ardebat. Ferdinando Lusitano successerat Joannes filius nothus. Joannes Castiliæ Rex quod gener Ferdinandi esset, uxorio jure Lusitaniam ad se trahebat. Compertum tamen postea, nec uxorem Joannis legitimo ortam toro: Ferdinandus enim matrem ejus abduxerat à marito. Galli Joannem, Angli Lusitanum adjuvabant. Cum Lisbonam Joannes frustra obsedisset, pestilentia exercitum ejus populante succinctus Anglorum copiis Lusitanus, Gallos & Castilianos duobus præliis fudit. Perpetratis insignibus malis, qui mos principum, induciæ convenerunt. Comes Lanclastrius, Angli regis patruus, qui Petri, Castilia quondam pulsi filiam, & ex ea prolem haberet, strenue adjutabat Lusitanum, alteramque filiarum ei connubio sociabat. Sed ægritudinibus vexato exercitu suo & contagiis, migrare Bajonam compulsus, ne omni spe excideret, alteram Petri neptium Henrico, Joannis filio, conjugem dedit, ut quomodocunque res caderet, suam prolem in Hispania regnantem videret. Carolus rex Navarræ improbus, cum proceribus suis exitium minatus, somno se dedisset, fortuito an insidioso incendio ambustus, misere vitam finivit. Richardi Angli regis juvenilem animum Hyberniæ princeps pene excantaverat. Narrante illo credidit rex, insidias sibi strui à patruis, quia fremente ob iniquas exactiones plebe, quæstores aliquot capitis damnassent. Nec latebant Scotos intestina dissidia. Collecta enim manu, Anglos memorabili pugna profligarunt.

Frosl. 2.

Induciæ inter Anglos Francosque erant. Ad petitionem Genuensium visum utrisque, Africanos aggredi barbaros. Iverunt duce Borbonio, cinxerunt obsidione urbem, Africam nomine. Sed æstu & penuria vexati, plurimis amissis, liberatis tamen captivis non paucis, domum rediere. Secuti multorum regum miserandi casus.

Carolus VI, quum in Britonum ducem, Gallis permolestum, æstuosissimo die, citatissimo cursu ferretur, subita correptus amentia, & lingua pene captus, quanquam per intervalla respirabat à morbo, perparum deinceps pro rege egit. Ei oblectando multa excogitabantur. Nocturnis aliquando ludis pice delibutus, semiferi portenti speciem spectantibus præbebat, eodemque habitu quinque alii in cœtum matronarum virorumque prodibant. Frater regis, studio clarius visendi, correptam facem propius admovit. Scintilla ex ea in regem forte incidens, repentinum in omnes illos effusa flamma conflavit incendium. Duo inopes auxilii miserabili ululatu periere. Duo inter manus elati, cum biduum animam traxissent, exspirarunt. Unus ruens in propinquam Promi cellam, aqua vinoque se perluens salutem

P. Æmil. lib. 10.

sibi peperit. Fœmina princeps regem veste, ut caudata fluxaque erat, involvit, ignemque restinxit. Exin valetudo regis multo magis suspecta mortalibus, *bacchantium ritus execrationi prudentibus fuere.*

Fros. l. 4. Interim Angli Hyberniam insulam, captis quatuor eorum regulis, in ditionem suam redegere. Franci regis filia septennis Richardo tradita. Id conjugium Thomæ Gloceſtrio, patruo regis, acerbissimum accidebat, anhelanti per bella ad sceptri potentiam Anglicam: qua spe, ubi pax inter duas regias coaluisset, se dejectum providebat. Itaque adhortatus populum, ut exactiones tolli flagitaret, capitur per venationis speciem, Caletumque ductus, linteo strangulatur. Londini de conjuratis supplicium, jubente rege, sumptum, ac pro more Anglicano, pupillorum bona ejus administrationi subjecta sunt. Paulo post defuncto Joanne & Lanclastrio, filius ejus Henricus, ob quædam liberius in regem effusa, exilio multatur. Rex similiter in patrimonium ejus involat, distribuit ex eo quædam hominibus, nulli præterquam sibi charis. Nec eo contentus, proditionis insimulat Henricum apud Gallos, quo confugerat. Hæc cum implacatissime ferrent Londinenses, concurrerentque alia, quæ odium incenderent regis, mittitur clam Præsul Cantabrigiensis, Henricumque, injecta spe regni, Lugdunum perducit. Extemplo Richardus in custodiam datur, vitæque dubius, gubernacula cogitur tradere Henrico, quum annos regnasset XXII. Nec multo post vitam claudit. Hæc in Anglia.

Laon. l. 1. Annal. Turcic. In Turcia, Amurathes multis maximisque victoriis florebat. Cum Mysos, Epirotas, Macedones profligasset, quoslibet deinceps bellis lacessebat. Emanuël Palæologus, Calo Joannis filius, castra ejus sequebatur. Placebat Triballorum (Servios vocant) principem Lazarum invadere. Is Hungarorum implorata ope, quam maximis poterat copiis, Savum fl. tenebat. Ibi Milois cujusdam armigeri egregia fortitudo enituit. Simulat transfugam se, producitur in conspectum Amurathis, confestim tyrannum hasta transfigit, vitam suam publicæ saluti donat. Amurathes humani cruoris sitientissimus, in suos blandus, sermonis parcus, XXXVII præliis defunctus, tali fato periit.

Jagupe altero Amurathis filio strangulato, Bajazetes arripit tyrannidem. Triballos fudit fugavitque, Lazarum acie peremptum, concidit in frusta, Filiam ejus forma conspicuam toro adjunxit. Ad eum Andronicus, oculos jam meliuscule habere expertus, cum Joanne filio se recepit, oblataque tributaria adversus quosvis ope, auxilia impetravit ad expugnandam Constantinopolin. Ita potitus rerum, patrem cum Emanuële germano in custodiam mittit, Joannem filium regem declarat Græciæ. Quartum annum macerati carcere, Calo Joannes & Emanuël, cum custodem corrupissent, evadunt ad Turcam, promissisque aureorum triginta millibus, & quantuscunque posceretur, in quosvis hostes, exercitu, reducuntur Byzantium. *Laon. l. 2. Annal. Georg. Protov. l. 1. c. 18.*

Emanuël ergo Palæologus, vectigalis Turcæ Imp. inane Augusti nomen gessit. Andronicus, ejusque filius januas Bajazetis sequuti. Prolata deinde in Orientem arma Turcarum, Armeniorum regia capta: duces Asiæ, tametsi sanguinis Turcici essent, Mahumetumque prophetam colerent, ditionibus suis pulsi. Hi ad Temirem Lancum, id est, Claudum confugere. Temir Scytha aut Parthus, magna vi animi corporisque, audendo, agendo, moliendo, *fortunam industriæ parem nactus*, Parthos Indosque subegerat, è gregario milite maximi exercitus dux, restitutionem exulum à Bajazete amice postulabat. Nihil æqui respondebatur. Bajazetes interim Macedoniam perpopulatus, Illyrios vexabat. Thessaliam deinde subigebat, & Phocidem. Ne Peloponnesum perdomaret, Hungarorum Gallorumque audacia obstitit.

Joan-

Joannes Philippi Burgundi filius, Sigismundo ferebat opem. Sigismundus aliquandiu profugus, occiso per Blasium Forbachium Carolo, & vicissim per Croatiæ Banum sublata Elisabetha, socru sua, revocatus erat per uxorem, punitisque Elisabethæ interfectoribus, Hungaria potiebatur. Auxilia undique contraxerat, ut formidolosissimam Turcarum potentiam, priusquam majora sumeret incrementa, protercret. Galli auxiliares, primi fortunam prælii admodum secundam habuerant. Bajazetes, cum resciviſſet ad Nicopolin processisse hostes, doctusque esset à Galeatio Mediolanensi, qui Gallos ob Valentinam filiam injuriosius habitam oderat, quantis inter se dissidiis laborarent Christiani, audenter obviam ivit, coactis ferme millibus ducentis. Artem viribus miscuit. *An.1396.* Octo millia præmisit velitum, quæ cladis occasionem nostris præbuere. Avidissimi enim laudis Galli, tanquam ad certam de tantilla turba victoriam, prosiliunt in certamen. Sequuntur paulatim Hungari Germanique, ne desertores videantur. Sed circumfusi omnibus Turcarum copiis, Galli sternuntur, proceres agniti è splendore armorum, innectuntur vinculis: Equi sessoribus vacui, cum occurrarent Hungaris, late terrorem fecere. Sigismundus vitæ ambiguus, triremi arrepta, Byzantium profugit, captivi partim cæsi, partim ingenti pretio redemti. Felix igitur tam nobili victoria Bajazetes; At *victor paulo post multo infelicior victis fuit. Tam fallax rerum humanarum fides.* Turcarum enim in pios ingruentem procellam, majus in orbem terrarum fulmen inhibuit.

Froſ.l.4. Laon.l.2. P.Æmil. lib.10. Joannes Naucl. gen.47.

Laon.l.2. Marcus Dacorum (qui Moldavi & Valachi) princeps, impetum strenue repulerat Bajazetis. Turca denuo Byzantium obsidebat, pervicax instituti, fame exhaurire urbem cupiens. Causa prætexebatur conspiratio, quam ab Emanuële initam, Joannes ejus patruelis fingebat. Superstes etiam tum Calo Joannes, fertur filii sponsam (ea Trapezuntii regis filia erat, venusta supra modum) violasse. Turca suspicatus, junioris Joannis fraude expeditionem trahi, necessitatem ei quærendæ reconciliationis cum patruo imposuit. Ab eo receptus, & urbi ipsi præpositus, difficiliorem Turcis expugnationem faciebat. Emanuel interea occidentalium corrogabat auxilia. Theodorus frater ejus Spartam Venetis vendebat: Argos urbem expugnabant Turci.

Dum in annos aliquot obsidio tantæ urbis ducitur, Iconium, Amasia, Sebaste, eripiuntur Turcis, illis qui Tamerlanis auxilium poscebant. Nova Scythæ legatio cum irrisione excipitur, uxor ejus quoque, quæ impetum viri cohibuerat, probro afficitur à Bajazete. Igitur frenare nulla gens iram Temiris potuit. Prædæ fuit Oriens. Quadringenta millia equitum, sexcenta peditum, sub signis habuisse fertur. Emporia, quæ aurum defoderant, astu circumventa. Misit, qui partas direptione merces vili & præsenti pecunia divenderent. Ita plenus auro, vetere rursus præda repentè opprimens potiebatur. Ditissimæ Civitates, in quibus Damascus, Halapia, Sebaste, ludibrio, direptioni, cædi fuere.

Annal. Turcic. Laonic. Chalcoc. lib.3. P.Æmil. lib.10. Naucl. gen.47. Theod. à Niem.l.2. de schism. c.29.& l.9.c.42. Georg. Protov. l.1.c.21. 22.29. Wolf. Drechsle-rus de rebus Turcicis.

Ægypto tenus Tamerlanis procella omnia pervasit. Primo adventu signa candida proponebat: deditionem eo die facientes, sine insigni injuria recipiebantur in fidem. Postero die purpurea, ut sanguine luendam inobedientiam scirent. Tertio atra, velut undique funesta. Interempto apud Sebasten Bajazetis filio, patrem ipsum, Scytharum Europæorum, multarumque gentium auxiliis munitum, prælio in Cappadocibus excepit. Scythæ, & qui exulibus favebant plurimi, à Bajazete ad Tamerlanem defecere. Explicatis ad Stellam montem aciebus, tanta ferocia concursum à barbaris, ut CXL hominum millia occubuerint. Prælii exitus Bajazeti exitialis fuit. Equo plurimis confosso sagittis

Petrus Perod. in vita Tamerlanis cap. 9.

captus, cum ſuperbius loqueretur, *miſerabile domitæ ferociæ ſpectaculum toti Aſiæ præbuit.* Catenis vinctus aureis, inque cavea ferrea circumductus, dorſum victori equum adſcendenti ſuppoſuit. Expugnata Pruſa, theſauri & concubinæ Turci in poteſtatem Tamerlanis venere. Uxorum potiſſimam, Lazari deſpotæ filiam, ubi contemptim haberi, ſeque Samarcandam, Scythiæ urbem deportandum inaudivit Bajazetes, impatiens calamitatum, illiſit ad caveam caput, ſibique ipſi in Ionia mortem conſcivit. Tamir feſſus potius, quam ſatiatus cruore, vaſtitateque terrarum, ad comprimendam Indorum rebellionem revolavit in Scythiam, exornataque ſpoliis & captivis ſua Samarcanda, ſalaciſſimus regum, interiit. Mortuo ſucceſſere filii, neque fortuna, neque indole pares, ac parum inter ſe concordes. Proinde variis ſemet & diuturnis cladibus peſſumdedere.

1400. *Chron. Belg.*

Hæc circa annum milleſimum quadringenteſimum, quo innumera hominum multitudo Romam confluxit, haud exiguum Papatus Bonifacii ſuſtentaculum. Venceſlaus eaſdem peccatorum expiationes illis venditabat, qui Pragenſes reliquias viſerent. Idem Coloniæ & alibi factum, Bonifacio indulgente, ſed porrigentibus Eccleſiæ Romanæ manus adjutrices. Electores Venceſlaum, ut imperii dehoneſtamentum, ſordibus ignaviaque infamem, poteſtate eodem anno exuerunt. Perque id tempus Jagello Lituaniæ princeps, Chriſtianis ſacris initiatus, Ladiſlai nomen, & Hedvigem, Ludovici Poloni filiam, conjugem accepit. Igitur Poloniæ rex creatus, Lituaniam, Samogitiam, Ruſſiam adjunxit Poloniæ, eaque acceſſione auctum regnum ad poſteros in centeſimum ferme annum propagavit. Academia Cracovienſis illo autore nata, ſicut Heidelbergenſis Ruperto, & Colonienſis & Erfurtenſis, Senatu urbano procurantibus.

Matth. Mechovius Hiſt. Polon. Trith. Crom. lib. 14. & 15.

Albert. Krantz.

Apud Danos exſtincto rege Valdemaro IV, Olaus undecennis, è filia ejus Margareta nepos, rex erat pronunciatus, tutrice matre. Decretum tunc Slageloſæ fertur, ut quiſque presbyter villam pagi ſui poſſideret optimam: Nemo cogeret extra Daniæ fines militatum proficiſci; bellum ne moveretur, magnatibus invitis. Haquinus Norvegus, Olai pater, Orcades inſulas Henrico Sanclaro Comiti contulit. Defuncto patre, Olaus Norvegiam Daniæ conjunxit. Scaniam civitatibus Hanſeaticis poſſeſſam hactenus, Danorum reſtituit ſceptro. Mira eo tempore eſculentorum vilitas traditur. Medimnum ſiliginis XI nummis, vaccam ſolidis tribus, tonnam cereviſiæ quatuor veniiſſe, mercedem ſervi diurnam ternos nummulos exſtitiſſe. Sed neque India tunc præbebat Europæis aurum, neque Iſlandia, anno 874 habitari primum ab exulibus Norvegis cœpta, niſi regibus, adibatur. Olaus, ubi Gerhardum, Henrici Comitis Holſati filium, ducem Sleſvigæ, & regni Danici fiduciarium creaſſet, immatura morte præreptus, Soræ inter materni proavi, avique tumbam conditur.

Daniæ lib. 7. Sueciæ lib. 6.

An. 1380.

Arnold. Witfr. Chron. Danici parte 3. Arnegr. Iona de Rep. Iſland.

An. 1387.

Margareta Herois regnorum gubernationem retinuit, aſſentientibus provinciis. Cum prole careret, Ericum neptis ſuæ è ſorore filium, hæredem curavit declarari regni Norvegorum: Alberto Megapolitano, quem ſoror ipſa Ingeburgis pepererat, infenſior, quod Daniam Norvegiamque bello impetiiſſet. Eam ob cauſam patruelis Alberti, Sueciæ rex, bellum Danis movit, multiſque modis, fœmineum contemſit dominatum, miſſa cote jubens aciculas ſuas cultroſque acuere reginam. Nec blandior ſuis Suecis, præcipuas dignitates indigenis debitas, in Teutones tranſtulit, poſtulans inſuper tertiam prædiorum, quæ nobilitas teneret, partem, ut regiam curaret ſplendidius. Hinc ſimul Suecico Danicoque vexatus bello, ad extremum Gothia in Occidentali cum filio capitur, duce Danorum Ivaro Luckio. Bahuſam perductus, jubente regina, quam contemſerat, in carcerem mittitur. Megapolitani,

An. 1388. Hiſt. Danorum edita ab Erpoldo Lindenburch.

politani, quo nocere Danis possent, edicunt, ut cujuscunque generis nautæ piraticam in Danos, Suecos, Norvegos promiscuè exerceant. Prædæ illecta dulcedine plebs confluxit. Iis nihil pensi erat, in quorum bona involarent: utrumque pervolitabant Oceanum, nemini, nisi unde lucrum deesset, parcentes. Septimo anno dimissus Albertus, ea lege, ut LX marcarum millia persolveret, aut tradita Stockholma, Suecico regno renunciaret. Civitates fœderatæ præda factæ. Cum solvendo non esset Albertus, Stockholmam reginæ tradiderunt. Itaque Ericus VIII Pomeranus, à Danis, Suecis, Norvegiæ rex lectus, decretumque in Comitiis Calmariensibus, ut tria hæc regna perpetuo unita fœdere, uni semper principi parerent, singulaque ex suis legibus & statutis regerentur. *An. 1397.*

Verner. in fasciculo temporum. Chron. Belg. Naucl. gen. 47.

Ea tempestate Paulus Burgensis Episcopus, Joannes Hussus, & Hieronymus, Doctores Pragensium, Manuël Calecas Græcus, Joannes Rusbrochius Belga, sacra eruditione, Frossardus & M. Paulus Venetus, historica claruerunt.

Albatorum maxima multitudo, linteis amicta candidis, Sacerdote quodam ductore, in Italiam descendit. Clamabant, *corruptam esse erroribus Ecclesiam, dignamque lachrymis.* Cum multo applausu exciperentur, Bonifacius throno suo metuens, comprehensum sacerdotem igni tradidit.

Plat. in Bonif. IX.

Emanuël Chrysoloras Byzantinus literas in Italiam Græcas attulit, quæ quingentis ibi annis conticuerant. Ex ejus schola Guarinus, Victorinus, Philelphus, Leonardus Aretinus, aliique viri docti, tanquam ex equo Trojano prodiêre. Latina etiam lingua, quæ sylvescebat, excoli diligentius cœpta.

RUPERTUS Imperator Romanus. A. M. 5570. Christi 1400.

ISA CELEBIS, SOLIMANNUS, MOSES CELEBIS, Bajazetis filii, Turcarum Imperatores.

CUm quatuor Electores, Moguntinus, Colonienſis, Trevir, & Rupertus Palatinus, Venceslao imperium abrogassent, Colonienſis & Moguntinus, Jodocum Barbatum, Marchionem Brandeburgicum dixerunt Cæsarem, consilio inani. Nam neque par tantæ dignitati visus, neque coronam adeptus est unquam, sed sexto post mense defunctus. Ferunt, Venceslao non invito, delatos Jodoco fasces, quod patruelem mallet, quam se imperii curis onerari. Chronici collector Belgici eam Jodoci designationem, mortuo Ruperto, factam narrat. Id constat, communi principum suffragio designatum Fridericum Brunsvicensem, non imparem tanto fastigio. Sed eum Moguntinus Præsul, scelerata Waldeccii Comitis opera, cum ad diadema suscipiendum veniret, in itinere interemit. Unde proverbio vulgatum: *Moguntia ab antiquo nequam.*

Nauc. gen. 47. Cuspin. in Jodoco. Huld. Mutius lib. 26. Chron. Belg. Hartmannus Schedel fol. 233. Apoph. Imp. Tomo 2. rerum Germ. Freheri p. 176. Palm. in Chron.

Igitur deinde Rupertus Bavarus, Elector Palatinus, de Ludovici IV genere, insignis justitiæ cultor, ingeniique acerrimi, Cæsar creatur Bopardiæ, anno ipso salutis millesimo quadringentesimo. Fridericus Colonienſis diademate eum Coloniæ insignivit, quandoquidem Aquisgranenses fidem Venceslao datam prætexerent. Rupertus autem postea & illos, & alias civitates Venceslao studentes, redigit ad obedientiam.

Italia tunc, præter luem, bellis vexabatur Mediolanensis Galeatii. Bononienses, qui Bentivolum legerant Dominum, & Faventini, magno in discrimine erant, nec in minore Florentini. Ergo vocatur Rupertus, ducentena ei promittuntur florenorum millia, sed ea conditione, ne percipiat pecuniam, nisi cum Galeatii

Anton. p. 3. l. 22. c. 3. & 34. Theod. a Niem.

Nemore Unionis tract. 6. cap. 33. Blondus d. 2. l. 10. Plat. in Bonif. IX.

terram exercitus ejus attigiſſet. Bonifacius Papa decimas interim ſacras Cæſari indulgebat. Quas cum Electores, Moguntinus, Trevir & Colonienſis, dare abnuerent, imperium, quod ſub Boëmis, Carolo & Wenceſlao, langueſcere cœperat, ſub Ruperto defecit aperte. Nam tota Italia à tyrannis undique ſubacta, ingreſſus ipſi Ruperto intercluſus eſt. Venit ſane in Brixianum agrum Cæſar, pernegans Ducem eſſe Galeatium, quem largitione corruptus dixiſſet is, cui ob indignitatem imperium ſit ademptum. Sed Galeatii copiis impar, accepta clade, Tridentum rediit. Inde vocantibus Venetis, Patavium eſt delatus, quo Florentini Oratores ſumptuoſiſſimo quidem apparatu, ſed copias illius deſiderio minores, ut bellum reſumeret, tranſmiſerunt. Ductores erant Sfortia Attendulus, tunc primum noſci cœptus, & Balthaſar Mutinenſis. Quumque copiarum tenuitati pecuniarum quoque paucitatem addidiſſent Florentini, nec Pontifex Venetique palam in auxilium deſcenderent, auſterus re infecta Cæſar, rediit in Germaniam.

At Bonifacius Pontifex, Simoniacus & indoctus, Romæ ad ſubjectionem reductæ gloria & pecuniis Jubilæo anno perceptis auctus, rem aggreſſus eſt novam, quæ Pontifices Romanos non minus orbis Chriſtiani, quam Romanæ urbis dominos reddidit. Legem promulgavit, non licere cuiquam ſacerdotii, ad quod promoveretur, beneficium adipiſci priuſquam primi anni reditus, pecuniis æſtimatos, Pontificali ærario diſſolviſſet. Soli Angli, cum legi in ſummis ſacerdotiis parerent, in minoribus eam contempſerunt. Ladiſlaus Neapolitanus, Caroli filius, autore Bonifacio, Cajetæ coronatus: Urbani in Carolum ſententia antiquata eſt.

Theod. à Niem. l. 2. de ſchiſm. c. 7. 8. 9. 10. 32.

Cæterum Mediolani Dux, digreſſo Ruperto, copias illius reſpectu in Lombardia retentas, ad Albericum miſit, Bononiam & Bentivolum oppreſſuras. Fuſi fugatique Bononienſes, eorumque auxiliatores Florentini: occiſo Bentivolo, Albericus patentibus portis in urbem introductus. Trepidatum tunc per univerſam Italiam, apud Florentinos præſertim, incendio propiores. Sed Galeatius, oborta inter ſummas cupiditates & furores febricula exſtinctus, metum dempſit Italicis: filiis Joanni & Philippo Mariis ditiones, cum odiis ſubditorum, ſubditis bella reliquit. Albericus à Ladiſlao Magiſter equitum creatus, Neapolin Ludovico Andegavenſi, prioris illius filio ſtudentem, recepit; Balthaſar Coſſa Pontifici, Bononiam; Florentino Piſas, à Gabriele Maria, tyranno exule ſibi venditas, armis ſubegerunt.

Anton. p. 3. l. 22. cap. 3. parag. 4c. An. 1402.

Anton. tit. 22. c. 4. parag. 2. 3. 4.

Ladiſlaum mox in Hungariam nova procerum conſpiratio traxit. Sigiſmundus ibi olim de duobus & triginta nobilibus ſontibus ſupplicium ſumſerat, quod nullum ſibi regi officium præſtare voluiſſent. Conflatam ex ea ſeveritate maximam invidiam, res ejus proſperæ aliquantiſper texerant: Clades Nicopolitana in lucem eam protulit. Facta, autore Papa, conjuratione, comprehenſus duobus à juvenibus Gariis cuſtodiebatur, filiis Niconis, inter cæteros interrempti. Ladiſlaus, nondum ſatis confirmato Apuliæ regno, in Hungariam evocatus, Jaderam oppugnabat. Sigiſmundus interim matri juvenum Garenſium perſuadet, non defore, ſi interimatur, vindices necis ſuæ: Sin ipſorum opera dimitteretur, maxima à ſe & certiſſima eos præmia manere. Dimiſſus brevi, aut perterruit, aut punivit adverſarios. Ladiſlaus, dum Jaderam urbem obſidione premit recipitque, feſtino perculſus eſt nuncio. Neapolitanos in rebellionem animis apparatibuſque propendere. Quare Jadera Venetis, quorum pluries fuerat, vendita, Neapolin rediit, & ſeveriori quam prius diſciplina uſus, neminem in regno eſſe permiſit, qui vel oppidi, vel arcis retineret dominatum. Galeatii interim mortui ditiones, aut pulſi antea tyranni, aut præſidiorum duces occupabant.

Theod. Niem. l. 2. c. 17.

Multi

An.1404. Chron. Belg. Paulus Lang. Chron. Zitic.

Multi per ea tempora, ſicut & ſemper, poſt ſchiſmatis originem de unione Eccleſiæ tractatus ſunt habiti. Quibus dum intenditur, nonus Bonifacius, putreſcente virili membro periit. Carmen ei dictum à Theodoro Urico Theologo:

Heu Simon regnat, per munera quæque reguntur,
Judiciumque pium gaza nefanda vetat.
Curia papalis fovet omnia ſcandala mundi,
Templaque ſacra facit perfidioſa forum.

P. Æmil. lib.10. Plat. in Innoc. VII. Theod. à Niem.l.2. de ſchiſm. c.34.&c. Anton. p.3 t.22. cap.4.

Suffectus Bonifacio in Septimum Innocentium Coſmas Sulmonenſis, jurejurando ſpopondit, quam primum eſſet pro unione requiſitus, Pontificatui renunciare. Eo defuncto, purpurati ſinguli dira caput ſuum execratione deteſtati, ſe, ſi deligerentur, in autoritate concilii futuros. Interim cum & vero Pontifice, & optimo Imperatore carerent Itali, unicuique ſcelerato peccandi licentia data eſt. Joannes Galeatius Maria, Mediolanum, Philippus frater ejus Ticinum tenebat: reliquæ civitates ad quinque & viginti variis artibus cædibuſque agitatæ, ab imperio Vicecomitum defecere. Franciſcus Cararius multa improbe auſus, cum Venetos æſtuariis ſe & paludibus ſuis juberet continere, ab iis Verona Patavioque ſpoliatus, necatuſque eſt. Romani Innocentium VII. crudelius dominantem urbe exegerant. Sed fuſo Ladiſlai regis milite, quo utebantur, eundem in urbem recepere. Delectus, illo mortuo, Angelus Corrarius Venetus, anno ejus ſeculi ſexto, Gregorium duodecimum nomen edidit. Jusjurandum, quod verbis conceptis purpuratus nuncuparat, Pontifex confirmatum in acta referri juſſit. Cæterum cum locus congreſſui patrum conſenſu deligendus eſſet, nullus proponi poterat, niſi quem Benedictus, qui & ipſe evocabatur, averſaretur. Colluſio hæc viſa, & uterque in ſacra cauſa prævaricator. Sanctius egere patres.

Theod. à Niem.l.2. de ſchiſm. c.42. & lib.2.toto.

Convenit inter utriuſque partis Cardinales, ut Piſas convenirent. Ibi utrique Pontificatus æmulo jus ſedis claviumque abrogatum: Delectus Petrus Minor, Theologus, genere Cretenſis, quo Oratore quondam Galeatius Ducis exambierat titulum. Hic ſolitus dicere, divitem ſe Epiſcopum, inopem Cardinalem, mendicum Papam factum, Alexandri V nomen brevi tempore geſſit. Tarraconenſes, Scoti, Armeniaci, in Benedicti fide manſere: Carolus Malateſta Gregorium Arimini regebat. Eccleſia Romana triceps exinde viſa, monſtra ſimul biformia aut triformia nata. Alexander hoſtem judicat Ladiſlaum regem, quod urbes Imperii Pontificii, inque his Romam ſuæ ditionis faceret. Jus regni adjudicat Ludovico Andegavenſi. Bononiæ moritur, octavo ſedis ſuæ menſe. Ibi largitionibus factis, ſuffectus Balthaſar Coſſa Neapolitanus, bellator melior quam Paſtor, unionis Eccleſiæ nullam curam habuit. Ei Joannis XXIII nomen inditum.

Et in Nemore Unionis tract 1.2. 3.4.5.C. An.1408. Franc. Zab. de ſchiſm. Innoc. VII. Anton. p.3.t.22. cap.5. Chron. Belg. An.1410. Plat. in Joan. XXIV.

Genua tunc in fidem regis Franci venerat. Florentini Piſas occupaverant. Fucinus Canis, tyrannus potentiſſimus, Vercellas, Alexandriam, Dertonam, Novariam, obtinebat, ingenteſque inſuper divitias, Lombardiæ direptionibus quæſitas. In Galliis varii erant rerum motus, temporum conditio miſera, qualem fides ſit eſſe rege mente affecta, ducibus diſſentientibus, pace incerta. Ludovicus Aurelianenſis, frater regis, immiſſo per Joannem, Philippi Burgundi filium, percuſſore, occubuit. Autori gratia delicti facta. Idem Joannes Eburones domuit, Epiſcopo ſuo infenſiſſimus, quod inflatus ſpe dominatus Hannonum & Hollandorum (erat enim frater Comitis) majoribus initiari ordinibus nollet, averſus à ſacerdotio. XVII millia Leodienſium cecidere. Chronicon Belgicum XXIII millia habet. Joannes Epiſcopus de plurimis ſupplicium ſumſit, qui mortuo poſtmodum Guilelmo fratre, cum Hannoniam, Hollandiam, Flan-

P. Æmil. lib.10. Chron. Bel.

Flandriamque hæreditate cepisset, à milite quodam suo trucidatus est.

Annal. Turcic. Laonic. Chalc. l. 4. Georg. Phrant. l. 1. c. 33.

Et ne male Christianis tantummodo iratum diceres Deum, in gentes etiam efferas indignationem suam effudit. Filii Bajazetis, patris exemplo nihil emendatiores, cruentis se invicem bellis attriverunt, quæ occasio exstitisset optima rem Christianam in Asia reparandi, ni feralis discordia Romanensium animos principum distraxisset. Sex Amurathi erant filii. Mustaphan Tamerlanes occiderat. Mahumetes in Cappadocia indulgebat quieti. Isa (Josuam aut Jesum vocat Chalcondylas) & Moses, se invicem oderant. Isa regni sedem invasit Prusam, brevique Asiæ & Europæ pleraque in verba sua adegit. Solimannus militiæ peritissimus, Byzantii se tenebat. Casan Celebis sextus ætate erat tenera. Solimannus ergo, allectis ad se militaribus, Europam, absente in Asia fratre, peragravit, firmusque ab exercitu transgressus in Asiam, in Cappadocia eum vicit prælio, comprehensumque trucidavit, anno tyrannidis quarto.

Cum ergo Solimannus regnare cœpisset, rediit dimissus à Tamerlane Moses, conciliatisque sibi ducibus, qui Isam secuti essent, Marcum Dacorum regulum, traducit in partes, & Adrianopoli rex salutatur. Solimannus contra, ut Emanuëlem sibi adjungat, Theodori fratris ejus filiam ducit uxorem, transgressusque Byzantium, bellum Mosi infert. Mosen, præter Dacos & Triballos, adjuvabat Stephanus, Lazari Despotæ filius. Hunc ad defectionem impulit Græcus Imperator. Nihilominus victor Solimanni Moses, dum fugientes insequitur, per insidias fratris, castris exuitur. Quare dissipato Mosis exercitu, Adrianopolin recipit Solimannus, defunctumque se periculis arbitratus in ignaviam ac voluptates quasque provolvitur. Græcis, qui fidam attulissent operam, maritimam Asiam restituit. Interea Moses instaurat vires, adjuvante iterum rectore Daciæ. Magister equitum & auxiliarium copiarum præfectus, ab rege inerti & vinolento, ad Mosen deficiunt. Solimannus Byzantium refugit, in animo habens Græcis reddere Europam, ut commodius posset Asiam tueri. Sed illa agitantem, in itinere comprehendunt Turci, & ad fratrem deducunt, à quo illico necatus est. Comprehensores pariter igne cremati à tyranno, quod diceret eos impia in regem suum commisisse. Acta hæc anno ejus seculi XI. Præcedente Rupertus Palatinus, cum improbasset Pisanum concilium, & Gregorio XII adhæreret, insperato diem obierat Oppenheimii, decennium potestate functus. At qui à confessionibus Pontifici erat, repetit ostio affixam epistolam, cujus hoc exordium: *Satanas regnorum Acherontis Imperator, tenebrarum rex, profundissimæ perditionis dux, superbiæ princeps, omnium damnatorum æternus comes, fidelissimo dilecto nostro Joanni, Dominici ordinis prædicatorum, perditionis filio.* Pejor etiam Gregorio Joannes, nihilque habens sanctitatis, adeo ut meretrices ei Bononienses singulis mensibus trecentos penderent aureos, multorum mentes offendit. Cum plenam delictorum omnium veniam offerret iis, qui in Ladislaum, Neapolitanum regem, arma sumerent, exclamatum est Pragæ ab Hussitis, Joannem Papam Antichristum esse. Eorum aliquos clam interfectos à Senatu, populus per omnia urbis templa circumtulit, prædicantibus Ecclesiasticis: *Isti sunt sancti, qui pro testamento Dei sua corpora tradiderunt.* E dispersione Pragensis Academiæ Lipsiensis nata, Friderico Misnensi autore, sub annum MCCCCIX.

Cusp. in Rupert. An. 1210.

Chron. Belg. Theod. à Niem. Tract. 9. Labyr. cap. 26. Æneas Syl. c. 25.

Paulus Lang. Chron. Citiz. Theod. à Niem. Chr. Holsat. An. 1409. part. 3. Krant. lib. 10. Sax. c. 22. Arnold. Witfr. 3. parte Chron.

Petrus de Alliaco Cameracensis Episcopus, Joannes Gerson, Poggius Florentinus, ea tempestate claruerunt.

Inter Gerhardum ducem Slesvicensem, ejusdem fratres, Dithmarsos ortum est bellum, quod Ericus Saxo Dithmarsos diripuisset, idque Damni Holsatis ferretur acceptum. Initio Dithmarsi, quod innocentibus Holsatis crimen impegissent perfidiæ, male multati. E Delbur-

burgensi castro & Hanrovia, incursiones in ipsos factæ. Sed postea Comes Albertus, dum præda gravis festinat in Holsatiam, excussu equi moritur. Gerhardus dux fervidius instans Dithmarsis, & subigere cupiens populum, ex insidiis trucidatur, cumque eo nobiles trecenti. Inhumata mansere cadavera, nisi quæ multo auro redimerentur. Rusticæ id inclementiæ datum. Fœdus tandem ictum, ut caveret uterque populus, ne alterutri per conniventiam damnum inferretur. Henrico, Adolfo, Gerhardo, filiis Henrici puerulis, tutores constituti, defensorque Ericus Rex Danorum. Sed cum Gottorpiensis arx tradenda esset Margaretæ reginæ, suspicio oboritur, eam insidiari ducatui obtentu tutelæ, impleturque armatis castellum. Discedente regina, Ericus demolitur quædam Slesvicensium: unde natum bellum, ingenti cum Danorum Holsatorumque clade per multos annos gestum.

1410. Joan. Micræl. in syntagmate ex Annal. Borus.

Pluris stetit Cruciferis in Borussia, quod Lituaniam invaserant. Jagello seu Vladislaus IV rex Poloniæ, ad Grunevaldum XL eorum millia, deinde post semestre X millia occidit. Ita Cruciferorum Resp. quæ ab anno Christi MCXC variis surrexerat incrementis, ad interitum proclinata.

A. M. 5381. *Christi* 1411. SIGISMUNDUS, Imp. Romanorum.

MUSA & MAHUMETES, filii Amurathis I.

AMURATHES II. Turcarum Sultani.

Joannes Cuspin. in Sigism. P. Æmil. lib. 10. Chron. Belg. Benev. de Rambaldis libro Augustali.

EXstincto, ut dictum est, Ruperto Cæsare, continuo Joannes Pontifex autor per literas fuit proceribus Germanis, ut Sigismundum regem Hungariæ, Turcico bello sanctiorem quam feliciorem, crearent Cæsarem, ejus gratiam tanto judicii consiliique beneficio initurus. Sigismundus majestate regia, quam in procero ostentabat corpore, liberalitate simul & virtute animi, quam multarum peritia linguarum quoque exornabat, omnes facile anteibat suæ ætatis reges. Æquaturus erat Carolos & Othones, si ad pacis artes parem bellandi felicitatem, pudicitiamque corporis addidisset. Designatus est ab Electoribus eodem anno, quo Martinus è Barcinonensi familia postremus obiit Rex Tarraconensium, destinatusque est successor Ferdinandus rex Castiliæ. Cruciferi in Borussia maximas à Polonis clades accepere. Italia tunc bellis partim Vicecomitum, partim Ladislai Neapolitani quassabatur. Joannis Mariæ, Mediolanensis ducis, exosa erat subditis crudelitas: unde pronum fuit urbium præfectis distrahere Vicecomitum provincias. Fratri ejus Philippo, ob tenellam ætatem, minus erant audientes dicto Ticinenses. Qua occasione intromissus à Gibellinis Canis Facinus, urbem diripuit, tutelamque præ se ferens Philippi, Brixianos, Bergomates, Cremonenses, vexavit incursionibus, Philippus per stupendam paterni principatus eversionem, ad eam devenit rerum inopiam, ut præfecti Ticinensis beneficio vitam inibi tutatus, singula educationi necessaria, à singulis emendicaverit amicis. Mater ejus Mediolani, ob truculentum, cui insueverat, dominatum veneno exstincta: frater domestica factione cæsus. Philippo vix vicenni obiit Facinus Canis, potentissimus tunc Longobardiæ tyrannus, ut qui Vercellas, Alexandriam, Tertonam, Novariam, plurimaque per eam regionem obtinuerit oppida; ingentesque insuper divitias, direptionibus Lombardiæ quæsitas: Ejus filiam Beatricem, quadraginta annis majorem, duxit Philippus; perque illud connubium, & principatus paterni partem recuperavit, & cum opibus militum acquisivit favorem & ducum, quorum usus opera, patrueles suos à Mediolanensibus revocatos expulit, & Brixiam, Cremonam, Placentiam, aliaque oppida redegit in potestatem. Sigismundus eum postea, datis insignibus,

Blond. d. 3. l. 1. Plat. in Ioan. 24. Naucl. gen. 27.

Blond. lib. 21.

ducem Mediolani appellavit. Beatrix adulterii poſtmodum inſimulata, capite cæſo finivit vitam.

Agebantur hæc in Inſubria, quum Franciſcus Gonzaga, Mantuæ Dominus, Bononiam adverſus Malateſtam, Ladiſlai mercenarium, acerrime eſt tutatus, Ladiſlao interim Romam, Latium, Umbriam & Hetruriam late occupante, non ſine ſpe univerſæ Italiæ regno potiundi. Ludovicus ſane Andius, rex ab Alexandro V. & Joanne dictus, clade eum aliqua affecerat; ſed Ladiſlaus nihilo ſegnius bellum inſtaurabat, adeo ut Joannem Pontificem Roma exigeret, muroſque dirueret urbis, anno ejus ſeculis XIII. Florentinos urgens, tam opportune obiit, ut veneno ſublatum non abſit ſuſpicio. Florentina virgo venuſtiſſima, cujus amore flagrabat, accepta à patre cicuta cum confeciſſe perhibetur, non memorando artificio. Succeſſit ſoror Joanna, nihilo illa ſuperiore Joanna ſanctius feliciuſque Neapolitanis nomen. Matrimonium pacta Joannis Aragonis, mutato conſilio nupſit Jacobo Borbonio. Sfortia duce, Romanam urbem adverſus Brachianos milites ſtrenuè defendit. Interea Sigiſmundus Romam, ut aiebat, diadematis cauſa iturus, in Venetos validum miſerat exercitum, captoque Forojulio, Tarviſium oppugnabat. Sed eum Carolus Malateſta cunctando potius, quam pugnando fregit. Cæſar Laudæ congreſſus cum Pontifice, denunciat ei, ut concilium tollendo ſchiſmati indiceret. Aut dicto audiendum, aut offendendum genus humanum fore. Delecta tandem Conſtantia, Italis, Gallis, Germanis opportuna, miro gaudio Auguſti, in cujus fide urbs erat. Haudquaquam dubium, in conventus ejus poteſtate futuros Joannem Gregoriumque, utrumque Italum. Joannes, amicis dehortantibus, eo ſe contulit anno MCCCCXIV. Tam frequens erat concilium, ut diſcrimina & velut claſſes eſſent faciendæ, diviſis in quinque partes patribus. Initio Itali, Germani, Galli, Angli præcipuæ dignationis erant. Poſtea & Hiſpani advenere. Cæteræ nationes aliæ aliis harum adſcribebantur. Quod tribus harum generatim placebat, id reliquæ ratum ſanxere. Cum diu multumque diſputationibus incertos ambiguoſque tenuiſſet Joannes, qui potiſſimum decernerent, ſuperveniente Sigiſmundo, factaque omnibus dicendi, quod liberet, poteſtate, multa crimina Joanni objecta. Probabatur, eum largitionibus & ſuam emiſſe, & plurimas aliis vendidiſſe dignitates, dediſſe & Laicis ſpiritualem potentiam. Inceſtis & adulteriis ſe polluiſſe, negaſſe pertinaciter animarum immortalitatem, & corporum ſurrectionem. Audiens hæc agitari Pontifex, ſumto militari habitu, Scafhuſam, Friderici Auſtriaci oppidum refugit, ad Joannem Burgundum iturus. Sed Imperator, confluentibus ſubito copiis, coëgit Fridericum ſemet & Papam reſiſtere. Retractus è fuga Joannes, cum non haberet, quod teſtibus opponeret, in carcerem traditur & convictus XL criminum, abrogato ei de concilii ſententia Pontificatu, Ludovico traditur Electori Palatino cuſtodiendus. Manheimii ſervatus eſt, dempto ſermonis commercio. Jamque prolatum erat decretum, *concilium generale legitime congregatum, ſtatim habere à Chriſto poteſtatem, Pontifices concilio ſubjacere.*

Gregorius Carolum Malateſtam miſit cum tam liberis mandatis, ut ei facultas, juſque cedendi Pontificatu daretur. Is inſignia Pontificis indutus, in auguſtiſſima ſella conſedit, ac velut Gregorii perſonam gerens, depoſitis inſignibus, relictaque ſella, ſe abire Pontificatu effatus eſt. Gregorio jus pilei redditum, Legatione Piceni & principatu Cardinalium attributo. Sed non diu ſuperfuit, dolore (ut aiunt) animi propter ſubitam abrogationem (nam in mora ſpem poſuerat) abſumptus. Sublatis duobus Pontificibus, reſtabat tertius Petrus Luna, qui & Benedictus, animi pervicacior. Duces Franci eum de ſententia non moverant,

Plat. in Joan. XXIV. Chron. Belg. P. Æmil. lib. 10. tit. 413. Laon. Chalc. l. 5.

Chron. Belg. Felicis Fabri Hiſt. Suev. l. 1. cap. 15. Anton. p. 3. l. 22. cap. 9.

P. Æmil. lib. 10. Chron. Belg. Marius part. 3. Schiſm. 22. Platina.

verant. Sigismundus, cum oratoribus Concilii ad Franciæ & Angliæ reges ivit, hortatus, ut in abdicatione Benedicti ejus sequerentur sententiam. Perpauci Cæsares, ut de hoste victoriam armis ferrent, tot labores adiere, quod Sigismundus bello infelix, ut pacem Ecclesiasticam constitueret. Perpeniani cum Benedicto & rege Aragonum in colloquium venit. LXXVII annos natus erat Benedictus facundia literaturaque præstans. Verum se Pontificem esse contendit, atque etiam si non sit, solum omnino ex omnibus Cardinalibus supereſſe, qui à certis Pontificibus purpura sint donati: reliquos à controversi juris æmulis creatos. Itaque si interregnum sit, penes se solum, nonnulloſque Romanos, jus Pontificis eligendi fore. Expugnari fando non potuit, concessit Panoscholam, munitissimum etiam mari oppidum, exprobrans suum Ferdinando judicium, quo dictus ille post Martini utriusque obitum Tarraconensium rex esset. Imperator cum Oratoribus Castellæ, Aragoniæ & Navarræ regum, moram apud Francos Angloſque traxit, pacisque inter eos nomen redintegravit.

Lucius Marin. de rebus Hisp. l. 11. p. 401. Tom. 1. rerum Hispanic. Laurent. Valla de Ferdin. Aragon. rege l. 3. Roder. Santius Hisp. Hist. part. 4. cap. 6. 27. Chron. Belg. 1416.

Pendente sic lite Pontificia, causa fidei addncta in quæstionem est. Joannes Hussus & Hieronymus Pragensis, fide publica ad Synodum evocati, pleroſque Joannis Wiclefi, pridem defuncti, articulos propugnabant. Congressi cum doctoribus stetere constantes. Se veraces, se Christi discipulos esse, *Romanam Ecclesiam, cæteraſque per orbem dispersas, longe à traditionibus Apostolorum abiisse. Dominatum & delicias pleroſque exquirere, nescire prorsus divina mandata, aut scientes contemnere.* Poggius Florentinus, qui interfuit, ait, neminem se vidisse unquam, qui in causa dicenda, præsertim capitis, propius accederet ad facundiam priscorum, quam Hieronymum, nihilque protulisse indignum bono viro: adeo ut si id fide senserit, quod verbis profitebatur, nulla in eum mortis causa, imo ne leviſſimæ quidem fuerit offensionis. Dixit, *hunc morem priscis, doctissimis, sanctissimisque viris fuisse, ut in fidei interdum sententiis discreparent, non ad pessundandam, sed reperiendam veritatem.* Prior Hussus combustus est, cantato hymno, quem vix flamma & fragror ignis intercipere potuit. Hieronymus in fundo turris fœtidæ atque obscuræ, trecentis quadraginta diebus habitus, ubi ne videndi quidem facultas erat, tot Ecclesiasticos Doctores in sententiam suam protulit, quasi summo in otio sapientiæ interim studiis operam dedisset. Cum lictor ignem post tergum injicere vellet, *Huc*, inquit, *accede, & in conspectu accende ignem; si enim illum timuissem, nunquam ad hunc locum, quem effugiendi facultas erat, accessissem.*

Æneas Sylv. Hist. Bohem. cap. 26.

Poggius Epist. ad Leonard. Aretius. Joan. Foxus Comm. rerum in Eccl. gest. l. Proceſſ. Consist. Martyrii Joan. Hus. edit. ab Othone Brunſ.

Cecinit Symbolum, & Davidicum illud: *Circumdederunt me viri mendaces.* Ambo (teste Sylvio Ænea, qui postea Pontifex Pius II fuit) pertulerunt animo constanti necem, & quasi ad epulas invitati, ad incendium properarunt, nullam emittentes vocem, quæ miseri animi posset facere indicium, viri sempiterna memoria digni. Sangerhusæ eodem tempore multi hæreseos nomine cremati. Cineres exustorum, ne raperentur à Bohemis, in lacum projecti. Sed discipuli terram, in quo ignis fuit, velut sacram secum in patriam detulere. Mox sequaces Joannis & Hieronymi, Ecclesias nonnullas à Venceslao postularunt, in quibus suæ prædicari plebi, Sacramentaque ministrari liberè possent: Et impetrarunt.

Chron. Belg.

Constantiæ, quasi id ageretur, ut pateret multitudo suffragatorum superstitionis, subducta ratione repertum est, in Europa esse monasteria Benedictinorum 15107: Consecratos ex eo ordine 35449.

Chron. Belg.

Plat. in Mart. V.

Sed cum de restituenda Ecclesia, emendandisque moribus Clericorum, mentio haberetur, placuit, velut vacante jam quadriennium cathedra, prius novum Pontificem creari, consilio, quo nullum

P. Æmil. lib. 10. Chron. Belg. è Cosmedromio.

rei Chriſtianæ peſtilentius, nullum Sigiſmundo & Germanis ingratius. XXXII Cardinales, adjunctis è quaque natione ſenis, Othonem Columnam crearunt Pontificem maximo plerorumque gaudio, qui quod ſacra Martino die electus eſſet, Martinum ſe Vappellavit. Confirmata concordiæ ergo acta trium Pontificum æmulorum. Conſtitutum, ut ex ea die quinto poſt anno concilium haberetur, alterum ſeptimo, tertium decimo. Exin perpetuum id eſſet, legitimumque, ut decimo quoque anno convenirent in unum patres omnium gentium. Reformatio Eccleſiæ in capite & membris, quam Germani Gallique maxime urgebant, & in iis Joannes Gerſon, in illud tempus dilata à Pontifice,
1418. qui anno XVIII ejus ſeculi, invito Imperatore, concilium dimiſit. *Nec puduit patres illos innoxiorum ſuppliciis defendere illam poteſtatem, quam tot annis à ſceleratiſſimis hominibus geſtam agnoſcebant: non puduit Sacri calicis uſum, non obſtante ſcilicet Chriſti mandato, laicis adimere: eoque eniti, ut receptæ ſuperſtitiones armata regum manu tegerentur.*

Cuſpin. Sigiſm. Sigiſmundus ibi Adolfum Clevenſem è Comite Ducem, Hermannum ſocerum ſuum è Barone Ciliæ Comitem, Amedeum Sabaudum è Comite Ducem, Fridericum è Burggravio Noribergenſi Marchionem Brandeburgicum creavit. Ericum Saxonem Lauenburgicum privavit eligendi Cæſaris jure, idque in Fridericum Miſnenſem tranſtulit.

Plat. in Martino V. Laon. Chalc. l. 4. Blondus lib. 23. Anton p. 3. tit. 24. cap. 7. 8. Martinus inter Philippum, Mediolani Ducem, & Pandulfum Malateſtam, ægre pacem compoſuit, quæ mox rurſus diſturbata, cum Malateſta reliquique reguli, guſtata ſemel imperandi voluptate, quas occupaverant ditiones, non tantum tueri ſtuderent, ſed & augere aliorum injuriis damniſque. Receptis tamen Philippo Brixia & Cremona, Nicolaus Eſtenſis ſponte fecit, ad quod cogi poterat, reddiditque Parmam Philippo. Gonzaga Mantuanus, quum minus comi fronte inſpiceretur Mediolani, doratus id, quod res erat, Philippum ſua repetiturum, Venetis ſe Florentiniſque adjunxit, metu Principum quemvis omni arte in ſuas partes allicientibus. Hi Franciſco Carmignola duce, cum multiplicibus præliis Brixianum territorium ſubegiſſent, Bergomum quoque ex fœdere tandem acceperunt. Carmignola poſtmodum proditionis compertus, cervice luit, cui ſubſtitutus Sfortia. Brachius vero Montinius interim pontificias ditiones inſederat, ut Martino Romam proficiſci tuto haud liceret. Martinus Florentiam pervenit, ubi Joannes XXIV, empta XXX aureorum millibus libertate, eum adoravit, juſſuſque uti pileo, & Thuſculanæ præeſſe Eccleſiæ, mœrore periit. Coſimus Medices, Joannis Expapæ familiaris, maxime creviſſe ejus opibus fertur. Porro Brachius, Florentinorum opera reconciliatus Martino Bononiam ei, quæ libertatem denuo ſumſerat, ſubjecit, viamque Romam verſus aperuit. Florentinorum Eccleſia ob id Metropolitano honore exornata. *Anton. p. 3. Tit. 12. cap. 7.*

Cum Romam denique anno XXI veniſſet novus Pontifex, adeo direptam eam vaſtamque reperit, ut nullam civitatis faciem agnoſceret. Collapſæ domus, templa, palatia, mœnia deſtructa, cœnoſæ deſertæquæ plateæ, omnium rerum penuria, ruſticitas mera regnabat. Refectam aliquantulum inundavit Tiberis, templumque Pantheon ad majus altare implevit. *An. 1421. Plat. in Mart.*

Haud paulo feliciorem eo tempore reperio Conſtantinopolin. Muſa vel Moſes eam urbem obſederat, iratus Emanuëli Palæologo, quod Solimanno opem tuliſſet. Sed victus navali bello abſceſſerat, quo in certamine filii Emanuëlis nothi enituit virtus, poſtea ob patrui invidiam carcere diuturno macerati. Imperator Græcus, ut ſe ulciſceretur, Orcanem Solimanno genitum oppoſuit Muſæ: qui in Theſſaliam progreſſus, ibique cuſtodis ſui fraude proditus, pœnas patruo eliſis faucibus dedit. Minimus filiorum *Laon. Chalc. l. 4. Georg. Protov. l. 1. c. 36.*

filiorum Amurathis Byzantii Christianis imbutus sacris, eo tempore migravit vita. Supererat Mahumetes, qui metu fratris Musæ chordis se fabricandis aluerat, & Caramannum apud principem latitabat. Hic Græcorum Turcorumque ope, tyrannidem Musæ detestantium, Asia facile potitus, transcendit in Europam, prælioque primo inferior, Constantinopolin refugit. Musam, ne in Asiam transiret, Græci occupato trajectu impediere. Refectis viribus, denuo tentatur prælii alea; victusque Mahumetes Triballorum adit Ducem, Turcarum proceres ad defectionem invitat, haud irrito conatu. Nam transfugio quorundam confirmatus, instaurat certamen. In eo Musa tyrannus, dum Cazanem peregrinorum ducem transfugam occidit, à ministro ejus manu truncatur. Saucium deserit exercitus, ad Mahumetem signa rapit: qui fratrem in paludibus latentem nactus, præfocavit laqueo, itaque imperio potitur.

Annal. Turcic.

Hic Græcorum beneficiis motus, qui & Mustapham, è Bajazetis se sanguine ferentem, in vincula misissent, perpetuam cum eis pacem coluit, Triballum finibus auxit, Dacorum regulo imperavit tributum. Oborto cum Venetis de insulis Ionii maris certamine inferior, Lampsaco cedere coactus est. Emanuël munito Isthmo, Peloponnesios principes redegit in potestatem, filiumque Joannem Græcis regem dedit. Mahumetes, punito Caramanno, qui Prusam urbem cremaverat, ablatisque aliquot oppidis ei reconciliatus, rara inter Turcas humanitatis laude decessit, anno istius seculi vicesimo secundo; Amurathes II ejus filius rei Turcicæ præfectus est.

Georg. Phrantz. l. 1. c. 31.

1422.

Italia interim, Francia, Bohemia, mirandis motibus agitabantur. Joanna Neapolitana haud majori fide Borbonium, quam antea Tarraconensem, amabat. Ob id administratione rerum submota, palam se lusibus ac deliciis, amplexibusque mariti dabat, autores conspirationum ultro deserebat, ut nulla Jacobo uxor fidelior videretur. Sed mox muliebris enituit dolus. Occasionem enim nacta, Sfortiam eximit carcere, Jacobum in eam arcem, in qua delituerat ipsa, compulsum obsidet, ac navi profugere in Franciam cogit. Pollicita deinde Pontifici duces subsidiaque, adversus ditionis Ecclesiasticæ invasores, eo autore, coronatur, Alfonsumque Tarraconensium regem novum, veterem Siciliæ Dominum, adoptat. Verum cum minus promissa impleret Martino, Ludovicus ab eo Andegavensis, secundi Ludovici filius, rex appellatur, qui protinus Calabriam nulla contentione obtinuit. Aquilam urbem pro Alfonso obsidentem Brachium, Sfortia junior interimit prælio, Senior enim Aterni fluundis perierat.

P. Æmil. lib. 10. Blond. lib. 21.

Barth. Facius de gestis Alfonsi 1. lib. 1. 2. Plat. in Martino V. Blond. lib. 22.

Idemque juvenis Perusiam, Tudertum, Assisium, ad Martini obsequia reduxit. Ibi vero indignatus Alfonsus, non sibi concedi, quod æmulo, missis ad Senense concilium Oratoribus, postulat causam Benedicti cognosci, qui superstes adhuc Panoscholæ sedebat, haud obscuro Aragonum, Scotorum & Armeniacorum studio. Ea tantæ rei mentio absterruit Pontificem, ut velut renascente schismate, ne quid denegaret Alfonso. Continuo Alfonsus gratiam retulit. Benedicto enim sub idem tempus mortuo, duo ejus Cardinales delegerant Ægidium Barchinonensem Canonicum, eum Clementem VIII appellantes. Et viri & loca in ditione Tarraconensis erant. Missus ergo Alfonsus Borgia, qui postea Callistus V fuit, Panoscholam, pervicit, ut Ægidius nomine pontificio cederet, Balearium Episcope accepta. Is finis L annorum schismatis certus, uno jam certo Pontifice.

Æmil. lib. 10.

Ex eo tempore parum sancta societas regni inter matrem Joannam, vario mutabilique ingenio, & filium Alfonsum, non genitum, sed assumptum. Accedebant factiones, altera Tarraconensium, altera Andegavensium. Tandem regina, ut ingrati animi Alfonsum abdi-

Barth. Facius de gestis Alfonsi 1. lib. 3.

P. Æmil. lib. 10. cat, Andegavensem adoptat. Tarraconensis classe advolans Massiliam, repentino adventu captam diripuit.

Ludovicus secundus, qui socer Delphini foret, & patruelis regis, tantum apud Gallos poterat, ut omnia ejus consilio agerentur, nec ejus Francos pœniteret. Ejus morte mala Franciæ, quæ interquieverant, recruduêre. Armeniacus, magister equitum, avaritiæ & impotentiæ flagrabat invidia, è templis pecuniam ab regina depositam abripuerat. Regina Burgundionem evocat, prædicantem se afferre malis Franciæ levamentum. Facile receptus, quod Anglus, Cadomo expugnato, Rotomagum obsideret, Parisiis etiam proditione potitur, regemque & aulam omnem sui arbitrii facit, ægre Delphino elapso. Armeniacus per tumultum occisus.

Chron. Belg. 1418. Cum nullus videretur malorum futurus finis, nisi morte Burgundionis, evocatus velut ad colloquium Delphini, trucidatur. Ita cædes Aurelianensis cæde autoris piata. Philippus occisi ducis filius, acerrimus necis paternæ ultor exstitit.

Cum Anglo Rotomagi jam potito fœdus icit, urbem regiam, Carnutes, Tricasses, regem, reginam, Catharinam Virginem, quæ omnia in potestate patris fuerant, ei incruenta victoria, nullo negotio tradit, anno ejus seculi duodevicesimo. *Tam atrox telum indignatio præbet.* Catharina, patre Carolo, qui nec sui, nec regni, nec mentis potens foret, nihil detrectante, nubit Henrico, his legibus, ut rex gener, si socero regi superstes foret, liberive ex Catharina procreati, in regnum Franciæ succederent: interea rem Francicam administraret Anglus, rectorque Franciæ diceretur. Eo nomine bellum gerens, adjuvante Burgundo, Senones, Meledunum, Meldas cepit. Frater ejus in Andibus impetu multorum in se ruentium cecidit. Henricus ad nuncium occisi germani, relicta domi Catharina, & ex ea filio bimulo Henrico sexto, in continentem rediit, spe Franciam debellandi, anno ejus ævi XXI. Sed *An. 1421.* insequens fuit ejus vitæ postremus. Tres & quinquaginta dies illi superstes rex Carolus VI fuit. Catharina vidua Ovino Tedertho Vallio nupsit, ex quo Edmundus, Henrici VII, postea Anglorum regis, pater ortus est.

Annum primum & vicesimum agebat *Æmil. lib. 10.* Carolus VII, Sexti filius, cum allata morte patris, majore conatu res gerere constituit, *ratus in primordio regii nominis à se suscepti positum esse, qualis apud suos majestas, apud hostes terror, an contemptus imperii sui foret.* Aderant egregii bellatores, ex his civitatibus, quas integras ab Anglis sua vel virtus fidesve, vel fortuna servarat. Ad Crepantum duo millia Francorum desiderata, oppidum amissum. Mansit tamen animus, adversis obluctandum visum. Hostes in Normanniam vim pecorum ingentem abigentes, præda exuit Carolus. Fani Michaëlis obsidionem solvit. Variante belli fortuna, ad Vernolium novam accepit cladem: Ligerim usque Anglorum pervenit imperium. Carolum Biturigum regem per ludibrium vocitabant. Aurelianensium fides eo bello enituit, qui suburbia sua æquarunt solo, obsidionem Saleberiensis Comitis fortiter sustinuere. Ingravescente fame, Burgundo se credere parabant. Id Saleberiensis aspernatus, minime dixit convenire, *cum ipse plagas feris tetenderit, capturam alteri cedere.* Clementius responsum reddi poterat nobilissimo duci, quod cum tantum belli superesset, segniorem eum non efficeret. Eamque ferociam etiam eventus damnavit. Comes enim è mœnibus tormento ictus, biduo post decessit.

Jam Deus ipse Franciam respiciebat. Joanna puella Lotharinga sub patre pascere oves solita, ad regem ducitur, prædicans se Anglos Francia exacturam. Mirabundo rege, multiplici percontatione procerum versata, semper sibi constitit, nullumque ei verbum nisi pudicum sanctumque fertur excidisse.

Mili-

Militari ergo habitu muliercula, accepto ab rege exercitu & ducibus, clausis jam
P. Æmil. lib. 10. Chron. Belg. septimum mensem Aurelianensibus, auxilia commeatusque intulit, crebrisque eruptionibus obsidionem solvit. Anglum deinde levibus præliis, sed quæ in summam universæ rei spem proficerent, fatigavit. Ad tria hostium millia in Belsia cæsa, anno ejus seculi undetricesimo,
1429. quo Burgundus Isabellam, Joannis Lusitani filiam, duxit. Nec fortunæ se offerenti defuit Carolus: autore ac duce puella, Rhemos ad suscipienda regni insignia profectus est. Coronatus sacratusque ad urbem Parisiorum duxit copias Betfortus Anglus dux, diligentia virtuteque nullum locum, omnia attentanti hosti opportunum, reliquum fecit. Puella vulnerata reduxit copias, obsesso Compendio opem latura. Irrupit sane in urbem, sed eruptione deinde infausta in potestatem Anglorum venit, à quibus, fassa se spiritu agi familiari, ut superstitionis & diabolici rea consortii, crematur. Obsidione tamen exemptum Compendium, Meledunum, Corvolium, aliaque oppida recepta.

Chron. Belg. In Belgico sub hæc, interquiescente tandem post varia bella Guilelmi Hollandi fratre, Leodiensium designato Episcopo, Jacoba Guilelmi filia nupserat Joanni, Antonii filio, duci Lotharingiæ, Brabantiæ, & Limburgi, qui anno
Huitf. 1429. part. 3. Chron. Chytr. Sax. Chron. 1419. xxvi hujus ævi Lovanienſem excitavit Academiam, quemadmodum Ericus Danorum rex anno decimo octavo Hafnienſem, & Joannes Albertusque Megapolitani cum Senatu urbis, Rostochiensem condiderant, eodem Martino Pontifice tribus Academiis privilegia indulgente; Sed demto eisdem Theologorum collegio, quod successores demum addidere. Sed cum Brabantinus minus extolleret factionem Houxensium, quæ Joanni, provinciarum Hollandiæ, Selandiæ, Frisiæ, tutori adversabatur, abstractam à toro ejus Jacobam tradiderunt Humfrido Gloceſtrio, Angli regis Henrici V. fratri. Sed eum Hannonia Joannes Brabantus expulit, exstinctoque tutore æmulo, ut legitimus Jacobæ maritus, Hollandiam occupavit, anno supra mil- 1424.
lesimum quadringentesimum vicesimo quarto. Triennio ante infra Dordracum LXXII parochiæ aquarum diluvio absorptæ. Triennio post in Catalonia concidere XXI civitates, ad montem Pessu- 1421.
lanum Tertona terræ motu in voraginem hausta. Erat mater Jacobæ nupta Philippo Burgundo, eidemque Flandrorum Comiti. Is à factione Cabeljavienſi invitatus, domitis bello Anglis, Hollandiam sibi subegit. Jacoba comes renunciare etiam Selandiæ Frisiæque coacta, dedit se tandem amplexibus Franconis, Dynastæ Borselii, quem Oster- 1427.
vandiæ Comitem Philippus designavit. 1467.
Cumque tricesimo hujus seculi anno sine prole decessisset Philippus, Joannis Brabantini frater, Lotharingia quoque & Brabantia & Limburgum in ditionem Burgundi concessere, qui exinde maximis par regibus, Burgundiam, Lotharingiam, Brabantiam, Limburgum, Lucenburgum, Flandriam, Artesiam, Hannoniam, Hollandiam, Selandiam, Frisiam, usque ad annum MCCCCLXVII mediocri in pace tenuit, & Carolo Burgundo, unico filio transmisit, ordine aurei Velleris equitum condito, in quem XXIV Heroës adscivit.

At vero tricesimo secundo hujusce seculi anno Angli, ut majestatem partibus in Francia suis conciliarent, Henricum sextum, quinti è Catharina Franca filium, in Galliam evocant, qui annum duodecimum agens, Lutetiæ coronatur. Carolus interim Carnutes arte cujusdam aurigæ, in porta pisces donantis excubitoribus, recipit, rerumque secundarum cursui, nihil consiliis Anglorum territus, insistit, præsertim quod Philippus minus jam acer Anglicarum defensor partium, propiora respiciebat. Verum enim vero universa Gallia diuturni *Chron.*
belli mala sentiebat. Vastitas in agris, *Belg.*
in urbibus inopia; *armorum cædisque assuetudine mortalium animi efferabantur.*

Multi

Multi igitur ad Burgundionem ſe contulere, ne bonis univerſis ab Anglo exuerentur, dederuntque operam, ut deflagrante Ducis ira, ac odiis cruore vaſtitaque exſatiatis, in Atrebatibus de pace ageretur. Conventum anno xxxv. Sed Anglo regni Franciæ æmulo, ſatisfieri haud potuit. Burgundus Matiſcone, Fano Gengonis, Altiſſiodoro, aliiſque datis oppidis, placatus. Ita indignatio, quæ ſumta Anglos Franciæ Dominos impoſuerat, eadem depoſita externum brevi dominatum diſcuſſit. Lutetia ſtatim animos ſuſtulit, Angloſque ejecit urbe. Burgundio Francis opem tulit. Mox, pars curarum bellum in Italicum, Neapolitanaſque res verſa.

Blond. dec. 3. P. Æmil. lib. 10.

Ludovicus enim tertius Andegavenſis deceſſerat. Joanna ejus per adoptionem mater, annum ei ſuperſtes fuerat. Ferdinandus Alfonſi frater, Ludovici æmuli, in Sicilia degebat, vetere jam Tarraconenſium regno. Joanna teſtamento, ſeu vero, ſeu ſuppoſititio, Renatum hæredem ſcripſerat, fratrem Ludovici. Is à Burgundo captus bello Lotharingico, quod nondum perſolviſſet lytron, tardior aderat. Iſabella uxor ejus claſſem militemque paravit. Alfonſus expeditior, Cajetam terra marique obſidebat. In ea urbe Genuenſes magnam habebant fortunarum ſuarum partem, profeſſique jam partes Andegavenſium, pervicerunt apud Philippum Mediolanenſem Ducem, in cujus tum fide Genua erat, præſidium Cajetam terreſtre mitteret, ipſi claſſem adornarunt. Alfonſus contra è Sicilia Hiſpaniaque milites, & nobilitatem imprimis regiam, excivit. Inter Cajetam & Pontias navali prælio concurſum. Ibi ſingulare Genuenſium ſtratagema eluxit. Calcem vivam effudere in hoſticas naves, ut velut denſa nube oculis offuſa, declinare ictus nequirent. Alfonſus cum duobus fratribus, & præcipua nobilitate captus. Blaſius Agereus, non genere, ſed virtute nobiliſſimus, Genuenſium dux, reges & trecentos ampliſſimis familiis ortos, Mediolanum ad Philippum duxit. Ille rara moderatione magnificentiſſime exceptos captivos, cum muneribus dimiſit, *ratus nullum imperio ſuo firmamentum, quam tantorum regum procerumque benevolentiam fore.* Renatus, redempta Caſleti traditione libertate, cum Genuenſibus firmavit amicitiam, infenſis jam Philippo, quod ſudore ac periculo alieno partam victoriam, in propriam gratiam gloriamque vertiſſet, eaque de cauſa in libertatem ſuam reſpectantibus, deſerto Mediolanenſi. Itaque ſua & Genuenſium claſſe Neapolin Renatus tenet, rex ſalutatur, res gerere incipit.

Plat. in Eugenio. Laon. Chalc. l. 5.

Blond. lib. 27. Thom. Fazell. l. 19. de rebus Siculis d. 3.

1435. *Barth. Facius de geſtis Alf. 1. l. 4. & 5.*

Facius lib. 6.

Blond. lib. 18.

Dum hæc in Italia Galliaque geruntur, majores Bohemiam motus agitarunt. Cœperat ibi ſtatim populus, ob indigniſſimam Joannis & Hieronymi necem, tumultuari. Venceſlaus rex aliquot templa Huſſitis conceſſerat; plura petentibus dira minabatur, Sigiſmundi fratris opem implorabat, vetuerat dominicam Cœnam ſolenni ab eis pompa agi. Illi impediti à Pragenſibus, conſulum pleroſque mactant. Venceſlaus ex ira paralyſi correptus, ſignatis eorum nominibus, quos neci deſtinaverat, interiit, ætatis anno LVII. Joannes Troſnovius, qui & Ziſca, id eſt, Cœcus, quod ſtrenue olim pugnans oculum amiſerat, dux ab Huſſitis lectus, ſimulacra ſanctorum & imagines perfregit, monachos, qui velut ſues in clauſtris ſaginarentur, migrare alio juſſit. Brevi ſupra XL hominum millia contraxit, qui Sigiſmundum, ut Sanctorum interfectorem deteſtati, Pilſanam & Vicegradum occuparunt, & pontem Muldaviæ fluv. impoſitum Pragæ. Interceſſerunt induciæ, reſtituerunt occupata Huſſitæ: Sed audito, Vratiſlavienſes quoſdam à Sigiſmundo ſecuri percuſſos, manifeſto deſcivere. Invaſus apud Auſcam Ziſca, projicere mulieres in terram pepla juſſit, quibus implicati per calcaria equites prius exſtincti ſunt, quam pedes expedire valerent. Prope Auſcam munivit locum, cui Thabor nomen indidit, ex quo erumpens, Nicolao Sigiſ-

Æneas Sylv. c. 36. & c. Cuſpin. in Sigiſm.

An. 1419. Chron. Citiz.

Sylv. c. 40. 41.

Sigiſmundi duci mille ademit equos, equitibus interemptis: exinde equeſtri etiam pugna certaturus. Confluxerant eodem tempore, qui Adamitæ vocabantur, promiſcuo concubitu utentes. Ut quiſque libidine in aliquam exarſerat, in hanc, inquit, ſpiritus meus concaluit. Cui princeps: Ite, reſpondit, & replete terram. Hoſce omnes Ziſca gladio delevit.

Sigiſmundus interea convocatis Sileſiæ ducibus, Grætziam, exinde Cuthnam, infeſto exercitu petit. Ziſca à Pragenſibus accitus, tenebat urbem, arcem obſidebat. Sigiſmundus, illato in eam commeatu, regni coronam accepit de Conradi Archiepiſcopi manu, qui poſtea Huſſi dogma amplexus. Albicus enim, qui familiam edentem ferre non potuerat, dignitate ſe abdicarat. Ziſca de conſilio ſuorum omnes baſilicas delere adorſus eſt, quæ hominibus eſſent dedicatæ. Neque enim fas dicebant, alteri, quam ſoli Deo, templa ſacrari. Inde oborto cum Pragenſibus diſſidio, abſceſſit, & Vicegradum expugnat. Martinus V. oblata peccatorum venia iis, qui adverſus Theaboritas & Orebitas militarent, permultos gladiis Huſſitarum mactandos miſit. Sigiſmundo Bohemia pulſo, Comitaviam cepit Ziſca, ad Rabum oppidum alterum, quo uno cœli lumen adhuc videbat, amiſit oculum. Jamque plane cæcus, Peronam, Brodam Teutonicam, Cuthnam expugnavit, nihiloque remiſſior, Imperatorem ipſum cum omnium Electorum copiis in fugam egit. Cuthnam illi recuperatam exuſſit, ob argenti fodinas, crumenam eam vocans Antichriſti. Hungarorum xv millia, Sigiſmundum ſecuta, fracta quam tranſibant glacie, undis hauſta interierunt.

Chron. Belg. Sylv. c.43.44.

Jamque ſubacta Bohemia, in Auſtriam excurrebat Ziſca. Sigiſmundus Moraviam Alberto genero ſuo, ne defenſore careret, dono dedit. Sed Ziſca eam Procopio commendavit, qui irritas Alberti molitiones effecit: Auſcam, Friderico Electori Miſnenſi donatam, interemtis novem pugnatorum millibus, eripuit. Pragenſes ob baſilicarum demolitionem rebellantes, prælioque fuſos, interventu Joannis Rochezanæ presbyteri, ad obſequium reduxit. Quamobrem Sigiſmundus omnia & ex ſententia cedere conſpicatus, gubernationem totius regni & militiæ præfecturam, cum ingenti vi auri annua ei obtulit, ſi in verba ſua adigeret civitates. *Supplex nimirum ſumma majeſtas facta homini ſeni, cæco, haud admodum nobili, ad infamiam imperii, adverſus innocentes exerciti, ſempiternam.* Sed Ziſcam conventa impleturum, peſtis exſtinxit. Aiunt, priuſquam decederet, juſſiſſe è pelle ſua tympanum fieri, arrepturos fugam hoſtes, quam primum ejus ſonitum audiviſſent. Eo mortuo, diviſi Huſſitæ, quidam orphanos ſe ob amiſſum ducem dixere; alii Procopium aſſumſere ductorem. Sileſiam Moraviamque aſſidue populabantur. Retium Auſtriæ caput diripuere. Nemo impetum virorum ſuſtinebat.

Sylvius c.46.47. 48. Bapt. Fulgoſ. l.3.

Ergo Martinus Pontifex, miſſo Cardinale Vintonienſi, vicinas gentes in arma excivit, tres conflavit exercitus. Unus erat Saxonum & Civitatum, quas Hanſeaticas appellant. Alter Francorum, duce Brandeburgico. Tertius Bavarorum, Rhenenſium & Suevorum, duce Trevirenſi. Juncti, caſtra ad Miſnam urbem ponunt, ſed quum Bohemi, collecto raptim milite, in eos properare nunciarentur, non viſum hoſtem fugientes, gravi clade ſunt multati.

Machinis bellicis, impedimentiſque omnibus potiti Bohemi, divitem exercitum reduxere. Hinc Juliano Cardinale autore, Noribergæ nova decernitur expeditio. XL millia equitum in Bohemos, plurimi pedites ducti, rectore Friderico Brandeburgico. Villæ oppidaque crudeliter habita. Mox iterum ſubitus pavor caſtra invaſit, & priuſquam Bohemus in conſpectum ſe daret, fœdiſſima cœpta fuga, ut abjectis armis ſalus quæreretur; Luſatia, Miſnia, Franconia, Noricum, direptionibus Bohemorum patuere.

Georg. Fabric. Orig. Sax. l.7. An. 1429. 1430. Chron. Citiz.

Interea appetente tempore concilii Basilienſis, Julianus illud Cardinalis
An. 1431. Martini juſſu inchoavit, anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo. Ad id blandiſſime invitati, & à Cæſare, & patribus Bohemi, venerunt cum trecentis equitibus, ducibus Procopio, Guilelmo Coſta, Joanne Rochezana, Petro Anglico. L diebus cauſa eorum
Plat. in Mart. & Eugen. acta. Martinus ſub id V. deceſſit, apoplexia ictus, qui viris doctis commiſiſſe Eccleſias, & laboraſſe in reparanda Roma fertur, cumulandis theſauris intentior. Ejus ſucceſſor Gabriel Condelmerius Venetus, Eugenii IV. vocabulum adſcivit. Cum primum ageret Senatum Cardinalium, obtritus eſt Senogalliæ Epiſcopus.
Cuſpin. Blondus lib. 24. Anton. p. 3. t. 22. cap 10. Inde in Columnios ſævitum, quod fama ferret, immenſos iis theſauros à Martino derelictos. Qui adductum venerant, vi uſi, miſerabilem in urbe tumultum excitarunt. Ne diutius dimicaretur, effecit Sigiſmundi metus, qui tunc in Italiam venerat, diadema accepturus, & Florentinos Venetoſque, iterum cum Philippo Mediolanenſi atrociter bellantes, redacturus in ordinem. Impedire
1432. quidem nixus Eugenius iter Cæſaris, miſſo Nicolao Tollentino, qui Arnum flumen inſideret: Sed dum Tollentinus Senenſes vexaret, Cæſar amnem trajecit, Romamque profectus, diadema ſumſit, multis de more in equeſtrem ordinem in ponte Adriani adſcitis, Mantuanum Gonzagam creavit Marchionem. Eo digreſſo, Mediolanenſis cum Venetis transegit.
Blond. l. 25 26. Plat. in Eugenio. Mox in Eugenium ira vertit. Is Nicolaum Fortebrachium, ducem ingenio & manu promptum, ſtipendio privaverat. Ob id à Mediolanenſi & Sfortia nactus copias, tam celeriter Romam occupavit, ut vix conſilii capiendi otium Eugenio relinqueret. Romani damnis affecti graviſſimis, fugientem mutato habitu
Æneas Syl. in ſtatu Europæ cap. 53. Pontificem, lapidibus & ſagittis petiere, magiſtratus ab ipſo creatos expulerunt urbe: Solus arcis præfectus, quum veluti caſtrum traditurus Riccius quidam, potentiores ad ſe pellexiſſet, & in carcerem miſiſſet, urbem ad obſequium Pontificis retraxit. Novem tamen annis Eugenius ab Eccleſia ſua abfuit. Bohemos quoque interim invaſit diſſidium. Mainardus vir nobilis, Procopii æmulus, Alſcionem quendam præfecit genti, Thaboritæ & Orphani Procopio adhærebant, Synodum aſpernanti. Certamine prope Pragam inito, Procopius non tam victus, quam vincendo feſſus, telo in incertum miſſo, transfoditur. Coapcho valida cum manu Coloniæ ſe incluſit. Mainardus, ſimulatus ſe captivis, qui militare cuperent, adverſus Coapchonem velle uti; in horreum quoddam congregatos immaniter combuſſit. Id eo tempore actum, quum Basilienſes in Eugenium cœpiſſent ipſum inſurgere, quod concilii veritus judicium liberi, Bononiam illud transferre moliretur. Denunciabant Eugenio, niſi Basi-
P. Æmil. lib. 10. leam ſe conferret, conſtituturos ſe in illum, quod in deſertores ſacræ cauſæ decerni conveniat. Compulſus Pontifex Juljanum legatum confirmare, cum non aſſentiretur Synodo, nec ſui copiam ipſe faceret, ægrè placavit per Sigiſmundum patres, ne clavium ſibi jus abrogaretur. Inde cum Ratiſponam veniſſet Sigiſmundus, probavit acta & conventa in Synodo
Æneas Sylv. Hiſt. Bohem. c. 52. 53. Cuſpin. in Sigiſ. de ſacro calice Bohemis concedendo: profectuſque Budam, proceres Bohemorum muneribus delinivit, Eccleſiarum prædia occupatoribus reliquit, Rochezanæ Pragenſem promiſit Archiepiſcopen; qui obedientiam concilio pollicitus. Ea lege Pragæ ſummis Cæſar honoribus excipitur; qui Thaboritis permiſit ſuis moribus quinquennio uti. Quod dum mutare poſtea, & monachos reducere cœpit, Rochezanæ & ſociis denuo accendit bilem: Sed majores turbas morte interrupit. Æger comperit Barbaram Auguſtam, adulteriis aſſuetam, novum agitare cum Caſimiro, Ladiſlai Poloni filio, matrimonium, ut regna ſibi retineret. Itaque Albertum generum commendavit proceribus, uxorem in vincula dedit. Sic clauſit vitam Znoimæ, anno vitæ LXX, im-

LXX, imperii XXVII. Doctos fovit, licet humiles natos, *anteſtare eos natura aliis affirmans, qui ingeniis pollerent. Divitias & munificentiam principum fato obtingere*, querenti de fortuna ſua miniſtro (ut erat facetus) optione duarum pyxidum monſtravit, quarum alteram auro, alteram plumbo impleverat. Querulus enim iſte plumbo plenam delegit. Sæpiſſime in adulterio deprehenſæ Barbaræ, adulter ipſe ignovit. Hæc in occidente.

Laonic. Chalc. l. 5. Annal. Turc.

Orientalibus plagis dominari occœperat Amurathes II, Mahumeto genitus. Adverſus eum Joannes Palæologus, juvenis Græcorum Auguſtus, ad regnum produxit Muſtapham, multum diſſuadente patre, qui *religionem fœderum temeranti nihil proſpere eventurum* diſſerebat. Sed Joannes Callipolin recipere cupidus, quam Muſtaphes offerebat, expugnata ea, Adrianopolin verſus duxit exercitum. Turcæ Europæi Muſtapham, ut Bajazetis filium, regem ſalutarunt, qui Adrianopoli potitus, in Aſiam tranſportavit copias, ſectante eum & Zunaita Smyrnenſium duce, multiſque aliis Amurathi infeſtis. Sed hi, cum à Mahumete Bego blandiſſime compellarentur, parum fidentes fortunæ Muſtaphæ, quiſque ad ſua refugere. Muſtaphas deſertus, in Europam quam celerrime revolavit. Græcus Imperator Joannes in Periconneſo interim amoribus dabat operam, quum Amurathem, quem ſtolide laceſſierat, Europa arcere debuiſſet. Amurathes caſtra hoſtium ingreſſus, pedites, qui remanſerant, occidit, conductaque Genuenſi nave quantolibet pretio, exercitum tranſportat in Europam. Muſtaphas ex arbuſto quodam extractus, laqueo eliſis faucibus, pependit de muris Adrianopolis, anno tyrannidis tertio.

Sic de facili utraque potitus continente Amurathes, rex ſalutatur. Mox impetum in Byzantinos vertit, qui inimicum non juviſſent tantum, ſed & è latebris eduxiſſent initio. Obſeſſa magna vi Conſtantinopolis, haud minori defenditur. Tormentis æneis (bombardas vocari diximus) certatum horribiliter, recentibus etiam tum apud Græcos & Turcas hiſce machinis. Amurathes re infecta diſcedere coactus. Cum pacem à Græcis oblatam averſaretur, novum illi hoſtem Joannes excitavit. Laonicus filium Amurathis, Turcæ fratrem fuiſſe aſſerit. Eum Niceæ potitum, educator prodidit Amurathi, à quo præfocatus laqueo eſt. Græcis exinde major afflictio orta. Direpta à Turcis Valachia, quæ defecerat, Smyrnenſis princeps ditione ſua pulſus. Græci Theſſalonicam, urbem nulli ſecundam, Venetis vendidere, rati eam facilius defendi ab Latinis poſſe. Sed opinio eos fefellit. Amurathes divinitus ſe motum profeſſus, in eam maxima vi irruit, expugnatamque proditione, exhauſit incolis. Cives paſſim venditi per Aſiam & Europam trahebantur, præſidium Venetum claſſe evaſit. Ætolia eandem fortunam ſubiit. Græcis ea lege pax data, ut Iſthmi munitiones deſtruerent, nec quicquam deinceps novæ rei molirentur. Cum Albanis deinde vario marte pugnatum: Sed ad extremum victi manus dedere. Cares, Piſidæ, Caramanni, imperata fecere; filii principum merere apud Amurathem juſſi, qui exſtructo ingenti apud Adrianopolin templo, Mahumetem filium maxima ſolennitate circumcidit.

Annal. Turcic. Laon. l. 5. Georg. Protov. l. 1. c. 32. & l. 2. cap. 9.

An. 1441. Hiſt. Turcograc. lib. 1.

Dicenda & ſeptentrionis geſta. Apud Danos Margareta Herois clauſerat anno 1412. vitam, quum à pactis Sleſvigæ induciis ad ſuos navi remearet. Corpus ejus à Roſchildenſibus ablatum Sorano monaſterio, & ſequenti anno Roſchildiæ conditum. Regina tantum Danis ſuis laudata, quantum vituperata Suecis.

Albert. Krantz. Daniæ lib. 8. Chron. Hamb. & Holſ. Huitf. part. 3. Chron. Ericus Upſal. Hiſt. l. 5.

Ericus exinde VIII, primus Danorum rex advena, Holſatis Sleſvicenſem abjudicat ducatum, prætexens, intra vertentem eos annum feudum haud petiiſſe, inſuperque Danis bellum excitaſſe. Exſtruit arces ad Sliam & Træam flumina; quibus conſervare ditiones iſtas

Chron. Holſ p.3. regno ſuo poſſit. Ea uſi occaſione Dithmarſi, Eidoroſtadios populationibus vexant, & pro arbitrio pecuniis multant, cauſati ſuorum aliquos ſuſpendio ibi per-
An.1416. iiſſe innoxios. Holſati Freſenburgum
1417. & Tunderam, Femeriamque inſulam occupant. Ericus, coactis à Dania, Suecia, Norvegiaque, centum millibus armatorum Sleſvicum expugnat, Gottorpium arcem obſidet. Sed audito, Hamburgenſes Dithmarſoſque Holſatis ſuppetias feſtinare, ſolvit obſidionem intempeſtive: hoſtibus ſpatium ſemet colligendi præbet, qui à Brunſvicenſibus & Lunæburgicis adjuti (hi duces avunculi erant Comitum Holſatorum) Sleſvicum recepere, arces Danorum æquarunt ſolo. Ericus contra Femariam invadit, ubi ma-
Chron. Citiz. gna incolarum ſtrages edita. Fœdus cum Hanſeaticis civitatibus jungit anno ejus
An.1423. ſeculi XXIII. quo & Albertus Saxo, ex
1424. Anhaldina familia elector ultimus, deceſſit, jus ſuffragii ad Fridericum Miſnenſem cum Saxoniæ parte delatum. Sequenti anno Sigiſmundus arbiter lectus, Sleſvicenſes ditiones Erico addixit. Holſati Pontificem appellarunt. Rex, ſumpto peregrinatoris habitu, inviſit Hie-
Welf. Lacius de gent. migrat. l.9. Krantz. lib.8. c.1.6.12. roſolymam, haud ſine periculo. Depictus enim antea, agnituſque ex imagine, clam in Palæſtinam præmiſſo, multo ſe auro redemit à Barbaris. Nihil ex ea peregrinatione melior, monetam domi corrupit, Sleſvigam denuo obſedit fruſtra. Civitatum, quæ jam alio ſpectare cœperant, apparatus eum exterruere. Henricus Comitum natu maximus, dum Flensburgum incautius oppugnat, haſta confoditur: Adolfus ei frater ſuccedit,
1427. ex inimico deinceps amiciſſimus Danis factus. At Civitatibus haud impune violatio fœderis ſtetit, XXX naves navali prælio amiſere. Rex miſſis ad populos literis, quibus perfidiæ ſenatores urbium accuſabat, perfecit, ut Roſtochii, Viſmariæ, Lubecæ, & alibi, multi primores necarentur. Hinc variis tractatibus lis verſata, quod Cæſarem, ut regis conſobrinum, non paterentur judicem Holſati & Civitates. Tentata ab Holſata claſſe Hafnia, à Danica Straleſunda, irrito utrinque conatu. Philippa regina, Henrico IV genita Anglorum rege, mœrore rei, ad Straleſundam ſuo auſpicio infeliciter geſtæ, Vadſteinum ingreſſa 1430.
cœnobium, ſine prole deceſſit. Roſtochium & Straleſunda, adſpectu damni, è ſublatis trium regnorum commerciis pullulantis, Erico reconciliatæ. Reliquæ urbes biennio poſt inducias amplexæ. Interea expugnato ab Holſatis Flensburgo, Comites Adolfus & Gerhardus inteſtino vexantur diſſidio. Adolfus Gerhardum fratrem coëgit abdicare conjugem Annam Badenſem, quod ſeptimo poſt nuptias menſe gemellos peperiſſet, quantumvis & Medici & obſtetrices, id negarent infamiæ cuiquam eſſe. Gerhardus proſecutus uxorem, in itinere exſtinguitur. Adolfus ex eo ſolus Holſatiæ potitus, ſobolem, è conjuge Mansfeldia nullam tulit. Verum ſurgente in Suecia adverſus Ericum tumultu, quod ſub regiæ exactionis umbra, ſua quidam marſupia implerent, neque rex Engelberto auſcultaret, afflictorum cauſam agenti, neceſſitas ei imponitur, cum Holſatis & Vandalicis urbibus tranſigendi. Permittitur Adolfo Auſtralis Jutiæ ducatus, Civitatibus priſca libertas negotiationum redditur. Sic externum tricennale bellum finitum. Graviora confeſtim domeſtica exorta, quod Suecicæ turbæ Daniam quoque invitare in perniciem videbantur. Itaque Ericus cedendi ſecreto ſumſit conſilium. Ubi enotuit, regem Gedanum enavigaſſe, parati mox ad eum revocandum nuncii. Reverſus, Bugiſlaum Pomeranum, patruelem ſuum, poſtulat aut regem, aut, dum id nollent Dani, adjutorem regnorum inſtitui. Traditæ illi arces aliquot. Sueci interim ſe proditionis invicem arguunt: Alii per tumultum, alii quaſi per ſententiam capite puniuntur. Cæſus mactator Engelberti Olaus Bentzius; Chriſtianus Nicolai prætor regni, & Magiſter equitum Carolus Canuti omnem ad ſe Sue-

Chron. Hamb. Hutf. Chron. part.3. Krantz. lib.8. Daniæ c.18.19. Ericus Upſ.l.5. 1435.

cam

cam vim traxere. Ericus rex Gothlandiam cum aliquanta suorum manu insedit, Rugiam Vratislao dedit Pomerano. Quibus rebus moti Dani, quodque reverti in regnum rogatus nollet, Christophorum III Bavarum, sorore ejus genitum, designant sibi regem. Ericus frustra scriptis excusationibus, trajecit in Pomeraniam, & in arce Rugenvaldensi consenuit, consumptus demum anno MCDLIX, inconstantis fortunæ exemplum. Floruerunt hac tempestate sacra eruditione celebres, Joannes Gerson, Thomas de Kempis, Joannes Capistranus, Alfonsus Tostatus Abulensis, Nicolaus Panormitanus, Antoninus Florentinus, Joannes de Turre cremata, Joannes Nider: Græca Latinaque, Laurentius Valla, Leonardus Aretinus, Georgius Trapezuntius, Ambrosius Camaldulensis. Blondus Flavius Forolivienſis Historiam Romanam condidit: Eugenio Pontifici à secretis fuit.

An. 1438.

Chron. Citiz. P. Langii.

ALBERTUS II.
AMURATHES II.

A. M. 5404. Christi 1438.

Albertus gener Sigismundi, paucis pene mensibus ex duce Austriæ dux Lucemburgensis, Marchio Moraviæ, rex Hungarorum, Bohemorum & Romanorum creatus, duobus tantum annis in summo rerum fastigio sedit, argumentum *rerum humanarum instabilitatis, quæ quo cujus in altum surgunt, eo facilius graviusque ad ima decidunt.* Caspar, Scliccius ad Bohemos missus Orator duplici nomine regnum ei deberi contenderat; tum quod matrimonio teneret Elisabetam, regio prognatam sanguine Bohemorum, tum quod priscum fœdus exstaret inter reges Bohemos & duces Austriacos, ut deficientibus in altera domo masculis hæredibus, altera acciperet regnum. Hungari, qui priores eum regem dixerant, ægre assensum præbuere, ut rem Romanam susciperet gubernandam, causati, quod dum Sigismundus Italiam Germaniamque, & alias regiones peragrasset, Turcarum direptioni patuisset Pannonia. Fridericus Junior nepos Alberti, precibus evicit, ut eam domui Austriacæ accessionem fieri paterentur. Plus apud Bohemos negotii fuit, quorum aliqui proceres Casimirum, Poloni Ladislai fratrem ad regnum invitabant. Eorum partes roborabat Ptarsco Hussitarum caput, gnarus Albertum in Romanenses pronum, suis parum faventem & propitium fore. Itaque civitates, quas Hussitæ tenerent, impigre munivit, Georgii etiam Poggiebracii, regis postea Bohemorum, opera fideli usus. Thaboritis juncti Poloni, cum in prælium provocare Austriacos auderent, Alberti maxime Brandeburgici opera, cui XXX militum millia parebant, inferiores tulere. Fridericus Elector Saxonicus, dum properaret domum, pene victus in itinere à Bohemis, vicit fortitudine, plurimosque Hussitarum captivos abduxit. Hac suorum fortuna motus Ladislaus, populatis hostis agris, rediit domum. Cæsar relicto, qui Bohemiæ præesset, Vratislavienſibus Brandeburgicum Achillem (is Albertus erat) ducem præficit, qui late Poloniam deprædatus. Sed quum de pace actum venisset legatus Basilienſi è concilio, Cæsar è gradibus prolapsus, multis diebus decubuit, claudusque in Austriam revertitur. Ulricum Cilienſem jam regnum affectantem, subtractis stipendiis, datisque successoribus, Meinardo & Ulrico Roscnſi, omittere malignas spes coegit. Mox vocatur in Hungariam, cui extrema Amurathes minabatur, fugato jam Serviæ, quam Rasciam vocant, despota, contemtaque ritu Turcico affinitatis necessitudine. Nam Georgii despotæ filiam in matrimonio Amurathes habebat. Despota reliquerat filios duos, Sinderoviam oppidum defensuros: ipse ad Hungaros, quibus Belgradum antea tradiderat, certæ commutationis lege, profugus properam opem postulabat. Sed filii continua oppugnatione subacti, seque & urbem dediderunt. Hi cum postea

Æneas Sylv. Hist. Boh. c. 55. 56. Chron. Belg. Cuspi. in Alberto. Joan. Naucl. gen. 88.

Leonic. Chalc. lib. 10. Anton. Bonfin.

Annal. Turc. clam adjutare patrem dicerentur, hostilia agitantem, emasculati à tyranno exoculatique, documentum Turcicæ fidei fuere: Amurathes occupata omni Triballorum regione, Belgradum quoque Savo & Istro fluminibus circumfluum, omnibus copiis obsedit, jamque irruperat in urbem, quum præsidiarii & cives ingenti eum cæde repulerunt, solutaque obsidione, ut fugam circumspiceret, adegêre.

Albertus cognito eum abiisse, dimisso exercitu, Budam rediit. Sed insolito ferventis Augusti calore vexatus, peponum abusu, in ventris solutionem incidit, Viennamque repetiturus, decessit prope Strigonium in itinere, princeps liberalitate & fortitudine clarus, cum annus ageretur seculi quatuordecentesimi 1439. nonus & tricesimus. Vidua Elisabeta posthumum proximo vere Ladislaum edidit, coronamque Hungaricam occulte custoditam, quadrimestri ei infantulo imposuit.

P. Æmil. l. 10. P. Lang. Chron. Citiz. Joan. Nauc. gen. 48. Hartm. Schedel. fol. 243. Blond. lib. 28. Plat. in Eugenio. Georg. Phrant. l. 2. c. 13. 14. 15. Laonic. lib. 6. Blond. lib. 10. Matth. Palm. in Chr. An. 1419. Anton. p. 3. tit. 22. cap. 11. Hist. Turc. l. 1. Naucl.

Basilienses sub hæc concilium, ut Pontificatum, nimia tyrannide Ecclesiis insultantem, in ordinem cogeret, defugiente ejus judicium Eugenio, Pragmaticam sanctionem (ita vocabatur) edidit, è qua rex Francus Carolus VII publice mox jus dici imperavit. Per eam exspectationes & reservationes functionum spiritualium prorsus reprobatæ. Jure equidem Annatæ (id est, primi anni è quaque provincia reditus) interdictæ, simul quæ pro palliis, investituris, (inventa Romanensium sunt) consecrationibus, ordinibus exigebantur, recisa omnino. Præmetuit ærario suo Pontifex, Ferrariam se transferre Synodum pronunciat, prætexit Joannis Palæologi Græcorum Imperatoris adventum, qui dirimendis inter Græcos Latinosque controversiis, maximo comitatu adventaret. Sed eum tam Basilea poterat, quam Ferraria excipere, Basilienses imo Patres eum maximis sumptibus invitarant. Profectus Veneta classe Ferrariam venit, quod ibi Pontifex esset, exortaque mox peste, Florentiam itum. Alto in suggestu Eugenius; è regione Augustus sedit. Descenderunt Græci in sententiam nostram, Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere: quin & sedem Romanam Armenii principem agnovere, persuasi & purgatorium dari post hanc vitam, Ephesius Pontifex expugnari noluit, in persuasione pristina cum suis permansit.

Conjugio, quemadmodum consueverant Græci Sacerdotes, deinceps eis uti permissum, & pane fermentato in mysteriis, similiter utraque specie, Armeniis & Indis confirmationis quoque impositum Sacramentum. Basilienses discessu purpuratorum magis irritati quam territi, damnato Eugenii nomine, Amadeum Sabaudum Pontificem salutavere, Felicem V. nuncupantes. Id schisma decennium duravit, Germanis plerisque neutrum Papam probantibus. Autores habeo, sententiam Basilienses concilii, qua concilio subjiciebatur Papa, toto eo seculo maximis suffragatoribus & constantissimis esse defensam.

Joannes Marius schism. Chr. Citiz. Wernerus in Fasc.

FRIDERICUS III. Austriacus. A. M. 5410. Christi 1440.
AMURATHES II.
MAHUMETES II.
BAJAZETES II. TURCÆ.

ALberto Cæsare exstincto, patruelis ejus *Fridericus*, Ernesti filius, Leopoldi Austriaci nepos, Alberti (qui idem proavus Alberti II Cæsaris) pronepos, Francofurti Rex Romanorum designatur. Bohemia & Hungaria, quæ Imperatoris Alberti fuerant, alios reges accepere. Prægnantem reliquerat conjugem Albertus, Proceres Hungariæ, dubio adhuc partu reginæ, autores ei erant novi cum Ladislao Polono connubii, ut tori esset, quem & solii successorem Alberto destinarent. Visa initio annuere Elisabeta; quum masculam prolem edidisset, abnuit nuptias, quibus spes regni paterni filiolo demeretur. Polonus nihi-

Cusp. in Frid. III. & Austr. Joannes Naucl. gen. 49. P. Callimachi Experientis de pugna Varrensi lib. 1.

Æneas Sylv. Hiſt. Boh. c. 57. 58.

nihilominus Hungariæ potitus. Eliſabeta cum infante Ladiſlao ad Fridericum ſe recepit, qui & Auſtriæ tutelam, ut ſtirpis maximus, capeſſeret. Indè bellorum inter Hungaros & Auſtriacos ſeges. Bohemi partim pupillo, partim Alberto ſtudebant. *Regem à regendo dictum*, diſſerebat Ptarſco: *reges regno dari, non regna regibus: qui regendus ſit, eum regis titulo indignum.* Vicit hæc ſententia. Albertus ea virtute atque animi moderatione uſus eſt, quæ poſtquam reges eſſe cœpere, rariſſima ſemper fuit. *Noluit cum alterius injuria oblatum accipere regnum, paternam hæreditatem nulli, nedum pupillo*, dixit, *auferendam.* Ergo ad Fridericum itum, ab aliis tutela, ab aliquibus ipſum regnum ei delatum, cui id ex fœdere ut principum Auſtriæ vetuſtiſſimo deberetur. Negavit ille ſe orphani hæreditatem quoquo pacto invaſurum, gnaruſque inſuper, ſe tutelam, ſine profuſione maxima pecuniarum, retinere non poſſe, quod Bohemici Barones accipere potius ab regibus ſuis, quam dare eis conſueſſent, ſuaſit, ut per ſe ipſi provinciam regerent, quoad adoleſceret Ladiſlaus. Lecti gubernatores Ptarſco & Meinardus, concordi aliquantiſper diſcordia rem Bohemicam diſpoſuere. Huſſitis Ptarſconem, Pontificiis Meinardum colentibus, donec illo defuncto, & Meinardi gliſcente autoritate, Georgius Poggiebracius rector factus, Huſſitarum conſpiratione Pragam occupavit. Meinardus carceris tædio exſtinctus eſt.

Plat. in Eugenio IV.

Italia ſub hæc perpetuis bellorum incendiis urebatur. Philippus, Dux Mediolanenſis, Nicolai Picennini opera Venetos adeo premebat, ut à Florentinis Franciſcum Sforziam, multa ditionis Eccleſiaſticæ oppida tenentem, contentiſſimis precibus auxiliatorem poſcerent. Is validis cum copiis miſſus, aliquot ſecunda prælia fecit, Veronam etiam, expulſis Picennino & Mantuano, recepit. Eugenius Pontifex decem & octo Cardinalium creatione, inter quos duo Græci, Beſſarion Nicenus, & Iſidorus Rutenus, ſuas partes firmabat. Florentinos & Hetruriam ſuis copiis adverſus Picenninum tueri conabatur, minima felicitate, niſi in Sforziam reducturus exercitum Picenninus, dum iniquo loco prælium committeret, cladem magnam accepiſſet, ſignis etiam militaribus amiſſis.

Blond. lib. 11.

Blond. 30. & 31. Æneas Sylv. in ſtatu Europæ c. ult. Bart. Facius de geſtis Alf. l. 7. P. Æmil. l. 10.

In Apulia, poſt adventum Renati regis, exarſerant majori odio partes. Renatus fideli Genuenſium opera Neapolin defenderat. At Alfonſus Sinueſſæ, Fundorum, & Nolani principum, favori innixus, poſtquam Capuam, Cajetam, Acerras, & complura vetuſtæ Campaniæ oppida cepiſſet, Neapolin adeo afflixit, ut civibus pene deſtituta, tamen fame laboraret. Tandem transfugâ quodam ingreſſum occultum, ſubter muros per cloacam, oſtendente, urbem nocturno furto irrupit, eodem prope fato, quo tot ante ſeculis Belliſario recepta de Gothis fuerat. Renatus nulla ſpe defenſionis reliqua, incolumitatem ſibi ſuiſque diſceſſu pactus, in Franciam remigravit, anno ejus ſeculi altero & quadrageſimo. Potitum ergo regni Alfonſum Philippus rogat, quo Franciſcus à Venetis diſtraheretur. Sed ea re Sforzia ab inſtituto revocari non potuit, quin ultro Picenninum ad certamen provocaret. Poſt multum utrinque ſanguinem fuſum, pax componitur eodem anno, ut Franciſcus, Blanca Philippi filia ducta, Pontremolum & Cremonam dotem acciperet: reliqua utrinque capta iis redderentur, quorum ante id bellum fuiſſent. Fremebat ad eas conditiones Eugenius, quod Bononia, ſe poſthabito, in Picennini poteſtate permaneret. Romam ergo profectus, novum vectigal vino impoſitum ſuſtulit, audivitque: Vivat Eugenius, cum antea ſuccamaſſent: *Moriantur nova vectigalia, eorumque inventores.* Hinc Laterani concilium generale indixit, ut Baſilienſibus derogaret, memorque injuriarum, Picenninum ipſum accivit, bellique ducem in Picentes miſit, Florentinis incommoda allaturum, qui fruſtra reni-

1441.

Plat. in Eug. IV. Facius lib. 8.

Palm. An. 1443. Naucl. gen. 49.

Facius l. 6.

renitente Sfortia in ditionem Eccleſiæ redegit. Bononiam Bentivolus revocavit ad libertatem, Picenninum, dum eam punire nititur, dolor animi exſtinxit. Franciſcus ejus filius, præter opinionem omnium obſidere Cremonam cœpit, jubente Mediolanenſi: unde bellum Florentini Venetique reſumſere; occupatiſque paſſim oppidis, nil præter Cremam citra Abduam fl. Philippo eſt relictum. At Sfortia ab Eugenio ſimul & Alfonſo in Picentibus oppugnatus, qui rem Venetam augeri indignabantur, omiſſo denique Piceno, Philippi militiam ſequutus eſt, ejuſque copiis præficitur. Jam-
1446. que Florentinos adoriri ſtatuebat cum Alfonſo Eugenius, quum Pontificatus anno decimo ſexto, mors virum rapuit, in omni vita varium. Leonardum Aretinum, Carolum Poggium, Trapezuntium, Blondum, viros doctiſſimos ſecretis ſuis admiſerat, non una re peſſime meritus de Chriſtianiſmo. Nam & ſuperior omni eſſe concilio voluit, & Delfinum, Caroli regis Franciæ filium, compoſita prius inter regem & Burgundum pace, cum magno equitatu in Baſilienſes concitavit, cujus impetu diſſipatus ille conventus eſt. Viginti millia equitum, decem peditum, pauci numero Helvetii ſuſtinuerunt, ad extremum non tam victi, quam vincendo fatigati, victoriam lugubrem Gallis reliquere, inter raræ fortitudinis exempla numerandi.

Æmil. lib. 10. Sylv. de ſtatu Europæ c. 39. Nauci. gen. 49. Anton. Bonfin. d. 3. l. 6. Laon. Chalc. l. 6. & 7. Sylv. de Europæ ſtatu, c. 4. Petrus Gallim. de pugna Varnenſi lib. 2.

Gravius damnum Hungaris ejuſdem Pontificis perfidia attulit. Vladiſlaus Polonus Hungariæ rex, Joannis Hunniadis auſpicio rem ſtrenue adverſus Turcas geſſerat, Georgium Deſpotam reſtituerat in integrum. Amurathem felicibus præliis eo redegerat, ut pacem ipſius arbitrio faceret, Hungaris Serviam relinqueret Moldaviamque. Juratis utrinque decennii induciis, Amurathes in Ciliciam profectus, Caramannum principem punire cogitabat, Pontem Bithyniamque incurſantem. Dum ille ibi bellum trahit, Eugenius per Julianum Legatum Cardinalem inſtigat Vladiſlaum, ut violato jurejurando, quod minus è Rep. præſtitiſſet, novum Turcis bellum faciat. Morem gerit Vladiſlaus, in Myſiam progreditur. Amurathes compoſita facile Aſia, præpropere in Europam revertitur, claſſeque Italica, quæ Helleſponti aut Boſphori tranſitu eum arcere debuiſſet, metu aut perfidia quieſcente, Genuenſi etiam adjuvante transfretat. Itaque inopinatus ad Varnam oppi- *An. 1444.* dum ſupervenit Vladiſlao, jamque inclinata ſuorum acie (xxx enim Turcarum millia ceciderant) Deum, ut fama *Bonfin. l. 6. d. 3. Chron. Belg. Annal. Turc.* eſt, Chriſtianorum in ultionem perfidiæ implorans, ingenti eos clade ſternit, rege etiam ipſo & Juliano Cardinale interfectis. Turcæ eum ſui numinis petiiſſe opem ferunt, maximoque gaudio hanc victoriam celebraſſe, amoreque otii voluiſſe regni gubernationem Mahumeti relinquere filio: Sed Genizaros eum ad gubernacula retraxiſſe, filio amoto. Niſi Huniadis, qui cum decem millibus exceſſerat acie, & à Dracula Walacho captus ſe redemerat, virtute ſervata tunc eſſet Hungaria, haud difficile fuiſſet barbaris, eam tanta perculſam clade omnino ſubjugare. Sed Amurathes fugientes perſequi non auſus, nec exultare de victoria, *nollem* (inquit) *hoc modo ſæpius vincere.* Ita collectis ſarcinis, copias, quas prælium ſuperſtites reliquerat, domum remiſit. Eliſas utrinque vires aliquanti temporis otium ſequutum.

Georgius Phrantzes l. 2. c. 18.

Ladiſlaus inde, Alberti poſthumus, mortua & matre & æmulo Polono, rex ab Hungaris appellatur; poſtulatur à Friderico, ut eum in Hungariam dimittat coronandum. Reſponſum, recte egiſſe Hungaros, qui regem tandem ſuum recognoverint: ſed eum tutoris indigere, coronatione, quæ ſemel peracta ſit, nova opus haud fore. Irritati ob negatum regem Hungari, infeſtis copiis Auſtriam petunt, duce Huniade. Sed neque *Sabell. Enn. 20. lib. 6. Chron. Citiz. Naucl. An. 1440.* coronam ab Eliſabeta aſportatam, neque caſtella à Ladiſlai partibus præoccupata, neque ipſum obtinuere. Huniades gubernator regni Hungarici, Podiebracius

cius Bohemici permanſit, donec duodecimum Ladiſlaus annum expleviſſet.

Seb. Brant. Avent. l.7.p.512. An.1450.

Infelicitatem eorum temporum novum Typographicæ artis inventum parte aliqua reſarſit. Joannes Gutenbergius Argentinenſis, genere ingenioque nobilis, primum ſpecimen edidit. Joan. Fauſtus Moguntinus civis invenit, decennioque preſſam artem inter ſecreta habuit. Magnum certe ac divinum munus, de quo Poëta ejus ævi Teutonicus:

Polyd. Virg.l.1. de invent. rerum c.7. Matth. Palmer. Piſanus. 1457. Franc. Irenicus l.2.Exeg. Germ. cap.47. Guido Pancir. tit.12. Nov. repert. & Henric. Salmuth. in notis. Plat. in Nic.V. Sylv. in ſtatu Europæ,c.54. Naucl. gen.46. Anton. p.3.t.22. cap.12. 1447. Sylv. in Europæ ſtatu. cap.46. Matth. Palm. in Chron.

Nuper ab ingenio Rhenanæ gentis & arte,
Librorum emerſit copia larga nimis.
Et qui è divitibus vix regi obvenerat olim,
Nunc liber in tenui cernitur eſſe caſa.
Quæ doctos latuit Græcos, Italoſque peritos
Ars nova, Germano venit ab ingenio.

Et Aprutinus Epiſcopus: *Imprimit ille die, quantum non ſcribitur anno.*

Mox ſublectus etiam Eugenio Pontifex, qui doctrinæ gradibus ſubito ad id faſtigii evolavit, uno anno Epiſcopus, Cardinalis & Papa creatus, è Thoma Barzano Nicolaus V, librorum, & quæ ex iis petuntur, artium fautor inſignis & promotor. Cum pacem inter Philippum Mediolanenſium Ducem Venetoſque compoſitam cuperet, & bellum à deceſſore ſuo, Alfonſoque rege in Florentinos ac Senenſes meditatum, reſtinguere conaretur, legatus ejus Philippum apoplexia mortuum reperit, anno ejus ſeculi XLVII. Mediolanenſes, lacerato Philippi teſtamento, quo hæredem Alfonſum ſcripſerat, in libertatem ſemet aſſerunt. Ergo Venetis Laudam Placentiamque occupantibus, Franciſcus Sfortia, gener Philippi, à Mediolanenſibus obducitur, cui Ticinenſes confeſtim deditionem fecerunt. Placentia ab eo vi expugnata eſt, Alfonſus in Hetruria multa caſtella cepit. Sequenti biennio adeo ubique peſte laboratum, ut pauci de multis ſuperfuerint. Nihilominus bella invaleſcebant, Sfortia Venetos adeo premente, ut actum pene de iis videretur, niſi inter ipſum Sfortiam & Mediolanenſes ſimultas orta, tempeſtatem in Mediolanenſes convertiſſet. Etenim Veneti icto fœdere, ut quæ citra Abduam caperentur, ipſorum eſſent, Sfortiam ex hoſte ſocium ſibi fecere, qui brevi omnibus pene Mediolanenſium civitatibus potitus, majorem Venetis, quam prius pavorem incuſſit. A quibus ob id deſertus, oppugnatuſque inſuper ab Alfonſo, qui Mediolanum ſibi jure hæreditario deberi diceret, conſtantia ſua urbem Mediolanenſem tandem ſubegit, anno MCCCCLIX. Veneti Alfonſum, & Florentinos, ut Sfortiam ducatu pellerent, invitarunt, Nicolao contra pacem omnibus modis urgente, ut ſequenti anno quinquageſimo ad Jubilæum populis venire liberè liceret. Nam apud Fridericum jam effecerat, ut Sabaudum Pontificatu ſe cogeret abdicare, Felicemque ex æmulo Cardinalem & Germaniæ legatum crearat: Venientibus & in arbitrium Nicolai, quicunque à Felice purpuram erant conſequuti. Itaque autoritate major, animos principum aliquandiu repreſſit, magnaque celebritate Jubilæum egit. Tanta affluxit multitudo ſuperſtitioſorum illius ſeculi, ut occurſante forte mula in ponte Hadriani, ducenta hominum corpora mutua colliſione obtererentur. Sequenti anno munivit urbem Pontifex milite ſimul & turribus, quod venturum Fridericum intellexerat, tum coronæ, tum nuptiarum cauſa. Deſponderat enim ſibi Imperator Leonoram, Eduardi Luſitani filiam, Alfonſi Neapolitani agnatam, quam Senis offendit, jam ex Hiſpania advectam. Benedixit Nicolaus nuptiis, amboſque Auguſtalibus exornavit, anno LII. Antoninus, qui tum vixit, parum majeſtatis in Friderico deprehendit, neque libertatem, neque liberalitatem, imo nec ſapientiam quidem, quod ſemper quaſi per alium loqueretur. Cupiditatem ait apparuiſſe

Laon.l.6.

1450. *Anton. p.3.t.22. cap.12. parag.3. Matth. Palm. Barth. Facius l.6. de geſtis Alfonſ. lib.1.*

Anton. p.3.t.22. cap.12. parag.3. fol.178. Chron. Citiz.

multam, cum munera quæreret & acciperet libenter. Laudatur ſane in eo pacis ſtudium. Sed id cum ingenti orbis Chriſtiani incommodo conjunctum fuiſſe putatur. Sforția enim Mediolanenſium ducatum, aliique reguli alias imperii provincias decerpſerunt. Borſius Eſtenſis Mutinæ, & Regii dux creatus. *Naucl. gen.49.* Clivenſis dux & Antiſtes Colonienſis de *Æneas Sylv. de ſtatu Europæ c.24.26.* Suſatenſi territorio, Frid. Saxo Elector, fraterque ejus Guilelmus, de hæreditate armis contendebant. Apollonius Vicethumius autor erat triſtiſſimi certaminis inter fratres, quod maximo Thuringiæ & Miſniæ malo annis quinque continuatum, exilio demum inventoris *Sylv. cap.31.* eſt finitum. Albertus quoque Brandeburgicus, Teutonicus Achilles dictus, urbem Noricam & alias diuturno bello vexabat. Octo præliis victor, uno defecit. Imperator rerum ſuarum ſatagens, quum Alfonſium Neapolitanum inviſiſſet, celeriter in patriam iter arripuit, ubi Auſtriaci ſimul Hungarique, expulſis Friderici præfectis, aut tradere regem *Æneas Sylv. Hiſt. Bohem. c.60.61. & in ſtatu Europæ cap.16.* Ladiſlaum, aut bellum exſpectare jubebant. Poſtulatis non tam rejectis, quam ſuſpenſis, Neapolis Auſtriæ infeſtis ſignis petita, victiſque Cæſarianis, mœnia machinis quaſſata. Obſeſſus à multis *Cuſp. in Frid. III.* millibus Fridericus, interventu Caroli Badenſis & Sigiſmundi Saltzburgenſis, Ladiſlaum tradidit Ulrico, Ciliæ Comiti, qui mox Viennam ductus, principatuum regnorumque adminiſtrationem duodecennis adiit, alieno triumvirorum, Huniadis, Poggiebracii & Ulrici, arbitrio ſubnixus. Penes Ulricum major autoritas, qui regem in poteſtate habens, illis quoque imperare poſſe videretur. Sed eum Ulricus Eizingerus apud regem accuſatum, aula & poteſtate dejecit; Ladiſlaus Pragæ diadema ſuſcepit Bohemum.

Fac.l 10. Ardebat adhuc inter Venetos & Sforțiam certamen, hunc Florentini, illos *Plat. in Nic.V.* Alfonſus adjuvabat, terra marique pollens. Itaque Florentini grandi ſtipendio conducunt Renatum Lotharingum, *Mich. Riccius de*

paulo ante Sicilia pulſum, cujus adven- *reg. Sicil. lib.4.* tu magna fortunæ inclinatio facta. Sforția Brixianis & Bergomatibus ad XL oppida, partim vi, partim deditione cepit, Veneti loco pulſi. Senſit hæc Ciliæ Comes, ſuam Venetis opem obtulit, perofus jam terras, in quibus è ſumma dignitate ad cujuſque opprobrium eſſet devolutus.

Ad eum modum diſtractis Chriſtia- *Laon.l.7. Annal. Turc.* norum principum animis peropportuna Turcis occaſio amplificandæ ſuæ rei fuit. Poſt Varnenſem cladem impetus in Peloponneſum, ſervitutem nobiliſſimæ provinciæ attulit, cujus princeps Conſtantini Imp. frater, Pindum, Bœotiam & Locros, Atticam quoque, Rainerio Florentino parentem, infeſtaverat. Rainerius Amurathem juvit, ut expugnatis Iſthmi munitionibus, Sicyonem, Patras, aliaque oppida diripienda daret. Peloponneſiacis antea liberis tributum imperatum. Altera expeditione Amurathes Joannem Caſtriotam, qui & Alexander, ſeu Scanderbegus vocabatur, periit, quod is, obſes olim datus Amurathi, effugiſſet in patriam Epirum, eamque ad reſumendam libertatem concitaſſet. Perpopulatus totam Albaniam Turca, & aliquot oppidis potitus, Croiam urbem, neque armis, neque fame, perdomare valuit. Mœnibus ejus adhærentem abſtraxit generoſa Huniadis audacia, qui progreſſus in Coſovæ campos, arduo cum Turcis prælio conſlixit, quo tandem inferior, Valachorum proditione ſeptendecim amiſſis millibus, quatuor Turcarum occidit. Simulata vero in caſtra Amura- *An.1448.* this irruptione, capeſſit fugam, captuſque à Georgio deſpota, ſancito inter filiam ejus, ſuumque filium connubio, evaſit. Amurathes biennio poſt apoplexia *1450.* ictus, quam nimia vini ingurgitatione conciverat, exſpiravit, anno tyrannidis XXXII, iſtius ſeculi L. Paulo ante Joannes Palæologus deceſſerat, relicto ſucceſſore filio, cui Conſtantinus, fatale Conſtantinopoli nomen, & ſalutare, cum Chriſtum rite coleret, & exitiale,

cum

cum ſuis voluptatibus indulgeret, fuit. Patrui ejus Demetrius & Thomas, ſpreto & ſanguinis & jurisjurandi vinculo, inſanum inter ſe de Peloponneſi principatu bellum gerebant, auxiliante Demetrio Amurathe, ut mutua colliſione frangerentur. Filius vero Amurathis Mahumetes II, interempto ante omnia fratre parvulo, fœdera cum Græcis ſanxit, itemque cum Triballis & Peloponneſiis, ut adverſus Haliſurium Caramannum tutius ſe defenderet, quem & brevi reddere ablata, pacemque petere adegit. Canum accipitrumque curatores, ad VII millia in militiam allegit, *negans ſe alituram tot homines ad rem nihili vanamque.* Quanquam vero Tzaniſes, Perſarum rex Armeniam percurſaret, omiſſo tamen eo, Mahumetes ad Boſphorum urbem validiſſimam Læmacopiam, treſque turres ſtruxit, ut expeditum ſemper in Europam tranſitum pararet. Interjecto tempore laceſſivit Byzantinos; Peloponneſios iterum diſſidentes pacaturus, Iſthmum diruit. Inde omnia ad oppugnandum Conſtantinopolin maximo ſtudio comparavit, nactus præſertim tempus, quo Imperator Fridericus & reliqui Chriſtianorum reges nihil minus, quam de Conſtantinopoli defendenda cogitarent. Fridericus enim eo anno, Ladiſlaum Auſtriacis & Hungaris tradere, armis compulſus.

Laonic. lib. 7.

Laon. l. 8.

Æmil. lib. 10.

Sylv. in Europæ ſtatu cap. 39.

Carolus VII. Francorum rex, ruptis per Anglos induciis, Normanniam Aquitaniamque de Anglis tum imprimis recipere conatus, peregit negotium multis præliis, cum interim Henricus rex domeſticis ſeditionibus agitaretur. Et Scotia è Duglaſſii Comitis, qui in regem Jacobum II protervierat, nece conflato tumultu quaſſabatur. Renatus Andegavenſis, ut dictum, Mediolanenſi jam Sfortiæ fœderatus, regna Siculum & Neapolitanum, ab Alfonſo repetebat. Ne quidem inter Electores Germanos conveniebat. Palatini cum Moguntinenſi & vicinis principibus diſſidium, jam ad arma proceſſerat. Boruſſi quoque à Magiſtro militiæ vexati ſine modo, Polonis ſe in clientelam dabant. Nicolaus Pontifex Cardinalem Rutenum, patria Byzantinum, ad Conſtantinum XI miſerat, qui auxilium ei & civibus pollicereretur, ſed hac lege, ſi ad Romanam ſubjectionem, ut in Florentino concilio promiſerant, redire voluiſſent. Jamque ipſe Romæ cum Stephani Porcarii conjuratione conflictabatur, qui Pontificem & Cardinales capere, libertatemque reddere civitati, conabatur. Qua oppreſſa, moroſior tum in omnes, tum præſertim Romanos, factus Nicolaus, neminem facile ad colloquium admittebat. Quibus dum laborat vitiis Occidens, advolavit ſubito fama, Conſtantinopolin eſſe expugnatam. Etenim Mahumetes, contracto in Europa Aſiaque quadringentorum millium exercitu, terra marique urbem, cujus ambitum centum & undecim ſtadiorum prodit Laonicus, obſederat. Erant ei ſternendis mœnibus tormenta ænea prægrandia, inter quæ unum à LXX boum jugis, viris bis mille trahebatur, globum torquens trium talentorum. Cum XL dies continuos in muros detonuiſſet, promiſit ei, qui primus per ruinas irrumperet, ampliſſimam Europæ provinciam, exercitui triduanam ditiſſimæ urbis direptionem. Si quis ſegnius rem gereret, ei capitis pœnam ſtatuit. Indicto tridui jejunio, omnes vel ad moriendum, vel vincendum paratos eſſe juſſit. Conſtantino pacem petenti, centena imperat aureorum millia annua, aut ſalvis opibus incolumem ex urbe diſceſſum. Cum eæ conditiones minime placerent, renovatur oppugnatio: pellitur loco Juſtinianus Genuenſis, qui cum trecentis armatis primum impetum ſuſtinebat. Conſtantinus ipſe, & qui circa eum erant, in fugam verſi ſternuntur. Portæ obſtruuntur cadaveribus, ne fuga pateat fugibundis. Janitores etiam abjiciunt quarundam claves, ut retentos in urbe cives redintegrare cogant prælium. Maſcula pubes pene univerſa occiditur, virgines & matronæ

Annal. Turcic. Sylv. Europæ ſtatu cap. 3. 4. Sabel. Enn. 20. lib. 6. Hartm. Schedel. fol. 249. Georg. Phran. l. 3. c. 6 7. &c. Anton. p. 3. t. 22. cap. 23. Laonic. Chienſis de capta Conſtantin.

Hector Boëtius lib. 8. Hiſt. Scot. Plat. in Nic. V. Laon. lib. 18. 1453. Chron. Belg. p. 377. 378.

tronæ meliores rapiuntur in ſervitutem, ultra LX millia. Iſidorus Cardinalis, miſſus ut Græcos Pontifici reconciliaret, cum id jam, ſed ſero nimis peregiſſet, captus venditusque, ignorantia ſui tectus effugit. Pera Latinorum urbs, obverſa Byzantio, eodem infortunio perculſa, tradidit ſe Turcis. Ejus muri ſtatim deſtructi. Qui effugerant Græcorum, ibi poſtea receptum habuere. Hic finis imperii Græcorum. Is caſus urbis, ubi Chriſtus præcipue undecentos circiter ac viginti annos erat cultus, quæque ſanctiſſimos, doctiſſimoſque viros genuerat. Nec periit niſi deſerentibus illis, in quibus duodecim ante annos majorem, quam in avita religione, ſpem ponere occœperat. Imagines & reliquiæ ſanctorum, quæ ad venerationem proſtabant, omnibus ludibriis irriſæ. Viſum à Turcis obſidentibus ingens lumen è cœlo in urbem demitti, alteraque nocte in cœlum redire. Indicatum, illuminatam olim divinitus urbem, jam tenebris relinqui. Mahumetes tamen frequentandæ urbi, inſtaurare conventus ſuos juſſit Chriſtianos, lectumque ab iis Patriarcham, pedo ei paſtorali tradito, palam confirmavit.

Hiſt. Turcogræc. lib. 1. Æmil. lib. 10. Platina in Nic.

Nicolaus, dum impactam Pontificatui ſuo labem abolere, coactis in Turcas copiis ſtudet, arthriticis doloribus totum corpus pervadentibus exſtinguitur, anno poteſtatis octavo. Triſtis nuncius religionem piis animis injecit, bellorum amplius in ejuſdem Numinis cultores gerendorum. Itaque lugubres in Italia cædes feſta tandem pax excepit, niſi quod Genuenſibus cum Alfonſo parum conveniebat.

Peloponneſi duces tantus pavor inceſſerat, ut fugam circumſpicerent. Novo fœdere devinctos, Mahumetes adverſus Albanos quoque defendit, fractiſque Albanorum viribus, duodecim millia ſtaterum aureorum utriſque impoſuit: unde mox nova diſcordia, dum Albani renuunt tributum, niſi æqualiter provinciæ dividantur, ipſique fratres Thomas & Demetrius, ſuas quiſque roborant factiones.

Laon. l. 8. Georg. Protov. lib. 3. c. 22. 23.

Barbarus interim Novopyrgum Triballorum capit oppidum, cœcos Georgii filios, præficit Serviæ, Belgradum (Taurinum veteres, alii Albam Græcam vocant) quod olim Triballorum fuiſſet, repoſcit. Mittit & Colchos triremes, qui maritimas Trapezuntii regis oras carpant.

Alfonſus Borgia Hiſpanus, qui Calixtus III Papa ſedecim triremes, è Symbola paſſim corroſa ædificatas, duce patriarcha Aquilienſi in Aſiam miſit, Inſulaſque nonnullas, in iis Lemnum, cepit; Sed triennio poſt amiſſæ. Itali capti interfectique ſunt. Hic Campanis in meridie ſignum dari juſſit, ut orationibus juvarentur, qui in Turcos dimicarent. Crediderim tunc precibus omnium Chriſtianorum datam victoriam, quam Joannes Huniades reportavit. Mahumeten enim ingenti cum exercitu Belgradum oppugnantem, ſtrategemate devicit. Receptis videlicet in urbem Turcis aliquot, derepente juſſit ſuos & ex arce & è latibulis irruere in diſcurrentes jam ad direptionem ædium, alios in tormenta immiſit Turcica, eiſque potitus, occiſis XL millibus Turcarum, ſaucium tyrannum ſolvere obſidionem coëgit. Res ſumma virtute acta, clamante Joanne Capiſtrano monacho: *O Deus, ô Jeſu, ubi ſunt miſericordiæ tuæ antiquæ, veni in adjutorium genti tuæ.* Huniades paulo poſt peſte infectus, maximis rebus geſtis deceſſit, ſimulque Capiſtranus, acerrimus vitiorum, aleæ præſertim, ebrietatis, aliarumque nugarum inſectator, æmulus Bernardini, qui in Italia Guelforum Gibellinorumque factiones magna ex parte abolevit. *Vicerat Capiſtranus ſeculi pompas, fugerat delicias, calcaverat avaritiam, ſubegerat libidinem, contemnere gloriam non potuit.* Deſcribens enim bellum, nulla Huniadis facta mentione totum ſuum eſſe dixit, quod geſtum erat. Scilicet *ingens dulcedo gloriæ facilius contemnenda dicitur, quam contemnitur.*

Plat. in Calix. III. Anton. p. 3. t. 22. cap. 14. An. 1456. Chron. Belg. p. 383. Æneas Sylv. Hiſt. Bohem. cap. 65. Laon. l. 9. Nauel. gen. 49. Sabell. Enn. 70. lib. 6.

Eo

B. Mant. Eo tempore Baptiſta Mantuanus vitia quoque Romanenſium verſibus caſtigabat, *Georgius Heimb. Nicol. Cuſan.* Georgius Heimburgius provocationem à Pontifice ad concilium ratam eſſe docebat: Nicolaus vero Cuſanus Cardinalis, veniæ papalis præco, in carcerem à Sigiſmundo Auſtriaco ob iniqua poſtulata conjectus, magno auri pondere ſe redemit. Matthæus Palmerius hiſtoriam contexuit. Nicolaus Perottus Cornucopias, Bartholomæus Platina ruinas Campaniæ, quas terræmotus fecerat, luſtravit. Pomponius Lætus, nimio profanarum literarum amore, pro Petro Pomponii nomen ſumſit. Georgii Trapezuntii, & Georgii Phranzis, & Beſſarionis Cardinalis, Græcorum, eruditio eluxit. Academia Gryphiſvaldenſis in Pomerania, Baſilienſis in Helvetia, Friburgenſis in Briſgoja originem habuere.

Plat. in Calixt. III. Sabell. Enn. 10. lib. 6. Anton. p. 3. tit. 22. & 16. Joan. Jov. Pont. de Frid. I. lib. 1. 1458. Sylv. Bohem. c. 68. &c. In ſtatu Europæ cap. 1. Calixtus cum Senenſes à Jacobi Picennini incurſionibus liberaſſet, mortuo, qui eum defendebat, Alfonſo, ſine prole legitima, regnum Siculum feudali, ut aiebat, jure ad ſedem pontificiam retrahebat. Uſumcaſſanum, Perſarum & Armeniæ principem, uti & regem Tartarorum, multis muneribus, uti bellum Mahumeti facerent, induxit. Extinctus anno ejus ſeculi duodeſexageſimo, ſucceſſorem habuit Æneam Sylvium Picolomineum, bonis artibus excultiſſimum virum, qui Pius alter appellatus eſt. Hic multa, quæ exſtant, ingenii reliquit monumenta, in quibus hiſtoria Bohemica, & Europæ ſtatus illo tempore. Narrat Ladiſlaum, Huniadis filium, oborto jurgio, Ciliæ comiti, qui jam gratiam regis Ladiſlai, ut avunculus, recuperaverat, intuliſſe necem, quod is perpetuus virtutum patris ejus obtrectator & hoſtis extitiſſet, nihilque moderatum in filios ejuſdem cogitaret. *Anno 1458. Naucl. gen. 49.* Regem diſſimulato aliquantum dolore, poſtmodum juſſiſſe capite plecti percuſſorem, fratremque ejus Matthiam Corvinum in Auſtriam captivum abduxiſſe, inde in Bohemiam, quo nuptias cum Magdalena, Caroli Franci regis filia, peracturus ibat. Ibi nobiliſſimus adoleſcens, duodeviginti annos natus, in ipſo gloriæ culmine, inter maximos nuptiarum apparatus, deliciis atque opibus affluens, infra ſex & triginta horas, poſtquam ægrotare cœperat, exſtinctus, Georgio Poggiebracio Bohemiam reliquit, Matthiæ captivo Hungariam. Singulare prorſus humanæ inconſtantiæ documentum. *Alter ex regio ſolio, dum novæ nuptæ thalamum exornat, defertur ad tumulum; alter, dum capitale judicium trepidus manet, ex carcere vocatur ad regnum.* Mirabile, quod matrem Matthiæ repentina lætitia non exanimaverit, cum tot cladibus afflicta, prius regem appellatum audiverit filium, quam vinculis exemtum.

Plat. in Pio II. Æmil. lib. 10. Naucl. gen. 49. Sabell. lib. 96. Anton. p. 3. l. 22. c. 17.

Inde Fridericus Imperator Auſtriam cum Alberto fratre & Sigiſmundo patruele dividere coactus. Factus ſub idem tempus è notario quodam Baſilienſis Concilii Pontifex Æneas Sylvius, Ferdinandum Alphonſi nothum, diademate donat Siciliæ, ea tamen exceptione, ne id fraudi cuiquam foret. Mantuam deinde profectus, quo convenire Europæos juſſerat, bellum communi omnium decreto Turcis inferendum differuit, oratione, ut poterat, comtiſſima. Verbis modo ſacrum bellum decretum, controverſiæ privatæ effecerunt, ut inteſtinis potius armis ſemet ipſos lacerarent. Surgunt Germani partim in ſe ipſos, partim in Pannonios. Excitatur Britannia duplici factione, quorum altera veterem in inſula regem Henricum, altera novum, Richardum Eboracenſem, fugato veteri, retinere conatur. Margareta Andegavenſis, Henrici conjux, acie fuſum Richardum occidit. Sed recepto jam ex hoſte viro, poſt multam ſuorum ſtragem ab Eduardo pellitur regno, Henricus iterum in carcerem conjicitur. Surgunt Hiſpani Barchinonenſibus auxilio futuri, quos Aragoniæ rex, Gallorum armis adjutus, bello premebat. Et ne quid ad diſturbanda

Joannes Jovian. Pont. de Frid. I. l. 2. 3. &c. Sabell. Enn. 10. lib. 6. Trith. in Chronic.

omnia deeſſet, Joannes Renati regis filius, Ferdinandum Apuliæ regno pellere conabatur, unde duplex in Italia factio, cum ii Ferdinando, illi Renato favebant. Ferdinandus felicioribus præliis & Pii favore ſubnixus, hoſtes regno expulit. Pius fortunæ indulgentia mutato animo, ex hoſte tyrannidis pontificiæ, maximus ejus defenſor, Annatas exegit rigide. Sigiſmundum, Friderici Imp. fratrem, quod rejecta Pontificis ſententia, concilium appellaſſet, execratus eſt. Diterico Iſenbergio, Electori Moguntino, imperare auſus, ne ſe inſcio collegium principum convocaret; cum exactionibus ſuis & ambitioni reſiſteret, dignitatem abrogavit, Adolfum ei Naſſovium ſubſtituit. Inde bellum. Elector Palatinus Ditericum, Metenſis Epiſcopus, Marchio Badenſis, Comes Wittembergicus Adolfum tuebantur. Sed Palatinus cepit adverſarios; captis quod molendina corrupiſſent, obſonia ſine pane appoſuit, multam grandem imperavit. Adolfus poſtmodum, adjutu Bavari Nigri, nocturna irruptione ſuperatam Moguntiam diripuit, deſtruxit, incendit, vacuavit incolis, prædoni quam paſtori propior. Ditericus tandem reſtitutus, Academia exornavit urbem, ut vel hinc appareret, quantum à lupo bonus paſtor diſtaret. Idem Pius Georgium Bohemum regem, à Friderico confirmatum, damnavit hæreſeos. Matthiam Hungarum Bohemiæ regem dixit, unde nova bellorum incendia. At Georgius à Friderico, quem cives Viennæ obſidebant, imploratus, ſumma arte eum liberavit, ut neque periret neque vinceret. Papa cum eundem Matthiam, Philippumque Burgundum ac Venetos, expeditionis in Turcas ſocios adſciviſſet, Anconam lectica delatus, in itinere magnam hominum multitudinem quod belli impenſam ſecum non detuliſſent, domum remiſit.

Hirſ. Vol. 2. Greg. Heimb. in app. à Pio II. ad Conc. Naucl. gen. 40.

1464. *Roderic. Santius part. 4.* Sed dum claſſem Anconæ moratur, febri lenta & ægritudine animi moritur, anno Pontificatus ſexto, ſeculi ejus LXIV. Ludovicum XI, Franci regis filium, à patre ſuo multis annis alienum, adeo ut apud Burgundum degeret, ob paternorum amicorum impotentiam, accuſatum contumaciæ abſolvit. Carolum ſubincuſavit. Deceſſit Carolus curis & inedia, anno LXI. Ludovicus ingenio aſper & varius, jure pragmaticæ ſanctionis ceſſit Pontifici. Inter multa Pii egregie dicta laudantur & illa: *Sacerdotibus magna ratione ſublatas nuptias, majori reſtituendas videri. Lubricum eſſe primum apud reges locum. Ut in mare flumina omnia, ſic vitia in magnas aulas fluere. Cui plura noſſe datum eſt, eum majora ſequi dubia. Neque avarum pecunia, neque doctum cognitione rerum unquam repleri.* Sed non erat in fatis, ut ambitioſus Pontifex quicquam adverſus Turcas proficeret. Demetrius & Thomas, Palæologi fratres, malo genio agitati, neque tributum Mahumeti ſolvebant, neque pacem inter ſe, neque cum Albanis colebant fidem. Ea intemperie opportunam Turcarum injuriis Peloponneſum præbuit. Turca expugnavit Corinthum, Athenas, Spartam, multaſque poſt cædes univerſam occupavit Græciam, præter non multa oppida, quæ Venetis parebant. Demetrio OEnum attribuit cum ſtipendio. Thomas, relicto Epidauri præſidio, ad Pontificem profugit. Capta & Amaſtris, Genuenſium in Ponto urbs, & Sinopenſi Principi, quod cum Uſumcaſſane conſpiraret, Sinope, Caſtamona, ditioque univerſa adempta, reddita in Europa Philippopolis. Hinc in Trapezuntium regem itum, cujus majores Pontum & Colchidem ad ducentos quinquaginta annos tenuerant, Comnena domo prognati. David Comnenus tunc iis gentibus imperabat, neptemque è Joanne fratre uxorem Uſumcaſſani junxerat, ac per eum laxari petebat tributum, quod ab Joanne Mahumetes eſſet ſtipulatus, dum Trapezuntem ſubigeret.

Hiſt. Hiſp. cap. 40. Platin. in Pio II. Æmil. lib. 10. Naucl. gen. 49. Sabell. lib. 9. 6.

Laon. l. 6. Georg. Phrant. l. 3. c 24. 25. 26. 27.

Annal. Turc. An. 1461. Turcograciæ Hiſt. Cruſ. l. 1.

Eo poſtulato acceſſus Turca, utrumque armis aggredi ſtatuit: Sed placatus à matre

à matre Usumcassanis, quæ nefas esse dicebat, ejusdem consortes religionis affligere, abstinuit à Partho manum, in Davidem solum iram effudit. Ille impar tyranno, deditionem fecit, pactus aliam provinciam: Turca imperium Trapezuntinum pro arbitrio disposuit.

Leonic. lib. 9. Davidem paulo post è literis, ab Usumcassanis uxore ad eum scriptis interceptisque, proditionis insimulatum cum filiis omnique familia Byzantii interemit. Hinc in turpissimos puerorum & concubinarum solutus amores, à Dracula quodam concubino penè necatus, fratri ejus assignavit Delum, quam ille optimis quibusque interfectis crudelissime exhausit. Viginti hominum millia absumsisse fertur suppliciis.

Postea rebellionem molitus, Turcas etiam non modicis affecit cladibus. Mahumetes haud impunè perpopulatus regionem, Draculæ eam exoleto suo dedit, qui allectis ad se popularibus, Blandum fratrem ejecit. Eodem anno Lesbum subegit. Nic. Catelusius, princeps insulæ dedit eam, inescatus spe novæ ditionis potiundæ. Sed stupra scelcraque vindices non effugiunt Dei manus, quibum maculatus Catelusius, quum assumpto ritu Turcico evadere pœnas cogitaret, nihilominus capitali tandem supplicio periit. Interposuit ædificationes urbium Turca, quibus Hellespontum cinxit, mox in Illyricum movit, cujus rex Stephanus, ejecto antea patre suo, tributum denegabat. Centum & quinquaginta millia equitum, præter pedestre robur, in felices Illyriorum terras ducta, postquam Dorobyzam vi cepissent, Jaizam & pleraque alia oppida facile subegerunt. Clissam rex ipse refugerat, quæ summis viribus oppugnata, non sustinuit impetum. Stephanus ipse, accepto jurejurando se nihil mali passurum, Mahumetis in fidem venit, à quo, nequicquam allegans pacta, capite est truncatus: idemque reliqui Illyriorum duces passi. Tum vero Veneti, periculi vicinitatem apud animum reputantes, icto cum Pannoniis fœdere, classem in Peloponnesum mittunt, Lacones & Arcades facile ad defectionem trahunt, Isthmum munire incipiunt. Sed cum Corinthus, reliquaque Achaia, in Turcarum fide manerent, adventaretque dux Europæ Mahumetes cum exercitu, Veneti relicto Isthmo diffugiunt. Argos recipitur à Turcis, Laconica metu defecit. Peloponnesus, post varias cædes & prælia, in pristinam servitutem recidit. Matthias rex, cum Bosniam recuperasset propemodum, vulnere affectus recessit.

Anton. Bonfin. Naucl. gen. 49.

Romana jam sede potiebatur Paulus II, omnia habens venalia, humanitatis artes adeo contemnens, ut omnes earum studiosos, uno nomine hæreticos appellaret; Romanis satis esse diceret, si legere & scribere didicissent, Platinam & Pomponium Lætum carcere & tormentis excruciaret. Mandavit, ne quisquam bireta coccinea (sic capitis tegmina appellant) præter Cardinales ferret; quicquid gemmarum in pretio est, suam in mitram congessit. Romanis ludos & venationes ad veterum imitationem exhibuit. Comitis Aversi filiis novem castella, suis & Ferdinandi Neapolitani armis ademit. Petentem ob ea merita relaxata tributa Ferdinandum, invadere bello statuebat, cum mirandæ solis ac lunæ eclipses regnorum mutationem portendere visæ. Secutus Franciſci Sfortiæ obitus, Genuæ etiam dominatum adepti, pertæsis Gallici dominatus civibus. Galeatius, Sfortiæ filius, in Gallia erat cum exercitu, ubi Ludovicus XI cum principibus regni, haudquaquam obtemperantibus, bellum gerebat, cum Burgundo imprimis Carolo, qui ei expeditioni boni publici nomen imposuerat, Francorum se vindicem profesſus.

Platin. in Paulo II.

Chron. Belg.

Anno 1466.

Bartholomæum Bergomatem, qui Florentinos exules, factione Petri Medicis pulsos, reducere armis conabatur, Ferdinandus rex & Galeatius acerrimo prælio repressere.

Plat. in Paulo II. Æmil. lib. 10. Phil. Com. l. 1.

Ludovicus XI cum Burgundo & sociis

Annal. Turc. Anno 1462. Chron. Citiz. 1463. Sabell. lib. 46.

ciis ambiguo marte conflixit. Plus fugæ quam cædis fuit: ambo duces parum ab exitio abfuere. Philippus Comineus, qui prima pugna Burgundo adfuit, utrinque minimum duo bellatorum millia cecidiſſe, autor eſt. Sed cum Carolo, fratri regis, Rotomagum ſe permiſiſſet, rex cum Burgundione congreſſus: Normannia, inquit, fratris eſto, tua ſunto ad Somanam oppida. Ludovicum Lucemburgenſem magiſtrum equitum creo. *Comin. l.2. Comm.* Joanni Lotharingio ingens auri pondus ac militem do, ad regnum Neapolitanum repetendum. Duci Borbonio reliquum aurum dotale appendo. Boni publici ſpecies hoc exitu terminata.

Naucl. gen.49. Plat. in Paul. II. Matthias rex fortiſſimus, diplomate ineſcatus pontificio, ab Turcis in Bohemos arma vertit, Georgium, ut hæreſeos anquiſitum, regno dejecturus. Septenne id bellum fuit, quo Moraviam, Sileſiam, & Luſatiam Matthias ſubegit. *Jac. Picol. Comm. lib.7. Volat. lib.23. 1471.* Fridericus ſumma in patriæ perturbatione paucis venerabilis, nemini formidabilis, Romam quaſi ex voto petiit, Paulum ad reconciliandos principes in Germaniam vocaturus. Quod fruſtra fuit. Digreſſo Imperatore, Pontifex, cum die quadam lætiſſimus apparuiſſet, nocte in cubiculo nemine videnti periit, ejus ſeculi anno LXXI. Multitudinem propoſitis ab ipſo indulgentiis excitam, Georgius facilè diſſipavit. Cumque Caſimirus Polonus, cui ſoror erat nupta regis Ladiſlai, regnum Bohemiæ ad ſe quoque traheret, Matthias cum Georgio pacem fecit, Moraviam Sileſiamque ſibi reſervavit.

Naucl. gen 49. Veneti per id tempus regno Cypri ſingulari planè fortuna potiti. Ejus inſulæ Rex Joannes Carolottam filiam Ludovico Sabaudo collocaverat, Jacobum filium nothum exhæredarat. Is Ludovicum conſpicatus, pronis Cypriorum animis ſuſcipi, ad Meſſeraphum, Ægyptiorum Calipham profugit, juratoque ei obſequio, expulit armis Sabaudos. Sic ejus regni potitus, Catharinam Marci Cornelii, patricii apud Venetos ſanguinis, filiam duxit. Senatus Venetus eam adoptavit. Non multo poſt profluvio ventris moritur Jacobus, relicta conjuge prægnante, quam Venetorum tutelæ commendat. Poſthumus fœtus cum vitalis minime eſſet, Cyprus in Veneti poteſtatem, velut hæreditario jure devenit.

Æmil. lib.10. Chron. Belg. Philip. Commin. lib.2. Comm. Multo inferior Joannis Lotharingi fortuna fuit, Tarraconenſe regnum animo complexi, quum Neapolitanum adipiſci non potuiſſet. Pyrenæum ſuperavit, egregia facinora edidit, peſtilentia exorta deceſſit. Ludovicus Francorum rex revocavit ſuos. Omnis Ludovici cura exinde in Britonem, quem à fratre Carolo ſerendis alendiſque ſuſpicionibus disjunxerat, fratremque ipſum verſa, ut Philippi Burgundionis in Eburones. Philippus Leodienſem Epiſcopen Ludovico Borbonio, ſororis ſuæ filio exoraverat, admodum adoleſcenti. Borbonius, ubi per ætatem initiari poterat, noluit, magiſtratus præfecturaſque intimis avunculi amicis credidit.

Permoti rei indignitate cives ab eo deficiunt, parere juſſi permanent in ſententia, à Pontifice impii judicantur, bello velut ad ſanitatem revocandi dantur Philippo duci. Is fines populatur, Dinantum oppidum evertit, prælio victis leges imponit duriſſimas. Papa dicto audientes eſſe Epiſcopo jubet, obtemperantibus ſacra reſtituit; Ludovicus tandem ſacratus populo benedicit. Decedit ſub hæc Philippus anno ejus ævi LXVII, ſumma apud ſuos gloria, & virtutis, & felicitatis. Eburones jam ſolutos ſe Burgundionis imperio rati, finium ſuorum oppida recipiunt. Linium dejectis Caroli propugnatoribus occupant. Carolus ſuo paternoque odio plenus, majorem quam pater finibus vaſtitatem infert, prælio Leodienſes fundit, urbem mœnibus propugnaculiſque nudat, graviores parendi tributique penſitandi conditiones imponit. Interea Ludovicus rex Britonem fratremque ſubigit, ad pacem paciſcendam. Carolus 1467.

quaſi

quasi confecto Eburonum bello, simul revocatis ad obsequelam Gandavensibus, qui gravitatem tributorum & ipsi questi, officio decesserant, in Britoniam movit, auxilio ducibus fœderatisque futurus. In itinere rogatur, ut communis pacis sanciendæ causa, Peronæ cum rege det colloquendi facultatem. Dum ibi de pace agunt, compertum est, Eburonum exules in patriam rediisse, occupatisque Tungris, provinciam Burgundo infestam reddere. Confestim ille regem inquieti animi per simulationem colloquii, res suas turbare inclamat, eumque velut in custodia asservat. Ludovicus blandimentis pollicitationibusque effecit, apud ducis familiares, ut excusata imprudentia, expeditionis in Eburones socius fieret, vindexque seditionis, quam per legatos ei exciverat. Facile captum Leodium, oppositis iis viribus, quibus virtutem cedere necesse foret. Cædibus incendiis, ruinis fœdatur; spoliatur armis, machinis, opibus, viris. Nulli ætati, sexui, dignitati, parcitur: urbs quæ cxx animarum millia mœnibus contineret, redigitur in solitudinem.

Picol. Comm. l.4.c.2. Rerum Germ. Freheri p.129. Phil.Com. l.3.comm.

Æmil. lib.10. Phil.Comin.l.4.

Ludovicus nato sibi Delphino animosior, id cœpit agere, ut Carolum attributis ad Somonam amnem oppidis finibusque dejiceret. Egit cum Optimatibus, ut jura sibi aut non reddi, aut sordide per libidinemve reddi à Burgundo, conquererentur. Prompta via hæc statuendi, fidem conventorum ab ipso violatam. Missus qui ei diem diceret, primum per iram retentus, deinde dimissus.

Lucemburgii magistri equitum occultis artibus factum, ut Fanum Quintini Ambianique Gallis reciperentur.

Reliqua porro aperto bello tentabantur. Frater regis interea, non sine veneni suspicione, decessit. Aquitania Ludovico se reddidit. Tectior Ludovicus erat, Carolus apertior, liberius intemperantiusque indignationem præ se ferens, Magister equitum utrique suspectus erat.

Nauel. gen.50. An.1470. Sabel.l.7. Polyd. Virg.l.23.

Studia Francicarum partium ex continenti jam multo ante in Angliam transcenderant, & ipsum suis atque his atrocioribus morbis ægram. Duæ factiones jam inde ab amissa Aquitania Normanniaque eam distinebant. Altera Henricum Sextum Regem ingenii mitioris, quam tempora belli postularent, dehonestamentum regiæ majestatis dictitabat. & prælio his, qui ab eo stabant, victis, in custodia habebat. Ab ea Eduardus Plantageneta, Richardi ducis Eboracensis filius, Eduardi III abnepos, rex salutatus, sororem Burgundioni cœlibi despondit. Margarita regina Henricum captivum prælio victrix liberavit, Eboracensem securi percussit. Sed victor altero prælio, quo pleraque Britanniæ nobilitas occidit, Eduardus rex rursus Henricum in vincula compegit, prout supra indicatum. Et hoc parum malorum visum. Pristina recrudescunt. Comes Vervicus, acerrimus nuper hostis Henrici sexti, repente ab Eduardo IV, cujus summus modo propugnator fuerat, defecit. Acie victus, transmisit in Franciam, ne à Franco rege adjutus, ad instaurandum bellum, redire in patriam posset, Burgundionis classis observabat. Sed disjecta classe tempestatibus, Vervicus auxiliis Franci subnixus, Henricum è custodia educit, collatis signis Eduardum fundit, fugat. Pulsus, ad Burgundionem fororis virum trajecit, qui simul & reconciliationem tentat, & occulte restitutioni necessaria parat. Igitur Eduardus prius Angliam classe tenuit, quam hostis eum solvisse suspicaretur. Pugnatum, cæsus Vervicus. His de regno inter Anglos contentionibus, permulta cruentaque prælia facta. Cecidere plus sexaginta summi proceres, amplissimæ regiæ cognationis, non pauci extorres. Horum nonnulli ne ausi quidem aperire quinam essent, vitam mendicitate diu tolerarunt. Eduardus IV. rursus rerum apud Anglos potitur. Henricum, & uxorem quod bellum instauraverat, in carcere exstingui curat. Periscelidem Burgundio su-

Matth. Palm.

Chyt.l.5. parte 1. Chr. Saxon.

Polyd. Virg.l.24. Hist. Angl.

An.1470.

Nauel. gen.49. Chyt.l.2. Chron. Saxon. P.Æmil. lib.10. Fr. Memn. in Orig. ordin. militar.

mit, ordinis apud Anglos regii insigne. Pater Burgundionis anno MCCCCXXX Velleris aurei ordinem, in Isabellæ Lusitanicæ nuptiis, condiderat. Rex Francus alium divi Michaëlis instituit, idque insigne ad Britonem misit.

1465. *Chron. Belg. Phil. Comin. Comm. lib. 5. Sax. l. 2.*

Burgundio, Eduardo ope sua in regnum restituto, habere se ratus, quem Franco regi opponeret, novi belli majorem molem suscepit. Arnoldum, Geldrum ducem, adolescens filius, Adolfus nomine, in carcerem miserat, juraque popularibus dabat. Eo pulso Carolus imperium seni restituit, ab eoque ob id meritum hæres instituitur, exhærede filio. Tanta ditione præter spem auctus, alia parte Comitatum Feretanum pignori accepit à Sigismundo duce Austriæ, Augusti fratre, Helvetiis infenso. His tam inter se longinquis inductus opibus, multo majorem concepit animo spem, quicquid terrarum inter hos duos jaceret dominatus, sui arbitrii faciendi. In Treviris Cæsarem convenit, illata mentione filiæ Maximiliano Cæsaris filio despondendæ. Illam enim in tantas opes successuram, appeti ab omnibus, à nullo dum haberi cupiebat. Cæterum cum contenderet, ut Rex, aut Vicarius interea imperii crearetur, deprehensa cupiditate, Fridericus, eo ne valere quidem jusso, repente discessit. Non tamen ob id Carolus conatu destitit. De pontificatu Agrippinensium contentio erat: pulsum ab adversariis Rupertum Palatinum restituere Burgundus nitebatur, fœdere ac cognatione junctum. Cæsar indigne passus, res Germanicas ducem externum ad se evocare, conventum gentis habuit, auxiliaque Novesium misit, quod oppidum Coloniæ propinquum Carolus oppugnabat. Dum ibi hæret dux, sedendoque Cæsar victoriam de feroci hoste reportaturum sperat; Ludovicus quoque novos in ducem hostes excitavit, & jungendarum & disjungendarum amicitiarum efficacissimus artifex. Occiso ab Helvetiis Hagenbachio, Caroli præfecto, pervicit, ut Sigismundi ea gens sponte ad imperium rediret, fœdusque insuper fieret, quo Sigismundus & Suitenses ad mutua auxilia obstringerentur.

1471. *Robert. Gagui. P. Æmil. lib. 10. Naucl. gen. 30. Arnold. de Lalaing. Tom. 2. rerum Germ. p. 155. de congress. Frid. III. & Caroli. Bilib. Birckh. lib. 1. belli. Helvet. An 1473. Felix. Fab. l. 1. Hist. Sueve c. 10.*

Renatum juniorem induxit, ut Lotharingiam, velut avitum patrimonium, bello repeteret. Tandem & ipse quædam Caroli oppida capit. Vicissim sollicitante Carolo, Eduardus Calesium trajecit, autorque per oratores duci erat, ut Novesium omitteret. Ægre Carolus Pontificis Max. autoritati cessit, qui tum Sixtus IV. erat, ut crematis castris abscederet. Ferunt explicatis ad stationem pugnam utrisque aciebus, procerum quorundam Belgicorum opera, de nuptiis inter Maximilianum Cæsaris filium, ac Mariam Caroli hæredem rursus agi cœptum, proclamataque ob id subito pace, cruentum bellum in optatissimi spem conjugii desiisse. Rupertus postmodum in carcere mortuus, Hermannus Landgravius Hassorum Episcopen sortitus est. Soluta obsidione annua, Carolus Renato facessit negotium, Lotharingas res Francicis anteponit. Profectus ad Anglum modico comitatu, Quintinum velut à magistro equitum tradendum, invadi illico suadet. Sed cum id parum succederet, Anglus legatos de pace facile admisit, filiam Delphino despondit, Aquitaniam ei dotalem stipulatus, indignante supra modum Burgundo. *Fides* interim Magistri equitum (Franci Constablium vocant) *nutabat, fortunam, non causam in consilio habentis.* Ludovicus Rex, excusantibus eum legatis, *in consiliis*, inquit, *capiendis tali capite opus esset.* Sed truncatum intelligebat. Itaque Carolus rexque simul, in perniciem hominis ambidextri, ac bellorum cupidi incubuere. Carolus Nancium tunc obsidebat, cum placabiliorem ejus iram ratus Lucemburgicus, vel Sancto-Paulianus Comes, supplex ad eum se recepit. Postulabat rex supplicium de eo sumi, ut convenerat. Carolus propinquitatem exercitus regii veritus, tradidit supplicem, quod mox, dedi-

Felicis Fabri Histor. lib. 1. c. 17. 18. Chr. Phil. lib. 5. Matth. Marsi. in Chr. Elvangensi.

Philip. Comin. lib. 6. Comm.

deditione à Nanciatibus facta, infectum frustra exoptabat. Igitur Lutetiæ de eo capitis exacta pœna: neque quicquam posthac prospere Carolo cessit. Bellum Helveticum suscepit, Helvetiorum auxiliis à Sigismundo Comitatu Feretano spoliatus. Deprecabantur illi vim, lacessitos se injuriis sumsisse arma, *pluris* inquiunt, *sunt equitum tuorum calcaria quam patrium nostrum solum.* Dicta Carolus aspernabatur. Parat exercitum validissimum, quantumque ætas illa vix viderat. Lausanam prope sine certamine capit. Granson plus quingentos Helvetios reste suspendit. Apparuit tunc genti, quo cum hoste sibi res foret. Tanto furore, cum eo conflixere, ut funderent, fugarent, castris, impedimentis, machinis exuerent. Granson nem recepere: Burgundiones ibi inventos restibus sublimes tollunt, pari mortis fœditate.

Philip. Comin. lib. 7. Comm.

P. Æmil. lib. 10. Bilib. l. 1. belli. Helvet.

Reparat bellum Carolus, Murtiam obsidet. Renatus extorris Helvetiis se jungit. *Hi prostrati in genua, Numinis ante omnia auxilium poscunt.* Vincitur iterum Burgundica acies. xxx Virorum millia sternuntur, vinci animo Carolus, nisi moriens, non potuit. Renatus Lotharingiam recepit, summa popularium voluntate. Carolus cum fortuna pariter hyemeque ipsa pugnaturus, obsidet denuo Nancium. Antea fusus fugatusque erat, hic occiditur, ineunte anno ejus seculi LXXVII. *Princeps cætera omnia, si ambitionem excipias, egregius.*

Nauel. 50. P. Æmil. lib. 10. Jac. March. lib. 4. descript. Eland.

Fuit deinde Eremita, qui Carolum se mentiretur, septennemque pœnitentiam voviſſe, ob temere susceptа bella; qui ob id à permultis visitatus, tandem ne agnoscerетur, se subduxit. Renatus adnitente etiam Arausiensi principe, pauco tempore totius Burgundiæ potitur, nomine regis Ludovici, qui Perona, Monstrolio aliisque oppidis captis, Atrebates quoque in ditionem redegit, pertinaciter Mariæ Caroli filiæ adhærentes. Ideo translati in interiorem Franciam sunt; urbs novis colonis repleta, Franciaque nominata est. Maria Maximiliano, Cæsaris filio, viginti & duos annos nato nupsit, reclamante frustra in Comitiis Francofurtensibus Ludovico rege. Cum Arausiensi avitus non redderetur dominatus, multi eo autore à Ludovico defecere, quo bello Francus sex Helvetiorum millia perpetuo alere stipendio cœpit. *Plura oppida auro pollicitationibusque, quam vi militari expugnavit.*

Phil. Comin. l. 8. Comm.

Undecim diebus antequam dux Burgundiæ caderet, Galeatius, dux Mediolani, in templo ab Andrea Lemponiano cive suo, ob ereptum ei fundum occiditur, relicto filio admodum puero. Exinde rerum administratione obortis certaminibus, Robertus Severinas, ducis consanguineus, domo exactus, ad Francum regem venit, ad res Italicas affectandas eum impulsurus. Eam provinciam abnuit rex, prædicans documentis compertum, *Italiam à Francis teneri non posse.* Florentiam à Sixto Pontifice & Ferdinando impugnatam, non armis, sed consilio juvit. Simul ad verecundiam terroremve Pontificis, de pragmatica sanctione restituenda Concilium Aureliani habuit, ne ob Romana diplomata aurum è Francia exportaretur. Itaque Pontifex, & illo & Turcico metu perculsus, jus sacrorum Florentinis reddidit, pacemque indulsit. Genua, velut Euripi agitata æstu, modo Mediolanensi subdita, modo libera sub ea tempora fuit, Spinolis, Doriis, Severinate, Flisco ad suarum factionum arbitria plebem trahentibus retrahentibusque.

Palm. Chron. An. 1477.

Majora Græcorum & orientis mala fuere isto seculo. Mahumetes, repressis Venetis, omnes vires in Alexandrum Epiri ducem effudit, qui fortissime hactenus paternum defenderat principatum, maritimis præsertim munitionibus se tenens, unde, quum res ad extrema venisset, in Italiam pateret trajectus. Quare cum tueri se ultra non posset, in Italiam evectus, omnes ad bellum Tur-

Laon. l. 9. Appen. Laon. Annal. Turcici 1467. Sabell. Enneade 10. lib. 6. Naucl. gen. 50.

cis inferendum inflammat, facturus utique operæ pretium, nisi febris eum præmaturo leto demersisset. Veneti interea acriter cum Turcis depugnabant. Si qui Græcorum defectionem pararent à barbaris, promti iis aderant. Ludovicus Canalis, Classis Venetæ præfectus, OEnum occupavit & diripuit. In Macedonia per legatum feliciter rem egit. Ad Imbrum Turcicæ classi occurrit: sed explorata ejus magnitudine, deflexit Scyrum. Ferox hostis mox Eubœam petiit, excisisque duobus sub primum appulsum oppidulis, Chalcidem oppugnavit. Tanta ibi cæde circa muros dimicatum, ut XL hominum millia castra Turcica desiderarint. Ad postremum, quia Veneta classis jam in conspectum urbis venerat, Mahumetes, satraparum consultu, à nocturna diurnaque oppugnatione nihil remittens, perrupit munitiones. Sævitum sine discrimine in omnem sexum & ætatem. Ferunt, præfecti filiam, corpore animoque præstantem, mori maluisse, quam tyranni explere libidinem. Insignis ea insula Turcicæ tyrannidi subditur.

An. 1470. Chron. Citiz. Hist. Turcogræc. lib. 1.

De Nigrop. captione Hist.

Nondum bellandi consilium Usumcassanes exuerat. Armeniam ingressus, Tocatam urbem ejus provinciæ maximam populatur. Justufzes Begus in Carmaniam irrumpit. Europæos hortatur, ut manu facta simul Turcas invadant. Avintes Asiæ maritima vastata, multæ urbes captæ. Reliquis surdis cecinit. Mustapha, qui patris nomine iis locis præerat, Justufzen prælio captum Byzantium misit. Mox Mahumetes ipse comitatus Bajazete, Mustapha, & Zeme filiis, octoginta bellatorum millia adversus Parthos ducit. Usumcassanes ex insidiis adortus Turcicum Beglerbegum (id principi principum, qui toti Asiæ vel Græciæ præest, nomen) cum majori eum exercitus parte occidit. Sed dum incomposito agmine fugientes insequitur, in tyrannum ipsum incidit, ubi acerrimo prælio, tormentis præsertim æneis victus, amittit filium & impedimenta omnia; arreptaque fuga ad sua tuenda recedit. Meliori marte Joannes Castriota, Scanderbegi filius, Scodram urbem tutatus est. Ingenti accepta clade, Solimannum Bassam repulit in Moldaviam, ubi is à principe gentis Stephano fusus fugatusque est, anno ejus seculi LXXV. Sequenti missis XX militum millibus, Capham, Genuensium in Taurica Chersoneso urbem, proditione cepit Turca, Tartarosque vicinos subegit, à Matthia interim Hungaro Sabbatia castello spoliatus. Cum ergo Stephanum Moldavum debellare cogitaret, Turcas simul Tartarosque concitat. Stephanus solo Dei subnixus auxilio, ex insidiis lacessit Turcas, commeatum intercludit; acie inferior subducit se quidem, sed Turcæ interim lue etiam correpti domum abire compulsi sunt. Infelices quoque eisdem in Peloponnesum & Hungariam expeditiones susceptæ. Duces Matthiæ regis multa Turcarum millia cecidere: Scodra demum fame subacta, manus dedit, quum Castriota sibi, suisque salutem pactus, omnibus cum facultatibus inde emigrasset. Venetus cum Turca pacem fecit. Non contentus eo successu Barbarus, ingentes in Hungariam copias ablegat, quas prælio inopinato acerrimoque aggressus Rex Matthias delevit, cæso duce Isabego. Nihilo felicior Rhodi oppugnatio fuit. Tres continuos menses tormentis variisque machinis urbs quassata, Petro Danbussione, magistro militiæ, acriter eam tuente. Virtus Rhodiorum militum tanta enituit, ut Mesites Bassa, amissis circiter XXX millibus, turpiter refugeret domum. Itaque furorem Mahumetes in Italiam vertit, Hydruntem Apuliæ armis cepit. Archiepiscopum urbis serra dissecuit lignea, multosque mortales omni crudelitatis genere excarnificatos peremit. Trepidatum tota Italia est. Cardinales jam ad fugam se comparabant, Xystus vel Sixtus IV, qui in Laurentium & Julianum Medices, superbiæ ejus adversantes, conjurationem tunc inierat, eaque parum feliciter peracta, Florentinos bello vexabat,

Annal. Turcici.

Coriol. Cæpionis de gestis Petri Mocenici Imp. Venet. libri tres. 1474. Sabell. lib. 88. Annal. Turcic. Naucl. gen. 50. 1475. 1478. 1479. Palm. Marin. Barlet. de expugnat. Scodræ lib. 3.

Hist. Turcogr. l. 1. Chron. Citiz. Trith. in Chron. Spanh. & Hirsan. 1480.

Rhod. militum relatio Tom. 2. Rerum Germ. Freheri p. 258. Bernh. Breid. de expugnat. Rhodi, & capto Hydr. Onuph. in Sixto IV. An. 1481. Chr. Citiz Phil. Com. lib. 10. Comm.

bat, eo terrore consternatus, pacem hostibus dedit. Mox vero mors tyranni Turcici ex veneno consecuta, dum in Natoliam proficiscereturr, permagno Italiam metu liberavit, anno imperii ejus XXXI, à capta Constantinopoli XXVII. Subegerat Byzantinum & Trapezuntium imperia, regna quatuor, Syriam, Peloponnesum, Armeniam, Sclavoniam, Provincias ademerat Christianis XX, urbes CC.

Onuph. in Sixto IV. Romanam tunc cathedram, qui tenebat, Sixtus IV, olim Minor, nihil unquam præclare in Turcas gessit. In suos indulgentissimus affectu, multa præter jus fasque egit. Fridericum Feltrium creavit Urbini ducem. Morte Mahumetis, & receptæ Hydruntis nuntio animosior, Venetis favere cœpit, Herculem Ferrariensem atroci tunc bello petentibus, volens ex Herculis calamitate, Hieronymi Riarii, cognati sui, potentiam amplificare. Sed fœderatorum Italiæ principum sollicitatione mutatus, subito adversus Venetos stetit, quorum cum jam fractæ contusæque vires viderentur, Ludovicus Sfortia à sociis discedens, æquissimam eis pacem, invito Sixto attulit; Sixto ex dolore animi & podagra mortem approperavit anno MCD LXXXIV. Liberalissimus hic idem fuisse & quæstuosissimus dicitur. Primus Pontificum nova instituit collegia, quæ non nisi pecunia emerentur; conjecitque velut in compedes aulam Romanam, sublata omni industrii & laborioси ingenii solertia, cum venderet officia, gratuito antea doctis & probis viris tribui solita. Janiceros & Mamaluchos milites instituit, qui Turcarum exemplo prætorium ejus munirent, certosque adstipulatores, sine quibus nullæ tabulæ conficerentur. Ex iis Mamaluchos & adstipulatores, qui ei successit, Innocentius VIII abrogavit. Sixtus veteribus novas solennitates adjunxit, ut conceptionis & oblationis Mariæ, Annæ, Josephi, Francisci. Urbem velut è lutea lateritiam fecit. Bibliothecam in Vaticano palatinam, advectis ex omni Europa libris, constituxit, certosque proventus, unde plures emerentur, assignavit. Id præcipuum Pontifice dignum operatus est. Sed & nobile ædificavit lupanar, nonnihil emolumenti ex meretricio quæstu ærario suo accumulans.

Sabell. Ennead. 10. l. 7. Naucl. gen. 50.

1434.

Henr. Corn. Agrip. de Van. scient. c. 66. de Lenon.

Ad eum visendum, conficiendamque in Italia pacem, iter arripuit Christianus Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ rex, cum anno sequenti Jubilæum indixisset Sixtus, tempusque illud, prout & antecessori visum fuerat, quinto quoque & vicesimo anno celebrandum ordinasset. 1474.

Igitur monemur re notissima, ut Septentrionis intermissam historiam repetamus.

Dani, cedente Erico, Christophorum Bavarum, Joanne Palatino & Sophia, sorore Erici regis, genitum, evocaverant in regnum, anno seculi decimi quarti tricesimo nono, diademate ornandum, quum trium Borealium regnorum consensus accessisset. Anno quo appulit Christophorus, Vandalicarum urbium piratæ Bergas Norvegiæ, insultu captas, diripuere. Rex novus, omissis bellis, Carolo Canuti, Magistro equitum apud Suecos, Finlandiam Olandiamque permisit, Adolfo Holsato Slesvicensem principatum ad pontem usque Coldingensem, Erici regis patrueles Dania dimovit. Ineuntes regni curas aggravarunt agrestes per Cimbriam, qui Erici exulis incensi literis, Escillum Brocium, duodecimque primariæ nobilitatis viros per tumultum occidere. Christophorus acie devictos rebelles pœnas pendere seditionis coëgit. Coronatus à Suecis, trajecit Gothlandiam, avunculum ibi regem invisurus, cui exinde naves spolianti onerarias minus succensuit, perhibens indulgendum exuli, unde viveret, commeatum. Ab eo reversus, naufragii periculum scapha arrepta vix evasit. Upsloæ à Norvegis, tandemque Ripis à Danis coronatus, de nuptiis cœpit cogitare. Duxit Dorotheam Brande-

Krantz. Daniæ l. 8. c. 22. 23. 1439. Arnold. Witf. p. 3. Chron. Ericus Upsl. l. 5. Chron. Holsat. part. 3. 1441.

Hist. regum Daniæ. Erpol. Lindenb.

1443. burgicam, Joannis Marchionis filiam. Triennio post obiit. Exuvias Roscildia habet.

1445. 1448. *Krantz. l.8.c.26. Huitf. p.4. Chron.*

Deligendus ergo rex erat, qui latissimas septentrionis provincias pacifico sceptro gubernaret. Erant è Danica nobilitate, qui id decus haud obscuris votis indigenæ cuidam servari poscerent. Sed eo in consilio, præter æmulationem procerum, consensus etiam vicinarum gentium timebatur. Suecia statim prævaricata pactum, de trium regnorum conjunctione, è suo corpore regem assumsit Carolum Canutium. Dani ad Adolfum respiciebant Holsatum, vicinas Nordalbingiæ ditiones ex infestis dudum, amicissimas regno facturi. Renuente propter ætatem Adolfo, Christianus Oldenburgicus, veteri ac nobili domo Comes, Hedvige germana Adolfi genitus, eique pro filio educatus, quem multæ corporis animique virtutes ornabant, rex Daniæ Norvegiæque adsciscitur, Dorotheamque reginam ducit. Hoc matrimonio abolitum Danicæ regiæ opprobrium, quæ sterilitatis incommodo percussa, intra annos xc nullum hæredem masculum tulerat. Dorothea intra annum enixa Olaum, eoque parum vitali, Joannem & Fridericum, longam sceptris borealibus posteritatem divino munere daturos.

Chytr. Chron. Saxon. part. 1450. Thracig. Chr. Hamb. part.4.

Hist. regum Daniæ, edita ab Erpoldo Lindenb. Joan. Mag.l.23. c.6.7. Anno 1457. 1459. Krantz. lib.8. Daniæ cap.28. Chron. Holsat. Thraciger. in Hamb.

Christianus deinde Gotlandiam, Erici refugium, vi capit, Adolfi avunculi armis adjutus. Wisbu, florentissimum quondam insulæ emporium, disjicit. Gravissimis, queis Prussia laborabat, bellis, imploratus se non miscet. Olaum Nicolai, Bergensem in Norvegia præfectum, neque sibi satis fidum & Vandalicis negotiatoribus molestum, cum circumsistens Saxonum multitudo, simulque Episcopum loci interemisset, mitior in autores visus est.

Carolus Canutus, ne idem sibi à Suecis, violenti pertæsis dominii accideret, collectis clam thesauris, in Prussiam se recepit. Itaque Christianus Sueciæ, volente procerum senatu, potitur: cumque biennio post Adolfus, Sclesvicensis familiæ ultimus, vitam sine prole finiisset, Sclesvicensem ducatum, regni Danici feudum, sibi ut proximo hæredi asserit. De Holsatia major erat quæstio, quod more Teutonici imperii, cujus ea terra pars est, ad masculam propaginem crederetur pertinere, supereffetque Otho Scaumburgicus, Adolfo agnatione, quanquam remotiori junctus, qui octo conspicuus filiis avitam hæreditatem postulabat. Nobilium plerique defensorem quæritabant, trium regnorum potentem; alii masculæ Comitum stirpi adhærescebant. Repertum transactionis remedium, magno Holsatiæ bono. Placati auro Scaumburgici omni in Holsatiam juri renunciarunt; Mauritius & Gerhardus, fratres regis, pacti & ipsi pecuniam sunt, ut solida regi, ejusque posteris, Holsatiæ possessio foret. Pinnenberga, Hatzburgum, Barmsteda, vetus Scaumburgensium inde à morte Adolfi Wagrii ditio, Othoni ejusque filiis relicta. Holsatiæ prælati, nobilitas, civitates, viri, quum jusjurandum Christiano, designato jam principi, dicerent, insignibus ornantur privilegiis, inter quæ & illa, ut indigenæ Remp. regant, Sclesvicensi ducatui Drostus (sic vicarium appellabant) Holsatiæ Marscalcus præsit, nec divellantur hæ provinciæ, nec arma cogantur extra limites ferre. Hamburgum, ut antiquissima Stormariæ Civitas, fidem Christiano regi datis dextris sanxit, dominum eum suum successoresque legitimos Holsatiæ rectores appellavit. Rex Marinum Pontificis legatum, qui oves trium regnorum totondisset, id est, argento emunxisset, portione privavit lanæ. Reliquum exactori mercatores, mercibus involutum edocti, surripuere. *Ita præda injuste parta, haud multo meliori jure distracta est.*

Chron. Mss.p 4. Arnold. Huit. in Christ. 11.

1460.

Mox exactiones Suecicum tumultum excitarunt. Proceres præfecturas alienigenis dari, plebs regem diutius abesse questa, in seditionem exardescunt. Pugna-

gnatum majori regnorum clade; Carolus Gedano ad ſceptrum revocatur. Sed paulo poſt, deſiderata ſuorum integritate, ſponte ſe abdicat regno: Archiepiſcopus Upſalienſis ſemel motam loco fidem Suecorum, difficulter Chriſtiano reſtituit. Interquieſcente hac tempeſtate, aliam Gerhardus, regis frater, in Nordalbingia movet, pro adminiſtratore principem ſe gerit, gravis nobilitati, popularis vulgo. Igitur accuſatus, Segebergæ detinetur, donec perſoluto ei auro provinciis decederet. Intervenit Anglicanum bellum, cum nec ſtipendium, proavo Chriſtiani Henrico ferreo debitum, exſolveretur, inſuperque Iſlandiæ præfectus cæſus ab Anglis eſſet. In eo Vandalicæ civitates ingens damnum ab Anglis paſſæ, compoſitionem demum octavo anno Trajecti obtinuere. Plus negotii cum Suecis fuit, qui duce Ivaro Axelio, arces à regiis inſeſſas oppugnabant. Clade fracti, Lubecam veniunt, de pace agunt. Rex Carolum Canuti decedere regno jubet, tubam ſeditionis ablaturus. Cum id paſſuros ſe Sueci negarent, infecta pace diſceditur. Rex anguſtias Suecicas nivis tempore ingreſſus, cum enotuiſſet conſilium, magnam pertulit cladem. Surrexitque iterum Gerhardus, ac popularitate ſua Eidoranos, Friſones, Maroſoſque Crempenſes & Wilſtrios in ſua verba adigit. Viſis deinde, quibus impar erat, armis regiis, deſerit quos animaverat. Plebs ægrè ad renovanda regi ſacramenta compellitur. Capiti ſeditionis Henningo Wolfio latibulum Dithmarſia fuit, dudum prædas agere è vicinis ſueta. Chriſtianus rex Orcades inſulas Jacobo III Scoto, elocata filia, dotales addixit, donec perſoluto nuptiali auro redimi Norvegis poſſent. Scoti omne jus Orcadum ad ſe tranſiiſſe contendunt. At continuator Hectoris Boëtii J. Ferrerius, qui vidit tabulas, L millibus florenorum Rhenenſium redimi poſſe inſulas confitetur.

Sequutum regis ad limina Apoſtolorum (ut loquuntur) iter, LXXIV ejus ſecuſi anno, cujus multi ſcriptores meminere: uti & Simonis pueri Tridentini, in quo Judæi omnes Chriſti cruciatus renovarunt. Conventus Imp. Fridericus, Dithmarſiam cum Holſatia Stormariaque conjunxit, inque unum ducatum vertit, edito ſuper ea re diplomate. Loquente apud Romanos multa per interpretem rege, Sixtus nullas tanto in principe literas mirabatur. Magnifice ubivis exceptus rex, Carolum Burgundum cum Cæſare fruſtra reconciliare laboravit. Domum reverſus, ad Suecorum tergiverſationem exſtincto Carolo Canuti, nulli jam regi, ſed Senoni Sturæo, ſorore Caroli genito, ut gubernatori parentium, connivet, temporum occaſiones ſpeculatus. Joanni interim filio Chriſtinam, Erneſti Saxoniæ Electoris filiam, maximo apparatu jungit. Indicto Reinholdesburgi conventu, Dithmarſis Auguſtales inſinuat literas, ſuumque agnoſcere imperium præcipit. Illi inde à Friderici I. ævo Bremenſi ſe ſubjectos Eccleſiæ, reſpondent, Cæſarem de alieno largitum. Rex in ſpeciem hoc prætendi certus, quod aliis interea Dominis Dithmarſi paruiſſent, cogitare gentem de ſua ſalute jubet, reciſiſque, quas magnates Holſati poſtulabant, uſuris, regreſſus Hafniam, carnem exuit, anno regni XXXIV. Rex omnium ſuffragio juſtus, moderatus, ſeptentrioni perutilis, ſolo Joanne Magno, Upſalenſis Eccleſiæ Pſeudomyſta contraſentiente, Danicarum odio partium, quod nimium quidem ubique prodit.

In regna Daniæ & Norvegiæ haud dubius ſucceſſor, Joannes, natu major filiorum Chriſtierni erat. At Sueci, Helmſtadium exciti, ut ex fœdere priſco, trium concordiam regnorum reſtabilirent, ſimulatione Stenonis Sturæi, quem gubernatorem aſſumſerant, corrupti, Danorum ſpem fruſtrabantur. Joannes cum Friderico germano, ditionem Sleſvicenſem & Holſaticam æquo jure diviſit. Poſt reliquos Stormaros, etiam Hamburgenſes ab utroque principe in fidem acci-

Joan. Petri part. 4. Chron. Holſat. 1465. 1468. *Chron. Hamb.*

Huitf. part. 4. Chron. Petrus Parvus. Refut. Joan. Magni.

Georg. Buch. l. 12. Ferrer. in app. Hiſtor. Scotic. Hartm. Sched. fol. 254.

1474. *Lang. Chron. Citiz. Naucl. in Sixto IV.*

Sabell. lib. 8. 8.

1478.

1481.

Joan. Mag. lib. 23. Petrus Parvus in vita Joan. Huitf. in Chr. Kranz. lib. 8. Daniæ c. 36. Chytr. Saxon. Chron. lib. 4.

Chron. Hamb. part. 4. Chron. Holsat.

accipiuntur. Sic denuo Holsatia, contra quam constitutum initio fuerat, in partes distracta, nobilitas utrique fratri juramentum dixit. Joannes, imperatis in vomerem binis aureis, grande æs alienum, quod pater emendis ducatibus

1483. conflaverat, fideliter dissolvit. Octogesimo tertio ejus seculi anno, Hafniæ sacratur rex Daniæ à Joanne Laxmanno, maximo regni Antistite; apud Nidrosios Norvegiæ Steno quoque Sturæus Calmariæ tandem regium Joannis nomen comprobavit, modo rimam haberet, quo defectionem pro tempore renovandam tegeret. Ea erat adjecta electioni conditio, ut rex Sueciæ Joannes æs parentis alienum dissolveret. Mox enim incusans neque id fieri, neque Gotlandiam Suecis reddi, novis Sueciam fa-

An. 1487. ctionibus implevit, Ivarum Axelium Gotlandia OElandiaque insulis dejicere conatus. Quod periculum animis expendentes Dani, educta classe, Gotlandiam,

1490. tradente Ivaro, repetunt, Stenonemque fidem regi novare compellunt, quam nihilo sanctius ille, atque ante datam coluit, fœdere insuper occulto, Vandalicas sibi devinciens civitates, nihilque

1495. exinde sacri aut profani habens. Tandem, cum indictis iterum comitiis præsentiam suam subtraheret fraudibusque omnia misceret, in apertum bellum, quo plurimum humani sanguinis fusum est, erupit discordia, multis Suecorum procerum perfidiam viri detestantibus.

Sabell. lib. 89. Chron. Citiz. Baptist. Camp. l. 1.

Eo tempore enitebant Domitius Calderinus & Rodericus Santius Romæ, Marsilius Ficinus Florentiæ, reliqua in Italia Angelus Politianus, Philippus Beroaldus, Hermolaus Barbarus, Hieronymus Donatus, Georgius Valla, Franciscus Philelphus, Joannes Annius Viterbiensis. Nicolaus Helveticus Undervaldensis multorum annorum inedia & prædictionibus inclarescebat.

In Germania Rodolfus Agricola, Conradus Celtes, primus è Germanis Poëta laureatus, Joannes Reuchlinus, qui & Capnio, Hebraismi instaurator, Dionysius Carthusianus scripturarum interpres, Joannes de Monte regio Astronomus. Joannes Wesselius Pontificiorum Censor errorum, Moguntiæ damnatus: Petrus Uxamensis Toleti. Academiam Ingolstadiensem anno LXXI 1471. Bavarus, Tubingensem anno LXXVII 1477. Eberhardus Wittenbergicus excitarunt. Hartmannus Schedel historiam contexuit.

Volaterr. Anthrop. lib. 23. Onuph. in Innocent. 8.

Sixti IV locum implebat Joannes Baptista Cybo Genuensis, Innocentium VIII vocarunt. Is innatam avaritiam dicteriis scommatibusque solitus velare. Liberos ante Pontificatum susceptos ad summos honores provexit. Ursini sub eo & Columnenses atroci se bello laniabant, quod alio graviori ipse interpolavit.

Aquilanos enim, opulentam Civitatem, suo adjungere imperio cupiens, adversus Ferdinandum regem eos tuendo, cruentum tumultum excivit. Venetos, & Columnenses adscivit socios, Insubres, Florentini, & Ursini regem sequebantur. Cædibus incendiisque sævitum. Alfonsus, Calabriæ dux, Latium Hetruriamque, captis direptisque oppidis, fœde laceravit. Tandem Innocentius, relicta Aquila, ut ærario consuleret, damnum bellicis impensis acceptum, institutis venalium officiorum collegiis, resarsit. Ferdinandum, ob negata sibi tributa, anathemate notatum exautoravit. Zemem Mahumeti filium in custodia habuit, ingenti ob eum à Bajazete fratre auro cultus. Id ita accidit:

Annal. Turcic. Sabell. Enn. 10. lib. 8. Æmil. lib. 10. Hist. Turcogræciæ. Crus. l. 1.

Byzantii morte Mahumetis tumultuatum, parteque in contrarias itum fuerat, aliis Bajazetem stirpis maximum patre nondum Imperatore, aliis Zemem vel Zizimum eodem jura dante natum, ad imperium vocantibus. Cum abessent ambo, Bajazetis filius in regia sede locatur, dum pater advolaret. Bajazetes ergo Byzantium, Zemes Prusiam occupavit Bithyniæ. Bajazetes, revocato ex

1481.

Apu-

Apulia exercitu, Neapolitanis recuperandi Hydruntem anſam præbuit. Matthias Hungarus Turcas ultra Danubium removere annixus, importuna Cæſarianorum irruptione revocatur. Quare Viennam expugnavit, totamque ſubegit Auſtriam, ab Alberto demum Saxone fractus, ut pacem amplecteretur. Bajazetes interim cruento fratrem prælio devicit in Bithynia, qui pulſus procul in Syriam, atque inde per Arabiæ deſerta in Ægyptum ſe contulit, fidem Sultani implorans. Ab eo perhumaniter exceptus, cum à fratre nihil æqui impetraret, ſpem concepit, vicinos Turcis Satrapas ad ſeſe defecturos. Apud Cilices invenit auxilium, ſed maximis impar viribus, deſcendit in maritima Ciliciæ, fideque publica ad Rhodios trajecit. Rhodii honorificentiſſime exceptum in Franciam tranſvexere: à Ludovico rege Innocentio petenti tranſmiſſus eſt.

Provincia tum ad Francos devenit, ſtemmate Andegavenſium exſtincto. Maximilianus Romanorum rex dictus Francofurti, Francos in Morinis acie profligavit. Maria ejus conjux delapſa equo, per venationis ſtudium, occubuit, relictis Philippo & Margareta parvulis. Ex ejus morte Maximilianus in Belgio parum autoritate valebat. Margareta trimula Delfino deſponderetur, doti adſcriptis Atrebatibus, & comitatu Burgundiæ. Delfinus, exſtincto paulo poſt patre, tertium decimum annum agens, præeſſe regno haud poterat. Latine eum ſcire pater vetuerat, præter illud unum: *Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare*, Sorori regis & duodecim paribus Reſpub. commiſſa. Deceſſerat & Eduardus IV Anglus, Henricus VII gener ejus è Britonia, ubi exulabat, furtim elapſus, Richardum tertium, Eduardi regis, ſoceri ſui, fratrem, qui matri propriæ adulterinum impegiſſet concubitum, ex eoque Eduardum ſuſceptum jactaſſet, necaſſetque ejus filios, ſub ſignis occurrentem prælio vicit, occidit, ac eo regno potitur.

In Hiſpania Eliſabeta vel Iſabella, Joannis II Caſtilionenſis filia & hæres, Caſtiliam ſecum dotali nomine ad virum Ferdinandum traxit. Luſitanorum magna pars ad Alfonſum Galliciæ regem inclinabat, unde factum, ut univerſa terra gravi exarſerit bello.

Poſt varias hinc inde acceptas illataſque clades, in Numantino agro vincitur Alfonſus, ſpeque omni occupandæ Caſtiliæ dejicitur. Ferdinandus jam late Hiſpaniæ imperans, plurium annorum bello Maurorum opes in Betica (quæ nunc Granata dicitur) oppugnavit, ac poſtremo totius regni viribus, cum Iſabella conjuge connixus, anno ejus ſeculi nonageſimo, regnum barbaræ gentis in ea terra funditus evertit, Mele ſeu Baudele Maurorum rege cum urbe regia in poteſtatem redacto, anno circiter DCCLXX, quam Saraceni Hiſpaniam invaſerant. Inquiſitionis officium exinde in Mauros Judæoſque inſtitutum. Ferdinando Catholici nomen datum. Centum viginti quatuor millia familiarum migrare Hiſpaniis juſſæ. Ex eo tempore gens Hiſpanica multo per orbem illuſtrior facta, altero velut orbe terrarum, Hiſpanorum regum auſpiciis, gentibus patefacto. Chriſtophorus Columbus Genuenſis naucleri cujuſdam naufragio edoctus, incognitas latere occidentali in Oceano terras, primus omnium claſſem tentare auſus eſt, anno MCCCCXCII. Cum Fortunatas inſulas (Canarias vocant) tribus navibus tenuiſſet, inde centeſimo, quam Gadibus ſolviſſet die, Leucajas inter Cubam & Floridam inſulas attigit: Mox Hiſpaniolam, aliaſque regiones luſtrare cœpit.

Fridericus ſub hæc Imperator Maximilianum filium, à Brugenſibus Flandris captum, præcipua uſus Alberti Saxonis opera, liberat. Albertus, Hector dictus Teutonicus, non Brugenſes ſolum ad deditionem compulit; verum etiam Eburones, Sicambros, Batavos, novenni bello attritos, Maximiliani agnoſcere coëgit imperium. Frequens iis præliis rex ipſe interfuit, ducemque ſuum

Philip. Comin. lib. 9. Tom. 3. rerum Germ. editus à Marq. Freshero p. 17. Nauel. gen 50. Q. Æmyl Cimbr. Encomia 1. & 2. Jac. March. lib. 3. deſcripſ. Fland. Matth. Beroal. lib. 4. Chronic. Comin. l. 10. Comm. Polyd. Virg. l. 25. Chyt. part. 1. Chron. Sax. l. 5. 1416. Sabell. lib. 7. Enn. 10. Chron. Citiz. Luc. Marin. de rebus Hiſp. lib. 19. Ælius Anton. Nebriſſ. l. 3. 4. 5. 6. rerum à Ferd. & Eliſab. geſtarum. Joan. Mar. lib. 25. de rebus Hiſp. Sabell. lib. 1. Enn. 13.

Lucius Marin. Franc. Tarap. d. regib. Hiſp. Nebriſſ. dec. 2. l. 1. 2. 3. 4. Carolus Verar. de expugnat. Gran. Caſp. Enſ. l. 1. Hiſt. Joſeph. à Coſta l. 1. de nat. novi orbis. Joannis P. Maff. Hiſt. Ind. lib. 1. Chron. Hirſ. Lang. Chr. Citiz. Naucl. gen. 50. An 1488. Q. Æmylianus Cimbr. Encom. 34. 5. Chron. Hamb. Thracig. Camp. de Comitiis Ratiſp.

Frisonum provincia remuneravit. Eoam vero Frisiæ partem Ulricus Nordanus, emta ab Hamburgensibus Embda, tenebat, Comitis titulo ab Imperatore Friderico fatis vicino exornatus. Fridericus enim anno imperii LIII, ex carcinomate defecto crure, decessit Lintii, pacis & otii, quam Respublica ferret, studiosior. Africa (inquit Langius) amissa, Asia sub jugum missa, *Europa, eo imperante, adeo in angustias coacta, ut fidem, qua totus pridem personabat orbis, exiguus occidentis, incomtusque hirti septentrionis angulus vix audeat tuto profiteri.* Triennio ante obierat Matthias rex Viennæ, cum literis simul armisque Pannoniam exornasset: à cujus excessu Maximilianus Austriam recepit. Ladislaus, Casimiri Poloni filius, Bohemiæ Hungariam adjunxit. Anno XCI Carolus VIII Francus Rex, Margaritæ, quam impubis ipse impuberem sibi desponderat, repudium dedit, Britoniæque hæredem, Maximiliano pactam, suo toro applicuit, gemina in Maximilianum injuria, cum & filiam ejus aspernaretur, & præriperet sponsam.

P. Lang. Chron. Citiz. Philip. & Peucer. Chr. l. 5. Tom. 3. Rerum Germ. Freh. pag. 37. Annal. Turc. Petrus Bembus. Hist. Venet. lib. 16.

Bajazetes variam expertus sortem est, fratre pulso. Moldaviam à Walacho adjutus subegit, à Sultano Ægyptio multas in Cilicia pertulit clades. Tharsum, Adanem, Larandam, multo sanguine Ægyptius expugnavit. Cum bellum utrinque maximis esset viribus gestum, modestior tandem Bajazetes Oratorem Ægyptii humaniter habuit, pacemque restitutis sibi Tharso & Adane fecit. Deterior Barbaro Alexander VI, Rodericus ante Borgia, Pontifex fuit, qui emtis Cardinalium suffragiis, quos auro corruperat, ut dignitate potiretur, potitus ea suffragatores exitio dedit. Tam impudenter nundinatus sacra, ut versu notaretur:

1492. *Onuph. in Alex. VI.*

Vendit Alexander claves, altaria, Christum.
Vendere jure potest, emerat ipse prius.

Pessimo tamen seculo doctissimi efflo-

ruere viri, Joannes Picus Mirandulanus, Joannes Trithemius Spanheimensis, Antonius Coccius Sabellicus, Jacobus Philippus Bergomensis historiarum scriptione insignes. Rostochienses interempto collegio canonicorum, quos Magnus & Balthasar principes introduxerant, præposito Thoma Rhodio, plurima civitati suæ incommoda accersivere, quæ auro tandem & deprecatione humili sublata sunt.

Joan. I. Frisi. in Bibl. Philos. Thrac. in Chron. Hamb.

Jacobus Usumcassano genitus, cum veneno ab impudica uxore peteretur, prægustare insidiatricem coëgit. Quod cum illa fecisset, rex accepto eodem poculo, datoque filio, cum uxore filioque interiit. Ismaël Sophus, sororis filius, avitum Persarum regnum recuperavit.

Reddita fuerat & Friderico Austria, avitus principatus: Verum Ladislaus Polonus, Matthiæ Corvini apud Hungaros, & Poggiebracii apud Bohemos successor, Hungariam sibi pro peculio asserebat. Pactum id impugnabat Maximilianus rex Romanorum, coactoque è Germanis potissimum milite, Belgradum cepit, parumque aberat ut totam Hungariam revocaret ad Austriacam domum. Sed cum milites parum obsequentes haberet, conventum est in conditiones, ut, si Ladislaus è vidua Matthiæ regis liberos non gigneret, regnum ad Maximilianum, ejusque hæredes devolveretur. Belgradum (Albam regalem vocant) Ladislao receptum.

Hist. Turcograc. lib. 1. Peucer. Chr. l. 5. Henric. Bebel. epitom. Laud. Suevor.

Poloniam, defuncto Casimiro, patre Ladislai, frater ejus Joannes Albertus, literarum quam armorum melior gubernabat, mox Barbarorum incursionibus affligendam.

Adscribere juvat Philippi Cominæi, cordatissimi scriptoris, de ejus seculi, quo & vixit, rebus judicium. *Nihil*, inquit, *præstabilius est mediocri vitæ genere, quod qui honeste acquisitum tuetur, is omnium certe est felicissimus. In rebus humanis ita comparatum est, ut nullus fere sit populus, quem non æmulus aliquis exer-*

Comin. lib. 10.

exerceat. Gallis oppositi sunt Angli, Anglis Scoti, Hispanis perpetua quædam simultas intercedit cum Lusitanis. Italiæ principes magna ex parte retinent possessiones, nullo fere titulo, & acerbe suis imperant. Iis adversantur reliquæ potentiores civitates, Venetiæ, Florentia, Genua, nonnunquam etiam Bononia, Sena, Luca. Aragoniæ reges oppugnantur ab Andegavorum ducum familia: Mediolani & Insubriæ Vicecomites ab Aureliana domo. Venetis sunt infesti principes Itali & Florentini: Senenses autem & Genuates oderunt Florentinos. Genuates laborant, & sunt divisi civilibus factionibus Fregosiorum, Adurnorum & Auriorum. In Germania magnæ sunt inter Austriacam & Bavaricam domum æmulationes, & quæ sunt ex Bavariæ ducum stirpe natæ familiæ, inter se ipsæ dissident. Austriacis principibus grave est odium cum Helvetiis. Impugnantur à Clivensibus Geldri: & hi valde sunt iniqui Juliacensibus. Quæ sunt ad Oceanum Germanicum & Balthicum mare civitates, bella sæpe gerunt cum Daniæ regibus. In Germania plurimæ sunt arces & castella munita, quæ res licentius agendi multis occasionem præbet. Populi Asiæ Africæque, dicuntur inter se non minus quam nos, imo turpius aliquanto dissidere. Nam in servitutem se pertrahunt ipsi, seque invicem nostris hominibus venundant. Et videmus, quam multi quotidie ad Lusitanos deportentur. Itaque *nihil est in hac ærumnosa vita præstantius, quam divinum metuere judicium, & studere in omnibus æquitati, contentumque esse mediocri vitæ genere: neque defatigari iis curis, quales fere suscipiuntur à plerisque nimia quadam cupiditate & ambitione augescendi.* Hæc ille, quibus nihil verius, *consuevitque Deus excitandis torpentium animis ostentare mundo prodigia.* Sic designandæ dissidiorum fœditati natum reperio monstrum in Scotia (cujus regem Jacobum III conjurati interfecerant) biforme à capitibus ad umbilicum, inferius unus homo, diversis pugnantibusque inter se voluntatibus, quod XXVIII annis produxit vitam. Prope Basileam lapidem trecentarum librarum de cœlo cecidisse prodit Trithemius. Hermannus Risvichus Batavus, cum immortalitatem animæ, universamque Christi doctrinam, fabulas esse nugaretur, maluit vivus exuri, quam teterrimas blasphemias retractare, hæreticorum stolidissimus.

Georg. Buch. A. 1489. Chron. Hirs.

ann. 1492. Bellar. Chron. part. 2.

MAXIMILIANUS I. Romanorum Imp.

A. M. 5456. Christi 1486.

BAJAZETES II, & SELIMUS I, Turcæ.

MAximilianum unicum è Leonora Lusitana filium, Fridericus pater imperii consortem adsciverat, annuente Electorum collegio. Exstincto deinde Friderico, Maximilianus attritam valdè Cæsaream dignitatem, varia fortuna XXV annis gessit. Par utrique sorti visus, à magnitudine animi, munificentia, pietatis literarumque meliorum amore, antiquitatis præsertim studio, plerisque laudatus. Viennæ collegium Mathematicorum Poëtarumque erexit, ubi poëtas laurea ornandi facultatem Conrado Celti tribuit. Comitiis Wormatiensibus sedes Academiis singulos deligere Electores jussit. Illis auspiciis Academia Witebergensis in Saxonia à Friderico Electore, anno secundo supra sesquimillesimum & Francofurtensis ad Viadrum, annitente Joachimo Brandeburgico, anno ejusdem seculi sexto, efflоruit. Nec facile alia ætas plures historia omnique eruditione celebres fudit. Nobilitarunt imperii Maximiliani initia repertæ ad Sudetes montes argenteæ venæ.

Tom. 2. rerum Germ. edit. Freheri, p. 239.

1511.

Lang. in Chron. Citiz. Trith. in Chr. Hirs. Huld. Mutius lib. 30. D. Chytr. lib. 2. Chr. Sax. Georg. Fabr. l. 7. Orig. Sax. Albert. Krantz. Sax. l. 13.

Locus à Sylvis horridis Schreckenberg dictus, novos exinde nummos præbuit, oppidumque Annæbergam, quod subito effossis è terra opibus auctum est. Prima Cæsari in Turcas, Croatiam vastantes, expeditio fuit: Sed illi

Christianorum mactatis, pluribus in servitutem raptis, abierant. Croatia tamen in fidem Maximiliani rediit. Mox versa in Carolum Geldrum arma, qui hæreditatem, patris Adolfi impietate amissam, multisque annis Burgundo possessam, à genero ejus Maximiliano repetebat. Eum fregit Albertus Saxo, qui dextera manus imperii appellari meruit. Philippus Maximiliani è Maria Burgundica filius, Belgarum princeps salutatur. Alberto Saxoni præmium militiæ datum à Cæsare Frisia, è qua ille nihil fere præter labores & sanguinem tulit. Nam dum eam feralibus dissidiis fluctuantem subigere tentat, morte intercipitur. Filii Georgius & Henricus, quod imperfectam victoriam prosequi anniterentur, cladibus quidem implevere Frisiam, sed semetipsos simul viribus pecuniisque exhauserunt; Frisii alieni, multoque servilis impatientes jugi, in libertatem semet, sed cruento Marte, vindicarunt.

Philip. Comin. lib. 2. de bello Neap. Volat. lib. 6. Mich. Ritius de regib. Siciliæ lib. 4. Franc. Guic. lib. 1. Hist. Italic.

Durius bellum Italiæ incubuit. Ferdinandus Rex Neapolitanus, mente subdola, nemini fidus, decesserat anno MCCCCXCIV. Rem paternam susceperat Alfonsus, nihilo gratior Italis quam pater, cujus imitabatur sordes, impietatem, sævitiam, libidines. Francis imperabat Carolus VIII, qui Franciscì Britonum ducis filiam, Maximiliano pactam, præripuerat, Henricum VII Anglorum regem auro placarat, bellum Galliæ inferentem. Ei spes ingestæ amplissimæ, per odia subditorum in Aragones, totius Apuliæ, ac per eam Siciliæ Græciæque occupandæ. Favebat juris species, quod exstincta familia Andegavensium, ultimi ex ea stirpe regis testamento hæres esset scriptus. Incitabant Neapolitani exules, incitabat Ludovicus Sfortia, ut nepotem suum, cui Alfonsi regis filia nupserat, per bellum Gallicanum Mediolanensi ducatu depulsurus. Incitabat initio & Alexander Pontifex, Alfonso infensus: qui cum se ei metu Gallorum submitteret, Caroloque insuper tributum offerret, remorari tamen iter institutum, in quod plurimi sumtus effusi erant, nequivit. Carolus paulo XX annis major, XX peditum, quinque equitum millia in Italiam duxit. Joannes Nauclerus L millia armatorum ei, præter aliorum fidem, tribuit. Maximilianus Cæsar, oblata sibi à Ludovico Sfortia in conjugem Blanca Maria, corpore animoque elegantissima virgine, ducis Mediolanensis Joannis Galeatii sorore, exuerat offensam, quam ex intercepta Britonica sponsa conceperat in Carolum. Ferdinandus Hispanus, restitutione Perpeniani & agri Ruscinonensis, Gallis erat devinctus. Itaque à nemine impeditur Carolus: urbes Italicas, novis passim imperiis studentes, sibi adjungit. Joannes quoque Galeatius, dux Mediolanensis, adolescentulus, seu fato, seu veneno raptus, vacuum Sfortiæ patruo locum facit. Petrus Medices Reip. Florentinorum princeps, quod metu adductus Pisas, Liburnum, aliaque ditionis Florentinæ oppida, Carolo permisisset, urbe ejicitur. Florentini pecunia adjuvant Carolum, oppida ei concedunt sua, quoad Neapolin intrasset. Alexander Romæ exceperat Ferdinandum, Alfonsi filium, cum copiis: Sed audito, omnia prospere Carolo evenire, jamque teneri ab eo Viterbium, inops consilii dimittit Neapolitanos, Carolum in urbem, seipsum Adriani in molem recipit; conscius sibi, quam turpiter solium Romanum adeptus, quanta cum infamia ei præsideret. Sic Romam intrat Carolus, extremo anni nonagesimi quarti die, largitione & promissis corruptus, ne à spurcissimo Pontifice pœnas scelerum exigeret. 1494.

Naucl. gen. 50. Mainus in Orat. Tom. 2. Germ. part. 220. Philip. Comin. lib. 1. belli Neap. Papyr. Mass. lib. 4. Annal. Comin. lib. 2. de bello Neap. Paulus Jov. lib. 2.

Inauguratur ibi regno Siculo, Gemum vel Zizimum, Bajazetis fratrem, bello adversus Turcam gerendo usui futurum, ad se traducit. Sed Pontifex petitioni Bajazetis satisfacturus, quicum occultam contraxerat amicitiam, id egit, ut vixdum Neapolin translatus Gemes vitam finiret, non sine perspicuis pro-

Fr. Guic. lib. 2.

propinati veneni notis. Sola arx Neapolis impetum Gallorum aliquandiu sustinuit. Cætera regni omnia ultro Gallis deditionem fecere. Alfonsus rex gnarus, quanto in odio apud suos esset, Ferdinando filio tradiderat regnum, Jovinianus Pontanus abdicationis formulam conscripserat. *Nemo enim crudelis vir fortis esse solet.* Messanam profectus, abstinentia cœpit monastica veteris vitæ flagitia piare. Eum Ferdinandus filius, arreptis navibus, celeriter insequitur, nullo fortitudinis specimine edito. Simul Fridericus, frater Alfonsi, qui classe tenebat mare, inglorius fugit. Diceres, *Dei nutu, adultos reges ac senes per adolescentem castigari.* At sicut per æstatem extremo in septentrione sol ubi occidit, modico post intervallo oritur vicissim: Sic & quæ Gallis affulsit fortuna, repente evanuit, Aragonensibus refulsit iterum. Ut enim in summo erant Galli honore initio, ob virtutis opinionem: Sic cognita eorum rapacitate, aliisque flagitiis, fœdum sui odium excitarunt. Rex ipse, cum antea bellum spiraret in Turcas, *subitanea felicitatis sensu corruptus, nihil seriæ rei agitabat.* Nobilitas Italica contemptui erat Gallis, eum rerum successum virtuti suæ tribuentibus. Quare cum Alfonsus & Pontifex Venetos, Ferdinandumque & Cæsarem de auxiliis sollicitarent, jamque Ludovicus Sfortia metueret Gallos, quos adjuverat, præsertim Novaria spoliatus nuper à Ludovico, Aurelianensi duce, facile ictum fœdus est de Gallis Italia exturbandis. Carolus exhausto opibus regno Neapolitano, modica ei pro tempore præsidia imponit; ipse reflectit iter Romam versus, exiturus Italia, priusquam confœderati copias in unum contraxissent. Sed antequam discederet Neapoli, Ferdinandus Hispanus Rhegium, extremis in Calabriæ finibus oppidum, munierat. Mox Calabriam quoque & Apuliam, adductis è Sicilia præsidiis, Aragones recuperarunt. Novem millia reducebat secum Carolus; quæ nec ipsa retinuit integra; cum & Senensibus imponeret præsidium, & Genuam aliquot cohortes mitteret, Florentinos alienavit, non redditis, quæ illi tradiderant, oppidis. Igitur Veneti eum & Sfortiani cruento ad Tarum amnem prælio excepere, quo victores quidem Franci, at per Stratiotas Græcos, Venetis militantes, præda & impedimentis exuti sunt. Morbum, quem Gallicum vocant, Neapoli secum in Galliam miles traxit. Ferunt Hispanos eum ex Africa novoque orbe advexisse. Novariam confœderati obsidebant, quam à Ludovico, qui post Francis imperavit, interceptam diximus, antea Mediolanensibus subjectam. Ibi Gallorum jam duo millia fame interierant: reliquorum miseriis motus Phil. Cominæus, Orator regis Francorum, omnibus modis id égit, ut pactis induciis, liceret eis egredi salvis, atque interim pax cum Sfortia & Venetis fieret. Ea confecta fuit sane, sed infida, quum nec Sfortia suppetias Gallis promissas præstaret, sed Ferdinando subministraret subsidia: nec Veneti conditiones admitterent alias, nisi si in Turcam duceret Carolus, & Ferdinando regnum Neapolitanum sub tributo possidendum, relinqueret.

Maximilianus sub id temporis conventum agebat Wormatiæ, Eberhardum Wirtenbergicum creabat ducem, judicium Cameræ formabat, Sfortiæ Mediolanensi parabat subsidia. Francus rex cum in Galliam revertisset, nihil fere rerum per se ipsum agebat, neque per ætatem cavere sibi satis à deceptoribus poterat. Itaque commeatus subtractionem indignati milites, quos in Italia reliquerat, aut defecere ad Ferdinandum, aut turpes cum eo conditiones pacti, tradebant castella & urbes. Nec deerant, qui mera perfidia transirent statim ad hostes. De multis Francorum millibus pauci, iique infirmi remearunt in Franciam. Mox vero & Ferdinandus, quum Cajetam obsideret, nuperque toro adjunxisset amitam suam, febri vexatus discessit è vita. Horrescit animus Cominæo ista

Jac. Phil. Bergomensis Chr. l. 26.

Alexan. ab Alexandro l. 3. Genial. dierum cap. 25.

Comin. lib. 4.

Comin. lib 3. Mich. Coccin. de bellis Italicis. Fr. Guicc. lib. 2.

Comin. lib. 5.

referenti, notantique, matrimonia ejus generis haud pauca Ferdinandi majoribus contracta. Jam ante eum pater Alfonsus interierat, cujus frater Fridericus rem Neapolitanam arripuit. Sic biennio quinque Neapolis reges extitere, Ferdinandus, Alfonsus, Ferdinandus, Carolus Galliæ rex, & Fridericus, *Nec mirum sane, regnare illustribus in familiis calamitates, quum præter cæteram licentiam vitæ, in matrimoniis etiam jus fasque omne conculcant, rati, leges plebeio tantum sanguini latas, se supra omnia divina humanaque jura positos.* Igitur in Ferdinandi quoque Hispani domum haud exigua irruit clades. Unicus, qui erat filius, morte rapitur. Nurus, Maximiliani Cæsaris filia, fœtum edit mortuum. Gener Alfonsus, Lusitaniæ regis filius, tertio post nuptias mense delapsus equo, perfringit cervicem. Filia Emanuëli, demortui patrueli elocata, partus doloribus extinguitur. Ita ad Joannam Philippo nuptam, devolvitur hæreditas.

Mucius Marin. lib. 21. Hier. Blanca in rerum Arag. Comm.

1498. Neque Carolo VIII præreptio alienæ sponsæ feliciter cessit. Sobolem ex ea vitalem nullam tulit. Ipse cum Amboisæ ludentes pila spectaret, apoplexia ictus eo loco, ubi conciderat, nonam post horam exspiravit. Id ei fatum prædixerat Hieronymus Savonarola, hortatus simul in coram & literis scriptis (quemadmodum Philipp. Cominæus & legisse se, & audisse memorat) ut Ecclesiam reformaret, nec ad suorum conniveret rapinas & flagitia. Hunc cœlestis sapientiæ præconem Florentini in cineres redegere cum sociis, Pontificis instinctu, cujus horrenda flagitia carpebat & tyrannidem. Viro, sanctitate vitæ & prædictionibus claro, imputata est dissidii excitatio in Republ. crimen Apostolis, aliisque Christi testibus solitum impingi. Neque vero melior Cajapha Alexander VI, Pontificiis historiographis testibus. Primum Cardinales, à quibus Pontificatum emerat, variè ab eo damnati, debitas, ut ait Onuphrius, scelerati studii, venalisque suffragii pœnas dedere. Tum Ursinos bello persecutus æstate una, cum nihil inde præter dedecus reportaret, in gratiam eos recepit. Spurios deinde suos, Innocentii exemplo, palam jactare, solutaque omni disciplina honoribus & divitiis cumulare unice studuit. Lucretiam filiam Hispano, cui nupserat, ademptam tribus principibus, primum Joanni Sfortiæ Pisaurensi, deinde Aloisio Aragoni, tertio Alfonso Estensi, Ferrariæ duci, contra jus fasque elocavit, simul ipse eam in amoribus deliciisque habuit, filiis rivalibus patris: unde Pontanus & Sanazarius versibus in hæc facinora luserе.

Comin. lib. 3. & 5. de bello Neap. Franc. Guicc. lib. 3.

Guic. l. 2. Volater. l. 23. Anthr. Onuph. in Alex. VI.

Pontanus.

Hoc jacet in tumulo, Lucretia nomine, sed re
Thaïs, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Actius Sanazarius.

Pollicitus cœlum Romanus & astra Sacerdos,
Per scelera & cædes ad Styga pandit iter.

Et in Lucretiam idem.

Ergo te semper cupiet, Lucretia, Sextus!
O fatum diri numinis, hic pater est.

E nothis minimum, principem regni Siciliæ, medium, Cæsarem Borgiam Cardinalem, maximum Candiæ ducem in Hispania fecit. Sed hunc Cardinalis noctu vagantem per insidias occidi, projicique in Tiberim jussit. Post cujus mortem spreto sacerdotio, cupidus dominandi, se in Galliam cum magna vi auri ac supellectilis contulit. Regnabat jam Ludovicus XII, patruelis Caroli VIII, qui cum regno Neapolitano, Insubrum quoque imperium, hæreditatis jure, ad se pertinere contendebat: Quippe cujus avia Valentina fuerat primi Insubrum ducis Joannis Galeatii filia. Ergo con-

contra Ludovicum Sfortiam, & regem Fridericum, cum Pontifice, Florentinis, Venetis, & Ferdinando Hiſpaniæ rege, execrabile, ut ait Onuphrius, ac Italiæ funeſtum fœdus, his conditionibus percuſſit, ut principatu Mediolani acquiſito, Cremona Venetis dederetur, Cæſar Borgia Papæ filius, qui ſacram purpuram, ducta uxore Carlotta de Aliberto, Francorum regis propinqua, depoſuerat, Æmiliam, Flaminiam, Picenum & Umbriam, veteribus dominis ejectis, obtineret. Reges vero Hiſpaniæ & Francorum, regnum Neapolitanum ſibi dividerent. Ingentibus igitur & potentiſſimis copiis comparatis, Sfortia parvo labore à Ludovico rege Mediolani imperio exuitur. Borgia, ejectis aut necatis Æmiliæ Hetruriæque principibus, maximum ſibi in Italia dominatum comparat. Dici paucis nequit, quantum doli cædiſque patraverint Pontifex ejuſque filius, ut execrandas cupiditates adimplerent. Volaterranus, Guicciardinus, Jovius, & ex illis Onuphrius, idonei teſtes ſunto. In urbe, inquit Volaterranus, gladiatorum nunquam licentia major, nunquam populo Romano libertas minor. Delatorum magna frequentia, breviſſimo maledicto pœna mortis erat; graſſatorum inſuper omnia plena, nec noctu tutum per urbem iter, nec interdiu extra urbem. Roma gentium refugium, & arx populorum, nobilis jam carnificina erat, quæ quidem omnia Alexander ſuorum cauſa, quibus omnia indulſerat, permittebat. Hic vero inter reges partiebatur orbem novum: Quæ ad Orientem ſpectarent, Joanni Luſitano, occiduas partes Ferdinando attribuens.

Volater. in Anthr. lib. 23.

Alex. ab Alex. l. 7. Gen. dierum c. 7. 16.

Luſitanus, ſuperato ſuis auſpiciis Bonæ Spei promontorio, clauſit vitam, Emanuële, Ferdinandi ejus patrui filio, ſucceſſore. Americus Veſputius Florentinus novam continentem, cui nomen ab ipſo Americæ inditum, Ferdinando Hiſpano aperuit.

Joannis Mariana lib. 26. c. 11. 17. Hieron. Oſor. l. 1. Maffeii Hiſtor. Indic. lib. 2.

Ut felix illis expeditionibus Hiſpania, ſic miſera ſuis Polonia fuit, Joanne Alberto rege. Hic enim dum Albipolin & Lycoſcoviam, inſtigante Moldavo, bellis appetit, in anguſtiis montium à perfidis Valachis ſpoliatur exercitu, barbariſque in Poloniam irrumpendi audaciam præbet. Adjuncti enim Valachis Tartari, quum omni ſævitia in Polonos eſſent graſſati, ad centena hominum millia mœſtam in ſervitutem rapuere. 1497. *Nicol. Roſenb. in legat. ad Maxim. Chyt. l. 3. Chr. Sax. Mart. Crom. lib. 30. Hiſt. Pol. Bilib. Pircheim. de bello Helvet. lib. 2. Naucl. gen. 50. Huld. Mutius lib. 30. Germ.*

Haud multo felicior Auſtriacorum in Helvetios expeditio fuit. Auſtriaci enim ſucceſſu rerum inſolentes, cum Sigiſmundo, Maximiliani patruo, habenas principatus extorſiſſent, in Curienſes, Engadinos & Griſones injurii, ademtas Epiſcopo Curienſi arces non reddebant. Erat enim eis in animo, Rhetos Helvetioſque ſub excuſſum pridem jugum reducere. Prætexebatur cauſa, quod Helvetii Suevico fœderi nomina dare nollent. Rheti Helvetios, Auſtriaci Suevos Francoſque in ſocietatem armorum traxere. Sed erant illi diſciplinæ militaris obſervantiſſimi, *virtuti plurimum, fortunæ in omnibus minimum tribuebant:* Cæſarianos duces pleroſque & peritia rei militaris, & militis obedientia deficiebat. Itaque cum octies pugnaretur, ſemper victoria ab Helvetiis ſtetit. Apud Conſtantiam urbem M D Helvetii decem Cæſarianorum millia fugarunt, cumque duo hoſtium millia occidiſſent, vix unum aut alterum deſiderarunt è ſuis. Maximilianus tandem ipſe, licet Geldrenſi diſtentus bello, advolavit. Quo præſente, paulo quidem melius res geſtæ, vaſtatum paſſim hoſticum ſolum, in præliis complures etiam Helvetiorum perempti, ſed nihil tamen ſolidæ victoriæ partum. Fames utrinque fœda plurimos mortales abſumſit. Bilibaldus Pircheimerus, qui octingentos tunc Norimbergenſes pro Cæſare ductaret, greges puerorum puellarumque, ait, ſe vidiſſe, paſtum actos prata, ad herbas jumentorum inſtar vorandas. Cæſarianis præerat Henricus comes Furſtenbergius, magnus contemptor hoſtium, qui diſciplinæ milita-

militaris neglectu, ad Dornecum arcem à Bernensibus & Solodurensibus prostratus, cum quatuor millibus occubuit. Sfortia Mediolanensis, quem tunc maximè urgeret rex Francus, pacem facere inter Cæsarem & Helvetios summopere annixus, priusquam pax planè coiret, omni fere ditione expellitur. Tandem Basileæ, quum *dura bellantium corda auro emolliisset* ejus legatus, sopitum est crudele dissidium. x x pugnatorum millia occiderant, nec alterutris quicquam accessit, nisi quod ante discordiarum initium possedissent. In hoc bello noviſſimum virtutis suæ specimen edidisse Helvetios, Bilibaldus, qui id descripsit, censet: deinceps incrementa eorum *fastum avaritiamque communes felicitatis pedissequas*, excepisse.

Camil. Gilinus de expedit. Ital. Max. Tom. 3. Germ. Freh.

Tum vero Sfortia omnibus modis stimulare Maximilianum, ut pro salute Italiæ Alpes illico transcenderet. Idem Veneti & Pontifex per Oratores postulare. Cæsar vicissim flagitare, ut rem pecuniariam celeriter expedirent Veneti, festinatoque itinere in Italiam contendere. Verum cum ex condicto neque aurum Veneti, neque copias ad oppugnandam Florentiam sisterent, nequicquam tentato Liburnensi portu, Cæsar indignationis plenus in Germaniam revertitur. Galli, qui exterriti Cæsaris adventu, trans Alpes reduxerant exercitum, eo digresso, mox in Liguriam & Transpadanam oram irrupere. Cæsar interim tentatis Francorum finibus, cum nihil à confœderatis auxilii veniret, Geldricum metuens bellum, pacem cum Ludovico fecit Cameraci, qui Sfortiam mox tota Insubria ejecit, maximoque cum splendore ingressus Mediolanum, Longobardorum dux appellatus est. Sfortia ad Cæsarem profugit. Ei frater Ascanius Cardinalis, versutissimi homo ingenii, brevi amissa recuperavit, quod Insubres ægre ferrent Gallorum militum insolentiam. Id Ludovicus non ferens, novos scribit milites, interque eos sex Helvetiorum millia. Sfortiæ suaserat Cæsar, ut solis uteretur Suevis, quod inter Helvetios Suevosque haud facile conveniret. Id ille consilium aspernatus, malo suo optimum fuisse didicit. Cum enim ad certamen ventum esset, Helvetii Sfortiani noluerunt cum gentilibus suis, qui Franco militabant, manus conserere: Sed congressi jungebant dexteras, felicia sibi invicem comprecati. Ita desertus Sfortia, capitur à Gallis, inde & frater ejus Ascanius à Venetis, amboque Gallicano in carcere contabuêre. Ita quatuor mensibus Mediolanensis ditio, omnium Italicarum pulcerrima fœcundissimaque, dominum mutavit.

Guicc. l. 4. Mich. Coccin. de bellis Italicis. Naucl. gen. 51. Huld. Mutius lib. 30.

Bajazetes, tyrannus Turcicus, Methonem Venetis ereptam, omni pube masculâ spoliavit. Ambitione Græcorum incitatus, à Joachimo Patriarcha tria ducatorum millia exegit annua. *H. Turcog. lib 2.*

Inter hæc Alexander anno MD Jubilæum celebrat, his qui venire neglexerant, seu minime poterant, per diplomata licitatus. Angelum supremum, Hadriani moli impositum, dejecit fulmen, ruituri papatus omen: quem Alexander restituit. Eo, qui sequutus est, anno primo ejus seculi, cruces variæ, interque eas cruentæ admodum in vestibus, indusiis, mulierum peplis, ipsaque adeo cute multorum apparuere, maximo cum spectantium horrore. Indignari diceres Deum, oculisque subjicere crucis signa, quam contemptim adeo haberent mortales, ut vel tantis è prodigiis commonefacti crucis Christi, desisterent à superstitionibus & vitiis, vel sanguine suo pœnas penderent. Sed *latius terrent portenta, quam emendant*, uti finiens suam historiam, ait Johannes Nauclerus, Præpositus Tubingensis, qui tum vixit. Subjungit is, qui tredecim sequentium annorum pertexuit historiam, Nicolaus Basilius, monachus Hirsaugiensis, statim seditionis malo cœptum laborari passim, pestilentibusque morbis & contagiis, queis nonnullis in locis tertia, alicubi dimidia pars hominum interierit. *Nicol. Basil. in Append. Naucl.*

Basilea,

Basilea, Scafhusa Mulhusium, deserto Imperio, fœderi se adjunxêre Helvetico. Diœceseos Spirensis rustici conjurarunt in capita magnatum, sacerdotibus imprimis infensi: Sed autores conspirationis suppliciis affecti sunt.

Judæi tum arbitrati Ismaëlem Sophum, patre natum Alcorani interprete novo, qui collecta undique exulum & miserabilium hominum manu, Mediam, Parthiam, Persiam, Mesopotamiam, Armeniam, secundo victoriarum cursu peragraret, Messiam esse suum: brevi didicerunt illum Judaicam gentem ut cœcam & infidelem detestari, legis Mahumeticæ nova, atque à Turcis aliena instituta, urgere.

Parturiebat enim hoc seculum plurima ubique terrarum nova. Mahumetismus findebatur in sectas, cum aliam Persæ, aliam Turcæ inciperent tueri. Petrus Alvarus Brasiliam & Calecutium Ferdinando indagabat; Emanuëli versus Orientem & Austrum novæ insulæ acquirebantur, qui & Ormusium & Malaccam postmodum, & Goën in India Alfonsi Alburquercii armis cepit, expulsis Saracenis. Prorsus Hispanæ genti novum surgebat imperium, id quod novus Ferdinando Hispano titulus, quem Catholicum Papa dixit, præsagiebat. Poscebat & novum curia Romana censorem. Nam canente Mantuano:

Hieron. Osorius lib. 5. c. 7.

Baptista Mantuan. Fast. l. 2. & Sylv. lib. 1. & 3. calam.

Vivere qui sancte cupitis, discedite Roma:
Omnia cum liceant, non licet esse bonum.
Sanctus ager scurris, venerabilis ara cinædis
Servit, honorandæ Divûm Ganymedibus ædes.
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignis, thura, preces, cœlum est venale Deusque.

Et:

I pudor in villas, si non patiuntur eadem
Et villæ vomicas: urbs est jam tota lupanar.

Vulgatis proverbiis: *Quo quis Romæ proprior sit, eo pejorem esse Christianum.* Item, *in nomine Dei* (id diplomatum Papalium exordium) *incipere omne malum.* Similiter: *Qui semel it Romam, videre sceleſtum: qui secundo, recognoscere: qui tertio, in patriam referre.* Non defuerunt divinæ veritatis præcones, Joannes de Vesalia Vormatiæ, Joannes Wesselus Groningensis, Gocchius Mechlinensis, Andreas Archiepiscopus Carniæ, Nicolaus Rus Rostochii, Paulus Scriptoris Tubingæ, Andreas Proles Lipsiæ, & alii gravioris censuræ prænuncii.

Lang, Chron. Citiz. Catal. Test. Veritat. l. 19.

Interim seculi istius anno secundo Ludovicus XII, ex fœdere clam cum Ferdinando icto, maximas in Fridericum Neapolitanum mittit copias, Ferdinandus Consalvus Cordubensis exercitum Hispanienſem Siciliæ applicat, prætendens se auxilio venire Friderico. Sic Fridericus, eodem tempore à duobus potentissimis regibus circumventus, facile opprimitur. Oppressus maluit aperto se hosti Ludovico, quam fucato consanguineo Ferdinando credere. Nec falsus opinione, pro regia majestate à Francis humanissime habetur. Hic imperii Aragonensium, quod LXXIX annis duraverat, in Italia finis, novique dominatus primordium.

Guic. l. 5. Volat. l. 6. Geograph. Thuan. lib. 1. Jac. Berg. in Chr. lib. 16.

1511.

Neque enim diu inter victores reges mansit in societate concordia. Exorta inter eos de finibus contentione, magno se ambo judice tuentes, ad arma devenerunt. Consalvus Baroli obsessus, collectitia manu majores Gallorum copias fudit. Variis deinde præliis superior, oppidatim cuncta subegit, ac Neapoli demum recepta, munitissimam illam arcem solertia expugnavit. Summa denique belli ad Cajetam redacta, quo se Gallorum reliquiæ ad octo millia ex fuga receperant, clausisque obsidione, supplementum post annum, armatorum fere decem millia, supervenere. At

Volat. l. 2. Mar. l. 27. & 28.

Consalvus *maluit Fabianis artibus bellum ducere, quam fortunam periclitando, ac militum sanguine abutendo, repentina hostem acie debellare.* Itaque ad ultimam redacti famem Galli, deditionem tandem fecere, postque eos civitas ipsa anno MDIV. Hispanus regno potitus, Alexandro album equum pro tributo misit: reliquum Pontifex condonaverat.

Guic. l. 6. Volat. lib. 23. Onuph. in Alex. VI.

At ille, cum animo adhuc majora de filio conciperet cœnamque venenatam Adriano Cardinali, aliisque Senatoribus instruxisset, fatali ministri errore, è lagena infecta potus, suamet fraude interiit. Borgia filius insutus ventri mulæ, recens exenteratæ, vim quidem veneni discussit, at gravi valetudine affectus, ausis plerisque excidit. Consumptus Alexander anno pontificatus XI, seculi istius tertio. Thesaurum Borgia omnem corripuit, Vaticanum, XII armatorum millibus insedit, ut Cardinales, successorem dicturos, in sua vota compelleret.

Onuph. in Pio III. & Iulio II.

Mox populus, velut capta urbe ad arma discurrit. Borgias æger adhuc, Nepet se deferri lectica jubet, Patres militem scribunt. Tandem Pius III legitur, Piccolomineus antea, qui tricesimo post creationem die periit, haud sine veneni suspicione, Borgiam in mole Adriani detinet. Sequitur Julianus Cardinalis, armiger magis quam claviger, qui Julii II nomen sumsit. Borgiam mille neces meritum, copiis urbibusque, ac omni dignitate exutum, ea dimisit conditione, ut Cæsenæ & Forolivii arces, ejus præsidio munitas, reciperet. Ille libertate impetrata, Neapolin proficiscitur, ubi à Consalvo captus, transmittitur in Hispaniam. Inde cum ex custodia ad Joannem Navarræ regem profugisset, ignobili quodam in prælio à Cantabris occiditur *è Cæsare nihil factus.*

Nicol. Basil. in Ap. Naucl. Huld. Mut. l. 30. Chron. Germ.

Cærerum Julius Ecclesiasticam ditionem non tantum recuperare, sed & latius proferre cupidus, Bentivolum Bononia pellit, ad Veneti nominis excidium cum Cæsare, Hispaniæque & Galliæ regibus, cum ducibus quoque Ferrariæ & Mantuæ, Cameraci in Belgis fœdus percutit.

Paul. Lang. in Chron. Citiz.

Maximilianus jam defunctus erat bello Bavarico, quod è Georgii Divitis testamento conflatum erat. Is enim Ruperto Palatino genero suo, omnem addixerat Bavariam, exhæredatis patruelibus, Alberto, cui Cæsaris soror nupserat, & Wolfgango. Cæsar, quum honestis pactionibus edictisque nihil proficeret apud Rupertum, proscriptionis eum sententia ferit. Philippo contra Electore filium protegente. Insurgunt ergo cum Cæsare & Bavaris Frid. Brandeburgicus, Guilelmus Hassorum Landgravius, Ulricus Wittenbergicus. Sæpius ambiguo marte concurritur, Bohemis Palatinum adjuvantibus. Sed vicerunt tandem partes Alberti. Cæsar Bohemorum mille sexcentos uno congressu occidit. Subacta Palatinarum ditionum pleraque, è quibus Maulbronnam, Winsbergam, Lauensteinum, Wirtenbergicus; Altorfium Noribergenses, alii alia decerpsere. Rupertus ea ex infelicitate contracto mœrore moritur, mox & conjux ejus Elisabeta. Ita Georgius, dum injuste ditare filiam conatur, ipsam generumque perdit. Philippus Elector reconciliatur Cæsari, deprecatus culpam: Ruperti filiis Neuburgum, Lauginga, aliaque oppida redduntur. Comes Leiningensis tantum hoc bello incendiorum excitaverat, ut neque templis parceret, neque cœnobiis, irritatoque Cæsare, tandem Germania pelleretur.

1504. Trith. Tom. 3. Freh. l. 97. David Chytr. Chron. Sax. l. 4.

Depositò hoc bello, Maximilianus Philippo filio suo, adversus Carolum Geldrum submiserat auxilia: qui morte socrus suæ avocatus in Hispaniam, Geldro provinciam avitam permisit, servato sibi in eam jure integro. Fuggeri Augustani Kirchbergensem comitatum emerunt à Cæsare, quinto ejus seculi anno, quo & Cometæ bini cruenta mundo bella, potentissimoque inter Europæos principi Philippo Burgundo præmaturam mortem denunciabant. Ille primus Belgicas provincias cum Hispania conjunxit,

Guic. l. 7.

1505. Chytr. l. 5. part. 1. Chron. Mar. l. 28. c. 12. 13. & c. 1506.

junxit, accitus à proceribus Castiliæ, ut defuncta socru regni administrationem capesseret, Ferdinando socero refragante, qui & ob id in Italiam se recepit. Sed Philippus inter summas spes fatis abreptus, vir annorum XXVIII, *exemplum dedit quam fallax incertumque sit illud, quod flagrantissimis omnium votis petitur, divitiarum honorumque culmen.* Ex Joanna Ferdinandi Catholici, & Isabellæ Castiliæ hæredis filia, Carolum reliquit & Ferdinandum filios, postea imperatu-

Petrus Bembus Histor. Venetæ lib. 7.

ros.

Polyd. Virg. l. 27. 1507. Contin. Palm. Mar. lib. 29. Guic. l. 8.

Insequenti anno ictum est Cameraci fœdus, quum Veneti armato Maximiliano iter per suas terras denegassent, Ariminumque & Faventiam ac Ravennam, Romanensis ditionis urbes, sibi subjecissent. Eo bello, Tergestum & Guizensem Comitatum Maximiliano ademerunt. Julius damnis accensus, fulmen suum torsit in Venetos; coactoque exercitu valido, ad Abduam cæduntur copiæ Venetorum, Livianus dux eorum capitur. Expugnatur Ravenna, sed ingenti cum Pontificii exercitus cæde. Maximilianus Tergestum, Veronam, Vicentiam, Forum Julium, Gurzium subigit, Patavium supina suorum negligentia, cum recepisset, amittit. Ludovicus Bergomum, Cremam, Cremonam, Brixiam suæ facit ditionis. Hispanus Tranum, Monopolim & Barlettam in Apulia, Ferrariæ dux Rodigium, Mantuanus Asulam occupant; Veneti intra urbem suam, circumflui maris beneficio permunitam, rediguntur. Annus ille MDIX non Venetis tantum, sed & Dominicanis funestus exstitit, qui convicti malarum artium, quibus statuæ Marianæ lachrymas excusserant, Bernæ exusti sunt. Similiter Judæorum non pauci, qui emtum à Paulo Formio sacrilego panem consecratum, ad maleficia adhibuerant, infanteque Christianorum nonnullos nefariè jugularant, Berlini & alibi pœnas exsolvere.

1509. Nicol. Basil. in App. ad Naucl. Paul. Lang. Chron. Citiz.

Lud. Helian. Oratio App.

Cæterum Maximilianus, cum apud principes, Wormatiæ congregatos, non obtineret aurum, ad bella per Italiam sustinenda, Augustæ eos exoravit, anno MDIX. Ibi Ludovici regis orator acerbissima oratione Venetos venenatos, perfidos, insolentes, Christianæ rei proditores, appellare ausus. Julius vero suasmet ductans copias, tantum illis ingessit terroris, ut obsequia ei deferrent humillima. Quorum ille motus delinimentis inconsulto Cæsare, rege Francorum invito, discessit à fœdere, novamque cum Venetis amicitiam inivit. Quin & Alfonsum Ferrariæ ducem armis adoritur, quod Franco nomini studeret. Ad hanc Pontificis intemperiem indignati Cæsar & Ludovicus, promta Cardinalium plerorumque utuntur opera, concilium Pisis indicunt, Julium ad dicendam causam citant, Bononiam ei eripiunt, Mirandulam eis Joannes Franciscus Picus tradit. Ille vicissim, destruendis Cardinalium placitis, aliud indicit Romæ concilium, quo & ipsos invitat, non obedientes diris insectatur. Interim suetis Pontificum artibus circumspicit, quem regibus tantis opponat. Repertus est Ferdinandus, gentes tunc Africanas felicibus armis premens. Ei persuadet, in Gallos & Cæsarem utilius, quam in Christianissimi hostes dimicari. Hispanus, imperato Numidis tributo, exercitum transportat in Italiam, castella aliquot capit. Incitatur & Henricus VIII, Angliæ rex, nuper patri Henrico VII suffectus, Hispani gener. Anglus contra Aquitanos movit, in quibus jus sibi vendicabat: Hispanus contra Joannem Navarræ regem, quod sibi, ut Gallis fœderatus, transitum armato non concederet. Eum homo alieni cupidus, à rebus omnibus imparatum, regno spoliat. Nec id satis Julio, tiaræ suæ metuenti: Helvetios in Italiam evocat, Joannem Medicen, cum tota domo Florentia exulem, legatum creat, alit rumorem, transegisse cum Venetis Maximilianum, ut interim Brixiani, Gallis præsidiariis infensi, urbem eis tradant. Id quod accidit. Levati clam in muros Veneti, Brixiam occupant; fit dira Gallo-

Trith. Tom. 2. rerum Germ. Frch. pag. 261. Guic. lib. 9. 10. Petrus Bemb. Histor. Venetæ l. 8. 9. Mar. lib. 30. Petrus Bemb. lib. 11. Hist. Venetæ. Mich. Coccin. de bellis Italicis. Polyd. Virg. lib. 27. Thuan. lib. 1. Onuph. in Julio II. Petrus Bemb. Histor. Venetæ lib. 12.

rum cædes. Sed rem edocti duces alii, cæsis Venetorum subsidiis, recuperant urbem, oppidanos mactant. Cumque carpi fines regni sui ab Anglo Hispanoque resciviſſet Ludovicus, constituit belli aleam in Italia jacere. It Ravennam cum universis copiis Gasto Foxius. Obsidionem soluturi adveniunt Hispani, Pontificiique. Fit acerrimum certamen ipso Paschali die. Vincunt tandem Cæsariani Gallique Pontificios: novem eorum millia occidunt, tria amittunt suorum, inter hos duces pleroſque, ipsumque tandem Foxium. Germani flexis genibus, Deo grates pro victoria exsolvunt.

Mich. Coccin. de bellis Italicis. 1522.

Raimundus Cardonus, Prorex Neapolitanus, aufugit: capitur Joannes Medices, paulo post Leo x, duceſque aliquot. Foxiano funeri XVIII vexilla, Hispanis erepta, præferuntur, Ravenna, Faventia, Forolivium, Imola, Gallorum ditioni se addunt.

Contin. Naucl. Basil. Huld. Mutius lib. 30.

Tum vero omnibus modis id agere Pontifex, ut Maximiliani recolligat gratiam, & impetrare. Cæsar Trevirensibus in Comitiis tunicam Domini inconsutilem, in ara absconditam, visus reperiſſe, felicior utique futurus, si vel consutilem inter Christianos concordiam reperiſſet. Nam Erfordia, Spira, Colonia, Vormatia, Halla Suevica, Lubeca, Ratisbona, Noriberga, Sueinfurtum, aliæque civitates sub ea tempora, cum senatoribus male administrati ærarii culpam impingerent, cruentis seditionibus exarserunt. Plerarumque finis is fuit, ut punitis, qui utrinque ansam præbuiſſent, tribuni ærarii etiam è populo legerentur.

Mox autore Julio, inter Cæsarem & Gallum fœdus rumpitur. Maximilianus Julio & Ferdinando aggregatus, Helvetiorum, quos Galli, occiso eorum legato, offenderant, conscribit copias. Imperium Coloniæ decem in provincias seu circulos partitur, Austriacum, Bavaricum, Suevicum, Francicum, Rhenensem superiorem, Electoralem, Burgundicum, Westphalicum, Saxonicum

1512. *D. Chytr. lib.* 5. *Chron. Guic. lib.* 11.

superiorem & inferiorem. Helvetii magno numero in Italiam perrumpunt, quorum subnixi viribus fœderati, Gallos Mediolani possessione, quod jam XIII annos tenuerant, expellunt, Maximilianum Sfortiam Ludovici f. reducunt. Rex Francus ab infesto Pontifice proscriptus, cum redintegrato exercitu, rursus Mediolanum, duce Ludovico Tremollio repeteret, ab Helvetiis sanguinario ad Novariam prælio victus, totaque ferè Italia excluſus est. Concilii Pisis inchoati, & Mediolani parum prospere renovati patres, Helvetiorum timore perterriti, Lugdunum se transtulerant, Julium execrantes. At ille, pulsis Bononia Bentivolis, Ravennaque recepta, Parmam & Placentiam adjicit suo dominio. Genuam Fregosii: Cremam & Brixiam Veneti; Florentiam Medicei, factionis Pontificiæ, occupant. Helvetii specioso assertorum Italiæ titulo ornantur.

Mart. Bellajus. Guic. l. 1.

Huld. Zwingl. de gestis Helvet.

Cæterum quum Veneti Veronæ Vicentiæque imperium Cæsari cedere obstinatissime recusarent, Pontifex novum cum ipso in Venetos cudit fœdus: Illi cum Ludovico in Pontificem & Hispanos. Quos avertere ab amicitia Gallorum frustra conatus bellorum artifex Julius, contracta ex animi dolore, metuque schismatis febri exstinguitur, tumultus excitatos Joanni Mediceo, id est, Leoni x, sepeliendos relinquens. Claves hic in Tiberim projeciſſe fertur aliquando, addens, valiturum Pauli gladium, cum claves Petri nihil possent. Ulricus Huttenus in illum, ut multa, ita & illud:

Tom 3. *Germ. Freh. Onuph. in Julio II.* 1513.

Joann. Balæus lib. 7. *de Rom. Pont.*

Fraude capit totum mercator Julius orbem,
Vendit enim cœlos, non habet ipse tamen.

Philip. Melan.

Ludovicus Francorum rex nummis inscripsit aureis: *Perdam Babylonis nomen.* Sed qui tam arctam cum Alexandro VI affinitatem contraxiſſet, qui repudiata conjuge, Caroli VIII sorore, ejusdem Caroli viduam sibi jungere non abhor-

Thuan. Hist. l. 1. *Berg. lib.* 16.

abhorruiſſet, quid proſperi ex eo Eccleſiæ? Hic ut Anglo domi faceſſeret negotium, Jacobum IV Scotum in eum armavit: qui inito prælio occubuit, cumque eo XV millia Scotorum. Erant, qui & Ludovicum, & Ladiſlaum Hungariæ Bohemiæque regem ad perſequendos Waldenſes incitarent. Sed illi edita fidei confeſſione, calumnias maſculè refellunt, factaque inquiſitione, meliores obtrectatoribus ſuis viſi, avitam religionem in pace conſervarunt.

Conf. fidei Wald. A. 1508.

Citiz. in Chron. A. 1513.

Sub hæc Julio Leo X delicatulus Pontifex militi ſufficitur, auri patrio more (ut ait monachus Citizenſis P. Langius) ſitientiſſimus, Romanæ Florentinam jungens avaritiam, cuncta pecuniis venalia habens, Baſilicam D. Petri à Julio inchoatam ita exſtruens, ut lapides diſecti, noctu ad palatium grande Mediceorum Florentiam tranſvolarent. Sanctus adeo, ut inter vina & lautitias Euangelium Chriſti, ut quæſtuoſam ſibi ſuiſque fabulam, irrideret. Quietis & otii cupidiſſimus, apud Ludovicum XII obtinuit, ut omiſſa Eccleſiæ reformatione, Lateranenſi concilio ſubſcriberet. Cardinales, qui à Julio defecerant, in gratiam reduxit. Sorori ſuæ Magdalenæ obæratus, quæ prodigalem ejus vitam ante Pontificatum aluiſſet, pecuniam à Quæſtoribus indulgentiariis conficiendam illi donavit: Magdalena eam curam committit Epiſcopo Aremboldo: ille præconibus, qui eos theſauros plurimo licitarentur.

Joan. Balæus lib. 7. de actis Rom. Pontific. Petrus Suavis Palan. in Hiſt. Concilii Trid. lib. 1. Thuan. lib. 1.

Sub iſta Ludovicus XII, pace cum Anglo facta, & poſt conjugis ſuæ Annæ Britonicæ repudium, ducta Regis ſorore, dum recenti amori ſenex licentioſius indulget, moritur: regnum Francorum defertur ex lege Salica, proximo agnato Franciſco Valeſio, eidemque genero ſimul regis defuncti. Huic Jubilæum mittit Leo, divulgandum per Gallias, cæteraque orbis climata, abyſſum malorum. Emungebantur ſub umbra Turcicæ expeditionis crumenæ vulgi. Exemptio animarum è purgatorio igni decem ſolidis æſtimabatur. Aucta ex eo rei indiguitas, quod ejus theſauri nundinatores, in luſtris & popinis, aleæ luſu aut deterius id profundebant, quod populus ſuum defraudans genium redimendis peccatis è diario miſer comparcebat.

Chriſt. Maſſ. in Chron. Franc. Guic. l. 13.

Strigonienſis præſul, per Hungariam legatus (ut vocant) Apoſtolicus, validam contraxerat manum, Papali inſtinctu in Turcas pugnaturam. Sed dum pax cum Selimo initur, commeatu deſtituti, qui cruces ſumſerant, ducem ſibi, mox regem legunt Georgium Ceculum, præliis in Turcas clarum, Pannoniaſque ſine diſcrimine deprædantur. Uno quadrimeſtri LXX occidunt hominum millia, in iis nobiles CCCC. Horrendam cruciatorum (ſic appellabantur) turbam Joannes Zepuſienſis tandem fame domuit, captiſque ducem ſuum immiſit devorandum. Atrox ſane ſpectaculum, & quod teſtimonio eſſe queat, è quo ſpiritu iſta præconia.

Cuſpin. in Diario. Rich. Barth. in Hodœpor. Card. Gurz. Lang. in Chron.

1514.

Exactiones Simoniacas juvit etiam Albertus Brandeburgicus, Germaniæ primas, idem Magdeburgicus ſimul Moguntinuſque Præſul, qui ut pallium redimeret (aucupium & hoc Romanenſium eſt) ſine onere Eccleſiæ, quam deceſſores duo, expenſis hoc nomine bis tricies mille aureis, depauperaverant, aurum à Fuggeris mutuo ſumſit, idque licitando expiationes animarum recolligere cupiebat.

Chytr. l. 6. Chr.

Sed diſplicebat hic quæſtus ſanctis Eccleſiæ filiis, quorum acerbæ paſſim querelæ ferebantur. Natio Germanica fidem operamque Imperatoris, conſignatis gravaminibus, implorabat. Cœpit & ventilari quæſtio, unde hæc noviſſimis patribus autoritas & doctrina, priſcis ignorata: Imprimis Martinum Lutherum, apud Wittebergenſes acri ingenio Theologum, ac ſinceræ impietatis zeloten, urebat imprudens Joannis Tetzelii & ſociorum ejus blaſphemia, qui nihil non ſcelerum papalibus deleri indulgentiis prædicarent. Hic refutatis primum, mox damnatis præconum concionibus, eo poſtremo devenit, ut ipſam Pontificis

Budæus de Aſſe. lib. 5. p. 705. &c. edit. Lugd.

1517. Lang. in Chron. Philip. Melan. in Hiſt. de vita & actis Luth.

poteſtatem, quam ſibi per illa diplomata arrogabat, in dubium revocaret: ac tandem ad doctrinæ examen, quam ſucceſſu temporis labefactatam dicebat, creſcentibus per adverſariorum, Wimpinæ, Eccii, Hochſtrati, & ſimilium pertinaciam animis, deſcenderet. Sed hæc poſtea acciderunt.

Cuſp. in Diario. Rich. Barth. in Hodæpor. Matth. Card. Bernar. Vapor. de geſtis Sigiſm. Chytr p.1. Chr. l.5. Sigiſm. ab Herberſtein Comm. Moſc. rerum. Onuph. in Leon. X. Lang. Chron. Citiz. Franc. Guic. l.12. Papyr. Maſſo l.4. Annal.

Anno MDXV Maximilianus adornato magnifice trium regum, Ladiſlai, ejuſque filii Ludovici, & Sigiſmundi Poloni conventu, cum eis Viennæ tranſigit, ut quoniam maſcula jam ſtirps Ladiſlao eſſet, Ludovicus adoleſcens, ei Maria nuberet, neptis Maximiliani è Philippo; & viciſſim Anna, Ludovici ſoror, Ferdinando Cæſaris nepoti, eoque pacto Auſtriacis in regna Hungariæ, Bohemiæque jus maneret. Promittit & Polono, ſe Albertum Boruſſiæ magiſtrum, qui ne provincia ſanguine Teutonum parta alienaretur à Germanis, ſubjicere ſemet Polono abnuebat, deſerturum, pacemque Polonis cum Baſilio Moſcho curaturum, qui Smolenſco eis erepto, acie victus poſtea, ingentes animo iras coquebat.

Dum Tractatibus illis Cæſar advigilat, Franciſcus rex, cum Anglo & Venetis jungit ſocietatem, Maximilianumque Sfortiam, munitum armis Cæſaris, Hiſpanorum Helvetiorumque, aggreditur. Helvetiis apud Meletianum fere ad internecionem cæſis, Mediolanum nullo negotio obtinet. Sfortiam ſe dedentem in Galliam mittit, Placentiam & Parmam, non auſo repugnare Leone, occupat. Imo Pontifex, mutata partium fortuna, quam ferè ſemper innata vanitate ac perfidia ſequebatur, fœdus cum Franciſco Bononiæ percutit, additque munus, ut ſublata veteris Eccleſiæ conſuetudine, jus ſit regi, quos velit, apud Pontificem proponere, & eos in Epiſcopos, aut cœnobiorum Præſules, diplomate ſuo creare Pontifex obſtringatur. Verum id pactum adeo prudentioribus diſplicuit, ut exitium Franciſco, ejuſque generi deinceps attuliſſe crederetur. Cæſar, ne obſeſſum Mediolanum reciperet, inopia fecit. Milites ob non perſoluta ſtipendia diffugere. Qua occaſione Veneti, ſingulares amplificandarum ditionum magiſtri, Brixiam vi, Veronam ex pactione Noviodunenſi, dato Cæſari auro, feliciter recuperarunt. Cum enim defuncto Ferdinando Catholico, hæredi ejus Carolo, Belgarum principi, perneceſſaria Franciſci regis amicitia haberetur, Maximilianus certis legibus depoſuit bellum Venetum, & novo Gallis fœdere junctus eſt, qui in octenne hoc bellum xv centena millia aureorum impenderant.

David Chyt. l.5. Chr. Thuan. lib.1.

Interim Leo Pontifex Franciſcum Feltrium Urbino ſpoliat, ut Laurentium intrudat, nepotem ſuum. Alfonſum Petruccium Cardinalem ejicit Senis, mox ex indignatione in caput ſuum conſpirantem ſtrangulat; inſidiarum conſcios Cardinalium non paucos, ordine movet: complendoque ſenatui unum & xxx Cardinales una lectione creat, inſolenti liberalitate, ſed è qua grande auri pondus ſibimet compararet. At in Germania creſcebat Lutheri nomen, cujus cauſæ plerique magni viri ac principes, contra Pontificem, jam manifeſto favebant. Cui cum diras tantum minaſque opponeret Leo, nec de corrigenda ſuorum audacia impudentiaque cogitaret, irritatum potius, quam ſanatum vulnus eſt: majoriſque periculi, quod à Turcis imminebat, metu, animum à rerum Germanicarum curis revocavit.

Annal. Turc. Guicc. lib. 13.

Etenim Selimus Turca, inſigni fraude tyrannidis potitus, eam haud minori felicitate propagabat. Bajazetem nimirum patrem velut inviſurus, imperio dejicere cogitarat: eumque Adrianopoli abeuntem aſſecutus cum copiis, quum dolo non potuiſſet, armis cogere ad deponendum principatum voluerat. Victus, refugerat Capham ad Tartaros, quorum regis filiam duxerat: inſtructuſque novo exercitu, pronis ad rebellionem Genizarorum animis, & altero ex fratribus Corcute non alieno à conſiliis, Conſtantinopolin erat receptus, patremque abdica-

1512.

dicare se compulerat regno, ac Didymoticlium euntem, veneno interceperat. Inde fratrum filios Prusæ, Corcutem latebris extractum, Achmeten alterum fratrem, dolosis deceptum literis, strangulavit. Postea Aladulorum in Armenia rege necato, & Sopho Ismaële acie victo, occupavit Taurisium. Vexatus aliquantulum seditione suorum, Campsonem Ægyptium Sultanum, iter ejus novum in Parthos remorari cupidum, ad Singam profligavit, Syriamque omnem, captis Gaza & Damasco, redegit in potestatem. Mamaluci & Circasi, Alcairum fuga delati, Tomumbejum crearunt Sultanum. Selimus audito quod legatum suum interemissent, conceptis Jerosolymæ & Bethlehemi precibus, per solitudines in Ægyptum contendit, dissipatisque Mamalucorum exercitibus, expugnavit Alcairum. Tandem post varias utrinque cædes, Tomumbejum profugum, & nihil sani aut pacati spirantem, intercluſis per Arabes itineribus cepit, quo in furcam acto, Mamalucorum imperium evertit. Tantis igitur per Orientem & Ægyptum partis victoriis, arma in Europam versurus videbatur: ubi anno XVIII actum de conscribendo communibus Christianorum impensis in Turcos exercitu. Maximilianus Cæsar Augustanis in Comitiis sedulo rem egit, nepotesque suos Carolum & Ferdinandum commendavit Electoribus, cupiens Carolum, qui jam Geldria & Westfrisia quoque potitus erat, maximarum ditionum decus & fastigium, Augustam dignitatem adipisci. Ad ea comitia accitus & Lutherus, dicta coram Thoma Cajetano causa, cum assertam veritatem negare juberetur, interposita appellatione, Wittebergam rediit. At Maximilianus sinceritate animi, & castimonia corporis, peritia linguarum & modestia, inter Cæsares conspicuus, cum quinquennium integrum secreto sarcophagum suum circumtulisset, Welsæ in Austria pridie Id. Januarii pie vitam finiit, natus annos LIX, præcedente in sidere Geminorum solis deliquio.

Turcogr. Mist. Crus. lib. 1.

1514.

1515.

1518.

G. Fab. Orig. Sax. l. 7. Tom. 1. Luth. Jenens. Lat. Joan. Faber Stapulensis Orat. funebri. Contin. Palm. Cyp. Leovic. de conjunct.

1519.

Georg. Sauromanus. Orat. in Max.

Decumbens, passionum Domini Jesu historiam identidem relegi mandavit, & sub illa verba, quibus tradidisse spiritum narratur Servator, suum & ipse spiritum dimisit. Singularis id pietatis habuit ac modestiæ, ut neminem sacerdotem circa se stare sineret, sed posita sella assidere semper juberet. *Petrus Parvus in Joh. David. Chytr l. 4. Chron.*

Arctoo in orbe Danis, Suecis, Norvegis, late imperitabat illis temporibus Joannes, filius Christiani: cui cum Steno Sturus, gubernator Suecorum popularis, pertinacius adversaretur, decreto Senatorum motus officio, & à Danis victus, necessitati cessit, impetrataque delictorum venia, patefecit Joanni Stockholmum, ubi corona Suecica solemniter insignitur: Biennio post conjux ejus Christina, Ernesto Saxone prognata, Suecorum regina; filiusque ejus Christianus II, qui & Christiernus, rex pronunciatur, anno salutis millesimo undequingentesimo. 1487.

Sed qui secutus est annus, ut sunt res mortalium, felicitatem regis Joannis atræ calamitatis nube obfuscavit. Dithmarsos, gentem extrema Nordalbingiæ, intra Albis & Eidori ostia, tenentem, Fridericus Imper. Holsatis subjecerat: Populus id imperium detrectabat. Joannes igitur Rex, & Fridericus ejus frater evocant peditum phalangem, quæ magna Guardia dicebatur, ipso tum nomine terribilem, quod vastatores terrarum invicti haberentur, eorumque robur in Belgio, Frisia, Hadelia, nuper etiam in Suecia enituisset. Tendebat etiam in Dithmarsiam solito alacrior miles Danus & Holsatus, facile ratus, sparsam per pagos, & longa pace opulentam Dithmarsam gentem debellare. Meldorpium capitur, jugulantur incolæ: Heidam itur, alteram provinciæ Metropolin. Sed quia cœlo hyberno dies humectus & decolor vel contiguum eripiebat adspectum, Dithmarsi juvante locorum gnaritate, obsepta vallis via, prope Hemmingstedam pagum, adorti legiones regias, in prælium nec opinantes cogunt. 1500.

Alb. Krantz. Saxon. l. 13. c. 25. 14. Chron. Holsat. part. 4. Hist. regum Daniæ Erpoldi Lindenb.

Regii

Regii imprudenti consilio à tergo curribus annonariis impediti, cum nec perrumpere urgentes à fronte hostes, nec reverti Meldorpium propter currus possent, intercluſi à latere utroque fossis altissimis, miseranda strage cæduntur. Flos ipse Danicæ Holsatæque nobilitatis periit, infinito suorum gemitu, quem auxit Dithmarsorum intemperies, qui in ipsa cadavera sæviebant. Itaque splendidissimi bellatores in luto sub sole computruêre, *conspicuum argumentum, quam pernicioſa militantibus res sit, nimium hoſtem contemnere.*

Rex qui cladem effugerat, consolatus suos, cum ulcisci tot virorum mortem statuisset, tandem exorari se pacem passus est. Adversam enim ejus fortunam, Sueci in occasionem novæ rebellionis traxere. Dissidebant ibi Jacobus præsul Upsalienſis, & Steno Sturus: utrique sua factio adhæreſcebat. Jacobus Danis, Steno Suecis plerisque nitebatur. Persuasum regi, tum Sueciam disponenti, Stenonem in caput ejus conspirasse: nec defensione Stenonis tam deleta suspicio, quam aucta, in manifestam exarsit alie-
1501. nationem. Ipsa comitatus regii vilitas animos insolenti viro addebat. Timens autem sibi à majori assultu, communicat cum suis consilia, ait regem pactis conventis haud stare, extraneis præfecturas & imperia committere: teneri eos patriam à violentia tueri Danorum. Nec mora; Regi fidem obedientiamque renunciant. Rex haud satis fisus Suecis, reginam quidem Stockholmi relinquit cum mille præsidiariis: ipse in Daniam festinat, exercitum domando Stenoni adducturus. Sed cum per hyemis rigorem tardius classem expediret, Steno arces exteris creditas subigit: Stockholmum proditione occupat, arcem octo mensibus circumsessam fame expugnat. *Petrus Parvus Hist. Joan.* Regina liberam cum suis abitionem pacta, ut detineri se vidit, Wadstenum intrat cœnobium, necessitatem in religionem vertit. Filia ejus unica Elisabeta, Joachimo interea Brandeburgico Electori nupsit, Joachimi soror fratri regis Frideri- *Chyt. l. 4. Chron.* co. Illis in nuptiis torquati tantum principes autoratique equites: nobili domo orti annulis insignes apparuere. At Steno diversurus in Norvegos belli molem, totum regnum, autore Herlovo Hudefato, in seditionem agit: Bahusam tantum Otho Rudus Danis defendit, qui & Olsburgum arcem, per temulentiam suam oppressis Suecis, eripuit. Mittitur in Norvegiam Christiernus regis filius, qui victo acie Herlovo, multos cum eo nobiles affecit supplicis, domitosque Norvegos, masculè & severe ad officium reduxit, maxima avitæ libertatis parte diminutos. Ex eo magis hæredes se Norvegiæ Danorum reges gessere. Christiernus, cum per decennium ei regno præfuisset, apud Bergenses virginis cujusdam Batavæ pulchritudine captus, adolescentiæ famam impuris maculare amoribus cœpit. Divica erat puellæ nomen, matri Sibritta, quæ & infandarum credita artium magistra fuit.

Apud Danos Joannes rex, justa in Suecos indignatione fremens, hortatur Lubecenses, ne arma vel commeatum in Sueciam importent: Sin faciant, pro hostibus fore. Cum autem nihil minus illi, quam gratificari regi suopte incommodo vellent, spoliati aliquot navibus, bellum sumunt; quod mox multa utrinque clade gestum. Concordiam resarsit Raimundus, Alexandri VI legatus, sui causa lucri Lubecæ agens, qui & à Suecis impetravit, non una calamitate fractis, ut reginam dimitterent, deque tota lite Stralesundam se missuros, qui transigerent, pollicerentur. Verum postquam 1503. Steno, deducta ad Daniæ fines regina, subito interiisset, suffectus ei Suanto Nicolai, neminem è suis misit. Calmarniam & Bornholmum obsedit frustra. Paulo post & Bogislaus X Pomeranus, Stralesundam ipsam, tractandæ paci delectam, quod jurisdictioni se ducali subduceret, armis adegit fidelitatem jurare. Tracto igitur diutius bello, Sueci denuo compositionem quærunt; locum, tempus condicunt.

1505. dicunt. Cumque iterum datæ fidei immemores, ludificari velle regem viderentur, citati ab iis, qui convenerant Calmarniæ, infamiæ & læsæ majestatis damnantur: sententiam Maximilianus Imper. confirmat. Diploma proscriptionis Lubecæ & alibi affixum.

Chyt. l. 4. Sax. Eam tunc urbem, insolentes ineptiæ quorundam civium difficili bello implicarunt. Detinuerant illi duo rusticos Irmengardis Buchwaldiæ, matronæ nobilis, quod per temulentiam convicia jactassent. Tertius id queritur, tumultum movet, nobiles Megapolitani confluunt. Conclamatum & ad arma Lubecæ, missi villas cremare incipiunt. Id principes sui despectum interpretati, serio inferunt bellum Lubecanis, qui ob id opus sibi gratia regis rati, eam exambiunt, Succosque desertos inducias requirere à Danis cogunt. At dirempta post biennium inter Lubecenses & Megapolitanos lite, ad ingenium mercatores redeunt, Suecos iterum armis & commeatu juvant; excubitoribus regiis ut in naves eorum involent, præbita occasione, de vi conqueruntur, fœdus cum Suecis renovant. Sic malè sarta gratia rescinditur turpius. Rex deprædando pagos Lubecensium, concessaque quibuslibet piratica, Suecos quidem ad eam inopiam redegit, ut tributo se obstringerent, quoad vel ipsum, vel filium in solio relocarent: At Lubecenses reliquarum civitatum, Hamburgi, inquam, Stralesundæ, Wismariæ, Rostochii & Lunæburgi implorare subsidium compulit. Hamburgenses, autore Langebecio Cos. causas sibi bellandi cum Danis esse negarunt: eoque consilio, quum soli tuto utroque Oceano uterentur, rem suam luculenter fecere. Reliquæ urbes fœderatæ Suecis, ut resilirent illi à pactis, effecere. Prætexebatur paucorum arbitriis promissa regi obsequia, totum regnum non obstringi. Hæc sueta illis elabendi rima. Fœderati Langelandiam, inde Mœnum, insulas Danorum, mox iterum Langelandiam invadunt. Modicum grassati rapinis atque incendiis, virtute insulanorum repelluntur, & Travemundam revolant queruli. Mox & Aco Jansonius, Suecorum dux asperrimus, occiditur in Hallandia à Tychone Krabbio cum copiis. Sueci fortunam maris tentandam cum Lubecensibus decernunt. Uruntur ab iis Bornholmiæ & Blekingiæ littora, Calmarniam obsidentes suos commeatu juvant, Lalandiæ 1511. pleraque diripiunt. Vicissim Dani armata classe spoliant Lubecensem portum, è Wismariensi abducunt naves XV, ditiones Sundensium & Rostochiensium maritimas evastant. At Sueci interim Calmarniam & Bornholmum castra expugnant, quæ hactenus ut claves Sueciæ in Danorum fuerant manu. Sequuntur pugnæ navales. Una ad Bornholmum acerrima qua civitatum quinque naves laceratæ: reliquæ elapsæ noctu, cum Belgicas reperissent CCL, è Livonia redeuntes, sed in quibus quatuor tantum instructæ machinis essent, disjecere universas, captis earum non paucis. Id edoctus Joannes Holgersonus, regiæ classis præfectus, insequitur classiarios civitatum, pleraque Belgarum naves possessoribus recuperat. Dani, contra quam fieri decennali bello solet, locupletati prædis, abundantiam; Lubecenses ex impedita negotiatione, inopiam persensere. Ideo per consules suos, promisso regi in Suecos ni imperata facerent, auxilio, pacem & priscam immunitatem recuperarunt. Sueci fida hac ope destituti, & exstincto Suantone, filio jam ejus obnoxii, paciscuntur inducias; intra annum vertentem aut recepturos se regem filiumve ejus, aut perpetuum XIII millium Marcarum Holmensium vectigal pensuros, spondent. Sed sequenti anno prolapsus in aquam rex, corruente equo, contraxit è rigore febrim, ex eaque decessit Alburgi, anno regni XXXII, frugalis, benignus, fortis, ut rudis literarum, ita earundem fautor, qui Academiam Hafnienſem imprimis auxerit. 1512.

Petrus Parvus Hist. Joan.

Thrae. Chron. Hamb. part. 4.

Succedit Christianus II, sævus ingenio, 1513.

Arnold. Witf. in Christian. II. Chron. Holsat. parte 4.

nio, & præter Danorum regum indolem, simulator, infestus nobilitati, veneri addictior: cæteroquin prudens, magnanimus, bellator strenuus, plebi blandus & exteris. Ei Elisabetha Maximiliani neptis, Caroli V soror quindecennis nupsit. Cum necessariam sibi judicaret vicinorum principum amicitiam, præter alios sanguine aut affinitatibus devinctos, Anglos etiam & Russos fœdere sibi adjunxit. Hollandorum amans industriæ accipit è Waterlandia, qui Amaccam, continem Hafniæ insulam, incolerent: quorum adeo probavit diligentiam, ut Helsingoram, ad Hellespontum Danicum sitam urbem, Batavis tradere statueret: id quod indigenarum impedivit constantia, patrio solo cedere nolentium. Permultis tamen exteris, per hujus favorem regis, patefacta Dania, à quibus hodienum habitatur.

Cum navem quandam Stenonis Sturæi, qui post patrem Suantonem sumserat Sueciæ gubernacula, è portu Lubecensi abstulisset, gavisi Sueci, ansam sibi rumpendi inducias datam, nihil eorum, quæ Joanni promiserant, præstitêre, quantumvis repetentibus res Lubecensibus esset satisfactum. Tubam inflarunt Steno, & Gustavus Trollius, præsul Upsaliensis, inimici inter se, quod Steno procurationem regni Erico Trollio, patruo Præsulis, delatam suffragio procerum, subnixus populari affluxu, præripuisset. Itaque Gustavus multa pro Danis in Suecia moliri ferebatur. Auctus in tantum rumor, ut Ericus Trollius caperetur, Præsul metu Stenonis arcem Stecanam communiret. Addebatque Suecis animos, quod jam Christiernus male audiret apud suos, ob impurum Divicæ concubinatum. De quo reprehensus Rex ab Anna Mænstrupia, aulæ magistra, indigne adeo tulerat, ut accusatam iniquitatis in rusticos matronam, regno ejiceret. Cumque deinde repente exstinctam comperisset Divicam, percunctatus Torbernum Oxium, arcis Hafniensis præfectum, apud quem illa paulo ante mortem cœnasset, ediceret ingenuè, verane esset fama de consuetudine Torberni cum defuncta: Illo parum circumspectè fatente, se quondam ejus amorem ambiisse, stupri viro & veneni actionem intenderat, capitisque eum tandem affecerat supplicio, ingenti cum fremitu nobilitatis, ægerrime ferentis, quod resolutus à senatoribus reus, quasi per rusticos damnatus periisset. Ex eo Sibrittam rex, alioque plebejos tanti fecit, ut ab interioribus eos consiliis haberet, spreta patrum autoritate. Creditum vulgo, excantasse anum regis animum. Sic sine publico concilio exambita Leonis Papæ execratio, qua Steno & complices ejus Sueci feriebantur. Missus & in Sueciam miles subsidiarius, Gustavum obsidione exempturus, sed à Stenone profligatus. Gustavus coactus se dedere, autoritate & officio excidit. Rex eo irritatior, obsidet Stockholmum: cumque vi parum proficeret, in dolum versus, simulat colloquium velle, si obsides sibi dentur. Datos sex è prima nobilitate pro captivis avehit in Daniam, interque eos Gustavum Erici filium, qui postea regnavit. Ille enim impetrata ab Erico Bannero, cui erat traditus, venandi facultate, qua fide abductus è Suecia fuerat, eadem, mutato habitu, per Lubecenses in patriam rediit. Totas eruditorum cohortes isthæc ætas protulit, Deo res humanas benignius respiciente. E multis paucos, sed insigniores notasse sufficiat, Ambrosius Calepinus, Bergomensis Episcopus lexicon latinum edidit. Gabriel Biel Tubingæ claruit argutiis Scholasticis. Jacobus Faber Stapulensis, Jodocus Clichtoveus, atque illis major Martinus Lutherus, sacra eruditione floruerunt. Ludovicus Vives, Desiderius Erasmus Roterodamus, Guilelmus Budæus, Philippus Beroaldus, Beatus Rhenanus, Alexander ab Alexandro, Ulricus Huttenus nobilis, Thomas Linacer Anglus, & alii jam in historia laudati, bonas literas egregie illustrarunt. Joannes Cuspinianus, J. Nauclerus, Bil. Pirck-

1517.

1518.

Achil. Gass. in Epit. Chron. Fr. Iren. Exeg. Germ. lib. 2.

Pirckheimerus, Joannes Aventinus, Robertus Gaguinus, Albertus Crantzius, Pandulphus Collenutius, historias contexuere. Santes Pagninus sacrum codicem ex Hebræo ritè Latinum fecit. Franc. Ximenius Compluti Heb. Græce ac Latine Biblia S. excudi curavit.

A. M. 4589. Christi 1519. *Simon. Sichard. Tom. 2. rerum Germ. Contin. Palm. Guilel. Zenoc. l. 5. de Rep. & vita Caroli V. Franc. Guicc. l. 3. hist. Italicæ.*

CAROLUS V. Romanor. Imp. SOLIMANNUS Turcarum Sultanus.

PHilippo natus Carolus, à patre Belgii, à matre Hispaniæ & magnæ Italiæ partis, à Maximiliano avo amplissimi in Germania patrimonii hæres, postremo etiam imperii potitus admodum juvenis, totam Europam spe & fatali potentia complecti videbatur. Tot nationum princeps, ex Germanis oriundus, in Belgio natus educatusque, in Hispania, quantum per bella Germanica & Gallica licuit, versatus maxime, tandem deposito imperio, abdicatisque à se regnis, ultro privatus decessit, raro & memorabili ad posteros exemplo. Cæsareum apicem ei præcipue Friderici Saxonis Septemviri suffragium peperit, qui à Treviro & Brandeburgico, regi Franco studentibus, lectus, abnuit honorem, suaque sententia Caroli, ut Germani, partes confirmavit.

Tumultuum, factionum, bellorum sub eo satis fuit, à Turcicis partibus Solimanno, Selimi filio, pari cum Cæsare potentia rem Mahometicam propagante; Francisco Gallorum rege subinde Mediolanensem repetente provinciam: Germania dissidiis de religione exardescente; Anglia Pontificum excutiente jugum, Dania totoque orbe Boreali, per admirandos bellorum euripos, novam regiminis faciem induente: quorum motuum omnium præcipua pars Romanorum Maximi Pontifices fuere.

David Chytr. l. 6. Chron. Thuan. lib. 1. Histor. Fabric.

Principio, cum cautum lege Pontificia esset, ne rex Neapolitanus Cæsar posset creari, Carolus veniam ejus legis VII aureorum millibus à Leone redemit: eodemque die, quo Francofurti renunciabatur Cæsar, Henricus Lunæburgicus & Hildesiensis præsul Joannes cum Erico & Henrico Brunsvigiis, prope Soltaviam prælio congressi, quatuor bellatorum millia prostravere. Capti Ericus & Wilhelmus Henrici F. virique nobiles CXX. Causæ ferebantur, præter simultates, quod alteri alterorum rebelles subditos foverent, ditionesque Ecclesiasticas vellicarent. Creditum autem publice, ab Henrico Lunæburgico, Caroli Geldri genero, libentius susceptum bellum, quod Gallorum partibus addictior, Caroli electionem vellet remorari. Verum id Friderici Saxonis Septemviri (qui sapientis elogio posteritati commendatus, imperii tum vicarius erat) interventu paulisper sedatum, quumque Hildesiensis Caroli edictis non pareret, acrius sumtum, ditionibus eum plerisque excussit. Nec periculosius, sed majoris molis certamen suscitaverat Hulricus Wittembergicus eodem tempore; qui exortam plebis ob tributa imposita seditionem, severius ultus, cum arma in Reutlingenses vertisset, totum Sueviæ fœderatæ corpus in se irritavit. Pulsus omnibus iis, quæ cis Rhenum possidebat, XV annis exulavit Montepelicardi. Ducatus ejus Austriacis cessit. Cumque Ferdinando, in dividenda hæreditate, ditiones Austriacorum Germanicæ obvenissent, Ulricus armis impar, deprecatoribus commisit causam, donec exolescente fœdere Suevico, & in belli Turcici apparatibus occupato Ferdinando, ab Philippo Hesso, & Bajoariis fratribus, prospera ad Laufanum pugna, in patrimonium avitum est restitutus. Ferdinando ut placatiore uteretur, in clientelam se suosque domus Austriacæ tradidit. *Orig. Sax. lib. 7.*

Anno quo imperium cœpit Caroli, cœpit & nummus uncialis, quem à valle Joachimica, ubi cudebatur, Talerum nostri appellant. At annum vicesimum coronatione Caroli insignem, insignioremfecit Suecorum calamitas, & Pontificis Leonis execratio, qua ipse in Lutherum, Lutherus vicissim in ipsum fulmi- *David. Chytr. l. 6. Chronic. 1519. Arnold. Huitf. in Christ. II. An. 1520.*

navit. Suecorum ſane principes internecioni dedit Chriſtierni regis furor, diris pontificiis armatus: At Lutherum Pontificis ira erexit.

D. Chyt. Chron. Sax. l. 6. Holſ. p. 4. Chron. Hamb. Thrac.

Chriſtiernus, conſcripto è Danis Holſatiſque ſuis exercitu, cum Gallis eum, Scotis, Anglis, Alemanniſque roboraſſet, Othonem Krumpium præmiſerat in Weſtrogotthorum terras, ubi commiſſa in ſtagno congelato pugna, ictu tormenti in femore vulneratus Steno, paulo poſt obiit, ſublatoque duce, numeroſus Suecorum exercitus facile eſt diſſipatus. Itaque Chriſtiernus à pleraque nobilitate evocatur, reliquos partim vi, partim blanditiis ſubigit, deditaque Stockholmia, corona regali exornatur. Sed præmetuens gentis dudum ſibi infeſtæ mutabilitatem, flagranſque odio in illos, qui fomitem hucuſque incendiis ſubdidiſſent, ſubornat Guſtavum Trollium, regni Archiepiſcopum, qui de injuriis ſibi illatis publice conqueratur. Ea occaſione arrepta, damnat capitis, quicunque præſuli vim feciſſent, populoque adſtante & trepidante, nonaginta quatuor è primoribus Suecorum, in his duos Epiſcopos, obtruncari jubet, relictis ante prætorium ad horrorem per triduum cadaveribus. Stenonis ipſius corpus, dudum terræ mandatum, novi tyranni juſſu effoditur, & cum reliquis, ut papali itidem fulmine ictis, crematur. Viduæ denique & filii interfectorum bonis ſpoliantur. Executorem ſe Pontificii anathematis, ut obedientem Eccleſiæ filium deceret, hoc facto profeſſus, cum multa ſæve in alios quoque paſſim perpetraſſet, præter fidem, contra jusjurandum, quo impunitatem antea omnibus promiſerat, relicto poſt ſe nominis fœtore graviſſimo, in Daniam rediit. Guſtavus, Erici Joannis cum cæteris truci dati filius, miris modis evaſit pericula, atque ad Dalekarlos metallarios delatus, oppreſſam triſti ſervitute Sueciam paulatim ad reſumendam libertatem excitavit, conatu non minus generoſo quam felici.

Jac. Zigler. de attent. Chriſt.

Cæterum M. Lutherus, quum hactenus Papæ autoritatem nequaquam violare voluiſſet, arbitratus, ipſo inſcio, quæſtores indulgentiarios abuti ſacra poteſtate, poſtquam ſe anathemate ab eo plecti, libroſque ſuos exuri intellexit, tanto eſt zelo inflammatus, ut Leonem prædicaret eſſe Antichriſtum, ac diploma ejus juſque ipſum Pontificium projiceret in flammas, addens illud Samſonis heroicum: *Quemadmodum fecerunt mihi, ita feci eis.*

Joan. Sleid. lib. 2. Joan. Matheſ. de vita Luth. Hom. 2. Luth. Tom. 2. Ienenſ. Lat.

Carolus vero Cæſar, primis comitiis, quæ anno ſequenti Vormatiæ habuit, ut Leonis gratiam aucuparetur, Lutherum accitum, intrepideque profeſſum veritatem proſcripſit. Cujus capiti metuens Fridericus elector, Wartbergam abductum curavit cuſtodiri, donec turbulenta Andreæ Carolſtadii Iconoclaſtæ commotus reformatione, ſponte ſua Vitebergam reverteretur.

Jud. 15.

At Pontifex, inito cum Carolo fœdere, de Gallis Inſubria, atque adeo tota Italia expellendis, omnia conſilia ad bellum vertit. Mediolanum facile captu fuit, fœderatis Helvetiis, qui jam à Cæſare ſollicitati fuerant, ob non perſoluta à Lautreco ſtipendia, à Gallorum caſtris diſcedentibus. Mediolanum Franciſco Sfortiæ Maximiliani fratri, uti convenerat, à Cæſare attributum, Parma & Placentia Pontifici. Leo incredibili hinc gaudio perfuſus, cum majora quæque indies moliturus videretur, ſubita morte, veneno, ut putatur, à cubiculario dato obriguit. De quo Sannazarius:

Thuan. lib. 1. Chytr. l. 6. Chronic. Balæus lib. 7. Guic. l. 14. Bellaj. Comm. l. 2.

Sacra ſub extrema, ſi forte requiritis, hora,
Cur Leo non poterat ſumere; Vendiderat.

Suffectus propitia Cæſaris fortuna Hadrianus Ultrajectinus, præceptor quondam ejus, Hiſpaniæ tunc rector, ab infima ſorte ad ſupremam induſtria & erüditione evolavit. Queſtus ab Italis ſe prodi, Belgis tantum hominibus, quos præclara fide eſſe aiebat, ſe credidit. Solimannum cupiens debellare, fruſtra fuit. Is, quod Hungari legatum ejus in car-

Onuph. in Adr. VI. Petrus Polanus lib. 1. Hiſt. Conc. Trid. Sigiſm. ab Herberſt. in Comm.

Mosc. Annal. Turc. ac Fontani de bello Rhodio libri tres.

carcerem misissent, Sabbatiam, Albamque Græcam expugnarat, jamque Rhodum gravissima obsidione tertium mensem infestabat. Naves ab Adriano instructas cum detinerent venti, Rhodii pacti incolumitatem vitæ rerumque, deditionem Turcis fecere, ipso Christi natali MDXXII, quo die & saxum ingens prodigiose decidens, Pontificem pene oppressit. Hic ut scandalis aliquomodo mederetur, cœpit officia venalia abolere, empta quibusdam adimere, fœneratores & aversæ Veneri deditos castigare, ingenti delinquentium offensa. Cognatis suis nihil more antecessorum tribuit, *negans Sionem in sanguinibus ædificandam.*

Atroci pestilentia Romam vastante, ipse nec pavidus multum, nec anxie pharmacis armatus, in urbe permansit, mirifice eo officio incolis gratificatus. Antonium Præsulem Florentinum,& Brennonem Misnensem in sanctos retulit, Luthero ejusmodi consecrationes, ut errorum plenas, infectante. Hunc ut supprimeret, concilium omnibus deposcentibus, quo tantæ de sacris rebus lites deciderentur, promisit; haud inficiatus, multa in Ecclesiam irrepsisse vitia per desidiam decessorum aut malitiam, quæ censura acriori indigerent. Verum ipse rebus peragendis lentior timidiorque visus, adeo ut Hieronymus Balbus, Ferdinandi legatus, palam auderet dicere, corrumpere Hadrianum cunctando rem Christianam; ut quondam cunctando restituerit Romanam Qu. Fabius. Fœdere tamen junxit Carolum Cæsarem, Henricum Anglum, Ludovicum Hungarum, & minores aliquot Italiæ principes, exclusis Gallis, à quibus & Veneti desciverere, Papæ observantia. At interim Hadrianus seu veneno, seu curis confectus, altero Pontificatus anno moritur, expertus, ne licere quidem Pontifici, cum velit, benefacere, iterque ejus undique sentibus conseptum. Proinde sepulcro ejus inscriptum. *Hadrianus* VI *hic situs est, qui nihil sibi infelicius in vita, quam quod imperaret, duxit.* Eo sedente, inquisitor Hochstratus, flamma cœpit in Lutheri asseclas sævire, cremavitque Bruxellis Henricum & Joannem Monachos. Lutherus constantiam eorum cantico celebravit: responditque mascule Angliæ regi, qui calamum in se strinxisset, defensoris Ecclesiæ titulum à Leone Pontifice eblanditus. Movit & Huld. Zwinglius, Tigurinus Canonicus, certamen Romanensibus, ac disputando effecit, ut Senatus Tigurinæ Civitatis è sacris scripturis docendum esse populum, sepositis hominum traditionibus, decerneret.

Luth. Tom. 2. Ienensi Lat. 2. Germ.

Huitf. & Thuanus è Cornelio Sceppero. Chytr. l. 7. Chron. Scepp. in resp. Christ. II. ad accus. Lubec.

Majores motus Daniam & Septentrionem à Romanæ sedis cultu avertere. In Suecia, quam exercuerat tyrannidem Christiernus, eam Pontifex Leo, misso Joanne de Potentia Cardinali, justam pronuntiarat. Sed nihil ob id melius Rex apud suos audiebat. Gustavum adversa ejus sævitiæ fama armaverat in regios, qui collectis undecunque profugis, brevi justum exercitum effecit, arces aliquot deditione, alias vi cepit, neque armis profecit magis quam contemptu sui, ut quem regii facillime se superaturos somniarent. Id quod contra accidit, Gustavo advigilante, ut victs rediret aliquando virtus in præcordia popularibus. Primum à Dalekarlis, inde apud oppidum Westeras, à plerisque Suecorum ordinibus Gubernator lectus, Stockholmiam obsidione cingit. Christiernus interim profectus ad Cæsarem, diploma adfert, quo Fridericus Holsatus jubebatur, clientelæ se Danorum regum, nomine Cæsarum, adstringere, feudumque Holsaticum de eorum suscipere manu. Jamque se ipso elatior rex, interdicebat suis omnem cum Vandalicis civitatibus negotiationem, præcipiens venalia quæque in oppida Danica convehi. Suecorum præfectis imperabat, ut rebelles quoscunque neci darent: per Severinum à Nortby importato Holmiensibus commeatu, solvebat obsidionem, nihilque moderati spirans, Lubecanos simul & Holsatos alieniissimo tempore offenderat. Quare

1521.

Huitf. in Christ. II.

cum Lubecenſium claſſe adjuvaretur Guſtavus, Stockholmiam pariter Calmarniamque obſidet.

Civitatum Vandalicarum claſſiarii, armatis triginta navibus, Helſingoram, profugientibus incolis, exurunt; aliis locis repulſi maſcule. Sialandia nequicquam tentata, Bordingholmum occupant. Interim preſſi obſidio Stockholmienſes emittunt ad regem, qui rerum ei difficultatem exponant. Sed hi Abrahamsburgi nocturnis ſuppliciis enecti, auxere regis infamiam, qui nuper etiam promptum crudelitatis ſuæ promotorem Theodoricum Slagheccium, quem Lundanum fecerat Archiepiſcopum, variis oneratum criminibus incenderat.

Eodemque tempore novarum factus legum auctor, curias, Judicia, & conſuetudines Danorum habebat in animo immutare, & ad Belgarum Teutonumque ritus componere: imprimis vero perpetuum ab omni ordine tributum fiſco paciſci.

Sed pertæſi inſolentioris dominatus Cimbri, quum Kalindburgum citati hyemem prætexuiſſent, jamque advolante in Jutiam Chriſtierno, Wiburgenſia formidarent comitia, quibus vim facturus repugnantibus dicebatur, maximi rem periculi audent, ſeque ejus imperio deinceps nequaquam parituros, datis ad eum literis aperte proteſtantur. Eas Magnus Munchius, Prætor Jutiæ, oblitis de induſtria chirothecis indiderat, diſcedenſque à convivio reliquerat regi inſpiciendas. Ipſe arrepto navigio in Holſatiam contendit, Fridericum regis patruum regno initiaturus, quod ille exemplo, partim odio in nepotem, partim metu exitialium Daniæ ac ſuæ ſtirpi conſiliorum, ſuſcepit. Chriſtiernus, cum nullis conditionibus placare Cimbros poſſet, Fiones, Sialandos, & Scanos, denuo in ſua verba adigit, remque omnem celeriter ad fratrem reginæ Carolum V, & Joachimum Brandeburgicum ſororium, & Fridericum Saxonem avunculum, VII viros perſcribit. Hafniam Sialandiæ, Malmogiamque Scanorum metropoles, munit præſidio. Mox autem præveritus civitatum claſſiarios, ne mari incubantes periculum abeunti crearent, ſtatuit matura ſibi ſuiſque conſulere fuga, contractaque XVIII navium claſſe, ad Belgas enavigavit. Inſulani cum ſe deſertos contemplarentur, urgente armis Friderico, in ejus partes tranſiere. Hafnia majus negotium fuit: quæ dum obſidetur, rex profugus ſcribit militem, quem per Holſatiam traducere in Danos conabatur. At Fridericus LXXX Holſatorum millia armat, cum quibus priuſquam conſererent manus Teutones, de ſtipendio ſibi caveri poſcunt, eoque non impetrato, per Marchiam dilabuntur. Nonis Januariis Hafnia & Malmogia, poſt octo menſium obſidionem, deditionem fecere, quum jam Calmarniæ & Stockholmiæ potitus Guſtavus, Suecorumque rex eſſet renunciatus. Nam ſimul percrebuit, Chriſtiernum Aprili menſe, anno viceſimo tertio ejus ſeculi, Dania ceſſiſſe, ſtatim Calmarnia Maio, Stockholmia Julio ſequente, in poteſtatem Suecorum rediere, eaque ratione avitum fœdus de trium regnorum Borealium conjunctione exſpiravit. Novi reges, Fridericus & Guſtavus, quod Vandalicarum civitatum ope perutili fulcirentur, cum illis atque inter ſe fœdus percuſſere Malmogiæ, eoque ad mutua ſe ſubſidia adverſus Chriſtiernum devinxere. Eorundem poſtea autoritate ſubnixi præcones puriores Euangelii, per Daniam Sueciamque, & reliquum ſeptentrionem, Papiſmi errores denudarunt. Prior Guſtavus convictos neglecti officii Epiſcopos, redegit in ordinem, juſſitque contentos honeſto ſtipendio ſacra curare, civilis autem bellicæque rei adminiſtrationem domui regiæ permittere, ni facerent, ſe regno abiturum. Fridericus rex protexit ſane Epiſcopos, ſed Euangelii prædicationem per Daniam, Norvegiam, & Holſatiam, fideliter adjuvit.

Ioan. Petri parte 4. Chron. Holſat. Chron. Hamb. Thracig. 1524.

Chytr. l. 8. Chr.

1526.

Per hæc Carolus Cæſar Gallicano implicitus

Franciſc. Guic. l. 15.

Cornel. Scepp. in reſp. Chriſt. II.

plicitus bello, omissa Dania, quomodo Franciscum regem debellaret, consultabat. Ille enim motuum Hispaniensium occasione, totum Navarræ regnum receperat, maximasque in Italiam miserat copias, Mediolanum subacturas. Idoneum belli instrumentum visus Carolus Borbonius, qui indignatus litem sibi à rege Franco de hæreditate intendi, instructu matris, cui nihil non Franciscus indulgeret, Galliam Cæsari Angloque tradere nitebatur. Cæsar, profligatis ex Italia per Marchionem Piscarium Gallis, Borbonium in Provinciam ablegavit, qui captis Aquis Sextiis, & tentata nequicquam Massilia, contendit ad Italos. Franciscus rex eum consecutus, Mediolanum, deserente id Sfortia, occupat. At cum in Papiæ obsidione securius, quam decebat, ageret, & ex consilio Clementis VII (is Juliani Medicis è concubina natus, Adriano nuper successerat) exercitum separasset, sanguinolento prælio, suo equique vulnere retardatus capitur, ingenti totius Galliæ detrimento.

1525. *M. Bell. lib. 2. Onuph. in Clem. VII. Thuan. lib. 1.*

Fr. Guicc. Lib. 16. Attamen ut *solent afflictæ res prapotentum allicere ad misericordiam, dum quisque in iis efficacius suæ conditionis admonetur*, Clemens, aliique principes, acrius exinde dispicere, qua via gliscentem Cæsaris in Italia potentiam labefactent. Dolebat & Pontifici ereptum Regium Lepidi, Parmensisque agri deprædatio. Igitur consilia ineuntur cum Gallis Venetisque occulta, ut Sfortia jam Cæsari suspectus, in avitam ditionem restituatur. Cæsar minuendæ invidiæ ergo dimittit Franciscum, sed duris conditionibus. Juribus enim regni Neapolitani ac Mediolanensis ducatus renunciabat; reddebat Burgundiam, filios obsides dabat. Sed liber factus, negat promissionibus se teneri, quas Cæsar ultima carceris necessitate expressisset: atque ita cum Clemente & Venetis fœdus pro Italica libertate sancit. Cæsar vicissim nominis Pontificii autoritatem per omnem Hispaniam abolet, exemplo ad posteros memorabili, posse Ecclesiasticam disciplinam, soluto Papismo, conservari. Feliciter interim in Insubribus præliantur duces ejus, arcem Mediolani capiunt. Mox Columnii proceres invadunt Romam, Clementem ab insigni avaritia omnibus exosum, in Mausoleo Adriani obsident, palatium Vaticanum diripiunt. Nec multo post, cum interpositum fœdus Pontifex fœdius abrupisset, incensis quoque per vindictam XIV Columniorum oppidis, totis viribus Romam itur, duce Borbonio, qui se Germanici Fronsbergii legionibus conjunxerat.

Guicc. lib. 17. Bellaj. l. 3.

Guic. l. 18. Histor. Italiæ. Polid. Virgil. lib. 27.

Anno salutis humanæ MDXXVII, capitur impetu Roma, vastatur cæde & rapinis, nemo servatur, nisi qui vitam & libertatem universa re familiari redemisset. Templa fere omnia, multis necatis aut excruciatis sacerdotibus, direpta. Pontifex fame subactus, deditionem ea conditione fecit, ut quæcunque Cæsar imperasset, faceret. Conflavitque omnia templorum ornamenta, pileos ad hastam proposuit Cardinalitios, obsides militibus nummatissimos quosque, Cæsari quinque Cardinales dedit, ut imperiosam turbam ex urbe, quam decem menses tenuerant, amoveret. Ita Cæsari de ambigua Clementis fide, ita piorum hominum manibus Romanensium sanguine litatum. Interea Florentini, ejectis Mediceis, se in libertatem vindicant. Vicissim Genua in potestatem redigitur Gallorum, multisque in Cisalpina urbibus captis à Lautreco, qui auctore Anglo, jam Gallis fœderato, ad id bellum destinatus fuerat, de consilio Pontificis clanculum elapsi, in regnum Neapolitanum exercitus ducitur. Aransiensis Prorex Neapoli inclusus, magna constantia obsidionem sustinuit. Hugo Moncata, prorex Siciliæ, à Philippino Auria navali prælio victus, occisusque, spem opimam potiundæ urbis dedit. Sed exercitum Gallorum vastante morbo, cum ad XX millia periissent, dispersæ reliquiæ, Lautrecus ipse animi mœrore exstinctus est. Nec in Ligu-

1527.

Guic. lib. 19. Chytr. l. 9.

Luth. Tom. 3. Ienenſi Germ. Joann. Sleid. lib. 4. 6. P. Eber. in Kal. 1525. Petrus Crinit. de bello ruſtic. Tom. 3. rerum Germ. Freh., p. 194. Hubert. Thomas de ſeditione ruſtic.

Liguria, aut Gallia Ciſalpina, feliciores Pontificiæ partes erant, Andreas Auria, qui ab iis defecerat, Genua & arce potitus, Savona Gallos expulit. Fr. Borbonius, ſani Pauli Comes, ab Antonio Læva clade affectus, captuſque. Tot icti infortuniis fœderati, ad pacem cum Cæſare faciundam ſpectarunt, de qua priuſquam dicamus, Germania eique vicinus orbis, quas mutationes interſenſerint, ſubinferemus. Primum Papiſmus in pleriſque Germaniæ, Saxonum imprimis civitatibus, continuato caſu ruit, quantumvis exorta lis inter Lutherum & Caroloſtadium (cui deinde etiam Zwinglius & OEcolampadius acceſſere) de cœnæ Dominicæ aliiſque Chriſtianiſmi myſteriis, curſum Euangelii haud parum remoraretur, nec deeſſent perſecutores ſævi & potentes, qui fictis criminibus obrutos Lutheri ſectatores raperent ad ſupplicia; inter quos Henricus Zutphanienſis Dithmarſorum, & Leonhardus Cæſar ſtulto Bavarorum zelo cremati, Adolfus Clarenbachius Colonienſium.

Teterrimam vero notam prædicationi Euangelii inuſſit ruſticorum rabies, qui ejus prætextu omnia libera eſſe debere contendebant, arreptaque occaſione à ſervitiis, queis indignius à pleriſque magiſtratibus premebantur, confluebant in Suevia armati, nihil non vi expreſſuri à principibus. Lutherus eos revocare à ſeditione conatus, cum inſanabiles comperiſſet, acri ſcripto damnavit eorum inſaniam. Illi tremendo Dei judicio conglobati, pellunt nobiles, arces diruunt, reſiſtentes quoſcunque, rabidorum inſtar canum, laniant. Sed à Sueviæ fœderatæ duce Truxeſio, cæſi ſunt ad Ulmam, inde in Franconia & paſſim, ad L millia; auctor lento igni affatus eſt. Cum ductu Thomæ Muntzeri, concionatoris fanatici, æque Luthero & Pontificiis infeſti, reſumerent bellum, virtute præcipua Landgravii Philippi fuſi, ac tandem omnino deleti ſunt. Franciſci etiam Siccingi adverſus Trevirum Præſulem ſeditioſæ molitiones, eo interempto, conciderunt. Muntzerus captus cervice pœnas exſolvit.

At Lutherus excitatior indies, edita N. T. & Pſalmorum tranſlatione Germanica, canticis etiam ſuaviſſimis præcipua complexus dogmata, ritus primitivæ Eccleſiæ conformiores ordinat, ſacrum ut populari lingua fiat, præſcribit, probantibus ejus pietatem, Joanne Saxonum VII viro, qui fratri ſucceſſerat Friderico, Georgio Brandeburgico, Erneſto & Franciſco Luneburgicis, Philippo Landgravio, Wolfg. Anhaldino, Philippo Pomerano, Ulrico Wirtenbergico, Alberto Manfeldio. Ii anno undetrigeſimo contra decreta Ratiſponæ primum, dein Spiræ de religione facta, quod iis libertatem ſuperiori conventu Spirenſi permiſſam impediri dicerent, proteſtati ſunt: unde *Proteſtantium* nomen ad omnes poſtea, qui eorum, quæ perperam in religionem invecta ſunt, emendationem amplectebantur, atque ob id à Romana Eccleſia ſeceſſionem faciebant, dimanavit. *Sleid. l. 6. Comm. Matth. de vita Luth. hom. 6. & 7. Tom. 4. Ienenſi Germ.* 1529. *Chytr. l. 8. Thuan. lib. 1.*

Eodem anno Albertus, à Magiſtro ordinis Teutonici, Boruſſiæ dux creatus. Cum enim Boruſſiæ, ut finibus incluſæ Sarmatarum, clientelam Poloniæ reges ſibi vendicarent, Germani contra eam, ut ſuo ſanguine partam, ad ſe traherent, diu quidem armis certatum, poſtremo tamen fides Polonis data victoribus fuerat. Iſtam litem Erneſtus Saxo, ac poſt eum Albertus Brandeburgicus, variè renovarant. Ad ultimum deſertus à Cæſare & Germanis, quorum de majeſtate & jure agebatur, Albertus, imminentem belli procellam, in occaſionem ſibi privatim conſulendi vertit. Qua mente, contracta cum Sigiſmundo rege, cui nuper etiam Maſoviæ ducatus acceſſerat, pace, Pruſſiæ dux renunciatur, mutataque religione, voti vinculum ſolvit, ac Dorotheam, Friderici I Danorum regis filiam, adſciſcit matrimonio. Provinciam, quam uſusfructus titulo tantum tenuerat, Polonus ei jure proprietatis ad hæredes tranſmittendam, conceſſit.

sit. Eodemque tempore Rhodii milites Melitem insulam tuendam accepere, & sudor Anglicus, novum genus morbi, plurimos mortales delevit.

D. Chyt. lib. 5. 8. Melch. Soiterus de bello Pannonica.

In Pannonia longe pejore loco res erant, regnante Ludovico adolescente, in quo omnia fuisse præcocia, recte dictum est. Præmature enim editus in lucem, exstincta in puerperio Anna matre, præmature patri Ladislao in regnis successor datus, anno ætatis decimo; præmature barbatus anno decimo quarto, nec non immature junctus uxori Mariæ quindecennis; postremo & mortem obiit præmaturam, vicesimo primo vitæ anno à Turcis occisus. Etenim Solimannus cum digladiantibus inter se Christianis, commune periculum negligi animadverteret, potentissimis instructus copiis in Hungariam descenderat. Hungaris Joannes Zapolia, qui & Zepusiensis, auxilio veniebat. Sed ante ejus adventum conserta temere pugna, cæsus est cum exercitu Ludovicus: Victor Turca Budam, Pannonum regiam, aliaque oppida nullo labore cepit. Mox Zapolia prono magnatum favore exceptus, Albæ regali rex creatur, præterito Ferdinando, qui tum aliis nominibus, tum per conjugium sororis Ludovici, Hungariam Bohemiamque ad se pertinere contendebat. Ferdinandus à Bohemis susceptus, nec ullorum subnixus Pannonum obsequiis, Joannem post infelicem Toccajensis prælii exitum, regno depulit, verumque amicorum opes coëgit implorare. Qui ne quid inexpertum relinquant, Hungariam Solimanni clientelæ offerunt, modo ejus auxilio regni Joannes potiatur. Eam gloriæ imperiique amplificandi occasionem nactus Turca, tertio in Pannoniam movet, restitutoque in regnum Zepusiensi, castra ad Viennam locat. Sed eam gnaviter defendente Philippo Palatino, postquam mensem integrum frustra eam oppugnasset, amissis LXXX millibus, vastatisque late agris, in Thraciam recessit.

Joan. Ramus l. 1. de rebus Turc. Sleid. l. 6. Chyt. l. 9. Matth. Dress. Millen. sexto Isag. Histor. P. Eberus in Kalen.

Antequam Turcis summam opponeret virtutem Carolus, fœdus cum eo percusserat Barcinone Pontifex, pactus inter alia, ut Margaritam, ab Cæsare cœlibe procreatam, duceret Alexander Medices, atque in avitum Florentiæ dominatum restitueretur. Deinde & Franciscus Cameraci, ac tandem Veneti, traditis, quæ in Samnitibus, Piceno & Apulia tenebant, oppidis, pacem cum eo certis conditionibus fecerant, inter quas & illa, ut Gallus, persolutis vicies centenis millibus aureorum, liberos obsides reciperet. Inde fugato Solimanno, profectus in Italiam Cæsar, Bononiæ magna pompa à Pontifice coronatur, stipulato & Lutheranorum exitium, qui tentata Marpurgi cum Zwinglio concordia, nec peracta, Augustanis mox in Comitiis confessionem exhibuerunt fidei, quæ recitata quidem publice, sed à Cæsare tum rejecta est. Jussi principes Lutheri partium omnia in integrum restituere, ni facerent, proscriptorum nomine censendos, cum interim confutationem suorum dogmatum describere, aut cum aliis communicare prohiberentur. Itaque Lutherus evulgato libro monet Germanos, ne impio pareant edicto, nec idola, libidines & iniquitates Pontificias propugnent. Sin inferant bellum, haud iniquam principum defensionem fore.

P. Jov. l. 27. 1530. Chytr. l. 9. Saxon. Chr. & in Hist. Augst. Confess. Sleid. l. 7.

Luth. Tom. 5. Ienensi Germ.

Cæsar, arridente fortuna, nullam amplificandæ potentiæ occasionem prætermittens, ut Imperium Germanicum in familia firmaret, Ferdinandum fratrem Romanorum regem Coloniæ renunciandum curavit, obnitente Saxonum VII viro. Eodemque anno, post diuturnam obsidionem, in qua Philibertus Arausiensis vel Auriacus cecidit, eique Ferdinandus Gonzaga surrogatus est, Florentia Cæsari dedita, & uti inter Cæsarem & Papam convenerat, Alexander Medices, nothus Laurentii F. Florentinorum dux creatur, abutente Papa Christianorum viribus, ut privatæ ambitioni & suorum libidini inserviret:

1531.

Thuan. l. 1. Fr. Guic. c. 20. Hist. Ital.

Hoc facto cum provideret sibi à Turcis negotium impendere Carolus, pacem

Sleid. l. 1.

Proteſtantibus, interventu Alberti Moguntini & Ludovici Palatini dedit, Viennamque prægreſſus ingenti cum exercitu, ſuborta inter milites, ut fit, ob non ſoluta ſtipendia, ſeditione, in Italiam atque inde in Hiſpaniam rediit. Turcæ præda graves, dum reditum ad ſuos parant, penè ad internecionem cæſi. *Annal. Turc.*

Anglia Helvetiaque miris ſub hæc tempora mutationibus agitatæ. Henricus rex Catharinam, Arturi fratris conjugem, Caroli Cæſaris materteram duxerat, Julio II annuente. Per XX circiter annos concordia conjugalis ſteterat. Regina aliquoties gravida, vel abortum fecerat, vel partum ediderat non diu vitalem, præter unicam natam, nomine Mariam, quæ poſtea regnavit. Rex prolis maſculæ cupidus, ſimul & in amores pronior, matrimonium cum fratria, ut illegitimum, cœpit adverſari. Scrupulum ei ſeu auxit, ſeu injecit Thomas Volſæus, quem vili ortum loco, Eboracenſem Archiepiſcopum fecerat. Is enim cum ſpe decidiſſet, quam ei Cæſar de conſequendo Pontificatu excitarat, Francorum regis ſororem Henrico, odio Cæſaris, deſtinabat. Sed audito, regem Annæ Boleniæ amoribus imbutum, tepidior factus in ſtabiliendo divortio, excidit gratia, metuque ſupplicii anxius, abrupit vitam. Thomas Morus, doctrina ſpectabilis, ei ſubrogatur, cui & improbatio repudii capite ſtetit. Clemens, qui diu nutaverat, prætulit tandem Cæſaris gratiam, ſecundum Catharinam judicat. Henricus contra Boleniam geniali locat toro, factum tuetur Academiarum, & in his Pariſienſis, ſuffragio. Mox ſub initium anni MDXXXIV, omnem Pontificis obedientiam detrectat, ſuiſque omnibus edicit, ut neque Romam pecuniam deferant, neque divi Petri denarios quotannis colligi ſolitos, cuivis quæſtori dependant. Tum ordinum Angliæ decreto, ſeipſum Eccleſiæ Anglicanæ caput à Chriſto proximum profeſſus, nihil præterea in religione mutat, æque Pontificiis ac Proteſtantibus inviſus. Bolenia, multis animi corporiſque præſtans virtutibus, enixa filiam Eliſabetam, haud diu in gratia Henrici floruit, ex adulterii inſimulatione ſecuri percuſſa. Rex Janam duxit Semeram, quæ in partu periit, Eduardo procreato. Catharina dolorem non ferens, jam vivis exceſſerat. Henricus Cliviam deinde quartam conjugem, vix ductam repudiavit. Ita res, quæ lucrum importare maximum Romano fiſco ſolita matrimoniorum puta regalium diſpenſatio, grande ei detrimentum peperit. *Joann. Foxus. l. 2. Comm.* 1536.

Chytr. l. 8. & 10. Sax. Petrus Polanus Concil. Trid. l. Polyd. Virgil. lib 27. Hiſtoriæ Anglic. Thuan. lib. 1. Sleid. l. 8.

In Helvetia, quum Tigurinorum ac Baſilienſium exempla ſecuti Bernates, Pontificatum reprobaſſent, quinque pagici à Ferdinando & Clemente ſtimulati, contumelioſis verbis contentionem de doctrina exacerbaverant. 1531.

Tentata nequicquam à Gallis compoſitione, ad arma ventum, commiſſaque anguſto loco pugna, victi Tigurini. Ipſe Zwinglius in primis ordinibus pugnans cecidit, cadaver flammis abſumptum. Ex interitu amici ſaucius ſupra modum animo Joannes OEcolampadius, ceſſit vita. Nec fractiores tamen Tigurini iterum prælii aleam ſubeunt, æquataque ferè clade ſuccumbunt. Unde pertæſi utrinque cædium paciſcuntur, ut poſitis fœderibus externis, durante licet religionis diſſidio, ab inteſtinis bellis quieſcant.

Atrocius bellum in Weſtphalia, Anabaptiſtis autoribus exortum. Venerat Monaſterium Joannes Leidenſis ſartor, Muntzeri infectus delirio, qui infantium baptiſmum cavillando, jactandoque revelationes ſpiritus, Bernardum quoque Romanum Eccleſiæ ibidem doctorem, traduxerat in partes. Tantaque vis erroris erat, ut præcipuam civitatis partem ſubito pervaderet. Apud eum cum diſputando nihil efficerent, Glandorpius, Buſchius, alii, diſcedunt ab urbe; Anabaptiſtæ peregrinos advocant ſuæ factionis, pulſoque Senatu novum eligunt. Laceſſiti ob id armis ab Epiſcopo, increbreſcente inſania, novos Apoſtolos, 1533. *Joan. Sleid. lib. 8. & 10.* *Chytr. lib. 10. Chron. Sax.*

los, reges, judices, carnifices somniant, Jerosolymam novam dicunt urbem suam, omine siniſtro. Nam adjutus imperii Germanici viribus Præsul, Hierosolymitanam induxit famem obsessis, intus nullo non calamitatis genere per fanaticos vexatis. Decimo sexto demum mense capta ex insidiis urbs, puberes trucidati, Joannes rex, Knipperdollingus & Bernh. Krechtingus Pastor, ignitis lancinati forcipibus, & ad turrim suspensi, documentum sunt posteris, *ne quis inhonestas cupiditates religionis glaucomate obtegat.*

Bellar. Chron. pag. 2. Thuan. lib. 1. Petrus Suavis. Polanus Histor. Conc. Trid. lib. 1.

Interea Clemens, cum novum Capucinorum ordinem confirmasset, promissamque Synodum miris extraxisset ludificationibus, onus successori Alexandro Farnesio, qui Pauli III nomen sumsit, morte præventus imposuit. Paulus sobrietate, vultus gravitate, doctrina, ac postremo corpusculi adfectata imbecillitate profundam ambitionem diu celaverat, quam mox adepta dignitate manifestam omnibus fecit. Cum enim concilii & reformationis cupientissimum se simularet, mox Cardinales creando, quos è liberis nothis habebat nepotes, adhuc penè ephebos, summi senatus porro deformandi studium, detexit. Neque candidior indicendo concilio, si id re, locoque liberum esset, Mantuam primum, dein Vicentiam nominavit, ubi ipse, licet alteram litis partem sustinens, sententiam velut è tripode dictaret. Unde è Protestantibus XV principes, & XXX civitates, Legato ejus Vergerio per suos Smalcaldiæ ostendunt, Concilium non solius Pontificis, sed omnium Ecclesiæ ordinum esse tribunal: tyrannidem sapere, si Papalis autoritas toti Ecclesiæ præferatur. Nec tolerandum, quod execratus pridem Lutheri dogmata Pontifex, nunc in præcipitis sententiæ suffragium adigere Synodum concupiscat.

Joan. Sleid. l. 11. & 12. Comm.

Luth. Tom. 6. Ienensi

Lutherus Smalcaldiæ articulos contexuit, qui à Theologis subscripti, Mantuano concilio exhiberentur.

Dum hæc aguntur, Reipublicæ Christianæ utilitatem aliquam Cæsar attulit expeditione Africana. Cum enim Solimannus Hariadenum Barbarossam, piratam Mitylenæum, copiis instruxisset, quibus ille Coronam, aliaque Peloponnesi oppida ab Andrea Doria occupata receperat, & Muleassen Tunetanum dejecerat regno: Carolus occasionem speculatus, quod Turca jam in interiore Persia cum Thoma Ismaëlis Fi. conflictaretur, profugum ad se Maurum reduxit, victo securitate sui Barbarossa, exstructaque Guleta arce, navigationem Christianis securiorem reddidit. Solimannus interim exciso Tauriſio, expugnataque Seleucia, faustam principio militiam varia clade corrupit. Exercitum enim populante fame atque inedia, tumultuario in reditu, invaditur à quodam Thomæ satrapa, multisque suorum occisis, laceras atque egentes copias ægrè Constantinopolin perducit.

Germ. Annal. Turc. Joh. Ramus l. 2. de rebus Turc. Aloysius Armer. de expugn. Tuneti. Joannis Etrob. expedit. Punic. 1536. Onuph. in Paulo III. Sleid. lib. 11. & 12. Mart. Bellai. lib. 5. Comm.

Reversus ex Africa in Italiam Cæsar, vacantem ex obitu Franciſci Sfortiæ ducatum Mediolanensem, sibi ut feudi domino adjudicat. Rex Francus contra eum ad se pertinere hæreditario jure demonstrat, renitentemque Sabaudum pleraque cis Alpes ditione multat. Cæsarem tanta ex eo indignatio inceſſit, ut durius Romæ in Gallos concionaretur, quam Pontifex ipse ferre posset, autoreque Antonio Leva, in Galliam Narbonensem irrumperet, sed irrito conatu. Paulo post Turcarum metus, qui Cliassam Dalmatiæ expugnaverant, Corcyram Venetis parentem, duce Barbarossa, nudaverant ferè incolis, Moldaviam subegerant, impulit Paulum, ut inducias inter Cæsarem & regem decennales componeret, apud Niceam Provinciæ urbem, ubi & Alexandri Medicis viduam nepoti suo Octavio impetravit. Etenim Alexander, dum libidinis causa toros sectaretur alienos, à Laurentio patruele suo sæviſſime erat interemptus, Cosmus Medices, dux Florentiæ, ab Cæsare, sed invito Papa, creatus est.

Annal. Turc.

Chytr. lib. 11.

Cæterum Pontificia in Turcas expeditio, licet Cæsariana & Veneta classis Papali jungerentur, effectu caruit, navibus apud Actiacum promontorium, post improsperam cum Barbarossa pugnam, dissipatis. Nec efficacior Henrici Angli proscriptio fuit, in quem fabricatum diu fulmen ejaculatus est Paulus, exeunte
1538. anno duodequadragesimo ejus seculi. Causæ afferebantur, Catharinæ divortium, abdicatum Ecclesiæ obsequium, Cardinalis Roffensis cædes, & D. Thomæ Cantuariensi impacta dica. Ob hæc regem regno abjudicat, fautores ejus omnes bonis, honoribus, fortunis omnibus exigit. Imperatum subditis, ne parerent: extraneis, ne cum gente Anglicana commercium haberent: omnibus, ut contra principem ac populum armis insurgerent, regno & fortunis in prædam, populo in servitutem addictis. Sed nemo repertus, qui furiali edicto obediret: imo repertus Cæsar ipse Carolus, qui fœdus amicitiamque cum Anglo jungeret.

1535. In Germania viciniſque terris invalescebant Protestantium partes. Lutherus sacrum codicem à se Germanice versum vulgaverat typis. Exemplum docti aliarum gentium sequebantur, translatisque in vernaculum sermonem Scripturis, mysteria regni Dei cum plebeiis & idiotis communicabant, testantes, ideo divinitus revelata esse, ut neminem lateant, sed omnibus divinæ cognitionis affulgeant lucem. *Sleid. l. 11.* Marpurgi jam florebat Academia à Philippo condita Landgravio: nunc etiam Argentinenses eodem fine illustrem aperiebant scholam, anno MDXXXVIII.

Ignatius contra Lojola Hispanus societatem instituit novam Monachorum, qui Jesuitæ appellantur, habenturque acerrimi traditionum Papalium vindices. Nec reliqui quicquam faciebat Pontifex, quod ad excindendum Lutheranismum pertineret. Principes vicissim, qui secessionem à Romanensibus tuebantur, fœdus inter se firmant Smalkaldiæ, quo se ad mutua auxilia, si vis fiat, obstringunt, cui & Christianus III Danorum Rex novus nomen dedit, qui nuper in Dania Norvegiaque Pontificios præsules officio deposuerat. Quam rem tristes illorum regnorum perturbationes præcessere, breviter nobis dicendæ.

Carolus quidem Cæsar, & Maria ejus soror, Belgii Gubernatrix, sedulo annitebantur, ut Christianus II. exul in regna aut partes regnorum Borealium restitueretur. Sed quum tandem anno XXXI Hamburgi compositio exspirasset, & rex profugus per Severinum à Norby in Scania, perque Nic. Kniphovium piratam in Oceano varia vane molitus, novas subinde spes melioris fortunæ indueret, contracta demum in Frisia & Hollandia classe XXV navium, subvehitur ad Hallandiæ Warbergam. Sed reflante subito Euro, ad Norvegicum rejicitur littus, plus tertia suorum parte amissa. Ibi tamen dum hæret, Olai Nidrosiensis & Gustavi Trollii Upsalienſis præsulum opera, Norvegorum animos ad defectionem sollicitat, totumque regnum sibi adjungit isthac hyeme, solo Magno Guldensternio Aggershusam fideliter tuente, cujus exemplum duo Bildii præsides, Æschyllus Bergensis, & Nicolaus Bahusanus secuti. *Carol. l. 9.* *Huit. in Frid. I.* 1532.

Fridericus rex armata classe, cui Vandalicarum civitatum egregia aderant & fida tum auxilia, præsulem Ottoniensem Canutum Guldensternium mittit, qui fratrem Magnum, à Christierno obsessum, annona & milite sublevat. Interpositis aliquot septimanis, utrumque exercitum per rigorem hyemis inopia invadit. Profecti interea ad regem Petrus Schramus & alii, larga cum spe subsidiorum, revertuntur. Sed dum in itinere hærent, Canutus Christiernum, facta spe benignæ transactionis cum patruo, ad deditionem pellicit. Si transigi non possit, restitutionem pollicetur in Norvegiam. Illi pactioni, quanquam legati nuper à Friderico venientes subscribere abnuerent, tamen Canutus Christiernum Hafniam perducit, autorque

que fit regi, ne dimittat dedititium, qui ipſo in itinere, contra quam convenerat, Cæſarem per literas de auxiliis interpellaſſet, quemque ſimul Dani, Succi, Holſati, Vandalicæque civitates, in cuſtodiam dari poſtularent. Igitur Chriſtiernus Sonderburgum in carcerem ducitur eadem fermè hora, qua filius Joannes in comitatu Cæſaris Ratisbonæ in fata conceſſerat. Ita rex quondam potentiſſimus, cum in religione ambidexter, Epiſcopos Succos, & Norvegos, Papiſmi, patruum vero & civitates Vandalicas Lutheraniſmi profeſſione demulceret, fideique ambiguæ multa dediſſet documenta, viciſſim fide haud ſatis ſincera circumſcriptus, in carcerem ruit è ſolio.

Chytr. l. 10. Proximo anno, regni ſui decimo. Fridericus rex Gottorpii moritur, Danorum libertatis autor, præſertim nobilium, quibus tantum ſanè indulſit, ut dempto tantum nomine, Comites eos omnino aut Barones effeciſſe videatur.

Huitf. in Frid. I.

1533. Exuvias ejus Sleſviga habet.

Secutum interregnum, quod Epiſcopi Chriſtianum III, quem ex Anna Brandenburgica genuerat Fridericus, averſarentur, gnari dogmatibus eum Lutheri tinctum, quæ ipſi è Dania exſtirpata cupiebant, Magno Goë, Erico Bannero, & aliis procerum contra tendentibus. Fit ergo decretum, de ſola majorum religione per Daniam tenenda; Joannes Tagonis & alii proſcribuntur. Joannes è Sophia Pomeranica natus, octennis Friderici filius, magno Epiſcoporum ſtudio producitur, qui regium titulum gerat, dum ipſi ſceptrum ſuo nutu moderentur, Chriſtianus, laudabili admodum modeſtia, integrum Senatoribus relinquit, quem velint è fratribus,

Huitf. in Chri. III.

1534. (erant ii Joannes Adolphus, & Fridericus è Pomerana) regem conſtituere. Sed erat in fatis, ut Epiſcopalis ambitio & fraudes labaſcerent. Occaſionem Lubecani conſules, Georgius Wollenweberus & Marcus Mejerus, per ſeditionem creati dedere. Hi prætextu perficiendæ reformationis, quam Epiſcopi Dani morarentur, Hafnienſium Conſulem Ambroſium Bibliopegum & Malmogienſem Georgium Monetarium, in ſuas trahunt partes, perque eos totius ſe potiri Daniæ poſſe confidunt. Apud principes alia erat ſpecie opus. Inducitur ergo Chriſtophorus Comes Oldenburgicus, ut velut liberando Chriſtierno ſcribat militem, inque Daniam irruat. Plebi Lubecanæ, ut aperiat loculos, perſuadetur, ſubigi poſſe per inteſtina ordinum diſſidia ſeptentrionem, ſic Belgis per Helleſpontum Danicum intercipientibus lucrum, obſiſti facillime, univerſumque è Boruſſia, Livonia, Sarmatia quæſtum ad Lubecenſes derivari. Tentatur & Anglus, ut pecuniam præminiſtret, oſtentata ſpe tradendæ ei Daniæ.

Hac mente ſtatim procurritur in Holſatiam: Eutinum Epiſcopi ſedes, Trittovia, Plona, Arensboca obruuntur. *Chytr. l. 10. Huitf. in Chri. III.*

Exuritur Segeberga oppidum, arx in monte ſita obſidetur: ſed fruſtra. Claſſis Lubecana Oreſundam delata, à conſule Malmogienſi, ut convenerat, ſuſcipitur: Hafnia & Malmogia traduntur Comiti, nomine captivi regis: Sialandia & Scania adiguntur in ipſius verba, mox & inſulæ minores. Initia feliciter proveniunt, plebe tam Epiſcoporum violentiam, quam nobilitatis faſtum deteſtante. Interim Chriſtianus Dux indignatus, ſe iniquiſſimo à Lubecanis bello peti, Travemundam, Slucopiumque oppida eorum diripit, abducit è portu eorum naves, junctiſque Dravi amnis ripis, obſidione ipſam urbem claudit. Ibi dum occupatur, Cimbrorum Fionumque nobilitas verita periculum, regem Chriſtianum dicit, conſilio non minus neceſſario quam felici. Sed populus Fionum, à quo rex captivus amabatur, diſcurrit ad arma, multaſque poſt clades, ab Holſatis, queis præerat Joannes Ranzovius, vel acceptas, vel illatas nobilitati, Chriſtophoro tradit inſulam. Cimbriam ſimul vexare cœpit Clemens nauta, piratarum caput, quos Chriſtophorus emiſerat ad excitan-

dum adversus nobilitatem vulgus. Eo duce, agrestes turmas aliquot prostravere equitum, inque iis nobilium non paucos, arcibus illorum passim igni datis. At rursus nobilitas, munita jam cohortibus peditum, quas novus rex submiserat, apud Horsensium oppidum profligavit turbam rusticorum. Quo tempore & Henrici Megapolitani & Hamburgensium studio, discussum inter Christianum III & Lubecenses bellum, atque pax Holsatis solutione obsidionis redempta, Dania Martis arbitrio relicta est.

Confestim Joannes, Hojensis Comes, è sororio Gustavi, Suecorum regis, dudum hostis ejus, Lubecanas cohortes transportavit in Daniam. Rex quum equitum duo millia, peditumque firmas copias haberet, tradit partem Joanni Rantzovio & Erico Bannero; qui occidunt in acie agrestium duo millia, Alburgum recuperant, puberes ibi omnes necant. Clemens pirata, à quodam Cimbro captus, plumbea ornatum corona caput carnifici amputandum præbuit. Rex Suecus affinitate (nam soror conjugis ejus Christiano III nupserat) & communi periculo adductus, auxiliarem manum submiserat in Scania, cui offensa vulgi intemperie nobilitas se conjunxit, questa prius de Oldenburgici & Lubecensium erga plebem indulgentia. Igitur pleraque Scania brevi quidem, sed multo cum sanguine, redigitur in Christiani obsequium, cujus exemplum secuta Norvegia Australis, regem eum appellat. Eo bello insignis Marci Meieri dolus enituit. Captus enim à Tychone Krabbio in pugna Helsinburgensi, & Trudoni Ulfstandio traditus, qui arcem Warbergensem tenebat, omni humanitate effecit, ut data fide, ne quid novaret, cum civibus confabulandi acciperet potestatem. Ea abusus, persuadet LXXX militibus, ut allatam noctu scalam demisso à se funi alligent, pertractique in conclave, dum abest Trudo, arcem occupent, opesque ibi depositas diripiant. Sed cruentæ fraudis pœnam luit Meierus capite, Ulfstandio tandem mascule arcem expugnante. Sub hæc Lubecenses Alberto etiam Megapolitano vellunt aurem, qui filiam sororis Christierni captivi duxerat. Is Hafniam profectus cum conjuge, partes ab iis susceptus claritate nominis roboravit. Cæsar quoque, cum filias Christierni, Dorotheam quidem Friderico Palatino, Christinam vero Sfortiæ Mediolanensi, eoque exstincto, Francisco Lotharingo junxisset, spem eis auxiliorum fecerat, queis jus in Septentrione suum vindicarent. 1535. *Huitf. in Christ. III.* *Hub. Thomas Leodius lib. 2. de vita Frid. II. Palat.*

At interim in Fionia Joannes Rantzovius, cum nobilitate Fionum egregio certamine Lubecanam aciem prostravit. *Chytr. lib. 10.* Cæsi Joannes Hojensis & Nicolaus Teclenburgius Comites, Præsul Trollius, 1535. tot bellorum autor, ex vulnere interiit Gottorpii, Fionum deinde oppida quædam direpta, de seditiosis sumtum supplicium. Ulterius tendenti regi classe opus erat; sine qua nec expugnari regnum Danicum, nec expugnatum defendi potest. Igitur contracta è Danis, Suecis, Borussis, classe XXXVII navium, præfecto Petro Schramo, decem Lubecensium bellicas capit, mox & Corsoram, objectum freto castellum; parataque via advectus in Sialandiam, terra marique Hafniam, Anconam, (quæ & Malmogia) Coronam, Callundburgum obsidet. Dum ibi laboratur, civitates Vandalicæ (nam Rostochium & Wismaria in partes concesserant) Anglis offerunt Daniam, refusione sumtuum, quos ipsæ expendissent, emendam. Verum illis consultantibus, Christianus Hafniam, dira & miseranda cum fame præstolantem Belgica & Palatina auxilia, acerrimè oppugnat. Coronam Scaniæ urbem Oliger Ulfstandius, Malmogiam Consul ipse adegit in obsequia regis. Ne Maria Belgica succurreret Hafniæ, mis- 1536. sus est à rege in Groningensem agrum exercitus, qui expugnata cum Geldrensibus Dammo oppido, distinuit ibi Belgas. Jamque tædebat Lubecenses belli, quum

quum opportunè ab Cæsare jussi Nicolaum Bromsium recipere consulem, abrogant Wollenvebero imperium, antisenatum LX virorum abolent, purgatamque seditiosorum colluvie civitatem melioribus instituunt consiliis gubernare. Igitur priusquam dederetur Hafnia, pacem Hamburgi cum Danis ineunt, avocant suum militem, Christianum regem inter se & Suecos arbitrum legunt, Bornholmiæ sibi paciscuntur usum fructum. Paulo post urgente omnium rerum inopia, Albertus & Christophorus deprecati coram rege culpam, arcem urbemque Hafnienſem tradunt, integrum annum obsessas. Rex omnibus ingenti clementia ignovit. Wollenveberus autem tuba belli, comprehensus postmodum à Christophoro Verdensi Episcopo in itinere, apud arcem Guelphicam supplicium exsolvit scelerum. *Huitf. in Christ. III.* Consul Hafnienſis, ob nefas quoddam anquisitus capitis, veneno se confecit. Georgius Malmogiensis perpetuam de facultatibus suis sanxit eleemosynam egenis. Episcopi septem Danorum, quod electioni Christiani obstitissent, multaque in fraudem regni apud indigenas exterosque essent moliti, de sententia senatus populique, officio moti; gubernatio regni ad illos, qui extraneo haud tenerentur juramento, translata est.

1537. *Chytr. lib. 11.* Mox reformatio doctrinæ ac cultus, de M. Lutheri & Joh. Bugenhagii Pomerani consilio, Danis Norvegisque præscripta. Episcopos sanè in custodiam rex dederat, sed eodem anno stipulatus ab iis, ne propagationem Euangelii impedirent, dimisit omnes, concessis non tantum patrimoniis, sed & cœnobiis aliquibus, unde statum suum tuerentur. Solus Roscildensis Jacobus Ronnovius, acre & fallax ingenium, in custodia retentus. Olaus Nidrosiensis Antistes, qui multa apud Norvegos perfide ac crudeliter egisset, conscius sibi etiam necis nefariæ, quam D. Vincentio Lungio intulisset, voluntarii semet exilii damnavit. Reliquis per Norvegiam episcopis similiter potestas adempta, Ecclesiis dati rectores Euangelici. Apud Scanos Fr. Vormardus Lundæ, apud Sialandos Petrus Palladius Hafniæ, Georgius Sadolinus apud Fiones Othoniæ: Apud Cimbros Arthusienses Matthæus Langius, apud Wiburgenses Jacobus Sconingus, apud Alburgenses Joan. Thomæus, denique apud Ripenses Joan. Wandalus episcopi aut Superintendentes facti.

Composita in hunc modum Dania, 1538. *Chytr. l. 11. Sleid. l. 12.* Rex Christianus Brunsvigæ Protestantibus fœderi adscribitur, quum interim Pontificii Noribergæ conspirarent, ducemque fœderatorum crearent Henricum Brunsvicensem, qui una cum Georgio Saxone acerrimum se priscarum traditionum defensorem gerebat, multa cum contumelia eorum, & persecutione, qui majores incusabant erroris, omniaque dogmata à Scripturis examinanda dictitabant. Certatum inter ipsos principes literis aculeatis, donec chartarum prælia in sanguinem desinerent. Georgium sanè Saxonem Luthero infen- 1539. sissimum mors rapuit, mœrentem filiorum fata, quos in continuationem certaminis alitos, Numen æternum vitales esse non sinebat. Henricus ejus frater, statim Ecclesias Protestantibus permisit.

Joachimus Elector Brandeburgicus *D. Chr. lib. 11.* Marchiacis, fraterque ejus Albertus Cardinalis Magdeburgicis & Halberstadensibus, auro exorati, imitationem Protestantium religionis indulsere. At Brunsvigius, turbulenti princeps ingenii, neque casti, quum bellum diu coctum animo, in Brunsvigam & Goslariam effunderet, suo malum capiti accersivit. Pulsus enim ditionibus à Joanne Friderico Electore & Landgravio, ad Bavaros fratres, Guilelmum & Ludovicum, refugit. Illud quidem postea contigit. Cæterum anno undequadragesimo Cæsar à Ferdinando fratre interpellatus, Francofurti conventum indicit conciliando religionis dissidio, ubi Protestantibus induciæ datæ. Mox Cæsar, exstin-

1540. *Bellajus lib. 9. Comm. Annal. Turc.* exſtincta Iſabella Auguſta, Joannis Luſitani ſorore, cum eluxiſſet, pergit in Galliam, ubi perhonorifice exceptus à Franciſco rege Lutetiæ & Eleonora ſorore, Franciſci conjuge, per legatos monet Venetos, ut in Turcarum oppugnationem conferre omnia velint, quorum regia Conſtantinopolis tunc incendio erat corrupta: at arx Guleta Barbaroſſæ recuperata. Sed illi vim experti barbarorum, tantum abfuit ut id conſilii amplecterentur, ut traditis Nauplia & Epidauro, pacem à Solimanno redimerent inviti. Hinc in Belgium feſtinans Cæſar, Gandavenſes, rebellionis ſuetos, privilegiis avitis multat, autores ſeditionis capite plectit. Vormatiæ inter Proteſtantes & Pontificios colloquium haberi jubet, quod tamen injecto ei à Pontificiis metu ſchiſmatis, ſi natio Germanica aliquid ſeorſim ſtatueret in fide, abrupit. Aderant ibi frequentes Proteſtantium doctores, Philippus Melanchthon, Martinus Bucerus, Wolfg. Capito, Andreas Oſiander, Joan. Brentius, Joan. Calvinus, Aleſius Scotus, Wolfg. Muſculus, Simon Grynæus, Joannes Sturmius. E Pontificiis familiam ducebant, Laur. Campeggius Cardinalis, Petrus Paulus Vergerius & Joan. Eccius. Interim Francus Angluſque reges ignibus gladiiſque in Proteſtantes graſſabantur, in quibus illuſtres Thomas Cromelius & Robertus Barnus ab Anglo necati. Viciſſim domi infelix Anglus, comperit quintam conjugem Catharinam Havardam clam cum alio conſueviſſe: quare & de illa ſumto ſupplicio, Catharinam Parram ducit.

Sleid. lib. 13. Chytr. lib. 11.

Joan. Foxus lib. 2.

Sleid. lib. 14. 1541.

Mitior etiam tum Carolus in Proteſtantes, Ratisbonæ operam dedit, ut delectis moderati ingenii collocutoribus, aliquot dogmata conciliarentur. Sed Caſpar Contarenus Cardinalis, præmetuens offenſæ apud herum Pontificem, inſtitit apud Carolum, ne compoſitio illa valeret. Igitur ingruente Turca, ad concilium rejecta res, Pontificiis reformatio abuſuum imperata.

Etenim Solimannus à Joannis Zepuſienſis vidua imploratus, in Hungariam movebat, filiolo ejus Stephano aſſerturus regnum, quod Ferdinandus rex capto Peſto, obſeſſaque Buda, eripere ei conabatur. Et ſolvit obſidionem Turca, ingenti cum Ferdinandicorum clade, & Peſtum Budamque occupavit, vidua cum infante in Tranſylvaniam ablegata. Carolus ſub hæc in Africa facturus Turcis negotium, cum Algieram appuliſſet, exortis tempeſtatibus horrendis, laceram claſſem, exhauſtumque militem in Hiſpaniam reportavit. Exorantur ergo Spiræ Germani, ut viritim Ferdinando in bellum Turcicum pecunias contribuant. Sed negligenter habitus miles nullum operæ ſumptuſque pretium facit, ad hæc contagiis abſumitur. *Nec mirum valeſcere hoſtes Chriſti, quando orbis Chriſtiani reliquum diſſidiis indulget, & quorum res agitur maxime, divinæ veritati obſiſtunt.* Acciderunt enim hæc eo tempore, quum rex Francus, fefelliſſe ſibi ſpem reddendi Mediolani queſtus Cæſarem, cæſoſque Fregoſum & Riuconem legatos ſuos, ad Turcam ituros, inducias abrupit, ac Guilelmum Clivenſem, cui Cæſar Geldriam non concederet, traduxit in partes, qui Antverpiam, victo acie Renato Auriaco, intercipere conatus. Nam Carolus Egmundanus, paterni cum domo Burgundica certaminis hæres, Geldriam moriens Guilelmo Juliacenſi ejuſque unicæ filiæ Mariæ tranſcripſerat. Qua ducta, Joannes Clivenſis filio è Maria Guilelmo ampliſſimum reliquerat dominatum, conjunctis ſub uno principe Juliaco, Clivia, Marca, Geldria. Quas opes ut tueretur Guilelmus, adverſus maximi Cæſaris potentiam, Gallicana ſibi amicitia utendum exiſtimabat. Unde mox grande bellum emerſit. At Carolus Pontificem ſibi ducebat demerendum, renato cum Gallis diſſidio. Ideo Metenſibus purioris doctrinæ exercitium abſtulit, Judicio Cameræ, ad proſcriptiones Proteſtantium facili, habenas non adſtrin-

Annal. Turc.

Sleid. lib. 15. Th. Fazellus de rebus Siculis l. 20. Nic. Villagagno de exped. Caroli V. ad Algieram.

Ioan. Servil in conjur. Geldrogallica.

Bellaj. lib. 9. comm.

1545. *Sleid. lib. 15.*

ſtrinxit: Induci tamen haud potuit, ut Pauli nepoti Octavio Farneſio Parmam Placentiamque Mediolanenſis quondam ducatus partes, indulgeret: Sed Coſmo Medice, in redemtionem arcium ſuarum, ſupra ducenta aureorum millia perſolvente, ad bellum cum Francis & Clivenſi gerendum ſe inſtruxit. Ejus pars facti etiam Chriſtianus III & Guſtavus reges, Franciſco auxilia ſubminiſtrabant, quod Cæſar neptium ſuarum cauſa, regnis Borealibus certam dare pacem *Huitf. in Chriſt. III.* abnueret. Nam ante triennium Fridericus Palatinus, haud obſcure irruptionem in Holſatiam minatus, Crempam & Rendesburgum munire perpulerat Chriſtianum: & Joannes Olauſque Magni fratres, è Suecia profugi, adverſus patriam varia moliri ferebantur. Itaque Chriſtianus & Guſtavus ad communicanda invicem auxilia ſe obſtrinxerant.

Chytr. lib. 12. Rex Gallus quinque ſimul locis adortus Caroli terras, majoris ſtrepitus, quam conſilii bellum feciſſe viſus eſt. *Sparſis enim viribus, quas ſatius fuiſſet unitas habere, quæ occupaverat loca, facile amiſit.* Cæſar Clivenſem, Dura oppido expugnato incenſoque, Juliaco & Ruræmunda ad deditionem compulſis, adegit ſupplicem ſibi fieri, ereptaque ei Geldria (quæ tot bellorum ſeges) reliquas provincias, Juliacum, Cliviam, Montes, fruendas reliquit. Vicißim Galli Landreſium & Luceburgum occupant, Turcis ad expugnandam Niceam præbent auxilia, Cæſareanos, duce Friderico Borbonio Angiano, ad Carignanum Pedemontii, fundunt magna ſtrage. Quare Cæſar Spiræ dat pacem Proteſtantibus ad comitia uſque; Joanni Friderico ratam habenti electionem Ferdinandi, firmat pactionem dotalem cum Clivenſi, ut eo ſine maſculis hæredibus exſtincto, Sibylla Saxonis conjux, ſoror Guilelmi, ex eaque nati mares ſuccedant. Mox viribus ſuccinctus imperii Germanici Cæſar, recipit Luceburgum, multa expugnat Gallorum oppida, populabundus ad Pariſios ferè penetrat, cogitque Gallos pacem poſtulare, & Sabaudiam reſtituere, cum Anglus, Cæſari fœderatus, Boloniam expugnaſſet.

1544. Bellaj. lib. 10. Comm.

Potuerat & Turca profligari, qui Quinqueccleſia, Strigonio, Belgrado captis, tum maxime in Hungaria ſæviebat, ſi pacem Cæſar Proteſtantibus conſervaſſet. Illi enim officinas condebant pietatis & ingenuarum artium, augeſcebantque indies. Per Saxoniam Miſnæ, Grimmæ, Portæ à Mauritio, per Pomeraniam Stettini, apud Weſtphalos Tremoniæ, illuſtres Scholæ aperiebantur: apud Regiomontanos Boruſſos Academia, autore Alberto duce. Jamque & Palatinus Otho Henricus & Elector Colonienſis Hermannus, fermentum Pontificium expurgaverant: Comitiis Vormatienſibus omnes pacem precabantur, non adſtrictam Concilii Papalis arbitrio, quod neque liberum foret, neque eos pateretur judices, qui incorruptam dicere ſententiam poſſent.

Annal. Turc. Joan. Mart. Stella de Turc. ſucceſ. in Hung.

Sleid. l. 16. 1545.

At Cæſar compoſitione Crepienſi cum Franciſco pactus, ut junctis viribus priſcam religionem, id eſt, Pontificiam, proximis ſeculis inveteratam tuerentur, edicto vetuit per ſuas ditiones, ne quis quid novaret, experimentumque novi conſenſus dedit, exuſto ſtatim Tornaci Petro Brulio, quod ſedi Romanæ contraria docuiſſet. Franciſcus ſimul Valdenſes per Provinciam puniendos permiſit Trivultio, Pontificis legato, & Aquenſi judici Minerio, per quos captis eorum oppidis exuſtiſque, horribilem in modum cum viris prægnantes, pueruliſque, omni ſævitiæ genere perierunt. Nec deerant, qui ipſis in comitiis Vormatienſibus, jam nunc tollendos concionarentur Proteſtantes, nec interponendam moram. Paulus quoque miſerat Tridentum ſuos, inchoaturos concilium, ad cujus defenſionem Cæſar, Francus, Polonus, literis ſemet adſtringebant. Increpatus enim Cæſar minaci epiſtola, ob pacem Proteſtantibus prolongatam, recolligere gratiam Pontificis cogitabat. Sed ei Epiſtolæ librum oppo-

fuit Lutherus acrem, refutatisque, quæ Papatui stabiliendo Romanenses è Scriptura depromunt, à Satana eum manasse contendit, picturis insuper ludibriosis ei insultans. Interim Henricus Brunsvigius, prohibente Cæsare, scribit copias, fœderatis Smalcaldicis dira minatur, obsidet Wolferbytum. Sed victus à Landgravio, captivum se sistere cum filio adigitur. Anno proximo Lutherus, dum Mansfeldios inter se comites reconciliat, Islebiæ placidissima morte xxix annorum certamina claudit. Mox cum colloquium Ratisbonense inter Protestantes & Pontificios, ob duriores Protestantibus dictas leges, esset abruptum, nec Concilium Tridentinum, quod solo Pontificiorum arbitrio regeretur, idoneum agnoscerent Protestantes, cui salutis committeretur negotium, discessionem à Friderico Palatino & Hermanno Colonienſi, (nam & illi Protestantium religionis erant nuper facti) Saxone & Brandeburgico, faciunt Moguntinus & Trevirensis, defendendumque Concilium ajunt.

Luth. Tom. 8. Jenens. Germ. Chytr. l. 12.

1546.

Sleid. l. 17.

Igitur Cæsar cogit copias, Colonienſem proscribit Papa, cum Solimanno fiunt induciæ, ne bellum in Protestantes interpellet. Madrucius, Cardinalis Tridentinus, pro Cæsare stipulantur à Paulo duodecim millia peditum, & equites quingentos, aurique pondus immensum. Interrogatus molitionum Carolus, non in civitates, sed in principes quosdam se animadversurum edicit, qui paci ac juri præcludant viam. Saxo & Landgravius, quia nemini erat obscurum, ipsos peti, dilutis, quæ objectabantur à Cæsare criminibus, nihil in se culpæ esse, nisi prætextum hæreseos, demonstrant: eamque belli causam à Pontifice diserte enunciari. Nihilominus Smalcaldiæ fœderatorum non pauci Cæsaris sequebantur castra, traductique in ejus partes erant Mauritius Saxo, Electoris patruelis, Joannes Brandeburgicus, Philippus, Ericus, Georgius Brunsvigii, Joannes, Albertus, & Georgius Megapolitani; Palatinus & Brandeburgicus Electores privatim sibi consulebant. Rex Danus ante biennium fœdus inierat cum domo Burgundica, Carolumque semper bella minantem septentrioni, prævalida classe in Belgium missa, quæ Francis subsidio esset, pacem ad perpetuam adegerat. Additum erat fœderi, ne unquam Cæsar armis urgeret jus neptium, quodcumque ab iis in Daniam prætenderetur.

Joach. Camerar. de bello Smalcal. Matth. Dress. Mill. 4.

Huitf. in Christ. III.

Jamque etiam Pontificiarum partium eruditissimi per Daniam, octiduana disputatione evicti Hafniæ, præsente rege manus dederant. Insuper quo anno Smalcaldicum bellum cœptum est, renunciabat Christiernus captivus omni juri in regna & ditiones paternas, suo filiorumque nomine, pactus saltem eis dotem & dotalia, digna stemmate, sibique ipsi Sampso insulam & præfecturam Calundburgicam: quam & obtinuit. Igitur Christianus III, ne Burgundicam offenderet familiam, fœderatis Protestantibus opem nullam tulit. Nec illis tam copiæ deerant, quam consilium concors & pecunia. Proscripti à Cæsare duces, Saxo & Landgravius, bellum ei indicunt, junctique Suevis & Alemannis Erebergum, impositam Alpibus arcem, Dillingam & Donaverdam jam tenentibus, tardius Cæsarem, tum quidem imparatum, adoriuntur. Mox ille Pontificiis, Hispanicis, Germanicisque instructus copiis, Landeshuto, quo diverterat, prodit, ac propè Ingolstadium validum è Belgio assequitur exercitum, frustra obnitente Protestantium manu. Neuburgum Ottonis Henrici capit: Apud Norlingam conserturos manum milites cohibet, cunctando frangendum potentiorem hostem arbitratus. Interim Donaverda ab Octavio Farnesio, Pauli nepote, expugnatur, Protestantibus ponuntur insidiæ, sed exploratæ frustra fuere. Jam contagia Cæsarianos invaserant, nec rei benè gerendæ deerant Protestantibus occasiones, cum subito Mauritius, à Cæsare stimulatus, per Saxoniam movet bel-

Sleid. l. 18. Thuan. lib. 2. Ludov. ab Avil. l. 1. de bell. Germ.

bellum Electori, qui cum antea simultates exercuerat, probata & Julii Pflugii electione, quem Cæsaris filium creditum Joannes Fridericus ad Episcopen Naumbergicam non admiserat.

Ergo decernitur transferendas in Saxoniam copias Protestantium, relicto apud Suevos præsidio, Landgravius suos abducit domum, religioni habens in generum pugnare. Sic facile Cæsari Suevos & Noricos vincere fuit. Fridericus Palatinus, qui aliquantum Protestantibus subsidii ministrasset, deprecatione id luit, Ulmenses etiam auro & tormentis, simul
1547. præsidium alere coacti. Francofurtenses, quia maturius deditionem facerent, etiam irrisi à Maximiliano Burensi, ductore Belgarum. Uldaricus Wirtembergicus humillimis conditionibus transegit. Memmingi, Bibraci, Ravensburgii, Campodunenses, Isnenses, delusi à Navio, qui satis cautum eis diplomate Cæsariano de religione diceret; itaque supplices facti.

P. Sua. in Hist. Concil. Trid. Verum longe aliud Tridenti agebatur. Ibi traditiones non scriptas æquiparaverant Patres sacris literis, nec paucos dubiæ autoritatis libros pro divinis habendos sanxerant. Peccatum originis apud sanctos proprie esse peccatum negarunt. Nunc etiam justificari docebant hominem per bona opera, execrantes eos, qui fide certa ajunt statuendam singulis peccati sui in Christo remissionem. Mox septem Ecclesiæ sacramenta ab omnibus veneranda edicunt.

Inter hæc Saxo non tantum sua recuperat feliciter, sed & Mauricium propriis oppidis exuit, incolumi tantum Lipsia & Dresda. Magdeburgicum & Halberstadensem Episcopatus ad se traducit. Cæsare Augustanos & Argentinenses, multam pendentes, in gratiam recipiente. Verum Colonienses Hermannus, exoratus à suis, cedit præsulatu, Adolfus Scaumburgicus successor, cœptam reformationem statim abolevit.

Arnold. Wesb. de desertione Herm. de Weda.

Sub idem tempus moritur in Anglia rex Henricus. Quinquennio ante victus ab eo Jacobus V. rex Scotus, curisque confectus, Mariam reliquerat infantem. Eam filio pactus erat Eduardo Henricus, 1547. regna conjungere cupidus. At Mariæ 1542. mater Guisia ad Gallos trahebat Scotiam. Unde bella pro connubiis nata, captoque ab Anglis & incenso Edinburgo, Scotia factionibus distinebatur. Exstincto jam patre, tutor filii præcipuus, Comes Hertfordius, traditiones Pontificias in Britannia expunxit, Thomæ Crammeri Eboracensis Præsulis adjutu: doctrinæque melioris sementis exinde in Scotiam, profuga jam regina matre, victisque Scotis, sparsa.

Chytr. l. 12. Thuan. lib. 3.

Germaniæ tanto deterior conditio fuit. Jodocus Gruningus in inferiores Saxones legatus à Cæsare, Teclenburgium & Lippiensem comites, Osnabrugam, Mindam, Ritbergam subegerat, Bremam obsidebat. Inde quidem depulerant eum & occiderant Bremenses, auxilio Hamburgensium, & Elector Rochliciam expugnaverat capto Alberto Brandeburgico: Sed mox ad reliquam Cæsaris felicitatem Francisci regis mors accessit, Protestantibus benè cupientis, non amore religionis, sed Cæsaris invidia, qui cum omne genus eruditorum mirifice foveret, Protestantibus quoque magnam submiserat vim pecuniæ. Hoc nudatum amico Saxonem, adoriri parat Cæsar, junctis sibi Ferdinandi fratris ac Mauritii exercitibus. Saxo, qui magnam virium suarum partem per oppida sparsisset, Vitebergam festinat, munitione se defensurus. At Cæsar, reperto per Albim vado, assecutus eum celeriter, pugnare cogit, vulneratumque maxillam, dum mascule se tuetur, per Germanum quendam capit, IX Kal. Maji. Sol sudo cœlo pallidus triduo, lamentari visus calamitatem afflictæ veritatis. Misenæ, dum pæana canunt pro capto Electore Canonici, templum fulmine incenditur, turres prosternuntur; aëre & ante & postea tranquillo. Elector mortis damnatus, vitam abdicatione Septemviratus redemit, renunciavit fœderi Smalcaldico, Vitebergam & Go-

Natalis Comes Histor. lib. 2. Sleid. l. 19. Thuan. lib 4.

Georg. Fabric. Saxon. illust. l. 19.

Dress 4. Mullen. Jobus Fincel. l. 1. de Prodig. Sleid. l. 19.

tham Cæsari tradidit, Henricum Brunsvigium, & Alb. Brandeburgicum absolvit custodia. Sed ut concilio se submitteret Papali, nullo vel mortis metu adigi potuit. Bona illius publicata, Ferdinandoque aut Mauritio assignata sunt, relictis, unde aleretur, censibus. Igitur quanquam ad Dracenburgum Mansfeldiis & Hamburgensibus egregia esset, de Erico Brunsvigio & Cæsarianis, victoria parta, tamen Saxonis calamitas fœderatis animos dempsit. Landgravius à Mauritio genero & Brandeburgico persuasus, cum supplicem se Cæsari sisteret, præter factam spem captivus detinetur. Repertum vocabulum, quod leviſſima mutatione pro nulla captivitate non perpetuam sonaret. Cæsar ad quingentas machinas tormentarias è Germania in suas provincias avexit, à Protestantibus decies sexies centena aureorum millia exegit. Ferdinandus similiter Bohemos, quod Electoris ditiones tueri, quam invadere maluissent, duriter excepit. Levia illa erant, si conscientiis salva libertas permansisset.

Sleid. l.20. 1548. Thuan. lib. 5.

Ecce enim Comitiis armatis adiguntur Protestantes in Concilii Tridentini verba, nequicquam obsecrantes, ut legibus illud certis adstringatur. Sed *vindex suorum Deus, consilia contra se inita discussit.* Nam quod mireris, Pontifex victori Cæsari clam infensus, qui compedes vellet injicere concilio, qui Papalem dignitatem per Præsules quosdam sugillaret, qui iniquior esset filio Pontificis, Placentiæ duci, Bononiam transfert suos, Tridentinum aërem per Medicos cavillatur. Missi Bononiam Oratores Cæsaris, illegitimam hanc esse migrationem protestantur. Paulo jam apertius fremente, cuditur per Julium Pflugium, Michaëlem Sidonium, Joannem Agricolam Antinomum, liber, dogmatum complectens rationem, observandam interim, donec concilium rite fiat. *Interim* ex eo dictus codex, qui cum neque Protestantibus, neque Pontificiis satisfaceret, lucem ferre non potuit, edi-

Onuph. in Paulo III. Natalis Comes. Histor. l.3. Lucas Osiand. Epid. Hist. Eccles. Cent.16. lib.2. c.68.

tusque lites de adiaphoris, synergia, aliisque quæstionibus peperit, pomum eridos Theologis. Mauritius, quod fidelem Cæsari operam navasset, Septemvir creatus Academiam Wittebergensem statim instaurat: at alibi Cæsaris metus Euangelii præcones, aut exautorari, aut ejici, aut occidi fecit. Profuit multis Franciſci Spieræ exemplum, qui ob agnitæ veritatis abnegationem desperatione punitus Patavii, Vergerium & alios ad ingenuam Orthodoxæ pietatis professionem excitavit. Mart. Bucerus, Paulus Fagius, Petrus Martyr, in Angliam commigrarunt. Joannes Brentius, Musculus, & alii, mirè servati è faucibus leonum. Elector captivus, Joannes Brandeburgicus, Wolfgangus Palatinus, Interreligionem Cæsaris constanter improbarunt. Cumque reliquæ civitates demissius agerent, Magdeburgenses, Bremenses, & paucæ Resp. Saxonum, animosius tuebantur libertatem. Ad Magdenburgicos Matthias Flacius Illyricus, relicta Witteberga, ubi Melanchthonis fidem ut nutantem improbarat, transiit, oleum igni additurus. Proscripti à Cæsare Magdeburgici: oppugnatio Electori Mauritio commendata, cui Lazarus Suendius sublegatus. Tentata simul Ferdinandi dignitas, quem Romanum regem Septemviri crearant, si forte ad Philippum Cæsaris filium, jamque ex Maria Lusitana parentem, derivari is honor posset. Sed Electorum constantia prævaluit.

Sleid. l.21.

Melch. Adamus in vita Brentii, Musc. &c.

1550.

Nec Magdeburgici maxima totius Imperii vi premente, quicquam de animi robore remittunt: Imo hostes Oterslebienſi in pago obruunt, ad ducentos nobiles, & Georgium Megapolitanum, inquieti principem ingenii, capiunt. Perit interim mœrore & ira Paulus III, curiosarum artium, & in his necromantiæ sectator: perierat ante eum Petrus Loisius, turpissimus ejus filius, insidiis Ferdinandi Gonzagæ ob nefandam tyrannidem trucidatus. Idemque Gonzaga præfectum Comensem, qui capti-

Sleid. lib.19. 21. 22. Onuph. in Paulo III. Chytr. l.12. Thuan. lib.6. Steph.

captivi cujusdam uxorem, pudicitia redimentem liberationem sui mariti, perfidiosè trucidato eo, fefellerat, justa ultione est prosecutus, dum dotis, contrahendique cum stuprata matrimonii damnato præside, pro sponsa ei carnificem immisit, cervicem mox impii hominis dementem.

Sleid. in speculo Pontif. Sleid. lib. 22. Onuph. in Julio III. Natal. Comes. Hist. l. 4. Chytr. lib. 17.

Paulum, post trium mensium litigia excepit Julius III, ante Joannes Maria Montanus, è concilii Tridentini præside continuator ejusdem, homo impurus, fruendoque potius Pontificatui, quam regendo vacans, voluptuarii secessus amator. Gallias moderabatur Henricus II, Francisci F. Catharina Medicea conjuge, magnus renati Euangelii hostis. Hic Octavium Farnesium, Pauli III nepotem, qui invitis Cæsare & Pontifice avo, Parmam occupaverat, defendendum, connivente Julio, suscepit; cum Eduardo Anglo, Boloniam persoluto sibi auro reddente, firmavit pacem. Mox Mauritii pertentat animum, quem ob Landgravii soceri captivitatem, vimque illatam religioni, iniquiorem factum Carolo sciebat.

Mauritius, re cum Alberto Brand. & Megapolitanis occulte communicata, init cum Gallo fœdus, pro libertate Germanica: ducit bellum Magdeburgicum, donec tempestiva sit in Cæsarem expeditio: facit deinde pacem, qua multam Cæsari grandem solvunt Magdeburgici, salva religionis & majorum libertate.

1551. *Lucas Osiand. Epit. Histor. Eccles. lib. 3. Cent. 16.*

Interim in Borussia rixatur Andreas Osiander de justificatione cum Maximiliano Morlino, Georgius Major de necessitate operum ad salutem, Stancarus de Mediatoris Christi divina in officio natura, controversias movent. Mauritius Melanchthonem & alios instruit, ituros ad concilium. Veniunt etiam Tridentum legati Protestantium, Theologique Wirtembergici & Argentinenses. Sed quum exhiberent librum complexum dogmata, publicè defendenda, sibique juxta formulam concilii Basilienses caveri postularent, nunquam sunt auditi. Nec multo post Elector Mauritius, petita sæpius liberatione Landgravii, pro quo vadimonio esset obstrictus ejus filiis, bellum denunciat simul Cæsari & infert, Augustam Vindelicorum occupat. Patres Tridentinos nuncio adventus sui exterritos, præcipitem in fugam agit. Crescentio Cardinali, præsidi conventus, canis ater nocturnus exitialem incussit metum. Gallus rex cum Tullum, Virodunum, Metin, imperii oppida, redegisset in potestatem, per Lotharingos irruit in Alsatiam, ab Argentinensibus commeatum extorquet: Mauritius Lincium Austriæ progressus, proponit pacis capita Ferdinando & Maximiliano cum Bavaris semet transactioni offerentibus. Quibus auditis, & Campaniæ motus vastatione rex Francus, in quam Cæsariani è Belgio irruperant, deflectit, in Lucemburgiam, Saxo Ereburgum, clausträque Alpium intercepit, cæsis Cæsarianis, captisque ad tria millia. Qua quidem ex re tantum Carolo Ferdinandoque incussit terroris, ut accensis de nocte funalibus OEniponte discederent Villacum, dimisso Joanne Friderico captivo. Capto mox OEniponte, direptum quicquid ibi erat rerum Cæsaris & Hispanorum, Ferdinandi civiumque bonis nihil illatum damni. Tandem interpositis induciis, pax conficitur Passavii, dimittitur è Belgico carcere Landgravius, Protestantium religioni liberum datur & perpetuum in Germania exercitium, proscriptiones abolentur. Priusquam transigeretur, Albertus Ulmenses, Noribergenses Bambergensem & Herbipolensem Episcopos, mox & Moguntinum, ingentibus affecerat damnis. Vormatiam & Spiram subegerat. Tum cavillatus pacificationem, discedit à Francofurtana obsidione, Moguntinis & Spirensibus pecuniam imperat, expugnat Trevirim. Præclarius contra Mauritius in Hungariam demittit copias, ubi Turcæ, ob expugnatam à Cæsarianis Africam seu Leptim urbem, violatis induciis, Temis-

Sleid. lib. 23. Natalis Comes lib. 5. Sleid. l. 24.

Hub. Thomas Leodius de vita Frid. II. Palat. l. 14.

Chytr. l. 17. Annal. Turc. supplement. Joan. Leunsl.

varum, Lippum, Zolnoccum occupaverant. Agriam quidem maſcule defenderunt noſtri; Sed feſſus cladibus Ferd. pacem denique à Soliman. annua triginta millium aureorum penſione emercatus eſt.

Cæſar in Gallum vadit, aſſumto Alberto, ejuſque cum Epiſcopis pactione comprobata. At inaniter oppugnata maximis copiis Meti, diſtributi in hyberna Cæſariani, tertiam partem contagiis periere. Albertus, perſoluto ſibi ſtipendio, atrocius exinde flagellat Epiſcopos, Bambergam & Suinfurtum capit. Illi implorato imperialis curiæ auxilio, Mauritium & Brunſvigium accerſunt. Noribergenſes etiam Ferdinandum. Viciſſim Ericus Brunſvigius à Philippo, Henrico filio, armis vexatus, Alberti poſtulat opem, quæ cauſa Philippo ad ſuos redeundi fuit. Concurritur demum acri prælio ad Sivershuſam. Vincit Mauritius, capit ſigna LXIV, quater mille equites ſternuntur. Victor ipſe XXXII annos natus, letali affectus vulnere, biduo poſt exſtinguitur. Philippus & Carolus Brunſvigii, Fridericus Luneburgicus, & XIV comites acie cadunt. Albertus acciſis nimium viribus, Hannoveram profugus, recolligit ſe quidem, ſed ſemper præliis inferior, ab Henrico Brunſvicenſi & Ferdinando, poſt multiplices caſus, omni demum ditione exuitur.

At Carolo, poſt captos Deo fideles principes, oppugnatamque religionem Euangelicam, vix proſpere quicquam ceſſit, Parmam & Mirandulam, per ſuas & Pontificis copias, fruſtra cruento bello exagitavit. Senenſes, ob exſtructam à Cæſarianis in urbe ſua arcem, defecerunt ad Francum regem. Commiſſi enim inter ſe vanitate Pontificis reges, quod alius alii auxilio veniret, bella ex bellis ſerebant, quæ in nonum protracta annum multas & maximè miſerabiles clades Chriſtianis invexerunt.

Senenſe omne territorium ad ſolitudinem penè redactum eſt, quod Coſmus Medices tandem ſubegit, Senamque fame domitam, ſuo ducatui, permittente Cæſare, adjunxit. Corſicam Genuatium inſulam Henricus rex, auxiliantibus Turcis occupavit, ditiones Caroli ferro ac rapinis exhauſit, Carolo viciſſim Terovennam & Heſdinum, Gallicana oppida, diruente.

Interim & Anglia triſtiſſimis quaſſatur motibus. Eduardus, ſagaciſſimi ingenii adoleſcens, detruncato antea avunculo ſuo & protectore Somerſeto, lento (ut ferunt) Joannis Dudlæi veneno erat interceptus, quo is nurum ſuam Joannam Suffolciam in ſolio collocaret. Sed populus Mariam Eduardi ſororem, Joannæ prætulit. Unde Dudlæi Northumbrii diſſipatis copiis, potita rerum Maria, ipſum reginamque Joannam, amitæ ſuæ neptem, capite plectit, Epiſcopos pleroſque in carcerem rapit, Pontifici Julio Angliam denuo ſubjectura. Id quod plurimo cum Euangelicorum ſanguine tandem peregit, Reginaldo Polo Cardinale populum, velut ab hæreſi, emundante. Nupſit Maria Philippo, Cæſaris filio vidiuo, cui pater regna, Siculum & Neapolitanum, cum Belgio tradiderat. Sed id matrimonium ſucceſſu caruit, cum Maria ſanctorum ebria ſanguine, quarto poſt anno è vivis abriperetur.

Pontifex haud diu gaviſus recuperato Angliæ dominio, dum fingit morbum, ſerio eodem corripitur, migratque ad plures initio anni LI. Cui ſuffectus Marcellus II, inter molitiones varias XXII die apoplexia interiit, faſſus aliquando, ſe non videre, quomodo quis pontificatum tenens ſalvari poſſit, teſte Onuphrio familiari ejus.

Ejus locum accepit è Joanne Petro Caraffa, Paulus IV, Theatinorum ordinis conditor, ſeveritate cunctis metuenda, quam maxime necandis Lutheranis oſtentaverat, inquiſitoris officio functus, quo genere crudelitatis vix XXX annorum ſpatio C L Chriſtianorum millia abſumta memorant Vergerius & Balæus.

Judæos certis ſeptis, more Veneto, oppida-

Natal. Comes lib. 6. Hiſt.

Chytr. l. 18. Sleid. l. 25. 1553.

1554.

Onuph. in Julio III.

Sleid. l. 25. Chytr. l. 11. 1558.

Joannes Foxius l. 3. Comm. &c. Natalis Comes. l. 7. Hiſt. & 8.

1558.

Onuph. in Julio III.

1555.

Balæus de actis Roman. Pont. l. 7.

oppidatim concluſit, croceique coloris pileum, quo internoſci poſſent, ferre coëgit, impoſito etiam graviori tributo. Cæſarianis dudum infenſus, qui obnixi quoque electioni ejus eſſent, vetus odium, comparato exercitu, in Regnum Neapolitanum unde ipſe erat, evomere ſtuduit. Quo tempore Carolus, curis laboribuſque fractus, novo & poſt Diocletianum inſolenti exemplo abdicata dignitate, regna hæreditaria in filium Philippum, imperium in Ferdinandum fratrem tranſtulit. Inde in cœnobium abditus S. Juſti Hiſpanicum, religioni attentius vacavit biennium, quo inſtituto quantum profecerit, teſtatus deinde eſt presbyter, cujus officio frequenti utebatur, quem Philippus filius, nimium Papalis fidei princeps, ob Lutheraniſmi crimen ſupplicio affecit. Jam vero Papa, Gallorum auxiliis ſubnixus atrox bellum Philippo moverat, qui viciſſim ductu Albani, totum fere Latium eripuit Pontifici, parumque abfuit, quin denuo Roma à Cæſarianis caperetur. Pontifex, cum nihil non venale haberet interim, ut ærario ſumptibus exhauſto ſubveniret: tandem conſpicatus fruſtra ſe niti, quod Octavius Farneſius in gratiam Philippi receptus, Placentiam recepiſſet, Gallique apud S. Quintinum ab Hiſpanis victi, ac pleraque Francorum nobilitas capta eſſet, pacem admiſit, quam mox tremenda Tiberini fluvii reſtagnatio, omnia urbis plana inundantis, triſtiorem bello reddidit. Carolus XXXVIII imperii, vitæ anno LIV, præ-lucente Cometa, migravit è mundo, vix ulli Germanorum Cæſarum potentia & virtute ſecundus. Triennio eum anteceſſit Joannes Fridericus Elector, qui redditus principatui, ſed tradito Auguſto patrueli ſeptemviratu, conjugem Sibyllam placida morte eſt ſecutus, magnum inter principes fidei conſtantiæque exemplum.

1556. *Natalis Comes Hiſtor. l. 6.*

Natalis Comes l. 10.

Chyt. l. 18. 19. 1558. *Dreſſ. Mill. 6.*

Leoncl. in ſuppl. Annal. Turc. Contra infelicitatis Solimannus Turca, qui circumventus ab uxore Roſſa, Muſtapham novercali odio proditionis inſimulante, parricidio ſe maculavit, ſublato filio Muſtapha, rebus in Perſas geſtis clariſſimo, cui deinde nepotem, alioſque duos filiorum exitii comites addidit. Nam Ziangir, indignitate fraternæ necis patri exprobrata, propria in viſcera adegit pugionem, Bajazetes, poſtulante Solimanno, à Techmaſi Parthorum rege, ad quem acie victus confugerat, cum filiis eſt peremptus.

Auger. Busbeq. Epiſt. 1. & 3.

Tandem ut ad Indica veniamus, poſt repertam Braſiliam Floridamque altero, poſtquam Carolus Cæſar creatus eſt, anno, Ferdinandus Magellanus Luſitanus fretum à ſe Magellanicum dictum, prætervectus eſt. Qua in expeditione cum periiſſet, una ex ipſius navibus, cætera claſſe amiſſa, biennio poſt, toto terrarum orbe circumnavigato Hiſpalim appulit. Terræ à Magellanicis obſervatæ ex ignibus, qui eminus accenſi viſebantur, Igneæ vulgo tabulis in Coſmographicis indigitantur.

Hieron. Oroſ. lib. 11. Caſpar. ab Ens Hiſt. Ind. lib. 1. Maff. Hiſt. Ind. lib. 8.

Eodem anno ceperunt Ferdinandi Corteſii victoriæ, quibus tot capta oppida totis XX annis, tot luſtratæ provinciæ, imprimiſque Mexicana urbs in lacu ſita, ut Epitome hac explicari nequeant.

Ens lib. 2. & 3. Thuan. l. 1.

Peruviæ ſimul regio partim à Varga, partim à Franciſco Pizarro ſubacta, inque ea urbs magni nominis Cuſco. Exinde Hiſpani ipſi mutuis ſe lanienis XX annorum ſpatio confecerunt, indignius avaritiam & libidinem victoris luentibus, donec Petrus Gaſca Juriſconſultus, à Cæſare miſſus, levamentum aliquod adferret, capto Conſalvo Pizerro.

Dam. à Goes de bello Camb. Comm. tribus. Jacob. Tevius de rebus in India ad Dium geſt. Maff. l. 13. Hiſtor. Indic.

In India Orientali non minores progreſſus Luſitani fecere, difficiliore licet navigatione uſi. Joan. Caſtrius parta contra Cambajæ regem victoria captoque Dio, ampliſſima ditiſſimaque Cambajæ urbe, Luſitanorum ibi imperium firmavit. Eorum ſane civilior adminiſtratio fuit, regibus Emanuele & Joanne in illam curam intentioribus, quum Cæſar bellis implicatus Europæ, exorta inter lon-

ginqua-

ginquarum ditionum rectores dissidia lentius componeret.

Literis adeo efflоruit Caroli imperium, ut haud sciam, an multis sæculis felicior doctorum virorum proventus exstiterit. Imp. ipse parum literis cultus, Mercurino Gattinaria, Nicolao Granvellano, Heldo, Navio, Seldo, consiliariis eruditis utebatur: Pontifices, Cajetano, Bembo, Sadoleto, Contareno, Polo Cardinalibus: Historici Paulus Æmylius, Paulus Jovius, Franciscus Guicciardinus, Joannes Sleidanus enitebant. *Sixtus Senens. l. 4. Biblioth.*

Religionis Protestantium, præter superius annotatos, Sebastian. Munsterus, Caspарus Hedio, Joannes Æpinus, Georgius Anhaldinus, Jacobus Sturmius, Victorinus Strigelius: Et Mathematici, Joannes Schonerus, Petrus Apianus, Erasmus Rheinholdus: Poëtæ, Eobanus Hessus, Georgius Sabinus, Joannes Strigelius, & similes clari habebantur.

Franciscus Vatablus Lutetiæ, Joannes Forsterus Witebergæ egregii Hebraismi doctores erant. Beatus Rhenanus Selestadiensis, Joachimus Camerarius, Hieronymus Vida Cremonensis Episcopus, & major illis Philippus Melanchthon Brettanus, humanioribus literis præcellebant. Nicolaus Machiavellus, historicus & Secretarius Florentinus, ex ambitione Pontificum docuit pleraque Christianis provenisse mala, Joannes Lascus, Anglia pulsus, cum in Dania sedes frustra quæreret, in Frisia eas invenit, secumque Calvini dogmata advexit. *Mach. disp. l. 1. cap. 12. Ubbo Emmius Frisiæ rerum, lib. 60.*

FERDINANDUS Rom. Imper.
SOLIMANNUS Turcarum.

A. M. 5528. Christi 1558.

FErdinandus rex Hungariæ ac Bohemiæ, annitente Carolo V fratre, rex Romanorum creatus, deinde eo se abdicante, atque post biennium mortuo, Augustam potestatem concordibus Electorum suffragiis adeptus, dignum se eo fastigio præbuit, pace Germaniæ confirmata. Jenensem Academiam à Joanne Friderico Electore excitatam, ut per eam purioris doctrinæ depositum conservaretur, ornavit privilegiis. Colloquium Vormatiæ inter Romanenses & Euangelicos haberi jussit, si forte propius coire inter se partes possent. Sed quum id invito Pontifice fieret, Romanenses, damnari primum ab Euangelicis, Calvinum, Osiandrum, Majorem & alios, ab Augustana confessione recedentes, contendunt. Quod cum Snepfius, Strigelius, Stosselius, Morlinus, Sarcerius, parati essent facere. Melanchthon vero & Witerbergici abnuerent, abrumpunt actionem Romanenses, infectoque negotio abscedunt. Mansit interim inviolata pax reliquæ Germaniæ: at in Livoniam, Germanici imperii provinciam, ingens belli tempestas à Joanne Basilide, Moscorum duce, incubuit. Livoni paulo ante intestino attriti bello, quod Wilhelmus Rigensis Archiepiscopus Christophorum Megapolitanum coadjutorem sibi insciis ordinibus adsciviſſet, quum pactum Moscho tributum tardius exsolverent, immensis barbarorum copiis oppressi sunt. Persoluto tandem auro, sed expugnata jam à Russis Narva, nequicquam tentarunt placare tyrannum, qui mox pervastata Derbatensi ditione, Derbatum ipsum subegit, totique Livoniæ extrema est quæque comminatus. *1557. Cyr. l. 16. Leoncl. de bellis Mosch. adversus finitim. P. Oderb. l. 2. de vita Io. Bas. Natalis Comes Hist. sui temporis l. 11. Rheinh. Heidensteinus de bellis Mosch. l. 6.*

Revalienses Christiano III Danorum regi per legatos semet subjecere, defendi à se Russicam orantes servitutem. Estonia enim antiquitus Daniæ parebat, atque Christianus pietate & armis undiquaque celeberrimus. Sed ille non minori prudentia, quam moderatione, delatum imperium detrectavit, plus sibi ditionum esse professus, quam per humanam imbecillitatem decenter gubernare posset. Auro tamen, commeatu & armis adjutis Livonis, initio sequentis anni LIX piam vitam beato fine concluſit. Sacrum codicem Danicè versum ediderat anno L. Episcopatum Slesvicensem Danis adjudicari curaverat. Hamburgenses *Arnold. Huitf. in Christ. III.*

burgenſes jus ſibi in Albi flumine aſſerentes, quo annonam ſua in urbe diſtrahere cogerentur Holſati & vicini Saxones, lenta licet apud tribunal Cæſareum lite, quam armis perſequi maluit, princeps pacis publicæ ſtudioſiſſimus. Cum quotidie flexis genibus Deo ſupplicaret, ſanctioriſque doctrinæ miniſtros, per univerſam Daniam, & ſeptentrionem, primus inſtituiſſet, Coldingæ anno regni XXIV, vitæ LVI deceſſit, teſtatus aliquot ante obitum diebus, apparuiſſe ſibi quendam in ſomnis, omniſque miſeriæ finem ad Kal. Januar. pollicitum, haud dubie angelum ſuum. Quare eo die lætus è mundo migravit, gaudii cæleſtis primitias mortali in corpore expertus.

1559. Cuyr. l. 19. Joannes Foxus l. 3. Comm.

Præceſſerat Chriſtianum Maria, Anglorum regina, multis innocentium ſuppliciis cruenta, amiſſo Caleſio, quod ducentis & undecim annis Angli tenuerant. Poſt cujus interitum, Eliſabeta ſoror ejus, regni habenas ſuſcepit, è carcere ad ſolium evecta, eaque duce, purior Dei cultus per Angliam refloruit; Pontificis Rom. majeſtas conculcata.

Sequutus eſt patruelis ſui mortem Chriſtiernus II, fataleſque ærumnas anno ætatis LXXVIII, dejectionis XXVII finivit. Dixeris annum hunc plurimis principum emortualem. Nam & Henricus Galliarum rex, dum nuptias inſtruit filiæ, Philippo Hiſpano jungendæ, haſtiludio congreſſus cum Mongomerio, dextrum perfoditur oculum, ſimilibuſque perit tormentis, qualibus affecerat Lutheranos. Ita à Pontificiis nominantur ii, qui Romanæ Eccleſiæ errores denudant. Julio menſe Henricus, Auguſto Laurentius Priulius, Venetorum dux, exſtinguitur, Octobri Paulus IV Pontifex, inquiſitioni & pœnis intentus Lutheranorum.

Natalis Comes l. 21.

Onuph. in Paulo VI.

Quam gratus is Romanis eſſet, tumultus ſub mortem ejus excitatus oſtendit. Populus enim effracto inquiſitionis carcere dimiſit, quos ibi alter Herodes incluſerat, captivos, domumque ipſam exuſſit. Statuam Pontificis marmoream triduo habuit ludibrio, capite manuque præciſis; omnia Caraffarum familiæ inſignia decreto ex urbe ſuſtulit. Apud Rhenanos, meliori fama denatus Palatinus Septemvir Otho-Henricus, Fridericum decimo gradu agnatum ſucceſſorem habuit.

Eodem anno Dithmarſorum libertas, quam multis ſeculis uſurparant, occidit. Adolfus enim Holſatus, cui in aula Cæſaris ſæpiuſculè exprobratæ eſſent clades, quas majores ejus à Dithmarſis accepiſſent, vindictam dudum animo conceptam, ſed ſuperſtite Chriſtiano III dilatam, eo mortuo exercere deſtinabat. Tractus in ſocietatem belli Fridericus II, Chriſtiani III filius, eo inprimis argumento, quod ſi vincerent Dithmarſi Adolfum, ignominia omnino ad regiam domum redundaret; ſin vincerentur, gloria ſolius Adolfi foret. Itum ergo in Dithmarſos, trium principum, regis Friderici, Joannis & Adolfi ducum auſpiciis, quibus Antonius Oldenburgicus quindecim cohortes adjunxit, adeo ut equitum millia quatuor, peditum ſigna quinquaginta eſſent, imperatore Joanne Rantzovio. Meldorpium, Dithmarſiæ caput, Tilebrugga, & Hamma, uno tempore oppugnatæ. Sed eo conſilio, ut dubii, cui loco primum ſubſidio convolarent Dithmarſi, in diverſa diſtraherentur. Idque accidit. Meldorpium totis viribus tripartito exercitu adortus Rantzovius, haud ſine ſuorum ſanguine expugnavit, viam per paludes monſtrante Bertoldo Petri transfuga, atque occiſis pleriſque propugnatorum. Tertio poſt die Brunsbuttelium pars copiarum ducitur, ubi rivulum quendam communierant agreſtes: qui circumdati legionibus, victas manus dedere, præſentique exitio Joannis Rantzovii commiſeratione ſunt ſubtracti. Idibus deinde Junii ſimulato ad Hemmingſtadium vicum itinere, Tilebruggam deflectunt principes, eamque ferè nudatam propugnatoribus occupant. Confeſtim Heidam itur, è qua elicitas ad

1559. Caſpar Enſius in bello Dithmarſic. Chriſt. Cilius l. 1. belli Dithmarſ.

Cilicius l. 2. belli Dithmarſ.

Pugnam cohortes quatuor intercipiunt occiduntque, haud sane inultas. Etenim dum fugientibus insistunt victores, novem signa producunt Heidani, acrique inito conflictu, Adolfum ducem vulnerant, prætorianorum multos prosternunt. At Rantzovius, distinentibus prælium equitibus, Heidam injectis facibus incensam invadit, eaque cremata, reducit ad tormenta militem, dimicando jam fatigatum, tribus hostium millibus peremptis. Ea clade fracti Dithmarsi, mittunt cum niveis baculis sacerdotes, pacemque exorant. Data illis legibus, ut deprecati contumaciam, qui supererant, ad quatuor juvenum millia, instrumentum omne bellicum traderent, in singula agri jugera florenum penderent annuum, præfectis principum parerent. Ita gens libertate elatior, miti Holsatorum principum regimine mansuefacta, hactenus conquievit. Menstruum fuit hocce bellum; quo confecto Fridericus Hafniæ diadema sumsit, uti & Franciscus II, Henrici F. Rhemis Gallorum. At Livonos diuturna miseria coëgit ad Sigismundum Polonum confugere, qui Gothardum, militiæ magistrum, Curlandiæ nuncupavit ducem, cum ordo Livonicus CCCLVIII annis perduraſſet. Fridericus rex Magno fratri Osiliam & Curonienſem diœceſes à Joan. Munchauſeno ſibi venditas, addixit, quibus Mauritius Vrangelius Præſul addidit Revalienſem. Interim Ruſſi Harriam Lettoniamque perpopulati, Vellinum capiunt, Guilelmum Furſtenbergium Archiepiſcopum ſenem abducunt in Ruſſiam. Revalienſes Erico XIV, Guſtavi nuper defuncti Filio ſemet ſubjiciunt, in grandioris belli autoramentum.

Cilicius lib. 5. Chytr. lib. 20.

Leoncl. de bellis Moſch. adv. finitim.

1560.

Onuph. in Pio IV.

Papale ſolium, poſt quadrimeſtres Cardinalium altercationes, inſcenderat Joannes Angelus Medices Mediolanenſis, Pii IV nomine aſſumto. In ejus inauguratione duodeviginti homines, ſparſas de more pecunias avidius rapientes, interiere, XL eliſi fœde luxatique, triſte Pontificatus omen fuere. Ipſe Pius ſtatim *alienam perſonam, alienos mores induiſſe viſus*, ex humanitate, patientia, liberalitate, modeſtia ad contraria omnia deflexit. In contumeliam deceſſoris Pauli patrata à populo, facile remiſit: in ejuſdem nepotes & familiares ſevere animadvertit. Carolum Carafam Cardinalem, & alios ſummæ dignitatis, crimine majeſtatis circumventos, per carnificem exſtinxit. Suos nepotes inque his Carolum Borromæum, ad ſublimes honores extulit. Ferdinandi Imperatorium apicem, Paulo ſummopere improbatum, non tantum ratum habuit; ſed & abſolvit Carolum V, ejuſque filium Philippum criminibus, queis à Paulo erant onerati. Ad eum venit Abdiſu, Orientalium Chriſtianorum Patriarcha, perque interpretem Romana amplexus dogmata, in Aſſyriam largis cum muneribus rediit. Diſpar Pii apud Germanos principes, & Danorum regem autoritas fuit. Cum enim generale concilium, quod ſuperiores Pontifices aut parum cupere aut negligentius tractare aſſueverant, ſe ſtudioſius apparare ſimularet, illud iterum Tridenti continuandum indixit, miſitque legatos, qui Proteſtantes eodem invitarent. Fridericus Palatinus, Auguſtus Saxo, Septemviri, multique alii Teutonum principes, qui Naumburgi convenerant, Ferdinando Cæſari reſponderunt, ab OEcumenico aut Nationali, ſed libero concilio, ſe neutiquam eſſe alienos, quale hactenus Pontifex nullum promittat. Legatis Pii dictum, nihil Pontifici in principes juris eſſe, neque indicendæ ſynodi autoritatem ei competere. Lubecam progreſſis Rex Danus literas commeatus denegavit, indignum ratus, intra regni fines admittere eos, à quorum Domino pridem neque auditus ipſe, neque convictus, pro hæretico haberetur. 1561.

Contra Philippus, Hiſpaniarum rex, omni genere cruciatus Proteſtantium aſſeclas excindebat. Nec multo mitior Franciſcus, rex Francorum adoleſcens, qui cremato Anna Burgio, in vivis eſſe deſiit,

deſiit, ſucceſſore Carolo IX, ſub quo pax nonnulla ex colloquio Poſſiaceno provenit Euangelicis, qui ob conventicula ad portam Hugonis apud Turonos, novo jam nomine Hugonoti appellabantur. Theodorus Beza, Petrus Martyr, Auguſtinus Marloratus, ſtrenuè apud Gallos Papatum oppugnabant, cum mox à verbis ad arma procurſum, ac fidei quæſtiones ferro diſceptari cœptæ. Congreſſi ſunt æquo fere Marte ad Druidum urbem in Normandia, Franciſcus Guiſius Pontificiarum, & Ludovicus Condæus Antonii Navarræi frater, Reformatarum partium duces. Cæſi utrinque circiter novem millia: Condæus in prælio captus, Guiſius paulo poſt tormenti globo trajectus eſt. Exinde regina
1562. Hugonotis nobilibus domi ſuæ, populo in ſuburbiis, exercitium purgatioris doctrinæ indulſit.

Onuph. in Pio IV. Petrus Suavius Polon. Hiſtor. Concil. Trid.

Nihilominus ſuum Pontifex concilium Tridenti proſequebatur, juſſis præſidere Hercule Gonzaga Mantuano, Hieronymo Seripando Neapolitano, Staniſlao Hoſio Polono, mox etiam Jacobo Simoneta Mediolanenſi, & Altempſio. Gonzagæ & Seripando vita functis, Moronum ſubmiſit & Navagerium. Excluſis ejectiſque, ſi qui liberius diſſererent, damnatiſque Proteſtantibus, ægre ab ipſis Epiſcopis, Hiſpanis præſertim impetratum, ut officium ſuum à Pontificis autoritate pendere concederent. Nec parum litis rex Gallus & Hiſpanus de ſuperioris loci prærogativa, moverunt, quum hic Catholici, ille Chriſtianiſſimi titulum jactaret, ut potiorem.

Petrus Suavius Hiſtor. Concil. Trid. l.7.

Rejecta ad Pontificem controverſia, priores tandem Gallo datæ. Majoris momenti certamen de Epiſcoporum (ut vocant) reſidentia obortum, cum ſanior pars *jure divino quemlibet adſtrictum judicaret, ut præſens gregis ſui curam ageret, nec paſſim per alienas terras oberraret.* Sed quum hoc pacto Pontificium regnum, in quo perſonatorum Præſulum larga ſeges, ruinam minaretur, nihil decretum. Ingentibus legatorum ſtudiis finis tandem Concilio impoſitus, anno XXVII, poſtquam primum à Paulo III Mantuæ indictum fuerat, à prima vero ſeſſione Tridenti celebrata, XVIII. Duravit omnino annos V, biennium ſub Paulo III, annum ſub Julio III, biennium iterum ſub Pio IV. Subſcripſere Patres, quibus ea poteſtas erat, CCLV. Galli ſub exitum fere advenere. Germani, Angli, Scoti, Dani, Sueci, Norvegi, Hungari, Poloni, Bohemi, aut rari, aut nulli interfuere. Ab Italis Hiſpaniſque maxima Canonum pars confecta eſt. Ejuſmodi tamen Synodus Pontifici ipſi terrori erat, niſi reſervata ſibi ſoli omni eam interpretandi & exſequendi poteſtate, decreta ejus canoneſque ſui arbitrii feciſſet. Exinde novo & arctiori juramento clerum ſibi magiſtratumque omnem obſtrinxit, quo Concilii Tridentini dogmata ſinguli comprobarent, regnique Pontificii partes ubivis locorum tuerentur. Eo conſilio Belgicas provincias, erectis novis Archiepiſcopatibus, Mechlinienſi, Cameracenſi, Ultrajectino: & Epiſcopatibus Audomarenſi, Namurcano, Harlemenſi, Daventriano, Leovardienſi, Groningenſi, Middelburgico, Antverpienſi, Gandavenſi, Brugenſi, Hyprenſi, Buſcoducano, Ruræmundano, compeſcere ſperans, magis à ſe & Philippo principe eas alienavit. Unde atrox poſtea & diuturnum exſtitit bellum, quo infinita hominum millia periere, opimiorque Belgii pars, excuſſo jugo Hiſpanienſi, Pontificem abjecit. Philippus anno ejus ſeculi LX inſignem à Soliman-
1565. no acceperat cladem, expugnata à Turcis Meninge inſula, Africæ ad Syrtes objecta, in qua Prorex Siciliæ dux Medinæus arcem communierat. Pialis enim Baſſa, profligata Hiſpanorum claſſe, quæ Tripolin obſidebat, arcem commeatu & auxiliis deſtitutam ſubegerat, ad octodecim Chriſtianorum millia aut occiderat, aut abduxerat in ſervitutem. Proinde

Hiſt. Trid. Concil. l. 8.

Nicol. Burg. Hiſtor. Belg. lib. 1. Petrus Winſ. Hiſt. l. 1. Thuan. l. 40. Onuph. in Pio IV. Leoncl. in ſuppl. Chytr. l. 20. Busbeq. Epiſt. 4. Natalis Comes. l. 13. 1562. Chyt. l. 20. Caſp. Enſius de bello Suecico. Chytr. l. 21.

Cosmus Florentiæ dux, novum Stephanitarum ordinem condit, in Turcas militaturum, quibus Ebusam insulam assignat. Philippus Antonium Perenottum, Atrebatium Cardinalem, postulantibus id Guilelmo Auriaco, Egmondano, & Hornio, amovet à Belgica gubernatione, & Margaritæ Parmensi, sorori suæ, paulo pleniorem potestatem relinquit. Sub hæc Ericus Suecorum rex, Revaliensium subjectione abusus, & Polonicas in Livonia, & Danicas ditiones lacessebat. Navigantes ad Narvæ emporium cogebat Revaliam flectere iter; onerarias naves Lubecensium complures detinebat, nec privilegia iis ante per Sueciam ut redderet, exorabatur. Igitur bellum simul à rege Dano, Polono & Lubecanis in eum paratum. Initium bellandi anno LXIII prope Bornholmiam classis Sueca fecit, abducto cum nave prætoria Jacobo Brokenhusio, & duabus aliis in mari excubantibus. Quamobrem Fridericus, collectis quatuor millibus equitum XXIV peditum, & classe navium LIV, bellum Sueco indixit, confestimque Elsburgum cepit; majora confecturus, nisi attritis fame & contagio copiis, Guntherus Swartzeburgicus, quasi sibi potius quam Danico regno militaret, prolongare stipendia, quam maturare victoriam, studuisset. Rex magnam militum vim exautoravit. Ericus fratrem Joannem, quod ducta Poloni sorore, CXX millia Joachimicorum mutuo ei dedisset, conscium ratus fœderis adversum se initi, aut participem, in oppido Finlandiæ Abo oppressit cum conjuge, inque carcerem conjecit: de familiaribus ejus exegit supplicium. Hinc frustra oppugnato Helmstadio, victus acie, delideravit suorum quatuor millia, tormenta ejus XLV Dani corripuêre. Neque tamen ad cœptam Rostochii de pace tractationem destinare legatos Suecus, sed Elsburgum irrito obsidere conatu, Nidrosiam Norvegorum occupare: quam Dani brevi recuperarunt. Quo tempore Ferdinandus, sexennium pacifice gesto imperio, vitaque defunctus, Maximilianum filium reliquit, virtutum imperiique successorem.

Huitf. in MS.

Natalis Comes l. 14.

Davidis Georgii infanda hæresis à Basilienses detecta, & cadaver pseudoprophetæ, qui se promissum illum Davidis filium apud suos jactasset, in favillas redactum est. Sebastiani Castalionis, Adriani Turnebi, Henrici Glareani, Martini Crameri historiographi, Joannis Mathesii Theologi, Conradi Gesneri, ingenia claruere. Joannes Brentius, Jacobus Andreæ, Theodoricus Snepfius & Balthasar Bidembachius, cum P. Boquino, Casp. Oleviano, Petro Datheno & Zacharia Ursino, Maulbrunnæ disputarunt, super Jesu in cœnæ mysteriis præsentia.

1564. *Hist. David. Georgii.*

Acta Coll. Maulb. 1564.

MAXIMILIANUS II, Imp. Rom.

SOLIMANNUS & SELIMUS II, Turcæ.

A. M. 5534. Christi 1564.

Maximilianus Ferdinando patri, ut regnis Hungariæ Bohemiæque, sic imperio successor declaratus, *egregium se principem gessit, justitia & pace sollicite servata*: Cum Joannes Sigismundus Transylvanus, Solimanni fretus patrocinio, expugnato Zatmaro, regem se Hungariæ ferret, Lazari Suendii virtute eum compescuit. Quia enim Solimannus Melitam tunc insulam ducentarum & quinque navium classe oppugnabat, tardius Transylvano auxilia suppetebant. Turca suorum ibi XXIII millia desiderat: Melita insigni Christianorum fortitudine defensa, Joanni Valetæ, Rhodiorum militum magistro, & Garziæ Toletano, Hispanorum navarcho, immortalem laudem peperit. Barbari sexto mense ejecti, laceras vires in Chion insulam convertunt, quæ ultra ducentos annos Genuatibus subdita, at Pialis Bassæ incursu tum domita, Turcicum susceptit jugum. Quo tempore Pius IV, morbo ex victus intemperantia hausto, clausit vitam, tributis extorquendis permolestus subditis. Effusis enim in ædificationes

Matth. Dress. Mill. 6. Joan. Crato in Orat. Max. funeb. Leoncl. Supp. Annal. Turc. Calius Aug. Curio in bello Melit. Natalis Comes l. 5. Onuph. in Pio IV. 1565. *Cicarel. in Pio V. Natalis Comes l. 19.*

nes pompoſas & Concilium Tridentinum theſauris, reſarcire damna uſuris, exactionibus, & redituum venditione Eccleſiaſticorum ſtuduit. Ei ſuffectus Michaël Chiſlerius Boſchanus, Pii V vocabulum ſumſit, ex Cardinali inquiſitore Pontifex Euangelicis metuendus. Solimanno tum fere octuagenario nondum deſierant ambitioſa conſilia, qui accitu Tranſylvani, Sigethum Hungariæ ducentis armatorum millibus circumſederat. Pius contra eum aurum, tota Germania militem & commeatum Maximiliano ſubminiſtrabat. Igitur Solimannus XLVII tyrannidis anno, inter flagrantiſſimas expugnandi Sigethi ſpes, fremens frendenſque defecit. Celata mors ejus Mahometis Baſſæ aſtu, fictaque edicta, quibus Barbari ad audaciam incenderentur. Quare cum Tartari eodem tempore effusè Hungariam popularentur, Lazarumque Suendium diſtinerent, debellatum tandem Sigethum. Nicol. Serinius eruptione fortiter tentata & XXX Turcarum millibus interemptis, cæſus cum præſidiariis occubuit. Suendius interim, captis per Salmenſem Veſprinio, Tata, Sabbatia, aliiſque caſtellis, Tartaros magna affectos clade, Pannonia expulerat. Giula prodita, Baboza incenſa, Turcis acceſſere. Mox Selimus II Solimanni filius, Tranſylvano ſubmittit auxilia, queis Hungariam infeſtet; Tocajum à Suendio ereptum recuperet. Sed hunc à Tocaji obſidione revocat Tranſylvaniæ periculum, quam Tartari, Turcæ, Valachi, præſidio ei relicti, crudeliter deprædabantur; quos dum ille conficit, Zatmarum Suendius & Muncazium Maximiliano Cæſari ſubegit. Quo facto, nec parum Maximiliani dilatatis finibus, induciæ inter ipſum & Selimum octennales coiêre.

1566. Leoncl. ſuppl. Annal. Turc. Natalis Comes lib. 17.

Sub hæc inter Arctoos reges ſummis viribus propagatur bellum. Fridericus Danorum rex, Lubecenſibus fœderatus, incenſa demerſaque Suecorum portentoſa navi, cui ab impetu prævalido Maceloſæ erat nomen inditum, quæque ducentas portabat machinas æneas, totam eorum claſſem profligavit. Jacobus Baggius, Suecorum Navarchus, Danis ſemet dedere coactus. Paulo poſt cum interceptæ Erici regis literæ, quibus conjugium Eliſabethæ Anglicanæ affectabat, Philippo Heſſo repræſentarentur, Chriſtina Heſſi filia, Erico pene exambita, Adolfo Holſatorum duci nupſit: *Suecus duo ſimul conjugia agitans, utroque excidit.* Subſecuta altero anno non una Danorum in mari calamitas. Nam Suecæ naves XL derepente in excubitorias Danorum invectæ, diſſiparunt omnes, apertaque Pomeranis via in Sueciam, commeatu eam & armis largiter refocillarunt. Mox & prætoria Lubecenſis ſuomet igni deflagravit. Danorum præcipua undecentos vehens claſſiarios, cum ſex Suecorum navium vim biduo ſuſtinuiſſet, cæſis aut vulneratis propugnatoribus univerſis, cum Amiralio (ut vocant) Othone Rudo, in Suecorum venit manus. Cætera paſſim dubio Marte pugnatum, niſi quod Oceani potentes Sueci, etiam Varburgum Hallandiæ oppidum cum arce permunitum ſubegere. Atrociſſimam Danis importunâ Joannis Laurentii officioſitas intulit cladem. Hic enim nobilem quendam, prælio navali interemptum, pompoſis humaturus exſequiis, vadoſo Wisbæ Gotlandiæ portu, univerſam claſſem, nequicquam dehortantibus præfecto inſulæ & nautis, ſiſtit. Inſequenti nocte, oborta ventorum procella cunctas fere lacerat, mergitque naves, inque iis ad novem millia hominum, autore temeritatis pariter abſorpto. Itaque parum abfuit, quin de Republ. Rex ipſe deſperaret.

1565.

1566.

Caſpar Enſius Comm. de bello Suecico. Chytr. l. 21. 1564.

Reſtituit rem Danicam Daniël Rantzovius, abdicato Swartzenburgio, indigena lectus Imperator. Hic enim *poſt ternas ad Deum preces, parva manu numeroſum Suecorum exercitum ſtravit*, amiſſiſque fere è ſuis L nobilium, quatuor hoſtium millia delevit, XXVI M in fugam compulit. Germanis quidem ab Cæſare importatione commeatuum in

Huitf. in MS. Georg. Cruſius in nar. de vita & obitu Danielis Rantz. annexa deſcrip. Bredeberga.

Sueciam est interdictum. At Anglis per glacialem Oceanum ultra Norvegiam reperto itinere, Narvam Russorum navigari cœptum, quam viam deinceps & Belgæ instituere. Cæterum Rantzovius per fauces viarum, quas cavas vocant, ingressus cum copiis victricibus Sueciam, aliquot menses impune rapinis eam incendiisque devastavit, Wastenum usque, oppidis plerisque à Sueco, ne receptum hostibus præberent, exustis. Ericus interim vix sui compos, egregios quosdam viros, perfidiæ titulo sustulit è medio, quorum mox pœnitentia ductus cædis, fatum sero sapiens deploravit. *Thuan. l. 41.* Joannes tunc frater ab eo custodia liberatur, nimirum ut esset, qui innoxii sanguinis, labefactæque Reip. exigeret à turbulento rege pœnas. Namque anno 1567. duodeseptuagesimo, quum concubinam, è qua duos susceperat liberos, probroso sibi connubio jungeret, regiique simul honoris participem facere destinasset, *Chytr. l. 22.* indignati dedecus fratres, Joannes & 1568. Carolus, ad arma vocant proceres populumque, traductisque ad se copiis Erici, ac dedita Stocholmia, abrogant fratri imperium. Qui cum adscititia conjuge inclusus conclavi, *tulit, quam antea inflixerat germano, captivitatem.* Rex novus Joannes, quam obtulerat Danis pacem rebus suis ambiguis, eam secundis retractavit. Verum audito, quod Petri Munkii ductu, triginta naves onerariæ è portu Revalienſi, generoso Danorum strategemate, essent abductæ, & Warburgum, transfixis licet Daniele Rantzovio & Francisco Brokenhusio 1569. ductoribus, Danicis succubuisset armis, insuperque Magnus, frater Friderici, à Moscho rex Livonum declaratus, obsideret Revaliam, annuit tandem paci Suecus, quæ Cæsare & Gallo rege intercedentibus, Stetini confecta est, an- 1570. no ejus seculi LXX. Oesilia & diœcesis Revalienſis Friderico addictæ, Revalia & Wittensteinum regi Sueco. Redditum Elsburgum Suecis; occupataque Norvegiæ, & naves ereptæ Danis in integrum restitutæ sunt. Renunciatum juri, si quod Suecus in Norvegiam, Gothlandiam, Hallandiam, Scaniam, Blekingiam teneret. Navigationi priscum jus, Lubecanis sua privilegia asserta.

Dum id bellum finitur, in Belgio novum exardescit, quod interpolatum nostro tempore induciis, necdum planè depositum, totius orbis animos virosque pertentavit. Initium anno LXVI, seu occasio potius, à nobilium justissima petitione fuit. Hi præeunte Henrico Bredenrodio, suspendi oraverunt cruenta regis Hispani edicta, quæ adversus Belgas Protestantes dudum exercebantur. Oratores *Geusii*, id est, mendici ex habitu forte dicti, id nominis deinceps, icto inter se pro religionis libertate fœdere conservarunt. Prudens & moderatum eorum consilium Calviniscquæ multitudinis impetus turbavit, quæ erectis passim suggestibus, privato ausu dejicere statuas, inque templis tumultuari Pontificiorum cœpit. At Guilelmus Auriacus, per Matthiam Flacium, Cyriacum Spangenbergium, Joannem Vorstium, & alios, contexi formam doctrinæ & rituum, quam Martinistæ, id est Lutherani sequerentur, procuravit, potestatemque eis docendi fecit publicam, Margarita Parmensi gubernatrice connivente. Mox Philippus abolita ea libertate, abrogatoque Parmensi imperio, Ferdinandum Alvares, ducem Albanum trucis ingenii virum, Belgis imponit: cujus adventu perterritus Guilelmus, secedit ad Teutonas suos: Amoralus Egmondanus & Hornius Comes, astu capti, supplicium capitis pertulere, Antverpiani, arcis & præsidii jugum. Auriaco opis egeno commode obvenit exercitus Ludovici Borbonii Condæi, qui novam ab rege Carolo pacem Hugonotis suis nuper extorserat, armatus Joan. Casimiri auxiliis. Cum vero Albanus, proscripto Auriaco ut perduelle, de plurimis nobilibus & primariis viris crudeles sumeret pœnas, & Ludovicum Nassovium Auriaci fratrem, qui prope Groningam

Chytr. l. 21. Natal. Comes l. 18. 1566. Petrus Winsl. 1. Hist. Nicol. Burg. l. 5. Histor. Belg.

1567.

Thuan. l. 41. Petrus Winsl. 2. Thuan. l. 42. 43. Chytr. l. 12. 1568. Natalis Comes l. 15.

ningam Hiſpanos devicerat, acie profligaſſet, Auriacus, contracta militum validiſſima manu, decernere cum Albano de ſumma rei ſtatuebat. Sed veteranus alter, *gnaruſque haud diu contineri ſine ſtipendio tantas copias poſſe*, cum copiam pugnandi non faceret, ductus in Galliam à Guilelmo miles, facile dilapſus eſt.

Thuan. l.44.45. 46.47. In Galliis Condæus, qui malefida pace Wolfgangum Palatinum, ob inſidias ſibi compertas à regiis, evocarat, paulo poſt captus prælio, contra datam fidem ſclopeto fuit trajectus. Wolfgangus, perductis ad Caſparum Caſtilionæum copiis, interiit febri. Mox altero prælio ad Monconturium devicti Hugonoti, tam diu per Aquitaniam circumtulerunt arma, capto Nemauſo, aliiſque oppidis, donec tolerabilem iterum pacem religioni ſuæ expreſſere. Dum Hiſpanus quartam conjugem, ſororis filiam ducit, Albanus interim pro arbitrio de capitibus, bonis, libertate Belgarum ſtatuebat; Anglos ejiciebat provinciis, Pio v Pontifice Eliſabetam Anglorum reginam diris devovente. Belgæ perpetua tributa, vicies centenis aureorum millibus perſolutis, averruncare annixi, cum nihil ſe efficere adverſus tyrannidem Albani, propulſari à cervicibus ſuis fœdam ſervitutem exoptabant; nec pauci voluntarii ſemet ob id damnabant exilii. Igitur communicatis inter ſe & cum Auriaco exule conſiliis, primum Brielam Hollandiæ occupant: Fliſſingam, Enchuſam, aliaque oppida traducunt in partes. Ludovicus Naſſovius Montes Hannoniæ ſtrategemate capit, Guilelmus Ruræmundam, Lovanium, Mechliniam obtinet, Albano Montes obſidente. Sed quum deſertus produtuſque à Gallo, tunc Hugonotis laniandis intento, Guilelmus, vi depellere Albanum à fratris obſidione non poſſet, in Hollandiam ſe recepit, eamque cum Selandia adjunxit ſibi, Montibus Albano reſtitutis. Fliſſingenſes Sanxium Avilam prælio navali, Enchuſani claſſem Albani profligarunt. Alcmaria Fridericum Albani filium obſidione depulit, Mons Gertrudis & Rammelia in poteſtatem veniunt Auriaci. Harlemum continua ſeptem menſium obſidione fatigatum, ab Hiſpanis vix tandem dira ſubigi fame potuit. Albanus perturbatiſſimo evocatus Belgio, quod ante ſexennium ingreſſus erat quietum, in Hiſpanias inglorius revertitur.

Suffrid. Petri in App. Chr. Vit. Thuan. l.47.51. & 54.

Chytr. l.23. 1572.

1573. Joan. Meurſ. in Ferd. Alban. Thuan. l.55.

Succeſſor ei datus Ludovicus Requeſenſius, mox. Middelburgo, Selandiæ metropoli privatur, at per Avilam & Mondragonium auxiliares Belgarum copias ad Neomagum fundit, Leidenſes graviſſima affligit obſidione. Sed illos fame pene expugnatos, jamque cum rerum natura colluctantes, Auriacus perfoſſis aggeribus, & illatis, *Deo per æſtum maris juvante*, commeatibus, mirabiliter periculo exemit, *urbemque Marte claram Academia exornavit*, ut gemina laude efflorescceret. Exſtincto deinde Requeſenſio, devolutaque ad ordines Reſpublica, donec Joannes Auſtriacus adveniret, irritatiores Hiſpanorum nequitia Belgæ, ejiciendos communi marte Hiſpanos decernunt. Albani ſtatuta abolent. Gandavenſes, cognito, Antverpiam immiſſis per arcem Hiſpanis crudeliter direptam, primi ſe in libertatem, exautoratis præſidiariis, vindicarunt. Exemplum cæteræ civitates imitatæ.

1574. Joan. Meurſ. in Guil. Auriac. Thuan. l.59.60.

Eadem tempeſtate Cyprus jugum accepit Turcicum, qua Belgæ Hiſpanicum excutere parabant. Selimus enim 11, Turcarum Sultanus, Cyprum Ægyptii eſſe partem regni prætendebat, de qua Veneti annuum ſuo fiſco tributum penderent, eamque nunc violata Turcis fide, Othomannidis reſtituere tenerentur. Veneti Arſenalis ſui deflagratione nuper perculſi, poſſeſſionem tamen nobiliſſimæ inſulæ ſecularem, juncta cum Pio v, Pontifice & Hiſpano rege ſocietate, claſſeque prævalida in Oceanum emiſſa, aſſerendam ſibi decernunt. Verum ignavia Hieronymi Zanii, & ambitione ducum ad Cretam ſedentium, omnis bene gerendæ

Leoncl. in ſuppl. Annal. Turc. Cicar. in Pio V. Chytr. l.22. Natalis Comes l.20.21. Thuan. l.29.

rendæ rei occasio amissa est. Cyprus interim à Mustapha & Piali, Turcarum prætoribus, primum populationibus deformata, mox urbs Nicosia post menstruam obsidionem capta est. Famagusta, Salamin quondam dicta, cum undecim menses vim Turcicam fortiter sustinuisset, pacta libertatem religionis, vitamque & opes salvas, deditionem fecit. Sed Mustapha per summum scelus, fracta fide, dedititios jugulari, Antoninum Bragadinum, post exquisitas contumelias, vivum excoriari jussit. Venetos abire in Cretam paratos, ad transtra relegavit. Visus id dare suorum manibus, quorum LX CIↃ perfidus tyrannus bello desiderabat.

1570. *Natal. Comes l. 22.*

1571.

Sed volatica Turcis victoria fuit: Etenim ab altera Christianorum classe, ducibus Joanne Austriaco (Caroli V notho) & Sebastiano Venerio, Venetorum postea principe, & M. Antonino Columna, profligati ad Echinadas insulas, Cyprum suo sanguine luerunt. XXV eorum millia cæsi, capti quatuor millia. Liberata Christiana mancipia supra XIVCIↃ. Classis Turcarum fere tota CCL navium, aut corrupta, aut in Christianorum redacta potestatem. Solus Uluzalis cum XXX circiter triremibus profugit, qui cunctando deinde rem restituit Turcicam, adeo ut nihilominus Cyprus Turcis relicta, paxque à Venetis cum Selimo facta sit.

Thuan. l. 50.

Sequentem annum LXXII nobilitarunt funera Pii V Pontificis & Sigismundi Augusti Polonorum regis, *in quo duarum sororum marito, stirps Jagellonum defecit.* Simul & nuptiæ Friderici II Danorum regis, Sophiam Megapolitanam, Ulrico genitam duce & Elisabeta Holsata, sibi fausto auspicio copulantis. At multo magis eum fœdavit laniena Reformatorum Parisiensis, Pontificio impulsu parata. Cum enim Gallia à mutuis civilis belli cladibus aliquantulum respiraſſet, nec è re videretur, manifesto Hugonotos bello aggredi, *ad dolos fraudesque Christianis indignas* deventum est. Evocatos tanquam ad nuptiales epulas Henrici Navarreni, & Margaritæ sororis suæ, Protestantium primores, Carolus IX prima luce in cubilibus ac domiciliis suis opprimi atque impie trucidari curavit, nullo sexus ætatisque discrimine habito. Caput viri fortissimi, Caspari Castilionei, ad Pontificem novum, qui ex Hugone Bon-Compagnio Gregorium se XIII vocitabat, missum. Rex ipse perscriptis ad Papam literis de numero cæsorum gloriabundus, ultra LXX millia paucis diebus se occidisse prædicavit. Inauditum nefas prodigiosa in cœlo notavit stella, quæ fulgida initio, attenuato sensim lumine post annum evanuit. Etenim Carolus Hugonotorum reliquias bello delere aggressus, *cum in extremum eos periculum adduxisset, paulo post ipse inopinata raptus morte evanuit.* Obsessa ab Henrico fratre ejus Rupella, generosa fortitudine & constantia calamitates multas pertulit. Sancerrani, Montalbani, aliæque civitates, ultima metuentes, præsentem senserunt Dei opem. Henricus enim, à quo premebantur, Rex à Polonis dictus ad pacem inclinavit animum, *principisque honor populo saluti fuit.* Pax iterum religioni data.

Natalis Comes l. 23.

1572. *Richar. Dinot. in Hist. belli civilis Galliæ l. 51. 52. & 53.*

Cicar. in Gregor. XIII. Chytr. l. 23. Thuan. l. 55. 56. & 57.

Natalis Comes l. 24. 1573.

Sed Henricus, degustata vix Polonia, cum de fratris Caroli interitu accepisset, insalutatis Polonis in Galliam properavit, regnum ad se devolutum arrepturus. Poloni se desertos questi, sed parum in deligendo successore concordes, pars Maximilianum Cæsarem, pars Stephanum Batorium, nuper exstincto Joanne Sigismundo Transylvaniæ potitum, solio destinabant. Cæsar cunctando fortunam frustrari visus. Nam dum de legibus, in quas jurare eum legati volebant, ambiguus hæret, Batorius eum celeritate antevertit, ductaque Anna, Sigismundi Augusti sorore, Poloniæ potitur. Mox Maximilianus ad cæleste regnum translatus, terrena alios habere jussit, fama moderationis & justitiæ, sinceræque religionis amore ingens apud posteros,

Thuan. lib. 56. 65.

Natalis Comes l. 26.

Thuan. l. 62. Joannes Crato Orat. funeb.

Impe-

1576. imperio XII annis gesto, pauloque ante Academia Helmæstadiensi privilegiis exornata. Laudatur ejus dictum: *Gravissimum scelus esse, conscientiis velle dominari, id vero esse cæli arcem invadere.* Nec Africa immunis belli fuit hoc tempore. Joannes Austriacus in regnum Tunetanum Amidam à Turcis excussum reduxerat, novaque exstructa munitione, cum fluxæ fidei Amidas esset, fratrem ejus regem Afris fiduciarium imposuerat, conatu frustraneo. Turca enim, per Sinanem Bassam, Goletum & munitionem novam expugnavit, quingentas macchinas & opima spolia cepit, Hispanos aut occidit, aut Africa ejecit, XL post anno, quam Tunis in Caroli V ditionem concesserat. Famam rei bene gestæ mors tyranni subsecuta, quem Amurates III filius excepit. Eodemque anno Cosmus, Magni ducis Hetruriæ nomine à Pio V Pontifice insignitus, clausit vitam, Francisco filio successore. Veneti Corcyram insulam accurate munierunt.

Matth. Dress. in Hist. Max. Mill. 4. Annal. Turc.

Thuan. l. 59. 1568. Chytr. l. 21. 22.

Annus LXVIII hujus seculi non tantum Erico Sueciæ regi, sed & aliis principibus calamitosus fuit. Maria Scotiæ regina, Francisco quondam II, regi Franco nupta, quum reversa in Scotiam, Henricum Stuardum regem maritumque adsciviisset, uterum ferens, trucidari Henricum, translato in Bothuelium amore permiserat. Ob id gesto violenter ac procaciter imperio spoliata à proceribus, in Angliam è custodia profugit, ubi nova subinde matrimonia agitans, ambitiosaque fovens consilia, sibi tandem & conscii exitium attraxit, XVIII exilii anno securi percussa. Guilelmus Cambdenus falsis circumventam testimoniis memorat.

Guilelm. Camden. Hist. Elisabet. Metr. lib. 3. Thuan. lib. 43.

Dispar Caroli Hispaniarum principis exitii causa fertur, qui quod displicere sibi crudelitatem in Belgas exercitam ostenderet, patris Philippi jussu, ut cui insidias strueret, in carcere exstinctus est, eodem illo anno, quo Maria regno excidit.

Thuan. lib. 41.

Alia Joannem Fridericum Juniorem Saxoniæ ducem imprudentia perdidit. Hic enim Grumbachium & Bruccium ab Cæsare *proscriptos, pertinaciter fovendo, proscriptionis telum ipse persensit.* Capta enim ab Augusto Electore Gotha, & Grimmensteino arce ejus solo æquata, missus ad Maximilianum Joannes Fridericus in carcere diem obiit. 1567.

Paulo ante excessum Maximiliani civitatum quarundam temeritas est castigata. Hamburgenses, quod Stormarorum nautas in urbe sua merces venum exponere coëgissent, violatam commerciorum libertatem C millibus Joachimicorum Friderico regi luerunt. Rostochienses per intestina dissidia sub jugum redacti ducum Megapolensium, pene perierant, cum singulari Dei beneficio, placatis per nobilitatem principibus Joanne Alberto & Ulrico ex deprecatione culpæ, libertate redonati sunt.

Chytr. l. 23. 1563.

Maximiliano regnante, purioris Christianismi doctrina longius se diffudit. Nam per Galliam, Angliam, Scotiam, Pannoniam, Poloniam, Belgium roborata, diœceses quoque Episcopales Magdeburgicam, Halberstadensem, Verdanam in Saxonia, illustremque Brunsvicensium ducatum pervasit: Joachimus Fridericus Marchio ditionem Magdeburgicam, Canonici Halberstadenses, postulato præsule Henrico Julio, Halberstadensem; Eberhardus Hollius Verdanam diœcesin, renovato Euangelio imbuerunt. Exstincto Henrico patre, Julius Brunsvicensium dux avitis terris exoptatum melioris Christianismi exercitium indulsit, adjuncta Academia, felici pietatis & bonarum artium officina. 1568.

Chytr. l. 21.

Nicolaus Razevilus, Vilnensis in Lituania Palatinus, edito Sarmatice sacro codice, facem Euangelii Polonis & Lituanis prætulit. Joannes Funccius Chronologus, è concionatore Alberti Borussi aulico-consiliarius Borussis infestus, πολυπραγμοσύνῃ cum aliis cervice luit. Princeps ipse Albertus præ senio delirus, in ordinem cogitur, Poloni regis admi- 1566.

Chytr. l. 22.

Chyt. l. 21.

niculis. Confecto ægritudine, substituitur filius Albertus Fridericus, qui ducta Eleonora, Guilelmi Clivensis Filia mente motus, deinceps pro pupillo vixit, Borussiam Georgio Friderico administrante.

Res secundæ Protestantibus Theologis dissidiorum occasio fuere. Matthias Flacius & Jenenses aliqui cum Victorino Strigelio ac Lipsiacis & Wittebergensibus de peccato, quod generi humano connascitur, importune contendentes, substantiam id esse asserebant. Joh. Wilhelmus, Septemviri illius constantissimi Fil. colloquio Altemburgensi sopire controversias satagens, acrius eas accendit. Filiorum defuncti tutor Augustus, Septemvir Saxonum, deceptum se ab aliquibus Theologorum suorum edoctus, & Jenensibus ejectis jam æquior, Wittebergenses plerosque nudavit dignitatibus; Gasparum Peucerum Medicum, & Georgium Cracovium Epistolarum magistrum, custodiæ mancipavit. Actis deinde Protestantium Synodis Lichtenbergæ, Torgæ, & Burgensi tandem in cœnobio, concordiæ formulam concinnari sedulo procuravit.

Valedixere sub hæc mundo Theologi, Hieronymus Willerus, Paulus Eberus, Henricus Bullingerus. Item Matthias Flacius, Georgius Major, Victorinus Strigelius, magnæ quidem eruditionis viri, sed *beatiores futuri, si plus pacis quam dissidii Ecclesiis peperissent.* Decessere & Petrus Lotichius Poëta, Joannes Camerarius, Guil. Xylander & Georgius Fabricius Philologi; Leonhardus Fuchsius & Hieronymus Cardanus Medici.

Valentinus Gentilis ob blasphemias in Dei filium à Bernensibus est crematus.

RUDOLPHUS II. Imp. Rom.
AMURATHES. III,
MAHUMETES III, Turcici Sultani.

1546. Christi 1576.

RUdolfus II, Maximiliano patri suffectus, pari moderationis & justitiæ laude Augustum apicem tenuit, *Germaniæ aurea pace conservata.* Contra Amurathes Turca bellum atrox Persis intentavit, apud quos Ismaël Techmasis F. peremptis fratribus, dominabatur, sicut & Amurathes Turcis, quinque fratres se inspectante jugulari passus. *Matth. Dress. 6. Mill. Annal. Turc. Leoncl. Natalis Comes l. 21. Thuan. lib. 67.*

Sed Ismaëli ob crudelitatem soror venenum propinavit. Mahumetes Hodabandes, confestim regno potitus paterno, quod Sangiacum Assyrium adversus Turcas foveret, Amurathen infestum habuit. Accedebant & somnia, Sultanum Turcarum in Parthos, ut hæreticos, incitantia. Itaque bellum ingenti totius Asiæ damno accenditur, dum Tartarorum Catajanus Imper. & Georgianorum, id est, Iberum principes Christiani, cum Parthis adversus Turcas facerent. Iberes, Cólchi, Armenii, Medi, vario Marte cum Mustapha congressi, quem Amurathes, sævum hominem & subdolum, exercitibus præfecerat. Constat primo belli anno ad LXX Turcarum millia gladio, aut fame, aut fluminibus absumpta; mox & Tartaros Europæos, à Turca Osmani (qui Derbentum aut Temircapin castellum ad mare Caspium situm occupaverat) subsidio missos, occidione à Parthis occisos. Amoto igitur Mustapha, Sinan Bassa summus Vesir, i. e. consiliarius creatus, nihilo id bellum felicius administravit. Mustapha metu supplicii, de semetipso fertur pœnas exegisse scelerum: exstincti facultates fisco Sultani accessere. Princeps quædam Georgianorum anus, cum duos filios clientelæ Turcicæ tradidisset, non recepit eos, nisi minorem Mahumetismo, alterum veneno letifero infectum. *Thuan. lib. 73.* *Hieron. Conest. de Port. & Castell. conjun. Chytr. l. 24. Cicar. in Greg. XIII.*

Infelicem per omnia esse Mahumeticam consuetudinem, patuit eodem tempore Sebastiani, Regis Lusitanorum, in Africam expeditione, qua Mahumetem Mauritaniæ regem reducere conabatur. Hic enim cruenta & fatali cum Abdelmelecho, expulsi patruo, pugna, *dum aliena curat, suam vitam regnumque amisit.* *Joan. Anton. Viper. de obtenta à Phil. II. Portugall.*

In

Thuan. l. 65. Chyt. l. 25. Duard. Nonius censura 67. in Jos. Teixer.

In quo prælio tres reges occubuere. Sebastianus cum suis cæsus, Abdelmelechus durante adhuc certamine apoplexia exstinctus, Mahumetes paludibus mersus est. Victoriæ fructum regnumque Fessanum Hamethes, alter Mahumetis patruus, obtinuit, Lusitania obvenit Henrico Cardinali, seni, Sebastiani propatruo: eoque post annum exstincto, Philippus Hispaniarum rex, Henrici sorore genitus, regnum illud per Albanum ducem occupavit, fugato Antonio, quem Ludovicus, frater Henrici, cœlebs procreaverat, & Ulyssiponenses regem dixerant. Antonius profugus, cum sparsis in itinere nummis insequentes remoraretur, Anglicanis Gallicisque auxiliis recuperare Lusitaniam decrevit, majori consilio quam feliciori. Nam maritimis quoque victus præliis, Azores insulas, quas occupaverat, amisit.

1580. *Thuan. l. 70. Hieron. Conest. de Port. & Castellæ conjun. l. 8. 9. 10. Thuan. l. 64.*

Largam bellorum segetem crinita admodum stella portenderat anno LXXVII, quo Turcicum in Asia bellum exarsit, & Belgium atrocioribus agitari cœpit dissidiis. Nam ex quo Joannes Austrius Belgas insidiosa pacis Gandavensis approbatione fefellerat, non amplius illi ab Hispanis gubernatores exspectare, sed Germanos Gallosve ipsi accersere, bellum bello, vim vi propulsare, Remp. ut desertam proditamque suisinet auspiciis gerere: Matthiam, Rudolfi II germanum, in Belgium evocare, quem postea Augustum vidimus. Ejus aliquandiu vices Guilelmus Auriacus gessit, qui Brabantiam subigente Austrio, Amsterodamum, Mechliniam, Campos, Daventriam, ad deditionem compulit: Mox accito in Belgium cum exercitu Joanne Casimiro Palatino, Gandavenses Pontificios ejecere. Inde pax utrique religioni, Pontificiæ & Reformatæ, per totum Belgium promulgata, Hannonios alienavit & Atrebates, qui solam Romanensem rati retinendam, Malecontentos semet appellarunt. Cumque Austrius, turbato Belgio, animam exspirasset, Alexander Farnesius, Parmensium dux, quem Hispanus ei suffecerat, expugnavit Trajectum, Hannoniam Artesiamque facile sibi adjunxit, dissidentesque jam Belgas intestinis vexare armis studuit. Cæsar pacem inter Hispanum & Belgas conciliaturus Coloniæ, nihil effecit. Auriacus cum *nisi religione & libertate salva, paci præstare bellum docuisset*, diræ proscriptionis diplomate ictus ab Hispano, fidem ei promissam obedientiamque omnem publice resignavit, persuasisque idem facere Belgis, Franciscum Alenconium, Gallorum regis fratrem, ducem certis adstrictum legibus constituit, quæ res parum abfuit, quin capite ei staret.

Natal. Comes. l. 29. 30. Thuan. l. 66.

1579. *Thuan. l. 68.*

Thuan. l. 71.

Nam Cantaber quidam decoctor, Hispanicis inescatus præmiis, per adolescentem, sacrificorum excantatum præstigiis, sclopeto pene occidit Auriacum, utraque ei maxilla glande perforata. 1582. *Thuan. l. 71.*

Erat is tunc Antverpiæ cum Alenconio, qui post occupatum Cameracum, petitaque Anglorum reginæ auxilia, accurate exceptus à Belgis, conceptam de se spem minime implevit, sibi potius Gallisque suis, quam iis in quorum salutem juraverat, Belgis consulere studiosus. Id quod maxime in Brabantia Flandriaque apparuit, ubi Antverpiam fraudulento Gallorum stratagemate subacturus, accepit cladem haud modicam: at Dendermundæ, Dixmudæ, Neuporti, Dunkerkæ, Vinocibergæ, Vilvordæ, felicius processit dolus; qui agnitus postea, Parmensi luculentam multa oppida recuperandi occasionem præbuit. Diestum, Dunkerka, Neuportus, Dixmuda, Hypræ, Zutphania, Hispanis accessere. *Thuan. l. 77.* 1583.

His de causis imperium Francisco sane ab ordinibus abrogatum: at cum autoribus Auriaco & Philippo Aldegondio, urgente necessitate esset revocatus, in fata concessit prope Parisios, priusquam aliquid dignum Rep. perficeret. Fertur veneno interceptus, cum præclara pœnitentiæ præ se signa ferret. Circumacto mense, princeps Auriacus per sicarium Burgundum, Balthasarem Gerhardum, *Chytr. l. 26.*

conſcio Parmenſi ſummiſſum, inque Auriaci famulitium nuper receptum, Delfis Sclopeti ictu occiditur. Sumptum de ſceleſto ſupplicium, quidam pro martyrio prædicarunt. Inde Brugenſes, Gandavenſes, totaque pene Flandria, conditionibus non peſſimis Hiſpano ſubacta.

1583. *Thuan. l.79.*

Dum hæc inferiori in Germania aguntur, Proteſtantes Teutonum principes ac civitates tollendis importunorum Theologorum diſſidiis incumbunt. Concepta concordiæ formula, poſt varias deliberationes & monita, primum ſex Theologis Jacobo Andreæ, Andreæ Muſculo, Chriſtophoro Cornero, Nicolao Selneccero, Davidi Chytræo, & Martino Chemnitio; deinde Synodis & conventibus doctorum perpendenda exhibetur. Cum plerique emendationis doctrinæ præcones ſubſcripſiſſent, regnorum Borealium Eccleſiæ, itemque per Germaniam non paucæ, litium immunes, quibus ſopiendis concordia quærebatur, aut ſola in Auguſtana confeſſione acquieſcentes, ſubſcriptionem detrectarunt, interim à dogmatibus formula comprehenſis neutiquam alienæ. Ad Rhenum Colonienſis Præſul Gebhardus Truxeſius haud plane eadem amplexus dogmata, Auguſtanæ tamen confeſſionis ſocium profeſſus, pactuſque conjugium Agnetis Mansfeldiæ, cujus deſiderio urebatur, publicam purioris Euangelii propagationem ſuis indulſerat, quum à Pontifice exautoratus, & à pleriſque Diœceſis ſuæ ordinibus aut deſertus, aut oppugnatus, oppoſito æmulo & hoſte Erneſto Bavaro, armis tueri dignitatem cœpit. Pugnatum ambiguo Marte ſæpius, Erneſtus uno prælio duo veteranorum millia defideravit. Sed illecti ad defectionem Joannis Caſimiri centuriones, & Ludovici Palatini obitus, quo ad ſeptemviratus tutelam Caſimirus avocabatur, Gebhardi partes labefactarunt. Expugnata tandem Bonna, Diœceſi Erneſtus potitur.

Leonh. Hutt. in Hiſt. Concor. 1577.

1582.

Eman. de Met. Thuan. lib.76.77. & 79. Chytr. Mich. ab Iſſelt de bello Col. lib.4.

Opportunum ſane conſilium dederat Henricus Navarrenus, uniendas Eccleſias ſc. acta Synodo Nationum, emendatam doctrinam ſequentium, ut communi inito fœdere facilius adverſus Papatum ſe tuerentur. Et Legato ejus perbenigne quidem reſponſum paſſim; ſed inquietorum molitionibus ingeniorum, nequid tale conficeretur, impeditum eſt.

1583. *Chytr. l.26.* *Thuan. lib.79.*

Nec quietum Stephani Batoris imperium fuit. Dantiſcanos caveri ſibi de privilegiis, priuſquam in verba Stephani jurarent, poſtulantes, bello adortus eſt: quo poſt acceptas utrinque clades poſito, immunitates urbis minui cœptæ ſub Sigiſmundo Auguſto, eodem fere loco manſere, donec anno LXXXIV amica tranſactione convaleſcerent.

1578. *Chytr. l.24.25.*

Felicius cum Moſcho certamen Polonis fuit, ob vaſtatam ei Livoniam, expletamque ſævitiam indictum. Expugnatis ſtrenue Polotia, Veliſa, Veliluca, Nevela, Zavolocia, multiſque aliis Ruſſorum arcibus & oppidis, Pleſcoviam obſidione cingens Stephanus, adegit Moſchum renunciare Livoniæ, modo ſua extra Lituaniam ſita recuperaret. Nec ſegnius res in Livonia à Suecis actæ, Wichiam regionem, Lodam arcem, Habſaliam urbem, Narvam permunitam, Wittenſteinum à Moſcho aſſatis igni ducibus antea captum, nec pauca alia oppida, profligatis Ruſſis ademêre, quæ fruſtra deinceps Batorius reſtitui Polonis contendebat, ob repudiatos Jeſuitas Rigenſibus etiam infenſior, quos invitis civibus obtruſerat.

Thuan. l.69.72.

1581.

Non eadem Hiſpanis in Hibernos aut Jernen Inſulam fortuna. Eliſabeta enim regina, miſſo exercitu, plurimos Hiſpanorum occidit, reliquos Hibernia expulit, arces occupatas recepit. Adhæc Hiſpanis, ut tota Anglia cedant, edicit. Reliquas interim Europæ terras epidemica lues peragrabat, quæ paulatim progreſſa, menſe Maio Longobardiam, mox Galliam & Hiſpaniam, Junio Siciliam, Julio Romam & vicina Italiæ, Auguſto Venetias & Conſtantinopolin, Septembri Germaniam & Hungariam, Octobri Saxoniam, Novembri & Decem-

1580. *Chytr. l.25. Thuan. l.70.*

cembri Daniam, Succiam, Livoniamque infestavit. Paucis letalis, omnibus permolestus frigore & tussi morbus, quod ei verveces obnoxii esse soleant vervecinus appellatus est. *Cicarel. Georg. XIII.*

In Livonia ante Moschus, usus illice ad inescandos Germanos Magno duce Holsato, Borealem Dunæ fl. ripam suæ ditionis fecerat. At, ut *omnis dolus pellucet tandem*, cum trucidaret Magni officiales, quod oppida quædam in Magni, non Russi verba adegissent, alienavit amici animum, qui ob id Curionensem in Diœcesin migrans, reddita partim à Russis Livonia, partim à Suecis occupata, eodem anno, quo Jesuitæ indignantibus Livonis obtrusi, id est, LXXXIII fatis concessit. Diœcesin Curionensem Georgius Fridericus Borussiæ dux, persolutis Daniæ regi XXX millibus Vallensium, ut feudum Polonicum, cœpit possidere. Osilia Danis retenta. Sequenti anno Joannes Basilides ipse, Russorum tyrannus, cum proprium filium ob dictum confidentius, illiso in tempora baculo, necasset, Livoniamque XXV annis afflixisset armis, migravit ad plures; Theodorum F. ad colendam cum vicinis pacem gnaviter exhortatur. *Chytr. l.26.* *1583.* *Thuan. l.80. Chytr. l.27.* *1584. Leoncl. in suppl. Annal. Turc.*

Eodem anno Tartari Præcopitæ, qui Tauricam Chersonesum incolunt, ex fœderatis & sociis Turcarum, quod solet esse Mahometicæ præmium amicitiæ, servi eorum facti sunt. Postquam enim Sinan Bassa ob rem in Parthos male gestam, motus ducatu, pulsusque in exilium esset, neque successor ejus Ferhates multum proficeret, omni studio annixus est Osman Temircapenus regulus, qui sublato per conjugem socero suo, ditionem ejus perfidiose occupaverat, ut suam ad Caspium mare dominationem Tartarorum adjutu dilataret. Jubetur ergo Muchametes Osmani opem ferre, invitus sane, quod per fratres suos antea infeliciter in Parthos esset pugnatum, seque absente Crimium & Cafa à Turcis perfacile obrui possent. Reperit excusationem, domum revertitur, Cosacorum ad Pontum Euxinum latrocinia prætexit. Hinc accensus Amurathes, per Osmanem Bassam & Islanum, Tartari fratrem, Iconiensi è carcere dimissum, regno vitaque Muchametem exuit, filiis duobus cum ipso suffocatis, Islano Tartaris fiduciario rege dato. *Chytr. l.26. Chytr. l.27. Thuan. l.80.*

Cum deinde profugus trucidati Muchametis filius non pauca Islano ademisset, neglecto eo, Amurathes numerosissimo cum exercitu Osmanem in Parthos mittit, qui in itinere varie vexatus à Parthis, tandem per obscuras valles Taurisium, alteram Parthorum regiam (interior Casminum dicitur) pervasit, ejusque arce munita, quinto post die dysenteria periit; dum interim Byzantii Amurathes, comitiali morbo sibi familiari ictus, alliso ad lapides capite pene exspirasset animam. In Carniola à Christianis per temeritatem suorum affectus clade, inducias cum Cæsare renovavit. Parthus, continuatis triduo trinoctioque præliis, recedentes duce Cigalogli Turcas fœda strage perculit. Ad LXXX Turcarum millia occubuisse autor est Leonclavius, qui tunc apud Turcas egit. Taurisium recuperatum. Parta victoria, abdicavit se regno Parthus integratoque cum Cathæno Chane fœdere, mortalium rebus excessit. Ibrahimus Bassa Ægyptius, Maronitas Libani, & Truscos, fortissimas Christianorum occidentalium reliquias, Turcici hactenus jugi immunes, subegit, Portam Osmanicam (sic aulam vocant Turcorum) ditavit spoliis. Aliter Pannonum Turcarum excepta est irruptio in Croatiam. Cæsi affatim à Christianis; Copanum arx intercepta. Vindicaturos cladem, Georgius Comes Serinius longe majori affecit. *Leoncl. Thuan. l.84.* *1587.*

Præbuisse & Turcis aliquam sæviendi materiam fertur novum Pontificis Gregorii Calendarium. Eo ablatis è mense Octobri decem diebus, decima quarta Luna primi Hebræorum mensis, quo Pascha agitur, ad XXI Martii diem, ubi tempore Synodi Nicenæ fuisset, reducebatur. *Chytr. l.22. Thuan. l.76.*

batur. Approbati à Byzantino Patriarcha fasti Pontificis, argumentum initæ conspirationis præbuere Amurathi, qui ob id expulit Patriarcham in exilium, duo Christianis templa Constantinopoli eripuit. Augustæ Vindelicorum, Rigæ Livonum, & alibi, novi fasti turbarum occasio grandium fuere. Protestantes plerique, ne quid Pontifici Romano auctoritatis aut imperii in alias gentes concedere viderentur, veteres retinuere. Gregorio Pontifice, multa passim societatis Jesuitarum collegia excitata, eruditio & sanctitas illorum in admiratione esse cepit, Antonino Possevino Ephoro generali. In urbe Romana seminarium nationum, Gymnasium puta, in quo educantur exteri, qui Pontificiis imbuti artibus, gentiles suos Romanæ sedi concilient, magno sumptu structum. Jesuitæ, ut tanto benefactori reddant gratiam ex ultimis terrarum angulis tres Japonios extrudunt legatos, qui per immensa terrarum spacia tertio anno Romam perducti, Gregorio obsequia detulere. Quibus apparatissimè exceptis, Pontifex improvisa angina duabus horis suffocatur, cum nec urbem aut territorium Romanum à quotidianis proscriptorum, aut satellitum suorum latrociniis vindicare potuisset.

Osiander Epit. Hist. Cent. 16. lib. 4. cap. 20.

Cicar. in Gregor. XIII. Thuan. lib. 81.

Laudabilius Polonorum rex Stephanus Batorius, qui sumto de quibusdam nobilium, & de Samuele Sborovio principe supplicio, effrænem magnatum aliquot licentiam coërcuit. Præclare etiam Fridericus II Danorum rex, Cronenburgo arce præcellentissima ad fretum condita, Rostochienses Ulrico Megapolitano pertinacius obluctantes, detentis eorum navibus, deponere spiritus coëgit. Atque ut *nihil excelsum durat perpetuo*, Hennæbergenses, Hojenses, Deipholdia, illustres Teutonum familiæ, deficientibus masculis hæredibus exstinctæ sunt: Hojensis & Deipholdia ditio Brunsvigiis & Luneburgensibus, Hennæbergica Saxonibus Septemviris accessit.

Chytr. lib. 27.

Vicissim Farnesia, ducum Parmensium familia, Alexandri Belgarum gubernatoris felicitate magis inclaruit. Ab eo Antverpia anno diutius obsessa, cum haud segnius defenderetur omni artificio, quam oppugnaretur, ad extremum tamen fracta calamitatibus & subsidiorum desperatione, Hispanico se restituit dominio, præter civicam libertatem impetrato & Protestantibus quadriennio, intra quod disponere domui, & aliorsum discedere liceret. Quorum quidem multi Hamburgam migrantes, Remp. illam civibus, bonis, opibusque haud parum locupletarunt, Mechlinia, Neomagum, Duisburgum promptius susceperant jugum, Buscumducis fœderato Belgio nequicquam tentatum. *1585. Thuan. lib. 83.*

Cumque vix usquam affulgerent spes auxiliorum Reformatis, Elisabeta Anglorum regina milite eis auroque succurrit, rata, quod res erat, perdomito Belgio, Angliæ causam agi, quum ipsa à Pontifice non minus, quam Henricus Navarræus & Condæus princeps, eodem tempore diris devota, & cujusvis expositа sævitiæ esset. Quare distinendis Hispani viribus, Franciscum Dracum cum classe in Americam ablegavit, qui capto promontorio viridi, populatus Hispaniolam, immensam avexit prædam. Ipsa interim domi insidiis appetita, XIV nobiles, à Maria Scota corruptos, affecit supplicio. Hispanos Scotosque iterum Hiberniam adortos, per Richardum Binghamum rara victoria profligavit. Sequenti anno per eundem Dracum XXXVI Hispanorum naves, portum Iccium tenentes aut incendit, aut diripuit, aut in Angliam abduxit, opimis iterum spoliis ditata. *Chytr. lib. 28.* *Thuan. l. 82. 83.* *1586. Guilel. Camb. parte 3. Histor. Elisab. Reginæ.*

Dispar contra Roberti Dudlei Lancastrii in Belgio virtus an fortuna fuit. Nam Parmensis Gravam, & Venloam Geldriæ de Hollandis recepit: Zutphaniam à Roberto obsessam feliciter defendit: Daventriam à Standlæo Anglo proditum *Thuan. lib. 85.*

ditum reduxit ad Hispanum. Novesium quoque, à Truxesianis partibus mascule propugnatum, præsidiarii tandem incolumitatem pacti dediderunt.

Thuan. lib. 84. Imminebat etiam Rigensi Reip. periculum ingens, quod Pontificias Stephani regis molitiones retunderet, & quosdam suos malæ fidei legatos damnasset capitis. Sed illud mors subitanea regis Poloni antevertit. Quo quidem tempore locustis in Thracia, anatibus & anseribus pluere visum in Croatia Leonclavius oculatus testis memorat, tanta multitudine, ut locustæ universos absumerent ejus anni fructus; anatibus contra plurimi mortales alerentur.

1589. 1587. *Leonc. in Annalib.*

Cicar. in Sixto V. Thuan. lib. 83. Ut diversa terrarum sors, sic hominum eluxit. Maximilianus Austriacus, frater Cæsaris, à parte Polonorum rex dictus, cum exercitu Cracoviam processerat. Sed victus rejectusque à Joanne Zamoiscio, militiæ simul & archivi Polonici magistro, qui Sigismundo Joannis III Sueci filio studebat, reflexit iter in Silesiam, ubi obsessus captusque, cessione regni redimere jubetur libertatem. Sigismundus maternum genus regiæ Polonorum stirpi debens, etiamnum regno potitur, principum Christiani orbis vetustissimus.

Chytr. lib. 28. Thuan. l. 86. 87. Nec felicior Teutonum aliorum in Galliam expeditio fuit, Henrico Navarræo suppetias ferentium. Fridericus sane Danorum rex eas festinari jusserat. Augusto deinde Septemviro apoplexia mortuo, Christianus F. Augusti impense iis incubuerat. Tandem cum Cardinales Borbonius & Guisius, aliique Pontificiorum duces, excindere prorsus Navarræum niterentur, sera satis Germani auxilia adornarunt. Peditum viginti, equitum quinque millia, vexatis ubique popularibus suis, Alsatis maxime, *afflictorum onerati diris* perruperunt in Galliam, ubi fœde accepti à Guisianis, & defectione diminuti Helvetiorum, per varias cædes & ærumnas pauci, omniumque rerum egeni in Germaniam remearunt. Pauciores propositi tenaces ad Hericum se penetrarunt. Nec majori rerum gloria Lancastrius in Angliam est reversus, accusata Hollandorum temeritate, qui præpotentem Hispanorum regem vellent armis sustinere, vicissim ab iis audiens sublestæ fidei gubernator. *Thuan. lib. 88.*

Sic ad annum LXXXVIII venerant opera mortalium, quo finem eorum, aut ingentem prædixerant mutationem fore docti. Eo quidem Sigismundus Poloniæ administratione adita, Maximilianum dejecit. Fridericus II Danorum Rex laudatissimus, anno regni XXX, vitæ LIV, Anderschoviana in arce clausit vitam, latissimum septentrionis imperium Christiano IV filio undecenni relinquens. Cui adjuncti moderatores Reip. Nicolaus Kaas, Georgius Rosecrantzius, clarissimi literis Oligeri parens, Christophorus Walkendorfius, Petrus Munkius, regni prudentissime clavum tenuere. In Hollandiæ fœderato Belgio admotus est ad gubernacula Mauritius, digna suo parente Guilelmo, avoque materno Mauritio Saxone soboles. Classis Hispanorum navibus CXXV prægrandibus, XX militum, decem nautarum, duo machinarum millia vehens fortunæ ludibrium facta. Jam Iccium portum præterlegebat, Flandriæ CCC navium classi conjungenda, cum Fr. Dracus à tergo eam vexare catenis per tormenta emissis cœpit. Alfonsus Peresius, Medinæ Sidoniæ dux, tanto cum maris imperio ab Hispano missus, ut occupata Anglia, reliquis gentibus à Pontifice alienis maximum incuteret metum, prope Caletum ancoras jecit. Dracus, cum octo picis, sulphurisque plenas naves per noctem aspirante valide vento, in classem hostilem immisisset, sublevatis aut resciss anchoris discedere cogit Peresium, fugatas naves eminus globis impetit laceratque. Flandri, aut ob excubantes ad Dunkerkam Batavos, pelago se non ausi committere, aut vento adverso repressi sunt. Mox *ut cœlitus pugnatum intelligas*, continuos dies abeuntem Hispanam classem Africus procellosus infestat, dispergit,

1588. *Chytr. lib. 28.* *Erpold. Lindenb. in Hist. regum Daniæ.* *Chytr. lib. 28.* *Cicar in Sixto. V. Thuan. lib. 8.*

git, ad extrema Daniæ littora propellit, cogitque circumnavigata eminus Britannia, laceras reliquias in Hiſpaniam reportare. Ita *ſurrexit Deus, & judicavit cauſam ſuam*, quas apluſtria Hiſpanorum voces miro omine præferebant.

Chytr. l. 28. Thuan. l. 90. 91. 92. 93.

Eodem anno in Galliis Henricus III, à Guiſiana factione conſpicatus ſe in ordinem cogi, propriiſque contemptui ſubditis fieri, dolum dolo ulciſcitur. Simulata in Guiſios fratres benevolentia inſigni, cum ſpe ampla ad ſe venientes ſubito occidi jubet, alios conjuratores in carcerem mittit. Catharina Medicæa regis mater, quarta nonnullis Francorum dicta Furia, ſeditionum altrix, dolore animi exſtinguitur. Pariſienſes Carolum Maynium, Guiſiorum fratrem, gubernatorem dicunt Lutetiæ & Francorum Inſulæ, regis nomine omiſſo, adverſus quem juſta geſturi arma, Sorboniſtæ

1589. pronunciabant, Maynius contractis undique viribus religionem Romanam ſe tueri velle edicit, Lugdunum, Rhotomagum, Aurelias, Ambianum adjungit

Cicar. in Sixto V. Thuan. l. 94. 95. & 96. ſibi. Rex Henricus Navarræi & nobilitatis ſuccinctus auxiliis, jam Romanenſium diſſipatis copiis, Lutetiam fame urgebat, cum deteſtando exemplo Jacobus Clemens, Dominicanus Monachus, petito regis alloquio, venenato ejus ilia cultro perfodit, ex quo vulnere intra XIV horas deceſſit, hærede ſcripto Henrico IV Navarræo; cui ſtatim, utriuſque religionis libertatem pacta nobilitas, jusjurandum dixit. Sicarius eodem cultro, quo regem confixerat, ab ipſo jugulatus periit. Diviſis aliquantiſper copiis, ut Guiſianos moraretur rex novus, varia expugnat oppida. Eliſabeta eum regina & milite juvit, & Hiſpano, utriuſque hoſti, denuo per Antonium exulem in Luſitania faceſſit negotium. Martinus Schenckius occupata Bonna, Neomagum obruere parans, ipſe aquis obruitur.

Sigiſmundi Poloni ineuntes regni curas Theodorus Moſchus oneravit, ademta Suecis Nerva Ruſſica, eique vicinis arcibus. Mox & Tartari prædæ habentes extrema Poloniæ, quod Niſovii Coſaci in Tauricam Cherſoneſum irrupiſſent. Pax de Turca Zobelinis pellibus redempta, de Tartaris penſione XX millibus Ungaricorum.

Chytr. l. 29. 1590.

Feliciora Chriſtiani IV primordia nuptiæ ſororum ejus Annæ & Eliſabethæ inſignieruntillaJacobo ſexto Scotorum regi, hæc Henrico Julio Brunſvicenſium duci, pompis ſplendidiſſimis Cronenburgi junctæ, creſcente ex ipſa ſponſorum illuſtrium præſentia gaudio nuptiali. Holſata nobilitas, ut Epiſcopum Scleſvicenſem eligendi jus liberum provincialibus, & ſibi venandi in ſylvis monaſteriorum facultatem recuperaret, diſtulerat biennio homagium, quod intercedente Prorege Henrico Rantzovio, ſtipulata privilegiorum ab rege adulto confirmatione, præſtitit. *Chytr. l. 28. 29.*

Ingens vero negotium in Galliis Henrico IV regi cum factione Pontificia erat, prætextu hæreſeos, qua rex laboraret, contumaciam ſuam velante, quam ut accenderat Gregorius XIII, ita ſucceſſor ejus iterata execratione alebat, è Felice Montalto Sixtum ſe V nominans. Hunc Felicem *ab infimo genere* domoque, non natalibus, ſed lacero tecto per ſolem illuſtri, *ad ſummam dignitatem mixta diligentiæ ejus erga magnates quoſcunque officioſitas evexerat*. Dum enim de Franciſci familia eſſet, fratrum monachorum ſimultatibus agitatus, Cardinalium ambierat patrocinia, per quos Pio V commendatus galerum obtinuerat, ac tandem exſtincto Gregorio, quum XIV ſimul prenſarent, ſolvendis illuſtrium diſſidiis, obſcurus ipſe, minimiſque ſubnixus clientelis emerſerat. Ex inquiſitore Pontifex, ſolito rigore agebat potentiam. Proſcriptorum latrocinia nocentes juxta innocenteſque jugulando deleverat. Pecuniarum venator aſſiduus, theſauros corraſerat immenſos, quos cum ſubinde in obeliſcos, vias, templa, palatia, aquæ ductus, egentium quoque & Bibliothecæ Vaticanæ curam profunderet, facile tamen vendendo officia *Thuan. l. 97. 98.* *Cicar. in Sixto V.*

ſicia & tributa imperando reſarciebat. Quinque milliones cum reliquiſſe tradunt, cum inſanus mortalis in obeliſci unius tranſlatione ad XXXVIII millia coronatorum impendiſſet.

Thuan. l. 99. & 100. At cum Henricus, profligatis ad Harenſium felici prælio Guiſianis, Lutetiam denuo Saguntina fame premeret, induci non potuit Sixtus, ut opes ſuas in ſubſidia Pariſiorum promeret, veritus, *ne aucta Pontificio auro vis Hiſpanica*, quæ Galliis inhiabat, *ipſam deinde vim Pontificiam peſſumdaret.* Interim Henricus, miſerando ſuos, occaſionem Alexandro Farneſio dedit, commeatum obſeſſis importandi: Sixtus, oborta inter ipſum & Hiſpanum ex ſubtractione opis inimicitia, melancholia deceſſit, cum paulo ante Jacobi Badenſis Marchionis lætatus reverſione ad Papatum, ſupplicationem ea de cauſa habuiſſet, Jacobo interim, dum pontificiam ſuis religionem imperat, in ipſo juventæ flore dyſenteria conſumpto. Mox Urbani VII electionem (is Joannes Baptiſta Caſtanæus erat) terræ motus inſignivit, quo Auſtria, Moravia, Bohemia intremuit: æſtatiſque ſiccitas prodigioſa, ut accenſa velut igni flumina aquas anhelare viderentur. Urbanus ſpe facta liberalioris principatus, XIII die febribus confectus, Nicolao Sfondrato reliquit cathedram, qui Gregorium ſe XIV dixit, cujus morbidum corpus (ſeptimeſtris quippe partus fuerat) decimo Pontificatus menſe ſpiritus deſtituit, dira interim fame & mox lue Italiam vaſtante, ut uno anno Romæ, LX hominum millia occumberent. Nihilominus in bellum Gallicanum à Gregorio quinquies centena aureorum millia de publico, ac de ſuo peculio XL millia erogata; omnes Sixti opes abſumptæ. Rex Henricus, certamen detrectante Farneſio, diſtribuerat in hyberna copias, vicinia Pariſiorum præſidiis inſeſſa. Corbilium ad Sequanam quarto tandem, eoque cruento valde aſſultu à Farneſio captum, per Meloduna præſidem receperat. Erant & Hiſpani in Gallia Narbonenſi à Momorantiis profligati: Diguierius Sabaudi molitiones in Provincia diſturbarat. Quare cum Germani per directam Lotharingiam ad fines Galliæ procederent, ac Parmenſem ad Belgas regreſſum novæ Mauritii impreſſiones detinerent, Pontificius exercitus, duce Sfondrato, Gregorii nepote, nihil tanto dignum conatu præſtitit. Dum enim ad Rhenum Berka, ſexennium obſeſſa, Erneſto Colonienſi expugnatur, Mauritius Bredam Brabantiæ, abſconditis in carina navis pro arefacto ceſpite militibus, aſtu occupaverat; mox & Zutphaniam ſubegerat Daventriamque. Jam Neomago imminebat, ac nequicquam ſuis auxiliante Farneſio, & Hulſtum intercepit, & Neomagum ad deditionem compulit.

1590. Chytr. l. 29.

Ant. Ciccar. in Urb. VII. Greg. XIV. Thuan. l. 111.

Igitur occupato in Belgis Farneſio, Henricus Carnutes & Novidunum ſubegit, Lutetiam circumſidet infeſtus. Eum Pontifex corpore invalidus, miſſo bulligerulo hæreticum denuo pronunciat, auxiliatores ſacris interdicit, ſed diploma hoc impietatis damnatum, tam ſacræ Francorum Reip. quam civilis partes per carnificem cremandum cenſuere: exercituſque Romanus, quum nullibi ſe Parmenſis ſiſteret, exſtincto, qui miſerat, Pontifice, diffugit. Pontificem, Chriſtianus I. Elector, Henriciarum fautor partium, intra decimum diem ſequutus, relictis impuberibus filiis, quorum ſuſcepta tutela, Fridericus Wilhelmus Dux Vinarienſis, aſperiora quædam in Theologos & Rempub. decreta abolevit. Gregorium XIV. Joannes Antonius Fachinettus, patria Pedemontanus, adſcito Innocentii IX nomine, bimeſtris Pontifex, in Hiſpanum, ut Gallia potiretur, pronus: illum Hippolytus Aldobrandinus, Clementis VIII inſignis vocabulo, excepit, poſt ingentes comitiorum æſtus. Obſidione ſemeſtri Rotomagum fatigabat Henricus, varia utrinque cæde Parmenſis, accepta Veromanduorum Fera, ad ſolvendam obſidionem cum auxiliari exercitu venit: Batavi viciſſim cum claſſe ad Quillebovium, quibus locus deditus.

Chytr. 1591. 1592. *Thuan. lib. 103.*

Meduanii & Parmenſis de ſumma rei contentiones, multum regi profuêre. Nihilominus ſecuritate an negligentia regiorum, exemtum periculo Rotomagum. Mox captum à fœderatis Eſpernæum, ſed à regiis receptum. Sequuti ancipites utrinque caſus. Multi duces occiſi, plurimum humani ſanguinis profuſum. Parmenſis parte copiarum maxima in Galliis relicta, cunctando Navarrum ludit: quem iterum Lutetiæ obſidione depulſurus, dum tertium reverti in Galliam parat, in Atrebatibus ſubitis acutiſſimiſque doloribus conficitur. Mauritius tentatis irrito conatu Sluſis & Trajecto, Steinvicum & Covordam deditione capit. Alſatia etiam morte Epiſcopi turbata. Argentinenſis collegii ſodales, qui religionis Proteſtantium erant, Joannem Georgium Brandeburgicum in urbe, Pontificii Tabernis Carolum Lotharingum Cardinalem Epiſcopum eligunt. Inde ad arma ventum, Cæſare fruſtra partes ſuas interponente, cui tum rüptis induciis Turcæ Wihitzum Croatiæ ademerunt. Turcarum ad Siſſecam XII millia aut occiſi, aut flumine ſubjecto merſi. Ulturus cladem Prætor Græciæ rurſus ad Siſſecam admovet copias, eamque expugnat. Similiter Sinam Baſſa Veſprinium, Palotam, Vazzam. Viciſſim Ferdinandus Hardeccius de Turcis hoſtiliter ſe inſectantibus victoriam inſignem parit: Fridericus Tieffenbachus Zabaccam, Villecum, Zetſcham, Novigradum, Chriſtiano orbi recuperat.

Thuan. lib. 104.

Chytr. l. extremo.

1593.

Thuan. lib. 105.

In Belgio ſane poſt exceſſum Parmenſis indies inclinabat Philippi fortuna. Cum magnæ virtutis duci ſuffectus Petrus Erneſtus Manfeldius Carolum filium in Galliam miſiſſet, Hiſpanicas ibi partes defenſurum, illeque Novillam arcem & Noviodunum expugnaſſet. Mauritius Gertrudis montem, oppidum in confinio Zelandiæ & Brabantiæ permunitum, obſidione clauſit, Mansfeldius revocat filium, ſed is ſeditione deſertus militari, ob Hiſpani cujuſdam punitam libidinem, non reduxit eas vires, quibus caſtra Ordinum refringerentur. Oppidum in oculis Mansfeldii captum, Henricus Fridericus, præclarus hoc tempore fœderati Belgii rector, frater Mauritii, gubernandum ſuſcepit eodem anno, quo Chriſtianus IV, rex Danorum inclytiſſimus, regnorum ditionumque avitarum adiit adminiſtrationem, & Sigiſmundus Polonus, defuncto patre, Sueciæ; facta fide, ſe ſolam Auguſtanæ confeſſionis doctrinam Suecis conſervaturum. In Gallia, afflictis belli utrinque damnoſi tædio populis, factionis Guiſianæ duces comitia Catholico regi creando indicunt. In id Meduanius ſcriptum publicat, quo ſub finem proceres Navarrum ſectantes ad conferendum de Rep. conſilium excitabantur. Hinc Caſpar Schombergius & Jacobus Auguſtus Thuanus occaſionem colloquii inter partes quærunt, quo diſceptata inter Præſules de cultu & obedientia erga principes quæſtione, à Navarro induciæ oblatæ. Guiſianis in Comitiis ante omnia, urgente Cardinali Sega, de Concilio Tridentino propoſitum, ſed hujus plarima decreta priſcis Francorum legibus adverſari, autoritatemque regis & regni labefactare, demonſtrarunt Theologi.

Sechus Calviſ. in Chronic. 1594.

Cum deinde Orator Hiſpanus Infanti Iſabellæ jus in regnum Gallicanum aſſereret, Sylvanectenſis Epiſcopus petitioni illius, ut legi Salicæ repugnanti, interceſſit; Contra inſtant factioſi, ut Erneſtus Archidux, Infanti vir deſtinatus, rex creetur, inducias rejiciunt. Sed fremitu plebis adacti aſſentiuntur, ut è Francorum principibus, quem Philippus nominaverit, rex creetur, Infantem in uxorem accepturus. Dum res diſceptando extrahitur, Navarrus Drocum in Carnutibus capit; Henricus interfecti Guiſii filius, rex dicitur. Sed & huic Electioni procurator Lotharingi intercedit, Cl. Caſtræus aperte contradicit. Concurſu ad Guiſium facto, Meduanius ſeu Mainius, ejus patruus, ad ſolitudinem redactus, diſturbandæ electionis occaſionem

Thuan. lib. 107. Horat. Turſell. Epit. Hiſt. lib. 19.

sionem captat, inducias cum Navarro trimestres, invito Pontificis legato, sancit.

Sub hæc nobilitas regi Navarro persuadet, Romanam ut religionem sequatur; ni faciat, à pleriſque deserendum. Advocantur Episcopi & doctores, quinque horis cum rege colloquuntur. Rex amictu candido, prælucente cereo, ad templum San. Dionysianum pergit, ubi à Bituricensi interrogatus, quid velit; respondet, velle se in Ecclesiæ Catholicæ Apostolicæ Romanæ gremium recipi, inque ea religione vivere ac mori. Sic ad aram deductus, absolvitur, indignantibus admodum Pontificis legato & monachis, atque hanc reconciliationem irritam decernentibus, populo contra lætitia gestiente. Rex Ludovicum Gonzagam Nivernium ad Pontificem legat, cui demisse benedictionem & suppliciter petenti, regerit Clemens: de Regis sincera reconciliatione sibi persuaderi non posse, nisi id Angelus de cœlo lapsus in aurem insusurret. *Thuan. lib. 108.*

1594. Contra Guisiani devinciendo arctius Pontifici, concilium Tridentinum pure & sine conditione observandum promulgant, unctionis Sacramentum repetunt, partes suas omnibus modis sibi stabiliunt. Monachi aliquot, interque eos Jesuitæ, Petrum Barrerium subornant regi percussorem, qui Meloduni interceptus afficitur supplicio. Interim exeuntibus induciis, dum Pontifex, Hispanus, Maynius, nova consilia struunt, gratiam ab Henrico propositam amplectuntur multi. Primum Vitrius Meldorum præfectus, mox Lud. Carsius Aquis Sextiis præpositus, Villaregius, Estrumelius, reconciliantur; Aurelianum & Avaricum Castræus tradit. Henricus Rex Autrici Carnutum à Nic. Thuano, urbis Episcopo, inauguratus.

Absente Mainio, Brissacus Lutetiæ præfectus, patefactis per conscios portis, urbem regi tradit. Res tanto ordine peracta, ut à cædibus & direptione sit temperatum, emissique sine injuria præsidiarii. Cardinalis Pelleveus æger vix rem credens, præ indignatione moritur. Villarius, qui Rotomagum tenebat, Brissaci exemplum secutus. Abbatis villa, Monstrolium in Morinis, Augustobona, Tricassium, Agendicum Senonum; Rigomagus in Arvernis; Aginum, Villanova, Marmanda in Nitiobrigibus, Pictavium, præteritorum oblivione sancita, se gratiæ regis submisere. At Ernestus, Cæsaris frater, tunc Prorex in Belgium missus, Capellam, Henrico per Mansfeldium eripuit: Covordam Frisiæ obsedit frustra, Mauritius à Petro Furio & Mich. Remichonio sicariis nequicquam appetitus, Groningenses unioni provinciarum fœderatarum adjunxit; Ernestum Itali milites, ob non repræsentatum stipendium deseruere. *Thuan. lib. 109.*

Superioribus annis vitam finierant mortalem Theologi, Emanuel Tremellius, Andreas Musculus, Martinus Chemnitius, Rodolfus Gualtherus, Til. Heshusius, Nicolaus Selneccerus, Joannes Wigandus, Timotheus Kirchnerus, Jacobus Andreæ, Paulus Matthiæ Danus, Joannes Avenarius, Hieronymus Mencelius, Hier. Zanchius, Ant. Sadeel, Andreas Dudithius, & ante eos Joannes Maldonatus.

Item alia literatura celebres, Georgius Buchananus, Guilelmus Postellus, Carolus Sigonius, Abrahamus Bucholtzerus, Joannes Sambucus, Joannes Bodinus, Antonius Muretus, Joannes Sturmius, Possellius, Jacobus Schegkius, 1594. Joannes Leonclav. Augerius Busbequius, Barnabas Brissonius, Lutetiæ à factiosis suspensus. Gerardus Mercator, Corn. Bonav. Bertramus, Orlandus Lassus Musicus, hoc anno XCIV rebus humanis exempti. *Thuan. l. 118. Turſell. Epit. l. 10. Lucas Osiand. Epit. Hiſtor. l. 4. Cent. 16. cap. 48.*

Eademque tempestate bellum Pannonicum maximis imperii Germanici viribus in Turcas fœdifragos adornatum, duce Matthia, fratre Cæsaris. Novigradum felicibus auspiciis Matthiæ deditum. Tum à Serinio occupatis aliquot castellis, Tieffenbachius, cæsis

Turcis, expugnavit Jasprinum. Matthias ipse Strigonium adortus, cum veterem urbem cepisset, ac novam aliquantisper irrito successu oppugnasset, Sinane adventante discessit, Germanorum pleriſque invitis. Inde Sinan cum c bellatorum CIↃ & LX CIↃ Tartarorum incedens, Javarinum (ab alluente fl. Raba dicitur) obsidet. Tanta ibi virtute pugnatum, ut Sinanis exercitus ad LX CIↃ redigeretur. Matthias ad Tatam castra, unde obsessis succurreret, posuerat, quæ postremo relinquere coactus. Javarinum Ferdinand. Hardeckius, nolens biduum præstolari auxilia, à Cæsarianis promissa, Turcis tradidit, ob id facinus postmodum capitis damnatus. In urbe permunita CL machinæ repertæ. Ad sex millia præsidiariorum desiderata, tria dimissa. Objectam Javarino insulam Comoram mascule nostri defendere.

Sub hæc Sigismundus Batorius Transylvanus, dissuadentibus suis, tributum cum Turca pactum denegat, & male consultus à Pontifice & Jesuitis, pernicioſe se cum potenti hoste bello implicat: Gentiles suos diversum agitantes occidit. Ad eum Walachiæ & Moldaviæ despotæ deficiunt. Interim rex Francus Laodunum, cæsis ad Crepiacum magna strage auxiliaribus, deditione capit: Mox etiam Samarobrigam & Cameracum. Cum Henrico Guisio æmulo opimis conditionibus transigit.

Thuan. l. 3.

At cum dissidia ac defectiones inter suos ab Hispanis ali sine fine videret, hortante Henrico Bullionio, Mauritii feliciter in Belgio præliantis sororio validam ei manum tradit, Lucemburgicos in agros deducendam. Paulo post Joannes Castellus, vesano spiritu incitatus, ut pœnæ æternæ gravitatem, quam obrutus vitiis exhorrescebat, aliquatenus imminueret, interficiendi regis consilium capit, edoctus à Jesuitis, perpulcrum esse facinus, hæreticum regem necare. Igitur Parisiensi turbæ immistus, regem usque in cubiculum prosequitur, directoque in gulam ejus cultro, paulum se inclinantis labrum vulnerat, dentemque rumpit. Confessus crimen sine pœnitentia, damnatur, eodemque judicio Jesuitæ, quod ex eorum schola percussor prodiisset, toto exterminantur regno. Additum, si qui liberos extra Galliam eis informandos darent, perduellionis reos fore. Vicissim renovatum in Protestantium gratiam diploma, quo honorum ac dignitatum capaces cum Catholicis pronunciantur. Vario deinde Marte cum Hispanicis certatum. Divion & Hojum Henrico intercepta: Sed hoc, defuncto Bruxellis Ernesto, Petrus Gusmanus Fontanus Comes, gubernatione Belgii ad se devoluta, recuperavit, mox Hanæ deditione irritatus, Castellum Cameracensis agri subegit, cum Bullionio acri prælio confligit ad Durlanium, oppidumque illud per arcem expugnat, obviis quibusque trucidatis. Tandem & Cameracum ad deditionem, commeatu deficiente, adigit. Contra Vienna ab Henrico Momorantio, Equitum magistro, in Henrici fidem accepta, eique passim victori, à Pontifice, qui Nivernium injurioſe repulerat, pœnitentia subeunte, spes reconciliationis per Gondium Cardinalem facta, si legati ad se mitterentur. Missus Jacobus David Petronus Ebroicum Episcopus, qui non sine fremitu quorundam, veniam pro rege exoravit. Senatus Parisiensis Theologos aliquot, Pontifici supremum in reges dominium asserentes, ad palinodiam compulit.

1595. *Thuan. l. 112.* *Thuan. l. 113.* *Osiand. Epit. Cent. 16. c. 46. l. 4.* *Thuan. lib. 115.* *Sethus Calvis. Chron.*

Inter hæc Amurathes III Sultanus, calculi doloribus & libidine confectus, Mahumetem III F. reliquit successorem, qui cum paternis exuviis octodecim fratres sepelivit, Turcico more strangulatos. Infanda Imperii auspicia Valachi, qui defecerant, prosperæ cum Turcis pugnæ exceperunt: Et Strigonium Vicegradumque à nostris captum, haud sine ducis Caroli Mansfeldii, animam tunc agentis, gaudio. Ferhati purpurato Turcarum clades & sua gaza capite stetit. Post varios nostrorum successus, Lippa in potestatem Transylvani redacta, Si-

Turſell. Epit. l. 10.

nan

nan acri prælio victus, plus x Turcarum CIↃ trucidata. Aaroni Moldavia ob perfidiæ suspicionem adempta, Stephanoque tradita Rosuano, quem Joannes Zamoiscius, qui Moldaviam regni Polonici beneficium esse assereret, aliquot præliis cecîdit, eique tandem occiso Jeremiam Mogigilam substituit. Contra Sigismundus Batorius, recenti Cæsaris affinitate devinctus, assumtis Ciculis, Tergoviſtiam Valachi principis sedem capit; Sinanem multis affectum cladibus, ultra Agrium fl. repellit, qui senio & mœrore periit.

Thuan. l. 115. 1597.

Exstincto Sinane, Mahumetes ipse Sultanus haud minori cum potentia quam splendore, iter in Pannoniam molitur. Samboca interim & Wihisa insula à Palfio, Cliſſa ab Uschocis, Fillaca à Batorio captæ. Hatuanam qui expugnaverant Christiani, omni crudelitatis genere in utrumque sexum sæviendo, nihilo se Turcis mitiores declararunt. Exhaustam incensamque urbem Maximilianus, adventante Sultano deseruit. Hatuanensium exitium luerunt Agrienses, qui à Sultano post multa summæ virtutis specimina, in deditionem accepta, contra datam fidem à Turcis conciſi, documentum fuere, *immanitatem barbarorum similibus exemplis minime irritandam.* Sero Maximilianus XXXII expeditissimorum equitum, XXVIII millia peditum & CXX tormenta trahens, cum XX CIↃ quadrigarum, Cassoviam pervenit. Prælio cum Turca inito, jam superiores nostri, dum fugientibus instant solutius, superveniente Cicada purpurato, & ultimum agmen XL CIↃ armatorum in eos rapiente, in fugam ipsi vertuntur. Periere ad X CIↃ, inque iis peditum ductores pene universi. Machinæ ac impedimenta omnia amissa. Turcæ XX millia è nostris, ex suis Agriæ, & in hoc ad urbis vadum conflictu, L millia desiderata ferunt. Ea parta victoria, CC post Nicopolitanam annis, Sultanus Constantinopolin revertitur, Viennam Maximilianus tristis. Strigonium & Wahizum, eo casu trepida Palfius confirmavit. Cumque Sigismundus rex Polonus de Pontificia religione apud Borussos & Suecos, contra quam jurasse dicebatur, restituenda laborans, Carolum fratrem, Sueciæ Proregem, offendisset, accepta ad Agriam in limite Polonico clades obstitit, ne statim ea lis ad arma deveniret.

Abrah. Buchol. in Ind. Chron.

In Gallia tandem luculentis admodum conditionibus Carolus Maynius, Henricus Sabaudus, Nemorosius, Henricus Jousæ duces, in gratiam regis redierunt. Condonata zelo religionis eorum, quæcunque patraverant: æs alienum grande ab ipsis conflatum, Rex dissolvendum suscepit. Inde tantum plebi oneris, ut ipsa exhausta, honestiores etiam familiæ redigerentur ad inopiam. *Calcataque ubivis religione, quæ prætextus belli fuerat, licentiæ assueti militares supra facultates profusæ, paulo post arma deposita ultro requirerent, atque ad privatas ruinas farciendas novo opus esse bello civili arbitrarentur.*

Thuan. lib. 115.

Guisius regi reconciliatus, interemto astu Casalio Consule Massylienſi, qui urbem præpotentem Hispanis prodere destinaverat, ingenti Provinciam periculo exemit. Solus Philippus Emanuel Mercurianus, reginæ Aloisiæ Lotharingæ frater, Britoniam tenens, in armis permansit.

Sub hæc Albertus Austriacus, Cæsaris frater, è Cardinali conjux futurus Isabellæ Claræ Eugeniæ, Philippi filiæ, cum Belgium dotale magnifice intrasset, Francos ad Feram hærentes, obsidione Caleti avertere alio studuit ancipiti consilio. Captum quidem Caletum Ardeaque, Anglis serius auxilio venientibus: sed Fera Francis dedita. Hinc fœdus Anglicum & Hollandicum cum Gallis adversus Hispanum coit, haud multo post victoria ad Gades classis Anglobelgicæ firmatum. Aliæ quatuor naves Batavicæ ad Bentaman, Javæ minoris urbem, penetrarunt, susceptaque tertia est ad Sinas per mare Tartaricum & glaciale navigatio. Joannes Ripus ad LXXX altudinis gradum, Hemskerkius ad LXXVI

1597. Thuan. lib. 117.

versus Septentrionem prosecutus. Immani cum frigore conflictati nautæ Batavi, pereuntibus plerisque desperatæ temeritatis esse docuerunt, per Septentrionem in Orientem navigationem moliri.

Interim Hulstum ab Alberto, Fanum contra Pauli prædæque ingentes à Birono, Gallorum duce, captæ. Mauritius Albertinos ad Tornahutum convenientes opportune aggressus, dissipavit: XXXVIII peditum signa, duo equitum, cum impedimentis & pecunia abstulit. *Thuan. lib.* 112. Samarobrigam in Ambianis à Francisco Tello interceptam, Henricus rex præcisa Hispanis auxiliorum spe, deditione recepit, *fortunamque secutus hominum favor*, Mercurianum ad pacisscendas cum rege inducias traxit. Nec Diguierius veteri defuit fortunæ. Instaurato enim in Carolum Emanuelem Sabaudum bello, totam cis Isaram fl. Sabaudiam, XLI dierum spatio, sub regis potestatem redegit. *Thuan. lib.* 112. Parique felicitate Mauritius ab Æmilia stimulatus, Meursiæ Domina, Alpenam suæ ditionis fecit. Inde Bercam ad Rhenum, Grollam, Brefortium, Eschedam, Oldensielam, Goram, Lingenam continuo victoriarum cursu fœderatis ordinibus adjunxit. Soror ejus Maria nupsit Emanueli, Antonii, quondam regis Lusitaniæ designati, filio. Sic flagranti inter Hispanos ac Belgas, eisque fœderatos Anglos Francosque bello, partes suas ad pacem faciendam præcipui Europæ principes interponunt.

And. Beneed. Dalinus. Rex Daniæ Christianus IV, superiori anno MDXCVI, ætatis ingressus vicesimum, ingenti pompa erat inauguratus regno Hafniæ, præsentibus Brandeburgicis, Holsatis, Lunæburgicis, Pomeranis, Palatinis principibus, equosque secum ducentibus supra bis mille, sacrum coronationis faciente Petro Vinstrupio, Zelandiæ Episcopo. Eodemque tempore Augustam regis sororem duxerat Johannes Adolfus, Nordalbingorum princeps. Unctus sacratusque Rex suadet Batavis, per Arnoldum Huitfeldium & Christ. Barnecovium legatos, ut salva majorum libertate, præsertim religionis, pacem amplectantur. Eodem officio per suos Cæsar & Polonus Rex frustra defunguntur, *Batavis nihil sincerum se ab Hispanis posse exspectare quæstis.* Polonus paulo post Carolo injungit patruo, ut Proregis se dignitate abdiceret. Ea occasione Carolus præfecturam regni ab ordinibus Suecis resumit, cumque accitas in regnum Sigismundus moras necteret, nec sine exercitu veniendum esse putaret, Carolus provincias omnes sua in verba adegit, Senatoribus, qui contra sentiebant, in latebras semet abdentibus. Hi quum ad Sigismundum se tandem in Poloniam recepissent, Rex misso Samuele Lasco, Carolum ut metas officii egressum publice objurgat. *Thuan. lib.* 121. 1598. *Osiand. Epit. Cent.* 16. *l.* 4. *c.* 52. Ille contra leges obtendens Suecicas, Proregis se munus impleviisse: præfectos præter dictum à rege juramentum Suecis impositos, aut sponte cessisse loco, aut decreto ordinum motos, respondet. Senatores aliquot, sparsis dudum inter se & regem odii seminibus, ut male meritos de Republica lucem fugere. Ad hæc decidenda regis præsentiam postulari. Hanc elusionem mandatorum ratus Sigismundus, L navibus advehitur in Sueciam, quinque millia militum exponit apud Stecburgum, Georgio Farensbeko duce. Ea expeditione, cum & regiam restabilire velle autoritatem, & Pontificiam reducere religionem diceretur, pauci procerum ei ad obsequia præsto fuere: Stockholmia tamen, Calmaria, & Aboja Finnonum, regias amplexæ partes. Carolus pacificum regis ingressum precatus, ingens præ se concordiæ desiderium tulit. Mox certamine, ducibus fere insciis contracto, alienati sunt amplius animi Suecorum, contemplantium, in ipsa cadavera suorum truculento ab hoste sæviri. Igitur Rex male consultus, classis adventu Carolinæ suam deserit; Carolus castris ejus & pecunia potitur. Extemplo præ-

prægressos Lincopiam regios insectatur, victisque ad ripam amnis suis præcursoribus, robur exercitus opponit hosti, qui recedens ruptis pontibus, postremum agmen cædi Suecorum exposuit. Cæsis bis mille, victor Carolus colloquium poscit regis, pacem offert, exules belli faces dedi ad judicium flagitat. Naves suas regi attribuit, Stockholmiam pervehendo, Steckburgum ei & ablata omnia bona fide reddit. Ergo traduntur Ericus Sparre Cancellarius, Turo Bielkius, Gustavus & Steno Bannerii, Georgius Posenus, viri clarissimi, qui à Carolo proditionis increpati in custodiam mittuntur. Confestim subeunte jam deditionis pœnitentia regem, novus accessit error. Fugam capessit, quassatisque aut mersis navibus, Gedanum ejicitur magis quam exponitur, Carolo Frustra revocante, cujus in fidem mox Stockholmia reversa est. Calmaria demum post semestrem obsidionem dedita. Joanne Sparre, & aliis præsidiariorum antesignanis capite punitis. Inde Sigismundo dies dicitur, intra quem in Suecia se sistat, aut Vladislaum, ex Anna Austriaca, recens ex puerperio mortua, filium sexennem mittat, Suecorum ritu & moribus imbuendum. Neutro comparente, in suffragia itum. Ordines eadem spe metuve, quo Carolus, animati, Sigismundo abrogant regnum, Vladislao id iterum, si intra præstitutum tempus adsit, deferunt. Inde Aboiam pergitur. Finnones subjugantur. Narva Livonica præsidium accepit Caroli. De exulibus à Sigismundo deditis mortis pœna sumitur.

Thuan. lib. 170. Henric. Spond. in Auctario Annal. Banro.

Dum inter Suecos Polonosque ardescit bellum, à Gallis Hispanisque deponitur. Mercurianus dux, qui Britoniam hactenus pro Hispaniensi factione turbasset, *præveniendum fortunæ ictum matura cum Henrico reconciliatione censuit.* Additum pignus resartæ gratiæ; Mercuriani filia Cæsari Vendocino, regis è Gabrielide Estræa filio, desponsata. Mox Philippus Ardeam, Caletum, Dorlanium, Capellam, Castellum, Blavetum Francis: Henricus Carolotensem principatum Hispanis restituit. Lites avitæ inter reges ad amicam sequestrantur compositionem. Iis legibus ferale bellum conquievit, Sabaudo neutris exinde partibus implicando. Sed quum de Saluciano principatu lis integra inter Francum Sabaudumque maneret, arbitrio decidenda Pontificis, bellum biennio post renatum est. In quo ditione Cisalpina exutus Sabaudus, destructaque ejus San-Catharina munitione, Genevæ imminente, cessit regi, quicquid est à Geneva intra Rhodanum, & trans flumen oppidis aliquot. Rex facto divortio cum Margareta regina, Henrici III sorore, Mariam duxit Francisco genitam, Thusciæ Exarcho, è qua Ludovicum progenuit, nunc Francis imperantem. Cum ea Aurelianum progressus anno propitiatorio, quem Jubilæum vocant, rescivit ultra decies mille homines crimen falsi confessos sacerdotibus, *ingenti publicæ levitatis argumento.*

Thuan. lib. 125.

At Philippus facta pace, dira morborum correptus confluge, verminante semper per totum corpus pediculorum eluvie, tristem animam, quæ innumeris exitio fuerat, LXXII vitæ anno exhalavit, Philippo III successore, qui Margaritam, Caroli Archiducis filiam duxit.

Thuan. lib. 120. Spond. Auctario.

Sub idem tempus vitam clausit Theodorus Russorum princeps, in quo stemma Basilidarum defecit. Boris Federovitzius, reginæ Russorum frater, ex testamento sororii non ausus arripere clavum, exquisitis artibus, profundaque dissimulatione pervicit apud populum, ut præteritis nobilioribus familiis sibi deferretur sceptrum, quod felici in Tartaros expeditione confirmatum, crudeliter postea & invidiose gessit.

Nec fortunatior Tartarorum in Pannonia grassatio. Barnesteinius enim & Palfius, Cæsariani duces, Totisa & Pappa captis, ad Javarinum locarunt castra, Tartarosque magna strage repulerunt.

Verum

Verum Turcis supervenientibus, variavit fortuna. Soluta Javarini obsidio, Totisa Barbaro recepta est. Et Pontificias ad Turcicum bellum collatas vires, in Italiam fere divertit Cæsar Atestinus, Alfonsi Ferrariensis è vilis fœminæ contubernio nepos. Hic enim avitos Ferrariensis ducatus titulos ferro sibi defensurus, quanquam anathemate notatus Clementis, primo conflictu Romanenses male multaverat. Cæterum frigescente agnatorum studio, Regio Lepidi, Mutina & Carpis (ea imperialis jurisdictionis oppida sunt) contentus, Ferrariam Pontifici resignavit. Sic continuato adversum Turcas bello, Adolfus Suartzemburgicus Javarinum astu intercepit, occisis intra urbem mille sexcentis Turcis.

Sigismundus Batorius, metu Turcarum, Daciam transcripsit Cæsari, compensationem traditæ dignitatis pactus. *Thuan. lib. 121.* Verum Cardinale Andrea ejus gentili renitente, cum & delusum se sentiret de pensione auri Sigismundus, retro in patriam revolat, Andreæ semet obligat, resciscoque cum Cæsare contractu, Transylvaniam isti donat. Unde hostiliter inter eum & Maximilianum Cæsaris fratrem agi cœptum, quæ res Turcis animos fecit. Omar purpuratus LX bellatorum millibus Varadinum cinxit; repulsus *1599.* sæpius à nostris, quum omnia summa *Thuan. lib. 122.* tentasset, irritus consilii abscessit. Tantundem cum nostri ad Budam Pestumque proficerent, Georgius Basta Cassoviam ducit, sollicitato & Michaële Valacho, ut Batorios Transylvania dejiceret. A Valacho capta Stephanopolis, Ciculi in consortium allecti. Andreas Batorius post obstinatum certamen profugus, ab Austriacis trucidatur. Alba Julia, aliæque urbes in victorum redactæ potestatem.

Nec minus ad Rhenum tumultuatum, *Eman. Metr. lib. 20.* ad Franciscı Mendozæ irruptiones. Hic rector Hispanis datus, Alberto nuptias celebrante, Orsojum Cliviæ subita invasione oppresserat, Valsomoque ex adverso munito, utrique Rheni fl. ripæ fræna injectabat. Alpenam & Meursinam ditionem cum Rhenoberca subegerat Hispanis.

Ea vis Germanorum animos acri perfodit stimulo; Cæsari expostulatorias ad Mendozam literas extorsit. Lippensis & Hohenlous Comites, scripti à Rhenanis & Westphalicis militis duces, adversus cautum hostem parum effecêre. At Mauritio Nassovio se pariter opponente, Orsojum & alia pleraque loca ab Hispanis, deducto præsidio, derelicta. Hic ut erat ad omnes casus intentus, fremente hostili exercitu, ob ærarii inopiam, Vachtendoncam, Crepacordium, *Thuan. lib. 123.* mox & Santandreanam arcem munitissimam, persoluto tumultuantibus stipendio, ab Hispana ditione avulsit. *1600.*

Subinde etiam viros literis claros mors rapuit. Inter eos anno XCV Reinerum Reineckium & Michaëlem Neandrum: XCVI, Franciscum Toletum primum è Jesuitis Cardinalem, Fridericum Sylburgium, Nicolaum Vignerium, Lambertum Danæum, Johannem Bodinum, Petrum Pithæum. Hos secuti anno XCVIII Gilbertus Genebrardus, Suffridus Petrejus, Franciscus Patricius, Aldus Manutius, Franciscus Raphelengius, Hieronimus Commelinus: anno duodecentesimo, Benedictus Arias Montanus Hispalensis, Thomas Stapletonus Anglus, Abrahamus Ortelius Antverpianus, Henricus Stephanus Parisiensis. Ipso anno secundari Fulvius Ursinus Romanus, Antonius Riccobonus Rhodiginus, Conradus Dasypodius Argentinensis, Carolus Utenhovius Gandavensis, Nicolaus Hemmingius Lalandus. Reformata tunc & Academia Parisiana, locusque ibi datus Isaaco Casaubono. Præcepta Theologis veteris & Novi Testamenti lectio accuratior, quod dicente Gersone, *rejectio Bibliorum sit admissio Antichristi.*

Sequenti anno migravit è vita Tycho Brahe, eques Danus, Astronomorum princeps, relicta ob quorundam simultates patria, Cæsaream incolens aulam. Eumque anno undecentesimo præiverat Hen-

Henricus Rantzovius, Produx Holsatus, heros literis armisque præclustris: Comites fati fuere David Chytræus Theologia & Historia, Joan. Heurnius Medicina illustres. Jacobus Peronus, præsente Henrico rege, aliquod veterum testimonia à Philippo Mornæo Plessiaco incuriosius citata demonstravit. Rex Nannetensi edicto Protestantes restituit in integrum, aditu eis ad quoslibet honores aperto. Quæ res ingenti ei apud Pontificios assecias invidiæ fuit; à quibus conducti percussores in regem mirisque proditi indiciis, Carolus Ridicovius Gandavensis, Petrus Angerius, Nicolaus Anglus, justas concepti parricidii pœnas exsolvere.

1599.

Thuan. lib. 123.

Monstrosos animorum affectus monstrosa corporum ægritudines notarunt. Martha Brosseria passim dæmoniacam se mentita, & Lutetiæ à monachis sæpe producta in publicum, cum à Medicis redargueretur, Romam deportata est, ut Jesuitico sodalitio miraculi præberet speciem. Sed Henricus rex per legatum actores fabulæ repressit. Verum prodigium fuit Franc. Troviluvius Cænomanus, qui cornu è sincipite enatum post septimum ætatis annum, invitissimus ostendit Parisiis, exinde pro Satyro circumductus. Eodemque tempore virgines aliquot in Gallia & ad Rhenum, inediam trium pluriumve annorum prodigiosa ægritudine tolerarunt.

Metr. l. 12.

Per Hungariam Poloniamque Cirragra, morbus fœdissimus, infestare homines cœpit. De quo Hercules Saxonia aliique medici inter se editis libris decertarunt.

Thuan. lib. 124. Epit. Ostiand. Cent. 16. cap. 54. 55.

Malignus animi morbus præsidiarios Pappenses incessit, qui ob dilatum stipendium, Pappam Turcis prodidere. Suartzemburgicus dum eos obsidet, glande stratus est. Melchior Rederus ad fugam compulit proditores, prehensosque ex iis exquisitis necari suppliciis curavit.

1600.

Receptionem Pappæ amissio Canisæ, præcipui in Styria propugnaculi, pensavit. Regebat Styriam Ferdinandus Archidux, patruo Rudolfi genitus Carolo, receptis in ditiones suas Jesuitis clarus. Hi induxerant principem, ne Protestantes jam à multis annis redempta auro sacrorum libertate frui sineret. Roboratum Romæ Consiliuni, quo anno seculari profectus Ferdinandus, solemne in eam rem juramentum dixit Pontifici. Exinde severe admodum per Styriam, Carinthiam, Carniolam, habiti ab eo Augustanæ confessionis socii, proscripti, ejecti, sacris interdicti, occisi. Cum nullus eis dies ærumnis vacaret, inque ipsa mortuorum ossa sæviretur, dilapsi hinc inde sunt extorres, relictis bonis, quæ belli sumptuum colore fiscum auxere.

Haud melior ex eo Ferdinandi in Turcas fortuna. Scilicet Sigismundi Turriani instinctu cautum (qui cum famulitio non multo post Igna fl. haustus est) ne quis Protestantium in expeditione Canisiana partem imperii caperet, ut ingentibus ex Italia, Germania, Pannonia, Catholicorum copiis Canisa obsideretur. Obsessa est, in consortium cladis non venêre Protestantes. Cum enim lentitudine aut imperitia ducum primi conatus frustra fuissent, posteriores gelu corrupit, quo una nocte mille equites auxiliares obriguerunt. Fœdo cum plurimorum exitio, machinarumque & impedimentorum jactura infelix obsidio soluta est.

1601. *Thuan. lib. 196.*

Par fere Alberti Archiducis in Belgio fors patuit. Cum enim adducta secum conjuge Isabella Bruxellas appulisset, neque ex re videretur exclusis Hispanis, solis Belgium indigenis committere, id quod fœderati ad pacem faciundam imprimis postulabant, Isabella, præstantis animi princeps, accendendo ad fortitudinem militi suo nihil sane reliqui fecit. Ostendæ obnixis Flandrorum votis obsidio intentabatur, Mauritio contra antevertere eos conatus annitente. Apud Neoportum vero acri prælio est concursum. Initio per celeritatem victor Albertus, quum mari cinctis incumberet, sensit, *quantum addat homini ad extremam*

Thuan. lib. 124. Metr. l. 21.

virtutem stimulum salutis desperatio. Illo enim ardore pugnatum est à fœderatis, ut victi victores profligarent, cæsis eorum plus quatuor millibus, desiderato suorum vix ejus numeri semisse. Capta ex hoste signa amplius centum. Nihilominus discessu Mauritii, munitiones circa Ostendam firmantur præsidiis, ipso Meursinam hæreditatem armata manu cernente, nautisque Batavis Indos Orientales, insulas Moluccas, Javam, inhabitatasque terras, inque iis Cernen Insulam lustrantibus, generosa utique audacia.

1600. *N. Spond. in auct. Annal. Baron.* Execrabilis contra & vesana Alexandri Ruveni, ejusque fratris Joannis comitis temeritas, qui Jacobum, Scotorum regem, in interiora conclavia quasi ad contemplandum thesaurum trahentes, occidere destinarunt. Rex percussoris manum inermis ipse verbis primum, mox injecta dextera, inhibuit, donec accitis clamore duobus viris fortibus utrumque parricidam interemit, salutem prorsus divinæ acceptam protectioni ferens, *qua omnium hominum, ac præcipue regum vita continetur.*

1601. *Thuan. lib. 125. Metr. Guilelm. Camod. parte 4. Hist.* Minus crudelia Roberti Ebroici, Essexiæ comitis, in Elisabetam ausa feruntur. Hic Hispanorum in Hibernia victor, omnique genere virtutum, quæ homines hominibus commendant, cumulatissimus, & flagrantissima reginæ gratia, Roberti Cæcilii, Epistolarum Magistri, æmulatione petitus, *favorem regium nimia sui fiducia diminuerat.* Quem dum temerariis molitionibus recuperare, Reginamque in potestate habere nititur, perduellionis incurrit crimen, eoque damnatus, cum sociis specimen fuit, *per vastas spes in exitium raptari homines solere.* Paris accusatus sceleris Carolus Gontaldus Bironus, Magister Equitum Franciæ, pares capite pœnas exsolvit. Dissimili plane ausu Olivarius de Norto, archithalassus Roterodamus, fretum intravit Magellanicum, eoque accuratius lustrato, ac circumnavigato orbe, incolumis cum suorum plerisque patriam revisit, plenus gloria. Præclaro etiam consilio Philippus Emanuel Lotharingus, exercita in patriam arma, adversus Turcas verterat. Albam enim Regalem fortiter è Barbarorum manibus extorsit. Sed victoriam immanis miles fœdavit, direpta funditus urbe nec à veterum Pannoniæ regum ossibus abstinens injuriam. Turcæ repetentes Albam, magna quidem tunc strage repulsi, at sequenti anno, exstincto jam victore, iterum loco potiti sunt. Interim Dacia inter Batorianos & Cæsarianos, ut pila, volitabatur. Michaël Valachus contra Sigismundum quasi Cæsaris auspiciis ducens, conserta diu ambigua pugna, superior tandem, magnam etiam Moldaviæ partem subegerat. Ei gravis erat Georgius Basta æmulus, vastæ ambitionis hominem Valachum, & ambidextrum Cæsari inculcans, qui Transylvaniam suo accessuram imperio speraret. Quamobrem cum Bastæ parere Valachus abnueret, exutus exercitu, ad Cæsarem proficiscitur, criminationes purgaturus. Ibi injecta ei mora, Sigismundus recipitur à suis, denuo Transylvanus Dux audit. Hæc Valacho restitutionis causa, qui remissus cum copiis, Batorianos temere de colle descendentes disploſione tormentorum turbat, turbatos in fugam agit, decem eorum millibus interfectis. Hinc resumtis animis, denuo Bastæ detrectat imperium, à quo immissis percussoribus trucidatus, Daciaque in Cæsaris adigitur verba. Batorius in Bistriciam urbem adverso prælio compulsus in deditionem accipitur, pactusque annuatim viaticum, inter Bohemos Barones inglorius consenuit. Mox novus Transylvanis vindex ortus Moses Ciculorum ductor, qui propulsus in montes, instauratis viribus, Albam Juliam occupavit. Tandem ingenti strage apud Temisvaram cæditur, signis CXXVIII amissis. Quo tempore Christophorus Rusvormius, alius Cæsarianorum dux, expugnato jam Pesto, Budam oppugnavit, & Germania Rudolfo LXXX mensium stipendia in alimoniam militis obtulit, amplissimas spes corrumpente Georgio Basta,

1601.

Thuan. l. 124. 126.

1602. *Thuan. lib. 128.*

1602. *Thuan. lib. 150.*

sta, dum importunam vim Transylvanis Protestantibus infert, unde pro Turcico intestinum crumperet bellum.

Eman. Metr. lib. 22. 23. 24. Thuan. lib. 130. Henric. Spond. in auct. Merc. Gallo-Belgic. Goth. Artus.

Flagrabant interim ad Ostendam omnia Martis opera, pari oppugnantium propugnantiumque ardore. Dici nequit, quantum ibi ingenii, fortitudinis, constantiæ apparuerit, præsertim in obsessis. Integris quorundam libris narratum bellum, nefas nostra verborum tenuitate diminui. Sufficiat hoc addidisse, nullam nostro, aut patrum ævo parem Ostendanæ obsidionem exstare, quæ undequadraginta menses continuata, dum obstructo portu alium struunt obsessi, dum oppugnato veteri oppido novum moliuntur, dum occisis centurionibus, tribunis, ducibus, substituuntur recentes, dum commeatus & arma, contempto vitæ periculo, inter infesta hostium tela important, dum confligitur cum hoste, cum morbis, cum fame, cum inundationibus; dum faciunt utrimque & patiuntur fortia; ultra CXLIV hominum millia fertur absumisse.

1604. Albertini CLX millia tradunt. Expugnata tandem anno MDCIV, non minus ingeniosa quam pertinaci Ambrosii Spinolæ opera, immensi laboris sumtusque exiguum præmium fuit. Mauritius interim Rhenobercam, Graviam, Isendicam, & quæ solæ damnum sarcirent, Slusas, dira fame domitas, subegerat. Batavi exinde reliquique fœderati populi, *suismet alimentis imposuere vectigal, ne tributa pendere exteris cogerentur, utque promtus semper promto stipendio miles foret.* Tum ne scissa societatum Indicarum lucra avaritiam accenderent Indorum, in unius sodalitii corpus navigatio illa omnis conspiravit. Lusitani Bantamo pulsi. Georgius Spilbergius & Jacobus Cornelius Neckius triennali navigatione, Ceilam, Moluccas, Patanam, prope Sinas emporium, lustrarunt, captoque Hispanorum myoparone, divites rediere domum.

Thuan. lib. 127. Sub hæc Arctoas partes Suecorum & Polonorum dissidia agitabant. Tota fere Livonia, à Quintili mense anni MDCI usque ad Februarium sequentis, sub Caroli Sudermanni ducis imperium concessit, non tam suorum, ut aiunt, virtute, quam Polonorum dominandi impotentia & segnitie. Sola ad Dunam oppida & arces, Riga, Dunemunda, Kokenhausa, Sovenburga, & alia in limite Moschico sita, Polonum respectabant sceptrum. Ad Kokenhausanam arcem, capto jam oppido, Suecis victoria hæsit. Christophorus Razevilius, Suecis Germanisque multitudine pugnatorum attritis, deditionem extorsit oppidi; sed vitam pactis incolumem, per odia Polonorum præstare non potuit. Inde Zamoiscius, dux veteranus, post acerba literarum cum Carolo certamina, Volmariam, Ronceburgum, aliosque locos expugnat; Joanne Nassovio mandato Caroli prælium abnuente. Interim vastatis undique agris, ad XXX hominum millia, incdia aut frigore interierunt, nonnullis nec liberorum parcentibus carni. Quare Nassovii conatis successus defuit, quumque nec stipendium militi, nec commeatus procederent, desperatis rebus, in Sueciam enavigavit. Ibi tandem Carolus, hortantibus Suecis, regiam dignitatem hactenus recusatam sumit, addita lege, ut posteris ejus utriusque sexus hæreditaria maneret, nec unquam ad Polonos revolveretur. Mox renovato bello, à Chot-Kevizio Livoniæ præside, acri prælio prope Rigam stratus, VIII suorum millia desideravit. Quæ clades in annum seculi hujus quintum incidit.

Spond. Eman. Metr. lib. 23. Biennio ante ab Henrico IV edictum bene Christianum, refrænandæ duellorum licentiæ, conditum, sancita in provocatores illos pœna capitis, *qui ferro potius quam jure lites, sæpe etiam leviculas, propudiosa audacia decernunt.*

Minus Christiane Sabaudus, nocturnis insidiis Genevam adortus, minime indicto bello. Ducenti bellatores jam in muris erant, cum cæsis excubitoribus, puer qui laternam gestabat, profugus, periculum enunciavit; quo exciti

cives, aut depulêre insidiatores patria, aut captos pœnis affecêre.

1603. *Thuan. lib.* 126. Secutus est obitus Elisabetæ Anglorum reginæ, fœminarum omnium, quæ sceptrum gestarunt, felicissimæ, quæ *non secure inter voluptates, sed caute inter dignas principe sollicitudines versata*, fortunatum regimen tranquilla morte finivit, vitæ anno LXX, regni XLV. Hæredem scripsit Jacobum VI, Scotorum regem, amitæ suæ pronepotem, pacis & literarum studiis clarissimum. Ejus tamen virtus insanas quorundam, dignitati suæ timentium, conjurationes vix effugit. *Metr. lib.* 24. *Thuan. lib.* 131. Detectæ divino prorsus ductu insidiæ, & clementia pene inaudita, proditoribus aliquot jam ictum præstolantibus carnificis, gratia sceleris facta. Rex ad securitatem regni, Angliam Scotiamque uno Magnæ Britanniæ nomine complexus, Pontificiorum sustulit conventicula; leges de disciplina proxime ad majorum ritus accedente sanxit, cum Philippo III, Hispano pacem integravit.

1604. *Calvis. in Chron. Thuan. lib.* 130. *Metr. lib.* 25. Contraria Mahumetes Sultanus intemperie, uxorem propriam, quod de filii fatis curiosius esset scisscitata, adjici in mare jussit cum consciis, filio in conspectu matris strangulato. Sed tyranno sequens annus advexit pœnas crudelitatis ignavissimæ. Nam Taurisium ei Emir Emza, Persarum Scachus (sic regem vocant) satrapæ cujusdam Gassii defectione usus, ademit: Melitenses Naupactum & Patras destruxere. Rusvormius cæsis ad Pestum Turcis, Hatuanam recuperavit. Sultanus ipse præ abdomine vix pedum compos, inter concubinarum & exoletorum greges, febri correptus pestilenti, anno ætatis XXXIV periit, acto tyrannidis octennio. Reliquit Achmetem filium pene impuberem, fortuna isti familiæ insueta, cui Alis purpuratus tutor datus. *Tempus sane instaurando Christianorum imperio opportunum, si fidem prius rectam instaurare ipsi, seque sincero invicem complecti amore voluissent. Sed malitia nostra armatur iste, alioquin imbellis hostis.* Clemens Papa non veritus tunc Joa. Ritbergico permittere incestum cum fratris sui Ennonis filia conjugium, adjecta gratiæ lege, ut Theodorico Furstenbergio Præsuli locaret operam, qui oppressa Paderborna, sacrum ibi ritu Protestantium fieri solitum aboleret, Liborium Wichordum Cos. afficeret supplicio.

Thuan. lib. 135. Idemque autor Sigismundo Polono fuit, ut alteram duceret conjugem Austriacam, defunctæ germanam. Henricum IV impulit, ut Jesuitas, exitio olim regi structo infames in Galliam revocaret. Recepti sunt, refragante Parisiensi curia, sed certis locis, eaque lege, ut sacramentum dicerent, de non violanda regis aut regni majestate, exterisque consortio movendis. Sic corda regis reginæque, cum morerentur, ipsis destinata, sinistro omine: pyramis, qua relegatio eorum continebatur, deprecante Petro Cotono publice amota. Paulo post domesticis rex petitur insidiis, Marchionissæ Vernolii, quam deperibat, propinquis Hispanica arte corruptis. Sed *culpa amori donata est.* Officia apud Gallos venalia, pernicioso exemplo facta. Bellum inter Argentinenses Episcopos æmulos, Henrici regis arbitrio suspensum antea, vicesimo tandem anno positum istac conditione est, ut Joannes Georgius cedat, Lotharingius ei aurum ingens per Vittenbergicum, tradita territorii parte, persolvat. *Thuan. lib.* 132.

1602. *Conrad. Astac. in Lab. Chron.* Sub id per Septentrionem Christiani IV, Danorum regis, fida subditorum cura eluxit. Extremos Norvegios fines ipse invisit, sincerioris doctrinæ depositum conservari severe jussit, fratres Ulricum & Joannem, largiter muneratos, suas in provincias extra regna dimisit, Ulricum ad Suerinensem episcopatum, Joannem in Moscoviam. Sed hic splendidissime exceptus à Borisii legatis, & paulo post febri absumtus, prævertit morte sua calamitates, quæ triennio post Russiam inundarunt. Regi ex Anna Catharina, Joachimi Friderici Electoris Brandeburgici filia, nascitur Christianus V, mense Aprili, quo eodem,

1603.

dem, post septennium, paternorum
1604. successor regnorum designatur. Lustratur à Danis Grunlandia. Hamburgum, florentissima non Stormarorum tantum, sed & omnium Saxonum civitas, Regi, ut Holsatiæ duci, homagium maximo præstat apparatu. Regnum alta in pace insignibus passim ædificiis, arcibus, (in quibus magnificentia eminet Fridеburgici) navibus, templis, scholis exornatur.

Industria regis magnanimitati par, Crempas Stormarorum oppidum, cui ortum nos debemus, fossis vallisque egregie communivit. Christianopolin, sui nominis oppidum, ad fines Sueciæ in Blekingia, è fundamentis excitavit, ut à meridie simul boreaque, amplissimarum ditionum terminos ab hostili invasione tueretur. Sed utrisque finibus, aliquot annis post, duo firmiora haud paulo adjecit munimenta, Tychopolin altero à Crempis lapide sitam, ad Rhinum amnem, ibi in Albim se exonerantem, & Christianiam in Scania, paludibus & mari circumfluam. Dum iis gaudet pacis bonis Cimbria, in Pannoniam nova tempestas incubuit. Georgius Basta, quasi Turcico solutus metu, quod Persæ in Babyloniam usque excurrentes, Sultani pueri imperium vellicarent, intestinum Hungaris & Dacis movet dissidium, Protestantes, quos in Turcam commilitones habuerat fidissimos, ad sacra Pontificio ritu peragenda, vi compellere nititur, detrectantes exuit opibus. Mox Turcis crevere animi, Jagenreuterus Pestum eorum metu deseruit; vacuum extemplo Turci occupant. Serdar purpuratus ad Strigonium posuit castra, quod & tandem sub Turcicum redegit jugum, cum decennium sub Rudolfo fuisset. Per summam animorum exulcerationem Bethleemus Gabor, ducta Mosis Ciculi vidua, spem concepit de Transylvania ad se transferenda. Sed eum Tampirius comes, prælio victum, coërcuit. Felicior Stephani Botscaii fuit conatus, Batoriorum cognati. Hunc Barbianus Bellioci comes, in Cassovienses Protestantes omni sævitia debacchatus, quum Botscaii Castella in prædam exponeret, ad vindictam libertatis accendit. Heiducci generosum nacti ducem Cæsarianos passim munitionibus expulere, Botscaio non abnuente Cæsaris imperium, si salva libertate & incolumi conscientia, ut convenerat, frui subjectis liceret. Internecinum bellum ex sterilitate & vastationibus agrorum tanta excepit fames, ut ab humana carne non abstinerent miseri. Quæ mala late grassantia, stella nova & trigonus igneus, monstrante Joanne Keplero, mortalibus denunciabant.

Thuan. lib. 131. Calvis. in Chron.

Habebant & in sermonibus rem pleri- 1604.
sque incredibilem Saxones nostri. Nimirum commeare per urbes Judæum quendam immortalem, qui ob injuriam olim Christo crucifigendo factam, perpetuæ usque ad extremum diem oberrationis esset damnatus. Visa & nobis res portentoso mendacio affinis, quanquam ille à quibusdam eruditis examinatus, pene fidem miraculo fecit. Id vero constat ex Matthæo Parisio, ante quadringentos annos eundem sermonem pene toto orbe frequentatum. Ait enim historiographus, Janitorem fuisse Pilati, initio Cartophilum nomine, qui postea ab Anania baptizatus, Josephi vocabulum sumserit. Hunc cum extraheretur prætorio Dominus Jesus, pugno eum impulisse, irridentemque dixisse: Vade Jesu citius, vade, quid moraris? Respicientem severo vultu Dominum, respondisse: Ego vado, & tu exspectabis, donec veniam. Itaque exactis centum vitæ annis, gravi perculsum ægritudine Josephum, & ecstasin passum: inde velut redivivum integris plane viribus, queis Christo patiente fuerat, centesimo quoque anno in eandem valetudinem revolvi. In Armenia ut plurimum versari hominem, ac fuisse in Anglia Episcopos Armeniorum, qui interposito jurejurando, rem sibi exploratam, virumque familiarem esse confirmarint. Res digna memoratu, & si vera

Matth. Paris. pag. 339. 340. & 27.

est, ingens Christianismi adversus infideles testimonium.

Thuan. lib. 133. 1605. In Belgio, post lætitiam de Philippo IV, Hispaniarum hærede nato, statutum est in Frisiam transferre bellum. Datum Comiti Bucquoio negotium, ad Rhenum colligendi copias; quo trajecto, Spinola Oldensealam expugnat & Lingenam, Mauritio frustra Antverpiam appetente. Nec felicior mox Spinolæ, de Berga ad Somam intercipienda conatus fuit, Mulheimi certatum deteriori Mauritianorum fortuna. Vachtendoncam Bucquoius deditione cepit. Nihilominus sollicitati de pace ab Austriacis Batavi, respondent, si quid forte bona mente constituatur, Hispanis id statim consiliis eludi.

Eo anno in civitatibus aliquot valde tumultuatum. Aquisgrano, pervetustæ & præcipuæ dignitatis, urbi, multum ob mutatam majorum religionem, & à quibusdam parum mascule defensam, detractum. Marpurgo Hessorum, grandi plebis tumultu, obtrusus Calvinismus à Landgravio, imaginum deletionem, & panis in sacrata cœna fractionem, aliaque id genus, impensius urgente. Joannes Winckelmannus, Balthazar Mentzerus, & similes, Augustanæ confessionis propugnatores. *officio cadere quam fide maluerunt.* Vehementior turbo Brunsvigam pene oppressit. Henningus Brabantus Jurisconsultus eam proditione voluerat evertere. Re detecta, eversus ipse est. Inde Henricus Julius, princeps vicinus, majorum jura prætexens, in Brunsvicensem Remp. militem curribus abscondit, in portam eum vallumque intrudit. Cives viriliter pugnando, mille ducentis hostium occisis, patriam liberarunt. Ab insidiis dux ad apertum bellum prosilit, obsidione Brunsvigam claudit, Onacrum fl. qua aquas ex urbe defluentes ejicit, obstruit aggere, undis restagnantibus, fora, ædes, templa complet. In supremo periculo quum edictum Cæsareum eluderetur, vis cœlestis accelerayit opem obsessis, ventus aggerem disrupit, flumen resorpsit undas; bellum ad inducias, inde ad arbitros, Cæsare imperante, deductum.

Merc. Gallo-Belgicus Tom. 5.

Parum etiam Roma à tumultu abfuit, Clemente VIII exstincto multis papatum prensantibus. Cæsari Baronio, celebri annalium scriptori, favebant Galli, refragabantur Hispani, qui & litem viro intendebant, de jure in Siciliam regis sui, quod ille suspectis niti testimoniis scripserat. Roberto Bellarmino, paris famæ Cardinali, Montaltana se factio præpotens opponebat, ne solio potiretur. Tandem in Alexandrum Medicen consensum, quod brevis ævi videbatur senex septuagenarius. Hic renovato Leonis nomine, post XXV diem absumitur; Unde hoc nonnullis commodi, ut mentione sui in urbe facta, tanquam creatorum Pontificum, ædes eorum diriperentur: Successorem Leo Camillum Borgesium habuit Senensem, qui Pauli V titulum adoptavit. Thuan. lib. 124.

Atrocissima interim conjuratione Anglia & Muscovia laborarunt. Sed *inscrutabili Dei cuncta temperantis sapientia factum, ut Anglicana ad evertendum regem legitimum suscepta, in conspiratorum capita recideret; Russica incerto intentata hæredi, finem suum sortiretur, & autores corona remuneraret.* Russica quidem ita habuit. Metr. l. 2. Thuan. lib. 135. Julius Cæsar Buleng. Hist. l. 12.

Demetrius Joannis Basilidæ filius, qui pridem à Bori Fedrovitzio interemptus credebatur, quasi redivivus in scenam prodiit, occultatum se ferens in cœnobiis, imbutumque disciplina Jesuitica, ut fato sibi ac jure debitum regnum aliquando recuperaret. Persuasum regi Polono, Sendomirienſi Palatino, genuinum hæredem esse. Adjutus exercitu, pacta sibi Sendomirienſis filia, in Russiam ducit, Cosaccos sibi conciliat. Multis Borisii tyrannidem aversantibus, arces favore nominis & loca munita haud pauca sibi acquirit. Victus initio à Bori, sed altero prælio victor, pereunte mox tyranno, liberisque ejus veneno necatis, festa plebis gratulatione Mosquam ingredi-

ingreditur, coronatur, fœdus cum Polono facit, magnifico apparatu sponsam è Polonia adductam sibi copulat. Cæterum Russi proceres indignati, ad Polonorum fastum, fictamque esse persuasi de Demetrio fabulam, in exitium eorum conspirant.

Firmati concursu plebis, omnia permiscent cædibus; mille ducentis Polonorum peremptis, cccc Russorum desiderati. Demetrius multis vulneribus confossus, omnibusque prosciissus ludibriis; sponsa omni gaza spoliata pauperque in Poloniam remissa est. Basilius Joannides Suiskius, conspirationis signifer, concordibus procerum votis princeps renunciatur.

1606. *Spond. in anct. Thuan. lib. 135.* Dispar ut causa, ita exitus conjurationis in Jacobum VI, regem Britannorum, reginam, liberos, omnesque regni Magnates fuit. Ea ut nulla crudelior unquam, ita haud scio, an qua mirabilius aperta uspiam legatur. Conscleratorum unus monuerat occultis literis Montaquilium, ne interesset comitiis, quæ improvisum ictum sensura, nec visura percussorem essent. Id suspicionem regi sagaci movit, ut subesse crederet periculum. Scrutati cellam curiæ subterraneam, inveniunt XXXVI dolia, pulveris nitrati plena. Injecta manus Faukio, qui ocreatus forte ad januam assistebat; Is excussis, cum funes cannabinos celare nequiret, statim crimen prodidit. Ejus peracti rei Jesuitæ, nec pauci magnates, partim cæsi in fuga, partim supplicio affecti sunt; monstrum horribile, antequam exiret in lucem, raro Dei beneficio in partu suffocatum.

Thuan. lib. 137. Anton. Maur. Hist. Veneta. Verum ut semper Jesuiticum sodalitium aliquid parturiret novi, eodem tempore Venetis non parvas excivere turbas. Illi leges quasdam majorum renovarant, quibus cavebatur, ne liceret, absque senatus suffragio, templa nova aut cœnobia struere, neu clericis fundos donare aut stabilia bona. Miserant & in carcerem nonnullos sacerdotes, flagitiis infames. Jesuitæ hæc accurate, ut omnia, quæ sedulo rimabantur Reip. arcana, ad Claudium Aquavivam, ordinis sui rectorem perscripserant. Clemens quidem VIII ea pro sua moderatione dissimulaverat: at Paulus V, animi vehementioris Pontifex, abrogare Venetos leges jussit, renuentes cum universa ditione sacris interdixit. Plerique tamen Ecclesiastici fulmen id Pontificis, ut indicta causa adversus innocentes vibratum, contemnentes, sacrum minime intermiserunt. Jesuitæ contra, non tantum dicto audientes Pontifici, sed & propugnatores crudelis sententiæ facti, in alia commigrarunt loca. Variis utrinque & aculeatis certatum est scriptis, Baronio & Bellarmino inter alios pro hero suo Pontifice, Francisco Paulo Servita & Joanne Marsilio pro statu Veneto dimicantibus. Cum neutri cederent, à verbis ad arma deventum. Conscriptis utrinque copiis, Rex Hispanus auxilia Pontifici, Hollandi Venetis obtulere. Nam & factio Hispanica Romæ potens, dissidii hujus fax esse putabatur.

Tandem vero interventu Galliarum regis, reperta reconciliationis via, si captivos traderent Veneti, legumque executionem nihil ultra patrum instituta extenderent. Ita revocatæ à Paulo diræ, Jesuitis Veneto territorio interdictum, haud exiguo ordinis præjudicio. Unde eorum subornati artibus percussores in Servitam, Reipublicæ illius Theologum, cum vulnera viro gravia inflixissent, consilio tamen exitii ejus frustrati, odium magis sui inflammarunt. *Julius Cæsar Bulenger. l. 12. Hist.*

Nec tranquilliorem Poloniam eadem societas fecit. Ibi Joanne Zamoiscio (qui Academia sua Jesuitas excluserat) vivis exempto, majores jam illi apud regem, minor aliorum procerum, consiliis factiosis adversantium, metus erat. Unde tanta discipulis Jesuitarum audacia, ut ædem Protestantibus sacram Posonii, incendio delerent. Persuaso rege, ad querimonias obfirmandum animum. Igitur Nicolaus Zebrzidovius & Janus Ratzivilius, *Thuan. lib. 136.*

zivilius, indictis nobilium comitiis, fœdus pro libertate condunt, quorum sequaces populari lingua Rackosiani, id est, comitiales appellati. Mox decursatur ad arma. Cæduntur initio regii ad mille, plures in fugam aguntur, eratque in proclivi Rackosianis victoria, nisi quidam inter eos corruptæ fidei ad regem declinasset. Proinde omissa vi, ad comitia regni rejecta lis est; sed ut fit, civilibus dissidiis soluta passim licentia, Gedani monasterium S. Brigittæ, Thorunæ majus templum Jesuitis adimitur. Imputantur eis præcipuæ Europæ mala, urgetur à nobilitate feralibus sodalitiis exilium, Comitiis Varsovienſibus, ut parum liberis obtenditur protestatio.

1607. *Thuan. lib.* 138.

Sparguntur & voces de novo rege eligendo, cum nimia securitas & audacia Rackosianis attraxit malum. Regii subito in eos irruentes disturbant conventum, multisque occisis, demunt reliquis animos. Soli Sueco hæc profuit Polonorum discordia, qui capto per id tempus Weissensteino, labefactas in Suecia res suas multum erexit, causamque suam, diminuta Sigismundi existimatione, probabiliorem studuit efficere.

Exemplum haud dubie movit Matthiam Archiducem ut cunctante Cæsare germano, Hungaricos motus quam benignissime componeret, assignata Botscajo Transylvania, & religionis sancita libertate, pacemque inestinam, extrinsecus pactis induciis muniret. Etenim Serdar Prosultanus, Gambolati sollicitus defectione, qui Alepum, Damascum & Tripolin occupaverat, tremendamque potentiam simulato in Sultanum velabat obsequio, induerat jam desiderium belli cum Christianis finiendi. Decretæ igitur in xx annos induciæ, atque ut interim Achmetes Sultanus Cæsarem vocet patrem, ille eum filium, Cæsares vicissim ambo salutentur, commutatis tertio quoque anno utrinque muneribus, fida consolidetur amicitia. Transactionem Botscaii, qui maximè eam promoverat, mors excepit, & Stephani Ragotscii electio, qui fidus Cæsari, petentibus auxilium Rackosianis, ait, *nefas sibi videri in proprium insurgere principem, bellumque civile autorum finiri infamia solere.* Atque ut testaretur, quam minimo flagraret dominandi æstu, abdicavit se principatu, eumque Gabrieli Batorio transmisit. Quo tempore, quum Persici regis legatus Pragæ in majus extolleret vires sui domini, eique certum esse diceret, Osmanicam excindere domum, tarditatem auxit Rudolfi, ne initas firmaret inducias. Inde Heiduccis renata latrocinandi licentia, Matthiæ crevit autoritas, qui gratiosus apud Hungaros aditum ejus regni sibi apud ordines aperuit.

Eodemque anno altæ Germaniæ paci ominosum sydus cometa minabatur, edito statim specimine ingruentium atrocius malorum, in urbe Suevica ad Danubium Donaverda. Ejus cives procacius usi publica securitate, Abbatem solenni pompa circumferentem Labarum & crucem, contumelia affecerant, eamque ob causam icti proscriptione Cæsaris, etiamsi sarcire illatum monachis damnum cuperent, in Maximiliani tamen Bavari potestatem rediguntur. Hæc litis & diffidentiæ inter Imperii ordines occasio, quum subinde comitiis restitui in integrum peterent Donaverdam Protestantes, earumque postulata eluderent Pontificii.

1607. *Metr. l.* 28.

Thuan. lib. 138.

Sub hæc Rex Britannus, periculis adductus frequentibus novo obstringit subditos sacramento, quo quisque profitetur, *nullam esse Romano Præsuli regis exautorandi potestatem*, *seque* nullo talis censuræ prætextu à fide & obedientia recessurum. Dictum & à Catholicis, quos vocant, jusjurandum illud, Pontifice & Bellarmino nequicquam reclamantibus. Inviserat paulo ante regem frater reginæ, tunc puerperæ, Christianus IV, maximisque ab Anglis honoribus affectus, intra sex hebdomadas in regnum erat reversus. Sommersetiam & Bristoliæ urbis viciniam inundavit Oceanus, ut subito solum diceres salum factum.

Angli,

Angli, quod infeliciter antea tentaverant, in Virginiam Colonias deduxere.

In Belgio vix tandem ſatietas bellandi apparuit. Brevordam ab Hiſpanis ſed ſine arce captam, fœderati receperant. Sluſis depulſus Spinolæ miles, Lochumum expugnaverat & Grollam, mox & Rhinbercam. Poſt tot felices ſucceſſus, injectumque Batavis metum, ſeditio Albertum militaris exercebat, quæ vix, oppignorata tumultuantibus Dieſta, modicum ſopita, ac denique ſoluto ſtipendio, rebelles relegati, multi moram trahentes occiſi ſunt. Mauritius interea Lochumum recuperaverat, à Grolla erat rejectus. Jamque novum, Hollandis præſertim & Zelandis, arridebat conſilium in Americam navigandi. Nam in Moluccis proſpera uſi fortuna, prævalidam rurſus ad Orientales Indos claſſem expedierunt, majora utique animis volventes, niſi exhauſtum ærarium, & ſpes præcidendi molitiones Indicas, Hiſpanum & Archiduces inclinaſſent ad pacis ſtudium, à quo nec alieni erant Ordines ſi certam acquiſitæ libertatis confeſſionem adverſariis extorſiſſent. Interim ne falleret ignava pacis exſpectatio, mittitur in fretum Gaditanum cum claſſe Jacobus Hemskerkius, qui littus Hiſpanum infeſtans, naves regias prope Gades, aut flammis abſumſit, aut ictibus tormentorum quaſſatas fere inutiles reddidit, victoria patriæ ſua morte dedicata. Percuſſus enim, celari prudenter caſum voluit, ne curſum victoriæ inhiberet. Hiſpanorum ibi ad bis mille interempti. Ergo pactis induciis, pronunciantur liberæ fœderatorum Ordinum provinciæ, in quas Rex & Archiduces nihil juris prætendant. Poſtulatur contra, ut Indicam aboleant navigationem Batavi Zelandique, atque integra ſit Regiis ſolis novi orbis uſurpatio. Ea diſceptatio aliquot menſes tenuit, dum Joannes Najus Franciſcanus, impigerrimus alias pacis promotor, excurrit ad Philippum, tantoque tempore detinetur, ut & Gallus Orator, & Danus Jacobus Ulfeldius cum Jano Chariſio domum remigrarent, ac tota mox pacis actio abrumperetur. Ad extremum Galli & Britanni, Regum, Electorumque & Principum quorundam Legati, inducias duodecennes perſuaſerunt partibus, quibus ſtabilis utrinque ſancita ſecuritas per Europæas terras, at extra Europam arbitrio relictum Hiſpani Regis, ſi cui in provinciis ſuis commerciorum vellet permittere libertatem. Cautum tamen, ne impediret, ſi quam exteri principes fœderatis indulgerent, negotiandi facultatem. Pactæ induciæ menſe Aprili, anno hujus ſeculi nono, ſed quæ vim haberent anno demum ſequenti.

1608. *Metr. l. 28.*

1606.

Confectis in Belgio induciis, Germania diſſidiorum nova ſemina ſuſcepit. Matthias frater Cæſaris, armatus venit in Bohemiam, diſcuſſurus, ut ferebatur, conſilia Hiſpanienſium, qui Ferdinando Archiduci Hungariam & reliquos Auſtriacorum principatus deſtinarent, ut addictiori partibus Pontificiis. Bohemi ſe in armis fore polliciti ſunt pro Cæſare, ſi libertatem, eam præſertim quæ conſcientiæ eſt & religionis, ſanciret, ad patris Maximiliani exemplum. Cum id poſtulatum differretur, tradenda fuit Matthiæ Hungaria Auſtriaque. Matthias mox ad ſuggeſtiones Legati Pontificii & Cleſelii, Præſulis Viennenſis, Proteſtantibus Auſtriacis ſacrorum ſuorum exercitio interdicit, recuſantibus obſequium vim oſtentat. Verum illis ad propulſandam vim ſemet comparantibus, antequam ſacramentum dicerent Matthiæ, atque adinſtar Hungarorum & Moravorum, gratiam ſibi fieri ejuſdem divini cultus, ſuppliciter poſtulantibus, aſſenſum præbuit princeps. Nec difficilior Cæſar ipſe, qui Bohemis, Sileſiis, Moravis, ejuſdem Auguſtanæ confeſſionis ſociis, ſacrorum libertatem promulgavit, diplomatibus ad id ſolenniter conditis, Academiaque Pragenſi eorum tradita directioni, quæ res poſtmodum minus ſincere obſervata, funeſtorum bellorum materiam dedit.

1609. *Metr. lib. 28. 29. S. Calviſius in Chronic.*

Succeſſere ſtatim tumultus Juliacenſes. Mortuo namque Joanne Guilelmo abſque prole, atque inde Electore Brandeburgico, hinc Palatino Neoburgico, aliiſque ex connubiis cum ſororibus defuncti prognatis, ſucceſſionis jus prætendentibus, Imperator litis diſceptationem ad ſe revocans, interim Leopoldum Auſtriacum, Epiſcopum Argentinenſem & Paſſavienſem miſerat, ſuo & imperii nomine Juliacenſes ditiones recturum. Hujus partibus principes Pontificii, illorum Reformati plerique ſtudebant. Hinc conventus Halæ Suevorum Proteſtantium, hinc Herbipoli Catholicorum: hinc fœdera cum exteris & conſpirationes inteſtinæ, in perniciem tandem Germaniæ erupturæ. Brandeburgicus Joannes Sigiſmundus & Palatinus Wolfgangus Wilhelmus, re inter ipſos compoſita pro tempore, ſcripſere militem, & pleraque ducatus oppida ſuæ poteſtatis fecere, excepto Juliaco, quod Leopoldus detinebat. Verum & illud quoque à Mauritio Naſſovio, Belgicis jam præliis ſoluto, & Chriſtiano Anhaltino obſeſſum, ſimulque auxiliaribus oppugnatum Gallorum copiis, deditione accipitur poſt bimeſtre. Ac poſitis utrinque armis, iis judicibus delegatis Coloniæ dirimenda fruſtra committitur. *Ann. 1610.*

Per hæc Henricus IV, Francorum & Navarræ Rex fortiſſimus, dum altam vigilantia ſua pacem à multis jam annis regno conſervaſſet, ac nuper florentiſſimum exercitum, & omnibus rebus ad magnam expeditionem inſtructum, ad confinia Galliæ & Germaniæ collocaſſet, ſpe facta Juliacenſium ditionum poſſeſſoribus parati apud ſe auxilii, multis metum injecit, multis male opinandi loquendique occaſionem dedit. Cum hæreticorum fautorem, & morte dignum audiſſet prædicari Franciſcus Ravaillacus, extremæ homo dementiæ & impietatis, interficiendi regis ſui conſilium cepit. Quem nactus in rheda, Pariſios obambulantem, contemplandi cauſa apparatus, quo reginam pridie coronatam exciperet, præcipiti inſultu, gemino ad cor ejus illato ictu cultri necat, regem, ſi ſimulationem ejus religionis, quam plerique in eo non fuiſſe confirmant, excipias, ſuæ ætatis maximum. Sicarius perditiſſimus, vix ullo idoneæ pœnitentiæ ſigno edito, inter exquiſitiſſimas pœnas nefarium ſpiritum exhalavit. Filius regis Ludovicus XIII, quum nonum ætatis annum nondum impleſſet, adminiſtratio regni reginæ matri collata eſt, quæ & promiſſam Juliaci obſeſſoribus opem tulit.

Inquietiſſimæ etiam tum res Barbarorum erant. Gambolatus ſane Alepienſis Satrapa, fractus à Turcis, atque à ſuis, Achmetis gratiam pollicitatione militandi contra Perſas obtinuerat: At Perſa Siaſaba nihilo ſegnius continuabat expeditiones; Pontificem, delato ei Chriſtianorum ſuæ ditionis obſequio, Cæſarem, jactatione virium ad ſocianda ſecum arma provocabat. Pontifex ea cauſa Religioſorum familiis injunxit, ut Hebreæ Arabicæque linguæ Profeſſores alerent, quorum opera in conciliandis Orientalium terrarum Chriſtianis uteretur. Matthias jam Hungariæ potitus, pacem Turcicam ſtabilivit. Turcæ à Perſis in Babylonia ingentem accepere cladem: in mari Mediterraneo cum Florentinis & Melitenſibus varia fortuna dimicarunt. *Spond. in auct.*

Mauri quoque reges, Feſſæ & Maſocci, diuturnis inter ſe diſſidiis conflictati, victique ad ultimum à Muleo Sidane, ampliſſimas ei Africæ ditiones reliquerant. Ejus patruus Schequus, Hiſpaniæ regem ſuppetias orabat, à quo & pecunia inſtructus, Alarachiam, firmiſſimum littoralis Africæ propugnaculum, ad columnas Herculeas, corruptis præſidiariis, Hiſpanicæ tradidit ditioni, tam fidei ſuæ in Philippum pignus, quam adverſus Sidanem adjumentum. Interim Philippus è tota Hiſpania Mauros, veteres earum regionum incolas, malaque fide Chriſtianiſmo tinctos, pellit, quod Africanos Mauros & Turcas, in perniciem *Metr. l. 29.*

ciem Hiſpaniæ, ſollicitare dicebantur. Exuti agris fundiſque miſeri, aurumque & gemmas cum mercibus commutare juſſi, retento tantum viatico, navibus exportantur, capita hominum, ut narrant, ad novies centena millia, qui diverſis locis temporibuſque, partim expoſiti in littora Africæ, partim prohibiti appulſione, partim in alias gentes ſparſi, ingenti numero, fame, gladio, frigore, aut aliis malis periere. Unde multos cepit admiratio, quid adeo peregrinas & longe diſſitas lucrari animas nitantur Jeſuitæ, tantæque multitudinis in oculis ſuis verſantis negligentes, ad certum eam exitium expelli ſuſtinuerint. Neque enim dubium, inter tot millia, puerorum præſertim & mulierum, dociles reperiri animas potuiſſe. Sed de eo quidem ipſi viderint, nobis quod ſupereſt hiſtoriæ pertexetur.

Nicol. Trig. in Annuis Japonicis.

Spond. in Auctario Calviſ. in Chr. Joan. Micr. in Syntagm. Hiſt.

Rex Polonus, compoſito cum Rackoſianis diſſidio, Suecos ſimul Ruſſoſque ſe acriter laceſſentes, ſecundis præliis, illos in Livonia, hos in Lituania proſternebat. Compertoque, Ruſſos quoſdam adverſus Suiskium, duce novo Pſeudodemetrio, rebellare, Smolenſcum Lituaniæ metropolin, pridem Moſcorum ſubditam tyrannidi, obſidione cingit, in qua expugnanda dum laborat, alia Polonorum manus ipſum Suiſcium, cum duobus ejus fratribus, prælio victum capit. Novogardia obſequium Sigiſmundo, ipſeque adeo Chamus Tartarorum Aſtracanenſium defert, annoque exeunte Demetrius impoſtor trucidatur. Vilnam exurunt Moſchi. Smolenſcum bienni obſidio fatigatum, poſtremo dat Polonis manus, ubi ducenta Moſchorum millia feruntur interiiſſe, atque ut ſolens eſt difficilioribus ad magnas urbes præliis, obſidentium ingens turba.

Tunc vero Belgas fœderatos inteſtina invaſit, ſuper aliquot Chriſtianiſmi quæſtionibus diſcordia.

Jacobus Arminius, ex Amſtelodamenſi Paſtore Theologus Leidenſis, de quibus per literas contulerat cum Fr. Junio, dogmata pleraque à Calvini ſchola aliena, ſtudioſæ juventuti diligentius inculcaverat, Franciſco Gomaro, ejuſdem Academiæ Profeſſore, acriter refragante. Lite ſæpius agitata, cum Magiſtratus ac primores cœpiſſent in partes fecedere, qui Arminium tuebantur, Remonſtrantes; qui Gomarum Contraremonſtrantes dici occœperunt. Tandem à verbis & ſtylo ad factioſas molitiones, ad arma, ad pugnas, progreſſi diſſidentes, grande aliquod malum florentiſſimis Ordinum rebus minabantur, controverſia neutiquam cum autore ſuo exſtincta. Etenim mortuo ſub annum MDCIX Arminio, novalis de ſucceſſore ejus Conrado Vorſtio tenuit, quem certatim ab omnibus appellatum ſchiſmaticum aut hæreticum, atque in divinas perfectiones injurium, nihilominus ut inſignem Doctorem Remonſtrantes commendabant. Quorum ſtudio ille adeptus functionem publicam, præpotenti regis Britannorum adverſatione, ea rurſus excidit, fœderis & amicitiæ diſſolutionem minitantis Ordinibus, niſi corruptorem divinæ veritatis deſinerent fovere. Amotus vero & ſepoſitus Goudam Vorſtius, ſuæ tamen factioni quaſi pro Apoſtolo fuit, donec gliſcens ſubinde diſcordia, non tam tranſactione, quam expulſione aut cæde Arminianorum oppreſſa, cœpit relangueſcere, pro ut ſuo loco dicetur.

Spond. Eman. de Metr. Præf. Synodi Dordr.

Invaſit & Septentrionem noſtrum acerba cum Suecis contentio. Carolus IV Suecorum Rex, quod cum Polono bellaret, naves per Helleſpontum Danicum, & ex ipſa Dania Rigam & ad Boruſſica itantes oppida, paſſim detinebat. Lappones maritimos (Norvegiæ illi pars ſunt) vexabat tributis, quorum & titulo inſolenti uti cœperat. Ea de cauſa Chriſtianus IX, miſſo ad eum feciali, quum nihil reſponſi ferret, Calmariam, permunitum Sueciæ oppidum, obſidet, repulſiſque erumpentibus, Vi expugnat, exeunte Maio, anno hujus ſeculi undeci-

Eman. de Metr. l. 29. Scnad. in Cont. Sleid.

1611.

undecimo. Et quanquam edixerat, ne in impuberes sexumque sequiorem à milite sæviretur, tamen cum mulieres lapidibus incesserent irrumpentes, promiscua fuit cædes, exacerbatis & eo Danis, quod frumentatores suos, nuper à nobili quodam fraudulenter evocatos, contra datam fidem trucidatos meminissent. Capto oppido, arx Caroli freta subsidio, diutius victorem distinuit. Crebræ ibi cum proximis Suecorum castris concertationes, cædes multæ. Dumque obsidioni advigilant Dani, interceptis à Sueco literis, quibus Christianopolitæ auxiliares copias postulabant, mittuntur eo, qui se Danicum fingendo præsidium, prælatis, quæ forte nuper eripuerant, vexillis, oppidanos fallerent. Ita insidiis doloque capta Christianopolis, incendio deletur, incolarum plerisque necatis. Vicissim Sueci classe à Danis spolianturi, terumque expelluntur, quod receperant, Calmariensi oppido. Qui justi prælii copiam non facerent, obsidionique solvendæ impares viderentur, Christianus Sommius, qui arcem tenebat, regi eam Danorum tradidit. Ubi CVIII tormenta ænea, & sex armatæ naves, cum omni instrumento bellico, in regis potestatem venere, Augusto ineunte. Secutæ sortem Bornholmia, Olandia, Goldburgum. Carolus impatientius ferens acceptas clades, ad duellum provocat regem Christianum, quasi duorum periculo universum certamen niteretur, sed cum impar ætas, conditio, causa esset regis utriusque, indignabundam provocationem falsæ Rex Danus eluit. Carolus, accedente ad senium & ægritudines mœrore, confectus est sequenti mense, succedente Gustavo Adolfo filio, qui hactenus egregie rem Suecicam administrat. Finiente anno ad Elsburgum, alteram quasi Sueciæ clavem, captæ Suecorum naves pleræque, quam victoriam quinto post mense castelli deditio secuta. Eam regis Dani felicitatem obnubilavit reginæ mors, quæ enixa anno hujus ævi nono Fridericum, 1612. Verdensem postea Episcopum, undecimo ineunte Ulricum Suerinensem, mox duodecimo laudatissimam vitam beato fine clausit, ingenti hisce regnis sui desiderio relicto. Rex ipse pene interceptus insidiis, Franciscum Rantzovium, Christ. Barnecovium, Stenonem Rosensparrum, alioque nobiles non paucos, luctuoso quidem privatis domibus, sed felici patriæ prælio amisit.

Initium ejusdem anni funestavit obitus Cæsaris Rudolfi, quem semestri spacio inopinatum Christiani II Saxonis funus præcesserat, sequebaturque Ernesti Colonienſis. Hujus Septemviratum Ferdinandus Bavarus, istius Joannes Georgius frater susceperit. Cæsare vivo ac vidente, Hungariam Austriamque Matthias frater artificio quodam in se transtulerat, quibus & Bohemiam, paucis ante mortem ejus mensibus, adjecit. Etenim miles Leopoldicus, qui ruendæ administrationi Juliacensi scriptus, ac postmodum ad IX peditum, IV equitum millia auctus fuerat, invaserat Bohemiam, Buduisium astu, Pragam minorem vi occupaverat. Inde adventante in auxilium Bohemis Matthia, jam ad subitas hasce impressiones frementes, Cæsar tradere ei Bohemicam coronam, annuaque pacisci pensiones adigitur. Exercitus Leopoldicus, gratia metuve Matthiæ fractus, repræsentato sibi stipendio, demigrat. Rudolfus prægnante jam dissidiorum civilium Germania, derepente in fata concessit, imperio functus annis XXXV, immensa vi auri in thesauris relicta, majori pacis publicæ desiderio. Princeps cætera eximius, sed matrimonii abstinens, liberiorique, quam fas erat, Veneri assuetus, culpam haud modica dignitatis jactura luit, insuperque liberis orbus legitimis, dum fratres, Matthiam, Maximilianum, & Albertum similiter relinquit orbos, patruelem denique hæredem habuit. Hac sc. occasione fœcunda Maximiliani regia ad Caroli, fratris ejus, stirpem devolvitur, qui è Maria Bavara quinque filios, decem filias procreaverat, quorum Ferdinandus natu

Spond. in auct. Cal. vis. in Chr. Eman. l. 29.

natu maximus tempore, quo hæc scribimus, Augustum apicem inter perpetuas Germaniæ turbas tenet.

Biennio ante Rudolfum decesserat Fridericus Palatinus, hærede filio cognomini, qui tutore usus Joanne Bipontino (licet Philippus Guilelmus Neoburgicus septemviralem tutelam sibi assereret) Elisabetam, Jacobi VI filiam, sibi junxit, nobisque inter alios spectantibus, pompoſo apparatu deduxit Heidelbergam. Sed id quidem anno hujus seculi XIII accidit, quum jam Cæsar Matthias Germania potiretur, Dacia Gabor Bethlemus.

Cæterum superstite adhuc Rudolfo, in Transylvania res varie nutaverant. Batorio Valachiam pene eripuerat præfectus Radulensis, ejusque ad Cronstadium fuderat copias. Inde Forgatscio creverat audacia in Transylvaniam movendi, & Claudiopoliu, aliaque loca munita, redigendi sub Matthiæ regis dominium. Verum, (quæ est bellicæ sortis inconstantia) rursus à Batorio profligatus, compulsusque in sylvas Forgatscius, quum varias pertulisset miserias, recesserat in Poloniam, quando Sutschius à Polonis dimittebatur, ut Moscoviam eis subjiceret, irrito consilio. Poloni namque à Russis acri ad extremum prælio victi, etiam Smolensco rursus excideruntBatorius Austriacis semet, Turcarum odio, applicans, Gabori viam ad principatum capessendum Sultanico patrocinio aperuit. Dicenda nunc eruditorum funera, quibus primordia hujus seculi caligarunt. Res sane præclaras tentarant aliqui.

Acta Colloqu. Ratisp. Colloquio Ratisponensi, erat disceptatum, si convenire in principiis fidei Romanenses cum Protestantibus possent. Philippus Heilbrunnerus & Ægidius Hunnius contenderant, *eloquia Dei scripta esse ideo, ut normam præbeant sola omnium ad æternam beatitudinem credendorum, judice secundum ea controversiarum Spiritu Sancto.* Sed contra Jacobus Cretserus, Albertus Hungerus, Adamus Tannerus, judicem litium constituerunt Romanum Pontificem, legem & normam non solas literas divinitus inspiratas, sed & traditiones viva Ecclesiæ voce traditas. Sic, controversia in ambiguo relicta, discessum. Secutæ anno hujus seculi secundo mortes Francisci Junii Galli, Danielis Tossani, Guilielmi Perkinsi Angli, Casparis Peuceri Medici & Historici, Pauli Melissi Franci, Joannis Passeratii. Anno MDCIII, Ægidii Hunnii, Theologi Wittebergensis eximii. Sequenti, Syriaci Spangenbergii, Christophori Pezelii, Lucæ Osiandri Theologorum, Jani Douzæ, arte & Marte præstantis Batavi, Oberti Gisanii Sicambri, Hieronymi Mercurialis Forojulienſis, Melchioris Junii Argentinensis. Anno MDCV longævam senectam absolvit Theodorus Beza Vezelius, quem Spondanus Calvinianorum Calipham dicit. David Paræus, elevata inter Lutheri & Calvini sectatores lite, concordiam utriusque persuadere frustra studuit. Sextum annum Justus Lipsius, varia literatura nobilis: Septimum Cæsar Baronius Cardinalis, Georgius Mylius & Lucas Trelcatius, Theologi, Joannes Reinoldus Anglus, Otto Casmanus, Martinus Crusius, decessu insignierunt. Octavum Arnoldus Huitfeldius, Danorum Historiographus & Cancellarius, & Philippus Nicolai, Pastor Hamburgensium clarissimus. Initium anni noni funestavit mors Josephi Scaligeri, rarissimæ eruditionis viri, & Caroli Clusii, Botanici. Decimus rapuit Amandum Polanum, insignem inter suos Theologum. Valentinus Smalcius, Christophorus Ostorodus, Georgius Enjedinus, & alii, infaustum Fausti Socini magisterium sequentes, sopitam multis seculis Photini hæresin ab inferis in lucem revocarunt. Quidam, sumpto fratrum Roseæ crucis titulo, incredibilem perfectionem & scientiam omnium artium, Magiæ præsertim, multis libellis professi, nihil dum humano generi certæ salutis aut notitiæ de se præstitere. Fama de iis aliquot annis jactata in tenebras, è quibus emerserat, recidit. *Catech. Racav.*

MATTHIAS Imp. Romanus.
ACHMETES Turcicus.
OSMANES vel OTHMANNUS II.

An. Christi 1612.

Eman. Metr. lib. 30. Octav. de Str. in Ma. Henr. Spond. in Auct. Annal. Mate. Schad. in Cont. Sleidan. Calvis. in Chr.

MAtthias præsenti omnium Electorum. (præterquam Brandeburgici) suffragio creatus Imperator, statim Augustalia sumpsit, redimita simul diademate Anna Tirolensi, conjuge & consobrina sua, religionis majorum perquam studiosa, quæ tribus ante maritum mensibus decessit sterilis. Cum aulam Cæsar Praga Viennam transtulisset, indixit Ratisponæ comitia, quibus ipse interfuit, memor, quam parum proximis per Ferdinandum Archiducem Rudolfus effecisset. Hic vero Protestantium plerique omnes, demto Electore Saxonum & Ludovico Hassio, (quorum ille exclusus Juliacensium terrarum possessione, hic à Mauritio patruele præfectura exutus Marpurgensi, alieniores se à fervidis reliquorum consiliis gerebant) multis modis onerari Euangelicos queruntur, dum summi tribunalis judices seu Spiræ, seu in aula proscriptiones aut alias pœnas in eos facile decernunt, adversæque religionis principibus executiones committuntur. Postulant instantius, ne deinceps numero valeant vota, quod ea ratione in promptu habeant Pontificii ordines in ordinem cogere Euangelicos; sed ut æquabile jus decidendi sit penes utriusque partis suffragatores. Quum parum aut nihil impetrarent, seque à consultatione publica, quoad querelis esset satisfactum, pervicacius subducerent, crevit discordia procerum; à comitiis re infecta discessum est, nisi quod plurium arbitrio decreta est symbola ad propulsandum bellum, quod Turca Achmetes Transylvaniæ inferebat. Etenim accusato apud Sultanum Batorio, quod cum Cæsare faceret, eique tradere Daciam niteretur, primo Andream Gretzium Turca, inde Bethlemum Gaborem, suis viribus constituere fiduciarium Dacorum principem parabat, neque fidas in Pannonia servare inducias videbatur. Atque Batorius sane, Saxonum in Dacia reliquias crudeliter habendo, dum promiscue quosvis perfidiæ suspectos ad supplicia rapuit, plus terroris, quam virium roborisque circumferebat. Quare profligatus à Gabore, auxiliis instructo Turcicis, paulo post Varadini suorum proditione interiit. Gabor Lippa, aliisque munitionibus traditis, Turcam; dataque obsequii fide, Cæsarem placavit. Ne bellum in Pannonia renasceretur, Arabum opportuna seditione factum est, qui Adenum Sultano ademere; Emiris Saidæ (is è Godofridi Bulionæi posteris se ferebat) filio Damascenum quoque purpuratum ingenti cum strage proturbante. Erat autem tempus illud terræ motibus, eluvionibus, procellis, chasmatis, prodigiis, incendiis nimiis portentosum, *unde cordati accensam in mortales Dei iram, perspicue ominabantur.* Et vere in Germania Juliacensis ditio erat pomum Eridos inter principes. In Gallia conjugium Ludovici regis cum Anna Maria Austriaca, Hispana principe; viciſſim Philippi IV, Hispaniæ hæredis cum Elisabeta, Galli sorore; In Italia, ex morte ducis Mantuani, Monferratense territorium inter Sabaudum & Mantuani fratrem, dissidiorum fomitem ministrabat.

1613.

In Septentrione quidem nostro, captis à Rege Christiano Calmaria & Elsburgo, præcipuis Suecorum ad Balthicum & Hesperium mare propugnaculis, at post prælia atrocia, à felici victoriarum cursu pestilentis contagii vehementia retrahente, pax tandem redintegrata est; ea lege, ut deleto Lapponum titulo, Rex Suecus, veteri ut dominio, sic elogio acquiesceret, in belli sumptus Dano regi solveret duodecim auri tonnas, ut vocant, & dum id debitum luit, Elsburgum relinqueret pignori, reliquis interim oppidis ei redditis. Exinde fida inter utramque gentem pax foret; quæ hactenus maximo utriusque commodo servatur, *regibus ipsis mutuo virtutum, bellicæ præsertim magnanimitatis, & purioris*

ris religionis adſpectu, inſolitam fere majoribus ſuis, ſed optatiſſimam ſemper plebi utiliſſimamque amicitiam colentibus.

In Aſia Achmetes, compoſito aliquamdiu cum Parthis bello, Hollandos admiſit in fœdus, quorum legatus Cornelius Hagius exquiſito Byzantii apparatu exceptus, commerciorum immunitatem, & captivorum dimiſſionem de facili obtinuit, Hiſpanorum crediderim odio, quibuſcum fere perpetuum Turcis diſſidium.

Suppl. Metr. lib. 31. Spond.

Erat & in Mauritaniam intenta Turci aula, ubi à ferro ad magicas artes deventum fuerat. Ingens enim Sidanis, Marocci regis, exercitus parva magi manu ſtratus eſt, regnumque mago ceſſit. Sed rex alium nactus ejuſdem artis gnarum, rurſus priorem devicit, qui tamen inſtaurata incantatione, denuo potitus Marocco, credulæ plebi ſpeciem vatis præbuit. *Sic ludunt Dæmones inter ſuos aſſeclas in perniciem infelicium animarum.*

Neque Gallia immunis fertur earum fuiſſe fraudium. Ibi Marchio Ancræus, repente collecta reginæ & invidioſa ſane gratia, incantamentis fertur effeciſſe, ut omnes præ ipſo principes parvi eſſent. Magiſter equitum Franciæ creatus, domo ipſe Florentinus, regem, qui nondum in ſuam tutelam perveniſſet, regnumque fere habebat in poteſtate, ærario deutebatur, leges pro arbitrio figebat, refigebatque. Ea cauſa Henrico Borbonio Condæo principi, Henrico Bullionio, Nivernio, & aliis regiæ proximis, ſeceſſionis fuit, & tumultus inteſtini. Cumque tandem promulgatio Tridentini concilii toties eluſa, urgentibus, qui Italicæ & Pontificiæ factionis erant, exiſſet in vulgus, à multis eſt reclamatum. Curia Pariſienſis delenda ſanxit Marianæ, Fr. Suarezii, Bellarmini, & aliorum ſcripta, quibus poteſtas Pontifici regis abdicandi datur.

Cardinalis Peronius, cum clero & nobilitate pleraque, autoritatem concilii aſſeruit, Jacobo Anglorum rege Peronium valide refellente, Hugonotiſque regnum peregrinæ tradi poteſtati, præter majorum inſtituta, haud vane contendentibus. Sed cælis Condæi copiis, 1614. Ancræi prævaluit factio, ad ultimum exitio ejus finita & Condæi captivitate. Interim Aquiſgrani & Coloniæ Pontificiæ partes, Francofurti & Vormatiæ Judaicæ, factioſè impugnabantur, grandi ſeditioſorum malo. Aquiſgrani multis jam annis diſſidia ferbuerant. Senatus è Pontificiis (qui ſe Catholicos appellari malunt) ſuppletus, abdicatis Proteſtantibus, omni ſacrorum eis exercitio tam domi quam foris interdixerat, punieratque recuſantes. Id cives inſuetam ſervitutem interpretati, quod nec audirentur in curia, urbis per tumultum à plebe excitatum potiuntur, Jeſuitas ejiciunt. Intercedentibus deinde Julia- 1614. cenſium terrarum poſſeſſoribus, legatiſque Francicis, concordia ſarcitur, ſed qua priſcæ religionis ſenatus teneri nollet, novique patres in curiam adſciſcerentur. Ea diſcordia proſcriptionis fulmen Cæſari extudit. Similiter Coloniæ multi, ſacro ſuo prohibiti, Mulheimum, quod altero ab urbe lapide Juliacenſium muniebatur auſpiciis, ſeceſſerant, frequentiaque novæ civitatis (ut habebatur) & metuendum robur, Agrippinenſibus accenderat æmulationem, privilegiis cautum ſibi jactantibus, ne ea vicinia urbs ad Rhenum conderetur. Re literis plurimum diſceptata, interdicitur & principibus, Brandeburgico inquam & Neoburgico, ædificatione Mulheimi, & civibus deſtructio imperatur ab Cæſare, cunctantes proſcribuntur.

Dum ea lis tenet, Wolfgangus Guilelmus Neoburgicus, & Georgius Guilelmus Marchio, Electoris filius, cognati principes, ſuper poſſeſſione maternarum ditionum diſſidere animis, mox & religione cœpere. Ille ducta Magdalena Bavara, ad Pontificios ſe applicat, hic ad Calvini ſectatores. Ille munit Duſſeldorpium, hic Batavorum

rum manu Juliacum. Cæsar, mandata Alberto fratri executione sententiæ, adversum Aquisgranenses latæ, oleum igni affudit. Neoburgicus Mulheimum destruendo, parere edicto Cæsaris, Elector Brandeburgicus ejusmodi proscriptiones, quasi præter leges imperii evulgatas, rescindi postulare. Interim Spinola Aquisgranum occupat, restituit senatores; fugiunt Euangelici, qui remanserant, puniuntur. Mox & Mulheimum excindit idem: Vesaliam, insigne ad Rhenum fl. oppidum, aliaque Juliacensis dominii loca, pro Neoburgico subigit. Vicissim Mauritius à Brandeburgensi evocatus, Emericum, Retzum, & Marcani comitatus pleraque. Dum ille ad Retzum hæret, Vesalia à Ludovico Velasco, contra quam convenerat, copiosum alere præsidium trium millium cogitur; Neoburgicus, exstincto patre Philippo Ludovico, Romanensium suis in ditionibus instaurat cultum, Brandeburgensis in suis (ut quam longissime ab eo recederetur) Calvini mum præscribit, adeo in alteram declinantes ambo partem, ut subditis ægrescerent animi intemperie principum, ac Berlini fere ad seditionem prosiliretur, tumultuante admodum plebe, ad ritus Lutherani immutationem. Francofurti oborta ob Judæos seditio, uti & Vormatiæ. Illa atrocior,& cum manifesto Cæsaris conjuncta contemptu, Fetmilcho & aliis capite stetit: hæc mitior, nec ratione sua carens, Friderici Septemviri vigilantia sopita, atque paucorum exilio finita est, Judæis, quos cives ob immanes usuras exegerant, urbe abstinere jussis. Qui Francofurtum quidem pompose sunt reducti, haud sine Christianorum opprobrio, *exitiale illud Reipublicæ virus suopte passim gremio foventium.* At Salinis Thuringorum emersit haudquaquam tolerabilior Stifelii & Ezechielis Methi blasphemia, qui se maximum illum Michaëlem & immortalem, Deique verbum jactare ausus, experimento ipso miserum se mortalemque demum didicit. Valentinus vero Smalcius, sparsis hinc inde Socini suisque libellis, Christum Jesum æternam habere Deitatem pernegavit. Cui sectæ, quamquam ex omni Christianorum classe valide contradicitur, Sarmatia tamen Daciaque vires hospitiumque præbet. Ac *nisi vigili doctorum calamo obviam argutiis esset itum, novitatis avidæ fluxique ingenii juventus, inauditum majoribus Christianismum imbibisset.*

Interim Turca vicennales cum Cæsare renovat inducias, haud levi Cosacorum agitatus injuria. Illi enim præcipuas interioris Moschoviæ urbes anno XIII perpopulati, quum & Tartaris graves intulissent clades, Turcarum in Ponto Euxino XXIV triremes cremarunt. Quin & irritatiores, ad Sultani expostulationes, Thraciam ipsam percursant, pene usque ad mœnia Byzantina prædabundi, Najagensium Tartarorum diripiunt terras, Bithyniam vastant & Paphlagoniam, Trapezuntem cum portu, armamentario, triremibus evertunt; Sinopen Ponti incendunt, opimaque præda ditissimi recurrunt in Sarmatiam. Ea damna cum sarciri Achmetes à rege Polono poscret, ille se insscio illata respondit. Ne ergo ferrum in Polonos stringeret, Persarum regis in Asia felicitate est præpeditus, qui defectione quorundam Sultani purpuratorum usus, late Turcicas depopulabatur provincias, & Georgianorum regem, Sultano adhærentem, principatu pene suo multabat. Neque fortunatior Turcis annus XVI illuxit, quo terra sunt marique cæsi. Ab Hispanis quidem in mari Mediterraneo, simulque à Florentinis & Melitensibus: tum vero in palude Mœotide à Cosaccis; Denique à Persis in Asia, ubi XI eorum millia peste ferroque occubuerunt. Vicissim tamen assumptis Tartaris, incubuerunt copioso agmine in Podoliam, magnasque ibi prædas egêre. Post quæ Achmetes, anno tyrannidis XIV fere expleto, in locum suum migravit. 1615. *Spond. Metr. lib.* 32.

Eadem tempestate Russia ancipiti à Suecis Poloniscque bello vexabatur. Multi *Spond. Calvis. in*

Russo-

Append. Suppl. Metr.

Russorum sub Polono merebant, Vladislao ejus filio Moscoviam acquisituri, quorum comperta ex defectu stipendii seditione, Tartaris audacia surrexit in Podoliam irruendi. At placati tandem auro & promissis Moschi, tres popularium suorum profligant exercitus, Neudam pro Polonis intercipiunt, ex alia parte Suecis Plescoviam ad deditionem adigentibus, quibus postmodum & alia Russorum oppida accessere. Mosqua à Polonis crematur. Iis cladibus fracti Russorum proceres, posita tandem inter se æmulatione, unum è suo corpore principem constituunt, Michaëlem Federovitium, missisque legatis, Polonum regem & Cæsarem pacem orant. Annuit Cæsar, Polonus annuit.

Subinde arsit & Italia bello, ex Franciſci Mantuani ducis obitu. Ferdinandus enim Gonzaga, frater defuncti & Cardinalis, abdicato pileo, conjugem quærens, ditionem avitam apprehenderat, à quo Carolus Emanuel Sabaudus repetebat filiæ suæ, quondam Francisco nuptæ, dotalia, & Montisferratensem Marchionatum. Mantuanus, Mediolanensi subnixus, Producis Hispani subsidio, Montisferratum sibi asserebat, coactoque exercitu, Hispanicas Allobrogi objectabat vires; quas ille viriliter sane sustinuit, donec pace quadam interposita, Mantuanus se dotem Margaretæ persoluturum reciperet, reliqua lite arbitris permissa. Sed cum Hispanus leges ferret Sabaudo intolerandas, mox acrius resumptum est bellum, plurimumque sanguinis fusum, hinc Helvetiis Gallisque Sabaudo, istinc Hispanis Italisque Mantuano opem ferentibus. Vercellas tandem Produx Hispano expugnavit, cum vicissim Sabaudus multa Mediolanensis ducatus vastaret loca, nec modicis hostem cladibus multaret. Ad postremum anno XVIII hujus seculi, restitutis utrinque, quæ armis occupata fuerant, transactione discordia solvitur.

Celerius positum, haud minori gestum ardore est Brunsvicense bellum in Saxonia.

Henricus Julius id olim imperante Rudolfo intermiserat, Pragamque profectus proscriptionis fulmen in Brunsvigos ab Cæsare impetrarat. Ibi postquam debitum naturæ morbo exsolvisset, Hannoveræ propemodum pax coiit inter Fridericum Ulricum, ducis filium, & civitatum legatos, quam sola denegatio clavis, qua dux portam unam Brunsvicensium pro lubitu sibi aperiret, abrupit. Mox ergo Brunsviga à duce obsessa, æstate media anni XV. cadentibusque utrinque plurimis, obsidentium, ut ajunt, XIIM, obsessorum tribus M. Vix tandem exeunte Octobri sopitæ sunt contentiones. Durante obsidione, implorata Batavorum auxilia Hervordiam, & Ravensburgicum comitatum pro Brandeburgico invasere, prætendentes (id quod res erat) pactionem, quam principum Juliacensium legati, de partienda terrarum administratione & usufructu inivissent, Spinolæ aut Hispanorum artibus elusam. Receptis vero in urbem Brunsvigam subsidiis, Kalendis Septembribus felici eruptione est pugnatum, qua Michaël Victor Vustrovius, qui ducem ad belli consilia maxime incenderat, dum Ulprensi munitioni festinat subvenire, cecidit. E vestigio Rex Daniæ suam interponit operam, ut res ad dierum aliquot inducias, & ex induciis ad pacem devolvatur. Quod dum agitat ipse, Brunsvicensibus auxiliares submittuntur copiæ per Joannem Georgium Solmensem, & mox per fratrem ejus Fridericum, Hansæ fœderatæ ducem, qui per ictus & vulnera in urbem penetravit, fratre Joanne Georgio ab hostibus intercepto. Denique convenit, ut civitas more majorum sacramentum duci diceret, aboleretur proscriptio, prisca inter ducatum & urbem commercia instaurarentur, si qua supereſſent litigia, non ferro deinceps, sed jure discepterentur.

1616. *Suppl. Metr. lib. 33 & 34.*

Hanc ſane viam aliquandiu & Veneti inſtiterant, ab Uſcochis Croatis terra marique latrociniis vexati, è parvis ſæpe ſcaphis magnas naves deprædantibus. *Malebant enim nocendo aliquid omittere, quam cum detrimento Reipublicæ ſuæ hoſtibus nocere.* Verum quum querelis nihil efficeretur apud Ferdinandum Archiducem, atrox ſuſcitatum eſt bellum, Ferdinandi partes Cæſare & Hiſpano ſublevantibus. Gradiſca maſcule adverſus Venetos defenſa à Trautmanſdorfio; cæſus Pompejus Juſtinianus militiæ Venetæ magiſter, rurſus à Joanne Medice Trautmanſdorfius.

Altero belli anno Joannes Naſſovius valida adduxit Venetis Batavorum auxilia, ſed qui Italicarum inſueti artium, varia cum incuſatione Venetorum, plerique in patriam revolarunt inglorii. Interea Ferdinandus à Matthia Cæſare, ſuffragantibus ejus fratribus, Alberto & Maximiliano, veluti adoptatus, Bohemis rex datur ea conditione, ne vivo Imperatore gubernationi ſe immiſceat. Diademate inſignitur, cum Cæſare, Maximiliano Archiduce, & Melchiore Cleſelio, jam Cardinali, Dreſdam advehitur ad Saxonem Septemvirum, ab eoque apparatiſſime excipitur multis diebus. Inde Sileſii, Moravi, Luſati, in verba ejus jurant. Grandibus vero acceptis bello Veneto, illatiſque viciſſim damnis, ad pacem inclinantur animi bellantium, quæ Cleſelio annitente concluſa, anno hujus ſeculi XVIII. Uſcochis advenis & ſtipendiariis, qui prædones ſe potius, quam milites agerent, Senga pulſis, urbs illa Teutonum præſidio à Ferdinando commendata eſt.

1615. Dum hæc aguntur, novæ Concini Ancræi molitiones in Gallia perniciem homini admaturarunt. Etenim Longevillanus, Bullionius, Maynius, aliique principes, pace nupera freti, poſtquam libere Pariſiis verſantem Condæum, abreptum in cuſtodiam Ancræi artibus accepiſſent, ſubito diſceſſerant ab aula, proſcriptique erant à Rege. Pariſienſes incitati rei indignitate, Ancræi domum ac theſauros diripiunt, ægreque à ſatellitio regio placantur. Principes, evulgata populis regni corruptela, cui delendæ juſta arma induerint, per amicos inſuſurrant tandem Regi, exitiales ipſi regnoque futuras Ancræi inſidias, perſuadentque, ne ſuas ac regni florentiſſimi fortunas unius viri cauſa, in dubium devocet. Quos cum adæquaret Ancræi apud reginam matrem gratia, negotium ejus capiendi necandive datur Vitrio, prætorianorum præfecto, qui hominem ſuperbum palatium ſubeuntem ſiſtit, manumque jam admoventem gladio, ſclopetis transfigit. Cum cædes enotuiſſet, civitas, quæ propter odium ex ejus caſu fructum oculis capere vellet, clam humatum corpus tumulo extrahit, perque omnia volutatum ludibria, tandem redigit in favillas. Uxor Ancræi, diabolicarum revicta artium, ſuſpendio periit. Corpus igni crematum. Ita paucorum interitu dira Galliarum tempeſtas conquievit. Regis ſtatim deferbuit in principes ira, & illorum renovatum eſt ultro obſequium. Regina mater, abdicata regni adminiſtratione, Blæſas conceſſit, retento in cuſtodia Condæo, ob linguæ intemperantiam. *Spond. in Auct. 1616.*

Ut Gallicanam felicitatem Ancræana factio, ſic Batavicam armata ſuper religione diſſidia perturbarunt. *Summa namque virtutis eſt, in ſecunda ſervare fortuna modum.* Redemerant jam Belgæ fœderati Fliſſingam Brielamque ab Anglis, quibus ea oppida, Eliſabeta regnante, arctis rebus ſuis, oppigneraverant. Apud Indos Orientales, Spilbergio & aliis ducibus, res Batava ſuperior paulatim evaſerat. Quin & Saxonicæ urbes, Lubeca, Brema, Hamburgum, Roſtochium, Straleſunda, Viſmaria, Magdeburgum, Brunſviga, Lunæburgum, Gryphiſvaldia, in fœderis duodecennis communionem venerant, obſtrictæ ad commerciorum libertatem, communibus in Balthico & Septentrionali Oceano ſumptibus defendendam. Verumtamen domi

mi vix ferendæ libertati erant animi plu-
Suppl. Metr. lib. 33. rimorum. Amsterodami involabatur in ædes, quas sacro suo Arminiani destinaverant. Delphis nec mulieres temperabant manibus.

Cognito enim, vectigal vini minutum, auctumque frugum esse, impetum in curiam fecêre. Ibi pecunias ex frumentis factas effundunt, viros seditionem inhibituros redigunt domum, senatum, ut arbitrio suo vectigal recidat, compellunt. Opusque exercitu fuit, quo muliebris vindicaretur audacia, ut pene Amazonum diceres prælia integrata. Quam bellaces & nonnullæ in Venerem sint, unius discas exemplo, quæ in vicino Amsterodamensibus pago Sloterdica, viginti quatuor ex ordine maritis nupsit. Vicesimo quinto, Ditmarso viro, superstes tandem esse desiit.

Cæterum Arminiani, impares se conspicati adversariorum viribus, & Synodo, quæ instituebatur, diffidentes, prævertendum periculo, autoratis hinc inde aliquot militum signis, censuêre. Ultrajectinorum, Leidensium, Harlemensium imprimis id consilium erat, autoribus, ut ferebatur, Joanne Barneveldio, viro summæ apud Batavos autoritatis, Joanne Utenbogardo presbytero Hagiensi, Adolfo ab Wale, Ægidio Ledenbergio, Rumoldo Hogerbetio Syndico Leidensi, Hugone Grotio Roterodamensi, & aliis, qui cuique Ecclesiæ id juris esse contendebant, ut suo arbitratu Pastores sibi legeret. Atqui celeritas Mauritii, Principis Auriaci, Ultrajectinos excubitores oppressit, exarmatæque civitati rectores dedit ab istis consiliis alienos, conspirationis incentoribus in vincula abductis. Quæ res Remonstrantium plerisque animos demsit. Incessit & nautas æmulatio.

1617. Jacobus Lamaire & Guilelmus Schoutius Navarchi, novo itinere ad Moluccas evaserant, reperto ultra Magellanicum fretum alio maris & insularum anfractu. Eorum navem & merces reliqui in India negotiatores Batavi detinuere, quod privilegio cautum esset, ne, qui à societate alieni, in istis tractibus mercimonia exercerent. Nautæ hi biennio quinquies perambulato æquatore, in Hollandiam remearunt.

Necdum deflagraverat, quod indicavimus in Russia certamen. Poloni Smo- *Suppl. Metr. lib. 34.*
lensicum tuentes, eruptione in Russos præsidenti, octo eorum millia deleverunt, ceperunt duo. Amotæ sunt urbe Moschorum legiones. Inter Suecos vero Russosque pax coiit, interveniente Britannorum regis legato. Dictæ leges, ut Novogardia, Stavarussa, Porcovia, Ladga & Augdovia redderentur Michaëli, Russorum Exarcho: Gustavus Adolfus, Suecorum rex, Ivanogrodam, Jammam, Caporiam, Noteburgum, Keckholmiam sibi retineret. Neuter arma auxiliaria Polono alterius incommodo ferret.

Eodemque temporis tractu, Pernavia *Calvis.*
& Vindavia Livonum Suecis captæ sunt; Dunæmunda iisdem à Farensbeco tradita. Sed eo mox mutante, copiæ Suecorum exponuntur Polonis cædendæ, Rigæque obsidio solvitur.

Multas terras bello intactas divina ma- *Spond.*
nus flagellavit. Barcinone & reliqua Catalonia velut novo inundata diluvio, multa hominum millia interîre, oppidis pagisque unda absorptis. Mitius ex igni passim acceptum damnum, quod Viennæ, Pragæ, Ossatii, Paderbornæ, Fuldæ, Isenaci, Tangermundæ, & alibi in tecta grassatum, hominum fere capitibus pepercit. Quare talium damnorum minor nobis narrandi cura.

Id vero tacendum minime, quod in Othmanidarum regiam horrendus incubuit turbo. Cum enim summus Vezir funestum Turcis cum Persa bellum duceret, Achmetes moriens, Mustaphæ fratri, qui in cella reclusus orationibus vacaverat, gubernacula tradidit dominatus. Vixerat *Nicol. Vassen. parte 6. Hist.* annos xxx, denatus anno MDCXVII. Præter Circassidem Sultanam, concubinas alens ad cccc.

Mustapha prælatus fratris sui Achmetis filiis, justa ei facit, Turcicum conscen-

dit solium. Mox invisus austeritate, & tantæ moli impar creditus, post menses tres in pristinum redactus est carcerem. Osmanes duodecennis, ineunte anno XVIII, Turcicum in thronum evehitur, fervidissimi ingenii adolescens.

Eo qui præcesserat anno XVII, quod secularis esset renato per Lutheri manum Euangelio, visum erat plerisque gratias Deo exsolvere solemnes, pro conservata inter tot potentes adversarios luce Christianismi. Unde jubilæum dixere Euangelicum indignantibus admodum Pontificiis, velut re bene gesta Pæana canere Protestantes, & nova inter se cudere fœdera. Tale enim tunc Heilbronnæ inter pleroſque superioris Germaniæ principes coierat, Westphalici præsertim circuli adspectu, qui pene jam avulsus ab imperio, conniventia Cæsaris, videbatur. Quare meditata dudum consilia de minuendis, destruendisque Euangelicorum viribus, hoc velut cantato classico, erumpere in nervum cœpêre, Paulo V. ad id quoque suum populis Jubilæum promulgante. Secutus est extemplo annus (quem vere possis ejuleum appellare) multis cœlestis iræ signis formidabilis, quo & belli fax è Bohemia erupit, toti Germaniæ ac finitimis provinciis feralis, & fax diri syderis luxit in cœlo, iniquitati hominum supplicia denuncians. Ac stupendum in Rhætia emicuit, rarissimumque divinæ indignationis exemplum, quo rupes altissima, Dei absciſſa manu, vesperascente XXV Augusti die, Pluram oppidum uno momento ita obruit, ut ictu oculi ad sesquimille homines interirent, nec oppiduli vola aut vestigio relicto. Loco castelli lacus jam apparet, sesquimilliari Italico longus. Lutetiæ palatium de cœlo tactum conflagravit, antiquitatesque & statuæ regum in igne consederunt.

1618.

Joan. Petri Gruteri in Chr. Vallis Telin.

Suppl. Metr. lib. 35. Mich. Lund. lib. 1. de bello civili Germ. Spond. in Auct. Baron. Apol. Bohem. major. Calvis. in App.

Nec tamen iis emendati signis mortales, ut præcipites semetipsos in pœnas agere scelerum suorum reformidarent.

In Pannonia & Bohemia, libertas religioni Potestantium data, male imprimis habebat Ecclesiasticos, Romanensibus addictos. Per eos templa quædam, recens ab Euangelicis structa, Brunoviæ, & Clostergrabii, aut occlusa erant, aut æquata solo. Id proceres, qui à Romanensi Christianismo discesserant, adversari legibus, ab Rudolfo & Matthia latis, contendebant. Præsul contra Pragensis & Abbas Brunovienſis, suo in territorio, nullum aliis ædificandi jus esse, ac proinde recte punitos suæ ditionis Protestantes. Cæsar appellatus, non obscure Præsulibus favebat. Qui cum per id tempus Viennam abiisset, coronationi Ferdinandi in Hungaria propinquior futurus, Magnates Protestantium comitia indicunt, ut de conservatione acturi religionis suæ. Id diversæ factionis proceres mali esse exempli aiunt, Cæsaremque inducunt, ut misso diplomate, adversum suam majestatem hæc agi conventicula extemploque dissolvenda, pronunciet, pœna abnuentibus indicta. Asperatis per hæc procerum animis, facinus illi concipiunt nullius exempli, conscensaque arce, Guilelmum Slabatam, & Jarislaum Bazitam, alias Smesancium, cum scriba Philippo Plattero, proditores declarant patriæ libertatis, ac nequicquam ad causam, coram tribunali Cæsaris dicendam, se offerentes, corripiunt statim, deque fenestra in subjacentem præcipitant aream, quibus tamen vitam incolumem divina benignitas texit. Mox Adamo Sternbergio, summo arcis regnique custodi, milites apponunt, placatoque à Matthæo Turrensi populo, Pragensium oppida accipiunt in fidem, Jesuitas, ut qui tubæ dissidiorum essent, Bohemia exigunt. Neque segnius exaratæ ad Cæsarem, editæque in vulgus literæ, quibus hæc uti jure facta prædicabantur. Cæsar contra seditiosum dicere facinus, exhortari principes, ne qui auxilio eant, vetare collectionem exercitus, polliceri, si desistant vim parare Bohemi, se quoque milites non scripturum.

Chron. Acta imper. pub. Lund. part. 1. De bell. Bohem.

rum. Ni pareant, non defore copias contumaciæ pœnam exacturas. Cum & illi vim deprecarentur, seque in officio fore promitterent, nec Cæsar à pacis rationibus plane videretur alienus, tamen audaculi homines, sibique invicem metuentes, quod jam sibi ipsi judicavissent, quo procedendum, aut quid agendum videretur, *adjuvarentque rem proclinatam, ut facinore admisso, reverti ad sanitatem puderet*, toti & mente & animo bellum instituebant. Unde dum Cæsar Tampirio & Bucquojo ducibus, colligit mittitque copias, Bohemi Silesios, Lusatosque allectant in partes, Budvisam, Cæsaris studiosum oppidum, circumdant milite, Crumaviam imperata facere compellunt. Nec pigrior Tampirius, Bistricium intercipit, seque statim in finibus Bohemiæ munit. Neuhusio repulsus, suburbium devastat, deditione occupat Pilgronum. Mox Saslaviam usque progressus majori cum exercitu Bucquojus Comes, majorem dedit strepitum, frustra jam Palatino & Saxone Septemviris, de opprimendo in cineribus incendio, laborantibus. Concursum est ad Saslaviam ambiguo prælio, plurimi utrinque desiderati, Pilsnam Ernestus Mansfeldius Bohemis subegit, affluente eis jam undique turba militum, & Silesiis suppetias ferentibus. Bucquojus tamen fortiter cum Bohemis præliatus, Budvisam assequitur, Crumaviam intercipit grandi Bohemorum malo. Tampirius præda gravis, cum Viennam repetit, à Comite Sliccio argento exuitur & pecudibus. Turrensis Novembri in Austriam excurrit. Protestantibus eorum locorum minus æquis Cæsari, quod ipsis inconsultis id bellum præproperè sumsisset. Inter fœdos hosce tumultus, cum Elector Saxonicus inducias urgeret, quibus durantibus Egræ de pace ageretur, nec eas fideliter à Cæsarianis servari prætexerent Bohemi; cumque Viennæ Carolus Gonzaga Nivernius, Razivilius, Lavenburgicus, Althemius aliique duces, in novum conjurarent ordinem militiæ adversum hæreticos exercendæ, Cæsar Matthias, proscripto Mansfeldio, continua ægritudine conficitur mense Martio, vixerat annos LXII, imperaverat septem, amplioris spei quam gloriæ Augustus. Octo ante mensibus, Melchior Cleselius, à Ferdinando rege & Maximiliano male gestæ Reipublicæ insimulatus, Ereburgum erat deportatus; actumque mox Maximiliani fatum excepit. 1619.

Suppl. Metr. lib. 36.

Eodem tempore Turcis, ulciscendis Cosaccorum injuriis, infusi in Podoliam, præfectum istius provinciæ cum tribus militum millibus fuderunt. In Asia cum Persis atrocissimo congressi prælio, ingentem pertulerunt stragem, sed adeo ipsis cruentam victoribus, ut exinde Parthus Turcicam pacem pensionibus sericarum vestium annuis redemerit. Cœpit & Rhetia, post dirum illud montifragium, intestinis agitari motibus, dum Democratici status eversores proscriptione aut suppliciis multat; exules potentum implorant vindicias, & peregrinis copiis viam sternunt. Veneti quoque suæ proditores urbis magno numero deprehensos, singulari felicitate oppresserunt. Chymicus Italus, qui fraude an incuria Vinarienſem arcem incenderat, insigni damno dato aufugit. *Ca'vis. Spond.*

Cæterum decimo quarto hujus seculi anno, Respub. literaria Groningensi Academia aucta est, diminuta autem, regnante Matthia, permultis magnæ eruditionis viris. Vidimus anno decimo tertio Helmæstadii tumulari Joannem Caselium, literatorem præcellentem. Ad Fridericum Taubmannum, dum ferremus ab amicissimo nostro Joanne Kirchmanno commendatitias, mortuum reperimus Vittebergæ. Eodemque anno Conradum Rittershusium Altorfi reliquimus, animam agentem. Heidelbergæ invisimus Janum Gruterum, Dionysium Gothofredum, Henricum Smetium, sed Joannem Jacobum Christmanum mors rapuerat, quem mox XIV. Marquardus Freherus & Smerius secuti. Tubingæ ab Andrea Osiandro, Mat-

thia Hafenreffero, Joanne Siguarto, magnis Theologis, amanter ſumus habiti: Gieſſæ à Balthaſare Menzero. Decimus ſextus Joanni Druſio, antiquitatis Hebrææ ſcientiſſimo, Scipioni Gentili Jurisconſulto, Chriſtiano Friſio Daniæ Cancellario, emortualis fuit. Ei alius Chriſtianus Friſius, pari virtute & eruditione, ſucceſſor datus à Rege. Georgius Lungius, literis armiſque præcelliens, Equitum magiſter, Albertus Schelius præfectus maris eodem anno creati; Oliger Roſenerantzius, Senatorum adſcriptus numero. Cumque exſtincto Joanne Adolfo Holſato, feudum Scleſvicenſe conferretur ejus filio Friderico, præclara mente atque eruditione principi, auratæ Rex militiæ inauguravit, præter jam dictos, Breidonem, Gerhardum, Dethlevum Rantzovios, Andream Bilkium, Andream Senclarum, Janum Sparrum, Marquardum Peutzium, Ulricum Sondbergium, Georgium Schelium, columina patriæ, decora
1618. Septentrionis. Biennio poſt, fatali illo anno decimo & octavo hujus ſeculi, Ceilanem, Indorum inſulam, quinque Danorum naves luſtrarunt, & Philippus Sigiſmundus, Præſul Oſnabrugenſis & Verdenſis, Hafniæ exceptus exquiſitiſſimè, Friderico regis filio, ſucceſſionem
1619. deſtinavit diœceſeos Verdanæ. Sequentem annum peſtis, & eluviones fœdarunt aquarum, quibus & ſumptuoſiſſimus agger, Oceano cœptus obduci prope Breitſtadium Cimbriæ, ruptus eſt. At Tychopolis Stormariæ vallo & foſſis communita interque Chriſtianum IV & Guſtavum Adolfum reges, fœdus integratum.

In Gallia Jacobus Perronius, magnæ eruditionis Cardinalis, ceſſit vita. Apud Venetos, poſt continuas fere ducum Joannis Bembi & Nicolai Donati mortes, Antonius Priolus, antiquæ prudentiæ princeps, habenas Reipublicæ ſuſcepit.

FERDINANDUS II, Imp. Rom.
OTHMANNUS II, MUSTAPHA, AMURATHES IV. } Sultani Turc.

Anno Chriſti 1619.

FErdinandus II, primi ex Carolo filio nepos, regnorum adminiſtrationem, exſtincto Matthia, inter flagrantiſſimas turbas arripuit, jamque inter malleum & incudem dilatatus tenet. Bohemi proceres primum ejus diploma, quo ſtabilitis regni privilegiis, magiſtratibus à Matthia conſtitutis, ſed per proceres abdicatis, poteſtatem prorogabat, de belli continuatione interpretati, quod & acrius ſimul à Bucquojo & Tampirio comitibus urgerentur, incolas capere arma juſſere. Bucquojus contra, crebris à Budveiſa & Crumavia eruptionibus, terroris Bohemiam implebat, annixus ſtrenue, ne Budveiſam proceres idonea obſidione vallarent. Mox Turrenſis in Moraviam irrumpit, eamque adigit cum Bohemis ſentire, Alberto Wallenſteinio cum manu valida verſus Hungariam tendente, ut auxilia inde Ferdinandicis compararet; at Cardinali Didrichſteinio, Carolo Tſceretino, & Lichtenſteinio principe, nomen unioni vel invitis dantibus. Inde Turrenſis pervagatus Auſtriam Viennæ oſtentat arma, ſuburbium occupat, dieſque aliquot, velut in conſpectu regis, ſtativa habet. Sed dum Auſtrios Proteſtantes Hungaroſque in fœdus ſollicitat, Bucquojus interim, quotidiano militum ex Hungaria, Belgio, Italiaque affluxu validior, Erneſtum Mansfeldium, Bohemorum ductorem, ad Nadlitiam acri certamine profligat, ſubſidiarias Hohenloi cohortes fruſtra implorantem. Victori Theinium, Wittingavia, Fromberga, Roſenberga, aliaque loca munita dederunt manus, qui ſpoliis onuſtus, ingemiſcentibus Bohemis, Budveiſam ovans intrat. Ea cauſa Turrenſi in Bohemiam celeriter revertendi fuit. Cujus recreati adventu Bohemi, prædatorias ſane Valonum & Heiduccorum copias, quibus nec vivis parcere

Supp. Metr. l. 30. & 36. Henric. Spond. in Au. Baron. Mich. Lund.

cere ingenium, nec mortuis, si lucrum affulgescat, passim carpunt: At Bucquojus XVII ductans bellatorum millia, Gretsam, Veitrachium, aliaque oppida cepit deditione, Tampirio adversum Moravos misso. Sic adulta jam æstate, depulsoque Vienna Turrensi, Ferdinandus rex Francofurtum proficiscitur, ubi Joannes Sueickhartus, Septemvir Moguntinus, comitia creando Cæsari indixerat. Bohemis, qui jam leges agitarent novas, in quas rex suus juraret, nihil accidere poterat adversius, quam Ferdinandum, cui regnum ipsi abrogatum ibant, ut regem Bohemum comitiis interesse. Igitur per literas legatosque, ei suffragii jus non esse, qui Bohemiam minime possideat, contendunt. Frustra. Ferdinandus enim non receptus solum à collegio Septemvirali, sed & Cæsar XVIII Augusti die designatus, exeunte mense sacratur. Ex adverso Bohemi, cæsis in Moravia Tampirianis, ejectisque similiter è Silesia, Moravia, Hungaria Jesuitis, recepto simul Theino, & affulgente Palatini Electoris gratia, audentiores, postridie quam Cæsar creatus esset Ferdinandus, regnum ei Pragæ abrogant, Fridericumque Palatinum substituunt, cum interim Electores, decidendæ controversiæ, diem eis Ratisponæ dicerent. Palatinus, dehortantibus graviter Septemviris, & quæ jam fiunt, haud vane prædicentibus, male consultus à suis, arripit diadema Pragæ; mox & Elisabeta ejus conjux, ex regio sanguine regios dudum spiritus gerens. Viciſsim Bucquojus irritatior Pisſecam corona capit, oppidanos omnes trucidat. Renovatur & ab novo Cæsare in Mansfeldium proscriptio, qui nihil exinde placatior, immortales adversus domum Austriacam, sed invalidas concepit iras, circumlatoque passim bello, pernicioſior innoxiis populis, quam Friderico suo utilior fuit. Maximum Ferdinandi rebus damnum Gabriel Bethlemus (dictus patrio idiomate Bethlehem Gabor) Transylvaniæ princeps dedit, qui cum Bohemis conspirans, Hungariæque inhians dominationi, Cassoviam, Fillecum, Posonium, aliaque oppida, vi aut deditione cepit, Pontificios seu Catholicos dire tractavit passim, translataque ad se corona Hungarica, quæ summæ apud Pannonas venerationis, Principis Hungariæ sumsit titulum. Paulo post habitis conventibus correspondentium (sic vocabantur, qui Palatino & Bohemis favebant) Norimbergæ, & Catholicorum Herbipoli, utrobique actum est de modis res suas provehendi, & religionem quam profitebantur, conservandi. Bucquojus commeatus pressus inopia, & à prædonibus Hungaris destitutus, in Austriam declinavit, ubi jam Protestantes, à Pontificiis ordinibus secessione facta, Bohemicam respectabant fortunam.

In fœderato Belgio sub hæc flagrabat inter Remonstrantes & absolutæ prædestinationis defensores controversia. Remonstrantium hi erant articuli: *Electionem ad vitam æternam à Deo, adspectu fidei in Jesum Christum & perseverantia fieri; reprobationem, secundum præscientiam infidelitatis obstinatæ. Christum ex decreto & voluntate Patris pro omnibus & singulis mortalibus redemptionis pretium sanguine suo exsolvisse. Non esse in Deo voluntatem arcanam, revelatæ illi, qua omnium omnino salutem se velle & procurare testatur, contrariam. Gratiæ efficaci resisti posse. Hominem vero credentem excidere sæpe fide, & suapte culpa æternum perire.* Admiscebantur & alia, odium acrius inflammantia. Agitur ergo Dordraci Synodus; conscribuntur & è magna Britannia, Helvetia, Palatinatu, Hassia, & è Rebusp. Genevensi, Bremensi, & Embdana Theologi. Remonstrantes, qui jam sibi judicassent, non parere eorum, quos actores suos hostesque ducerent, decreto, exhibita fidei suæ confessione, interpositaque protestatione, in sententia perstitêre. Damnati sunt ergo erroris, in carcerem etiam missi aliqui; plures patria pulsi, in Holsatia nostra & alibi

Acta. Synod. Dordr. p. 126. 129.

& alibi fixerunt sedes. Joannes Barneveldius septuagenario major, grandibus de patria meritis conspicuus, capite plexus est. Crimina ei imputata sat multa, in quibus præcipuum, quod Remonstrantium molitionibus se ducem ac signiferum præbuisset, eosque tuendi causa, leges fœderis Belgici multifariam violasset, adducto quoque in suspicionem Mauritio, Principe Aurantio, quasi ad absolutum Belgii adspiraret dominatum, cui proinde secretis conventionibus obviam eundum foret. Conspiratorum, Ledenbergius manus sibimet ipse diras attulit: Grotius & Hogerbetius perpetui carceris damnati; bona fisco applicata. Sed Grotium conjux sua, mulier haud minoris in maritum fidei quam sagacitatis, astu inclusum cistæ exportari custodia, locarique in tuto curavit.

In Gallia tristibus læta miscebantur. *Spond.* Victor Amedæus, Caroli Sabaudi primogenitus, Christinam regis sororem duxerat. Regina vero Maria, pertæsa commorationis Blæsensis, ab Espernonio se curaverat deduci Engolismam, inscio rege filio, qui hanc regiæ suæ autoritatis diminutionem interpretatus, exercitu collecto pœnas sumere de Espernonio cogitabat. Sed mitigatus crebris internunciis, Andes permittit matri, ac Condæum restituit libertati. Italum quendam Luciolum, Atheismum docere deprehensum Tolosæ, præcisa lingua vivum exuri jussit.

1620. Ambitur deinde legationibus Gallus, & Cæsaris & Friderici Palatini, jam ingentibus copiis, rem Bohemicam disceptantium. Jam enim in partes transierant Hungari Silesiique.

Lundor. acta public. Cæsar evulgatis diplomatibus, nihili esse Palatini coronationem declarabat, quod nec ab iis facta esset, qui creandi regis haberent potestatem, nec vacante solio facta: Imo, quod nec Palatino conveniret ullo modo ejus diadema usurpare, quem legitimum agnovisset Bohemiæ regem, & Cæsarem cum reliquis Septem viris elegisset. Idipsum jussu Cæsaris, Julius Henricus, Dux Lavemburgicus, & Hieronymus Elverus, apud Regem Daniæ & Saxones contestati, hæreditarium insuper jus Austriacis in Bohemiam esse docebant, quod Bohemi editis libris prolixe pernegaverant.

Cæterum Fridericus rex novus, tam Romanarum in arce Pragensi, quam Lutheranarum alicubi ceremoniarum abolitione, multorum animos offendit. Joan. Christianus Brigensis dux, Lutheri hactenus sententiam de cœna sequutus, Calvini instituta, regemque suum in percipienda Eucharistia, æmulatus est. Inauspicata regni exordia horribilis notavit casus. Wartenbergius Baro Smirsitziam duxerat prænobilem sponsam, sed ex criminum quorundam suspicione captivam, & ab Henrico Slavata, sororis marito, hæreditate spoliatam; mox Gutscinum, oppidum uxoris hæreditarium, occuparat. Ergo Fridericus rex mittit, qui Slavatæ Gutscinum cum arce tradant. Ibi mulier iræ impotens, ad nitratum pulverem, in conclavi quodam absconditum discurrit, militesque eodem introducit. Hi vino depositi, ignem temere in pulverem effundunt, arcem seque, & dominam cum Slavata & delegatis judicibus, uno horribili impetu perdunt, hominum capita ad centum.

Similiter dum Moravos, Silesios, Lusatos, sua in verba adigit Fridericus, novas in Bohemiam cohortes Balthasar Maradas à Cæsare ducit, Meselinum occupat; Bucquojus Mansfeldianos, stipendiorum causa parum morigeros, invadit noctu, magnaque multat strage. Transylvanus cum Cæsare aliquot mensium inducias pacisci tur. Regerit tamen cladem Christianus Anhaldinus, Bohemici exercitus ductor lectus, & Bucquojum Cremsam recedere cogit. Nihil autem atrocius Cosaccis, Polonis auxiliaribus fuit, qui omnia ferro & libidine miscentes, præsertim ubi Euangelium à Luthero instauratum vigeret, multos in sylvas refugos, frigore & fame ad mortem adegêre, plures acinace aut sclopeto;

citra

citra modum ac mensuram, prostravêre, affecti & ipsi vicissim, præsertim à Silesiis & Moravis, strage non una. Hos audacius persequens Baro Felsius, sed sine pedestribus copiis (quæ prætextu cessantis stipendii imperium detrectabant) incidit in Bucquojum, ab eoque haud modicam accipit cladem, suopte auctam exitio.

Talium adspectu motuum, Electores cæteri, præter Brandeburgicum, ex conventu Mulhusino Palatinum flectere ad pœnitentiam student, haud obscure arma ei intentantes, ni Bohemiæ renunciet. Palatinus contra causæ Bohemicæ cognitionem, neque penes paucos Electores, neque penes Archiducem Austriæ Ferdinandum (quicum sibi res sit, non ut cum Cæsare) sed penes regnum Bohemicum, aut totum imperium esse contendit. Qua etiam de causa exteri principes, & indigenæ plurimi, plenis comitiis litem decidi postulant. Apud Bohemos adeo nihil Electorum valuere monita, ut Henricum, Friderici Palatini primogenitum sexennem, jam tum patris successorem designarent.

Quamobrem Cæsar, à regibus Hispaniæ & Poloniæ militum, à Pontifice pecuniarum impetratis subsidiis, summa ope vindicare id familiæ suæ illatum probrum annititur. Palatino nequaquam, quantum exspectaverat auxiliorum, ab Anglia veniente. Rex Galliæ *satius arbitratus de conciliatione agere, quam subministratis alterutri viribus, roborare dissidia*, ducem Engolismæ, olim Arvernum, & Bethurium legat ad Germanos, dehortaturus eos ab intestino bello, & concordiam, quantum fieri posset, redintegraturus. Per hos, ineunte Julio, Ulmæ transactum inter Maximilianum Bavarum, & Joachimum Ernestum Onoldinum, qui instructissimos exercitus, ille à Catholicis Romanis, hic ab Euangelicis, mutuo in conspectu habebant, decretumque, ut intra solius Bohemiæ, ac unitarum ei provinciarum fines contineretur fax Bellonæ, nec cui alii, ne Palatini quidem avitis ditionibus, periculum crearetur.

Extemplo Bavarus in Austrios, Bohemis fœderatos, movet, renunciare societati cogit, & reliquis ejus Provinciæ Protestantibus, qui jam sacramentum Cæsari dixerant, accedere.

Elector autem Saxonicus Joannes Georgius, tum antea offensus Bohemicis tumultibus, tum frustra hortatus nuper ad consilia pacis collegam Fridericum, imposita sibi à Cæsare executione proscriptionis Bohemicæ, in Lusatiam ducit; Budissinum vi tormentorum fœdissime laceratum, ad deditionem trahit; utramque Lusatiam, valido & lento Marte pressam, subjugat Cæsari.

Ea res Bohemorum vires distraxit, & maximum Cæsari ad victoriam momentum attulit.

Eodem prorsus tempore Ambrosius Spinola, congregato è Belgis, Hispanis, Italis exercitu, jubente rege Hispaniarum, patrimonium ipsum Friderici adoritur, fortunatas illas ad Rhenum terras, & conniventibus meticulose an diffidenter unionis Heilbronnensis ducibus, Creutznacum, Altzeam, Oppenheimum, mox in Ringavia Simmeram, Baccharacum, Caubam, subigit.

Ex Palatini partibus, princeps quidem Auriacus validis cum copiis Vesaliam processit, positisque ad confinia castris, munitionem Mondorfii supra Coloniam medio Rheno excitat, cui à forma clericalis galeri, nomen Pfaffenmutzio fuit: At frater ejus Henricus Fridericus, in Palatinatum profectus, minime eum in Onoldino reperit propugnandi Friderici ardorem, quem res tanta videbatur postulare.

In Hungaria Gabor, actis Neosolii suorum comitiis, Rex proclamatus, Austriam incursat, Bohemis auxilia mittit, Tampirium, Posonium tentantem, occidit tormenti ictu: magna patraturus, ni socii res in Bohemia uno prælio corruissent. Ibi enim, pacata Austria,

Bavarus universas vires Bucquojo comiti junxerat. Expugnabantur vi oppida, Pragoditzum, Pisecum, alia: inquilini omnes ferro mactabantur. Satzensi territorio in dominos suos coloni insurgebant, prædia & aulas insanis evastabant modis. Oppositus Bohemorum exercitus, præsente quidem Palatino rege, qualemcunque præstitit fidem. Raconitzæ velitationibus aliquandiu dimicatum. Sed parum in officio erat miles, stipendio fraudatus, quod Cæsarianus vel ex hostico, vel divite Maximiliani ducis manu petere assuescebat. Et *fatalis exercere visa multos inertia, qui quasi salvæ opes forent & pecuniæ, amissa patria, ita aurum omni studio occultabant.* Reducit ergo Pragam copias Palatinus, jussas in Albo monte tumultuario opere castra munire, ut conserturus cum hoste manum, & urbe eum regia depulsurus. Verum plerisque in pedibus, haud in dextera consilium & robur erat. Dum se muniunt, admaturat Comes Tillius cum Bavarico exercitu, & Cæsariano iter, Dominico Carmelita Hispano, certam, ut ajunt, victoriam promittente. Confestim Hungari in pedes se conjiciunt ad IX millia.

Inito prælio, Turrensis legio & Hollachiana cæduntur. Reliquis parum animi ad certandum fuit, dissipatisque ordinibus, ad urbem se trepidi recepere, antevertentibus Christiano Anhaldino & Comite Hollachio, tristique regem nuncio ad fugam accendentibus. Vix impetratæ VIII horarum induciæ, quibus aut renunciaret Bohemiæ, aut vim fortunæ amplius experiretur. Non placuit ibi experiri. Impositi curribus uxor, liberi, & quicquid pretiosioris rei erat, neglecto tamen diademate & archivo, inque Silesiam itum est. Dies erat VIII Novembris, Romanis, solemni Euangelio de reddendis, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, insignis. Postridie victores Pragam intrant triumphabundi, pleramque Bohemiam statim ad Cæsaris obsequium trahunt. 1620.

Maximilianus in Bavariam suam paulo post revertitur, Joanni Tillio exercitus, Lichtensteinio principi Reip. cura commendata. Octo millia Bohemicorum, duo Cæsarianorum, cæsa eo prælio tradunt. Palatini milites apud Brandeisum oppidum jussi se sistere, cum nec ducum compareret quisquam, nec stipendium, devota diris Bohemia, illico diffugere, præter eos quos Mansfeldius Pilsnæ, & Hermannus Francus Thabore continebant, quosque Turrensis senior sevocabat in Moraviam.

Nec alibi eo anno res quietas deprehendimus.

In Valachia & Moldavia Gratianum Vaivodam tuebantur Poloni, Turcæ eum & Tartari oppugnabant. In causa erat conspiratio Gratiani cum Polonis, ob quam Osmanes eum sublatum cupiebat è medio, Campagiumque ad id miserat legatum, sed à Gratiano præventum cæde. Bino certatum est prælio; Prius secundum Polonis, alterum exitiale fuit, quo Gratianus cum auxiliaribus suis interiit.

His rebus excitatus Osmanes, cui jam pax cum Parthis esset, & direpta nuper in Apulia urbs Manfredonia, ejicit ex aula sua Poloni regis legatum, bellumque ei denunciat, eodem tempore domesticis insidiis pene oppresso. Percussor in ipso templi aditu regem nefario ausu aggressus, *fallente execrabilem dexteram fortuna*, debitas sceleris pœnas luit. Bellum adversus Turcas acerrimis animis sumptum.

Plures eo anno in Valle Telina cruenta Rudolfi Plantæ fraus neci dedit. Hic proscriptus à Grisonibus, secretam init conjurationem cum Pontificiis; Euangelicos omnes Morbæ & alibi, tam incolas quam exteros occidit, & favore ducis Feriæ, qui Mediolano præerat, IV bellatorum millibus adjutus, universam vallem, à lacu Comensi ad Tirolensem porrectam comitatum occupat; Grisones Vallensibus unitos repellit. Inde vero, cum dux Feriæ opportunis locis propugnacula

Mich. Lund. l. 5. de bello civili. Relat. Franc. & Lipsiacæ.

pugnacula ſtrueret, non tulerunt Veneti Italiæ oſtium Helvetiis Galliſque obſtrui; Rex Francus aperiri vallem ab Hiſpano rege, per legatos poſtulavit. Inſtituuntur ea de re deliberationes, ſed variè interturbantur. Pompejus interim Planta cum familiaribus in arce ſua trucidatur.

Nec Gallia ſuis carebat fluctibus. Rex Luineum ſummo habebat loco, Ancræi opes in ipſum effuderat. Id indignati proceres Longovillius, Nemoroſius, Mainius, Roanius, ad reginam matrem ſecedunt. Verum rex præveniens, fideli Condæi obſequio, Cadomum Normanniæ præripit, antequam principes adunare copias poſſent, pleraſque eorum urbes, ad ſpontaneam deditionem adigit. Tum prope Andegavos, fuſo reginæ exercitu, adeo in arctum cogit principes, ut veniam ipſi petant, mater blandum filii imperium agnoſcat. Igitur arma in agnatos ſumpta, vertuntur in Aquitaniam. Juſſi erant Bearnenſes Eccleſiaſticis Romanenſibus bona omnia, & priſcæ religionis ritus integrare. Abnuentes improviſo rex obruit adventu, præſidiiſque paſſim mutatis, templa, opes, honores Romanenſibus reſtituit, Provinciam liberrimi antea juris adnectit coronæ Franciæ. Ea res pleriſque Reformatorum incentivum novarum conſultationum fuit, qui poſt conventus alios, Synodum indicunt Rupellæ, eamque, rege licet præfractè interdicente, peragunt, majorem turbarum ſeminarium.

In Septentrione noſtro, præterquam quod Hamburgenſibus cum Lunæburgico duce armorum diſſidium fuit, ſed brevi ſopitum, læta erant halcyonia eo anno, tedis etiam jugalibus exornata Guſtavi Adolfi Suecorum regis, Mariam ducentis Eleonoram Brandeburgicam, (cujus frater Georgius Guilelmus nuper Septemviratum Marchiacum, extincto patre, ſuſceperat) nuptiis item Auguſti Lavemburgici cum Eliſabeta Sophia Holſatâ, & Auguſti Palatini cum ſorore ejus Hedvige, Huſemi ſolemniter peractis. At in Bohemia, & omni latè vicinia, ſequentibus adhuc annis flamma bellorum arſit. Proſcripti ineunte anno XXI ab Cæſare Fridericus, 1621.
Septemvir Palatinus, ob arreptum Bohemiæ diadema, Chriſtianus Anhaldinus, Joannes Georgius Marchio Jegerndorfius, Comes Hohenlous, & alii, quod Palatinum adjuvarent. Turrenſis, fruſtra ſollicitatis ad conſtantiam Moravis, profugit ad Bethlemum, cujus regiam electionem Imperator irritam pronunciaverat. Palatinus Segebergæ adiit Danorum regem, & Saxonum aliquot principes, auxilia rogatum. Sed quum evulgatis Cæſar diplomatis, libertati & paci fraudem ſe facturum negaret, nemini facem placuit ſubdere incendio, quo de facili Saxonia deflagraret. Solus Chriſtianus Brunſvicus, Halberſtadenſium præſul, invitis aliis conſcripſit exercitum, & agmine primo diſſipato, per Weſtphaliam & Haſſiam, in ditionem Moguntinam duxit, Palatino jam in Bataviam digreſſo.

At Cæſaris victoriæ multis ſimul exercitibus urgebantur. Bucquojus Comes Moraviam; Sileſiam & Egram, Saxo Septemvir ſubegit. Sileſiis ultro ad officium redeuntibus ignoſcitur, cavetur & de tuendo religionis Euangelicæ exercitio: Moravi Cæſaris jubentur arbitrio ſtare.

Marchio Spinola, circumlatis ad Rhenum & in Wetteravia armis, diſſociavit arte principes, Onoltzbacenum, Wirtenbergicum, Durlacenum, Haſſum, & alios, qui unioni nomen dederant. Ferunt auro rem magis quam ferro confectam. Pacti ſunt ſuis ditionibus pacem, Palatinis inducias, donec tranſactio tentaretur. Interim comes Tillius in Bohemia cum Mansfeldio dubio Marte præliatur. Tenebat Mansfeldius Pilſnam, Slaccenvaldiam, Elbogiam: ſocii ejus Thaborem, Clingenbergam, Wittingaviam; Palatinatum etiam ſuperiorem

dictis audientem habebat. Sed iterum belli nervum esse pecuniam patuit. Centuriones enim, dum abest cogendæ pecuniæ causa Mansfeldius, & lente procedit stipendium, urbes sibi commissas Tillio pene divendunt, Elbogia & Falckenavia, cum fortiter aliquandiu restitissent, dimissis præsidiariis, deduntur Tillio. Mansfeldius in angustias redactus, tandem & ipse paciscitur sibi veniam, honores, pecuniam à Cæsare: sed confirmatior, rescissis mox pactis, per Noricos agros in inferiorem perrumpit Palatinatum. Ibi Franckenthali obsidionem solvit, perpopulatusque Spirensem & Argentinensem diœceses, Hagenoam occupat. Eque præda militem alit præferocem, Palatino novis programmatis se publice excusante, quod libertatis communis causa, Bohemicum susceperit sceptrum, nec ab honesta abhorreat pace, modo sint, qui serio in eam incumbere cupiant.

Cæterum Bucquojus Comes, domitis Moravis, in Hungariam profectus, Gaborem à coronatione callidè abstinentem, Presburgo, Posonio, Altemburgo, Thirna, Schiltenavia, aliisque oppidis spoliat; Setscin Georgium ab eo disjungit, qui clam reconciliatus Cæsari, Gaborem Turcica præstolantem auxilia gravibus affecit damnis, Neusolo submissos auxiliares intercepit. Jamque in arcto erat Bethlemica militia, quum Bucquojus Neusolum obsidens, audaciusque in erumpentes provectus, XVI vulneribus confoditur, ineunte Julio; corpus multo Cæsarianorum sanguine vix è manibus eripitur Hungarorum. Quo exstincto, Valones alium aspernati ducem, Gabori ansam multa recuperandi loca dedêre. Denique exeunte anno, Niclasburgensi conventu concordia quædam inter ipsum initur & Cæsarem; redditur diadema Hungaricum Ferdinando; Cassovium, Toccajum, & aliæ quædam urbes Gabori permittuntur, Cæsareo nomine gubernandæ. Adduntur Oppelia & Ratiboria, Silesiorum ditiones, & principis imperii titulus. Religio, quo loco Ferdinando regnum capessente fuerat, relinquitur.

Dum hæc aguntur, Jegerndorfius Silesiam habet infestam, Troppaviam, Nissam, Glatzam occupat, grandes Silesiis imperat pecunias, cum Saxonicis vario Marte confligit. At Thabor oppidum Bohemicum, post multas obsidentium clades, desperato subsidio, pactoque præsidiariis stipendio, Balthasari Dynastæ traditur. Glatzam junior Turrensis masculè defendit, sequentique demum anno, incolumitatem & fortunas sibi suisque stipulatus, resignavit Cæsari.

Dispar aliorum, qui hosce accenderant, aut foverant motus, fortuna eluxit. Joachimus Andreas Sliccius, apud Rederum Baronem Fridlandum captus, jussu Septemviri Saxonis, Pragæ sistitur, cumque aliis XXVII perduellione damnatis (inter quos & Joannes Jessenius, vir magnæ eruditionis, afficitur supplicio atroci. Multi absentes proscribuntur, mortuorum bona applicantur fisco. Eaque severitas passim sequentibus etiam annis, ingenti cum lamentatione multorum illustrium, continuata.

Nec multo secundiores Reformatorum in Galliis res accepimus. Rex Francus enim, conventus Rupellani obstinatis adductus ausis, urbem Santonum munitissimam San-Joannem, post duram viginti dierum obsidionem subegit, dirutisque mœnibus vicum fecit. Inde Cleracum in Vasconia pari vi ad deditionem compulit. Et alias qua ferro, qua minis ad LX urbes, præsidiis Reformatorum munitas perdomuit, magna variis certaminibus resistentium strage. Montalbanum tamen morbi ac inundationes hybernæ derelinquere regios coëgerunt, desiderato inter plurimos duces ac nobiles etiam Henrico Mainio, Aquitaniæ Prorege. Soluta obsidione, dum rex Mongurtum oppidum vi capit, incenditque mense Decembri, dux Luinius, Franciæ

ciæ equitum magiſter, ingentibus per regis favorem divitiis oneratus, animam exſpiravit. Antegreſſo Octobri Pariſiis oborto incendio, duo pontes, Aurificum & Cambii, deflagraverant, inæſtimabili mercatorum damno.

Cæterum periculoſiori bello Polonia conflictabatur cum Turcis. Hi menſe Januario in Moldavia alteram cladem Polonis intulerant; Sed ſubſequente Martio, Vladiſlaus princeps cum L millibus irruens, atroci barbaros prælio proſtravit. Quo mire exacerbatus Oſmannes, refragantibus ſuis, numeroſiſſimum trecentorum millium exercitum in Moldaviam rapit, ubi Vladiſlaus limites regni ſexaginta millibus, Polonorum Teutonumque inſederat, quoad pater Sigiſmundus univerſas Polonorum equitum turmas conglobaret. Caſtris in conſpectu poſitis, dum Sultanus inſultibus Polonos carpit, & Coſaccorum copias intercludere nititur, tantis utrinque cladibus eſt certatum, ut deſperans ulterius progredi Turca, pacem æquis conditionibus offerret, quam velut divinitus miſſam, magno gaudio Poloni acceptarunt, cum rebus omnibus conſumptis, vix jam haberent, quo vel unum diem vitam ducerent. Cæſis certaminibus ad duodecim millia Polonorum & Teutonum, plures morbis abſumpti: E Turcis ad centum circiter millia cæſa, totidem aliis caſibus exſtincta.

Occaſione ejus belli ductus Suecorum rex Rigam Livonum, quinque ſeptimanis obſeſſam, ac pene ſuffoſſam cuniculis, deditione capit, civibus pleriſque invitis. Mox & Mitoviam Septembri exeunte, quam Poloni ſemeſtri obſidione, fame & contagiis exhauſtam recepere, bellum hoc paulo poſt induciis interpolantes.

1621. Eodem vero hoc anno, duodecennes Belgarum cum Hiſpanis induciæ Aprili menſe exibant. Albertus Archidux fruſtra per legatum obedientiam Hollandis inculcat, obtendentibus ſero eam cani cantilenam, iis qui pridem ſuæ confeſſionem libertatis ab ipſo hoſte expreſſiſſent. Igitur Spinola Juliacum Septembri menſe obſidet, ſequentiſque anni Februario deditione capit, principe Auriaco nequicquam obſeſſis ſuccurrere conato.

Nec Rhetis ſeu Griſonibus feliciter ceſſit Telinæ Vallis vindicatio. Repulſi enim ab Hiſpanis occaſionem dedere hinc Leopoldo Auſtriaco, iſthinc duci Feriæ religione eam Romana imbuendi. *Spond.*

Eadem regis Marocci in Africa ſors fuit: Qui propugnaculum ab Hiſpanis prope Alarachiam ſtructum capturus, luctuoſam pertulit ſtragem, advolante in auxilium claſſe Hiſpanica, quæ & in freto Gaditano triginta duas Belgarum naves aggreſſa, cepit aut diſſipavit. Batavos etiam ex Moluccis Inſulis Anglorum ſubſidio expulit. Nec enim jam obſcurè cum Hiſpanis faciebat Anglus rex, frementе licet Parlamento, ut vocant, ſeu ſenatu Britannico, autoritatemque ſibi in miniſtros regios, atque ipſum adeo Cancellarium ſumente, & alios, qui Hiſpanam principem Carolo regis filio uxorem deſtinarent.

Idem annus Paulo V Pontifici emor- 1622.
tualis fuit, apoplexia exſtincto, finiente Januario, cum vixiſſet annos LXIX, ſediſſet pene XVI. Subvectus in cathedram eſt Alexander Ludoviſius Bononienſis, pace inter Sabaudum & Hiſpanos facta nobilis. Eum paucis diebus ſequitur Coſmus Exarchus Hethruriæ, diuturna in juventute valetudine confectus, prole relicta numeroſa. Ferdinandus, liberorum ejus vetuſtiſſimus, ſed puer, ſucceſſit, ſub tutela aviæ Lotharingicæ, matris Auſtriacæ & patrui Cardinalis. Extremo Martio deceſſit Philippus III, Hiſpanus rex, anno vitæ XLIII, regni XXIII. Sufficitur Philippus IV ſedecennis, qui patris facilitate abuſos exturbavit aula, interque eos ducem Oſſunæ vinculis, Rodericum Calderovium capite damnavit, ducem Lermænum dignitate privavit &

divitiis. Philippum decimo tertio Julii sequitur morte Albertus Archidux, hunc Septembri Robertus Bellarminus, sorore Marcelli II. Pontificis genitus, fere octuagenarius, illustris Romani solii hyperaspistes. Gregorius XV. legem de Pontificum creatione tulit, ut deinceps mero Cardinalium arbitrio legantur, posthabitis regum commendationibus.

Neque quietior annus XXII hujus seculi fuit. Primum Osmanes Sultanus, ob suspicionem novæ militiæ, & difficilis ad sepulcrum Mahometicum peregrinationis, à Janitzeris suis deseritur. Mustapha ejus patruus restituitur in solium, qui timens rursum, ut antea, deponi, è vestigio Osmanem strangulari jussit, ad Cæsarem legatum firmandæ paci misit. Ormus, potentissimum Lusitanorum ad fines Persiæ Arabiæque emporium, à Persarum rege & Anglis expugnatum, prædæ implevit victores.

Deinde in nostro orbe Christianus Brunsvicus Lippam, Susatum, Paderbornam, Braceliam, aliaque Westphaliæ oppida subigit. Ab Anholdino Barone attritus, pergit infestare Pontificios, magnas undicunque pecunias facit, etiam statuis sanctorum in nummos conflatis. E Westphalia progressus in Eisfeldiam, pessime accipit incolas, perque Wetteraviam populabundus Ursellas, ac mox Hochstam, ditionis Moguntinæ oppidum arcemque occupat.

Interea Palatinus in ditiones suas Rhenanas, dissimulato habitu, redit; Mansfeldius & Badensis Marchio Tillium prope Wislochum profligant; Badensis, tradita filio Repub. bellum omnibus viribus statuit propagare. At Tillius Wimphæ se includit, donec firmatus Cordubensis Dynastæ copiis, Badensem Mansfeldianis imprudenter exutum cohortibus, ad prælium trahit, pellectumque in insidias, fundit fugatque, nec non omni ejus instrumento bellico pecuniaque potitur, quæ Cæsarianis in prædam vertit. Eodem vero tempore Mansfeldius Ladenburgum deditione capit. Leopoldicos Hagenoam obsidentes pellit, paulo post ab Oberntrautio, Palatini tribuno, in fidem acceptos. Inde Darmstadium festinat, Ludovicum Chorarcham capit, Brunsvico se juncturus. Sed Tillio totis viribus eum infectante, recurrit Manheimum, Tillio, Cordubensi, Anhaldino, Thomæ Caracciolo, Cosaccorum etiam manu firmatis, Brunsvici copias relinquit dissipandas. Hi famosissimum Brunsvici exercitum tormentis vacuum nacti, ad Mœnum fluv. in fugam propellunt. Dumque ducem ponte transeuntem effusius sequuntur milites, disruptis ordinibus, tanto impetu festinant iter, ut scisso ponte absorberentur amnis vorticibus multi, reliquæ cohortes desertæ, gladiis glandibusque Cæsarianorum conciderent. Præter submersos tria millia interiere, Hochsta statim recuperata. Igitur Palatinus, cum nec suppeditare Mansfeldio & Brunsvico sumptus, nec commodare per eos rebus suis, pene deploratis, ulla ratione posset, fretus tandem compositione Bruxellensi, quæ agitabatur à Joanne Digbio, soceri sui legato, exautoravit id postulantem Mansfeldium. Tabernas tum Alsaticas denuo obsidentem. Paulo post Clingenberga Bohemiæ, vitam & facultates salvas pacta, reddit se Cæsari. Wormatia & Spira præsidium accipiunt, Neapolis capitur, Heidelberga obsidetur. Palatinus Sedanum deductus Mansfeldianorum præsidio est. Qui Brunsvigiensibus juncti copiis, per Galliam irrumpunt in Hannoniam, acrique cum Consalvo Cordubensi conserto prælio, (in quo brachium Brunsvici laceratum, posteaque refectum à chirurgis) vi aditum sibi Brædam versus Brabantiæ aperuerunt: Eo certamine multi utrinque desiderati, haud dubia Brunsvici victoria, nisi Mansfeldianæ quædam turmæ, stipendia inclamantes, pugnam detrectassent. Non multo post, sexto, inquam, Septembris die, Heidelberga nequicquam 1622.

gene-

generoſe defenſa, vi expugnatur à Tillio. Præſidiarii omnes cæſi, urbs direpta; Civibus, deflagrante paulatim ira victorum, parcere tandem Tillius juſſit. Rex Daniæ, miſſo Sigwarto Pogwiſchio, libenter ea mala avertiſſet, rogans Cæſarem, ut acceptas à Palatino injurias publicæ ſaluti ac quieti donaret, eumque abjurata Bohemia deprecantem, Septemviratui ſuo reſtitueret. Verum Cæſar continuari prætexens contumaciam, ad Bruxellanam compoſitionem omnia rejecit, quæ tam lente egit hoc negotium, ut Palatinus interim omni ditione privaretur. Nam Manheimum Horatius Verus, de ſubſidiis deſperans, æquis conditionibus ceſſit Tillio.

Spirenſem agrum, & Germersheimum ſubegit Leopoldus, menſe Octobri. Frankenthalum Iſabellæ, agente Jacobo rege, velut ſequeſtro traditum. Nec Marchionatus Badenſis iras Cæſaris effugit. Abjudicatus enim Georgio Friderico, & Eduardi Fortunati filio addictus, Romanam religionem ſequenti, nullum non crudelitatis genus à Bavarico milite, Croatis præſertim & Coſaccis, pertulit.

Felicius Hollandis res provenit ad Bergas Somenſes. Hi enim obſidentem oppidum Spinolam iſthinc crebris eruptionibus (quibus octo Hiſpanienſium millia ferunt cecidiſſe) hinc exercitu numeroſo quadraginta millium, coëgerunt ſolvere conatus, crematiſque caſtris abire inglorium. Verumtamen Pfaffenmutzium, poſt multa tum fortitudinis, tum arrogantiæ ſpecimina edita, Henrico Bergenſi deditionem fecit, præſidio variis morbis & præliis jam nimium diminuto. Id exeunte anno contigit, die Stephano ſacra, cum & Sancti Mauritii munitio in Flandria, ab Hiſpanis aſtu intercepta eſt.

Cætera Germania pene efferabatur militum contumeliis. Coſacci à Cæſare dimiſſi, quacunque iter faciebant, inaudita crudelitate, libidine, rapacitate, & nequitia plane diabolica, in omne mortalium genus ſæviebant, ob id à Sileſiis non ſemel pro meritis tractati. Nec multo melius Mansfeldiani Weſtphaliam habebant, & Friſiam Orientalem, quos in locos è Batavia migraverant; occupatis in itinere oppidis, arcibus, villis, imperataque pro lubitu cuivis pecunia & commeatu. Qui militiæ mores, cum æterno noſtri ſeculi probro invaleſcerent, Saxonicus ob id tractus inferior, aſſentiente Cæſare, militem ſcripſit, ab exterorum injuriis ſe defenſurus. At ne quid malis deeſſet, præcones renati Euangelii omnes è Bohemia Moraviaque exulare juſſi, adhibitumque, quicquid artis reperiri poterat, delendo ex animis hominum Chriſtianiſmo puriore. Rex Gallus etiam abrupta præter ſpem pacificatione, Montem Peſſulanum, aliaque Reformatorum oppida, ingenti cum ſuorum clade, ad deditionem impellebat, vix adſpectu tot funerum ad novam compoſitionem adductus, frementibus Zelotis Romanenſium. Et ut juſtam Dei intelligas iram, *nec vulgaris quidem juſtitia ſedem amplius apud Teutones retinebat: imperiali nummo, per æruſcatorum nequitiam, ad* XVI *florenorum æſtimationem elevato.* Eodem vero anno Papa novos cœlites legit, Iſidorum Agricolam Hiſpanum, Ignatium Lojolam, Franciſcum Xaverium, Tereſiam fundatricem Carmelitarum diſcalceatorum, Philippum autorem congregationis Oratorii. Mariam virginem cum peccato conceptam dicere piaculum appellat. Collegium titulo de fide propugnanda novum excitat. Mittit & in Daniam inſtitores perſonatos, reipſa Doctores Theologos, avitas ſuperſtitiones ſcholis & Rebuſpub. inſeminaturos, quorum tamen conatus Dei beneficio fruſtra fuit, quemadmodum & antea Laurentii Nicolai Norvegi, qui anno MDCIV. idipſum ore calamoque attentaverat. Rex Daniæ ex Ceilane, Indorum inſula, naves duas hebeno & aromatibus onuſtas recepit. Oddo Giddæus, præfectus Claſſis, caſtrum in Trangabare

Confeſſ. Laur. Nicol. excuſa Cracov.

gabare structum, Dansburgum appellaverat. Per istas autem Germaniæ turbas, luculenter rem suam fecerunt tum alii, à Cæsare magnis honoribus aucti, tum etiam Maximilianus Bavarus, Septemviratu honestatus Palatino, reclamantibus frustra Moguntino, Saxone & Brandeburgico. Addita lex tamen, ne ea inauguratio Palatini seu filiis, seu agnatis fraudi esset. Id actum Ratisponæ decimo quinto Februarii, anno hujus ævi
1623. XXIII, quo tribus simul æterni numinis beneficiis Dania effloruit. Nam & detecta emissariorum Pontificalium fraus est, ipsique Dania pulsi; & in Norvegiæ præfectura Sandverta repertæ argenti venæ purissimi: & in Selandia Soræ nova nobilium Academia surrexit, attributis ei, præter monasterii Sorani reditus (quos pridem scholæ rex Fridericus addixerat) etiam Mariæboanis in Lalandia, & Burglamensibus in Jutia proventibus. Datus novo Lyceo Ephorus Justinus Hogius, vir plane factus à natura ad eam functionem, & præter natalium splendorem, rarum pietatis, prudentiæ & eruditionis exemplum. Professores dicti à Rege inclytissimo primi, Joannes Cluverus Theologus, qui hæc scripsit, Joannes Laurembergius, Mathematicus. Quibus altero anno additi, Joannes Meursius historiographus, & Joachimus Burcerus Medicus Lusatus. Post etiam Helmæstadio exciti, Christophorus Heidmannus Orator, Martinus Trostius Huxariensis, Hebrææ Professor linguæ, & è Danis Nicolaus Martini Schelderupius, Logices, & Stephanus Joannis, Eloquentiæ Doctores. Inter hæc detegitur in Belgio conspiratio, qua vita Mauritii principis & aliorum Arminianismo infestorum petebatur, ductoribus filiis Barnefeldii, quorum alter deprehensus cum sociis, facinoris pœnas luit, alter evasit. Atrocior tempestas è Belgio in Frisiam & Visurgis ripas incubuerat, Christiano Brunsvico & Mansfeldio signiferis. Brunsvicum quidem Rex Danus & Saxoniæ principes finibus ejus circuli excedere compulerunt, purgati etiam Cæsari ejusmodi molitionum conscientia. Transgressos Visurgim Brunsvigianos insequitur Tillius, eorumque extrema agmina prope Statloam, in ericeto Duvendica, invadit, occultata vicinis in arbustis & paludibus forti manu, quam Lingenses Grollanique præsidiarii submiserant. Commisso certamine, undique circumfusæ Brunsvici cohortes sternuntur, numerosusque exercitus à quinque millibus in fugam agitur, Christianus ipse, cum expeditis equitum turmis, assequitur Brevordam, sed amissis machinis, impedimentis, commeatu, longeque maxima copiarum parte (e quibus DCC cæsi, reliquum dissipatum, multi illustres capti sunt) Meppena Tillio deditur. Mansfeldium diutius Frisia incubantem perpessa est, donec Anthonius Guntherus, comes Oldenburgicus, exoravit Cæsarem, ut data exitialibus illis harpyis venia, sacramento solverentur. Etenim Tillius, sumpto per Oldenburgiam itinere, vi militari nihil adversus callidos prædones effecerat. Ingens aurum pacti, ne pro more viciniam omnem vastarent, regis Danorum minis dedêre.

Nicol. Vassen. parte 2. actor. memo.

Redeunt ergo in Monasterienſem Westphaliæ provinciam aliqui: Frisoyta oppidum à Limbaco oppugnatur. Ibi circumventa ab Erwito Tribuno sacra capita, XV multantur vexillis, Limbacus cum plerisque centurionibus in deditionem venit. Ex quo tempore attriti quotidie, dispalatique Mansfeldiani: ipse ductor paucis comitatus, in Hollandiam refugit, Brunsvicus in Saxoniam.

Fatalis idem annus Pontifici & Turcico Sultano fuit. Gregorius enim XV Romæ paralysi exstinctus, Cardinalem Maphæum Barberinum habuit successorem, qui Urbani VIII vocabulum sumsit. Turrensis senior, sollicitato Mustapha Sultano, auxiliis ejus stipatus Moraviam diripiebat.

Verum

Nicol. Vassen. part. 4.

Verum paulo post Mustaphas abdicare se tyrannide cogitur à Jenizaris, atque Amurathi IV. fratri Osmanis sedecenni, solio cedere. Sic intra XVI menses tres Sultanos vidit Turcia, quorum largitionibus (nam Spachi & Genizari suos Imp. donativo æstimant) exhaustum ærarium: tumultus præpotentibus non paucis exitio fuere. Quanquam ergo Bethlemus, maxima cinctus multitudine, processerat in Moraviam, comitemque de Monte nigro, Cæsarianum ducem, redegerat in angustias: tamen Turcis ejus imperium abnuentibus, neque comparentibus Germanorum auxiliis, compulsus est ad inducias, Cæsarque ei postea principis imperii titulum abrogavit. Turci præda graves, passim à Cæsarianis præfectis cæsi, aut exuti spoliis, justas temeritatis pœnas dedere. Sequentis anni Maio pax renovatur inter Cæsarem & Transylvanum, Oppelia & Ratiboria Carolo Cæsaris fratri datæ. Dum igitur & Jegerndorfius Silesia, & Turrensis Moravia, & Hungaria Bethlemus dejicerentur, Rex Anglus interim sueto principum delinimento, conjugali fœdere filii sui & Mariæ Hispanæ, obliterare exortas inter suam & Austriacam domum offensas meditabatur, reique peragendæ, jam multa Romanensibus in Britannia licebant.

Feruntur & literæ, nescio an veræ, quibus Carolus Pontificem honorifice compellat. Verum post immensa utrinque commutata munera, quum insolenti propemodum inter tantos principes exemplo, Carolus ipse diutulè in aula Hispanica esset commoratus, nihilque certi ad sororis suæ, filiorumque ejus, in avitas ditiones restitutionem proveniret, evanuit consilium, & alia conjux è Gallicana regia, Henrica Maria, Ludovici XIII soror, Carolo principi nupsit. Extemplo renata apud Anglos Romanensium licentia consedit, non sine prodigio ruentis eorum suggesti, dum ex eo Druerius Jesuita concionem alloquitur. Fracta enim insistentium ponde-

Vassen. part. 7.

Nicol. Vassen.

re contignatione, circiter XC auditores oppressi, ara diffracta, concionator ipse misere contusus interiit. Contrarium in Germania servandi Euangelii cluxit signum. Ecce enim dum Lutheri sectatores passim adiguntur, ad recipiendam fidem Romanensium, atque in Wetteravia Longogintzi centurio eripit tubicini libellum, preces continentem à Joanne Arndo, Lunæburgici ducatus Præsule, concinnatas, eumque in fornacem ignitam projicit, attestatur miraculo Deus, *quam nullo igni verbum suum consumatur.* Etenim liber, inter candentes prunas incolumis, post horam extractus ab hospita, & pro rei magnitudine, Philippo Landgravio Butzbacum dono missus est, à quo & dicitur asservari.

Literæ ad Henr. Rump. Anglic. mecum communicatæ.

Cæterum placuit Deo, suorum mentes ardore tentationum vehementiori explorare, paleas vero, quarum larga nimis copia, æstu indignationis suæ comburere. Quod consilium evidentibus hinc inde prodigiis, ipsaque in Saxonia inferiori & Dania, luculenter patefecit, modo fuissent, qui id ad animum voluissent sumere. Vidimus aquas cruore congelatas in stagnis, vidimus è trabibus destillantes sanguinis guttas; audivimus quorundam panes, mensas, ocreas, sanguinem sudasse. Visi inter se confligentes in aëre exercitus. Visæ in arboribus natæ fruges, quasi indigna iis terra foret, hominum ingemiscens nequitia.

Igitur unde nemo putabat, grande exstitit Saxoniæ Daniæque feralis belli incendium. Res ita habet.

Joannes Tillius Comes, validis Hassiam copiis insederat, anno XXIII. invito sane Mauritio, at Ordinibus, quia obniti haud tutum videbatur, hyberna indulgentibus. Ex illo exercitu Ritbergicus, Lipstadio & Ravenspurgico Comitatu domitis, cumque eo Anholdinus Baro, Scaumburgicam infestabant ditionem, Huxariensem cis Visurgim arcem plane diripientes.

Fatigabatur Saxonica Visurgis fluvii ripa annonæ & pecuniarum exactionibus.

Nec hostis tamen ibi Cæsaris aut Bavari quisquam erat, Christianus Brunsvicus exercitus sui reliquias exautoraverat, desertoque Mansfeldio anno XXIV. migrarat in Daniam; quo tempore etiam Cæsar, misso Antonio Guntero Oldenburgico, fidam Dano regi pacem & amicitiam pollicebatur. Sed cum querimoniæ è Saxonia increbrescerent, proximi incendium parietis ad regem quoque pertinere visum est. Tenebat & oppignoratam sibi Rex Sicanam arcem & præfecturam, quam Erwittus, Bavarici tribunus exercitus, præsidio imposito exhauriebat. Rogatur ergo Cæsar, ut importunis præsidiis Saxonicos fines levet. Responsum, Bavari esse Electoris illas copias, qui ob metuendam è Saxonia vim, exautorare milites nequeat; verumtamen locis regi subjectis esse demigraturos. Mittuntur proinde, qui id Comiti Tillio regis nomine denuncient; sed insolentius exceptum responsum à centurionibus ferunt, haud volare in aëre milites posse, locum iis in terra dandum. Id teli instar regium perculit pectus, qui eodem tempore invitatus à regibus agnatis, Britanno, Gallo, Sueco, Belgis, de communi regnorum asserenda salute, haud sibi insuper habendum vicinia periculum duxit, præsertim de ferendo auxilio obnixè & sæpe rogatus.

1625. Annus agebatur XXV hujus seculi, horrendis & inauditis fere ventorum fragoribus infesto initio, quibus in Dania & Holsatia non arbores tantum innumeræ, sed & turres, ædificia sacra profanaque, molæ, aggeres, mari & fluminibus objecti, fœdè prosternebantur. Finiente fere Martio, Lavenburgi conveniunt Saxoniæ inferioris principes, Rex Daniæ ut Dux Holsatus, Administrator Magdeburgicus, Præsul Bremensis, Dux Brunsvicus, Megapolitani, Holsatus decernunt, augendas esse copias, dudum ad circuli Saxonici defensionem conscriptas, nequid Respublica detrimenti ab insidente fines exercitu capiat. Imperator ejus militiæ Rex Danus, Lunæburgi, ac deinde Brunsvici, constituitur, quam quomodo gesserit, mox dicam, ubi primum iis, quæ alibi paulo ante contigerunt, paucis me absolvero.

Etenim anno antecedenti, per hyemis sævitiam, occasio erat Henrico de Monte, in Velaviam irrumpendi, concreto glacie Isala flumine. Verum, quasi Hollandis adversum eum producentibus instructas cohortes, territus tubicinio, cum ad tria millia militum ejus frigore obriguissent, laceras reducere copias adactus est. Fœderati Belgæ validam classem expedierunt in Americam, oppressisque aliquot Hispanorum myoparonibus, Bajam, id est, Portum omnium Sanctorum cum Salvatoris oppido, ingentique præda, expugnarunt. Marchio Spinola Bredam, exeunte Augusto, cinxit obsidione: Henricus de Monte capto Gennepo depulsus, in eadem se castra contulit. Mauritius Cliviam expugnavit, pervetustum oppidum, mox quoque Mondelbergam & Gocham. Antwerpianum vero castrum strategemate occupaturum, fortuna delusit. Breda, arctissima obsidione novem menses clausa, cum eruptiones vario Marte non paucas Justinus Nassovius; foris vero prælia Henricus Fridericus, adducto solvendæ obsidioni ingenti exercitu, fecisset; tandem urgente fame & contagio, in deditionem venit, XXVI Maii, Præsidiariis ad ter mille arma & facultates, civibus libertas, sed religioni ad tempus concessa. Paulo ante & Bajam Brasilienſem Fridericus Toletanus Hispanis recuperaverat. Rex Philippus IV, commercia inter Iberos, & suæ ditionis Belgas sustulit. 1624. *Nicol. Vassen. parte 7.*

Recruduerat & in Rhetia, valleque Telina bellum, indignantibus Gallis, Venetis & Allobrogibus, opportunam sibi provinciam alieno obnoxiam dominio fieri. Igitur fœderatis iis, Mejenfeldia, Curia, Tyranum, Sondrium oppida; Clavenna & Wormium Comitatus, deditionem faciunt; occiduntur proditores non pauci patriæ. At Romanen ses Hel- 1625. *Vassen. parte 8.*

Helvetii Auſtriæ ſe domus protectioni ſubmiſere. Mox expugnata & urbe Cleva, tota vallis Telina in poteſtatem fœderatorum tranſit, moveturque & Genuatibus bellum, quod illi pecuniam & auxilia quæque Hiſpanis ſubminiſtrarent. Id fervidè à Sabaudo & Gallis geſtum initio. Cæſi aliquoties Ligures, Preva & Albinga ad deditionem redactæ ſunt, repleta tumultibus Italia. Ab hoc autem igni alius, domi natus, Gallos pene avocavit, renatum ſcilicet inter Regem & Hugonotos, quos vocant, civile diſſidium, quo Dux Soubizius prælio navali victor, mox victus rurſum in Angliam profugit. Sed Rupella terra marique obſeſſa, tum fortibus factis, tum precibus, pacem denuo exoravit. Exinde ad crebras Pontificis de pace ſollicitationes, paulatim bellum Italicum obtepuit. At Pontificiorum ſub hæc augeſcebat in opprimendis Euangelicis ſtudium. Nam militiam novam, quam anno XIX hujus ſeculi Viennæ ſacratam diximus, Urbanus Papa confirmavit, impoſito ei *conceptionis ſanctæ Mariæ* titulo. In Auſtria, Bohemia, Moravia, aliiſque locis, nihil non operæ, cremandis libris, diſturbandis ſacris, exagitandis & pellendis renati Euangelii confeſſoribus, impenditur. Subornati & in Gallia ſunt ſcriptores, qui ſub nomine Hugonotorum, libros de occidendo rege, recuperandaque libertate, extruderent in publicum. Sed deprehenſa fraude, juſtas innocentibus pœnas dedere. Marcus Antonius de Dominis, qui dudum ineſcatus Hiſpani legati pollicitationibus, è Britannia Bruxellas, atque inde Romam tranſierat, cum parum idoneis refelleret argumentis, quæ adverſus ſedem Pontificiam aliquot libris eventilarat probra, jugulatus in carcere, ineunteque Decembri crematus eſt. Mox auſpicatus Pontifex ſuum jubileum, quem Vladiſlai, principis Poloniæ, præſentia illuſtriorem reddidit.

Turcicum etiam regnum continuis fere motibus à morte Othomanni II obnoxium, nondum quieſcebat. Purpuratus enim Arzironius, quaſi Janizarorum caſtigaturus ſuperbiam, qui domino ſuo necem intuliſſent, formidabiles in Aſia copias contraxit, ipſique urbi regiæ ingeſſit minas. Qua occaſione illectus Perſa, in Turcicas irruit ditiones, Babylonem (Seleuciam puto veterem) occupat, Edeſſam circumſidet Meſopotamiæ. Sed interim Arzironius Pruſiam obſidens & Angeroniam placatur, exercituſque ingens in Parthum ducitur, qui non una ab eo clade multatus. Irrumpunt & in Podoliam Tartari, penſaturi damnum, per Coſaccos Turcis Ungaricis illatum. Prima quidem expeditione felices, ſed altera, per inſidias, à Polonis ingenti ſtrage cæſi ſunt.

Ferdinandus Imperator pactus cum Turca inducias duodecennales, Joannem Tillium & Albertum Fridlandum duces, exercitibus inſtructiſſimos, Saxoniam juſſit inferiorem invadere; tametſi Rex Daniæ, qui circiter XXIV millia armatorum ad Viſurgim, ſine cujuſquam læſione, produxerat, nihil ſe adverſus Cæſarem moliri, ſed Saxonicam tantum libertatem defendere velle teſtaretur. Uſque ad decimum Julii nihil utrinque tentatum hoſtile. Primus impetus à Tillianis fuit in munitionem Saxonicam, quam apud Huxariam ſtruxerant: quæ ſtatim à Saxonicis deſerta, & à Tillianis occupata eſt. Decimo poſt die Hamelienſes luſtraturus excubias Rex, incurioſius in vallo obequitat, ignarus foveas ibi latere aſſervandæ rei tormentariæ, aſſeribus contectas parum ſolidis. Harum unam equus calcaribus impetitus inſilit, ruptaque tabula, deciſſus, præcipitem ſecum Regem viginti novem pedum ſpatio in ſubjectam foſſam rapit. Suffocato fere equo, Rex poſt duas demum horas compertus vivere, ſed toto triduo habitus inter morientes fuit. Quare propinquo hoſte, caſtra verſus diœceſin Verdanam retrahuntur. In-

terim Tillius, nequicquam deprecantibus per Oratores Saxonicis, totis agminibus in Brunſvigiam irrumpit; Hameliam, Holtzmindam, Mindam, aliaque ad Viſurgim oppida, munit præſidiis. Sævitur horribilem in modum in Brunſvigienſes incolas, qui proinde & armis induuntur, ad vim iniquam propulſandam. Poſtulatur & ab Rege Cæſaris nomine, ut militem de Saxoniæ finibus deducat. Niemburgum violenta obſidione premitur. Sed rex, raro Dei beneficio, & corpore jam refectus, & milite, tam ſtrenuè tuetur id oppidum, ut Tillius, amiſſis circiter quatuor millibus, re infecta diſcederet. In ejus tamen partes tranſivit Stoltzenavia, centurione quodam muneribus corrupto. Inter quæ Mansfeldius, qui Mercurii inſtar inter Anglum, Gallum, & Batavos commearat, cum molitiones ejus mire proveheret enata inter Anglum atque Hiſpanum diſcordia, ob negatam Palatino reſtitutionem, firmas iterum conglobarat copias; quas tametſi maxima ſui parte diminutas, in Saxoniam penetravit, & Lavemburgi ad Albim ſtativa fixit, cum paulo ante Chriſtianus Brunſvicus caſtra regia, inſigni ſtipatus equitatu, intraſſet. Cæterum per hæc Fridlandus Dux in Magdenburgicam irruerat Diœceſin, à quo Halla Saxonum occupata, mileſque in Halberſtadenſes infuſus terras, nemine fere obluctante. Quare ne tanti belli incendium latius vagaretur, interventu Electorum, Saxonis & Brandeburgici,
1626. cœptum eſt Brunſvigæ, Octobri menſe, de pace agi. Poſt quadrimeſtres diſceptationes, etiamſi utrinque certis legibus dimitti placeret copias, tamen, cum Minda & Huxaria cedere nollet Tillius, Saxonicique ordines acquiſiti juris ſui, in Eccleſiaſticis præſertim ditionibus, confirmationem urgerent, eamque Fridlandus & Tillius præſtare ſe haud poſſe dicerent, infecta pace diſceſſum, bellumque majori exinde, & conatu, & clade, geſtum eſt. Eo Chriſtianus Brunſvicus fortem ſe graſſatorum vindicem præbuit, obruta eorum in pago Saldera legione, itemque Otterſlebiæ octingentis Fridlandicis. Antea Fuchſius Stoltzenaviam receperat Regi. Viciſſim Tilliani, improviſo inſultu, Oberntrautium, Friderícum Altenburgium, Jacobum Ulfeldium juniorem, fortiſſime pugnantes, occiderant.

At Mansfeldius Lubecenſium incumbens pagis, eruptione civium multatus eſt, cæſis aliquot ejus equitibus, aut exutis præda. Joannes Erneſtus Vinarienſis, egregius animi princeps, quem Rex ſibi legaverat, Oſnabrugam, Widenbrugam, Furſtenaviam: aliaque manus Mansfeldiana Serveſtam, Saxonicis adjunxit partibus.

Quæ dum fiunt, Leopoldus exſtincto *Vaſſen. parte 2.* in Hiſpania Carolo fratre, Epiſcopatibus ſe Argentinenſi, & Patavino abdicat, duciſque Urbinatis viduam ducit Claudiam Medicæam. Vratiſlavienſem Epiſcopen Sigiſmundi Poloni filius junior, Bavaricam Leopoldus Guilelmus Cæſare genitus, obtinent. Clauſerat interim tertiana febri vitam Jacobus VI Anglorum Rex, Martio viceſimi quinti anni exeunte, autor fœderis inter ſe, Gallumque & Danum reges, eruditiſſimus Princeps, paciſque artibus inclytiſſimus. Hujus hæres Carolus, dignus diademate, Britanniam pronis populorum ſtudiis cœpit moderari, pronior ipſe in Bucquingamium ducem, variis pollentem artibus hominem, ſed patriæ minus acceptum. Regem Anglum ſecutus erat decimo tertio Aprilis Mauritius Auriacus, fœderati Belgii rector laudatiſſimus, conſumptus & ipſe febri, auctorque ante mortem factus fratri Henrico Friderico, conjugii cum comite Solmenſi Amelia, lectiſſima virgine, ineundi. Tum vero lues dira Britanniam, Belgium, Conſtantinopolin, & pleraque Europæ pervagata, innumeros mortales leto dedit. Nec mitior Bellona, vel intactas hactenus corripuit provincias, vel modicum reſpirantes, denuo conturbavit. Inter has Livonia eſt, quam improviſo adortus

adortus assultu Succorum Rex, Kokenhusam, Runneburgum, Birsam, Derbatum, & alia Polonicæ adhuc fidei oppida, intercepit. Polonis Rigam conatis rursum sibi vindicare, cum quorundam civium pellexisset dolis, iteratam intulit cladem, cæsis eorum per Turrensem juniorem plus sexcentis. Inter illas numera Borussiam, quam idem Rex, medio Junio advectus octoginta navium classe, subiti terroris implevit, jactisque apud Pilaviam vallis, Brunsbergam, Frawenbergam, Elbingam, Mariæbergam coëgit imperata facere, Dantiscanis Polonicas auferre naves, tributumque Polono debitum solvere injunxit; sed inter maximos rerum successus, illius urbis obluctatione retardatus.

Vassen. part. 11. Relationes public.

1626. Saxonici vero flamma belli latius se vicesimo sexto anno diffudit. Cum numero militum superarent Cæsariani, commeatu erant prohibendi. Havelam, & inferiora Albis jam tenebant Saxonici. Decimo quinto igitur Aprilis Mansfeldius impetum fecit in munitionem Fridlandicam, quæ Cæsariano exercitui Albis usum superioris prope Dessaviam tuebatur. Præceps facinus, octo millia XXXM objicere. Itaque pedites re fortiter gestâ, cum deseri se ab equitibus cernerent, paulatim recedendo, auxerunt Cæsarianis animos; qui atrocius incumbentes, Batavicos auxiliares (quatuor millia erant) Nienhovio regente adductos, fere occidunt, universam aciem in fugam vertunt. Desiderati Mansfeldianorum ultra mille quingentos, ad triginta vexilla capta. Infelix ductor Brandeburgum se recepit, Cæsarianis mox Servestam, alibi Calenbergam Tillio occupantibus, cum in Hassia interim, excitato ab agrestibus tumultu, cædi passim prædæque essent. Tum vero Christianus Brunsvicus in Grubenhagiensem irrumpit principatum, quod Georgius Lunæburgicus, ejus possessor provinciæ, scribendis pro Cæsare copiis abesset, impositoque locis præsidio, legiones in Hassia Georgianas disjicit. Contra Imperator, misso feciali, diplomata profert Magdeburgi, quibus omnes imperii Romani subditos, denunciata proscriptionis pœna, castris jubet Danicis valedicere. Extemplo Tillius vim minis jungit. Mundam, clavem Brunoniæ, paucis subnixam præsidiariis, exeunte Maio, vi capit, & cives, dum poterant, fortissime dimicantes, Furstenburgio imprimis exsequente, occidione occidit. Nulli ibi ætati aut sexui parcitur, pauci admodum in cryptis aut fastigiis domuum abditi, expleta Cæsarianis sævitia, vitam sibi auro exorarunt. Paulo post Christianus Brunsvicus Wolferbyti (sexto Junii) haud sine veneni suspicione decessit, sequuta decimo nono Julii matre Elisabeta. Guilelmus, Mauritii Hassi filius, Cassellas Tillio permittit. Mauritius, eruditione illustris, secedit Zigenhaimum. Joannes Fridericus, Bremensium Præsul, vigilantia regis compertus cupientior esse hostibus, Vordæ arcis imperio solertissime privatur. Rex Vordæ præsidium imponit. Tillius Hassiam tradit Guilelmo Landgravio. Inde Gottingam itur strenuè se tuentem. Rex Daniæ obsidionem soluturus, contrahit in unum copias; Tillius adunatis & ipse viribus, obviam pergit, dedita sibi Gottinga. Northeimi non sustinuit vim regiam, relictaque ingenti cum jactura urbe, instaurat copias. Primæ velitationes regiis faustæ, Tillianis plus sexcenti, & vexilla aliquot adempta. Insistit Rex cedentibus, apud Lotteram opportunum defensioni locum capit. Ibi cum perseverandum suaderet Fuchsius, peditum ductor, tribunique alii, quod neque machinis favere videretur locus, ventusque insuper hosti secundus esset, tamen Rex metuendi nescius, fugibundoque instare hosti certus, prælio decernere statuit. Nec consilio audaci defuisset fortuna, nisi pleriscque equitibus mens læva fuisset. Nam primi ordines validam adeo impressionem fecêre, ut ad tormenta penetraretur Tilliana, atque dux ipse propemodum victoriæ desperaret. Sed cum omnem vim Tillius in pedites lassos ine-

dia raperet, atque peropportunis Georgii Lunæburgici auxiliis esset sublevatus: detrectante contra equitatu regio pugnam, dilati obtentu stipendii (quod tamen in promptu erat, atque superioribus mensibus satis liberaliter ab Rege fuerat repræsentatum) cæsus miserè peditatus est. Equites frustrà ab Rege implorati, fuga se turpi subduxêre. Reperti qui occubuerant, ut ferunt, mille ducenti, interque eos Philippus Landgravius, Fuchsius, Comes quidam Solmensis, Siguardus Pogwiscius; vexilla amissa viginti octo. Lohausius, Lindslavius, Frencus, aliique ductores ordinum, Lotteræ ad deditionem compulsi, captique milites ad mille octingentos. Par fere numerus cæsorum è Tillianis fuit, solo Pinthovio suæ legionis quindecim centuriones desiderante. Vix impetratum ab Rege aiunt magnanimo, ut periculo se eximeret. Qui sua, paucorumque suorum manu mascule quidem defensus, donec intuto sisteretur, Wolferbytum se eadem vespera recepit, certatum est decimo septimo Augusti. Plus victoriæ Tillio quam prædæ fuit, seu insidias metuenti, seu quod equites regii spolia ante caperent. Biduo post Brunsvicus Dux Saxonicæ renunciat societati, totamque Brunoniam Cæsaris permittit obsequio. At Wolferbytum, Dani regis præsidio insessum, adoriri ausus non est victor, expiscatus, Regem instaurare vires, lentamque obsidionem ingenti damno fore. Itaque Rotenburgum, Friderici Ducis, hoc est, Verdani præsulis, sedem, aliaque munita illius tractus loca, deditione occupat. Rex strato pontibus Albi, prope Lavenburgum & Blekedam, exercitus recolligit reliquias, utriusque ripæ potens, donec firmior à copiis contra ire Tillianis possit.

Cæterum ineunte Julio, Vinariensis & Mansfeldius, junctis viribus, per Marchiam repentino itinere in Silesiam irruperant, sedecim bellatorum millibus stipati. Eos insecutus Bechmanus, irritus consilii fuit; alienatis insuper violentia sua Silesiis, ut Tropavia, Jegerndorfium, Lobschutza, aliaque oppida, Vinariensi accederent. Mansfeldius Bethlemi auctus copiis, quem male haberet Oppeliæ & Ratiboriæ ereptio, jamque Catharinæ Brandeburgicæ honoratus conjugio, resumsit spiritus, & in Moraviam processit; Turcarumque fretus molitionibus, instigatu Bosnensis Bassæ tumultuantium aliquot Hungariæ loca insedit. Eo missus cum exercitu Fridlandus, apud Neutram à Turcis repellitur, ambiguisque sæpius cum Mansfeldianis decertat præliis. Sed cum Transylvanum Fridlandus demitigasset, collusionum metuens Mansfeldius, Venetias procurrere instituit assumtis suorum expeditissimis, traditisque Vinariensi copiis. In itinere datum visceribus, ut aiunt, venenum ferens, in Bosnia corripitur dysenteriæ malo, atque varia coquens animo, inter molitiones novas versatilem emittit animam. Vinariensis Hohenwaldæ potitus & Gabeluncæ, dum & ipse per Hungariam multa molitur, Transylvani ingemiscens consiliis, subito absumitur, triginta duos annos natus; ob res in Silesia præclare gestas & moderatè magno suis desiderio relicto.

Grandior sub hæc Austriam supra Oenum tumultus agrestium pene pessum dedit. Eum Adamus, Comes Herbersdorfius, nimia severitate accenderat, dum ruricolas aut Jesuitam juberet, aut carnificem sibi eligere. Ea enim ex re tanta incessit indignatio turbam, ut correptis lapidibus, in fugam ageret hominem, & mox MD stipatum militibus pene ad internecionem cæderet. Hinc Velsam, Stiram, Lambacum, Gemundam, Freistadium, aliaque loca, suarum faciunt partium agrestes, supplices interim Cæsari de libertate Euangelici cultus integranda, affluxuque exulum nobilium, & quorumvis afflictorum, in tantas aucti vires, ut dempto

dempto Lintzio, quod Procurator Bavaricus tenebat, Austriam supra Oenum omnem haberent in potestate. Ad Lintzium hæsit victoria. Eam urbem circumsidentes, licet frenato catenis quasi Danubio, ne quid annonæ obsessis importaretur, impedire tamen haud potuêre, quo minus & commeatu suos Dux Bavarus & milite sublevaret. Quin & in fugam propulsi ab Herbersdorfio, Breunero, Lobelioque, cum carpi se viderent undique maximam partem ad officium redière. Mox vero accensi iterum suorum suppliciis & incendiis, quæ ducis Holsati legio excitaverat, summo eam mane invadunt; & ad castra sua pertractam dissipant, cæsis ultra quatuor millibus. Similiter reliqui in deserto lacessiti à Bavaricis, iterata sæpius dimicatione, non unam reportarunt victoriam. Lindlous & Hubnerus duces interiere. Lobelius & Breunerus, ferratis agrestium clavis dedolati, plus duo millia desiderarunt. Quæ clades fecerunt, ut Cæsar promissa Austriacis religionis libertate, etiam proscriptos eam ob causam Bohemos, affixis Pragæ tabellis, publice revocaret. Sed ut nihil est plebejis motibus inconstantius, magisque obnoxium discordiæ, ita & hocce vulgus insanum dissidium perdidit. Dum enim alios ruricolas ad armorum societatem instituunt cogere, gravem ab iis accipiunt cladem, & paulo post Paphenheimio, octo armatorum millia in eos ductanti, pœnas exsolvunt seditionis, dissipati fusique passim. Fuga sibi consuluisse autores præcipuos, plurimos suppliciis enecatos perhibent.

Nicol. à Vassen. part. 12. Relat. Franc. & Lipsienses.

Interea è Rhetis in Galliam migraverat bellum. Barbarinus Cardinalis regi Franco pacem cum Hispano jungendam persuaserat, valle Telina Pontifici tanquam sequestro permissa, viaque per Rhetorum angustias utrique Regi aperta. Sabaudus tamen & Veneti, cum Genuatibus inveteratas alebant dissensiones. Inde Gallus ab exteris vertitur in suos, queritantes, non indulgeri libertatem Euangelicis, postrema transactione pactam, neque amoveri castella edomandæ Rupellæ ædificata: conventus presbyteriorum interdici. Roanius & Soubizius fratres, Euangelicorum antesignani ad Anglica confugiunt auxilia; jam enim inter Gallum Anglumque offensæ exarserant. Cum enim ad exercendam majorum religionem, regina Anglorum haud paucos adduxisset Clericos Romanenses, iique contra quam expedire regno videbatur, in suam allectarent sententiam Anglos, ac magister confessionum reginæ arcana sæpiuscule inquireret, Rex eum & sodales Britannia jusserat excedere, missoque Georgio Villiero, duce Bucquingamo, rationes facti explicarat, qui minus visus honorifice haberi apud Gallos, bellum inter Reges affines promovisse dicitur.

Id vero inchoaverant Angli, deprædando Gallorum naves, quæ Hispano adveherent commeatum. Alebat Rex Francus, Anglorum vicissim merces detinendo, queis damnum illatum pensaret. Bucquingamus classe adortus Insulam de Ré, objectam Rupellæ, quum felici prælio Francos in castellum redegisset, nullum dehinc operæ pretium fecit, laceraque & male multatas copias reportavit in Britanniam. Hæc discordia, quo minus Regi Dano ex fœdere aurum proveniret, & auxilia, maximo obstaculo fuit. Anglia promiserat centena & quadraginta millia Joachimicorum in menses singulos, Gallia centena millia coronatorum, adeo lenta nomina, ut Vassenarius annotet, anno XXVIII debuisse Angliam tres milliones, duas Galliam. Attamen Rex animi invictus, collectis iterum sex peditum, quatuor equitum millibus, adversus succinctum pluribus legionibus hostem, arte agendum putabat. Igitur subito Hojam oppugnat, sauciatoque licet glande plumbea brachio, capit. Christianus V. princeps Daniæ, paternæ æmulus alacritatis, Niemburgicis celerrime commeatum infert. Inde Rex in Holsatiam progressus,

Nicol. à Vassen. part. 15.

greſſus, Rendesburgi conventum gentis agit. Quæ, urgente imprimis Produce Gerhardo Rantzovio, continuando bello omnes vires offert. Legatur & in Belgium Galliamque Chriſtianus Thomæus, Daniæ Senator, eruditionis vir raræ & experientiæ, captuſque à Lingenſibus præſidiariis, ab Iſabella liber pronunciatur, obtinetque à fœderatis ſubſidii aliquantum Regi ſuo mitti.

Jam enim tantum impenderat theſaurorum Rex Chriſtianus, ut grandes ſummas à ſuarum terrarum ditioribus mutuaretur. Nam implicari huic bello Daniam, idque totis Septentrionis viribus geri, haud ex re viſum, quod eo non tam Daniæ, quam Saxonicarum ditionum defenſio agitaretur. Interim decedit Produx, vir ſtrenuæ prorſus & invictæ induſtriæ, & perantiquæ apud ſuos auctoritatis, cui Rex ipſe, meritorum ejus adſpectu, Chiloniæ exequias ivit.
1627. Inde ſtructis ad Viſurgim & Albim munitionibus, commeatu Tillianos intercludit, nitenteſque vallum expugnare, crebris repellit cladibus. Cumque in Marchiam Georgius Lunæburgenſis ductaret copias, & vi Brandeburgum caperet, Slammerſdorfius ei adverſaturus, templum Dominicum Havelbergæ occupat, & quaſi pro caſtris munit, unde ad quatuor Cæſarianorum millia glandibus perempta memorant. Marchio Durlacenſis, qui hactenus Sabaudum affectatus fuerat, domi infelix, apud exteros patriam quæſiturus, regia intrat caſtra, itemque Turrenſis Senior, compoſitoque prope apud Italos bello, à Venetis honorifice dimiſſus. Hos ſibi Rex legat, inviſa Cæſari capita, aliis æſtimata. Mox videres Lunæburgicam ardere ditionem, dum Cæſariani regiis, regii Cæſarianis annonam corrumpere ſtudent, receptumque omnem eripere.

Nec alibi fere in Germania lætior rerum facies, Cæſarianis, maxime qui Fridlando ſuberant, adeo ſine diſciplina obvia quæque eradentibus, ut Electores etiam Eccleſiaſtici urgendam pacem, inhibendamque communis patriæ perniciem decernerent, detento etiam tribunorum militarium inſtrumento. Brunſvici agreſtes ad Hercyniam latrocinari incepêre, quorum alii poſt varia facinora domiti à Cæſarianis, aut ultro gratiam amplexi. Northeimum diuturna obſidione fortiſſime repulſa, cum pridie iterum Furſtenbergianas cohortes cruento certamine excepiſſet, tandem XVII. Junii deditionem fecit, præſidiariis Wolfenbuttelum deductis. Interea apud Tillianos commeatu laboratur. Danicis Albim, Viſurgim & Havelam flumina inſidentibus. Unde Comes Tillius aperiendum quovis modo iter ratus, verſus Albim movet, Stoltzenavia & Wolpa, quæ ſtrenuè & diu reſtiterant, vulnerato etiam letaliter Furſtenbergio, ad deditionem redactis. Cum ergo timide aut perfide deſererent commiſſa loca regii, tandem extremo Julio, explorata excubitorum ad Albim ſocordia & paucitate, dum Rex Rendesburgi comitia habuit, Tillius antelucanis horis manipulum militum rate quam occultiſſime tranſportat. Dum nemo ſe moveret, addit alterum agmen. Eo excitati vigiles, ſed conſpecto jam priorum tranſitu pavidi, arripiunt fugam; terroriſque implent Beutzenburgum, cujus in vicinia prætorianæ aliquot cohortes erant. Extemplo, quos obviam ire hoſti oportuerat, in prædas vertuntur, relicto abunde ſpatio Tillianis, univerſas traducendi legiones. Caſtrum Beutzenburgo adverſum, cum nihil contra vim tantam poſſet, & pons Albi inſtratus à regiis, à Cæſarianis occupatur. Ita in univerſam cis Albim Germaniam irrupit prædonum juxta militumque horribilis multitudo, ingens fundi cujuſque calamitas. Mox in ipſa Holſatia ſententiarum oritur divortium inter regem, ejuſque ſororis filium Fridericum ducem, in majus Reipubl. detrimentum. Dux tempeſtatis præmetuens, quæ extremam patriæ ruinam minaretur, ſimul tranſportatas Tillii copias comperit, pacis cauſa ad eum profectus,

fectus, id solum fertur impetrasse, ut promisso à Rege secessu, tolerabilius suis esset, quod vix tamen postea apparuit.

Secutus nobilitatis, & aliorum ordinum tepor, nec idonea ducum copia, qui patriam propugnarent, & confertim conglobatos incolas confestim in hostem ducerent. Præcesserat aliud è Silesia malum. Pacato enim à Cæsare Gabore Bethlemo, regiis ibidem copiis nihil subsidii, nisi quod ferro pararetur. Neque in Mitzlavio prætore exercitus, ea prudentia & fides, quæ cordatis ducibus satisfaceret. Corrupta namque moneta, & sanis consiliis temeritate eversis, militem ab officio avertisse dicitur. Quare Dux Fridlandus, Saganum principatum à Cæsare pactus, animat suas copias, Lobschutzam, & Luschuizam multa cum suorum clade, ad deditionem trahit: mox & Jegerdorfium, civibus direptionem bonorum ingenti pecunia redimentibus. Troppavia & Cofelum strenue restitêre, cum etiam foris strategematibus Cæsariani attererentur. Sed quia desperandum subsidiis erat, Troppaviam Marquardus Ranzovius honestis conditionibus, Cofelum Joachimus Carpezanus tradidit. Inde juncti Baudissius, Holkius, Rantzovius in Marchiam festinant, Durlaceno se aggregaturi. Sed eos Comes Merodius, & Bechmannus Bernsteini assequuntur, instructi septies mille bellatoribus. Conseruntur strenue manus, inclinat ad regios victoria. At cum Poloni pedites & Croatæ in auxilium Cæsarianis properarent, versus est in fugam Baudissius, liberati magni nominis captivi, Bechmanno libertatem aliis sua morte comparante. Audito ergo, Tillianos Albim superasse, Septemvirumque Brandeburgensem imperare abitum regiis, in ditionem Megapolitanam ducit Durlacenus. Ibi pleraque adversa regiis, certatim jam omnibus cum fortuna Cæsarem respectantibus. Pælam igitur insulam occupant regii, navibus ad Wagriæ littora advehendi. Et perventum est Hieronimiam (sacrum portum Holsati vocant) factaque ad Grotenbrodam excensio. Sed jam Fridlandus, Tillio junctus & Lunæburgico, exeunte Augusto, per Alstriam amnem in Stormariam maximis copiis irruperat. Holsatis, qui prope Hamburgum Albis confinia insederant, domum discedentibus. Ne fame interirent Cæsariani, commeatum eis Hamburgum præbuit. Ita refecti, maximo lucro Hamburgensium, ad Pippenbergam procedunt, Stormariæ arcem: ubi tormento pene ad necem ictus à Joanne Henrico Drengenburgio Tillius, deficiente tamen obsessos re tormentaria, castellum subegit. Solæ in Stormaria Tychopolis, Crempa & Bredenberga, aliquantum sustinere obsidionis poterant, in Holsatia Rendesburgum. Proinde in Marchiacis & Silesiacis cohortibus Holsatorum defensio versabatur, quorum plerique, relictis laribus, in Daniam, Frisiam, Hollandiam, ac vicina oppida, Lubecam Hamburgumque confugerant. Sed ut fatalem quorundam pigritiam, irascente terris Deo, intelligas, vix animus Marchiacis plerisque fortiter conserendi manus fuit, neque plumbum in promptu quibusdam cohortibus rei feliciter gerendæ necessarium, Pugnatum tamen acerrime à Bernhardi Vinariensis, Conradi Nellii, & nobilitatis Holsaticæ equitatu; à Scotis etiam peditibus, ad internecionem usque. Sed cum & multitudine, & omni re alia impares Cæsarianis essent, aut dediti Comiti Slickio, aut dissipati, aut in naves rejecti sunt. Durlacenus ipse à navibus non decessit. Sic in proclivi fuit centum millibus armatorum terram pavidam & discordem, pœnisque maturam pervadere. Itaque placando Deo, præter triduanum jejunium, etiam quotidianas preces & Litanias, per duo regna sua, Rex animi invictus, fiduciæque in Deum plenus, indixit: qua mente, consilioque (benedictus esto in sæcula Deus) inconcussi stetimus, cum exteri duces plerique omnes dimissi, ac solis indigenis Respu-

blica mandata esset. Interim Rendesburgi certatum erat strenuè, nec leve hosti damnum datum. Sed Rex à plerisque desertus, cum in Fioniam se recepisset, deditionem uti honestam oppidani facerent, permisit. Dimicabatur aliis simul locis. Bredenberga, Christiani Rantzovii arx, qui tum Soræ in avitas virtutes formabatur, adeo ad extremum duravit, ut circiter quatuor hostium millibus interemptis, vi capta præsidiarios omnes, Stormaros plerosque, mactandos Fridlando daret. In Wilstriorum Marsia, quæ Turrensi seniori cum Dithmarsis attributa, cum nec munita satis loca essent, nec mercenarius miles rapaces cohiberet manus satius plerique duxêre, siquidem expilandi omnino essent, ab hoste id pati, cui fas resistere foret, quam à sociis & defensoribus. Idem in Jutia accidit, longissime inter mare Oceanum & Balthicum porrecta. Tanta enim ex prædabundis Calenbergii, Baudis & Otthonis Rhingravii legionibus indignatio Cimbros incessit, ut fugitiva grassatorum agmina sequentes Cæsarianos, ultro receptarent, nobilium aliquibus, qui arma suaderent opponenda, vel in vitæ adductis periculum. Quare & isti plerique omnes, & honoratiores alii, arreptis navibus, interiorem Daniam aut Norvegiam petere, relictis laribus, quam fidem regi juratam violare maluerunt, id unice miserantes, quod nec indicto quidem bello victi, & priusquam arma cepissent, exules viderentur. Baudis conscenso navigio evasit. Calenbergius & Nellius à Comite Slickio circumvallati, prope Alburgum Cimbriæ in deditionem venerunt. Vexilla equitum XII Calenbergius, quatuor Nellius tradidit; alia XII, elapsis equitum magistris, occupata; tria equitum millia, peditum signa duo, postridie Nonas Octobris in Slickii potestatem transiêre. Sequebantur adhuc Regis partes, Stada, Bremensis diœcesis oppidum, & è Stormaricis, Crempa & Tychopolis. In Slesvica ditione, Sildia & Fora insulæ. In Brunsvigia quoque, sedes principis Wolfenbuttela, à Philippo Reinhardo Solmensi strenue defendebatur, & multa Cæsarianorum millia oppugnantium morti dabat. Nec segnius Niemburgum ad Visurgim Limbachus tuebatur. At Nerbrotus insignem plane equitatum regiis auspiciis tenens, in Bremana ditione, parem cum plerisque aliis fidem præstitit & constantiam; derelictis suis, fugam pro prælio capessens. Deserti equites, tredecim vexilla Tillio asserunt: pedites ad duo millia in fidem Cæsaris adiguntur. Quo facto, diœcesis Bremana, præter Stadam, Tillianis cessit. Fridericus, Regis filius, summæ moderationis princeps, Stada demigrans, per Belgium in Daniam revertitur. Fioniam Rex, introductis Rhingravianis, adjacentesque insulas, variarum nationum milite implevit. Rhingraviani in Selandiam intromitti cupientes, cor regni Danici, irriti consilii fuere. Placuit publicè, littora per indigenam militem defendi. Sic ad Fioniæ fretum vis Cæsariana hæsit, tametsi angustiori fere trajectu, quam Albis.

Crempæ duo præerant, Georgius Alefeldius Holsatus & Franciscus Tretanus Gallus. Sed cum Gallorum superaret multitudo, neque in eam imperium Alefeldio esset, absumptum est luxuriante extranei militis petulantia semestri spatio, quod in biennium sufficisset. Stadam Carolus Morganus Anglus firmo munivit præsidio, ac post edita summæ virtutis specimina, & varias Cæsarianorum strages, XXV Aprilis anno vicesimo octavo, fame demum evictus, Tillio cessit. Wolfenbuttelum, urgentibus præsidiariis, exeunte anno XXVIII. duci Brunsvico redditur, Solmensi cum voluntariis comitibus Lubecam, inde Hafniam ad Regem proficiscente. Sed Pappenheimius, Cæsarianorum ductor, permodico ducis respectu, urbem præsidio Cæsariano obligavit. Niemburgum Limbachus ad mortem usque tutatus est. Centuriones id, permissu regio, inci-

incipiente Novembri, duci Lunæburgico tradidere. Corpus Limbachi postea refossum, ignominiæque causa, nescio quo, projectum est.

1628. Cæterum ut fortuna maris haud eadem, quæ continentis risit Cæsarianis, callidum arripiunt consilium. Autores urbibus Teutonum fiunt Hanseaticis, conspirandi cum Cæsare & Hispano rege, ad Daniæ subversionem. Verum illæ non nesciæ, quantum Dani mari possint, hoc præsertim tempore, quo nunquam classis validior ex illis portubus Oceanum perambulavit, ancipitis periculi negotium urbana prudentia declinant; ad commeatus interea subvectionem, aliaque officia, suis fructuosa, Danis fere Holsatisque noxia, haud pigræ. Nec defuerunt, quæ præsidio se insideri, cervicesque liberas implicari jugo paterentur, promissionum invitamentis aut metu subactæ. Eo loco sunt Wismaria, Rostochium, & Pomeranæ civitates universæ, exceptis Stralesundo & Stetino; quæ cum Saxonicis potentioribus, Lubeca, Hamburga, Brunswiga, Magdeburgo, Brema, majorum se exemplo, & inveteratis viribus tuentur. Pomerania, Marchia, Frisia Orientalis, totaque inferior Saxonia, insolentibus tributis & militaris turbæ tyrannidi subjiciuntur.

Nec dispar superioris Germaniæ fortuna, ut vetus illud hic usurpare liceat; *Dat veniam corvis, vexat censura columbas.* Hamburgenses, munita & dilatata maximopere urbe sua, munificentia etiam sua Cæsarianos sibi duces devinctos reddere, aut placare saltem studuerunt. At Rex, classe Aprili mense expedita Femariam, Balthici maris insulam prædivitem, cæsis aut in deditionem acceptis præsidiariis DCC, recuperat, Wagriam tentat & Chiloniam. Eklenfurdam diripit. Inde accursantibus ingenti multitudine Cæsarianis, imponit Femariensibus præsidium, classemque in Daniam reducit. Mox Stralesundanis imperatur à Cæsarianis pecunia, ejusque parte obla-

ta, nihilominus præsidii impositio indicitur à Joanne Georgio Arnheimio, legionum aliquot Cæsarianarum ductore. Dum de pace agitur, vicinum Denholmum occupare Arnheimius instituit. At oppidani, exploratis insidiis irritati, locum recipiunt statim, novasque compositionis insistunt vias. Verum edocti iterum, sub vulpina pelle latere leoninam, & infestati maximis conatibus, regis Dani auxiliares oppido admittunt. Iis freti, oppugnationes, cæsis hostium multis millibus, strenue propulsant. Cumque esset, qui tradere urbem Arnheimio occultis literis moliretur, prodita fraude per excubitores, Henricus Holkius, auxiliarium Danorum rector, obsignatas caute literas tabellioni reddit, ad Arnheimium ferendas, qui ignarus enotuisse consilium, loco horaque statis urbem adoritur; sed erumpentibus, ut ad prævisam vim Oppidanis, ingenti cum clade rejicitur in castra. Par aliarum ibi machinationum successus enituit, incensis & per cuniculos strato pulvere munitionibus, ut ingens multitudo obsidentium fœdissime lacerata in aërem mitteretur. Cum abesset nuptiarum causa Holkius, assensérat fere deditioni urbis senatus; At illo admaturante reditum, Julio adulto, visa classis Danica, animos obsessis refecit. Holkius Jacobo Steinbergio comitatus, Jurisconsulto & Oratore regio, occœptas tractationes dissipavit, Cæsarianos occupata munitione depulit. Compertumque est durante obsidione, nocte una quinquies impetum feciisse in valla totis legionibus Fridlandicos, quinquies ingenti cum clade rejectos. Extemplo advolat Rex ipse Christianus IV, ducens secum Christianum V Daniæ principem, & Fridericum ducem, filios, heroico patre dignos. Mox ejus recentibus auctus subsidiis Holkius, Cæsarianos munitionibus omnibus cogit excedere, desertas plerique regii insident. Inde Barthum strategemate Holkius occupat, divitisque suos prædæ implet. Rex ipse Wolgastum, invitis Bogislai

ducis consiliariis, deditione capit. Inde Usedomum insulam. Anclamensium pecora abigit miles regius, totiusque Pomeraniæ præsidiariis injectat metum, arrectis jam velut ad libertatem Pomeranorum animis. Sed Dux Fridlandus XXII Augusti toto exercitu obruit ad Wolgastum regios, occidit quadringentos, Scanos præsertim pedites, viriliter dimicantes, stipendiariis plerisque fugam magis quam prælium respectantibus. Quæ causa fuit exautorandi Rheingravium, quod ejus inutilem operam regia majestas comperisset. Igitur reliqua exercitus Rex in naves, ad littus paratas imponit; præmissaque præda & tormentis, in Daniam reportat. Stralesundani, nihil ad reditum Fridlandi timidiores, jam tertium annum acri libertatis defensione admirationem de se virtutis præbent, recepto demum in urbem Sueci regis præsidio, prout alexius Ochsensternius, magnificus Sueciæ Cancellarius, ob id in Daniam missus, impetraverat. Nec segnior Tychopolis, quamvis vastante incolas pestilentia, magistro militiæ Marquardo Rantzovio, defenditur. Rex enim, animadversa Duranti Galli vecordia, indigenæ fideli præfecturam ejus urbis, salutari consilio commiserat, qui exeunte Maio, oppugnatores felici manu repressit. Propugnaculis tamen ad Storam, quæ fluminis usum Crempensibus defendebant, potiti per Gallicani militis socordiam Cæsariani, famis induxerunt obsessis periculum: quæ etiam causa exstitit, ut quarto Novembris Alefeldius, incolumitatem civibus, sibique & præsidio pactus, oppidum traderet Fridlando Duci, cum annum & mensem à maximis viribus illæsum perduraset. Ambiguam id solum deditori palmam fecit, quod tempore deditionis cum nonnulli clam abundarent, penes plerosque extrema regnavit inopia, prout civium meorum sermonibus comperi. Cæterum ad Tychopolin frequentibus multati cladibus Fridlandici, crematis castris, obsidionem solvere coguntur, cum pauco tempore plus tria millia obsessi jugulassent.

Etenim decimo octavo Augusti castra ad Colmarium vicum adorti, Annibalem Scaumburgicum, cum aliquot tribunis ceperant, cæsisque Cæsarianorum compluribus, ultra mille vulneratos populerant in fugam. Nec quicquam ab iis præsidiariis tuti Fridlandicis aut Tillianis, in Stormaria, Dithmarsia, vel adversa Albis ripa fuit, cum continuis eruptionibus, etiam longius posita, ferro aut flammis devastarent. Quo tempore Itzehoæ, cum horribili strepitu & clamore nocturno, porta cœnobii, à Cæsarianis occupati, revellitur, boves prædatitii, circumactis à spectro cervicibus, strangulantur, defixis etiam alte in terram cornibus, reliquisque armentis passim dissipatis. Sic annus attingitur nonus & vicesimus, quo ineunte, dum Rex Danus, Hafniæ convocatis Senatoribus & Theologis, de emendanda Ecclesiæ disciplina, asserendaque Ministerio autoritate clavis utriusque, salutare consilium agitat; Lubecæ de bello honestis conditionibus deponendo, inter Cæsarianos, ejusque legatos disceptatur. Pene ut victis, dicebant initio leges Cæsariani. Danici Legati, canæ prudentiæ, infractæque generositatis viri, nihil de principis sui majestate, avitoque jure, volebant diminutum. Erant Cancellarii ambo, Christianus Frisius, Regis, Jacobus Ulfeldius, Regni; Albertus Schelius, præfectus maris emeritus, Heroës summæ in Dania, ut prudentiæ, sic autoritatis. Ex Holsatis, Dethlevus & Henricus Rantzovii, Senatores, cum Levino Marschallo Cancellario, tam genere quam virtute præstantes. Quibus & aderat Fridericus Guntherus, Regi à secretis intimis, exemplum maximæ eruditionis, cum civili prudentia certantis. Hi de pace cum Alberti Ducis Fridlandi & Joannis Tzerclas, Comitis Tillii, bellatorum nostra ætate felicissimorum delegatis, jam quintum mensem tractabant, ancipiti succes-

successu. Sed cum ductores regii, inter quos Ulricus Dux, filius regis, Carolus Morganus, Ferentius, Dethlevus & Daniel Buchwaldii, validissimo instructi exercitu, Strandiam insulam, confinemque Eidoræ ripam occuparent; Tonderam subigerent, Rexque ipse cum apparatissimis copiis in Angliam, Slesvici ducatus peninsulam, appelleret, jam Gottorpium locatis verberaturus tormentis, Cimbricusque exercitus Cæsaris ab Holsaticis discluſurus, extemplo panicus invasit metus turmas Fridlandicas, gnaras dudum incolas ad sui exitium occasionem præstolari: Igitur summa festinatione Lubecæ pax conficitur, interveniente haud modica Annibalis istius, libertate ab Rege redonati, & Joannis Altringii, ducum Cæsarianorum, opera. Autorem habeo, Altringium lassatis ad mortem præ festinatione equis, Cæsarianos ad pacis consilia, commemorato periculo excitasse. Redduntur ergo Regi, Cimbria, Slesvigia, Holsatia, & quicquid hæreditarium domui Holsaticæ Cæsariani occupaverant. Rex aliis Saxonum provinciis renunciat, dissidium, æterna oblivione aboletur. Deducto milite, nobiles & honorati quique, qui Sacramentum Cæsari dicere detrectarant, laribus suis officiique læti restituuntur. Pridie quam pax conficeretur, Wilstriam Tychopolitæ oppresserunt, cæso cum cohortibus Frencko Cæsarianorum tribuno; majora ausuri, ni misso præcone, Rex arma ponere jussisset. Pacem, ut cœlitus missam, populi bellicas jam experti calamitates, accepêre, solemnique festo Deo optimo maximo publicas exsolverunt grates. Nec levi triumphant Dithmarsi gaudio, qui superiore anno, suo se Marte in libertatem vindicare frustra attentarant. Cum enim frumenta, pecunias, pecora Cæsarianis tradita perspicerent, neque modum aut fidem reperirent exactionum, induti arma, qui fervidioris ingenii erant, hospitia invadunt præsidiariorum, eorumque uno impetu supra centum jugulant. Alios placidiores cogunt secum Marnam proficisci, quo mox altera advolavit manus agrestium, qui Cæsarianos Fridericiana in villa obrutos mactaverant, arreptoque confestim versus Brunopolin itinere, castrum prope Albim munitum aggredi statuunt. Sed ut in populo libertatis amantiori, quam concordiæ, & quorum plerosque studium prædæ magis, quam amor patriæ armasset, domum redière multi, multi plena periculi majoris hæc ausa, haud vane submovebant. Reliqui, nullo se obstrictos Cæsari jurejurando prætexentes, audacius quam cautius in hostem pergunt, sed ut ebrii à sobriis, facile cæsi, aut fugati, duriorem patriæ conditionem reddidere. Accepi à fide dignis, praviſſimas in eis terris Cæsarianorum artes eluxisse. Multis enim gladio feriri pro lusu fuit, quod cutem Satanicis adjurationibus & incantamentis adversus ferrum durassent, è quibus submersi aliqui, aut fustibus cæsi ad necem. Nec pauci incolarum è Dithmarsis, venenatis ab iis icti glandibus, nequeuntem exire spiritum vix extremis cruciatibus expulêre. Igitur tam atroces mutasse dominos multum gaudent, id serio interim dolentes, quod vicinis Saxonibus, Pomeranis, Megapolensibus, haud eadem frui felicitate liceat, quæ causa erat sumendi pro iis arma. Etenim Megapolitanæ ditiones, quas Adolfus Fridericus & Joannes Albertus fratres, pervetusto regum principumque Henetorum stemmate procreati, permultos annos tenuere, Alberto Fridlando primum quasi pignoratæ à Cæsare, nunc vero hæreditario etiam jure, quo quæ optimo, addictæ sunt; promulgata adversum duces, nec auditos quidem, ut aiunt, perduellionis sententia, quasi cum rege Dano consilia & vires contra Cæsarem sociarint. Quam societatem ipsi pro defensione Saxoniæ contractam non negant, attamen avocatos se ab ea Cæsarianis literis, haud renuisse, aiunt, obedientiam. In Pomeraniam vero infusus à Fridlando

miles, omnia passim eradit; Diœceses Saxonum Ecclesiasticæ, non viris solum & opibus, sed & libertate exercendi acceptum à majoribus Dei cultum, penitus exuuntur. Sed id ante, cum prædiceretur futurum, ni Romanensium fœderi (sacram Ligam vocant) mature iretur obviam, plerisque haud persuadebatur. Nunc vero promulgato etiam edicto, quo Cæsar omnia loca, Romanæ religionis sectatoribus, post Passaviensem transactionem, id est, totis septuaginta quinque annis alienata, restituere in integrum jubet, serio ingemiscunt: miserantes pelli & aliis Ecclesiis Presbyteros simul, ac ludimagistros, quæ ante datam purgatiori cultui pacem Lutherum sequebantur, ut sunt Augustanæ, Mindanæ, Tremonienses, & aliæ. Quin & sæviri in corpora doctorum, quemadmodum infinitis exiliis, & Theodori Thummii, Tübingensis Theologi, & Campidunensis Zeæmanni, aliorumque captivitatibus elucet.

Feliciſſime vero his temporibus Belgæ uniti cum Hispanis dimicarunt. Nam Mosam Rheno infundere molientes, facta è Rhezanis castris eruptione, disturbarunt. Ernestus Casimirus Oldensilam eis anno XXVI cepit, nudavitque munimentis: Sequenti princeps Auriacus Grollam, cæsis Hispanis, qui suppetias latum venerant. Vicesimo octavo classem argentiferam Hispanorum debellavit Petrus Petræus Heinius, qui præter alia hostibus illata damna, viginti duas naves, Americanis prægnantes opibus, ad portum Matancæum expugnavit, partisque opimis spoliis, quæ ducentis auri talentis æstimantur, deportavit in Hollandiam. Inde tantum apud Hispanienses querelarum, quantum apud Batavos jubili. Penes milites vero, stipendiis suis è Dominorum jactura desperantes, alacritatis minimum, seditionum abunde. Unde fiducia principi Auriaco, appetita toties frustra Sylvam-Ducis obsidione cingendi prævalida; cujus is exitus fuit, ut conatibus Henrici de Monte foris discussis & intus defatigata obsessorum fortitudine, ad ultimum munitissima urbs Brabantiæ in Ordinum migrare potestatem coacta sit, exhaustis quadrimestri obsidione viribus, prostratisque per incensos cuniculos portis aliquot, benignitate Auriaci honestas deditionis leges pacta, ineunte Septembri.

Tantum ibi virium, tantum adhibitum ab obsidentibus artis fuit, ut satius sit obiter successum designasse, quam maximas ingenii humani molitiones levi penicillo diminuere. Id vero magis præter omnium opinionem accidit, quod paulo ante Vesalia ad Rhenum, longe potentissima urbs & opulentissima, captam se citius, quam oppugnatam à Batavis intellexit. Didemius enim Dynasta collectis peditum MCC, equitibus octingentis, quasi aliud agendo, nocturno itinere Vesaliæ propinquavit. Mox audaculi quidam, eas diu præmeditati insidias, transnatant fossam, munitionem alicubi semiperfectam superant, excubias opprimunt, portam malleis securibusque, revellunt, & intromisso milite, Franciscum Losanum, qui urbi præerat, subitaneo consternatum discrimine, cogunt claves tradere. Cives, qui antea exarmati essent, nec sine causa infensi Hispanis, ob ademptam nuper patrii cultus libertatem, præsidiariis opem non tulere. Capta ibi præda ingens, tribuni militares in captivitatem rapti, milites dimissi sunt. Didemius urbi præpositus. Is victoriarum cursus, ut animos fœderatis auxit, ita Henrico Montensi Velaviam deserendi necessitatem imposuit. Prægresso Junio, Heinius in prælio Dunkerkano navali, cum displosiones machinarum hostilium sustinere, & evacuatis demum iis, summa vi incumbere navibus decrevisset, glande stratus ignita, victoriam, sed morte partam, patriæ suæ reliquit.

Nec degeneres Magdeburgici avitæ libertatis vindices. Hi cum omnibus officiis demereri Cæsarianos bello Saxonico

nico curæ habuiſſent, Norbertique, veteris Archiepiſcopi, exuvias effodi terra, Pragamque deferri conceſſiſſent, tamen effugere quorundam ambitionem, an avaritiam nullo modo poterant. Illuſi ſæpius, prout libello edito memorant, prædiiſque & pagis ſuburbanis tantum non privati, tandem etiam commeatu, Albiſque fluminis uſu ſpoliantur. Unde exacerbati nonnulli civium, navigia aliquot annonaria in urbem abripiunt, Croatas prædones, abigere pecora urbica molitos fugant. Hinc bellum, Cæſare licet ignaro, (quemadmodum & ante ferunt, Straleſundo) natum, proſtratiſque eruptionibus non paucis Cæſarianorum, Magdeburga obſidione clauditur. Dux Fridlandus ei præſidium imperat, grandeque urbi periculum intentatur. Sed cum maſcule ſe tuerentur obſeſſi, interventu quorundam principum, civitatumque, ſopita controverſia, emollitus Dux, majorumque libertas civitati reſtabilita eſt.

Sedet & Straleſundanis, licet atroci peſtilentia exhauſtis, mens priſtina aſſerendæ libertatis, à quibus Hatzfeldius tribunus, dum oppidum, veluti enervatum, opprimere tentat, mixto virtuti dolo repulſus eſt, parumque tuti Cæſarianis ea in vicinia relinquitur.

Rex Suecus, denſis victoriis, honorabiles ſibi, utileſque cum Rege Polono Patruo inducias comparavit, in ſexennium. Anno XXVIII hujus ſeculi Neoburgum & Strasburgum expugnarat, inventis nuper à quodam Elia Tripo machinis coriaceis; quæ perinde, atque æneæ ignitos jaculantur globos, paululum adjutus. Quo tempore etiam Ulricus dux, Chriſtiani IV regis filius, maximæ alacritatis, animique imperterriti documenta in caſtris Suecicis dedit. Sed Neoburgum Polonus receperat; Strasburgi obſidione depulſus ab Axelio Oxenſterno Cancellario, ſimiliter Mevam ab ipſo Rege coactus relinquere, nihil etiam profecit Cæſaris auxiliis. Igitur appellatus de pace Suecus, Strasburgum, Dirſaviam, Fraubergam, reddit Polono: retinet occupata Livoniæ, & in Boruſſis, Braunsbergam, Elbingam, Memelium, & pleroſque locos littorales, Mariæbergam, Hauptum, Stumniam, Brandenburgicus pro ſequeſtro accipit. Si quis tertius alterutrum turbare bello conetur, ad mutua ſe auxilia devinciunt Reges. Re peracta exeunte anno XXIX.

Belgæ fœderati Duisburgum, Rhurortam, Eſſenam, ſuæ ditionis faciunt, Hiſpanis Velavia exactis: in novo orbe Giamericam occupant. Anno quo hæc ſcribimus, id eſt, XXX, Fernambucum Braſiliæ capiunt, cum luculenta præda; Hiſpanienſes ad Mulheimum profligant, vulnerato ad necem eorum duce Joanne Naſſovio, qui nuper pro Henrico, Comite Montano, otium amplexo, ad exercitum cum imperio venerat.

Dum Suecus Boruſſiam inſidet, atque Cæſariani ſubigendæ inhærent Stormariæ, Regi Franco cum Rupellanis, Angliſque negotium fuit. Rupellani enim religionis ſuæ exercitio metuentes, Anglorumque ſubnixi fide, quod multa prioris pacis capita eludi, nec ſolide impleri cernerent, obſidionem terra marique ſtrenue ſuſtinebant. Ludovicus rex, miſſo antea in carcerem Vendomio, ſuo ex Eſtræa fratre, Diguierium crearat equitum magiſtrum, nuper ad Romanam verſum Eccleſiam. Sed nihilominus conſpiratione ſuorum petitus, aliquot conjuratos deleverat, Diguierio paulo poſt concedente in fata, hærede Crichio Dynaſta genero. Igitur Cardinalis Richelius, dudum maris præfectus, imperator adverſus Rupellanos dictus, anno ſupra MDC viceſimo octavo. Condæus in Aquitaniæ oppida, ab Euangelicis habitata, plumbeas iras concepit. Ex eoque atrox bellum inter Regem & Hugonotos flagravit; Palmieram, Braſſacum, Caſtelnovum, Sanſeverum, Caunam, aliaque oppida, promiſcua omnium incolarum cæde exhauriente Condæo: Cui Afriam occupaturo regeſſit Rohanius eladem.

Nicol. à Vaſſen. part. 15.

dem. Passi sunt multa, feceruntque fortia Religiosi, donec Rupella tardatas, aut disjectas à Francis Anglorum naves, frustra respectans, extremam vim famis subiit, qua non tam domita fortissima civium pectora, quam quod nihil supereſſet spei de Anglicana ope, victas porrigunt Regi manus. Aurum ingens promittunt, præsidiumque Regium de suo alunt, quoad arcem ei suo sumptu intra mœnia exædificent. Vicissim ab Rege vitæ, fortunarumque incolumitatem, ac præsertim religionis restipulantur. Perierant fame aut gladio xv millia obsessorum: regia castra contagium devastarat, Dux Roanius & Soubizius fratres, eadem comprehenduntur pactione: si occupata regi restituant. Montalbanum quoque, Castra & Nemausum, intra trimestre ad officium revertantur. Simul ea pax efflоruit, affines quoque Reges Gallus & Anglus sopitis dissidiis, instaurant concordiam, adversus communes se deinceps hostes conjuncturi.

Id quod eo facilius putant confectum, quod paulo ante Bucquingamus, à Jano Feltone, viro militari, dum cubiculum suum egrederetur, derepente invasus confossusque fuerat, autore cædem hanc Reipublicæ se causa fecisse, inaniter protestante. Bucquingamus, vir magni animi, & excitatissimi, flagrantissima regis gratia, publico odio cruenta morte luitavit. Igitur Gallicana arma arctius sociantur duci Nivernio Carolo, qui ex morte Vincentii patruelis Mantuanas ditiones, & testamento, & agnationis jure apprehenderat inconsulto Cæsare, feudi Domino, indignantibus Hispano & Sabaudo, cui cum Mantuanis ducibus antiqua super Montisferrato lis est. Sic vetera partium inter Gallos Hispanosque studia recrudescunt. Sabaudus Hispanis jungitur, Genua interim intestinis conspirationibus laborante, quæ in autorum capita recidere. Inclinant & in Mantuani partes Veneti. Proreges, Neapolitanus, Siculus, Mediolanensis maximo studio in bellum incumbunt, irruente & in Italiam divini ira numinis, quam horrendi in Apulia terræ motus, quibus septendecim hominum millia interiisse ferunt, prodigiosæ inundationes sanguineæque ebullitiones fontium, securis mortalibus denunciant. Casalin, Montisferratis Marchionatus præcipuum oppidum, Mediolani produx Consalvus de Corduba pertinaci obsidio pressit, donec plus sex millibus suorum amissis, inundante Pado, abscedere coactus est, Mantuano causam Cæsaris cognitioni submittere haud abnuente, si arma utrinque deponantur. Id cum Hispanus, haud ferens Gallum principatu aliquo Italiæ frui, & Allobrox, Montisferrati pene potitus, recusarent, Nivernius Gallicanis suffultus opibus, jam animosius se tuetur, ut bellum è Nordalbingia nostra Alpes transvolasse, haud immerito dixeris. Interea Grisones seu Rheti Austriacis se submittunt, Helvetiorum neglecta amicitia. Id quidem indigne ferunt Helvetii, sed placati legationibus, quibus nihil adversum prisca fœdera Cæsarem moliri docentur, conquiescunt. Merodius Cæsarianas copias è Rhetia Monferatum perducit, contagiis tertiam partem diminutas, sed quæ jugi è Germania affluxu auctæ, multa Mantuanæ ditionis loca subegerunt, Mantuamque ipsam obsidione cingentes, haud modicam pertulerunt stragem. Obsessi enim, ut Venetis suffulti auxiliaribus, facta eruptione, Cæsarianorum ad tria millia prostravere, qui graviora pertimescentes, pro tempore obsidionem relaxarunt. At postea reversi, mense Julio hujus anni xxx, postquam Rex Francus jam Sabaudiam subegisset, Mantuam Cæsari expugnarunt, reliquam Italiam pestilentia exhauriente.

Dubitatur & de pace Turcica, præsertim cum Transylvania, hactenus inter Cæsarem & Sultanum nutans, mortuo Bethlemo, Turcam dicatur respicere: qui exstincto nuper Parthorum rege Sia Aba, mille & octingentarum mulie-

mulierum viro, inveteratas dissolvere cum Parthis lites instituit. Arcironium purpuratum redegit ad obedientiam, eumque præfecit Bosniæ. Jambecum Girain Rhodio solvit exilio, victoque ejus æmulo, Tartaris iterum regem imposuit. Interim Anglus & Batavi, cum Gallis, Palatini urgent restitutionem, Belgicæque copiæ prius indies Germaniam carpunt, jam in Westphalia, Susatum, nec pauca alia loca tenentes. Timentur & Palatinis Bavaris, Hispaniisque, qui ob id Hannoviam, præsidium recipere abnuentem, circumsedêre, aliisque ad Mœnum Rhenumque oppidis militem alere imperant.

Alius Pomeraniam & Megapolim metus tenet, quod pugnatum in se à Cæsarianis Suecus indignatur, justamque præ se fert causam irrumpendi in Germaniam. Dudum vulgatis diplomatis, commeatus advectione interdixit littoralibus Pomeraniæ & Megapolis oppidis, quæ à Cæsariano exercitu insidentur. Cœptum quidem Dantisci pacis negotium, sed priusquam convenirent legati, interruptum. Interea Rugiam & Pomeraniam, ex defensorum iniquitate, dira infestavit fames, quæ plurimos mortales exstinxit, aliquos in proprios armans affectus, adeo ut nec ab humana carne abstinuerint. Qua rerum facie torpentem Rugiam occupavit Rex Suecus, profligato felicibus præliis Cæsariano præsidio. Mox portibus, Divenoviano & Pænemundano, potitus, Stettinum, alteram Pomeraniæ metropolin, classe advehitur. Bogislaus ei dux tradit oppidum, conquestus publice, exitio esse Pomeranis Cæsarianum militem, aliaque omnia potius, quam protectionem cogitare clientum. Itaque nondum expetita pax res mortalium revisit. Seculum hoc, præsertim ultimum, jugi quassatur dissidiorum exitialium catena. Ferdinandus Cæsar, suæ zelo religionis fervens, eique acceptas ferens, quas XII hisce annis frequentes habuit victorias, pergit imperare Euangelicis, ut abjecta, quam sacris literis consonam putant, fide, Romanæ Ecclesiæ sequantur autoritatem. Diversum docentes, tota Bohemia, Austria, Moravia, Glogovia, multis Silesiæ principatibus, Stiria, Carinthia, Croatia, Juliaco, Clivia, Rhetia, expulit. Maximilianus Bavarus, reddita Cæsari, quæ supra Oenum est, Austria, utroque potitus Palatinatu ad Rhenum, exemplum Cæsaris imitatur. Nec mitior Hispanus, qui Franckenthalum, elusa regis Britanni spe, dudum sibi servat, ejectis purioris doctrinæ præconibus, Manheimum diruit, Juliacenses, Rheticas, Westphalicas, quas tenet civitates, ad Romanensium adigit ritum. Egra, Colmaria, Lindavia, Campodunum, Tremonia, Minda, Halberstadium, Stada, aliaque passim oppida Germanorum, spoliantur à Cæsare religionis, ab Luthero instauratæ, exercitio. Repetuntur jura Episcopalia, quæ principes aliquot Augustanæ addicti confessioni, integro pene seculo usurparunt, per ordinarios Ecclesiarum Superintendentes. Neque obscure id agitur, ut Ferdinandus III. Cæsaris è Maria Bavara primogenitus, quem ante biennium Hungari Bohemique Regem coronarunt, Romano deinceps initietur regno, quamque orsus est telam parens Augustus, eam pertexat. At Christianus Guilielmus Præsulatu pulsus Magdeburgico, succesforemque nactus Cæsaris filium, Leopoldum Guilielmum, nuper ab exilio redux, totam fere diœcesin improviso adventu recepit. Jan-Georgius Saxonum Septemvir, qui Silesiam, Lusatiam, Egram subegit Cæsari, jamque aliquot millia eorum, qui ob Lutheranismum exulant, suis in ditionibus alit, ægre fert, operam ab se Imperatori præstitam, in perniciem converti ejus Ecclesiæ, quam ipse judicat orthodoxam. Florentissima quondam & liberrima Germania fugitivam anhelat, cum pace libertatem.

Ea ne solida frueretur & Nordalbingia nostra, Hamburgensium quorundam præceps fecit temeritas, qua tres

ſereniſſimi Danorum regis naves, in Albi excubantes, mox quoque pontonem prægrandem, derepente invaſerunt, captaſque traduxerunt Hamburgum. Prætexitur cauſa, quod vectigal Rex novum Tychopoli à navigantibus cœperit exigere. Hamburgenſes enim flumine, ut ſuo, ſe uſos ab antiquo jactitant, cum Holſati duces dominium Albis, qua Nordalbingiam alluit, ut principes imperii, ipſorumque Domini Hamburgenſium, ſibi vindicent. Neque vectigal rex ſibi depoſcere ait, ſed compenſationem damni, quod Hamburgici, Holſaticæ rei, contra jus priſcum, intulerint, quum merces & alimenta venalia, novos eis imponendo cenſus, iniquis modis flagellaverint. Res hiſce diebus in Albi tribus præliis decreta, quibus victor Rex Danus, Hamburgenſes flumine, cujus uſu Tychopolitas quatuor fere menſibus prohibuerant, expulit, extraque ſui partes territorii rejecit. Nimirum nunquam hoc mundi ſalum fidam pollicetur requiem: Sola cœleſtis pax omni intellectu major piorum mentes irradiat. In ea non pauci melioris Theologiæ præcones proximis annis ad ſuperos evolarunt: inter quos Wittebergæ Leonardus Hutterus, Balthaſar Meiſnerus, Fridericus Balduinus, Wolfgangus Frantzius, & ante eos, Joannes Arndus, Lunenburgiæ inſpector Eccleſiarum, ſingularis magiſter pietatis: Marpurgum Balthaſarem Mentzerum, Joannem Winckelmanum: Roſtochium Eilh. Lubinum, Joannem Affelmannum, Joannem Tarnovium, maximæ eruditionis viros deſiderat; Vienna Martinum Becanum ſuum, controverſiarum inter ſcholam Pontificiam & Lutheranam continuatorem. Franekera nuper etiam Sixtinum Amamam; Baſilea Joannem Buxtorfium Seniorem, Hebraiſmi, ſicut ante quadriennum, Leida Thomam Erpenium, Arabiſmi doctorem nobiliſſimum, ad meliores miſit: Uti & Haſnia maximum ſuum Caſparum Bartholinum. Sorbona Pariſienſis, majorum ſuorum inſiſtens veſtigiis, Antonii Santarelli Jeſuitæ librum, quo reges Pontificiæ ſubjicit juriſdictioni, eiſque ob hæreſin abrogari imperium poſſe, nec Eccleſiæ doctores ſubeſſe terrenis poteſtatibus contendit, publice proſcriptum, in cineres juſſit redigi. Atque hic nos longo atque perdifficili itineri metam ponimus, ad deſideratiſſimum illud è cœlis regnum, quod adventus Jeſu Chriſti pollicetur, cum omnibus ſanctis anhelantes; reliqua mundi acta aliis curæ ſunto.

JOAN.

JOAN. CLUV. EPITOMES HISTORIARUM

LIB. X.

APPENDIX.

QUod postremum dixeram de perpetua sali hujus, in quo mortales miseri fluctuamus, inconstantia, id res proximo hoc triennio gestæ roborant. Rara enim etiamnum & fugitiva pax est, sine metu & sollicitudine nullæ orbis provinciæ, sine procella & turbine paucæ navigant.

Beatum præ aliis hoc nomine dixerim Septentrionem nostrum, Norwegiam intelligo, Daniam, Nordalbingiam, eisque connexas regnis insulas ac ditiones, quibus divino munere fidum hoc triennio manſit, suo Christiani IV, cordatissimi juxta ac fortissimi Regis sceptro tranquillitatis beneficium.

Respirarunt eo haud modicum qui bello Saxonico exhausti erant & expilati ab Harpyis militaribus populi, restituta vis legibus, judiciis autoritas, Senatui Regnorum ac Ducatuum majestas; imperium magistratuum ad pristinum redactum modum; prisca illa & antiqua Reip. forma revocata. Rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique rerum suarum possessio, emendatæ quibusdam functiones utiliter, datæ ablatæve salubriter, subleſta aliquorum fides asperitate, nec sine severitate castigata.

Factum & singulari favore Numinis & pacificorum consilio rectorum, ne Hamburgici tumultus incendium vicina corriperet. Fervida arrogantium ingeniorum molimina cordatior civitatis pars flexit ad moderationem. Restitutæ Regi Christiano IV, quas per temeritatem ereptas diximus, naves, acti resarciendæ gratiæ conventus; Rex ad fœderati Belgii interceſſionem pronunciavit, nihil se Hamburgensium ritus aut consuetudinis in Albi mutaturum, nisi quod ipsi mutent, modo hujus de dominio integra Cæsari cognitio reservetur, admissamque culpam urbici centum millibus Talerorum; & quod sponte polliciti sint filiis suis, honorario eluant. Cum id minus placeret Hamburgensibus, nemini placuit, auream totius Nordalbingiæ felicitatem intempestivo armorum strepitu obscurari. Re ad Cæsarem Ferdinandum delata & ipsi, & Septemvirali collegio probatam accepimus, quam Rex urget, damni ex Hamburgensibus compensationem, eoque nomine vectigal aliquod à præternavigantibus Tychopolin mercatoribus exigendum. Alioquin nuperis Comitiis, illius civitatis ingens juris justitiæque studium eluxit. Non enim abnuit Senatus, sanctissimo se jurejurando obstringere, in abruptam severamque justitiæ observationem, nullo unquam munere, quacumque specie oblato, quocunque meritorum adspectu obtruso, seu ante cœptam, seu post finitam litem, ullatenus vitiandam. Compertam Senatus innocentiam geminato civitas stipendio remuneratur.

Confinis Daniæ Suecia luculenta nisce annis bellicæ virtutis documenta dedit, pro religionis ejus quam profitetur, communisque vicinorum liber-

tatis tutela ac propagatione suscepto cum Ferdinando II. Cæsare bello acerrimo, quo omnis Germania involuta est. Ejus causas & progressiones paucis explicabo: finem posteritas loquetur. Cum enim Stralesunda, prout in Epitome nostra narravimus, Suecicum accepisset adversus Cæsarianos præsidium, spontanea ad id Regis Sueonum, Gustavi Adolphi liberalitate invitata, asperrimumque dudum bellum inter cognatas Regias Polonicam & Suecicam, de vero Sueciæ dominio flagraret: Cæsar Ferdinandus, qui Regi Polono, ex gemino cum suis sororibus conjugio, cupientissimus foret, suppetias ei in Borussiam, adversus Suecum misit; ejusdemque legatos à Lubecensi cum Rege Daniæ transactione repulit. Addita ab ejus Ducibus alieni affectus irritamenta quam plurima, quæ copioso scripto Rex Suecicus publicavit. In Borussiam contra Gustavum duce Arnheimio Cæsarei campi Mareschalco missus est exercitus: quam ob rem Steno Bileke Baro, *Regi à cubiculis*, qui à Sueco Senatu tunc temporis ad *Cæsareum* Generalem Walsteinium ablegatus, ut *si animos partis adversæ in pacem pronos repeririret*, etiam pro Stralesundanis armistitium statueret, scribens ad Walsteinium de iniquitate transmissi exercitus protestatus est. Cui responsum *illusorium* datum; Arnhemium cum exercitu ideo missum esse, quod tot copiis abundaret Cæsar, ut sibi hunc exercitum dimittere opus esset, atque ideo Cæsarem amico Poloniæ Regi contra Suecum eum misisse. Porro conflatæ inimicitiæ faces subdidit Protestantium Principum ex avitis territoriis ejectio, purgatæque Religionis cultorum per universam Germaniam afflictio continua, & gemitus, perpetuum & efficax ejusdem fidei consortibus ad opem eis ferendam, invitamentum. Glisebat & suspicio hostilium in Borealia regna machinationum, & titulo, quem Fridlandus Dux Albertus, Cæsaris nomine, sibi arrogabat, Archithalassum vocitando se generalem Oceani Balthicique maris, quem nulla hominum memoria quisquam Cæsarum usurparat. Augebatque metum piratica, quæ ex oppositis Teutonici littoris portubus in Classiarios Suecos ac negotiatores exercebatur.

Igitur questus apud Electorale collegium (quod de jure imperii exterorum Regum causas cognoscit) Rex de illatis sibi injuriis, pacis quidem hortamenta proferri: at remedia exulceratis animi sui vulneribus nulla adhiberi, circummissis diplomatibus testabatur; ac proinde in animo se habere, illatam contumeliam armis vindicare.

Mox expedita classe, Rugiam Insu- *Junio.*
lam die Baptistæ sacra ingreditur, flexisque in littore genibus, gratias Deo de fausto expeditionis initio, ab ejusdem benigna Majestate, prosperos deinceps successus consiliis suis precatur. Haud irrita fuerunt vota. Wolgastum, pulsis Cæsarianis, expugnat. Caminum, Julinumque ab iis cremata, sponte deseruntur. Inde, prout diximus Stetinum, alteram *Julio.*
Pomeraniæ metropolin, certis legibus suarum facit partium, seque Pomeraniam minime ab imperio avellere aut suo subdere sceptro, sed tueri potius adversus injustam vim ac tyrannidem velle pronunciat. In hasce conditiones Dux Bogislaus cum ipso fœdus iniit.

Erat fœda Pomeraniæ & Mechlenburgiæ facies: præsidiarii à nullo crudelitatis aut libidinis exemplo sibi temperabant, ex hospitibus hostes evaserant sæviissimi. Id Stargardia, Pasevalcum, Pencunum, oppida Pomeranica, cum strage sua experta, Stargardiam Sueci nocturna irruptione intercepêre, fugatis pravæ fidei defensoribus. Pasevalcum contributionibus exhaustum, primoribus spoliatum, Suecicæ cohortes duæ equitum, quos Tragonas vocant, intraverant. Eo cognito, Joannes Gotzius, Legionis Cæsareæ Ductor, tantam vim mittit militum, cui inermis & trepida civitas, parum haberet resistere. Sueci fuga salutem quæsivere.

sivere. Cives miseranda clade trucidati, violatæ mulieres, direptæ opes, oppidum ipsum cum templis & turribus, fruſtra deprecante presbyterio, in favillas redactum. Septimam Septembris lucem Sol faciebat, cum id nefas adspiceret, Pencunum præcedente Julio pari insolentia & tyrannide Cæsariani tractaverant, nulla rebellionis labe adspersum.

1630. 7. *Sept.*

Sub hæc comitia habebantur Ratisponæ, seu constituendæ per Germaniam paci, seu alendo commodius exercitui, donec imperata facerent, qui Cæsaris, aut fœderatorum Romanensium placitis adversarentur. Electores Euangelici, Saxo & Brandeburgicus interesse huic conventui, nisi per legatos detrectabant; Romanam qui colunt sedem Pontificis frequentes aderant, à quibus & renovatum fœdus, decretumque ut validissimus cogeretur exercitus, compellendis Principibus ad Ecclesiasticorum restitutionem bonorum, quæcunque post Passavienſem transactionem suis adjecissent partibus. Imperator, edicto, commemoratis Regis Sueci injuriis, qui nihil ab se læsus, imperium Germanicum violentis armis lacesseret, proscriptionis eis pœnam indixit, si qui ope operaque Suecorum conatibus faverent. Injunxit contra ut ratione abs se, & qui aderant, Ordinibus constituta, pecuniam, commeatum, & subsidia in bellum Sueco inferendum, suppeditarent singuli.

Rex literis protestatus, per se non stare, quo minus in tranquillum pacis portum deferretur, concussa hactenus jugi bello Ecclesia, Cæsaremque ad compositionis negotium, novis tractatibus integrandum hortatus, haud segniter incubabat militiæ. Cum enim Wolgastensi arce capta, magnam Pomeraniæ partem sibi adjunxisset, Stralesunda, Barthum, indeque Damgartum profectus turrem munitionemque ibi tuendis finibus structam, vi cepit, præsidiariosque occidit. Confestim Ribbenitza, Ducatus id Megapolitani est oppidum confine Pomeranis, victas manus porrexit.

1630.

Inde vulgato diplomate, Megapolitanos monet deserere aut ejicere Fridlandicos, legitimisque Ducibus Adolfo Friderico, & Joanni Alberto per summum nefas expulsis fidem redintegrare & obedientiam. Ni faciant, se ut in rebelles ferro & igni sæviturum. Id poscere justitiam, id consanguinitatem, id communis qua nihil efficacius, religionis vinculum. Idem Rostochiensibus, qui ad tertium lapidem aberant, edicit. Sed illos Cæsariani Equites mille, qui in speciem, petito transitu urbis, eoque impetrato in plateis substiterant, arctius Fridlando obstrinxere Duci, crebrisque pabulationibus annonæ & pecoris civitatem implevêre. Qua occasione tunc quidem elusum est Regis Sueci consilium.

22. *Sept.*

At Franciscus Carolus, Dux Lavenburgicus circa Albim collecto milite, pro Suecis partibus Bouzenburgum, Winshemum, alioſque locos insedit. Eum Remacri (Cæsaris hic erat Chiliarchus) celer adventus Raceburgum secedere adegit. Ibi à fratre Augusto in arcem non admissus Lavenburgicus, paulo post Comiti Pappenheimio cum aliquot turmis insectanti, captivum se sistere cogitur.

Ita variante fortuna, quam tamen Lavenburgicus haud diu pertulit, Colbergam, urbem Pomeraniæ maritimam, Sueci obsident. Eam Torquatus de Comitibus, Cæsariani exercitus iis in locis rector, eximere periculo, tentabat, hortatus & per auxiliares copias Ducem Savellium, qui Gryphis-Waldiam procurabat, videret, ne quid istis aut Megapolensibus in oris detrimenti res Cæsarianæ caperent. Sed Rex per Gustavum Horn. Castrorum præfectum, & Wolfgangum Henricum Baudis legatum eam cepit, profligavitque subsidiarias Cæsarianorum turmas, quæ Colbergam liberatum exierant. Obsidio urbis per sæ-

vam hyemem, usque in finem Februarii, pervicaci Marte continuata : clades utrinque datæ sunt.

Septemb. Interea autem diœcesis Magdeburgica, quam Christianus Gulielmus Administrator, prout dictum recuperaverat, à Cæsariano rursus invaditur milite. Halla urbs, Otterslebia, Galba, Wettinum, aliaque loca obruuntur copiarum superventu. Sed Hallæ violata victoria diœcesanorum fuit. *Octobri.* Nicolaus Boccius, auxilio salinatorum urbem sane occupaverat : sed idem mox male multatus ab Henrico Holquio est, arcis tunc Mauritianæ possessore, Cæsarianis ad eum, liberandis commilitonibus, certatim confluentibus. Igitur exutus præda Boccius triumphavit, quod relicto oppido maximam agminis sui partem Magdeburgum perduxerit incolumem. Querfurtum & Mansfeldiam ex abitu diœcesanorum, illico Cæsariani oppressere, ipsique Metropoli Saxonum Magdeburgo exinde obsidio parta est.

Eo misit Rex Suecus Theodoricum Falckenburgium, Administratoris adjuturum conatus; Joannes Schneidevinus Allenslebiam ei devicit, quidquid inerat commeatus, & rei tormentariæ Magdeburgum curavit deportari. Superveniente autem Pappenheimio Comite, circumvallatus cessit oppido, coactus & abjurare cum suis omnem militiam, qua in Cæsarem pugnaretur.

Novemb. At Magdeburgo extrema imminere, haud obscuris cælestis iræ nunciis significabatur. Nam XXVI Novembris vehementissima ventorum procella Catharinianæ ibidem Basilicæ turris altera decussa est, altera pari infortunio paulo ante jam deciderat. Joannei fani sub idem tempus maxima turris prostrata, tectumque ejus ruina molis contusum. Id ipsum Basilicæ S. Annæ & Gertrudis, ac Sudenburgico templo accidit. In templo summo (domum vocant) peribolus fornicatus, ab aula Episcopali in adytum templi ducens, concidit. Eadem tempestate molæ quinque pneumaticæ, sex hydromylæ, ventorum fragore eversæ sunt, ædificiis aliis ingens illatum damnum. *Ita solet divina manus priusquam cædat, ictum intentare, priusquam puniat, gladium ostendere peccantibus, ut aut pœnitentiâ prævertant exitium, aut malorum ingruentium exspectatione, præparentur ad patientiam, aut denique contemtis tam perspicuæ expergefactionis signis, reddantur inexcusabiles.*

Neque solis Magdeburgicis offensi Numinis signa apparuere. Paria terriculamenta Italiam, Germaniam, aliasque provincias ad supremi Judicis metum excitabant. In Italia atrox pestilentia ponendi Montisferratensis belli occasionem præbuit. Inita inter Cæsarem, Regem Francum, & alios Principes concordia, ut Sabaudo duci maneret Taurinum : Nivernio Mantua & Montisferratum, de quibus principatibus dimicatum fuerat, in feudum assignarentur à Cæsare : culpa, quod Dux Cæsarem, Dominum feudi, minus esset veneratus, deprecatione expiaretur. Rex Franciæ Pinarolam, Susam, Priacassen, Avilianum, quæ loca armis subegisset, Sabaudo restitueret, Cæsariani Rhætiæ eam redderent faciem, quæ ante hoc bellum fuisset. Iis conditionibus reformatam pacem, fama tulit, diu quidem ambigua, cum tempore tamen robur adepta. 1630.

Fluctuabat inter hæc misere Germania, cum pars Suecum Regem, pars alia Cæsarem, utraque metu adacta potius, quam propria sponte sequeretur. Rex sub signis ferebatur habere, sub anni XXX exitum, XII Equitum, XXXIV peditum millia, nec scientia militari cuiquam Ducum concedere. Inerat præterea Suecis Finnisque militibus frigoris patientia, in præliis obfirmatus ad resistendum animus, in victu frugalitas, laborum tolerantia incredibilis. Quas virtutes, dum Germani, eidem Regi magno numero militantes, supergredi aut æquare conantur, fructuosam Duci æmulationem genuêre. Plurimum ei apud Teutones pretii fecit disciplina adstrictior militum, 1630.

tum, quam cui Cæsariani assueverant, pietatis exercitium juge per castra, *victoriamque cœlestis indulgentiæ munus, non suarum virium habere.*

Accepi, advolasse ad Regem hyeme tres Lapponum cohortes, hominum statura paulo infra alias gentes, sagittis perite utentium, lata fronte, vestitu è pellibus damarum, aut rangiferorum; quorum animalium tam silvestrium, quam cicuratorum, largus in Lapponia, ac inquilinis perutilis proventus. Hi Suecis ac Finnonibus juncti, haud contemnenda feruntur manu, fide præsertim & obedientia nullis secundi.

Contra Cæsarianis per universam Germaniam instructi exercitus, Duces veterani, quæsita multis victoriis audacia, jam fere in superbiam surgens, & contemtum novi hostis, ex ultimo Septentrione, per catervas vilium nationum interpellantis spes vastas, de dominatu conceptas gentis in Europa longe fortissimæ. Indignanter ergo accepti Pomeraniæ & Marchiæ cives, colonique, detractæ opes, si quæ supererant, ablati equi, & jumenta, laxata defectu stipendii disciplina, jus fasque conculcatum. Elector Brandeburgicus Georgius Guilelmus, inter sacrum, quod aiunt, saxumque stans, cum hinc Cæsar Dominus, illinc Suecus Rex sororis maritus, urgerent, cum domi insolentia premeretur grassatorum, foris terreretur Borealium metu hospitum, hoc sibi ante omnia consultandum duxit, ne per ipsum defensionis nomen, suæ subverterentur provinciæ. Proinde edixit subditis, uti prædones, militum habitu personatos, comprehenderent, vicinosque raptarent in carceres; resistentium vim vi publica repellerent.

Dum hoc agitat, percrebescit, Regem Suecum ipso Christi natali Griffenhagam Pomeranicam vi expugnasse, captum Ferdin. de Capua, præsidiarios castris ultra bis mille Gartzam profugisse. Nec fidentem Gartzæ Hannibalem Scaumburgicum, ignem subjecisse tectis, exustoque oppido, Francofurtum ad Viadrum urbem Electori Brandeburgico obnoxiam, refugisse. In ea Cæsarianorum fuga multos eorum cæsos, direptas sarcinas & impedimenta, Suecos per Landsbergam irruptionem in Silesiam minari. Ea res sollicitudinem Marchiacis auxit, novæ Marchiæ nova præsidia attraxit. Rex Suecus feliciter peracto anno hujus seculi tricesimo, de purgata à Cæsarianis Pomerania & Neomarchia, solennes Deo grates Stettini exsolvit, quotidianis personare castra precibus curavit, opera & ministerio usus Joannis Bothvidi, Theologi præcellentis & sinceri, ex veteri nobis amicitia æstimatissimi, certas votorum formulas exercitui præscriptis. Extremis anni mensibus fato functi erant magni & celebres Pontificiarum partium propugnatores, Ambrosius Spinola, tunc Mediolani Produx, Joannes Jacobus Comes Anholdinus, Colaltus Italus.

Sub tricesimi anni auspicium Beerwaldam appulit Hercules de Charnacé, Ludovici XIII Galliarum Regis legatus, qui sopiendo inter Reges Polonum & Suecum bello perutilem navaret operam, fœdusque inter suum Regem & Suecum quinquennale condidit. Leges dictæ, ut mutua sibi præstarent auxilia Reges, ad defensionem Oceani maris & Balthici, in restitutionem exulum & adflictorum Germaniæ Ordinum, ac demolitionem propugnaculorum, quæ in Rhætia hoc bello Germanico emersissent. Hoc fine Rex Suecus XXX peditum, VI Equitum millia aleret, in sumptus Rex Galliarum XLM Imperialium submini-straret annua, delectibus utrumque regnum pateret, religio Teutonibus secundum imperii pacta statutaque exerceretur.

Rex Britanniæ Carolus, cum Philippo IV, Hispaniarum & Indiarum Rege firmam pacem iniit, fidam sanxit inter subditos utriusque commerciorum societatem. Injuriarum mentio utrimque

que abolita. Nihilominus Regi Guſtavo ex inſulis Britannicis copiæ auxiliares ſubmiſſæ, quæ adulta jam æſtate à Marchione Hamiltono in Pomeraniam perductæ ſunt.

Sub hæc Alberto Fridlando Duci ademptum Cæſarianæ militiæ magiſterium, ſeu quod mutandis per Germaniam ſacris mens viro parum fervida; ſeu quod metus de ipſius exercitu & potentia Cæſaris, in cujus verba juraverat, Catholicis Ordinibus foret. Joannes Tzerclaſius, Comes Tillius, Walo genere, generaliſſimam omnium, tam Cæſaris, quam fœderatorum exercituum curam ſuſcepit. Is calliditate & ſolertia nobiliſſimus, ut adoleſcenti de ſe famæ alimenta largiretur, ſtatim luſtrare cœpit exercitus, diſciplinam labantem ſanare, commercari annonam, laborantì Scaumburgico ſupplementum validum ſubmittere in Marchiam, omnia belli momenta captare.

Rex aliquot legiones Guſtavo Hornio ad expugnandam Landsbergam tradit: Ipſe Demminum vadit cum XVI millibus. Neobrandeburgum in itinere, arcemque Clempenaviam, & Loitzam deditione capit. Treptovia à Cæſarianis deſeritur. Malchinum Joachimus Molctius aſtu rapit pro Regiis. Medio menſe Februario Demminum magnis viribus invaditur, Dodone Kniphuſio peropportune duo peditum millia, & equites mille adducente. Ita duorum ſimul principatuum ferro Suecico tres urbes cinguntur, Colberga Pomeraniæ, Landsberga Marchiæ, Demminum confine Mechlenburgiæ. Demminum Regiis impar viribus inopinato tradit Dux Savellius, arce, commeatu, re tormentaria permunitum. Dux, qui præſidio erat, cum ſuis dimittitur incolumis. Sequitur finiente Februario Colberga. Julianæ Comes, Gubernator ejus oppidi, novem peditum, ſex equitum agmina, educit, ſignis nudata, Landsbergam verſus iter inſtituit. Colbergæ ingens inſtrumenti bellici apparatus, annonæ nihil erat. Fame ſubacti ſunt præſidiarii, cui levandæ qui miſſi erant claſſiarii, quinto à deditione die adrepentes, parum abfuit quin in hoſtium manus pervenirent. Landsberga uſque in Aprilis exitum vim obſidentium ſuſtinuit. Dixeris, infelices eos dies Cæſaris Ducibus fuiſſe. Nam qui Roſtochio præerat Tribunus, Hatzfeldius, à cive quodam literato Jacobo Varmejero inflicta cervice ſecuri obtruncatus eſt. Auctor facinoris ab angelo ſe id juſſum profeſſus, quantumvis ad necem exagitatus cruciamentis, nihil agnovit ſceleris.

Ea damna penſare cupiens Comes Tillius ad d. IV Iduum Martii Neobrandeburgum ſumma vi adoritur, expugnat, præſidiarios pleroſque omnes mactat, ſuorum ad duo millia amittit. Kniphuſium, qui præſidio fuerat, cum uxore & filiabus capit. Templum ibi ipſum Conſulis ac civium cruore profanatum, IX ſigna capta, oppidum direptioni expoſitum, & quod mireris, derelictum. Inde cum Regem ipſum, munitionibus ſe tuentem, invadere non poſſet Tzerclaſius, Magdeburgum regreditur, in itinere ejus agmina carpentibus Sueci equitibus: qui & Lieben-Waldam intercepêre, & mox Neobrandeburgum à Tillianis exarmatum.

Cæterum Magdeburgici, per abſentiam Tillianorum, reſumtis animis, aliquoties eruperant, commeatu & inſtrumento bellico urbem ſuam auxerant. Eo autem reverſo ſub Martii menſis exitum, brevi ejecti munitionibus ſunt, quas extra vallum urbis fixerant, optimiſque bellatoribus ibidem locatis exuti. Cumque ſibi adverſus vim Cæſarianam non ſatis inſtructi à militum copia viderentur, Sudenburgum, novamque civitatem (nomina ſuburbiorum ſunt, quæ ipſa erant munita) ipſi incendêre, æquaruntque ſolo eorum aggeres.

Dum ibi Martis flagrant ſtudia, Rex Suecus Francofurtum ad Viadrum circumvallat, cujus ſuburbia, perinde ac Magdeburgenſium, præſidiarii crema-

cremarant. Hanc urbem commeatu o-
3. *Aprilis.* pibusque refertam vi expugnat subito, Dominica à Palmis cognominata, duo amplius millia occidit Cæsarianorum, ad octingentos capit. Hannibal Scaumburgicus, Tieffenbachius, Montecuculius, cum reliqua multitudine effugêre. Civitas aliquot horis prædæ exposita, tantum damni pertulit, ut ejus miseratus cladem Wolfg. Henricus Baudis flagris compesceret militarem insolentiam.

Decimo septimo post die Landsberga itidem Regi dedita est. Exiere peditum signa XXV, equitum XII. Silesia Suecicis armis patefacta. Brandeburgum vetus à Wittenhorstio centurione Tilliano desertum est. Sic Aprilis actus.

Kal. Maii Copenica mittuntur ad electorem Brandeburgicum, qui Custrinum & Spandaviam (præcipua hæc Electoratus istius firmamenta sunt) Regi Sueco tradi postulant, restituenda Septemviro, simul ac Magdeburgum obsidione exemerit. Id ægrè persuasus Elector, adsensit tandem de Spandavia, postquam Berlinum circumdatum signis vidit: præsidium Spandavienſe utrique principi juramentum dixit. Petitus deinde transitus Regi per Saxoniam, atque ut junctis viribus, Joannes Georgius Sax. Elector Magdeburgum obsidione levaret. Neutrum impetratum est. Elector abhorruit suas terras adhuc pacatas, sedem belli formidolosissimi efficere, neque sui officii duxit, Magdeburgenſium acta, armis suis adversus Cæsarem asserere. Illi questi publice sibi pro innumeris officiis, queis suam Cæsari obedientiam probaverint, hostilia quæque referri, sub Principis sui umbra recipere vigorem sperabant, propinquante præsertim Sueci Regis victore exercitu, cujus auxiliis sustentabantur. Sed eos securitas, Regem Suecum cunctabunda circumspectio frustrata est, fatis excidium urbis admaturantibus. Nam minime existimatum vulgo ferunt, tam arcta obsidione clausam urbem iri, quam ad d. VII. Kal. Maii contigit, Pappenheimio etiam Comite Garlebia advolante. Si enim id præmetuisset civitas, poterat utique plus militum conscribi, aut quicquid aderat, in urbe retineri, quos partim penuria, partim munitiones urbanæ in tantum attenuaverant, ut obsessis vix bis mille pedites sani, ducenti quinquaginta equites in urbe supereſſent. Nec minori tamen fortitudine eruptiones tentatæ in hostem, eæque uno die tres, nec sine clade obsidentium. Literis Tillianis, quibus extrema, ut deditionem maturarent, minitabatur, responderunt: non se pertinaces propositi fore, modo legatos ad confines emittere Septemviros ac civitates, eorumque perquirere sententiam liceret. Per ea tractatuum ludibria, 1631. Cæsariani valla sua propius urbi admovent, oppugnationem parant, turrim excelsam machinis prosternunt. Repulsi mascule Pappenheimiani, resarciente damna multitudine, pugnam facile instaurant, oppidanos in angustias redigunt. Eos jam nitratus pulvis deficiebat, machinis grandioribus uti non poterant, Cæsarianis talia ex Hamburgo suppetebant.

Ergo decernitur corona capiendam urbem. Qua novum oppidum spectabat agger urbicus, declivior erat & adscensu facilis, eoque die (Decimus erat Maii urbi fatalis) male firmatus excubiis. Nam persuasum oppidanis erat, cum præteriisset hora diei septima, nullum restare ab oppugnatione tantæ urbis metum, quæ summo mane exordienda foret. Itaque potissima excubitorum pars somno concesserat, Christianus Guilelmus Præsul, Falckenbergius, Senatus, in curia agebant, de tubicine Tilliano rite ablegando. Civibus, si vera mihi retule- 1631. runt exules, proponebatur à Tillio; si Præsulem ac Ministros Ecclesiæ traderent, XXX Papisequas Doctores reciperent, centum millia Talerorum persolverent, præsidium susciperent, veniam delictorum fore. Dum minime placeret, Pappenheimius, dato suis symbolo *Jesus Maria*, & pro signo tænia circa brachium

alba, declivia valli sibi adsignati invadit, ictoque Falckenbergio, qui suppetias properabat, suam urbis partem occupat. Vulgato rumore, eadem mox omni à parte, viriliter resistentibus præsidiariis juxta ac civibus, magna cæde vincitur. Fama tenet, si eæ vires Pappenheimianis, quæ cæteris invasoribus, essent oppositæ, eo die irrita consilia Cæsarianorum fuisse. At cum neque vigil ibi stationarius rite servaret excubias, neque milites in promptu essent idonei, unus locus pigre curatus, reliquis omnibus fraudi fuit. Præveriti autem urbicorum obstinationem Cæsariani, incendio eos terrendos existimarunt: quæ res tam ipsis, quam civibus noxæ fuit. Ignis enim tectis inditus, afflante tunc repente procella, adeo invaluit, ut direptione intercluſis victoribus, urbs tota ampla & magnifica, XXIV horarum spatio funditus deflagraret. Templa sex insignia Parochialia in eodem igni consedêre. Ædes sacræ, compita, viæ, cadaveribus instratæ. Una in Cathariniana basilica, capita reperta 53. O tempora! O mores! Administratorem semore & capite vulneratum, Cæsariani captivum abduxere, cum plerisque primoribus, & Ecclesiæ ministris. Imbelli sexu abusi sunt ad fœdam libidinem, tanta barbarie, ut puellas impuberes ad necem constupratint. Nulli ordini, aut sexui ferox miles pepercit. Templum summum ac Marianum Cœnobium defensa ab incendio, reliqua omnia ædificia, demtis CXXXIX, flammis deleta, incolæ omnes aut occisi, aut capti. Proditam hostibus ab inquilinorum nonnullis urbis conditionem, atque exinde facilem eis redditam victoriam, in ore habent plurimi.

Nec inficias ibit quisquam, civilibus eam turbis, & intestinis dissidiis ab aliquot annis laborasse, quæ res ut fœcundam simultatibus, omnibusque vitiis materiam præbet, ita exitio dare provincias, urbesque consuevit. De numero cæsorum hæsitant plerique: ac de reticendo talium numero, actores plerique historiarum sanxêre. Magdeburgi is eo magis in incerto fuit, quod haud pauciores igni, quam ferro hostili sunt absumti. Exulum fide dico, ultra XXII. millia peremptorum in profluentem Albim esse præcipitata. Neque enim terræ gremio condita cadavera, sed in amnem turpiter projecta sunt. Sexcenti circiter cives catenis adstricti, cum potuerunt, lytro redemêre libertatem; alii suborto castrorum incendio, circa Fermersiebiam, occasione ad fugam usi, evasere. Reliquiæ ex tanta strage, sine tecto, sine viatico oberrantes, stipem commendicando vitam trahunt. Præcones divini verbi, raro Dei beneficio, plerique vitam conservarunt, atque apud suæ consortes fidei honestas stationes nacti sunt.

Præcessere, præter superius dicta, φοβητρα de cœlo alia. XXI Januarii throni instar ignei in Cassiopeæ sydere apparuit, auditus sub noctem sonitus creber, qualem tormenta ænea displosa edunt: quo cessante, lurida Cælum, atraque contectum nube, triste spectantibus præsagium concivit. Secuta turrium prostratio, ante commemorata. Paucis ante excidium septimanis, militis cujusdam uxor, ubi partus doloribus extinguendam se perspexit, uterum aperiri suum mortuæ, fætumque inspici precata est. Repertus est puerulus, trimuli magnitudine, caput galea munitus carnea, quod instar chartæ detrahi potuit, pedes ocreatus. Adhæsit corpusculo mantica militaris, in qua orbiculares glandes consimiles iis, quæ Musquettis emittuntur. Nimirum *mundus jam nil nisi arma, cædes, bella parturit: iisque semetipse prout miserabilis illa mater, cum sobole sua crudeliter absumit.*

Magdeburgum ex quo munitum, exornatumque metropolitana dignitate est ab Ottone I Magno, septingentos circiter annos stetit. In ea nos reservati tempora sumus, ut ipsos sibi oculos mater Germania effodiat. Resipiscite ad exemplum sorores: *Nisi convertimini, omnes similiter peribitis.* Neque ô dira Babylon sanctorum ebria sanguine, calicem tuum devitabis.

Num-

Numquid enim victor diu inſultavit exſtinctæ urbis cineribus? Imo eadem die Cæſariani, præmetuentes, ne Rex Suecus Deſſavienſem tranſmearet pontem, & ipſum, & munimentum ei adſtructum, incendio cremarunt. Cujus facti, cognito urbis caſu, ſera ſubiit pœnitentia.

At Regem Magdeburgicæ rei anxium, tractatus diſtinebant cum duobus Septemviris, quos in ſocietatem trahendos formidoloſiſſimi belli judicabat. Jamque Croſnam Sileſiæ tenebant ejus agmina, & circa Glogoviam pabulabantur. Caſtrorum Magiſter Guſtavus Hornus novos per Marchiam habebat delectus, tyronum, ſupplementa in Sileſiam ducturus. Igitur denuo Spandavia depoſcitur Regi: Cuſtrinumque in ejus obſequia adigitur. In ſumptus bellicos xxx Talerorum millia imperantur Marchiæ menſtrua.

Adoleſcente Junio, quum Stetinum reverſus, de Gryphis-Waldia ſubigenda cogitaret, eam ſibi devictam ſubito reſcivit. Id ita accidiſſe accepimus.

Obequitabant Sueci equites urbem, quaſi pabulandi cauſa. Ad diſploſiones ſclopetorum excurrit Peruſius, aurei velleris torquatus, præfectus oppidi, longiuſque per temeritatem profectus, cingitur ab inſidiatoribus regiis, globoque transfixus concidit. Nec mora obſidioni. Circumdatur à Suecicis Gryphis-Waldia, poſtulatur deditio à præſidiariis & civibus. Milites, Duce licet orbati, eruptione tamen viriliter tentata, rediguntur in urbem, deſperant de ſubſidiis, ſuæ conſulendum incolumitati de-
16. Junii. cernunt, cedendum victoribus. Ergo traditur oppidum apprime munitum, & à re tormentaria inſtructiſſimum regiis, Cæſariani exinde univerſa Pomerania exiguntur.

1631. Cum igitur nihil iſthic hoſtile ſupereſſet, maximis viribus in Marchiam itum eſt. Ibi Baudis, & Comes Ortenburgicus Werbenam occupant, locum caſtris metandis conquirendiſque alimentis accommodum. Cæſariani per Gotzum Chiliarchum, Cotbus oppidum invadunt noctu, expletaque in muliebri ſexu nefaria libidine ſua, vaſtant civitatem & diripiunt. Tillianus exercitus Mansfeldiam inſidet, vicinamque Thuringiam prædæ *Martio* haber, indignante Comite ad Electoris *& Aprili.* Saxonis molitiones, qui acto Lipſiæ conventu utriuſque Saxoniæ, Marchiæ, Haſſiæ, Franconiæ, Sueviæ Principum, Ordinumque, conſultandum propoſuerat, quomodo libertas Germanica, jam in extremum adducta periculum, conſervaretur.

Aderant ibidem legati Ducum Megapolenſium, Adolfi Friderici, & Joannis Alberti, quos avitis poſſeſſionibus exutos à Ferdinando Imperatore diximus. Hi conſcriptis militibus, adjutique à Rege Guſtavo, recuperare nituntur ſedes ſuas. Guſtroviam Joannes Albertus, Suerinum Adolfus Fridericus, pulſis Cæſarianis, ſubigit. Butzovium, ubi Epiſcopi Suerinenſis aula eſſe conſuevit, deſertum à Wallenſteinianis, quique exierant, præda, quam Roſtochium pervehere conabantur, ſpoliati ſunt, Rex ipſe Duces conſanguineos ſolenni pompa Gu-
ſtroviam comitatus, applaudente popu- *25 Junii.* lo, paternas in ſedes reſtituit.

Ea re peracta, Magdeburgum verſus promovet copias, Tangermundam in itinere intercipit, prope Werbenam figit caſtra, circumfuſa quaſi Albis & Haveli amnium trigono. Havelbergam per duces ſibi vinci curat, ulciſci Magdeburgicos cineres, omnibus opibus atque copiis deſtinat. Interim Regina maria Eleonora appellit Wolgaſtum, cum ſupplemento tyronum è Suecia. Marchio Hamilthonus, & Alexander Leſlæus octo millia Britannorum & Scotorum perduxerunt in Pomeraniam. Undecunque belli majoris ſeges apparebat.

Jam enim & Lipſiæ erat decretum, Cæſarianis exercitibus, qui totam Germaniam prædæ haberent ac ludibrio, non ultra aperire portas urbium,

caſtellorum, arcium, neque cedere territoriis Eccleſiaſticis, quæ ſemel in Euangelicorum ditionem perveniſſent, cum eas vi atque armis potius, quam jure ac juſtitia repetere Pontificii viderentur, Iiſque illa non ab ſolo Cæſare, ſed ab omnibus Imperii ordinibus, plenis comitiis, decidenda foret. Igitur Guilelmus Haſſiæ Landgravius, defenſandis ſuis finibus militem ſcribit, Bernhardum Vinarienſem Ducem, mente manuque ſtrenuum ſibi adjungit, brevi haud ſpernendas copias contrahit. Quibus infringendis conatibus, Joannes Tzerclaſius Erfordiam feſtinat, urbem pavefactam portas ſibi aperire jubet, finibus Cattorum fremebundus propinquat, diſſipaturus utique Haſſiacas cohortes, niſi Comes Pappenheimius, everſæ cuſtos Magdeburgæ, alio convertere impetum poſtulaſſet. Etenim Rex Sueciæ, peragrata veteri Marchia, inque ea Stendaliæ, Garlebiæ, Soltquellæ potitus, jam Wolmerſtadium pervenerat, Magdeburgicas munitiones haud dubie invaſurus, niſi vi majore arceretur.

In hunc totis caſtris inſurgendum videns Tillius Comes, partem equitatus præmittit, ſubſequitur ipſe cum firmiſſimo exercitu. Rex, explorato ejus adventu, ſtrategemate prævertendum iſtis viribus cenſuit, quibus pares opponere non haberet. Miſſo igitur Rheingravio & aliis equitum Magiſtris, tria Cæſarianorum agmina feliciter aggreſſus eſt. Montecuculii agmen Borgſtallis pago, Bernſteinianum Rheindorfi, Holcianum Angriæ fudit, fugavitque; opima ſpolia victoribus parta.

Sed Carolus Ludovicus Palatinus, qui Regi militabat, glande proſtratus ænea, funere ſuo victoriæ lætitiam diminuit. Tillius reſtauraturus cladem, propinquavit ſane caſtris Suecicis: ſed Regem ad pugnam elicere non potuit. Fulminatione machinarum, ac velitationibus acerrimis extracto triduo, receſſit Tillius nova ſubinde clade multatus. In Mansfeldia ſe ei junxit Eggo Furſtenbergius, qui Italicis auctus copiis, Sueviam & Franconiam Lipſiacis pactis renunciare, tributum Cæſarianis conferre adegerat. Rex Suecus Horni ac Totti, Ducum ſuorum, auxiliis confirmatur, Guilelmo Landgravio duas legiones (regimina hoc vocat ſeculum) in Haſſiam ducendas dedit; Vinarienſem Ducem Bernhardum ſuæ devinxit militiæ. Is Hirſchfeldiam & Fuldenſem Abbatiam percurſans, rem fecit egregie nummariam. Fuggerus Romanenſium Fœderis legatus, Haſſos ſocietate ſui Principis & Vinarienſis, ſuas avocare in partes, literis armiſque fruſtra connixus eſt. Francofurti ad Mœnum componendis hiſce turbis, conventus partium fuit, ut aliquibus forte parum ſerius, ita ad rei ſummam plane inefficax. Interea vero Tillius langueſcentes legiones ſuas, nova cupiens prædâ accendere, Electorem Saxonicum aggreditur. Ab illo conſcriptas copias ſibi tradi, Lipſienſi antiquari decretum poſtulat; renitenti vim infert, Merſeburgum invadit, Freibergam incendit, Miſniam late populatur, dire affligit incolas. Elector injuriarum poſtulat Tillium, leges obtendit imperii, ſua in Cæſarem beneficia narrat; quæcumque ei ut Imperatori debeantur, fideliter ab ſe hactenus præſtita omnia, decere viciſſim Cæſarem, nihil præter jus faſque jurejurando firmatum, agitare. Sin fiat, prout initia appareant, Deum ultorem fore.

Cum hæc incaſſum dicerentur, fœdus cum Rege Sueco ferit in mutua auxilia, ad ſuas provincias ei viam ſternit, Wittebergam permittit, quæ ineunte Septembri intratur. Septemvir Brandeburgicus, exhauſtis contributaria rapina ſuis ditionibus, commeatum ac nummos, ſi quid corradi queat, pollicetur. Nulla inter hæc mora Tzerclaſio, Comiti Tillio fuit. Lipſiam circumſidet, finitima urbi omnia diripit, urbem ſibi aperiri poſtulat. Cum citra Electoris Saxonis, ut principis ſui, conſenſum, nihil ei concederet civitas, ea vis opponitur

nitur quæ frangere etiam pervicaces posset. Quanquam enim suburbia sua incendebant, atque ad defensionem omnia comparabant, tamen recens Magdeburgici exitii exemplum, quod atrocissimis minis Lipsiæ repræsentabatur, flexit animos ad obsequium. Data fides de religionis ac Reipubl. conservatione, præsidium urbi arcique impositum, Electorale dimissum est. Verumenimvero haud *diu servat fortuna fidem.* Ad diem VII. Septembris, continuo sane favore Comitem Tillium complexa, tandem destituit. Septemvir Saxo uberiori ditionum parte ab eo privatus, necessariam sibi suisque pugnam arbitrabatur. Erat in oculis certissima pernicies Saxoniæ, Misniæ, Thuringiæ, si tres pariter exercitus inibi hybernarent. De causæ justitia felicissima quæque sperabat, princeps antiqua virtute & fide: *si quid secus eveniret, subeundam sortem, quamcunque Deus imponeret, statuebat.* Rex Suecus, in unius prælii casum dare duos Septemviratus, periculosum ducere facinus; Saxonicum militem, recenti delectu conscriptum, cum veteranis committere, intutum, cunctationem securiorem affirmare. Victus autem Electoris constantia, prælium adornari jussit. Ante omnia Deum solemniter veneratus, ad *pietatem fortitudinis genitricem*, animavit milites. Symbolum dedit, *Nobiscum Deus*: insigne, ramum viridem galeæ innixum. Dextrum cornu sibi curandum sumsit, lævum Septemviro permisit. Podelvitza pago nomen est, quatuor millia passuum abest Lipsia. Ibi concurrerunt infestæ acies. Cæsarianis de more pontificio, pro Symbolo erat, *Maria Iesu conjuncta.* Commoda locorum præoccupaverat Tillius, Solem ventumque Suecis adversum effecerat. Rex circumtorquendo leniter aciem auram paulo secundiorem suis reddidit, suoque ab latere, quod intermixtus equiti pedes sclopetarius nova arte confortabat, valide submovit irruentes Cæsarianos, imbecillior Saxonum tyronum vigor fuit. Jamque in lævo cornu fugæ, apud Tillianos victoriæ & jubili initium erat, cum Rex per Hornianos pedites è sylvula tam opportune succurrit Saxonicus, ut redintegrato ad Arnheimianos monitus certamine, verteretur in fugam equitatus Cæsarianus, totaque laxaretur acies. Tenebris, quas fumus ardentis nitri pulvisque equorum faciebant, diremptum prælium. Metuente Rege noctem, insidias, fortissimum astutissimumque hostem, rursus pugna sperabatur, nisi lucem reddens aurora, cladem hostium, tormenta, sarcinas, currus, omnia derelicta, perfectæ victoriæ signa edidisset. Cæsa ad mininum XV millia, interque illos è Cæsarianis, Adolfus Dux Holsatus, & Scaumbergius, cum Tribunis Baumgarto, Erfto, aliis: è Suecis & Saxonicis Teufelius, Hallus, Kallenbachius, Fridericus Langius Tillii vulnerator, Bindaufius, Adrica. Par fere utrimque numerus militantium fuit, in universum ad LX millia. Sed Tilliani plerique veterani. Ante pugnam, columba candida inopinato vexillum quoddam insedit Saxonicum, præsagium victoriæ. Hallis & Merseburgi aqua in sanguinem versa, prælium præmonstravit cruentum. Tillius in prælio ictus plumbo quidem nitrato, obduratam, quemadmodum Chirurgus censuit, arte dæmoniaca cutem, non penetrabili, extra vitæ periculum fuit, at tuberibus enatis, spinaque dorsi, verbere læsa æger, continenti fuga Hameliam properavit. Hac acie ruptum papale jugum, haud dubie imponendum Saxoniæ, nisi Deus Ligistica ligamenta dissolveret. Capta de Cæsarianis signa ultra centum.

Rex Victor Merseburgum, Hallam, Halberstadium, Calbam, Erfurdiam, jugi successu occupavit, Elector ipse Lipsiam. De recuperatis tam subito, quas amiserat, ditionibus suis laudes Deo Liberatori, gratesque egit publice. Convenit inter fœderatos Euangelicos, ut in superiorem Germaniam Rex Suecus, in Silesiam, Bohemiamque Septemvir Saxo duceret. Rex, Hennebergensi

comitatu ſubacto, diœceſeos Herbipolitanæ caſtellum, quod Aulam Regis vocitant, commeatu opulentum expugnavit, hinc Sueinfurtum, Imperialem urbem Herbipolinque ipſam, ab Antiſtite Franciſco Hatzfeldio derelictam, cum arce omnibus opibus copiiſque inſtructiſſima, vi redegit in poteſtatem. Præſidiarii, quod acriter reſtiterant, omnes cæſi. Sexui imbelli vita & pudicitia, præclaro Regis edicto, conſervata. Eo perculſus metu Bambergenſis Præſul, renunciat fœderi Catholico, ſeque Regi Sueco obligat, direptionem ſui territorii auro redimit. Pari felicitate Wertheimum, Miltenburgum, Bobenhuſa Suecis; Munda, Fulda, Huxaria Haſſis ſubactæ. Cæſarianis Wertheimum recuperaturis, grandis per inſidias ingeſta clades. Franconiæ oppida pleraque in Regis verba jurarunt, permiſſa, uti fas eſt, ſubditis religionis & conſcientiarum libertate.

Novemb. Kal. Novembribus Hanovia, urbs elegans, repentina Chriſtophori Haubaldi irruptione capitur: præſidiarii arma ponere adacti, ut ea reſumerent, plerique Regi Sueco ſacramentum dixere.

Inter hæc victoriæ Lipſienſis fama inferioris quoque Saxoniæ exercitus Cæſarianos pervaſit, excelſoſque eis detraxit animos. Roſtochium Megapolitanis Ducibus deditum. Id ſeſquimille Equites, XIV peditum vexilla tenuerant, qui abitionem, reſque ſalvas pacti exceſsêre. Wiſmaria confidentius reſtitit. Eruptione ibi pugnatum, accepta utrinque clades. Tandem luce Thomæ Apoſtolo ſacra, deditio urbis à Grammio, militum præfecto extorta: qui tria educens millia bellatorum, quod parum ſincere pactis ſtetiſſe deditionis videbatur, Gryphis-Waldiam miſſus, ejuſque miles partim cæſus, partim ſacramento Suecico obligatus eſt. Secuta paſſim Cæſarianorum fuga, cum aliquot ſeptimanis nihil de Comite Tillio certi conſtaret, mortuumque virum ex vulneribus fama ſereret. At ille refovere valetudinem, recolligere ſparſas exercituum reliquias, meliori ſe fortunæ parare cœpit, Altringero & Fuggero, qui adverſo prælio abfuerunt, haud modicas circumductantibus copias, labantemque Cæſaris cauſam nonnihil inſtaurantibus.

Juxta Rotenburgum ad Tuberam improſperum rurſus prælium Cæſarianis fuit, Mergentheimum Suecis traditum. Similiter Aſchaffenburgum, ſeu Aſciburgium, Moguntini Archiepiſcopi ſedes, & Steinheimum Regiis acceſſere partibus.

Neque nundinale illud Muſarum Athenæum, Cæſarum inauguratione, totiuſque Europæ mercatu celeberrimum Francofurtum, victori Guſtavo portas clauſit. Saxenhauſæ præſidium Rex locavit XVII Novembris: traductus Francofurto exercitus Hochſtum cepit. Ruſſelsheimum ad Mœnum fl. Darmſtadinus ei Landgravius Georgius conceſſit. Mæni accolæ imperata facere coacti. Sociatis ibi Guilelmi Landgravii copiis, Rheingavia ſubacta, pactiſque exinde argenti penſionibus derelicta eſt. Moguntinus Elector Anshelmus Caſimirus, ac *Decemb.* Præſul Wormatienſis Coloniam ſeceſſere. Rex Suecus, comperto, Tillium è Noribergenſi agro diſceſſiſſe, tractus montani, *Bergſtras* appellitant indigenæ, dominium ſibi vindicavit, atque ad d. VII. Decembris Rhenum tranſmeare copias juſſit. Quingenti bellatores, qui primi tranſierant, tam validas in XIV Hiſpanienſium equitum alas fecere impreſſiones, ut eas, priuſquam ſubſidiarii alteram ripam attingerent, in fugam agerent. Rex, cognito ſuorum periculo, palmas in cælum tendit, Deique Opt. Max. imploravit opem, & obtinuit.

Superato Rheno, Oppenheimum expugnatur XVII Decembris, Steinum ab Hiſpanis, Wormatia à Lotharingis deſeritur, ſextoque poſt die (erat XXIII Decembris) Moguntiacum, cum arce & propugnaculo, poſt acrem aliquot dierum oppugnationem, traditur Regiis. Eorumque locorum exemplum

plum Bingium, Altzheimum, Konigsteinum, in eandem sortem traxit. Baccheracum, Boppardiam & confinia Rheingravius subegit Regi, cui Natalis Christi Moguntiæ solemniter celebratus, ejusque in arcis templo sacrum Euangelico ritu factum.

Mira sane felicitas, totam Germaniam à mari Balthico usque Moguntiacum victricibus armis uno anno peragrare, Viadro, Havelo, Albi, Visurgi, Rheno, Mæno, aliisque fluminibus habenas injectare, victos oppressosque antea repentinæ fiduciæ successibus exultantes victores metus ac formidinis implere. Accessit mox & Manheimum, ad Rheni Nicrique confluentes permunitum oppidum, deinde & Heilbronna, Fridberga, Wetzlaria, aliaque Wetteraviæ oppida. Quid multa? Spira, Landavia, Weissenburgum, Germersheimum, præclaræ urbes, Suecicis patuerunt præsidiis.

Jamque & cœlum ipsum, terraque parum propitia Pontificiis visa. Neapolitanus Italiæ tractus terræ motu quassatus: Mons Vesuvius incendio flagrare tremendo cœpit, saxa ingentia ad xx millia passuum projectavit. Jesuitici templi recens structæ turres, Viennæ in ipso Cæsaris conspectu, ventorum impetu prostratæ. Nec mirandum sane, tot facinoribus fœdum annum à Deo quoque Omnipotenti tempestatibus & morbis insignitum. Omne enim mortalium genus aut pestilentia, aut febres, aut capitis dolores dorsique depopulabantur, tanquam *communi mortalitate sævitatem armorum prævenirent.* Sophia eminentissima Daniæ Regina, LXXIV vitæ annos sanctissime actos, beatissimo fine clausit, præcipuorum melioris orbis principum aut genitrix, aut cognata. Supremus ei dies IV Octobris fuit.

Initia sequentis anni nobilitarunt legationes Angli & Franci Regum, & Ragotzii recentis Transsylvanorum Principis, ad Gustavum Regem & Joannem Georgium Septemvirum. Franci Regis postulato inducias concessæ sunt, intra quas Dux Bojoariæ Maximilianus, fœderatique Romanenses cum Regiis transigerent. Videbantur enim secessionem a Cæsarianis meditari, neutrarumque velle partium fieri. Sed brevi patuit, aut fictas hasce consultationes, aut majori autoritate disjectas esse, Urbano Pontifice ex Italicis Ecclesiasticorum provenibus Cæsari decernente subsidia, & Germaniæ Præsulibus cum Bavaro Electore, quicquid restabat virium, consociantibus.

De Anglicana legatione nihil certi nobis compertum est, nisi quod paulo post Fridericus V Palatinus, exul, Britannico, ut ferunt, auro, & Belgicis auxiliaribus instructus, avitas ad Rhenum ditiones revisit, seque Regi Sueco Hochsti conjunxit, fidum exinde Achatem, armorumque consortem præbiturus.

Ragotzius conspiratione suorum, per Salomonem Davidem detecta, liberatus, frendere dicebatur in Cæsarianos, atque occasionem captare in Hungariam excurrendi aut Silesiam, si quid ab Euangelicis fœderatis adjumenti affulgesceret.

Quemadmodum enim Suecicus exercitus insignes ad Rhenum, Visurgim, & Mænum progressus fecerat, ita & in Bohemia Saxonicus. Pragam, caput ipsum Bohemiæ, Joannes Georgius Arnhemius pro Saxone Septemviro occupaverat, & confinia pleraque oppida, Leutmeritzam, Pissecum, Colsinum, Brandisium. Elector ipse eo profectus, sub exitum anni XXXI, instauravit sacrum Euangelicum, capita decollatorum Pragensi in ponte erecta, detrahi, ac honesta adfici sepultura præcepit. Egrana civitas, inscio invitoque Senatu, equites admisit Saxonicos, Electori sacramentum dixit. Budveisam Balthasar Marradas Cæsari defendit strenue. Reliquis locis restituti passim ingenti cum gaudio exules, renovata sacra, fugaci utique lætitia, quod constantior istis partibus arridentis fortunæ aura non spiraret. 1632.

Etenim

Etenim Albertus Wallenſteinius, Fridlandus Dux, quem rogatu fœderatorum Romanenſium exautoratum à Cæſare ſcripſimus, jam denuo Magiſter adſcitus totius militiæ, cum ſummo ferè pacis bellique arbitrio, ingentem vim militum ſubito coëgit. Ei Jacobus Gallas & Sultzenſis Comes promti adfuere, qui prædas ſubinde è Pragenſi agentes territorio, brevi arctiſſimam ibi locorum annonam effecêre.

Februar. Medio Februario Satzam Bohemicam conſpiratione civium tenuit Marradas, præſidiarios Saxonicos occidit. Id odorati qui Cadenæ erant Saxonici, deſeruêre urbem, ſeque Annæbergam retulerunt pavidi. Securitatem illis cladi fuiſſe, fama perhibet, quæ in tantum ex hoſtili inſultu tremorem verterit, ut Cæſarianis direptionibus omnem patefacerent Bohemiam, ac Sileſiam, ſoliſque propemodum nivibus Miſnia irruptione tegeretur.

Per totam hyemem rara ab armis quies erat. Suecicæ turmæ jam in Alſatiam penetraverant, Cæſarianarum partium frumentatores Lotharingici, Argentinenſe territorium agebant ferebant prædonum ritu. In hos Civitas alam equitum cum uno peditum vexillo emiſit: quæ manus exigua magnam graſſatorum vim aut cepit, aut delevit, opimiſque ovans ſpoliis domum ſeſe retulit. Wirtembergicum item ducatum, & Marchiam Badenſem, pervaſit victoris metus. Paſſim fuga cædeſque Cæſarianorum fuit. Frankenthalium Palatinatus Inferioris oppidum nobile & elegans, copiis cinctum, Creutznacum XXII Februarii vi expugnatum Regi Sueco, Braunfelſia deditione. Cum præſidiariis Udenheimanis & Frankenthalinis crebræ, variique Martis pugnæ factæ.

Mox auſa & inferior Saxonia in factionem Romanenſem inſurgere denuo. Joannes Fridericus Archiepiſcopi Bremenſis nomen gerens, proventus diœceſis præripi à Cæſarianis indignatus, aliquot bellatorum agmina coëgit, Verdam aggreſſus cepit, Burgum repentino aſſultu obruit. Rurſus Reinacker & Gronsfeldius repellunt Epiſcopales, Verdam & Languedelam recuperant, ad Viſurgin illis cladem ingeminarunt. Illi vero, reſumtis animis, Verdam iterum occupant & Ottersbergam, ut miſeram diœceſin ceu pilam inter has & illas partes volutari diceres. Indignationem cenſeo altiſſimi incubuiſſe, in illas oras præcipue, quæ cum olim magnæ dignitatis & ſanctimoniæ Præſulibus aſſignatæ ab Imperatoribus fuiſſent, majorumque noſtrorum ævo ad ſuperbiam & ſuperſtitionem deflexiſſent, repurgatæ quidem ab Epiſcopi Romani corruptelis & erroribus publice, vita autem & actis parum Epiſcopales rectores nactæ ſunt.

Pari exemplo Pappenheimius, contractis in unum aliquot cohortibus Schoningam & Helmæſtadium adoritur, diripit ſpoliatque Brunſvigiam: Joanni Bannero Magdeburgicas circumſidenti munitiones (nam urbem deflagraſſe diximus) tantum ſui metum ingeſſit, ut Calbam ſecedens, Bonighauſio Chiliarcho & Virmundo viam patefaceret ad Wolfgangum Mansfeldium, cineribus illis incubantem, qui collectis ſarcinis, deletiſque portis & ædificiis, rudera urbis paupercula, Suecis reliquêre. Nunc igitur Saxonico & Suecico tenentur præſidio.

Mox Pappenheimius, Magdeburgicis auctus excubitoribus, prædæ habet Lunæburgiam, quantumvis à Chriſtiano duce commeatu juvaretur, confinia Viſurgis perambulat, modo Weſtphalicam ripam, modo Saxonicam carpit, nulli ducum præliandi facit copiam.

Non enim deerat Euangelicis robur *Februar.* aut conſilium reſiſtendi graſſatoribus, tota perſtrepebat armis Saxonia, qui conſiſteret uſquam hoſtis, niſi in oppidis, non erat. Guilielmus Vinarienſis Goſlariam ſtrategemate, Gottingam oppugnatione divicit. Duderſtatum & Eisfeldiam deditione cepit. Tottus, Suecorum ductor, cum circa Kuneburgum & Bardevi-

devicum stativa habuisset, ad superiora contendit Brunsvigiæ, aut si malis, Brunoniæ, ubi Bannerus, Wolferbyti obsidens exitus, Guilelmo Vinariensi se
1632. conjunxerat, ex nupera de Lobelianis agminibus victoria lætanti. Illis enim, absente Straubio legato, genioque indulgente, sex vexilla eripuerat Batendorfius, Guilielmi ducis tribunus. Gottingæ parum annonæ, rei tormentariæ affatim repertum. Accessit victoribus Peina, Calenberga, Steurvaldia, Domitza quoque (Mechelenburgiæ, id ad Albim castrum est) præsidium Cæsarianum denegaverat.

Agitabantur inter hæc pacis consilia Torgaviæ, irrito conatu. Feliciori auspicio Christiano V. Daniæ Principi, Electoris Saxonis filia despondebatur, cujus soror maxima natu Georgio Hassiæ Landgravio, secunda Maria Elisabeta Friderico Holsatiæ duci nupserat. Germanus Christiani V. frater, Ulricus, togæ bellique gnarus artium: legionem militum pro Electoralibus provinciis regendam sumsit.

Recollegerat vires Comes Tillius, junctusque Altringero, per agros Noricos, in Bavariam tendebat. Noriberga, oculus Germaniæ, quinque cohortes Euangelicarum partium, intra mœnia receperat, ductoribus Schlammersdorfio, & Guilielmo Henricoque Solmensibus. Ulma quoque Suecicis se applicuerat partibus. Augustæ autem Vindelicorum à Tillio pecunia, commeatus, munitio imperata. Northgavia & Palatinatus superior fæde vastabantur.

Kalendis Februarii Bamberga à Gustavo Horno occupata est, Cæsariani, qui
1632. præsidio erant, Forcheimum evasêre. Episcopus profugit in Bavariam. Sed Tillius, mense Martio παντρατιᾷ Bambergam duxit: quo adventante, Hornus astu fortitudine temperato subtraxit copias, quantumvis laceratas, nocturnaque irruptione se de Tillianis ultus, Sueinfurtum ordinato agmine recessit. Eodem Rex universo cum exercitu venit. Aderant ei Fridericus Palatinus, ejusque frater Ludovicus, Ernestus Vinariensis, Joannes Holsatus Dux, Christophorus Marchio Badensis, Augustus Sultzbachensis. Bernhardo Vinariensi inferiori Palatinatus inspectio commendata. Noriberga Regem splendide XIV Martii excepit.

Martio.

Comperto ejus adventu, Tillius, direptis, qua transibat, agris, oppidisque in Palatinatum Superiorem, Neomarchiam versus retulit pedem. Rex Danubium petiit, urbemque Donaverdam magna vi adortus, Rudolphum inde Maximilianum, Ducem Lavenburgicum expulit, recedentes præsidiarios machinarum ictibus prosequutus, haud modica illorum strage.

Ejus insistens vestigiis Tillius, Rainam permunitum ad Lycum amnem oppidum insedit, ripamque fluminis Augustam usque accurate custodivit. Rex ex adverso inter Lycum Istrumque fixit castra, omnesque Danubii accolas usque ad Imperialem Ulmam redegit in potestatem, ductore Sperreutero, Chiliarcho suo, Lichtenaviæ potitus, & Pappenheimi castri, continenti victoria Gunsburgum, Lavingam, Hochstatum, Gundelfingam, Kirchbergam, Dillingam sui juris fecit. Nec irritus consilii in jungendo ponte Lyco fuit, reperto loco, ubi ob ripæ curvitatem rapidum coërceret impetum fluvius. Ibi dum impigre pontem struit, frequenti grandium tormentorum fulmine sylvam pulsat, quam suo commodo Cæsariani ac Bavarici præoccupaverant, glandesque exinde maximi ponderis in regios jaculabantur, sed munimentis se suis protegentes. Geminato igitur periculo exterriti Tilliani, quod pontem transire regii inceptabant, ac tormentaria verberatione, quam arborum strages tanquam cœlo tactarum, horribiliorem mageque noxiam efficeret, promiscuam cædem faciebant, præsertim Ducis Tillii crure transverberato, Altringeri capite icto, excedere arbustis, fugamque arripere destinarunt. Igitur

Aprili.

noctis usi umbraculo Neuburgum atque Ingolstadium trepidi refugere, ultra mille suorum desideratis. Alii longè plures tradunt. In Nonas Aprilis ea Cæsarianorum clades incidit.

Rex amnem ponte transgressus, misit Neuburgum, qui oppidum à Maximiliano Bavaro Tillioque desertum occuparent, Augustam Vindelicorum mox ipse sibi aperiri postulat. Eam urbem, imperii Germanici præcipuam, XVIII peditum, duo equitum signa, Cæsari Bavaroque duci jurata tuebantur. Timebatur enim Pontificiis Magistratibus, quod vi publica inibi repurgatioris Christianissimi exercitium aboleverant. Itaque validum præsidium civitati erat impositum, armaque Euangelicis omnibus adempta. Rex præsidium ex urbe ejici imperat. Oppidani, hoc minime suarum esse virium causati, honestas abitionis leges præsidiariis ferri precantur, iisque obtentis, aiunt, se Regis felicitatem nihil moraturos. Quarto die, abscesserunt cum telis sarcinisque Cæsariani, adhibitis iis viribus, quibus contundi pertinaciam suam posse speculabantur.

Undecimus agebatur Aprilis dies, quando Rex Euangelicis commisit Augustanam Rempublicam, Pontificios à clavo submovit. XIV ejus mensis instauravit sacrum ex Confessionis, ibidem Carolo V. exhibitæ, tenore, docuitque, haud vanum fuisse jubilum, quem ante biennium seculari religionis ejus prosperitati confessores accinuerant, quantumvis Papistæ palam lessum magis atque ejulatum rei Euangelicæ, quam jubila convenire, importune jactitaverant. Rex Senatores restitutos & civitatem sacramento regnoque Suecico obstrinxit. Memmingam, Nortlingam, Campodunum, per legionarios aliquot duces devicit, ipse Ingolstadium, quo Tillius æger se receperat, adoriri decrevit.

Dum illa per Sueviam Bavariamque agerentur, Saxonia nostra haudquaquam expers novorum motuum fuit, qui propemodum aureum pacis, quo Dania, Sueciaque colligatæ sunt, vinculum dirupissent. Etenim militares quædam Harpyæ, sub Sueco nomine, perreptare Holsatiam, coloniisque & subditis, tam regiis quam ducalibus, atroces inferre injurias audebant. Accessit militum quorundam Gluckstadiensium, in Kedingia, diœcesis Bremensis provincia, agentium cædes. Postulati violatæ pacis Sueci Duces, nihil suo jussu, nihil regio commissum responderunt. Deductæ statim ex Holsatico solo catervæ militum, quæ ad Francisci Caroli, Lavenburgici ducis, signa adspirabant. Reges per legatos amicitiam veterem instaurarunt. Sub hæc Tottus, Sueci Regis per Inferiorem Saxoniam legatus, Buxtehudam devicit, Stadam commeatu cœpit intercludere. Pappenheimius, Volaterrani cujusdam instar, Saxoniam, Westphaliamque persultabat. Ille Einbecæ potitus, Visurgis confinia agere, ferre, parva sed fortia prælia facere: Tottum & Lohusium Buxtehudam usque insectari, Stadam ingredi, diœcesin Bremensem, qua Stormariæ Ditmarsiæque obvertitur, fæde populari, horribilem in modum sævire in omnem sexum, ætatem, ordinem: nihil sacri profanique habere. Tandem aliqua à Totto & Lavenburgico accepta clade, Vordam oppugnare frustra, Stadam deserere, per Brunsvigiam Westphaliamque in superiora contendere Germaniæ, ut afflictis ibi Romanensium rebus levamentum afferretur. Tottus ad Regem accitus, substitutus ei Baudis; Georgius Lunæburgicus Euangelicarum in inferiori Saxonia copiarum supremus rector factus est.

Electoralibus Superioris Saxoniæ exercitibus præerat Arnheimius, quem pacis exspectatione pene circumventum accepimus, Duce Fridlando clam subornante agmina, quæ exitus Bohemiæ victis præcluderent. Nam Pragam ineunte Maio maximis adortus viribus, deditione receperat, præsidiarios dimiserat gladiatos. Erant signa peditum XXII, duo equitum: quæ Leutmeritzam discessere, 1632. *Maio.*

ſere, ubi robur & nervus Saxonici exercitus erat. Inde niſi admaturaſſet abitionem Arnheimius, ac ſtrategemata pari artificio eluſiſſet, obſidere Albim & montes, Saxonicoſque prohibere Miſnia ſtatuerat Fridlandus. At ſpe facta compoſitionis, ſilenti Luna Leutmeritzano ponte traduxit ſuos Arnheimius, Pirnamque aſſecutus, ibidem ſtativa habuit.

Dum hæc ad Albim fiunt, circa Danubium acriter inter Regem Suecum, Bavarumque Electorem certatur. Bavarus Ingolſtadii relicto Tillio, Ratiſbonam aſtu circumſcripſit. Simulat armiluſtrium unius præſidiariæ cohortis, extra portam. Dum cives ſe ſacris parant, aditus urbis per illam cohortem occupantur, ſubeuntque mœnia novem agmina equitum, qui exarmatis civibus eorum opibus ſemet explevere. Ratisbona exinde Bavaro quaſi pro ſede fuit. Comes Tillius, ex vulnere ad Lycum accepto, bellacem Ingolſtadii exſpiravit animam, ex fortunatiſſimo bellatore ad extremum fortunæ ludibrium factus.

Rex Suecus qui urbem obſidere cœperat, parum ab infelici ejuſdem fortunæ ictu abfuit. Nam munitiones obequitanti Ingolſtadienſes, gradarius albus, quo vehebatur, glande ſuras inſidentis prætervolante, trajectus concidit: eodemque die Chriſtophorus Durlacenus Marchio, caput æneo globo percuſſus occubuit: Vrangelius vigiliarum præfectus atrox vulnus tulit. Quamobrem ſatius viſum, alibi Martem experiri, quam unius oppugnatione oppidi laſſare militantium animos. Et proceſſit conſilium.

Maio. Landesberga ad Lycum, Landeshuta, Friſingenſis Epiſcope, Monachium ipſum, præda opulentum (ibi enim Bavari Ducis regia eſt) Suecicum acceperunt jugum. Ibi CXL machinæ æneæ, tormentaque maxima, quæ Cartaunas vocitant, effoſſa è terra Regis Sueci armamentarium implevêre. Earum una machinarum triginta aureorum millibus gravida, ea fiſco regis peperit. Diverſi agreſtium animi erant. Mirabantur alii regis clementiam & liberalitatem, alii novos execrati dominos, ſi quos ſparſim palantes deprehenderent, dire excarnificabant, auribuſque interdum aut naſo mutilatos neci dabant. Suevia & lacus Acronius ſeu Brigantinus haud pauca ejuſmodi exempla edidere, quos facile imitati Bavariæ coloni. Ravensburgi & Elvangæ præſidiarii male à ruſticis multati. At Ulmenſes Stationarii & qui confinia eorum locorum tutabantur, mox ab agreſtibus pœnas exegere, crudelitatemque eorum paribus penſarunt ſuppliciis. In autores facinorum aſperatum vulgus culpam contulit, qui & ſupplicium pendere efferatis coacti. Cum autem Ratisbonenſes excurrere, direptumque ab iis Weiſſenburgum comperiſſet Rex Suecus, relicta Bavaria, Donaverdam reverſus eſt, cumque Auguſtam, Rainam, Donaverdam, præſidiis firmaſſet, reliquos locos occupantium fore veritus, graviora animo conſilia agitavit.

Omnis enim Germania bello inardeſcebat. Per Alſatiam, & qua diœceſis Argentinenſis patet, Oſſa Cæſaris legatus cum Harincurtio, igni ac ferro graſſabantur. Lichtenavia & Offenburgum in cineres redactæ: Spira recepta, commeatu privata, ac mox deſerta eſt. Neoſtadio propinquantes Cæſarianos aggreſſus Axelius Oxenſternius, Regni Sueciæ Cancellarius, Moguntinæ rector diœceſeos, fregit eorum impetum, parteque prædæ ac tribus eos vexillis ſpoliavit. *24 Maii.*

Major à Duce Fridlando & Pappenheimio metus erat. Etenim Fridlandus, Egra & Ellenbogia deditione receptis, conſociare Bavaricis ſuas copias parabat: Pappenheimius, Haſſiacos fines perpopulatus, Thuringiæ minitabatur. Eodem autem menſe Belgæ fœderati peropportunam in Geldriam & Brabantiam expeditionem adornarunt, Hiſpanienſibus argentariæ claſſis, quæ ex nova Hiſpania maximas opes advectabat, naufragio valde contriſtatis; Venlo ab Henrico 1632.

Bergenſi derelicta, poſt undecim dierum obſidionem fœderatorum Reip. acceſ-
3. *Junii.* ſit Ruræmundæ expugnatio lugubrior Principi Auriaco & exercitui facta, ex inopinato caſu Erneſti Caſimiri, bellatoris tam generoſi, quam periti, qui fortuita glande ab Oppidanis torta, caput ictus, ex vulnere occubuit. Sittardam Otho Stirumbius Comes paucis horis ſubegit. Majus negotium Trajectum ad Moſam erat, finiente Maio, validiſſima ab Auriaco Principe Henrico Friderico, obſidione cinctum, dum interim Wilhelmus Naſſovius Caſtrum crucis ad deditionem adigeret. Nihil utrinque intermiſſum, quod ſolvendæ adſtringendæve obſidioni crederetur. Sed defendendæ urbis cura apud Iſabellam oneravit Henrici Bergenſis ſeceſſio, qui palam queſtus de Hiſpanienſi inſolentia, fraudatuſque militaribus ſtipendiis, ademtum ſibi à Rege Philippo IV. militiæ magiſterium, ſuopte auſu reſumebat, inveterataque ad milites autoritate Leodii ſe tuebatur.

Ad Moſam ſimul & Moſellam Bellona operabatur. Ad Moſellam Hermanſteinum (Galli Ernbreitſtenium vocitant) Septemviri & Archiepiſcopi Trevirorum caſtellum munitiſſimum, annuente Domino, Gallis traditum, cum
1632. finitimam Confluentiam Hiſpani tenerent. Inter quos & Gallos, ut eſt avitum ferme ac implacabile diſſidium, ſic & crebræ velitationes intervenere, donec Otho Ludovicus Rheingravius Confluentia Hiſpanos exegit, eamque urbem pecuniis multatam Gallis, Trarbachium Suecis occupavit. Mox ipſam Trevirorum urbem Gallis permiſſam, confinia ab Hiſpanis deſerta memorant.

Argentina quoque ex hoc tempore regias amplexa partes, tres equitum turmas, ſexcentoſque Sclopetarios Guſtavo Regi in ſupplementum miſit. Qui cognita Ducis Bavari in Noricos profectione, Donaverda propere Noribergam advolavit, cænatuſque ibi x Junii, no-
Junio. cturno itinere rediit ad exercitum, quem in agris Noricis collocaverat. Sultzbacum iis locis confine eſt, Auguſti Palatini, cui Holſatica Princeps nupſit, oppidum. Id à Bavaricis interceptum, Auguſtus ipſe recuperaverat, ſuaque in arce Joannem Ducem, conjugis Germanum, excepit decenter: primores urbis & aulicos metu propinquantis hoſtis, Noribergam traduxit. Cum autem Septemvir Bavarus relicto Ratiſponæ præſidio, CXXXIV, vexilla equitum, LVIII peditum, VIII Junii, junxiſſe Walſteinianis diceretur, Rex prope Noribergam mature communivit caſtra, ſparſaſque hinc inde vires quam celerrime in unum contraxit. Dum id agitur, Tupatelius Chiliarchus apud Neocomen (Neumarchiam appellant indigenæ) circumventus à Fridlandicis, ſtrenue dimicando capitur, legio ipſi commiſſa propemodum conciditur, haud modico Regis dolore. Hinc caſtra caſtris oppoſita, ineunte *Julio.* Julio; tentata utrimque prælia, ſed minoris momenti, neutris ducibus totam aciem in diſcrimen adducere volentibus, Fridlando in id intento, ut annona Suecos premeret: viciſſim Suecis ſubſidiariis, qui conjungi caſtris cuperent, pabula præoccupantibus. His certaminibus Julius menſis actus.

At Pappenheimio novus Saxonum inferiorum exercitus negotium faceſſebat, quem Dux Lunæburgicus & Baudis circumductabant, quocunque verſutiſſimi hoſtis impetus ferebatur. Ille vero ab Hiſpaniarum hærede Iſabella accitus, in Belgium poſtremo iter flexit, metuendus hoſtis, quacunque pergeret, pavoremque ſecum ac timorem vehens. Ejus veſtigia legens Wolf. Henricus Baudis, cum Duce Georgio, quinque equitum M, octo peditum Eisfeldianos in agros immiſit. Duderſtadium, operibus & præſidio munitum à Pappenheimio, ad deditionem redegit, valla & munitiones ſolo æquavit.

Hanc miſerabilem Teutonicis urbibus ſortem diuturnum bellum attraxit, ut modo divites, munitæ, ſplendidæ, modo

modo inopes, laceræ, squalidæ viderentur. Lubena Lusatiæ civitas, intra decimum diem bis à Cæsarianis, semel à Saxonicis, capta, libidinem victorum explevit. Ad Sittaviam vario Marte certatum. Numero enim bellantium Cæsariani vincebant, cum quatuor Saxonicæ legiones regiis apud Noribergam castris sociarentur. Ubi vero Brandeburgici & Sueci auxiliares commixti sunt Saxonicis, res Euangelicis sub Ulrico Danico Principe, Joanne Arnheimio, Jacobo Dubaldo, felicius provenêre.

Major Glogovia capta; Joan. Gotzius sex vexilla peditum, decem equitum tradere, pactaque sibi & iis incolumitate, ac melioribus armis positis, superiorem in Silesiam abire jussus est.

Cæterum Pappenheimianus exercitus, *Augusto.* ineunte Augusto, Trajectum attigit, pontibus Mosam stravit, commeatu intercludere obsidentes laboravit. Frustra omnia. Henricus Fridericus, obsidentium Imperator, Guilelmum Nassovium, Hispanicarum, quæ in vicinia erant, munitionum expugnatorem, in castra accivit. Marchio Sancrucius, Joannes Nassovius, qui Hispanicis præerant, experimentis dicerant, quantumvis prodigi sanguinis humani forent, nequicquam se & incassum pugnaturos.

Igitur, Pappenheimio extrema confidentia in obsessores irruente, maximarumque machinarum ictibus vix cedente ejus exercitu, quies Hispanicis placuit, quos & cavillando acclamasse Germanis feruntur: Vigilate, orate, date nobis pecuniam, & pugnabimus. Cæsi Pappenheimensium supra mille quingentos. Trajectum XIII Augusti fœderati Belgii rectoribus deditum est. Decretum ibi utriusque religionis, Roma- 1632. næ & reformatæ exercitium. Relicta Episcopo Leodiensi, quæ priscitus fuerat eo loco jurisdictio: si qui demigrare urbe cuperent, iis permissum. Limburgum, Sanvitium, Falckenberga, Dalema easdem leges subiere. Præcesserat exeunte Julio clades Fridlandicorum ad Freistadium. Ibi maximam vim annonæ & commeatus congestam à Cæsarianis, ubi rescivit è captivo Centurione Rex Sueciæ, Tupatchium nuper à Duce Fridlando solutum, cum equitibus sclopetariis eo amandaverat. Ille porta petardis, ut vocant, rupta, nocturnus irrupit in oppidum, pecora abegit, annonam omnem cremavit. Rex ipse revertentibus subsidio futurus, Cæsarianos qui id damni ultum exierant, ex insidiis adortus est, magnaque cæde profligavit. Vigiliarum præfectum, Sparrum nomine, captivum abduxit.

Interea Herbipoli, Sueinfurti, Kitzingæ confluxerant auxiliares Suecorum, Rhenanæ, Saxonicæ, Hassiacæ copiæ, ut exercitum efficerent L millium: Quæ medio Augusto conjunctæ castris regiis, non tantum æquarunt vires, sed & audaciam concivêre ultro lacessendi Cæsarianos, vallis se tenentes.

Post triduanas fulminationes machinarum & leviora certamina, ab exploratoribus cognitum est, Cæsarianos abitionem parare. Id dolo an per socordiam nunciatum, stimulavit regios, ut castra Fridlandica adorirentur. Dies erat XXIV 1632. Augusti, qui totus vehementissimo conflictui datus, fumo flammisque totus mons, ubi conserebantur manus, exardescere visus est. Nox prælium diremit, cum neque munitionibus se Fridlandici, neque campo regii pelli paterentur, atque propter arbusta equestris explicari acies nequiret. Ex utraque acie egregii bellatores hoc prælio desiderati, è Sueca septingenti circiter, è Fridlandica mille. Fridlandus & Vinariensis Bernhardus tam vicini exitio fuere, ut equi insidentium globis sternerentur. Tandem VIII Septembris die defectum haud dubie annonæ veritus Rex Gustavus, prior mutavit castra, & Neostadium ad Aitscham fluvium concessit: Noribergæ peditum regimina VIII, trecenti equites relicti. Dux Fridlandus Noribergæ potiundæ spe dejectus incensis castris

pagisque confinibus, Forcheimum celerrime contendit, extremum discedentis agmen carpentibus Noribergensium præsidiariis.

Nullum discordanti Germaniæ, ex tanta tot millium animarum conflige ac ærumnis, remedium fuit, nullum lacrymis, doloribus, suspiriis, alibi apparuit levamentum. Bavaria, Suevia, Alsatia, Rheni Palatinatus, Saxonia, Silesia nihil exinde pacis percepêre.

Fuggerus Landsbergam Bavaricam vi extorsit Suecis. Per Silesiam Saganum, Sprottaviam, Steinaviam, Wolaviam, Lignitium subegêre Saxonici. E diœcesi Trevirorum alia manus militaris in Alsatiam infusa est. Eam Ossa & Montecuculius suis junxêre. Wirtembergiam, Badenam & Argentinenses agros direptioni habuere. Brettam Melanchthonis patriam, compulsis ad deditionem præsidiariis expugnârunt, portas & mœnia diruerunt oppidi, Reutlingam Wirtembergicam exussere. Illos, adulto Augusto, ad Wiselochum ex insidiis adortus Gustavus Horn cum Rheingravio, quamlibet fortiter pugnantes, in fugam egit. Wiselochum liberatum. Montecuculius, Ossa, Henricus Metternichius, qui Heidelbergæ præerat, irriti expeditionis fuere, nisi quod Argentoratensis ditio ab iis plurimum damni cepit. Persecutus illos Horn, trajecit prope Argentoratum amnem Rhenum, cumque Ottone Ludovico Rheingravio, perhumaniter in urbe exceptus, in superiorem Alsatiam arma vertit. Est ibi Benfeldia, castrum apprime munitum, præcipuum illius tractus propugnaculum; Id obsidere Horn cœpit, Stolhofena & Offenburgo præoccupatis. Badensis Marchiæ partem Guilielmus Durlacensis, cui Cæsaris judicio adempta ante decennium fuerat, recuperavit. Benfeldia finiente demum Octobri, deditione capta est: quam victoriam plerorumque Alsatiæ oppidorum subjugatio auxit.

Cum autem Saxonis Septemviri copiæ partim in Silesiam, partim ad confirmanda regis Sueci castra essent amandatæ, defensoribus nudatæ provinciæ ejus, injuriis patebant irrumpentium. Occasioni id sumtum Fridlandicis est. Henricus Holckius, è nobilitate Danica Cæsariani exercitus Tribunus, è castris delegit octo millia armatorum, tremendam Nariscis, Misniæ & Saxonibus manum. Cremati passim eorum vici, exhausti pabulationibus incolæ. Holckius ad ipsam Electoris sedem, Dresdam usque, pabulabundus processit, fumoque pene suburbanorum pagorum Septemviralem aulam implevit. Alius Cæsarianorum manipulus Annæbergam diripuit, exactisque à civitate bis mille imperialibus, Nariscos fæde vastavit. Zuiccavia honestis conditionibus Cæsarianum præsidium admisit.

At Albertus Walsteinius, Fridlandiæ Dux, solutis, ut diximus, ad Noribergam castris, partitus est copias, autumno ineunte. Bavaricas legiones in Bavariam, Jacobum Gallam cum validis agminibus in Bohemiam ablegavit, Franconiam sibimet ipsi disponendam retinuit. Gallas transeundo Laufenam, Grevenbergam, Hirtzbruccam, Sultzbacum, Cæsari subegit: Noricum populationibus & incendiis pene delevit. Egræ se junxit Holckio.

Rex Suecus, flexa in Bavaricos facie, Winsheimo Dunckespulam transtulit castra. Bernhardum Vinariensem Kitzingæ reliquit aut Sueinfurti, Fridlandi molitiones observaturum: Guilielmum ejus fratrem remisit Erfordiam.

Fridlando duci Culmbacenæ ditiones & Coburgicæ mox prædæ & direptioni fuere: Culmbacum ipsi fortissime restitit. Coburgum victas præbuit manus, arx mascule propugnata fusoque feliciter irruentium sanguine, Saxoniæ ducibus conservata est.

Nec mora apud Vindelicos bellandi. Sueci enim Regis Centurio, cui Reinam commiserat regendam (Mutefallum vocant virum) cum temere Bavaricis

ricis restituisset oppidum, subdolæ gubernationis pœnas cervice exsolvit. Reina ineunte Octobri Suecis recuperata.

Septemb. Cæsarianis plurimum momenti in equitatu Isolani Croatico erat situm. Id gnarus Vinariensis Bernhardus, inopinato insultu casce turmas Sultzbachii oppressit, dissipatisque & laceratis decem vexilla extorsit. Is casus Fridlando duci, qui per saltum Thuringiacum irrumpere in Thuringiam cogitarat, causam mutandi consilii præbuit.

Postquam dux Bavarus Ratisponam se recepit, Kniphusius Laufenam & conterminos ei locos redegit in Sueci Regis verba: Submissos à Bavaro duce subsidiarios Rex ipse nocturna invasione concidit.

Sub hæc Gallas & Holkius per Nariscos & Saxones prævalidas agitantes manus, quacunque tendebant, omnia tanquam tempestate prostravere. Altenburgum & Chemnitium suæ debilitatis conscientia, palmas eis porrexerunt, Holkius sub ipsis Dresdæ mœnibus cum Vizethumianis manipulis conflixit: Machinarum ex urbe ingruens grando fulminea audaces ejus impetus protelavit. Propridie Nonas Octobris Freibergam Gallas & Holkius perdomuere: cives direptionem bonorum, centies mille imperialibus, Elector ipse sepulcreti Septemviralis violationem octuagies mille imperialibus, quos Taleros vocitamus, redimere coactus est.

Octobr. 1631.

Ea damna sanarunt Silesiaci progressus. Ibi enim circa Olaviam transgressus Viadrum flumen Arnheimius; prospere cum Cæsarianis conflixit Kalend. Septembris, inferioremque omnem Silesiam fœderatis Euangelicis subegit: Cæsariani Oppeliam & Conselum refugere. Nec tamen fida illis statio Oppeliæ, Euangelicis eandem quoque exeunte Septembri vi expugnantibus.

Dux Fridlandus hoc militaris gloriæ fastigium in diminutionem sui accipiens, in Saxonicis ditionibus facere festinavit, quæ Arnheimius in Cæsarianis faceret. Igitur Plavenam, Altenburgum, Bornam, traducto exercitu, Lipsiæ propinquat, quum alia parte Holkius, & Gallas Misnam, Oschazium, Lumnitsium, Vurtzenam direptionibus aut incendiis deformarent. Lipsia defensione desperans adversum vires Cæsareas, XXII Octobris se permisit Holkio, tolerabiles passim conditiones consortibus ejus fidei, cui ipse initiatus est, indulgenti. Postridie contiguum Lipsiæ castrum, quod Bleissenburgum appellitant, Cæsarianis dedidit Joannes Voppelius, idque facinus, ut inhonestum, minimeque decorum dignitati suæ, postea capite luit. Lipsiensibus L. Talerorum millia imperata, cives exarmati. Præcesserant exemplo Weissenfelsa, Naumburgum, Merseburgum, præsidiumque ferre quam exitium maluerant. Hallam quoque Hatzfeldius Cæsari receperat. Sed arcis excubitores eum oppido rursus exegerant. Certa Septemviratui Saxonico pernicies imminebat, Pappenheimio etiam Comite, ex irrita ad Trajectum expeditione, revertente in Saxoniam, irasque minaces haud obscuris indiciis promente.

Cum enim Baudis Paderbornam Westphalicam obsidione premeret, accursu Pappenheimianorum exterritus abscessit urbe, gnarus longe imparem se viribus fore. Ejus quingentos equites, Bracelliæ invasit Comes Gronsfeldius. Sed Baudis, equestri manu stipatus, cruenta eos pugna liberavit, suumque damnum trium machinarum hostilium spolio, ipsorumque fuga invasorum solatus est. Atqui mox gravius ipsi periculum concivit Pappenheimii, Merodii, Gronsfeldii conjunctio, duodecim bellatorum millia in eum raptantium, vix quinque millibus instructum. Ibi vero à prudentia & consilio salutem mutuatus, Mindam regredi statuit, talique artificio recedentem aciem moderatus est, ut non tantum illæsas ab hostili violentia servarit opes atque copias; verum etiam tergo inhærentes

Pappen-

Pappenheimianos Equites tribus vexillis exspoliarit.

Qui in partem curarum venerat antea Dux Lunæburgicus, ad Wolferbytum tunc hærebat. Eo properatis itineribus, xx equitum turmas perductat Gronsfeldius, nocturnaque irruptione à præsidiariis intromissus, in obsessores irruit, universos dissipat, multos eorum capit, Georgio Lunæburgico ægre suos intra Brunsvicensium machinarum jactus receptante, vexillis novem desideratis. Hæc vexilla Hildesianis monstrata, fidem fecere cladis sociorum, persuaseruntque, ut ferociter oppugnanti urbem Pappenheimio, intra triduum ad deditionem consentirent. Stipulati duabus auri tonnis salvas opes, religionem liberam, præsidiumque intra duo millia, contra quam pacti erant, omni auro argentoque facto excutiuntur, avectoque Wolferbytum potiori commeatu, in triste rediguntur servitium.

His rebus peractis, Pappenheimius Visurgis tutamen Gronsfeldio mandat, altiusque profectus Mulhausam sui juris facit, Saltzam, Longam & Creutzbergam diripit, Septemviratui Saxonico exsequias struit.

Tantis fœderati Principis periculis ex-
Novemb. citatus Rex Sueciæ, accelerandas suppetias decrevit. Quamobrem compositis pro tempore Bavaria, (ubi Landesbergam redegerat ad obsequium Christianus Birckenfeldius) Suevia, Franconia, per sylvam Thuringiacam, ubi suas ei consociavit legiones Bernhardus Vinariensis, Arnstadium, Suarciburgum, Erphordiam progressus, relictaque ibidem Regina, Naumburgum tertio Kal. Novembris, per Brandenstenium Tribunum habuit. Priusquam Pappenheimiani jungerentur Fridlandicis, prælio dirimendam Septemviratus possessionem duxit.

1632. Concurrunt infestæ acies ad Lutzenam oppidulum, cui ingeniosus aliquis vocabulum à Græco, Αὖξιν, hoc est, singultiendo indidit. Ipsis Nonis Novembris prælusum levioribus certaminibus est. Postridie cum Sol nebulas dispuliisset, Rex cibum aspernatus, implorato Domini Jesu Numine, confidenter in hostem duxit. Consertæ sunt strenue manus. Circa decimam diei horam valescebat prælium, totisque in se invicem viribus invehebantur. Cum sinistra Equitatus Cæsariani ala in fugam proclinaret, ferventiori raptus victoriæ studio Rex, validam Smolandorum equitum manum in fugibundos agit, confertissimosque in hostes illatus, dum instantissime eos urget, acceptis aliquot vulneribus, spiritum, quem Creatori suo, pro tuendo ejus sanctissimo cultu, devoverat, in armis posuit. Vulgatum ejus exitium, Croaticis agminibus fiduciam peperit, ut alam Regis victricem circumeundo, in impedimenta involarent Suecica. Sed inconcussa Teutonum, Suecorumque constantia, magna cum clade sunt rejecti. Sinistrum enim cornu equitum tam dextre Bernhardus Vinariensis rexit, ut oppositam aciem, quantumvis acriter dimicantem, & ipse campo pelleret. Jamque debellatum plerique existimabant, cum fatis suis actus Pappenheimius Halla derepente advolat, effusos in fugam Cæsarianorum ordines restituit, mixtisque suis agminibus, quæ nucleus & medulla Romanensium exercituum habebantur, asperiorem longe in tene- 1632.
bris pugnam accendit, quam qua fulgente Sole defuncti erant Euangelici, eoque in conflictu animosam animam cum sanguine exspiravit. Ad octavam noctis horam extracto certamine, cesserunt tandem Cæsariani, relictaque sarcinarum & machinarum parte, Lipsiam refugerunt. Interiere capita hominum utrinque ad IX millia. E Cæsarianis cecidêre Duces, præter Pappenheimium, Abbas Fuldensis, Bartholdus Wallensteinius, Comargus, Breunerus, Witzlebius: ex acie Suecica, Iflerus, Gerstorfius, aliique: victoriæ gaudium pene exstinxit præcox Regis Sueci interitus, quem adeo aversata est purioris Christianismi Ecclesia, ut mortuum toto semestri vix crediderit.

diderit. Exegerat annum ætatis fere duodequadragesimum, Princeps, cui parem Suecia nullum, reliquus orbis paucos dedit.

Ejus morte compertum est, quod ipse sui casus præsagus pronunciasse fertur: Non in unius capite mortalis ponendam salutem Ecclesiæ, bonæque causæ triumphum, sed in ipsius Jesu Christi Servatoris Opt. Max. favore ac patrocinio. Ille enim cæso Macchabæo, Jonathas, Simones, Hyrcanos, in promptu habet, labantis Reipub. vindices.

Dux Fridlandus postridie prælii Lipsiam statim deseruit, indignatusque serio, aliquos Ordinum Ductores signa deseruisse, & commilitonum exspoliasse sarcinas, ab eis Pragæ postea capitis supplicia exegit. Henricus Holckius claves urbis Senatui Lipsiensi restituit. Saxonici eam x Novembris confestim recepere. Victori exercitui, contra quam accidere consuevit, non ceciderunt ex capitis sui jactura animi: quin ad ultionem acrius exarsere. Dux Vinariensis equitatu Saxonico, & Lunæburgico confirmatus. Chemnitzium oppidum prævalide adortus, præsidiarios ad deditionem adegit. Kniphusio Pleissenburgum ineunte Decembri, ipsoque Christi Natali, Zuiccavia victas manus præbuere. Præsidiarii Bohemiam versus deducti.

6. Nov. Quo die Rex Suecus victorem spiritum emisit, eodem Moltzheimum Alsatiæ ei subegit Gustavus Horn, decimoque post die Otto Ludovicus Rheingravius prope Brisacum equitatum fudit Cæsarianum. Et ne fortunam partium, in capite regis, tanquam mucrone teli, obtusam crederes, Seleſtadium, valentissima obsidione contusum, III Decembris eidem Horn subactum est. Mox & Columbaria, seu Colmaria, urbs Imperialis, quam quinquennio ante Cæsariani purioris exercitio religionis spoliaverant, pertæsa insuetæ servitutis, simulque verita præpotentem Euangelici exercitus gladium, se ultro permisit Horn, solenni formula suæ libertatis plenam redintegrationem pacta. Joannes Schmidius Argentoratensis Theologus, quem annis adhinc xx, Argentinæ audiebamus, reformati Christianissimi exercitium ibi publica autoritate instauravit. Hagenovia similiter Suecicum admisit præsidium. Franckenthalium 26 Novembris, Friderici Palatini, Bohemiæ quondam Regis, partibus redditum; Hispanienſe præsidium in Lucemburgiam deductum est.

At Fridericus ipse Moguntiaci, cum pleraſque ditiones avitas, adjutu Regis Sueci, revocasset ad obedientiam, fatigatam sortis humanæ inconstantia animam Deo reddidit 19 Novembris, relictis decem ex Elisabetha Britannica liberis impuberibus. Frater ejus Ludovicus Philippus, & ipse per hanc tempestatum σύρραξιν, paterna hæreditate motus, administrationem Electoralium terrarum capessit. Axelius Oxensternius, regni Sueciæ Cancellarius, susceptæ Christinæ, filiæ Regis septennis, regnique hæredis unicæ, tutela, Ludovico regimen Palatinatus tradidit.

Emortualis ille principibus Viris mensis, Colonienſi quoque diœcesi, profugorum Præsulum receptaculo, funestus extitit. Nam Wolff. Henricus Baudis, evitato Pappenheimiano insultu, Hassiacis auctus cohortibus, Siburgum Bergensis Ducatus oppidum, cum opiparo commeatu intercepit: exinde exercitu in Colonienſem districtum transportato, longum & latum de se terrorem in confinia projectavit. Municipia, castella, oppida, inque iis Lintzium, Blanckenburgum, Vindeca, Reineca, Oberwintera, victas tetendere palmas. Andernaco vi expugnato, armati omnes cæsi. Orsojum à Guilielmo Nassavio fœderatis Belgis subactum.

Interea Colonienſes Teubiscum suarum commodo partium muniunt, donatum id municipium suæ civitati obtendentes. Baudis eos desistere hortatur, pergentes inopinato obruit. Id ulciscendi studio prorumpunt Colonienſes, dum-

que militem quendam in D. Urbani Basilica captivum attinent, ille immisso in nitratum pulverem igne fanum incendit, trecentosque secum mortales leto dedit. Ita Numinis ira cœlestis inquietas hominum molitiones, turbulentaque consilia flagellat. Quod etiam per Gallias enituisse accepimus.

Inter fratrem enim Regis Gastonem, Aurelianensem Ducem, & Cardinalem Richelium simultatem exarsisse ferunt. Eam robur traxisse monetæ signatione aliisque juribus, quæ Dux sibi, ut proximo Coronæ hæredi, & juxta ac Regi convenire asseruerit, Richelius negaverit. Igitur indignabundum Aurelianensem fratris regia excessisse, Regem Aureliano imposuisse præsidium. Cum id sibi dedecori aut periculo fore censeret Aurelianensis, aliquandiu iis locis suam præsentiam subtraxisse. Scripsisse interim milites, quos commune ei seu odium, seu gratia partium conciliaverat. Commisso autem prælio inferiores tulere fœderati, Dux Montmorantius in ipso certamine captus est. Sopiendo civili dissidio Rex fratri, ejusdem aulicis ignoscit, exteros milites exautorari, regno excedere, Montmorantium suo relinqui judicio jubet. Nobilitati, judicibus urbanis, aliisque qui in partes fratris iviſſent, deprecantibus, delicti veniam pollicetur. Præsulibus Albionensi, Nemausensi, Uticensi, Bithuricensi, Agathensi, præstolandam concilii sententiam. In hasce leges reformata pace, Dux Aurelianensis Lugdunum intravit splendide. At Montmorantio, cui implacabilius Rex irascebatur, majestatis damnato, irritis pro ipso precibus, cervix Tolosæ abscissa, anno ætatis 35. Tanto severitatis exemplo perculsus Gasto, paterno regno demigravit, pactis se non teneri rescripsit: Cæteroquin nihil adversus patriam moliturum. Paulo ante, sub initium erat Octobris, insolens Orgionis fluvii eluvio, è comitatu regio, circa Boëterras ultra centum capita delevit.

Fuit omnino hic annus Illustribus luctuosus familiis. Nam præter Regem Suecum, & Fridericum Palatinum, Sigismundum quoque Augustum, Poloniæ Regem Aprili mense, actis potentiæ annis 45 abstulit. Adde, si publicatis relationibus fides, Leopoldum Archiducem, Septembri: Franciscum Lotharingum, Octobri: Henricum Scombergium, Franciæ Marescallum apoplexia mense Novembri mortuum. Quibus & præcocia nimis fata sociarunt Franciscum Rantzovium, regni Daniæ supremum Aulæ-Magistrum.

Nam indignari judico cœlos ad nefandissima hominum facinora, floremque humani generis ad se raptare, stipulas & arentes culmos terris relinquere.

At vos, ô terrigenæ, qui ad Spiritus divini vocem non respiscitis, è prodigiis saltem & portentis sapite. Exhibuit nobis cœlum hoc anno fere jugem vultus sui torvitatem, imbres, ventos, indeque enascentes morbos intolerabiles. Terra passim sanguineis conspersa est guttis, stagna tota in cruorem versa apud Saxones, accepimus. Apud Dithmarsos homo biceps Eddellacæ genitus, ventre uno; bos biceps Sarzebuttelæ, aliique monstrosi partus alibi visi. Sanguis in panibus, ocreis, pavimentis, arborum foliis repertus. Naturam, credite, vanitati obnoxiam, congemiscere sanguinolentis machinationibus, suique liberationem parturire.

Ecce vero mihi, qui homines degenerasse in feras, diffiteris, evidentissimum tremendi judicis testimonium. In finibus Muscoviæ Martio hujus anni mense vivebat vir nobilis genere, dignitate quæstor, nomine Albertus Pericoscius. Hic miseram plebem, si tributa tardius exsolveret, pecoribus & jumentis spoliare suetus, cum domo forte abesset, unica nocte omnem injuste quæsitum gregem amisit. Exstinctum subitanea internecione jacuit, quicquid rapuerat, quicquid coëmerat homo improbus. Revertenti peregre nunciat servus, inde uxor, cladem

cladem divinitus immissam. Ad hoc frendere homo blasphemus, sclopetum in cœlum explodere, nefandas eructare voces: Qui interfecit, devoret. Si noluisti me edere, tute edas. Ad furiosos in Deum latratus, guttæ destillarunt sanguinis. Homo confestim in canem versus nigrum, ululando invasit pecudes morticinas, iisque pasci cœpit, ac forsan hodieque pascitur. Mulier gravida, aliquandiu viri casui superstes, tanti horrore judicii exanimata est. Non ab auritis tantum, sed ab oculatis accepi testibus, quod narro.

Sed age perstringamus cursim, quid primi hujus anni XXXIII, quo hæc scribimus, menses tulerint. Hæc enim ineunte Julio meditamur: neque plura quisquam dehinc à nobis exspectet. Aggressi sumus totius mundi acta, eaque in Epitomen arctavimus: multum temporis, valetudinis, virium, sumptuum, hausit iste labor: Officium nostrum, ætas, status, studium, aliud agere postulant. Epitomatoris historiarum publico bono sumpsimus provinciam; ea mantissæ loco publico bono decedimus. Accipe saltem, Lector amice, quæ de hujus anni initiis nobis comperta sunt.

Ea nobilitarunt tum Regis Poloni coronatio, tum nova Georgii, Lunæburgici Ducis, expeditio, tum continuatæ Euangelicorum per Germaniam victoriæ.

In Polonia, sub exitum Septembris insigni omnium Ordinum consensu successor Regi Sigismundo lectus erat filiorum ejus vetustissimus, fortissimis factis regiisque dotibus pridem celeberrimus Vladislaus IV, qui curatis ritè parentis utriusque exequiis, Cracoviæ ad diem XXVII Januarii Polono Diademate exornatus est. Fratrem Regis Joannem Albertum, Episcopum Cracovienſem, galero Cardinalitio muneratus est Pontifex, Urbanus VIII. Reliqui fratres, Joannes Casimirus, Carolus Ferdinandus, Carolus Alexander solennitatem hilares condecorarunt.

Dux verò Lunæburgicus è superiori Saxonia XVI armatorum millia ad Visurgim deduxit, legato Dodone Kniphusio. Hi transmeato flumine mense Februario, Wilshausam, Fechtam, Quakenburgam, Furstenaviam, Hervordiam, Bilefeldiam, Lemgoviam, aliaque Westphaliæ oppida vel arces suarum partium fecere, cum Guilelmus Landgravius Tremoniam, Dorsenam, Cosveldiam, confiniaque loca in sua verba adigeret. Tandem & ipsa Paderborna contributarium suscepit jugum.

Etenim Baudis, translatis in Colonienſe territorium armis, effecerat, ut Gronsfeldius ex oris Saxonicis, Teubiscum juvandis Colonienſibus excurreret. Laborabantque Præsules, Colonienſis, Moguntinus, Herbipolenſis, & Dux Neoburgicus, ut deduceretur iis finibus omnis miles extraneus. Nec abnuit Baudis inducias, donec superiorum vota perquisivisset, illico autem finibus demigrare, minime è re Euangelica censuit. Interim Gronsfeldius ad suas revolat in inferiore Saxonia copias, ut Dodonem Kniphusium in Brunsvigiam, & Schavenburgiam transitu arceat. Nam Kniphusius Rintloniæ propinquabat, ejusque potitus oppidi, Visurgim transgredi cogitabat. Opponuntur ei aliquot agmina bellatorum, & machinæ, qui ripas tueantur. Paulo post Lunæburgicus firmiores trahens copias, monstrato per colonum quemdam vado, nocturnus traducit equitatum, Cæsarianos adoritur de improviso, quadringentos eorum capit, reliquos supra mille in fugam agit, quos Mindam aut Hameliam usque strenue insectati Sueci & Saxones, compluribus prostratis, opima spolia retuleruut.

At in Ubiorum Diœcesi, cum parum placerent Præsulibus Baudisiana responsa, Sanctenburgum illi occupant per Hispanos milites, Gronsfeldianis junctos, Andernacum per Comitem Isenburgicum valide oppugnant. Masculè autem illis restitit Josias Rantzovius, præsidii rector Holsatus. Trina eruptione

unico die haud modicam obſidentibus ſtragem intulit. Cumque interea per Palatinum Birckenfeldium & Vitzthumium ſupplementum veniret Euangelicis, Baudis obſidionem ſolvere adegit Pontificios, jam per mœnia jugi tormentorum verberatione rupta, irruere in urbem molientes. Andernaci munitiones ab ipſo deinde Rantzovio deſtructæ, reſque iſtic locorum majori conatu ab Euangelicis geri cœptæ ſunt. Baudis hoc fortitudinis exemplo edito, Proregis quon-
1633. dam Holſati, Gerhardi Rantzovii filiam elegantiſſimam, ſacro nuptiali ſibi adjuncturus in Holſatiam venit, ærumnas Martias dulciori interpolare palæſtra cupiens.

Medio menſe Martio Hamelia, viris, opibus, vallis, munitiſſima, ab Georgio Lunæburgico obſideri cœpta. Schelhamerus præſidii Ephorus ſex peditum, duobus Equitum ſignis, ad hæc commeatu & re tormentaria validus, difficiliorem opinione ac diuturniorem obſidentibus oppugnationem effecit. Merodium & Gronsfeldium, ſubinde eximere urbem periculo conantes, repreſſit Guilelmus Haſſiæ Landgravius, fœdamque in
28. *Jun.* fugam egit. Quâ victoriâ Jacobus cognomine Parvus, major animis, dum Lipſtadii tranſitum ſuis militibus MD audentius poſtulat, negantibuſque vim infert; tardante foris exercitu ſuo, à Lipſtadienſibus transfigitur. Res variis certaminibus extracta, III Kalend. Julii, prælio devicti ſunt Gronsfeldiani, Merodianique, quum haud minori fiduciâ quam apparatu Hamelienſibus ſubſidio adventarent. Victoriam Euangelicis Burchardus Rantzovius, Equitum Magiſter, juvenis, genere pariter animoque nobiliſſimus, ſuo etiam ſanguine emit. Cæſis hoſtium ferè ſeptem millibus, inter quos ipſe Merodius, ac plerique ordinum ductores, cæteriſque fugatis ac diſperſis, Hameliam hiſce diebus à Duce Lunæburgico expugnatam, accepimus, ſicut antecedente Maio, à Principe Auriaco Rheinbergam.

Felix & in ſuperiori Germaniâ Guſtavo Horn & Bernhardo Vinarienſi Mars fulſerat.

Vinarienſis, ſub anni hujus auſpicium, in Bambergicam profectus diœceſin, Cronacum, Hochſtadium, Auracum ſubegit: Duce Bavaro in Sueviâ Gunsburgum, Kaufbeuram, Landsbergam redomante. Ille ut obſiſteret Horn, impoſito Alſatiæ à ſe ſubactæ præſidio, arma convertit in Sueviam. Friburgum Briſgaviæ & Kitzingam deditione occupavit. Wirtembergici, expugnata à ſe Rotweila, ſociarunt ei vires: Joannes Bannerus cum ſuis cohortibus obviam perrexit. Per hæc autem Altringius Memmingam deditione, & III Nonas Januarias, Campodunum vi cepit. Ubi explendo furori armati, inermeſque juxta trucidati, urbs direpta, impuberes puellæ & anus ipſæ vitiatæ ſunt. Reliquis civium, qui in poſterum uſque diem reſtiterant, catenæ injectæ. Horn, fuſis aliquot Altringiorum equitum turmis, Mundelheimum & Kaufbeuram intercepit: Altringium egit in Bavariam.

Relictus in Alſatia Rheingravius, Tannum, Altkirchium, Pfirtum, Sundgaviæ oppida, Suecis firmat præſidiis. Cæſariani Lotharingo Duci Tabernas Alſaticas, & Dachſteinum tradunt; nactique occaſionem, curribus ſtramine oneratis occulunt aliquot milites, eoſque in Hagenovienſi portâ ſiſtunt. Interemptis per eos ſtationariis, cives & ruſtici ex conſpiratione cum conſule urbis, & Salmenſi Comite, qui Tabernis præerat, proſiliunt in præſidiarios, eoſque gladiis aut flagris occiſos, in plateas abjiciunt inhumatos. Pari exemplo Sundgavienſes ruſtici in Pfirti & Altkirchii præſidiarios inſurgunt, Erlachium Baronem, Rheingravii legatum, variis cruciamentis necant. Stationarios paſſim mactant crudeliſſimè: quid de ſe viciſſim faciendum exemplis præmonſtrantes. Rheingravius tam per Centuriones, quam ſuopte ductu, agreſtium ad quatuor millia, armis victa delevit. Confinia

finia agitantes Brisgaviæ coloni, ad centum triginta rectè suspensi sunt. Ita pacatis Sundgaviâ & Brisgaviâ, Horno se junxit Rheingravius. Horn Februario mense equitum cohortem Simeringæ dissipaverat. Rituinus ejus Chiliarchus, aliam prope Erbachium. Kalendis Martii Palingam duxêre instructissimas copias, Bavarosque equites à superiori Sueviâ redegêre in Sundgaviam. Postridie Nonas Martias Bibraci ostentum eis visum, gladii duo, alter cruentus, alter ignivomus, acie versus hostes versâ, portendentes haud dubiè, sanguine & igni judicaturum perduelles verbi sui Dominum. Idibus Martiis Rainam proditione civium ceperunt Bavarici, Horno Augustæ adventum Ducis Vinarienfis præstolante, ut adunatis exercitibus Bavariam aggrederentur. Neque falsus consilii fuit. Bernhardus Dux præcellentissimus, posteaquam Heriedenam vi, Eschenbachium deditione, Abrenhavium astu cepisset, fuso insuper Joannis de Werda equitatu, Donaverdam pervenit, ibique assecutus Horn, peditum ad viginti octo millia, duodecim equitum, utriusque copias effecit. Quibus brevi Aichena, Dachavia, Monachiumque ipsum patuêre: Landsberga vi expugnata, cives jugulati ob ferociam, præsidiarii victorum signis adscripti sunt, munitiones urbis dirutæ. Inde Neoburgum Euangelicis redditum, ubi ponte instratus est Ister; copiæ in Aichstatensem deductæ diœcesin, eam facilè subegêre. Dum hæc scribo, percrebuit, Neocomen Palatinam ab Horn captam, Rheingravium in superiorem Alsatiam remigrasse: Cæsarianos & Bavaricos intra Egram & Ratisbonam junxisse copias, Fridlandum cum prægrandi exercitu in Silesiam penetrasse. Ibi Brigam, Oppeliam, Stralenam, Crotcaviam, hoc anno Euangelici sibi subjecerant, Polonos, quos prædæ cupiditate invitârat Hannibal Dhonâ, repulerant fortiter, adeo ut perspectâ eorum clade invitator ipse animi dolore interierit Ulricus Princeps Danicus, elicitis ad pugnam Cæsarianorum bis mille equitibus, profligatisque, Brauram eis oppidum eripuit. Nunc Euangelicorum exercitus fertur xxx exsuperare millia; sed longe Cæsarianos numero anteire. Rex Daniæ inclytissimus maximo sumptu ac labore pacem resarcire instituit: quo etiam recentem Polonorum Regem adspirare perhibent, maximè Michaëlis Federovitzii, Russorum Principis bello motum, quod is Smolensco jam iterum potitus, gravis Poloniæ immineat. Adhæc Turcam, Persico feliciter gesto bello, occasioni haud defuturum, nisi inter Christianos pax conveniat.

Quanquam autem adverso plerumque Marte à Cæsarianis & fœderatis pro religione Pontificiâ hisce annis pugnatum sit, nihilominus Cæsar in Austriâ suâ pergit exscindere eum Numinis cultum, pro quo certant Euangelici, eaque severitate Austriacos patriæ damnatos, agit in militiam. Fuerunt tamen ex iis, qui Heilbronnensibus Comitiis auxilia à confœderatis Euangelicis peterent. Nempe Franci, Suevi & Rhenani, qui Augustanæ confessioni dant nomen, Heilbronnæ se obligarunt ad continuandum in Pontificios bellum, donec restituta sit Germaniæ libertas. Oxensternius, bellici Senatus præses declaratus. Ubi pax affulserit, regno Suecico de satisfactione cautum. Rex Galliæ arctiori illis fœdere per legatum se adstrinxit. Vicina Heidelberga cum arce in Euangelicorum redacta est manus. In Suecia ipsa actis comitiis allecti in Senatum Joannes Pontus, Axelius Banneer, Steno Bielkie, Carolus Sparre, Aco Axelius, Carolus Bondæ, Ericus Runningh, Joannis Kurck. Christinæ Principi, Regis filiæ septenni sacramentum publice dictum. Sigismundi Regis hæredibus, jus omne ad regni Suecici fastigium denuo abrogatum. Cultus divinus, prout Augustana confessione explicatur, in omnibus Sueciæ provinciis

administrari jussus. Regni vicario, Mareſcallo, Admirali, Cancellario, Theſaurario, Quinqueviris, regni cura, tutelaque principis pupillæ mandata. Decreta & continuatio belli adverſus Cæſarem & Romanenſes fœderatos, ni ſalutaris regno pax obtineatur. In id mola-
1633. rum, ædiumque tributa, ut regnante Guſtavo Magno, prorogata. Ejus funus regie adornatum, in Sueciam mittitur, avito ſepulcro inferendum.

Dum hæc concipio, refertur è Dania, Regem fortiſſimum Hafniæ, poſtridie Kal. Julii, collato Alexandri Sundenburgenſis filiis feudo Ducatus Sleſvici, undecim præcellentes prudentia & armis viros aureo donaſſe baltheo; Nimirum Georgium Henricum Witfeldium, Tagonum Tottum, Andreanum, Georgium Urn, regni Daniæ Mareſcallum, Nicolaum aut Claudium Daa, Admiralem; Tagonem Tottum Ottonidem, Magnum Kaas, Chriſtophorum Ulefeldium, regni Senatores. Adhæc Canutum Guldenſternium, Georgium Brahæum, Palæmonem Roſencrantzium, FridericumRees, præfectos regios. Scilicet *virtutis gloria merces.* Idemque militiæ decus Rex Galliarum eximiis aliquot viris præcedente menſe tribuerat.

Melior illis mens viris, quam multis hujus ævi bellatoribus, tam perplexe in arma ruentibus, ut conſcientiæ conſulti, pene obſtupeſcant ad plerorumque inſaniam. Nam alii exciſum eunt religionem, quam ore ſuo ſolam ad cœlos ducere profitentur: alii illorum ſibi arma ſociant, quos pro hæreticis & nefandis habent: alii ambigunt, utrum hoſtes publice appellandi ſint, in quos ferro ignique pugnant: alii hæſitant, utrum communi Marte debellare deceat eos quibus communem in ſe pugnandi cauſam ſubeſſe norunt. Plerique omnes operantur deliciis, ambitioni, avaritiæ; rara avis eſt, qui cœleſtem in cœlo patriam ambiat, qui æternas ſibi opes paret. Multi ſane meliora optant tempora: ſed pauci aut nulli ſemet ipſos meliores præſtant. Efferatur orbis Chriſtianus, vaſtatur, deficit viris, opibus, ſcientia, pietate. Nihil reſtat, niſi Apocalypticum illud, *γέγονε*, factum eſt. Nimirum ut fiat maximus omnium, qui unquam fuere, terræ motus, diviſio, everſioque urbis Romæ, ruina gentium, civitatum, inſularum, montium, denique totius mundi ſubverſio. *Apoc. 16. 17. 18. 19. 20.*

Atque hæc exſpectare, non univerſam mundo pacem polliceri jubent divina oracula, cœli oſtenta & prodigia, malorumque morum & extremæ impietatis exuberantia. Hæc nunciant imbres ſulfurei, pluviæque ſanguinolentæ nuper in Marchia & Pomerania cælitus demiſſæ.

Sed

Gentes tumultus concitet impias,
Et regna belli concutiat furor,
Flammis fremat cœlum coruſcis,
Terrificet labefacta tellus:
Tu munias nos præſidio tuo,
Virtute firmes, quum gravis intonat
Procella, fortunæ periclis
Eripias, dominator orbis.
Nullam trememus vim: quatiat licet
Orbem tumultus: terraque ſedibus
Convulſa, montium ruinis
Arctet aquas pelagi frementis.

JOAN.

JOAN. CLUV. EPITOMES HISTORIARUM

LIB. XI.

APPENDIX.

1634. INitio anni hujus longe maximum discrimen, & nescio an gravissimum omnium quod ad eum usque diem pertulerat, Cæsar mirabili felicitate evasit. Ortum est unde minime debebat ex potentia Alberti Wallensteinii, Ducis Fridlandiæ. Qui copiarum Cæsaris summus præfectus, cum eâ potestate & suopte ingenio & facilitate Cæsaris impotentius uteretur, quam addeceret ministrum, aut ratio privati hominis permitteret, incidit in illud præcipitium omnium gentium annalibus notissimum, quod plerosque omnes altioris Fortunæ filios, repente ex alto in imum proturbat. Natus est in Bohemia loco nobili. Adolescens varias regiones peragravit, sed in Italia præcipue litteris operam dedit. Ingenio fuit inquieto varioque & ad arma promptior. Gloriæ & famæ, cujus, si moderata sit, est commendabilis cupiditas, supra modum appetens, sæpe solitus dicere ad suos, ab humili & depresso animo, nihil magnum egregiumque expectari posse. Cultu vitæ habituque magnifico fuit, & ex quo celsitudinem animi æstimares. Primum illi matrimonium cum illustri ac prædivite Hungaricâ viduâ fuit. Quâ non multò post defunctâ Comitis Harrachii, qui magnâ in aulâ Cæsaris gratiâ floruit, filiam duxit. Hic illi primus gradus atque aditus ad benevolentiam Cæsaris fuit. Qua ita deinceps valuit, ut Comes primum, deinde Dux, ac Princeps Imperii, denique bis summus exercitus Imperatorii Præfectus, cum amplissima potestate renunciaretur. Cæterum exorientem potentiam suam, donec adjici aliquid poterat, temperatè habuit. Iræ injuriarumque impatientissimus fuit, adeo ut multi existiment, jam inde ab eo tempore, quo in Comitiis Ratisponensibus ante triennium Præfectura militari exutus est, concepisse animo ultionem quâ Cæsarem Imperiumque pessundaret. Sed hæc ut ut sint, Scriptorum fidei relinquo, nam nihil de iis affirmare habeo, certe his postremis mensibus pertentare Ducum & Legionum animos, conferre cum hostibus consilia, & aperte in partes eorum transgredi voluisse visus est. Cæsar ut hiberna extra Bohemiam & hæreditarias Provincias sumeret, demonstraveratque per Gerardum Quæstenbergium quam id commode fieri posset, ad hæc volebat ut pars exercitus Passavium adversus Bernardum Ducem Vinariensem, & sex equitum millia Ferdinando Cardinali, Principi Hispaniæ, Mediolano in Belgium deducendo obviam mitterentur. Nihil horum impetrari à Wallensteinio poterat. Quin quo magis mutatio hibernorum, & abductio militum urgebatur, eo magis ille rem suspectabat, neque alio spectare credebat quam ad se in ordinem redigendum. Et inaudierat fortasse id jam agi in aula ab adversariis famæ suæ, ut se iterum exauctorato Rex Hungariæ Ferdinandus exercitibus præfice-

De Conspiratione Fridlandi ejusque & sociorum tragico exitu.

Initium rebellionis ipsius.

ficeretur. Igitur menſe Januario, evulgato rumore tanquam ſupremam militiæ præfecturam depoſiturus, præcipuos tribunorum ad ſe Pilſam evocat, commemoratiſque quæ pro domo Auſtriaca, per annos triginta, domi bellique, toties fuſo hoſte, tot partis victoriis egregie feciſſet, hanc ſibi referri gratiam, ait, ut rurſum cum ignominia deponatur, ſe quidem eam tempeſtatem prævidiſſe, cum ante biennium ad hanc Provinciam revocaretur, ideo fuiſſe, quod non aliter quam ſumma cum poteſtate imperium acceptare voluerit. Datum id conceſſumque dum periculum gliſcebat. Nunc Rege Succiæ in acie cæſo, fracto debilitatoque Saxone, poſtquam reſpirare res Imp. cœperint, prævalere apud aures Cæſaris conſpirationem inimicorum, ſibi reſtituti Imperii, & conficiendæ pacis gloriam invidentium. Jam vero ne immeritum affeciſſe injuria videantur, peti à ſe quæ concedi non poſſint, ut materiam criminationibus ſuppeditarent. Nam cur alias media hyeme exercitum hibernis prohibent. Cur florem equitatus avelli à reliquo corpore, inopiaque, & frigore, ac longinquo itinere confici exigunt? Sed ſe ſua ignominia minus turbari, dolere vicem tot militum quos cum ipſe non procedentibus ſtipendiis ſpe & pollicitationibus hucuſque aluerit, jam æris & pecuniæ vacuos deſerere debeat. Poſt hæc digreſſo duce, Adamus Erdtmannus Terſcha, & Illo præcipua conſiliorum ejus inſtrumenta exaggerato proprio cujuſque damno ad extremum conficiunt, iniqua videri juſſa Cæſaris, ac proinde rogandum Ducem, ne fidos promptoſque milites deſereret. Negavit Wallenſteinius decorum nomini ſuo in eo munere perſiſtere, à quo in horas cum dedecore dejici metuere debeat. Intellexere callidiores quorſum ea tergiverſatio pertineret. Neque ipſe Wallenſteinius ſatis diſſimulabat. Igitur fit decretum; Duci Fridlandiæ apud exercitum remanenti communi ope viribuſque aſſiſtere; neque permittere ut illi invito imperium abrogetur. Non latuit pleroſque quantum à Republica peteretur, itaque cum eodem adhuc die ab Illo convivio excepti, animis vino incaleſcentibus, ejus decreti formulam jam ante à Nyemanno ſcriptis conceptam, ſubſcribere deberent, in qua ille ſtudio Cæſarei nominis mentionem omiſerat, & Wallenſteinio ſoli fides obſequiumque abſolutum promittebatur, fuere qui formulam eam non probarent, aut certa ſimulatione temulentiæ nomina ſua ita adſcriberent, ut legi ac diſtingui non poſſent. Et ortam forte contentionem Illous facile compoſuit. Sed Wallenſteinius poſtera die convocatos ad ſe omnes, ſobrioſque ad confirmandum ea quæ promiſerant, ac novam ſubſcriptionem adigit. Aberant iis diebus Matthias Gallaſius, ſupremus exercitus Legatus, dein Aldringerius & Coloredius campi ductores. Et quidem priores duo haud multò poſt advenere. Aldringerius jam aliquid ſubodoratus excuſata valetudine venire non ſuſtinuit. At Gallaſius ac Piccolomineus, atque alii plerique intellectis Wallenſteinii conſiliis, poſtquam ſe, atque omnem exercitum præcipitari in manus hoſtium intelligunt, (nam & jam apud Ocſenſternium Francofurti, apud Vinarienſem Ratisponæ de conjunctione armorum agebatur) communicato inter ſe conſilio, occultiſſimis nunciis Cæſari cuncta patefaciunt. Idem Aldringerius eodem tempore & nonnulli alii in aulam perſcripſere. Tum Cæſar coacto propere ſecretiore conſilio celerirate utendum ratus, ut male adhuc cohærentes conſpirationis vires labefaceret, edixit per legiones, ne quis Wallenſteinio pareret. Simul Comiti Gallaſio qui una cum Piccolomineo, ſpecie trahendi in partes Aldringerii, Wallenſteinium deſeruerat, ſupremam militiæ Præfecturam, donec de altero capite provideretur, attribuit. Tribunis Præfectiſque exceptis duobus ex omni numero, eorum quæ Pilſæ egerant veniam facit, eoſque à ſacramento Wallenſteinii abſolvit, & ne dicto ejus deinsceps

Tribunus militum & Duces primarios in partes ſuas nititur pertrahere.

Conſilia ipſius Cæſaris manifeſtantur.

1634.

ceps pareant interdicit. Simul injunctum fidissimo cuique ut Wallensteinium cum Terscha & Illoo vivos, quantum id fieri posset, in potestatem Cæsaris traderent. Dum hæc fiunt, & Gallasius una cum Piccolomineo exercitum & præcipuas urbes in fide & obsequio confirmant, Wallensteinius consilia sua emanavisse, ac se à primoribus ducum deseri intelligens, repente Pilsa Egram contendit. Erat ea urbs accipiendo ex Germania Suedico auxilio opportunior, & à legione Hibernica, quibus ut externis Wallensteinius plurimum fidebat, præsidio tenebatur. Hic literas accipit à Francisco Alberto Duce Saxoniæ, quas Leslæus præfectus vigiliarum cum pro munere suo ad Wallensteinium detulisset, legendas porro suscepit. Argumentum earum hoc erat. Bernardum Ducem Vinariensem jam esse in eo loco cum exercitu, quem Wallensteinius monstrasset, nihil deesse nisi ut & ipse suas conjungeret copias, quod antequam fieret velle se cum eo colloqui postridie; quod ut secure faceret, rogabat ut sibi centum equites præsidio obviam mitterentur. Redditis literis multa addidit Wallensteinius, ut facile appareret, quam animo fabulam moliretur. Igitur nihil moratus Leslæus ad Gualterum Butlerum, & Gordonium tribunos, qui jam ante consilia sociaverant, contendit; expositque quanto res in discrimine versaretur, si cunctarentur. Illi diu inter se de re ancipiti, & periculosa consultantes, tandem statuunt tutissimum esse Wallensteinium, una cum sociis Terscha, Kinschio, Illoo, ac Nyemanno è medio tollere. Idque propositum inter se jurejurando confirmant. Cæterum ut omnia quam minimo tumultu fierent, placuit ut Gordonius sub vesperam Terscham, Kinschium, Illoum ac Nyemannum in arcem ad cœnam invitaret, adsumpti iterum in conscientiam ac societatem facinoris, ex Legione Buthleriana Robertus Geraldinus præfectus vigiliarum, & Gualterus Deverox Centurio, cum triginta militum promptissimis, ex quibus duo Scoti, unus Hispanus, reliqui Hiberni erant. Illi omnes in vicinum conclave dispositi, & signum invadendi expectare jussi sunt. Peracto igitur convivio cum bellaria illata essent, Leslæus misso qui portas arcis occludi, & attolli pontes præciperet, monet Geraldinum tempus esse destinata exequi. Ille dispositis qui ostia & aditus scalarum observarent, ne famuli Dominis auxilio accurrerent, & ignari conscios turbarent, cum sex delectis cœnaculum irrumpit. Inclamatoque, Vivat FERDINANDUS, omnes strictis mucronibus conjuratos invadunt, ac frustra repugnantes interficiunt. Cæde patrata iterum dubitatum de Wallensteinio, eodemne cum reliquis exitu conjungerent, an vivum vinctumque Cæsari traderent. Sed arduum hoc & periculo plenum videbatur incertis adhuc militum animis, quorum ipse plurimos largitione, benevolentiaque jam occuparat, non æque deposituros curam vivi, quam memoriam defuncti. Tum quoniam Illous super cœnam affirmaverat, spacio tridui Wallensteinium plus, quam ante hac unquam, militum sub signis habiturum, timebatur, ne per infesta omnia aut certe suspecta tuto ad Cæsarem perduci posset. Ergo decretum ut occideretur, missusque ad perficiendam cædem Centurio Deverox cum fida suorum manu. Provecta nox erat, & Dux curis fessus in quietem compositus, cum Deverox dimissus ex arce irrumpit in hospitium Wallensteinii cum suis, effractoque cubiculi ostio, consistentem ante lectum, nam ad subitum tumultum consurrexerat, hasta secundum pectus transverberat. Eo vulnere statim exanimis procubuit, nulla edita voce, sive eam intercluserat repentinus terror, seu insita contumacia, nihil amplius profuturam, etiam in morte continuit. Visus tamen est loqui voluisse trepidatione labiorum, sed nulla vox eum conatum secuta est. At occidentium non interfuit utrum ali-

Fugit Pilsâ Egram.

1634. *Hiberni in necem ejus conspirant.*

Socii ejus interficiuntur.

1634.

Et demum ipse.

quid & quid diceret. Cadaver dein tapeti involutum, & curru ad arcem devectum est. Dein in scripta & literas ipsius diligenter quæsitum. Postero mane Butlerus convocatis ad se omnibus Tribunis, & Centurionibus facti hujus rationem exposuit. Quibus in fide Cæsaris confirmatis centum Equites ad intercipiendum Franciscum Albertum, Ducem Saxoniæ dimittit; Et ille nihil adversi veritus, quod Equites illos à Wallensteinio missos crederet, sine metu secutus, cum aliquantulum progressi essent, circumsistitur, armaque ponere & se in custodiam tradere jubetur. Ita Egram primum, & dein Viennam ad Cæsarem deductus est. Hunc exitum habuit Albertus Wenceslaus Eusebius Comes de Wallenstein, Meckelenburgii, Fridlandiæ, Sagani, ac Glogoviæ Dux, indulgentia fortunæ ad supremum pene votorum suorum apicem provectus, & inter tragica variantis fortunæ exempla nostro sæculo memorandus. Mors ejus pro studio partium nationumque varie accepta est. Neque defuere qui innocentiam inauditi atque indefensi adstruerent. Adeo nullus est magni momenti casus, qui non in utramque partem patronos inveniat. Porro Cæsar manifesto discrimine exemptus, post vota Deo liberatori persoluta, eos qui hanc necem patraverant donis liberaliter excoluit. Deinde in complices, ac conscios conspirationis quæsitum. Exercitui pars stipendiorum transmissa, & novus Dux impositus Cæsaris filius Ferdinandus III. Rex Bohemiæ Hungariæque. Qui ineunte Maio mense cum magno Procerum numero & Hungaricis subsidiis in Bohemiam ad exercitum progressus; recensitis copiis renovatoque sacramento, brevi res turbatas præsentia sua composuit. Inde dimissis Leitomeritium Legatis Trautmansdorfio & Questembergio, qui de pace cum Electore Saxoniæ agerent, cum maxima parte copiarum ad Ratisponam obsidendam duxit, quam anno superiore Vinarienſis interceperat. Urbem hanc tuebatur spectatæ virtutis Suedicus Tribunus, Larsius Kaganus cum Matthia Comite Turriano olim rebellionis Bohemiæ principe; Inerant quatuor millia peditum, dein commeatuum & instrumenti militaris, quæque ad tolerandam obsidionem necessaria sunt, magna copia. Eo fortius oppugnantium impetum sustinuere. Qui utraque à parte cum hinc Ferdinandus Rex, inde Bavarici urgerent, post duorum tandem mensium moram, nulla amplius liberandi spe ad deditionem compulsi sunt, mense Julio. Cui maturandæ conditiones tolerabiles datæ. Ut præsidium non nisi Cæsareanum imponeretur, & sua Civibus libertas religionis permaneat: Ut Sueci præsidiarii cum sex tormentis & militari inde pompa secure ad suos dimittantur; Illis liberum sit quantum velint curru sarcinisque secum deportare; Denique ut captivi atque obsides omnes utrimque sine lytro permutentur; nec cuiquam militum exeuntium fraudi sit, quod antehac Cæsari aut Bavaro militaverit. In has conditiones dedita urbe sub exitum mensis Julii Suedici præsidiarii multum imminuto suorum numero exiere. Et mox præsidium à Ferdinando Rege impositum.

Novus Cæsarei exercitus Dux Rex Hungariæ.

Dum hæc in Bohemia atque ad Danubium geruntur, initio anni Udenheimium seu Philippopolis, ante annos aliquot ab Episcopo Spirensi Philippo Christophoro, in justi munimenti formam extructa, atque ita deinceps ab authore nominata, longa obsidione in Suecorum potestatem pervenit, ad extremam rerum omnium penuriam ab Ottone Comite Reingravio, & Smidbergio tribuno Suedico perducta. Simul Vinarienſis & Birckenfeldius Duces, de conspiratione Fridlandica per internuncios edocti superiorem Palatinatum invadunt. Inde in Bohemiam Wallensteinio in subsidium moturi. Alteram vero Danubii regionem atque omnem fere Sueviam infestis excursionibus Gustavus Hor-

Suecorum in superiore Germania.

Hornius obtinebat, subacto Mundelheimio, Biberaco, cum Campiduno ac Memminga, & quicquid ibi loci Cæsareis aut Bavaricis armis obtinebatur. Porro Palatinatum superiorem Dux Bavariæ per Aldringerium haud multo post recepit. Qui Straubinga primum, dein Suisbaco, & Chamo potitus reliquam inde provinciam ejectis Vinariensibus Birckenfeldicis in potestatem Bavaro asseruit. Sed breve id gaudium Aldringerio fuit. Nam subinde in Bavariam revocatus, quam subita incursione Vinariensis & Hornius invaserant, dum Landishuto in auxilium properat, & fractas ibi res submissis parce copiis ab obsidione Ratisponensi sustentare nititur, in ponte super Isaram globo ictus occubuit, incertum suorum an hostium manu? Luxemburgi tenui sed honesto loco editus primam ætatem literis dedit. Ingenio prompto atque acri & natura vini abstinens. Dein militiam secutus, quoniam ingenio & calamo valebat, ab epistolis & commentariis fuit. A calamo mox ad ensem, atque arma manum transtulit. Apparuitque in utramque partem plurimum posse. Ita per omnes militiæ gradus tandem ad supremam in Bavarico exercitu præfecturam elatus, fidelem operam Cæsari & Bavaro diu præstitit. Defunctum Bavarus intra Ratisponam egregia militari pompa tumulari jussit. Landishutum vi expugnatum à Suecis extremæ crudelitatis exempla pertulit. Melior fortuna per Westphaliam Catholicorum Principum exercitui sub ductu Godofridi Comitis Gelehnii fuit, qui initio veris evocatis ad se Bunninghausii, & Metternichii Legionibus, postquam copias suas ad decem fere millia explevisset Hoexteriam, quam Caspar Crugius Suedicus Centurio cum quadringentis præsidiariis tuebatur, vi cœpit. Cæsi præsidiarii ad unum omnes, & quotquot civium in armis reperiebantur. Haud multo post Melander Hassiacarum copiarum dux dum Legiones paucas magis explorandi quam pugnandi animo

Irrumpunt in Bavariam.
Landishutum capitur.
Mors Aldringerii.

1634.

Res in Westphalia gestæ duce Gelehnio.

Visurgim versus dimittit, in fugam convertitur, octo signis amissis, & præfectis fere omnibus. Ita nullo jam resistente Gelehnius victoriæ cursum secutus Hammoniam Lunamque Monasterienses diœceses oppida, & alias deinceps minorum nominum arces suæ potestatis facit. Sed nusquam magis quam in bello ludit fortuna. Georgius Dux Lunæburgicus postquam Hassiacas copias suis addidisset, Gelehnio aliquot millibus superior, depulsis ubique victoribus cum ad incundum prælium frustra adducere niteretur, Hammoniam tandem Lunamque paulo ante capta recuperat. Inde ad ipsa Monasterii mœnia Gelehnianos insecutus cum frustra eos commeatuum ac pabuli inopia, urbem vero ipsam speciosis conditionibus ad deditionem perpellere speraviſſet, majorem quam hostes penuriam passus, prior inde recedere coactus est, haud sine damno suorum; cum recedentium tergis Gelehniani acriter insisterent, plurimosque interciperent. Cæterum Lunæburgicus ad urgendum inde Hildesium, quod diuturna magis quam acri obsidione cinxerat, reversus, brevi eo oppido potitur. Hildesium Minda urbs Episcopalis, & multis jam annis à Lunæburgicis possessa, secuta est, sub finem anni hujus. At vero Elector Saxoniæ, etsi in fœdus Suedicum, quod tum Francofurti ad Mœnum, tum alibi in Germania per diversos conventus celebrabatur minime consentiret: tamen ut rerum suarum satageret, imprimis re Cæsaris per conjurationem ac mox cædem Wallensteinii turbata, in Lusatiam irrupit, præmisso Friderico Duce Altenburgico, quem mox Arnhemius, & deinde Elector ipse cum robore exercitus secutus est. Budissinum præcipua Lusatiæ urbs petebatur, cui Goltzius Cæsareanus tribunus præerat cum præsidio non contemnendo. Is se peti conspicatus dum remorando hosti in suburbium flammas injicit, conspirante forte in exitium vento, tanta repente ignium vis ac multitudo extitit,

Contra Lunæburgicum & Hassos.

Gesta Saxonum in Lusatia & Silesia.

Bautzen.

ut graſſante in proximas civium domos incendio, tota urbs miſerabilii ſpectaculo deleretur magna ſtrage hominum pecudumque. Ita ruinæ urbis Saxoni deditæ, Præfectus & præſidiarii cum ſarcinulis, quæ incendium evaſerant, permiſſi excedere. Gorlicio dein & cæteris Luſatiæ oppidis receptis, Elector Dreſdam rediit, Arnhemio in Sileſiam dimiſſo. Qui primo adventu, fuſis ad Lignitium Cæſareanis copiis, dum pro ſuo in Sileſia arbitrio dominatur, ſpacium Electori Brandeburgico dedit, ut Francofurtum ad Oderam Joannis Bannerii rerum Suedicarum per Pomeraniam Directoris auxilio reciperet. Inde junctis inter ſe conſiliis Sueci Croſſenam, Saxonici Glogoviam majorem poſt brevem obſidionem capiunt. Inter hæc duorum gregariorum militum non gregaria fides enituit. Capti erant à Saxonicis paulo ante pugnam ad Lignitium, ambo rei tormentariæ periti. Itaque in obſidione Glogovienſi cum eſſent Cæſarearum partium, juſſi in urbem ac ſuos jaculari, ita tormenta atque machinas direxerant, ut globus innoxio ſemper curſu capita ac tecta obſeſſorum ſupervolaret. Qua demum re animadverſa cum ad ſuſpendium damnati eſſent, nihil territi, *perfidis*, inquiunt, *& quicunque pretio magis quam fide caſtra ſequuntur formidoloſa mors ſit. Nos Cæſari jurejurando addictos, cum nullum aliud crimen, quam fidem ſancte ſervatam habeamus, cur mori pudeat?* Porro Saxones & Sueci ut Hungariæ Regem ab obſidione Ratisponenſi averterent, conjunctis viribus in Bohemiam movent, poſitiſque apud Pragam caſtris, oppugnationem urbis ejus moliuntur. Sed illuſtri exemplo hic fortuna Cæſaris eminuit, nam eodem die capta eſt Ratispona; Et Sueci Saxoneſque à Lambojo & Colloredio Cæſareis Ducibus Praga depulſi, ac è Bohemia omni exturbati ſiint.

Conſtantia duorum militum. Lotich. part. 2. l. 17. c. 2.

Res Polonicæ, pax cum Moſcis.

Inter hæc Rex Poloniæ Vladislaus cum apud Smolenſcum urbem tota hyeme caſtra Moſcorum obſediſſet, tandem menſe Martio ad extremam commeatuum penuriam hoſtes adduxit, adeo ut ſolam abeundi libertatem pacti, omnem caſtrorum ac militarem apparatum Regi relinquere debuerint. Deinde victoriam proſequendo cum univerſo exercitu abeuntes inſecutus ipſam urbem Moſcuam, caput Provinciæ, petere inſtituit. 1634. Sed Moſcos belli male hactenus geſti memoria, ac dein rerum neceſſariarum defectus, ne in ultimum diſcrimen omnia conjicerent, ad pacem poſtulandam compulit. Data pax in has conditiones. Ut Rex Polonus abſtinere titulo ducis Moſcuæ, renunciaretque omni juri in illum Principatum, quod anno hujus ſæculi decimo per libera Procerum Moſcorum ſuffragia acquiſierat; proinde Moſcos jurejurando fidei ſibi præſtito abſolveret. Et legitimum Moſcoviæ Ducem Michaëlem Fedorovitium jam dominantem agnoſceret. Contra ipſe reciperet Ducatum Smolenſcenſem cum urbe Smolenſco, & Provinciam totam Severiam, cujus amplitudo centum fere milliaria in longum, ac quadraginta in latum patet. Quæ ducentos jam annos à Polonia & Lithuania avulſa ſub continenti Moſcorum jugo pene pro perditis ac deſperatis habebantur. Pacem Moſcovicam Turcica ſecuta eſt. Cum enim Moſcorum maxime impulſu Imperator Turcarum bellum Polonis feciſſet, re infeciliter geſta, ac demum pace cum Moſcis compoſita, ipſe quoque ar ma temere ſumpta depoſuit; Abatzio, principe Purpuratorum, quique à Moſcis precio corruptus belli ejus præcipuus author fuerat, ſtrangulari juſſo. Sub anni finem duo Regis Poloniæ fratres ex matre Conſtantia, obiere, Alexander natu minimus, annorum viginti & unius, paulo ante ex Italia in patriam reverſus; Et Joannes Albertus Cardinalis atque Epiſcopus Cracovienſis, biennio Alexandro major.

Pax Moſco-Polonica.

Cæterum in Germania Ferdinandus Rex Hungariæ poſt captam Ratiſponam, haud diu feriatus, diſperſo exercitu varia 1634. *Nortlinga obſeſſa & pralium,*

in quo victi Suedi magna clade.

ria ad Danubium loca recuperat. Ibi contractis ad se Hispanicis atque Italicis copiis quas Ferdinandus Cardinalis & Princeps Hispaniarum, regendo Belgio destinatus secum adduxerat ex Italia, Nordlingam urbem obsidione circumvallat. Ea valido à Suedicis præsidio tenebatur, cujus partem paulo ante Hornius immiserat, jusseratque urbem ad extremum tueri, se in tempore auxilio futurum, neque fefellit. Nam conducto unum in locum exercitu quem ipse & Vinarienſis divisum regebant, cum Legionibus Wurtenbergicis, & quicquid deduci poterat, contra Nordlingam castra cum Cæsareis contulit. Diu dubitatum inter Suedicos præfectos an prælii fortunam experirentur. Hornii ac reliquorum fere sententia erat cunctando, & fugiendo pugnæ aleam, frangere impetum ac primum ardorem Cæsareanorum, qui cum deferbuisset, aut certe donec Princeps Hispaniarum, cum suis in Belgium discederet, rectius contra pauciores numero, languidioresque pugnaturos. Neque tanti æstimandam unius urbis jacturam, ut propterea summa rerum in discrimen projiceretur. Sed pervicit sententia Ducis Vinarienſis, cum speciosa magis quam utilia in medium proferret, negaretque decorum Suedico & Protestantium nomini si paterentur, fidam urbem, cui tam sancte subsidium promisissent, in ipso prope conspectu, ab hoste intercipi. Ita, prælio decreto, magno animo in Cæsareanos itum est. Nunquam alias toto hoc bello fœdiorem cladem Suedici accepêre. Vinarienſis dextrum, Hornius sinistrum cornu tuebantur. Cum igitur superata initio convalle aliquantulum feliciter pugnassent majore Cæsareanorum vi repulsi post trium horarum spacium in fugam conjiciuntur. Accessit in ipso prælii ardore improvisa clades quæ nutantem jam Suedicam aciem in ipsum mox exitium propulit. Munimentum Cæsareani obtinebant loco editiore, ex quo crebris jaculationibus subeuntes impetebantur. Id Suedici summa vi aggressi cedentibus consulto Cæsareanis occupaverant. Vix illi recessêrant, cum momento munimentum subjecto infra sulphureo pulvere, incensoque in sublime cum omnibus superstantibus excutitur. Late ea patuit strages, cum vicina etiam, ac proxima quæque corriperet. Post hæc plane Suedicorum acies inclinari cœpit. Et equitatus præcepta celeri fuga peditatum destituit. Qui omni ex parte à superantibus numero Cæsareanis circumventus aut cæsus, aut captus est. Fama est cecidisse duodecim fere millia, quorum dimidium rustici Wirtembergici fuêre, in quos acriore, ut fit, ira victor miles desævit. Capta sex millia, octoginta majores machinæ, trecenta utriusque generis signa: dein impedimenta atque apparatus militaris universus. Gustavus Hornius Suedicæ militiæ ductor, una com Comite Cratzio Ingolstadii nuper præfecto, aliique magno numero tribuni ac Centuriones in potestatem victorum pervenêre. Neque ipsis victoria hæc incruenta extitit. Cecidere Octavius Aldobrandinus magnus Prior militiæ Melitensis, & Sylvius Piccolomineus, ex illustri Piccolomineorum familia magnæ exspectationis heros, præter alios gregarios non paucos. Bernardus Dux Vinarienſis desperata re Canstadam primo, dein Heilbronnam fuga evasit. Ejus temeritati acceptam calamitatem cæteri adscripserunt, qui à summo certamine abstinere, & intercluſis potius commeatibus Cæsareanos ad abeundum adigere, quod factu facillimum erat, suadebant. Par sine dubio Lipsiensi cladi, reddita clades fuit. Et mox Ferdinandus Rex exercitum dispersit, pars in Sueviam, Bavariamque, pars in Franconiam & Alsatiam ducta. Neque jam ulla urbs ausa resistere. Nordlinga mox, dein Heilbronna, Heidelberga, Herbipolis, aliæque pene omnes in eo tractu urbes in fidem ac potestatem Cæsaris vi aut voluntaria deditione rediere. Ita rebus ex animi sententia confectis Ferdinandus Rex rerum militarium

Numerus cæsorum captorumque.

1634.

Pugna ad Nordlingam mense septembri.

cura Matthiæ Gallasio commendata, Viennam, Priuceps Hispaniarum suo cum exercitu in Belgium concessit. Visitata in itenere Colonia Agrippina, ubi à variis Principibus, & Magistratu urbis regali magnificentia exceptus est. Ejus adventus res Belgicas Procerum inter se dissidiis ac dissidentia non leviter turbatas, statim erexit. Nam Rex Hispaniarum cum post defunctam Isabellam, Ducem Arescotanum ex primaria Belgii nobilitate attinuisset in Hispania, adhæc Principem Barbansonium aliosque nonnullos, Antverpiæ custodiri jussisset, magnus mox metus omnes invasit, Principesque Espernonius & Comes Henninius
1634. ex Belgio in Galliam profugiunt. Et correptis semel metu animis plurium fuga metuebatur, nisi Franciscus de Moncada, Marchio Aytona, qui interim Belgium gubernabat, proposito palam edicto, Regis nomine publicam omnibus securitatem fecisset; præter eos qui jam aut conjecti in carceres essent, aut spontanea ipsi fuga crimen agnovissent. Cæterum haut multo post hi etiam dimissi sunt, revocatumque prius edictum, uno tamen ab hac gratia excepto Henrico Comite Montano, qui palam ad hostes Regis defecerat. Priusquam vero Ferdinandus Princeps adveniret, Aytona Trajectum tentaturus, Argentillam validam ad Mosam arcem, atque omni ad obsidionem sustinendam copia instructissimam bidui spatio in suam potestatem redigit. Præfectus præsidii liber cum suis ex pacto Trajectum dimissus properatæ deditionis pœnas capite luit. Hispani cum aliquo tempore apud Trajectum extructis munitionibus desedissent, tandem re infecta ob ingruentem hyemem aliaque castrorum incommoda recesserunt.

Mense Augusto Dusseldorpium improvisa clade graviter afflictum est, tacta de cœlo turri, quæ pulverem tormentarium asservabat, qui repente incensus, convulsam ex imis fundamentis turrim in vicinum Rheni littus dejecit, miserabili strage hominum ædiumque juxta adstantium, quæ eo gravior fuit quia media nocte cunctis in quietem compositis inopinata advenit. Præbuitque speciem ruituri mundi, cum eodem temporis momento & stridor fulminis, fragor nubium & mota ex imis visceribus terra, disrupta tecta, trabes, parietes, denique sua cujusque domi calamitas, omnium oculos, aures animosque percellerent. Magnam vim pulveris fuisse tradunt. Neque defuerunt, qui somno non interrupto tantæ calamitatis sensum transmisere. Sed hos sepultos magis quam sopitos dixeris. Centum fere mortales aut subita ruina oppressi, aut gravi aliquo vulnere afflicti sunt, ædificiorum pro spacio urbis damnum non leve extitit, cum nulla fere domus aliquam cladis partem non senserit. Prodigia quoque varii generis nunciata sunt. In Marchia Brandeburgensi sanguine & sulphure pluit, & infans sub aquis repertus est viginti vulneribus confossus. In Anglia terra movit, & duo flumina exaruere; rursum alia palus excrescentibus aquis ita intumuit, ut multa ædificia, subita inundatione abriperentur. Apud Dresdam in Albi flumine Canis marinus captus. Halæ Saxonum in horto quodam suburbii vivarium in sanguinem commutatum, quod idem ante Lipsiensem ac Lutzensem pugnas eveniisse commemorant. Haud multo post in Cænobio Hammersleben, prope Halberstadium, fons per integram noctem sanguine manavit, apud Hamburgum ac per Holsatiam multi pagi, atque ultra sex hominum, & quinquaginta pecudum millia aquis submersa. Mense Octobri natu major Daniæ Princeps Christianus V. Magdalenam Sibyllam Electoris Saxoniæ filiam in matrimonium duxit, celebratæ eæ nuptiæ in magno Legatorum conventu Coppenhagæ, regio apparatu. Obiere per idem tempus Fridericus Ulricus Dux Brunsvicensis sine liberis; & Joannes Fridericus Dux Holsatiæ atque Archiepiscopus Bremensis; Et Otto

Otto Ludovicus Comes Rheni, qui diu
1634. partem Suedici exercitus per Alsatiam, & vicinas regiones duxerat. Illi in imperio Legionum Otto frater successit. Galli quoque irritati matrimonio quod Dux Aurelianensis, frater Regis, paulo ante ex Belgio in Galliam reversus, cum Lotharinga jam pridem contraxerat, reliquam Lotharingiæ partem nemine resistente in suam potestatem redigunt, Duce Carolo ad conquirenda à Principibus auxilia, in Italiam digresso.

Philippiburgum Cæsarei recipiunt.

Cæterum anni insequentis initium Gallis in Germania infaustum exstitit, amissa Philippopoli validissima ad Rhenum arce, quam anno superiore à Suedicis longa obsidione occupatam magna auri summa redemerant, arcemque belli, & horreum destinaverant, invitante loci situ, operibus & natura munitissimo. Caspar Bambergerus arcis illius nuper Præfectus tali eam stratagemate recepit. Selectos aliquot milites in morem agrestium vestitos, abditis intra vestimenta asciis securibusque præmittit in urbem qui venalia importarent, remanerentque per noctem in varia hospitia dispositi. Ipse dein cum idonea manu nocte fossas ac munimenta supergressus, loco ubi id arduum minus fore jam ante præsciverat, postquam valio potitus est, primam vigilum stationem obtruncat, inde cum auxilio eorum qui jam urbem intraverant portam unam effringit. Ita immissi continuo equites arcem capiunt & paucis qui resistere ausi erant interfectis, reliquos in deditionem accipiunt. Magna vis instrumenti militaris ac commeatuum inventa, præter tormenta majora centum & triginta. Ita unica nocte nullo suo incommodo Cæsareani recuperant, quod toto prope biennio à Suedicis partum erat, magno sumptuum ac temporis damno.

1634. *Bavarici Augustam.*

Non multo post Augusta Vindelicorum, statim post cladem Nordtlingensem, à Bavaricis obsessa, atque ad extremam inopiæ necessitatem redacta deditionem fecit. Fama est non abstinuisse quosdam ab humana carne. Satis constat carni equinæ, felibus, canibusque & muribus pretium fuisse, adeo ut fame longe plures quam ferro aut vi hostium perierint. Novo dein præsidio Cæsar Ottonem Henricum Comitem Fuggerum imposuit. Eodem pene tempore diversis exercitibus Ulma, Norimberga, Hersbrucca, Francofurtum ad Mœnum urgebantur. Lambojus Coburgo Saxoniæ Ducum sedi imminebat. Bernardus Dux Vinariensis refecto quantum licuit exercitu, ac Gallicanis aliquot copiis auctus Spiram paulo ante à Bambergero captam facile recepit. Dux Lunæburgicus & Hassi redacta in potestatem Minda, Nyenburgum obsidebant. Ita flagrante adhuc ubique bello, quod Suedici novo apud Wormatiam conventu reparare omni ope nitebantur, tandem pax inter Cæsarem atque Electorem Saxoniæ emersit. Ea Leitomeritii primum, dein Pirnæ studiosis tractatibus quæsita, demum Pragæ in has conditiones concluſa est.

Pacificatio Pragensis.

Bona *Ecclesiastica* meditata ante Pacem Passavienſem à Protestantibus occupata, vi transactionis illius, iisdem salva & intemerata nunc & deinceps semper permaneant. Immediato vero ante & post Transactionem Passavienſem à Protestantibus occupata, quotquot eorum anno 1627, 12 Novembris possederunt, eadem ad annos quadraginta quiete ac secure possideant, & si quid à nominato tempore iis per Catholicos ablatum sit, integre restituatur, exceptis bonis illis pro quibus ante præfinitum terminum lis mota, & in judicium Cameræ Imperialis introducta fuerit. Pari modo Catholici quæ ad 12 Novembris 1627. habuerunt, quiete retineant, & ablata fideliter iis restituantur. Status autem Politicus in iisdem bonis, item Electiones, Postulationes, Menses Papales ita uti dicto tempore in usu fuerunt utrimque serventur. Usus vero sessionis ac ferendi suffragium, vi eo-

1635.

rum-

rundem bonorum in conventibus quidem Provincialibus continuetur, in Comitiis autem Imperii interim intermittatur. Exercitium Religionis ita uti 12 Novembris 1627. fuit, inter Catholicos & Augustanos imperturbatum relinquatur, & occurrentes hoc in casu controversiæ, per Judicium Imperiale Aulicum, vel Cameram Spirensem componantur. Durante hoc spacio quadraginta annorum, intra primum decennium instituatur tractatus de pace universali ac perpetua, quæ si intra id spacium confici atque obtineri non possit, tota nihilominus controversia in eo statu remaneat, in quo fuit 12 Novembris anno 1627. salva semper Cæsaris suprema authoritate, ac jure controversiam illam moderandi. Archiepiscopatum Magdeburgensem Augustus Electoris Saxoniæ filius possideat, & Christiano Wilhelmo Marchioni Brandeburgico dum vivit, quotannis inde duodecim Imperialium millia persolvat. Quatuor præfecturas ejusdem Archiepiscopatus Querfurtum, Gutterbok, Dama & Bork, Elector Saxoniæ jure feudi ab Archiepiscopo Magdeburgensi obtineat.
1635. Episcopatum Halberstadiensem Leopoldus Wilhelmus Cæsaris filius possideat; Et in Archiepiscopatu Bremensi Religionis Catholicæ & Augustanæ exercitium uti 12 Novembris anno 1627. fuit, permaneat. Libera Imperii nobilitas juxta transactionem Passaviensem Augustanæ Confessionis exercitio libere fruatur. Civitates Imperiales quæ interim cum Cæsare aut Ducibus ipsius pactæ sunt, in iisdem pactis permaneant. Cæteræ pace Religionis gaudeant. Donaverdam Elector Bavariæ Imperio restituat, quamprimum ipsi de sumptibus in bellum expositis satisfactum fuerit. In Regno Bohemiæ, & cæteris Austriacis Provinciis, ersi Elector Saxoniæ summopere urgeret, Cæsar liberum confessionis Augustanæ exercitium nequaquam permittere voluit. De Silesia & Lusatia separatis tractationibus conventum. Reformatio Cameræ Spirensis ad generalia Imperii comitia, dilata, item Judicii Imperialis Aulici. Legati, & Oratores Principum Protestantium in Aula Cæsaris degentes, ratione Religionis nulla molestia afficiantur. Electoratus Palatini maneat Maximiliano Duci Bavariæ, & Lineæ ipsius Wilhelmianæ. Viduæ tamen Friderici IV, Electoris dos relinquatur, & proscripti Friderici Filiis, si ad obsequium Cæsaris redierint, dignum conditione eorum alimentum præstetur. Duces Brunsvicenses quater centena millia Imperialium Tillianis hæredibus assignata iisdem persolvant intra spacium octo annorum, ita ut primo anno in nundinis Lipsiensibus persolvant quinquaginta millia, cum pensione annua reliquorum, & ita consequenter. Ducibus Megapolitanis, si hanc pacem probaverint, ignoscet Imperator, eosque in statum pristinum restituet: Omnia loca ab adventu Regis Sueciæ Gustavi Adolphi in Imperium anno 1630. Cæsari, ejusque sociis ablata, quæ adhuc in potestate Protestantium sunt: iis ad quos spectant, fideliter restituantur. Pro recuperatione cæterorum locorum, quæ adhuc sunt in manu exterorum Principum Galliæ, aut Sueciæ, aliorumque qui Status Imperii non sunt, aut etiamsi sint tamen in hanc pacem non consentiunt; Elector Saxoniæ & cæteri hujus pacis participes Cæsarem omni ope juvabunt. Vicissim Cæsar ac socii ipsius omnia à se occupata ab anno 1630. antiquis possessoribus atque in hanc pacem consentientibus restituent. Præterea Cæsar omnia bello Danico ab anno 1625. occupata & nominatim Wolfenbutelium & Nieuburgum antiquis Dominis reddat. Electori Brandeburgico si in hanc pacem consenserit investitura in Ducatum Pomeraniæ dabitur. Omnes in hanc pacem consentientes vires & consilia jungent ut exterarum nationum hostiles exercitus, maxime Suedicus, ex Imperio amoveantur, via si fieri possit amica, alias bello ac societate armorum, & loca ab iis occupata prioribus Dominis restituentur. Philippiburgum in po-
1635.
testate

testate Imperatoris pro commodo Imperii permaneat. Captivi intra unius mensis spacium utrinque liberi dimittantur. Quibuscumque intra decem à publicatione & notitia dies hanc pacem recipientibus generalis offensarum oblivio sive amnestia conceditur, excepta causa Palatina & Bohemica, item aliquibus personis quas Cæsar separatis literis expressit; quibus tamen per hoc ad Cæsareæ clementiæ thronum via non præcluditur. Si qui Status jam ante, extra hanc
1635. pacem, cum Cæsare separatim transegerint, id ratum inviolatumque permanebit, neque ex his conditionibus immutabitur, in dictam Amnestiam etiam recipiuntur nationes exteræ, dummodo omnia hoc bello ab anno 1630. occupata prioribus Dominis restituant. Cæsar retinebit exercitum & cum eo Elector Saxoniæ cæterique in hanc pacem promittentes Principes ac Civitates copias suas conjungent, præstitoque Cæsari atque Imperio novo sacramento, is deinceps *Cæsaris & sacri Romani Imperii exercitus* vocabitur. Ex quo Elector Saxoniæ partem, reliquum Cæsaris Filius Ferdinandus III. Hung. & Boh. Rex, aut is atque ii quem aut quos Cæsar deinceps nominabit, gubernabunt, atque adversus hostes Imperii & hujus pacificationis ducent, donec Imperio optata pax & cuique suum juxta hujus transactionis leges restituatur. Disciplina & leges militares, descriptio hibernorum, & præfectiones cæteraque incommoda bellica, pro durantis belli necessitate, ex æquo & bono, juxta sanctiones Imperii sancte & integre ordinabuntur. In stipendium autem militare quilibet Elector, Princeps ac status Imperii hanc pacem acceptans centum & viginti pensiones menstruas, intra hujus & insequentis anni spacium conferent eum in locum quem singulis supremus imperii Quæstor pro more designaverit. Cæsar ex consilio & consensu Electorum generalem Imperii conventum quamprimum indicet, in quo reliqua belli administrandi ratio, communi omnium consilio definietur. Interim nemo ultra id, quam hac transactione placitum, contribuere tenebitur. Post conclusionem hujus pacis omnia fœdera, uniones, & conventiones privatæ huic paci contrariæ eorumque juramenta sint abolita. Imperator cum vicinis Dynastis, qui nihil adversus Imperium moliti sunt, pacem & amicitiam colet. Reliquos vero status Imperii obsequentes omni amore ac benevolentia, uti & illi viciſſim Imperatorem debita fide, obsequio, & reverentia, omnes vero se tam Catholicæ quam Augustanæ Confessionis cultores mutuo amore, & concordia complectentur. Quæ hic definita non sunt eorum declaratio ex sanctionibus Imperii petatur, quæ si præsenti paci in aliquo articulo adversentur, ei tamen nulla ratione obstare debebunt. Hæc pacificatio inter Cæsarem & Electorem Saxoniæ privatim, pro toto Imperio inita, in nullum imperii aut status præjudicium aut exemplum cedat, quodque jam exprimente necessitate factum, deinceps non nisi in generalibus Imperii conventibus, ad quos ejusmodi tractatus spectant, perficiatur. Nihilominus hæc pax, postquam ab Electoribus ac Statibus Imperii, aut majori eorum parte acceptata fuerit, pro communi atque inviolabili constitutione nunc & deinceps habeatur & reliquis Imperii sanctionibus inseratur.

In hunc ergo modum pace concluſa instrumentum quidem unum Cæsari, alterum Saxoni, tertium Electori Moguntino ad Cancellariam Imperii deponendum traditur. Inter eos vero quos Cæsar ab Amnestia excindendos censuit hi maxime fuere. Primo transfugæ qui deserta Cæsaris militia non impetrata missione hostium partibus accessissent. Deinde omnes Fridlandicæ conjurationis participes. Præterea multi Comites Lowensteinii, Erpacenses, Widani, Maximilianus Pappenheimius, Fridericus Hohenloicus, Hannovio-Muntzenbergici, Lichtenbergici, Isenburgo Budingen-

Excluſi ab Amneſtia. Lotich. part. 2. lib. 21. 1634.

ſes. Dux Wurtenbergicus, Fridericus Marchio Durlacenſis. Comites item Oetingenſes, & Eberſteinius Baro de Freybergh, Juſtingen & Oepſingen aliique nonnulli. Quibus nihilominus ad Cæſaream clementiam ac gratiam aditus non præcluderetur, quamprimum deſertis hoſtium partibus illum cum debita ſubmiſſione, ac fide quæſiviſſent. Guilielmo Landgravio Haſſiæ beneficium Amneſtiæ oblatum, ſi de fide & obſequio in futurum ſufficienter caveat, & in pacificationem prædictam ſanctè & ſerio promittat. His ita conſtitutis poſtquam Viennæ & per Bohemiam Saxoniamque ac deinde in cæteris Imperii urbibus pax Pragenſis publicari cœpta eſt, variæ mox urbes ejectis Suedicis præſidiis ad obſequium Cæſaris rediere. Prima fuit Norimberga, dein Ulma Cæſareanis exercitibus proximæ. Francofurti apud Mœnum res non ſine ſanguine peracta eſt. Cum enim ejus urbis partem quæ trans Mœnum eſt Joannes Vicethumius Tribunus Suedicus cum valido præſidio obtineret, neque inde vellet recedere, quantumvis à Magiſtratu rogaretur, qui jam ante cum Rege Ungariæ, & Legato ejus Matthia Gallaſio tranſegerat; tandem vi expelli cœpit, primum quidem propriis Francofurtenſium viribus, dein ope Gallaſii & Lamboii cum parte Cæſareani exercitus. Sed & Elector Brandeburgicus, & Guilielmus Vinarienſis, & Georgius Lunæburgicus, Duces, Pacificationi Pragenſi ſubſcripſere. Solus pene inter omnes Imperii Proceres Wilhelmus Landgravius Haſſiæ arma adverſus Cæſarem retinuit, ſociavitque cum Bernardo Duce Vinarienſi. Atque ad hos demum omnis in Imperio Suecorum ſocietas pervenerat. Itaque nemo non exiſtimabat illos quoque communi omnium conſenſui ſubſcripturos, aut ſi id facere plane detrectarent, remedia in promptu fore, quibus aut ad pacem neceſſariam compelli, aut certe ex Imperio vi atque armis exturbari poſſent. Et jam fortuna ubique affulgebat, Rheno prope omni, & magna Imperii parte per diverſos Duces recuperata. Elector quoque Saxoniæ magno reducendæ pacis deſiderio cum Axelio Oxenſtirna, & Joanne Bannerio Suedicæ militiæ ſupremo de conditionibus pacis avidiſſime tractabat. Cæterum fata Germaniæ aliud volvebant, & Sueci à communi Proteſtantium pacificatione excluſi, quorum rem tantis incrementis auxerant, & amiſſione Regis ſui, in eam fortunam, quantam unquam ſperare poterant erexerant, multo magis ad inſtauranda arma incubuere. Eum in finem celebratis apud Stocholmium comitiis uti uni bello potentius inſiſterent, elapſas cum Polonis inducias, ad annos viginti ſex, nempe ad undecimam menſis Julii diem, Anni 1657. continuant, confirmantque.

Effectus pacis Pragenſis.

1635.

Stumdorffi inter Poloniæ ac Sueciæ Legatos conventum eſt. Polonicæ Legationis Princeps erat Jacobus Zadzik Archicancellarius Regni, & Epiſcopus Cracovienſis; Sueci Pontum de Garde, Joannem Vrangelium, Oxenſtirnam juniorem, & Abrahamum Udenhofium miſerant. His à diverſis Principibus conciliatores acceſſerant Claudius Memmius de Avaux è Gallia; Duglaius Comes ex Anglia, tum alii ab Hollandis & Electore Brandeburgico. Propoſitum quidem omnibus erat univerſali & perpetua pacificatione Poloniam Sueciamque componere. Sed quod Rex Vladiſlaus, & fratres ejus germani, titulo Regis Sueciæ, & jure in id regnum abdicare ſe nollent, non niſi ad conſtitutum tempus induciæ inire potuere, his maxime conditionibus. Primum ne durantibus induciis quicquam hoſtile aut Polonia in Sueciam, aut Suecia in Poloniam, ſubjectaſque Provincias moliantur. Deinde ut Elbingam, Marieburgum, Dirſaviam, Bransbergam, Pilaviam aliaque loca occupata in Boruſſia, Regina Sueciæ regno Poloniæ reſtituat cum omni ſacra ſupellectile templorum, item inſtrumento bellico, & actorum publicorum archi-

1635. Induciæ Suecorum cum Polonis ad annos 26. Piaſtæ.

archivis. In Livonia quidquid utraque pars possedit sub præteritis induciis id quoque sub his possideat. Rex Poloniæ condonet omnes offensas iis qui Regis Sueciæ partes secuti sunt. Elbinga privilegia sua antiqua salva retineat, & Libertatem Religionis, templum tamen primarium seu Parochiale in usum Religionis Catholicæ relinquat, & jusjurandum fidelitatis Regi & Regno Poloniæ præstet. Si quis ex Civitatibus restitutis migrare & bona sua divendere velit, id ei durante triennio liceat. Exules Sueci
1635. securi in patriam redeant. Commercia utrimque libera sint, & navigatio Dunæ fluvii ad portum Rigensem secura præstetur, & modus vectigalium servetur, qui ante hoc bellum fuerat. Pro injuriis circa confinia regnorum occurrentibus deligantur utrinque Judices qui eas dirimant. Durantibus his induciis agatur de pace perpetua, quæ si non successerit, nihilominus induciæ integræ maneant, & serventur. Pacta hæc confirmentur decreto Comitiorum generalium regni Poloniæ, ac ab Vladislao Rege, & Christina Regina & Administratoribus Regni Sueciæ subscribantur. His ita pactis conventisque Sueci quidquid in Borussia occupaverant Regi Poloniæ restituunt, & eo dein metu soluti ad instaurandum bellum Germanicum, ex quo illis magna virium pars per pacificationem Pragensem decesserat, incubuere. Cæterum opportune illis accidit ut per idem tempus Galliarum Rex Ludovicus (postquam jam diu ante inter ipsum & regnum Sueciæ de mutuo fœdere, certis conditionibus conventum fuerat) denuntiata palam hostilitate in Cæsarem ac Regem Hispaniarum diversis exercitibus Hispaniam, Germaniam, Italiamque & Belgium peteret. Quod bellum quo deinceps ardore, quâque fortuna, & quanto rei Catholicæ in Germania detrimento gestum sit, annis insequentibus narrabitur. Primam ejus belli calamitatem sensit Philippus Christophorus Elector Trevirensis, qui jam pridem ut Suedicam à se tempestatem depelleret, in partes ac præsidium Regis Galliæ transiverat, invitis quidem Canonicis Metropolitanis & cæteris ejus ditionis Ordinibus, qui 1635.
magis ad præsens Hispani Regis ex Belgio auxilium, Cæsarique & Imperio affinem Principem adspirabant. Igitur *Treviris capta cum Electore.* mense Martio Hispanienſis Lucemburgi Gubernator, Comes Embdanus, cum Barone Metternichio, adsumpta ex vicinis præsidiis idonea militum manu, eaque navigiis imposita, secundo Mosella silentio vectus, Augustam Trevirorum improviso capit, paucis cæsis qui ex Gallicano præsidio, initio ausi erant resistere. Elector ipse etsi multum repugnans, libertatemque suam & privilegia obtestatus, captivus Bruxellas primum, dein Gandavum, ac demum Viennam ad Cæsarem abducitur, liberali ubique & honorata custodia habitus, Treviris sufficienti Hispanorum præsidio communita, revocatique extemplo & in locum priorem repositi, quos iniquitas & mutatio temporum inde expulerat.

Inter hæc Elector Bavariæ cum Mariâ *Matrimonium Bavari.* Anna Ferdinandi Cæsaris primogenitâ matrimonium Viennæ celebravit. Junxit novos sponsos Cardinalis Dieterichsteinius in magna Principum corona, inter quos præter ipsum Cæsarem, Leopoldus Gulielmus Archidux, Albertus Dux Bavariæ, Joannes Casimirus Princeps Poloniæ, Wolfgangus Wilhelmus Juliæ ac Montium Dux, Princeps Anhaltinus, dein Hispanicus, Danicus, Florentinus, Sabaudicus, Holsatusque Oratores eminebant. Nuptiis de more, regia magnificentia atque apparatu celebratis, Elector cum nova Conjuge in Bavariam revertit.

Belli Gallici initium contra Austriac.

Per idem tempus adolescens quidam *Prodigium Medicum Lotich. pag. 2. lib. 22. cap. 8.* rusticanus in Borussia novum vitæ periculum novo atque audaci remedio evitavit. Andreas Grunheide vocabatur, ex Grunwalda, qui locus septem à Regiomonte milliaribus distat, oriundus.

Is diu ſtomachi languore laborabat, atque ideo vomitionibus aſſuetus, cum aliquando pro more ſuo arrepto cultello, manubrium ejus in fauces immitteret, gulæ ad vomitum ſtipulandæ cauſa, cultellus forte è manibus elapſus, gulam profundius ingreditur; ac demum, etſi ægrè, in ſtomachum ipſum deſcendit. Certè non erat officina hæc quæ ferrum concoqueret. Neque natura viam idoneam, qua ſe novus hoſpes ejiceret, præparaverat. Igitur ancipiti malo, & haud dubiè in exitium hominis vergenti, anceps quoque & ſtrenuum remedium conſilio Medicorum Regiomontanorum adhibetur, quod ejuſmodi fuit. Ægro firmis aſſeribus fortiſſimè alligato conſtrictoque, ne verſando ſe, curam Magiſtri turbaret, (cum jam ante ad eliciendam ferri aciem medicamentum magneticum affectis partibus per dies aliquot applicuiſſent) Chirurgus paulo infra coſtas ſiniſtri lateris, apta ad id novaculâ aperire corpus ad ipſum uſque ventriculum cœpit, tum pertentato eo, apertoque levi è vulnere cultellum extrahit. Æger dein adhibitis fomentis, & debita curatione brevi planè convaluit. Cultellum teſtem miraculi, Rex Poloniæ per idem forte tempus Regiomontem intrans, ad ſe recepit, dimiſſo medico ſuo Caſparo Craftio qui infirmum & qualitatem vulneris diligenter inſpiceret, atque ad ſe referret. Eodem anno Cratzius & Schafgotſius Comites, & Tribuni Cæſarei capitis ſupplicio affecti
1635. ſunt. Hic conſpirationis Wallenſteinianæ particeps, & conturbandæ Sileſiæ præpoſitus: Ille ſuſpectæ primum fidei, dein manifeſtus transfuga ac deſertor. Cæteri Fridlandicæ conjurationis complices aut perpetuis carceribus mancipati, aut in exilium ejecti ſunt.

Geldrienſes intercipiunt munimentum Schenkianum.

Porro in Belgio Geldrienſes præſidiarii, validiſſimum munimentum, quod ſuperiore ſæculo Martinus Schenkius, in Rheni divortio exſtruxerat, improviſo aſtu intercipiunt. Mille & quingenti erant, veterani pedites, qui ſileutio comparatis pontonibus navigiiſque, intempeſta nocte munimentum admotis ſcalis undique invadunt. Cæſi omnes qui initio auſi erant reſiſtere. Et Gubernator ipſe, è ſomno exſiliens, ſicut erat ſine veſte, fortiſſime dimicans occubuit. Amiſſi tamen opportuni munimenti nuncius graviter perculit Ordines Belgii confœderatos. Itaque negocium Orangio datum ut moleſti inde Hoſpites quamprimum exturbarentur. Atque is mox præmiſſo Guilielmo Naſſovio obſidionem omni ope inſtituit. Sed præſidiarii locum fortiter captum, pari conſtantia defenderunt, donec in annum uſque inſequentem, ferro atque igne & contumacia oppugnantium ad extrema redacti, neceſſitati ceſſerunt. Utrique egregiam laudem conſecuti, hi quod ceperint, ſtrenueque defenderint. Illi quod ad recuperandum nullam occaſionem ſtudiumque neglexerint. Per idem tempus, longorum bellorum indubitata appendix fames primum, deinde peſtis invaluit. Utrumque malum è ſuperiore Germania exortum facilè ſe in reliquas provincias diffudit, 1636. tanta aliquibus in locis, atque in Alſatia maximè, rerum omnium penuria, ut multi ad nefandos atque abominabiles cibos compellerentur, pagis pleriſque deſertis exhauſtiſque; dum inquilinorum alios in exteras terras vitæ ſervandæ deſiderium expulit, alios dira fames, aut ex novi victus inſolentia orta contagio extinxit. Inter hæc tamen longi etiam ævi, & ſupra mortalis ſpacii brevitatem diuturni exemplum Anglia protulit, ſi vera fama eſt. Is Thomas quidam Parrus fuit ex pago Alberbutio in Salopiæ comitatu, anno 1483, ſub Eduardo Rege genitus, & hoc demum anno defunctus, poſtquam annos centum & quinquaginta duos, admirabili ſanitate & viribus corporis tranſegiſſet. Anno quarto ſupra centeſimum adhuc procreationi liberorum ſuffecit, tranſivitque vigeſimo ſupra centeſimum, ad ſecundum matrimonium. Simplici victu, & lacticiniis potiſſimum ſine ulla,

Lotich. part. 2. lib. 25. fine.

la medicorum opera usus. Vino ac cerevisia etiam crassiore, ac lupulo infecta semper abstinuit. Adeo natura vili & parabili sumptu in longum producitur, neque alibi facilius quam in hospitio sobrietatis seram & validam senectutem reperias.

Gesta inter Saxones & Suecos.

Sub initium anni insequentis, qui fuit sæculi hujus sextus supra trigesimum, inter Electorem Saxoniæ, & Joannem Bannerium Suedicæ militiæ supremum, postquam diu Elector de Suecorum è Germania discessu frustra transegisset, res ad arma deducitur. Et Suedici multo crudelius quam unquam alibi in ditiones Saxonis invadunt, occupato munimento Werbeniano, dein urbibus vicisque
1636. apud Havelam & Salam fluvios misere expilatis. Saxoni Melchior Hatzfeldius cum legionibus aliquot subsidio missus exultantem levibus victoriis hostem facile oppressit. Recuperata inde Havelberga, aliaque loca quæ Suedico præsidio tenebantur, demum & Magdeburgum acri obsidione aliquamdiu constrictum in potestatem Saxonis pervenit. At haud multo post, ut incerta bellorum fortuna est, Bannerius aliquot millium è Suecia supplemento auctus Lunæburgum invadit, inde Saxonicos apud Wittstochium assecutus, gravi clade profligat, & Werbenam usque compellit, relictis omnibus retro impedimentis ac rerum militarium apparatu. Mox cum Joanne Vrangelio, qui paulo ante Garcium in Pomerania Cæsarianis abstulerat, Marchiam Brandeburgensem, quod Elector ille Pacificationi Pragensi subscripserat, expilationibus
Inter Hassos & Cæsarianos. devastat. Inde transmisso Albi in Thuringiam copias infundit, & Erphordienses jam etiam ad pacem Pragensem spectantes, certis conditionibus in potestatem accipit. Non minor per Hassiam Westphaliamque ea æstate belli tempestas detonuit. Landgravius Hassiæ Guilielmus diu an pacem Pragensem admitteret cunctatus, tandem ea repudiata & aliquot Suedicarum legionum auxilio confirmatus repente ad arma consurgit, Hannoviamque validissimum prope Francofordiam munimentum, ac jam pœne à Cæsarianis ad extrema redactum, pulsis inde oppugnatoribus obsidione liberat. Inde ipse rursum à majore Cæsarianorum numero, Duce Getzio, in Westphaliam ac Phrisiam repulsus magnis exactionibus provinciales exhaurit; Getzius interea totam prope Hassiam hostili more perpopulatus, & mox inde in 1636. Westphaliam regressus, Paderbornam ac Susatum subita vi ad deditionem cogit. Tremoniadem, & Wetla, & Hammonia ejectis Hassicis præsidiis eundem casum subiere. Dum hæc in Saxonia & Westphalia geruntur, Rex Hungariæ *Inter Cæsarianos & Gallos causa belli hujus.* Ferdinandus cum potissima Imperialis exercitus parte Rheno ac Mosella superatis, variis locis, ac diversis Ducibus Galliam aggreditur, evulgato ac præmisso scripto quibus hostilitatis illius causas longe exposuit. Quarum hæ erant præcipuæ, quod Rex Galliæ contra nuperam Mantuani belli pacificationem Ratisponæ concluſam cum Cæsaris & Imperii hostibus colluderet; quod Regem Sueciæ, & Duces ipsius armis, pecunia, militibus commeatuque juvaret. Quod urbes Imperii aut invaderet ipse, aut ab hostibus auro redemptas suis præsidiis confirmaret, magno libertatis Imperii præjudicio, cui hæc exterorum Regum, ac Principum molimina semper suspecta fuerint. Et sane per idem tempus Dux Vinarienſis Gallicis auxiliis suffultus, Tabernas Alsaticas, Princeps Condæus Dolam in Burgundia premebat. Tabernarum præsidio Mulheimius Chiliarcha præerat, qui re ad extremum deducta, honestis tandem conditionibus deditionem pactus est. Dolæ obsidio partim interpositu Helvetiorum, partim Caroli Lotharingiæ Ducis adventu soluta. Ex altera Galliæ parte qua Belgium spectat, Ferdinandus Cardinalis ac Gubernator Belgarum haud segnius bellum movit, infuso in Picardiam exercitu, qui Capella, Corbeja, Castelleto aliisque

nonnullis locis facile occupatis, ad ipsam prope Parisiorum metropolim duce 1636. Joanne Verdano copias ac terrorem pertulit. Cæterum Rex Galliarum Ludovicus, tot undique invadentium hostium strepitu excitus, evocata omni prope nobilitate in Picardiam progressus, Corbejam & alia nonnulla oppida recuperat. Inde Hispanos in Belgium & hiberna rejicit, Cæsarianos duce Gallasio justo cum exercitu Galliam ingressos fame ac rerum omnium penuria, quam ipsi populando effecerant, iterum in Germaniam trans Rhenum compulit, redactis ad tantam paucitatem legionibus centuriisque, ut justo prælio majorem cladem accipere non potuerint. Sed non exercitum modo, verum & omnes circa Rhenum regiones ingens sub id tempus fames afflixit, ut non villæ tantum pagique sed urbes etiam dilapsis passim incolis desererentur.

Comitia Ratisponensia.

Inter hæc Cæsar per pacificationem Pragensem pacata utcunque Germania, simul curis & ætate fractus, ingravescente indies valetudine, de successore Imperio cœpit prospicere. Itaque comitia creando Regi Romanorum Ratisponam indici jubet, eo præter Cæsarem, Filiumque Ferdinandum, Electores, Moguntinus, Colonienſis & Bavarus, dein Legati Saxonis & Brandeburgici advenere. Trevirensis in custodia habebatur. Aderant præterea Anglicani, Poloni, Tartarici aliorumque Principum Oratores alii aliis ex causis. Porro Cæsar coram Electoribus præsentibus legatisque absentium causam conventus illius prolixe exposuit: Summa orationis erat, Quoniam ipse sub gravi hactenus Imperii & curarum onere, ad eam paulatim virium ac valetudinis imbecillitatem pervenerit, ut haud diu amplius tanto ponderi ferendo par esse possit, cupere atque optare ut Electores sibi de socio laborum, Imperio de Rege Romanorum provideant; Id ad sui non minus solatium ac levamen, quam Imperii stabilimentum ac tranquillitatem pertinere, cui nihil luctuosius accidere possit, quam ut hoc turbatissimo statu, sine Rectore ac capite relinquatur. Porro diu dubitari non posse, quis ad id fastigium evehendus sit, cum sibi Deus immortalis Filium dederit, jam Hungariæ & Bohemiæ Regem, ita institutum à teneris, & quasi inter regna & gubernacula natum, ut ad tanti muneris dignitatem idoneis virtutibus sustentandam nihil desiderari possit. Dedisse illum jam ante biennium specimen virtutis ac felicitatis suæ, cæso apud Nordlingam Suedico exercitu, qua victoria tota pene Germania ad obsequium fidemque Imperii redierit. Ab eo tempore Imperialis militiæ regimen feliciter inchoatum, adhuc dum pari prudentia gerere. Addidit deinde aliqua de Pace Pragensi per Imperium recipienda, utque de Universali tandem pace ac tranquillitate, Electores in commune consulerent, enixè rogavit. Post hæc Electores habitis inter se aliquot consultationibus, & demum accepto à Senatu populoque Ratisponensi fidelitatis ac securitatis jurejurando, ad eligendum novum Cæsarem procedunt. Summo mane omnes habitu Electorali induti, hoc ordine ad Ecclesiam Cathedralem profecti sunt. Primo Moguntinus & Colonienſis, post hos Rex Bohemiæ & Bavarus, postremo Saxonis & Brandeburgici Legati. Mox sacro missæ officio de Sancto Spiritu solemniter celebrato, in vicinum atque ad id exornatum sacellum Electores prodeunt. Ibi concordibus omnium suffragiis Ferdinandus III. Rex Hungariæ Bohemiæque in Regem Romanorum eligitur. Paucos deinde post dies Archiepiscopus Moguntinus inter solitas sacrificii ceremonias consueto more inaugurat. Quibus omnibus magnifico apparatu absolutis ne quid ad tantæ dignitatis complementum deesset, sub initium anni insequentis novi Regis conjux Maria Hispanica, iisdem prope ceremoniis in Romanorum Imperatricem initiata est. Utraque inauguratio regio convivio excepta, & dein

Electio Ferdinandi III. in Cæsarem.

1636.

Bavaro nascitur Filius.

dein omni ludorum genere, ac triumphalium ignium festivo apparatu finita est. In medio comitiorum æstu Electori Bavariæ ex Maria Anna Austriaca filius nascitur Ferdinandus Maria. Cui mense Novembri per Episcopum Frisingensem sacro fonte expiato, nomine Cæsaris, Albertus frater Electoris, sponsor adstitit.

Varia.

Sub idem tempus munimentum Schenckianum diuturna obsidione ad extrema redactum in potestatem Hollandorum rediit, Pauci ex omni præsidiariorum numero superfuere, maxima parte ferro aut fame, aut alio morbi genere interfecta. Graviores turbæ eodem anno apud Leodium exortæ sunt. Quarum hæc fere initia fuere. Duo & viginti Commissarii, ab annis fere ducentis traducto more, triginta Duumviros eligendis Civitatis consulibus deputabant, ad annum fere hujus sæculi tertium, cum Princeps Ernestus, corruptelis Commissariorum mederi cupiens, formulam hanc immutavit, transtulitque potestatem eorum in populum, qui in tres ac triginta tribus distributus est. Sed frustra moderationem in multitudine requiras, quam in paucis non inveneris. Nam mox vulgus suapte natura discors ac seditiosum, ubi coli ambitu Patriciorum cœpit, insolenter ac turbide agebat, trahendo in se regalia Principis, mox in factiones ac sectas scissum magno semper strepitu annua Consulum comitia permiscuit. Igitur Princeps Ferdinandus ut majoribus malis occurreret, authoritate Cæsarea, Comitia Consularia rursum à populo ad Commissarios transtulit, permansitque ea mutatio ad annum hujus sæculi vigesimum nonum, quando iterum populus prioris potentiæ dulcedine illectus, suis suffragiis novos Consules elegit. Eamque deinceps consuetudinem annos aliquot obtinuit, non sine ingentibus ac anniversariis seditionibus. Urbs autem in duas præcipue factiones dividebatur, Chiroutiorum, ac Grignoviorum. Illi primores Civium

Leodiensium turbarum initia. Travil. Capit. Leod. impressa anno 1648. Colon.

erant, Patricii plerique & literati; Hi è vulgo, sed plerumque numero ac viribus superiores. Unde factum ut superantibus suffragiis plebeii semper Consules, ut quisque maxime promptus ac popularis erat renunciarentur, præteritis primoribus ac honoratissimis quibusque ad Magistratum illum antehac evehi solitis. In eo urbis atque animorum statu hoc anno Joannes Verdanus cum Legionibus aliquot Cæsaris ac Principis Electoris ditionem Leodiensem ingressus, recipi ibidem in hiberna postulavit, dumque in abnuentes vim atque arma molitur, illi majore numero animoque oppugnantes rejiciunt. Ita internis simul externisque motibus concussa civitate, Ferdinandus Belgarum Gubernator misso Leodium Marchione Ledano, Cæsar vero Joanne Ludovico Comite Nassoviæ Hadamario, ut rem quam æquissimis mediis ad quietem deducerent, laborarunt. Uterque egregio apparatu, & multo cum honore acceptus, mandata sua Consulibus ac Senatui exponit; eorum summa hæc erat: ut depositis inter se simultatibus in officio erga Cæsarem ac Principem suum perseverarent, ad eamque rem arbitros se ac mediatores offerebant. Leodienses actis primum enixe gratiis respondent; nullam in se officii partem Cæsarem, aut Principem desideraturum, si antiqua ipsis privilegia inviolata permaneant, neque extraordinariis exactionibus, hibernis, aut hospitiis militum premantur. Census vero suos ad eum modum velle dependere, qui anno superioris sæculi quarto & nonagesimo præscriptus sit. Quod autem hoc anno nihil in medium conferre possint, Joannem Verdanum in causa esse, qui totam patriam hostiliter populando inæstimabili damno civitatem affecerit. Dum hæc apud Leodium geruntur, Georgius Ragotsius Transylvaniæ Princeps, cum Isthuano Betlenio, Gabrielis Bethlenii fratre, inimicitias primum, dein bellum habuit. Bethlenius modicis à Turca auxiliis instructus semel atque

Lotich. lib. 30.

1636.

Res Transylvaniæ.

que iterum gravi clade proſtratus in Thraciam rejicitur. Denique res amicorum ope componitur : eo facilius quod Bethlenius nullum à Turcis auxilium ſperare poterat. Qui tum in bellum Perſicum intenti omnes eo vires contulerant. 1636. Trecenta bellatorum millia tunc Amurathes Imperator adverſum Perſas in Armeniam eduxerat, cæſoque & profligato Perſico exercitu, Rovanum nobilem apud mare Caſpium urbem cum Provinciis adjunctis in poteſtatem redegerat. Cæterum Turcis major in vincendo & capiendo gloriæ cupiditas, quam cura in conſervando fuit. Mox enim, ut Amurathes Conſtantinopolim rediit, quidquid ſuperiore expeditione Perſæ amiſerant, brevi compendio recuperavere.

Obiere eodem anno Joannes Albertus Dux Megapolitanus, & Auguſtus ſenior Brunſvici & Lunæburgi Dux. David item Herlicius hujus ævi Aſtrologus. *Propheta Regiomontanus.* Sed apud Regiomontem in Boruſſia novus & fanaticus propheta, dignas ſceleribus ſuis pœnas extremo vitæ ſupplicio luit. Joannes Adelgreiffius nomen homini fuit, & ſe Deum Patrem eſſe profitebatur, utque imperitæ multitudini fidem faceret, variis in aëre & cælo præſtigiis ope haud dubie mali Dæmonis paratis, oculis incautorum illuſerat. Callebat Hebraice, & Græce, & Latinè, tum Polonice, Lithuanice, & Churlandice, etſi non ſingulas æque prompte. Habitu vili ac dementiſſimo, adſpectu etiam tetriore fuit, & ex quo non Deum aut ſemideum aliquem, ſed ſcurram magis, aut è trivio nebulonem cognoſceres. Igitur delatus ad Magiſtratum, atque in cuſtodiam datus, poſtquam præter has impoſturas & veneficia, variorum præterea adulteriorum reus cognoſcitur, ad mortem damnatur. Quam ille nullo ſigno formidinis, vultu læto atque hilari adiit, identidem affirmans adſtantibus ſe tertia poſt die à mortuis reſurrecturum. Cum ad locum ſupplicii perventum eſt, neque ab illis perſuaſionibus homo vecors, ad Tanitatem mentis revocari poſſet, carnifex concitando terrori, omnia muneris ſui inſtrumenta, ante oculos jam morituri, de induſtria cœpit explicare. Sed ille hæc omnia velut puerilia terriculamenta riſu excepit. Tandem carnifex, nulla amplius pœnitentiæ ſpe, juſſa exſequitur, hominique cervices abſcindit, & truncum in rogum ad id præparatum conjicit, flammis abſumendum.

Initio anni trigeſimi ſeptimi menſe Februario Cæſar Ferdinandus II. Ratiſpona Viennam reverſus, & jam pridem debilitate, ac mala corporis valetudine afflictus, integris ſenſibus, & magna in Deum pietate, ex hac vita exceſſit, anno ætatis quinquageſimo nono. Princeps omnibus Regiis virtutibus ornatiſſimus, ſed pietate ac Religione nulli ante ſe Cæſarum ſecundus. Nihil magis in omni vita optaviſſe dicitur, quam ut ſuis in provinciis, ac tum toto Imperio antiquæ Religionis verum decus, & cum eo ſtabilem ac firmam pacem reduceret. Viſus eſt propterea non ſemel, ſeſe ac totam Auguſtiſſimam Domum, in extremum diſcrimen projicere, quod tamen mira Dei providentia ſemper evaſit. Amicos & Religioſos præſertim dilexit tenerrime. Inimicis atque adverſariis ſuis etiam infeſtiſſimis, ſæpe gratiam & veniam obtulit, redeunteſque amantiſſime excepit & majore quam ſi nunquam peccaſſent benevolentia complexus eſt, adeo ut vulgo jactaretur ad magnitudinem amicitiæ Cæſaris præſtare prius offendiſſe. Hoſtes, quorum in omni vita quamplurimos habuit, eodem plane affectu 1637. proſecutus eſt, neque ulli eorum unquam maledixit, ſæpe auditus in familiari colloquio, ſi quis in hoſtem acerbius dixiſſet, reprehendere & caſtigare imprudentiam cavillantis, & ſermonem alio divertere. Munificentia & Clementia in eo tantæ fuerunt, ut quibuſdam modum excedere videretur, quorum tamen judiciis nihil movebatur, ratus proprium Principis munus eſſe quamplurimis benefacere. Laborum atque occupationum omnino patientiſſimus fuit, ſæpe dicere ſolitus

1637. *Mors Ferdinandi II. Cæſaris.*

P. Lamorm. in Virtut. Ferd. II.

solitus id se maximum à Deo beneficium accepisse, quod in tanta negociorum multitudine, labores amaret. Venatione ad necessariam corporis exercitationem, Musica ad oblectationem animi frequentissime utebatur, Castitatis & continentiæ cultor præcipuus fuit, cum nulla unquam etiam Principe fœmina locutus, nisi teste tota aula, aut si res secretum exigeret, 1578. ipsa saltem Augusta conjuge in colloquium advocata. Sed hæc, aliaque quibus id institutum est prolixius memorent. Natus est anno superioris sæculi septuagesimo octavo in Stiria, patre Carolo Archiduce, Ferdinandi I. Cæsaris fratre, matre Maria Duce Bavariæ. Anno sæ- 1600. *Liberi Ferdinandi II. quo anno nati.* culari, mortuo jam dudum patre, Mariam Annam Wilhelmi Ducis Bavariæ filiam, in matrimonium, & ex ea sex liberos accepit, anno 1604. mense Maio Christianam, 1605. Joannem Carolum, 1608. Ferdinandum jam Cæsarem, 1610. Mariam Annam Maximiliano Electori Bavariæ, & 1611. Cæciliam Renatam Vladislao Regi Poloniæ nuptam, denique anno 1614. Leopoldum Wilhelmum, qui nunc pro Rege Hispaniarum Belgio præ- 1636. sidet. Cæterum uxorem & duas priores proles ante Imperium amisit. Deinde sexto viduitatis anno ac jam Cæsar, Eleonoram Mantuæ ducem secundis nuptiis duxit. Mortuo Cæsari per omne Imperium, & vicina Regna, Constantinopoli quoque permissu Amurathis, ab Oratoribus Principum Christianorum regio apparatu parentatum est. Porro mors optatissimi Principis, etsi in eo Imperii statu, flagrantibus adhuc bellis, bonis omnibus funestissima accidit, tamen publicum dolorem magna parte absterserit, successor parentis filius Ferdinandus III, non patriarum modo ditionum sed virtutum etiam & gloriæ hæres, quarum præsidio etiamnum onus Imperii & curarum paribus humeris sustentat.

Gesta Suecorum in Saxonia. Paulo ante mortem Cæsaris Bannerius Suedicæ militiæ supremus Præfectus, etsi media hyeme, oppressis aliquot Saxonicis Legionibus Torgam subita vi expugnat, Inde ad obsidendam Lipsiam toties hoc bello captam receptamque omnes vires convertit. Sed labor hic opinione ejus major, atque irritus ad extremum fuit. Præerat urbi Transdorfius tribunus cum valida Præsidiariorum manu, jusseratque Elector Saxoniæ ut quam fortissime defenderetur, sese in tempore auxilio affuturum. Neque spem fefellit eventus. Urbi septimanis aliquot strenue defensæ adfuit in tempore Elector cum Hatzfeldio & Cæsareanis Legionibus. Ita depulsus inde Bannerius re infecta Torgam retrocedit. Eam urbem probe munierat, & comportato undique frumento in longum proviserat, donec Cæsareanorum majore numero, (nam Hertfeldio interea Gallassius & Gelehnius accesserant) 1637. inde etiam cum clade expellitur. Paulum dein apud Landsbergam commoratus in Marchiam Brandeburgensem abit, ibi cum Joanne Vrangelio qui novas ex Pomerania copias adduxerat, conjungitur. Fugientem Cæsareani cum omnibus viribus insecuti intercepta Landsberga in ipsam porro Pomeraniam persequuntur. Ibi tentato frustra Anclamio Tripsecium deditione, Wolgastum vi capiunt. Inde Duce Bredavio, tribuno Cæsariano, extractis quas Sueci demerserant, navibus, in Usedomiam insulam penetrant, atque omne Suedicum præsidium ejiciunt. Haud multo post Damminum non invalida Pomeraniæ urbs, per Goltzium Cæsarianum, & Vichethumium Saxonicum Ducem expugnatur. Lunæburgum, Hallas, aliasque in interiore Saxonia urbes, alii duces recuperant. Ita hoc anno Suedica per Germaniam potentia plurimum accisa, atque in extremum maris Balthici angulum rejecta, tribus adhuc oppidis Anclamio, Stetino, & Stralesunda sese ægrè sustinuit. *Sueci repelluntur in Pomeraniam.*

Per idem tempus Joannes Verdanus è Gallica expeditione redux, Ehrenbreitsteinium apud Rheni & Mosellæ confluentes validam arcem & inviam accessu, circumfusis eminus Legionibus, *Ehrenbreitsteinium.*

quæ commeatum inferri obsessis prohiberent, fame tandem ad deditionem coegit. Cæsæ fugatæque apud Montaburium Hassicæ aliquot centuriæ, quæ commeatum apportare laborantibus nitebantur. Ita ad extrema malorum redacti Galli arcem Electori Colonienſi honestis conditionibus dedunt. Subinde Bernardus Dux Vinarienſis cum ſuis & Gallicanis aliquot Legionibus expugnata Lonvillea, aliisque in Burgundia locis Rhenum ſupra Argentoratum trajicit, eo audacius quod potiſſima Imperialium copiarum pars procul inde in Saxoniam receſſerat. Vinarienſi, cum iis quas apud Ehrenbreitſteinium habuerat copiis, Verdanus obviam proficiſcitur: Inde Lotharingicis & Savellianis Legionibus confirmatus, iteratis aliquot conflictibus Vinarienſem iterum trans Rhenum in Burgundiam rejicit, & pontem cujus capita ingentibus munimentis firmaverat, dejectis inde Gallis ſuæ poteſtatis facit. At felicior Vinarienſi repulſa, quam victoria Verdano fuit, nam ille in opulentam Delſpergenſem vallem, faucibus incolarum incuria neglectis penetrans liberalia hiberna habuit: huic Briſgovia, ſterileſque Hernicii ſaltus & deſerta Sueviæ, in præmium gloriæ ſimul & ſtipendium obtigere. Porro apud Leodienſes graves turbas cædes Conſulis Sebaſtiani Ruellii concivit. Is Gallicarum haud dubie partium, à Comite Warfuſæo, una cum Abbate Mauſonio, & aliis quibuſdam ad prandium invitatus, ſublatis epulis in aliud conclave deductus, multis vulneribus interficitur. Ea re ſtatim vulgata fit ingens civium concurſus, mox ædes Warfuſæi circumdatæ, & quoniam milites aliquot introduxerat, vi expugnatæ. Cæſi militum plerique, Warfuſæus extractus in publicum, & fruſtra illatam Conſuli necem defendens, fœdum in modum, manibus ac telis furentium diſcerpitur. Ruellius velut publicæ ſalutis victima celeberrimo funere elatus eſt. Deinde in authores & conſcios cædis acerrimè quæſitum, tanta vulgi acerbitate ac licentia; ut delatum à Bartholomæo Rulando defuncti Conſulis affine, Theodorum Fleronium Senatorem & Scabinum Leodienſem, plebs non expectato decreto magiſtratus, ex carceribus extraxerit, productumque in forum, & glande plumbea trajectum è furca ſuſpenderit. Additi deinceps Conſulibus cuſtodes ſex Lanceariorum, & quindecim ſclopetariorum, paria. Sed exacerbatis ſemel civium animis, atque in diverſa diſtractis conſopitæ ad tempus turbæ atrocius deinde erupere.

Cædes Ruellii Conſulis Leodienſis.

1637.

Eodem anno Ordines Belgii confœderati recuperato ut ſupra diximus munimento Schenkiano, Bredam quam ante annos duodecim Spinola, longa iis & difficili obſidione eripuerat, multo minori tempore, & paucioribus impenſis recipiunt. Menſe Octobri honeſtis conditionibus deditur: Præſidiarii qui adhuc ſupererant mille & octingenti cum impedimentis, armiſque & ſonantibus tubis Mechlineam dimiſſi. Religioni quoque Catholicæ abunde conſultum, ſed mox ex levi ſuſpicione, quod nocte januis obſeratis feſtivitatem S. Catharinæ magno numero congregati Catholici celebrarent, promiſſa iis ſecuritas violatur, & ſolemnitates ejuſmodi ſacrorum prohibitæ, ac plerique eorum urbe pulſi ſunt. Cæterum Ferdinandus Cardinalis, Gubernator Belgarum fruſtra tentata Bredæ liberatione Venloam primo, dein Ruræmundam intercipit, & duarum urbium acceſſu unius damnum, cujus tamen permutationis Hollandos non pœnituit, reſtaurat. Qui eadem fortuna in Africa uſi, celeberrimum Guineæ propugnaculum quod Minam, vocant, Hiſpanis eripuêre. Triduo continuata oppugnatione terra marique præſidiarii ad deditionem coacti ſunt, & datâ fide liberi inde ad Inſulam S. Thomæ quæ Æquatori ſubjacet, tranſvecti.

Res Belgicæ, Bredam recipiunt Hollandi.

1637.

In Polonia cum jam biennium prope Rex Vladiſlaus de ducenda uxore cum Regni Ordinibus deliberaſſet, atque in ejus

Matrimonium Regis Poloniæ. Pia- ſec. hoc anno.

ejus Matrimonii spem tres præcipuæ, Principes virgines proponerentur. Cæcilia Renata, Ferdinandi II. Cæsaris filia, Aloysia Maria Nivernensis in Gallia ducatus hæres, & postremo Filia Friderici Palatini: Sed hæc propter diversitatem Religionis facile respueretur, in Nivernensem vero omnium pene Procerum suffragia inclinarent, Rex tamen prætulit Austriacam, & mox finitis Comitiis dimissi Legati. Princeps Casimirus frater Regis, Joannes Lipsius Episcopus Culmensis, & Gaspar Dinosius Palatinus Sieradiensis, qui sponsam Regiam in Poloniam deducerent: Et Dux Georgius Ossolinskius, Palatinus Sendomirienſis, qui in finibus Poloniæ adventantem Regis nomine exciperet. Sub finem Augusti mensis comitante Claudia Medicæa, Leopoldi Archiducis vidua, cæteriſque Polonicis Legatis Sponsa in Poloniam discessit, & insequenti mense Varsaviam appellens ab Archiepiscopo Genesnensi Regi desponsata, ac solenni ritu inaugurata est. Inter Regiarum nuptiarum apparatum seditio magis quam bellum à Cosaccis exortum est. Illi, ut supra memoravimus, expediti & levis armaturæ milites in finibus Poloniæ apud ripam Boristhenis, arcendis Tartarorum ac Turcarum incursionibus perpetuo excubant. Sed tunc, ut fit, ocio insolentes ipsis Polonorum Procerum dit. 1637. tionibus infesti erant. Neque minis terrebantur genus hominum militare, atque assuetum latrociniis. Igitur ad coërcendam licentiam Staniſlaus Conjecpolsius supremus militiæ præfectus jussu Regis, ad Boristhenis & Samaræ confluentes novum propugnaculum ædificat, eique tuendis operariis ducentorum Germanorum præsidium imponit. Id præsidium Cosacci subita vi coorti interficiunt, operarioſque disjiciunt. Quare Conjecpolsius priusquam se rebelles majoribus copiis confirmarent, Nicolaum Potoccium, Palatinum Braclaviensem ad eos cum valida manu ablegat. Is magna celeritate usus, cum uno alteroque prælio profligatos in oppidum Borovitiam compulisset, commeatu ad sustinendam obsidionem destitutos, eo adegit, ut Ducem suum Paulucium paulo ante rebellionem electum, cum quatuor primoribus ipsi captivum traderent. Cæterum datam captivis impunitatis fidem insequentis anni comitia non probavere. Dux Paulucius una cum sociis supplicio capitis affectus est. Inter hæc Cantimirius Tartarus celebris inter suos miles, cum magna clientum & popularium manu ex Tauricæ Chersoneſi anguſtiis, in lætiores Moldaviæ campos transiit, eoque novas in dies colonias transferebat, bonitate soli facile barbaros alliciente. Neque impediebat Turcarum Imperator Amurathes, Moldaviæ Dominus, suis in ditionibus novos hospites, propterea quod eorum transitu multum potentiæ vicino Tartarorum Principi decederet, atque ipse gentem acrem, atque assuetam latrociniis, ad subitas in Hungariam, Transylvaniam, & Poloniam irruptiones, promptam atque expeditam haberet. At magnus Tartarorum Princeps, (quem Ghamum vocant) potentiam suam in hunc modum imminui, & Tauricam habitatoribus destitui ægre ferens, collectis copiis in fines Moldaviæ adversus Cantimirium proficiscitur. Eumque secundo prælio profligatum, & transmisso Danubio in campos Dobrucenses profugum persequitur: donec Amurathes ut suis impendentem finibus tempestate maturè sedaret, evocatum ad se Cantimirium interfici & reliquos inde Tartaros in Tauricam reduci jussit. Ita Princeps Tartarorum re præclarè gesta cum suis in Tauricam reversus est. Pauci tamen ex sociis Cantimirii, & primores transfugarum, dum neque Principi suo, neque Amurathi ob cædem Cantimirii confidunt frustra implorato Polonorum patrocinio, tandem coacti in fidem Turcarum confugiunt. Datæ postulantibus sedes. Sed mox præcipui ex iis tredecim, una nocte necati sunt, pari Turcarum

Bellum Tartaricum.

1637.

levitate & in recipiendis, & in puniendis transfugis.

Cæterum Turcis per hos motus arx Tanas sive Assow à Moscovitis erepta est. Sita est ad ostium Tanais fluvii, ubi in Mæotim paludem infunditur, oportuna admodum ad continendos in officio Tartaros Tauricanos, cohibendosque Moscos, ne in Mæotim paludem atque inde in Pontum Euxinum piraticam exerceant; Quare cum Imperator Turcarum ad recuperandam illam, classem atque exercitum instruxisset, repente exorto hoc Tauricano bello, omisso priore proposito, huc vires atque animum intendit.

Mors variorum. Obiere eodem anno Boguslaus Dux Pomeraniæ, ultimus ejus familiæ quæ ditionem illam per annos septingentos obtinuerat, & Guilielmus Landtgavius Hassiæ relicta vidua Amelia Elisabetha, & Carolus Mantuæ & Nivernensis Dux; Et Victor Allobrogum duobus filiis relictis, uno sex, altero quatuor annorum, quorum tutelam præteritis fratribus Principe Thoma, & Mauritio Cardinale, Uxori suæ Regis Galliæ sorori testamento commendavit. Quæ res atroci dein, & exitiali bello causam præbuit. Media æstate Ferdinando III. Cæsari, Viennæ filius nascitur, cui ab Episcopo Viennensi sacro Baptismatis fonte expiato nomen inditum Philippus Augustinus. Porro Polonii in Hungaria decessit è vita Petrus Pasmannus Cardinalis, & Archiepiscopus Strigonienſis, vir literarum ac virtutum claritudine insignis, Studiorum vero & Ecclesiastici decoris eximius cultor, in quam rem multa per omnem vitam aureorum millia liberaliter effudit, prudentissimus sacri patrimonii dispensator.

Cæsari filius nascitur.

Media hieme Legiones aliquot Hassicæ Geisecam ac dein Susatum subita irruptione expugnant. Non minus Cæsariani in Pomerania per concretum glacie pontum in Rugiam insulam penetrare connixi, post unum alterumque conatum, à Vrangelio Præfecto Suedico, qui transitum hunc idonea manu asservabat, repulsi sunt. Felicius multo Glitzingius Brandeburgicus Tribunus Garcium, ob Oderæ trajectum commodum oppidum, subita vi ac corona invadit, cæsis insuper ducentis fere quos è Stetinensi præsidio, Bannerius subsidio laborantibus miserat. Idem munimento ad Warnemundam accidit. Id in ostio Rostochiano haud procul littore situm ductu Vicethumii Saxonici Tribuni expugnatum est; Cecidit inter primores Vicethumius ipse, strenuus & expertæ virtutis miles. Inter hæc annona & commeatus Cæsarianos, in regione tot exercitibus pressa, defecerat. Simul Bannerius conventu apud Stocholmiam celebrato, & expeditis libero mari commeatibus, non sustentandi modo, sed etiam augendi emendique militis, qui sola victus copia liberaliter præbita passim à Cæsareis transfugiebat, facultatem habuit. Ergo transfugis hostium, & domesticis è Suecia supplementis, brevi exercitum viginti amplius millium eduxit. Mox recuperato Garcio, Wolgastum dein ac Daminum uno tempore arcta obsidione circumvallat, nullo jam amplius Cæsareorum metu, quos ultima rerum omnium egestas brevi Pomerania ejecit. Ita Gallassius reducto exercitu cum aliquamdiu in Saxonia apud Havelam atque Albim substitisset tandem sub exitum anni, dubia sociorum in se voluntate, simul diuturna penuria plurimum imminutis copiis, ad reficiendas illas in Bohemiam recessit, atque ibidem per hiberna deposuit.

1638. *Res Suedicæ per Pomeraniam.*

Per idem tempus Hassi pactis brevibus induciis, & vix absolutis Paderbornam nocturna aggressione per insidias intercipiunt. Sed brevem sociorum fortunam Palatini liberi suo infortunio luerunt. Carolus Ludovicus, & Rupertus fratres Palatini, Avunculi Caroli, Angliæ Regis aliorumque Principum auxiliis instructi exercitum non contemnendum collegerant, destinata novi belli sede Meppena, quam à Suedicis multo auro redem-

Res Westphalicæ ac Palatinæ.

redemptam suo ipsi præsidio instruxerant, magnamque frumenti ac bellici apparatus vim ad gerendum simul sustinendumque bellum, prout fortuna dedisset, comportaverant. Eam igitur urbem jam ante à Suedicis magnis operibus firmatam, abundeque à Palatinis præsidio instructam, Vehlenius copiarum Cæsarearum per Westphaliam præfectus, astu intercipere instituit. Comparatis ergo quæ subitæ aggressioni necessaria erant, & è vicinis præsidiis Monasterio, Warendorfio, Rhena ac Furstenavia, firma militum manu educta, noctu sumno silentio Meppenam aggreditur. Superatis fossis valloque modicum primo certamen, dein paulo acrius fuit apud munimentum Gustavianum. Sed vi irrumpentium fusi tandem Palatiniani victas manus dederunt. Capti præter eos qui in primo impetu ceciderant, quadringenti circiter, sed magna comprimis annonæ, & militarium apparatuum copia. Horneccius præfectus Præsidii cum vivus integerque in potestatem victorum pervenisset, quasi puderet superesse amissæ urbi sibi ipse exitium accersivit, percusso in faciem Centurionum altero qui de eo in captivitatem ducendo, inter se tanquam opimo spolio rixabantur. Mox enim quassatus Centurio, ignominia accensus, simul ne præda sibi eriperetur metuens, Horneccium inermem ferro transadigit.

Palatini cæduntur ab Hatzfeldio.

Porro haud multo post gravius infortunium Palatinorum spes plane perdidit, Dum enim collecto exercitu, quem ex Hollandicis Suedicisque subsidiis plurimum auxerant, Meppenæ amissionem restauraturi, Lemgoviam obsident, Melchior Hatzfeldius Dux Cæsareanus, cum omnibus copiis quæ in Westphalia erant, obviam profectus justo prælio Palatinos profligat, Cæsa ad duo millia; Capta impedimenta, atque inter ea insigne Perisœlidis Anglicanæ, jam pridem Palatinis à Rege Angliæ collatum. Carolus Ludovicus natu major ex fratribus dum Rheda vectus per Visurgim fugam præcipitat, submerso curru, equis, & auriga, ipse solus ægrè evasit, & pedes inde Mindam properavit; Rupertus cum magna illustrium manu in potestatem Cæsarianorum pervenit, à quibus splendide ac liberaliter habitus, ad Cæsarem dein Viennam missus est. Porro Hatzfeldius tam insigni victoria potitus, postquam palantes adhuc aliquot copias apud Bremam oppressisset, Cloppenburgum primo, deinde Vechtam, atque alia nonnulla loca recuperat.

1638.

Cæterum Bernardus Dux Vinarienſis ex Delspergensium faucibus principio anni improviso emergens, atque inde per fines Basilæensium, qui mediarum partium erant, exercitum producens, apud Steinam duo armatorum millia Rhenum trajicit. Per quos occupata Seckinga reliquum inde exercitum Lauffenburgum traducit; quo facile intercepto, pontem, & trajiciendarum copiarum facultatem nactus Rheinfeldam duxit, atque urbem illam situ & munitionibus prævalidam obsedit. Excivit ea res Cæsareanos & Bavaricos Duces, Savellium, Verdanum, Sperreuterum, Enckefordium ac Furstenbergium, ut quicquid copiarum in proximo erat contraherent: & liberata Rheinfelda Gallos trans Rhenum rejicerent. Prima pugna succesſit Cæsareanis, pulsusque ab obsidione Vinarienſis Lauffenburgum recessit. Cæterum postridie reversus confirmato exercitu, & delendæ hæsternæ ignominiæ percupidus, nihil minus opinantes Cæsareanos, magno impetu invadit. Capti duces prope omnes, Verdanus, Savellius, Sperreuteres, Enckenfordius & alii minorum ordinum permulti. Savellius haud multo post incuria custodum elapsus est. Cæteri Parisios missi. Vinarienſis tam luculenta victoria potitus extemplo ad Gubernatorem Rheinfeldæ mittit, hortaturque ut quoniam fuso Cæsareano exercitu nulla ipsi amplius liberatio expectanda sit, fortunæ cedat, atque urbem honestis conditionibus in potestatem victorum tradat: sin pergat obstinare animum,

Vinarienſis trajicit Rhenum.

Clades Cæsareanorum.

& ultima experiri constituat, negat se de conditionibus postea auditurum. Gubernator ægre impetrato tridui spacio, postquam cladem suorum, & à Vinarienſi omnia ad obsidionem strenue apparari intelligit, desperata liberatione urbem dedit. Ita præsidiarii omnes more militari cum sarcinis atque impedimentis Brisacum dimissi. Friburgum dein in Brisgovia pari celeritate Vinarienſis expugnat, Tubingam, Stutgardiam aliaque minora oppida per Tubadelium & Rosam duces suos intercipit. Inde positis eminus castellis, & vicinas regiones populando Brisacum commeatu intercludere, atque ita paulatim obsidere instituit. Inerat loco, natura ac situ validissimo, præsidii satis; cum præfecto Reinachero, sed de commeatu male
1638. provisum fuerat. Insuper apparatum militarem gravi infortunio afflixit error militum aliquot gregariorum, qui nocte intempesta stimulante haud dubie inopia, granarium publicum irrepentes, ut farinæ aliquid furarentur, in dolia pulvere pyrio plena incidere, quorum uno aperto alteroque, ita conjectura est, illapsus forte ignis, vicina dolia, quorum supra octoginta fuêre, & quingentos farris modios continuo incendit dispersitque cum magna clade hominum ædiumque quæ in proximo erant. Duos tamen ex ipsis authoribus nescio quo casu servatos Reinacherus Præfectus in furcam agi jussit. Interim evocatus ex Westphalia Joannes Gotzius cum parte exercitus quæ ibi erat semel atque iterum perruptis feliciter hostium stationibus annonæ aliquantulum in urbem importat. Sed apud Wittenweijeram acri prælio cum Vinarienſi congressus, post quinque horarum cruentum atque anceps certamen præcipuis suorum amissis funditur, rejiciturque inde in agrum Wurterbergicum, captus tamen à victis Tupadelius, secundus post Vinarienſem exercitus hostilis dux. Currus annona & commeatu onusti; supra octingentos, quos in urbem submittere Gotzius decreverat, in hostium potestatem omnes pervenere. Jussitque eos Vinarienſis per exercitum liberaliter distribui. Ea clades Brisaci tandem excidium fuit. Nam mox fuso procul omni Cæsariano subsidio urbs justis castris ab omni parte circumveniri, & ne quid alimentorum amplius submitti posset, sedulo provideri cæpit. Cæterum Cæsariani etsi duplici clade afflicti, non tamen omisere liberandæ urbis consilium, evocatis è Lotharingia Carolo Duce, ex Ubiis Lambojo & Gotzio cum septem Legionibus. Sed hi Gotzio parere jussi. Et res ita inter illos composita; ut hicis, illi trans Rhenum castra hostium aggrederentur. Lotharingi dicta die cum hoste apud Thannam congressi, cunctante ex diversa parte Gotzio, facile à superantibus numero vincuntur, capto Bassampierio, multisque ex primaria nobilitate. Porro cladem illam ulturus Gotzius dum solus cum Lambojo, atque ideo impar, castra Vinarienſium adoritur, expugnato uno alteroque à Lambojo hostium munimento, deinde de reliquorum perruptione nimium cito desperans receptui cecinit, nulla alia re effecta, nisi quod hostibus certam victoriæ fiduciam, obsessis omnis auxilii desperationem attulerit. Ita tandem Brisacum sub anni finem, ad ultimam famis necessitatem adactum, deditionem fecit. Fama est non parcitum humanis carnibus. Canes vero, Feles, mures, coria, & ejusmodi alia in deliciis fuisse. Porro ratas jam subscriptasque deditionis conditiones pene evertit ira Ducis Vinarienſis, postquam intellexit triginta fere captivos Gallos inedia per ergastula misere periisse, ex quibus septem à semivivis adhuc sociis in cibum absumpti essent. Cæterum Brisaci amissio res Gallicas in Imperio plurimum stabilivit, eo majore Gallorum gaudio, quod ejus liberatio, tot conatibus tentata, unius Ducis vigilantia ac fortitudine in nihilum recidisset. Gotzius magnam partem culpæ sustinuit,

Brisaci obsidio.

Nova Cæsareanorum clades.

Tertia & quarta clades.

Deditio Brisaci, & fames horrenda.

nuit, quod sua ipse negligentia rem perdidisset, itaque mox jussu Cæsaris ad di-
1638. cendam causam in Bavariam evocatus, post biennii fere spacium dimissus, in pristinum honorem reponitur.

Res Hispanicæ contra Hollandos & Gallos.

Triumphantibus hoc anno apud Rhenum Vinariensibus Gallisque Hispanos è contra in Belgio Hispaniaque fortunæ liberalitas recreavit, Mense Junio Hollandi cum magna exercitus parte ductu Wilhelmi Comitis Nassovii subita vi occupaverant Calloum propugnaculum haud procul Antverpia, jamque ibi nidum figere moliebantur, sed Hispani omissa, insita alias cunctatione, quidquid in propinquo præsidiorum erat, educunt, & nihil opinantes Hollandos, multo majore numero ac vi, priusquam necessaria defensioni opera exstruxissent, invadunt: Ita recuperato iterum Calloo fusi Hollandi, & magnam partem cæsi, aut in flumen compulsi aquis periere: Capti fere bis mille & quingenti, cum navigiis supra octoginta, vexillis quadraginta quinque, & tormentis novendecim, omni præterea annona, atque apparatu militari. Neque victoria ipsis victoribus incruenta extitit, ex quibus sexcenti fere pluribus sauciis, in loco prælii, aut deinde ex vulneribus occubuere. Hollandorum cladem auxit mors filii Comitis Nassovii, qui Dux infaustæ expeditionis fuerat. Eadem fortuna ex diversa Belgii parte, quæ Galliam attingit, Octavius Piccolomineus, & Thomas Princeps Sabaudiæ; Gallos ductu Castilionii Audomarum atque Hesdinum obsidentes, magna inde clade multatos in Galliam rejiciunt, captis ex primaria nobilitate quam plurimis, qui deinceps, Bruxellas in triumphum abducti sunt. Hollandi haud multo post Geldriæ obsidionem majore cura tentantes effusis subito aquis cum munitiones suas perficere prohiberentur, ab accurrentibus iterum Hispanis, auxilio Lamboji, insigni clade funduntur. Neque quicquam ea æstate præterea in Belgio tentatum fuit, satis æstimantibus Hispanis, quod duorum hostium diversas expeditiones magna eorum clade irritas reddidissent. Cæterum in Hispania Dux Condæus non majore felicitate Fonterabiam obsedit, celebrem portum munitumque ad maris Cantabrici præsidium, præcipuamque stationem navium in Indias ex ea parte commeantium. Cum enim ab initio Julii in Septembrem usque mensem continuata obsidione, atque omni pene aditu occluso adeo prope ad urbem accessisset, ut parte mœnium cuniculis subversa, certam se victoriam in manibus habere opinaretur, repente nihil tale metuentibus Gallis, Hispani per hostium stationes fiducia tam propinquæ victoriæ negligentius custoditas, magno impetu irrumpunt, urbemque depulso inde Condæo obsidione liberant. Capti ex Gallis quadringenti fere; duo millia ferro aut undis submersa perière. Impedimenta cum omni castrensi apparatu, qui opulentissimus fuit; in manibus Hispanorum mansere.

Hollandorum cædes apud Calloum.

In Polonia celebratis regni comitiis, *Res Polonicæ. Piasec.* Paulucius qui anno superiore Cosaccos rebellionem ceptantes duxerat, Ordinum jussi capitis supplicio affectus est, frustra implorata securitate, quam illi minores Præfecti promiserant. Cæterum Cosaccos id supplicium in longe maximas turbas excivit, qui tota æstate à Nicolao Potoccio, & Stanislo Conjecpolsio oppugnati, cum ob fidem Paulucio non servatam, ad nullas pacis conditiones compelli possent, multis & gravibus cladibus nobilitatem Poloni- 1638.
cam exercuerunt. Gedanenses quoque novi portorii institutio apud Vladislaviam recenter à Rege in litore Pucensi conditam, atque à se dictam urbem, in seditionem primo popularem, deinde ad arma excivit. Querebantur Gedanenses hæc privilegiis suis adversari quæ à multis retro Regibus Poloniæ haberent. Itaque res diu ultro citroque legationibus & literis disceptata, tandem quod in manifestum Reipublicæ bonum vergeret, rejectis

rejectis privatorum querimoniis, publico Ordinum consensu ac decreto definita & probata est; missique mox tam ex Senatu quam Nobilitate viri primarii, qui novi vectigalis modum æstimarent, ordinarentque. Obiere per idem tempus in Polonia Thomas Zamoyski supremus Regni Cancellarius, & Joannes Wezyck Archiepiscopus Gnesnensis. Illi Georgius Ossolinskius Palatinus Sendomirensis, huic Joannes Lipsius Episcopus Culmensis suffectus est. Eodem anno Princeps Casimirus, Regis frater cum animi causa in Hispaniam navigaret, ac forte Marsiliam profectus in littus Gallicum exscenderet reficiendis viribus, attinetur à præfecto Gallicano cum omni comitatu, abductusque inde ad arcem Salona, & mox Citeronem, biennium prope sub custodia fuit. Tandem summi Pontificis, & Regis Vladislai precibus, misso Christophoro Gassiovio Palatino Smolensce, liberatur, & data prius sponsione de ea custodia non vindicanda cum honore in Poloniam reducitur. Cæterum Galli causam custodiæ habebant, quod Poloni eo tempore Cæsareis Legionibus immixti, & Princeps ipse Casimirus Cæsari, contra Gallos militavisset.

Inter hæc Regi Galliæ post viginti amplius annorum sterile conjugium ex Anna Maria Regis Hispaniæ sorore filius nascitur Ludovicus XIV. Ejus natales non Parisiis modo, ac per universam Galliam, sed in Hispania quoque magno gaudio celebrati sunt. Clarus præterea hic annus ortu illustrium liberorum fuit. Cesari Maximilianus Thomas, Electori Bavariæ Maximilianus Philippus Hieronymus, Regi Hispaniarum filia nata est. At Taurini in Pedemontio immatura morte, & magno Provincialium luctu sublatus est Franciscus Hyacinthus, Princeps Sabaudiæ, octo fere annorum puer uno adhuc fratre superstite Carolo Emanuele quadrienni. Quæ mors magis magisque Res Sabaudicas involvit, ut deinceps annis sequentibus narrabitur. Obiit per idem tempus Pragæ Balthasar Marradius, Eques Melitensis, omnibus retro bellis in exercitu Cæsaris, strenui ductoris famam insignibus facinoribus consecutus. 1638.

JOAN. CLUV. EPITOMES HISTORIARUM

LIB. XII.

APPENDIX.

1639. *Vinariensis gesta & mors.*

Vinariensis capto ut ante diximus Brisaco, fessum multis præliis exercitum sub anni hujus initium, in Burgundiam hibernatum retraxit. Sumpta ibidem, ut in loco hostili, licentius hospitia, & nullo non cladium genere miseri incolæ à feroci milite, quem superioris anni multiplices victoriæ in omnem licentiam efferaverant, afflicti, vexatique. Pontarlinum modicis viribus urbs cum aditu ac portis victores excluserat, pene ultimo excidio inconsultam fiduciam luit, incolis prope omnibus ferro flammaque trucidatis. Sed possessio Brisaci occulto inter se dissidio Regem Galliæ ac Ducem Vinariensem cœpit collidere, dum uterque

que urbem Rheni potentissimam, atque adeo clavem Germaniæ ad se pertrahere nititur, Ille quia aurum & milites, hic quod laborem, & pericula commodasset, suaque ipse virtute & ingenio rem difficillimam ad felicem exitum perduxisset. Igitur Vinariensis magna præmiorum spe in Gallias evocatus venire non sustinuit. Cæterum erupturam aliquando rem in graviores discordias mors Vinariensis oportuna composuit. Is enim adulto jam vere è Burgundia educens, febri correptus Neoburgi in Alsatia diem extremum obiit, cura exercitus quatuor supremis tribunis Erlachio, Nassovio, Rosa & Oehmo, quos etiam insigni legato prosecutus est, commendata; Annorum fuit quinque & triginta quorum maximam partem toto hoc contra Cæsarem bello exercuit, haud dubie si supervixisset longius victorias producturus, quas illi supremo vitæ anno magnas multipliceseque indulgens fortuna contulerat; Pronepos fuit Joannis Friderici Electoris Saxoniæ quem superiore sæculo (1547) Carolus Cæsar prælio apud Mulbergam captum, Electoratu, & magna ditionum parte multavit. Ipse anno hujus sæculi quarto natus est, minimus quidem undecim fratrum qui fere omnes etiam adversus Cæsarem militarunt, sed belli gloria, animique magnitudine & felicitate omnium clarissimus. Vulgatum deinde est, de quo tamen nihil temere affirmaverim, mortem ejus veneno festinatam, atque ejus rei deprehensa vestigia, dum corpus ad conditurum aperitur; nempe quasi nimia felicitate jam obstaret Sociorum nomini ac cupiditati, qui licet ab ipso multa ac magna fieri optarent, tamen per hoc illum magni fieri ægrius ferrent. Sed sic est. Nemo fere magnus atque excellens extra aciem sine veneni suspicione moritur, amatque vulgus de insignium heroum exitu atrocia credere, & prædicare. Cæterum quantum rerum momentum in Duce situm sit statim apparuit. Primores enim orbi exercitus amisso capite discordes dum alter alteri parere recusat, nulla re magna per totam æstatem effecta, nisi quod Crucenacum, Bingiumque & alia nonnulla ad Rhenum loca interceperint, tandem auro Gallico deliniti, ad partes Regis Galliarum dicto ei sacramento certis conditionibus transeunt. Ita Gallo Brisacum, Friburgum, multa Burgundiæ loca tradita. In qua re tantam illi diligentiam adhibuere, ut Carolum Ludovicum Palatini filium, per idem tempus Anglicana pecunia instructum, atque iter per Galliam duobus tantum aut tribus comitibus facientem, attinuerint, jusserintque itineris sui institutum reddere, donec rebus cum Vinariensibus compositis, nullus amplius metus fuit, ne ille nutantes ad se Legiones sua præsentia petraheret. Injuriam detenti Principis, Carolus Angliæ Rex & Reginæ Sueciæ per literas conquesti, sed re jam perpetrata, cum emendare non possent, omisere.

Ejus exercitus Regi Gall. sacramentum dicit.

1639.

Et Carolum quidem Britaniarum Regem à procurandis externis domesticæ turbæ retinebant. Earum initium, ut omnium pene nostri temporis bellorum classicum Religio esset, è Scotia exortum est, dissidio sacrorum, quod ut melius intelligatur, paulo altius repetendum est. Henricus Octavus Angliæ Rex cum superiore seculo repudiata Catharina Caroli V. Cæsaris matertera, legitima uxore, ad prohibitas nuptias cum Anna Bolena transivisset, neque ejus matrimonii Romanum Pontificem authorem habere posset, palam ab ejus obedientia discessit, ac se caput Ecclesiæ, & summum sacrorum Præsidem constituit, serioque inhibuit, ne quod deinceps commercium cum Romano Pontifice Ecclesia Anglicana haberet, exilio, morte, varioque suppliciorum genere punitis iis, qui Regiæ voluntati refragabantur. Cætera autem Religionis capita riliquit Henricus, & quanquam damnato Doctore, Doctrinam tamen retinere voluisse visus est. Igitur initio, non magis persecutus est Lutheranos, Calvinianosque

Res Anglicanæ ejus belli civilis origo.

1639.

Henricus VIII. Rex.

que qui tum in Germania oriebantur, quam qui suum in Ecclesia Anglicana Pontificatum, quod tum læsæ Majestatis crimen erat, non agnoscerent. Sed communne Romani Pontificis odium paulatim conciliavit dissidentes. Ita Angli & eorum dein contagio Scori quoque non à Pontifice modo, sed etiam à doctrina ejus recessere. Quam doctrinam (adeo mutantur humana) nuper Rex eorum Henricus, edito in Lutherum libello, glorioſè propugnaverat; ut propterea à Pontifice Romano, *Defensoris Fidei* titelum, quem & successores retinuere, mereretur. Mortuo Henrico successit filius Eduardus, ex Jana Seimera genitus octo annorum puer, Regnumque & Pontificatum sexennio fere per Tutores administravit. Sub eo novarum opinionum Magistri cultoresque certatim irrupêre, & in Catholicos odio Romani Pontificis acerrime quæsitum. Post 1639. mortem Eduardi Maria Catharinæ repudiatæ filia ac legitima hæres, regnum obtinuit. Illa, cura matris, à teneris, Catholicæ fidei præceptis imbuta, nihil prius habuit quam ut ejectis hæreticis, & resciſſo profano Pontificaru, rem Catholicam reduceret stabiliretque. Sed rem bene constitutam immatura Mariæ mors evertit. Succeſſit Eliſabetha, *Eliſabetha.* filia Bolenæ, à contrariæ Religionis præceptoribus instituta. Hæc abrogatis quæ Maria pro re Catholica constituerat, ad novorum magistrorum ingenium Anglicanam Ecclesiam reformavit, novo exemplo Regina & Pontifex. Placita ipsius diuturnitas Imperii firmavit, Quod annos quinque & quadraginta ad initium sæculi hujus produxit. Intra quod tempus Religionem Catholicam gravissimis persecutionibus plane pessumdedit. Eliſabetha, cum vitam in cæ- *Jacobus.* libatu traduxisset, Jacobum Regem Scotiæ ex Maria Stuarta, quam ipsa interfecerat, genitum, hæredem testamento scripsit. Atque is primus omnium ante se Regum tria illa Regna Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ quietus obtinuit; relicto fere Ecclesiarum statu uti Eliſabetha instituerat. Jacobo succeſſit Carolus filius, *Carolus.* ex Anna Friderici II. Regis Daniæ filia. Is ducta in Matrimonium Henrica Maria Regis Galliæ sorore ab externis quidem moribus regnum quietum habuit. Sed studium Religionis in partes distractæ pacem turbavit. Nam proscriptæ Catholicæ, cum omnes è vicina Germania Galliaque sectæ confluxissent, Jacobus anno hujus sæculi octavo decimo, in Synodo Pertensi omnia fidei 1639. capita, tanquam summus Ecclesiæ moderator, in certum librum disposuit; voluitque, ut per universam Britanniam servarentur. Hæc Augustanæ Protestantium in Germania confessioni fere erant conformia. Sed Puritanis, ita Calvinianos vocant, plurima eorum non probabantur, maxime potestas Episcoporum, & ritus quidam ac ceremoniæ, ex ipsa Ecclesiæ Catholicæ consuetudine peritæ. Nam Angli cum à Religione Catholica defeciſſent, multos tamen ritus, ac ceremonias retinuere ut genuflexionem in Cœna Domini; celebrationem certorum festorum ultra dies Dominicos; privatum usum Baptismi, & Cœnæ, Confirmationem Anglicanam, Denique Ecclesiis, uti jam multis à sæculis institutum fuerat, adhuc Episcopi præsidebant, easque inferiores præpositos & ministros ad præscriptum Regis tanquam summi Episcopi gubernabant. Hæc omnia ut reliquias Ecclesiæ Romanæ averſabantur Puritani, volebantque ut omissis ceremoniis, puritas fidei ad suæ reformationis morem coleretur. Maxime autem impugnabant Episcopos, qui libertati conscientiarum obstare videbantur. Eorum autem authoritatem propugnabat Carolus Rex, edi- *Piasec.* deratque in vulgus formulam rituum, sub *Liturgiæ* nomine, opera potissimum & consilio, ut credebatur, Guilielmi Laudi Archiepiscopi Cantuarienſis compositam; Illam igitur ut Scoti observarent præcipit. Simul ut Episcopis bona sua reddantur, utque gubernatio Ecclesiarum

cleſiarum reſtituatur ſevere mandat, inſtituto ad id peculiari magiſtratu, qui omnes ad obſervationem hujus *Liturgiæ* compellerent, & ubi opus eſſet, ſevericribus pœnis adigerent. Fere ad modum inquiſitionis Hiſpanicæ, quo majore terrore res accepta eſt. Itaque Puritani, contra quos hæc maxime ſpectabant, conſpiratione facta, authore Alexandro Leſlæo, novuminter ſe fœdus faciunt pro mutua Religionis & libertatum ſuarum defenſione. Id anno ſuperiore conſtitutum eſt, ſimulque editus liber ſub nomine *Harmonia confeſſionum*, ſuperiori Liturgiæ plane contrarius. Conjuratum ibidem contra Epiſcopos, ut ab adminiſtratione Eccleſiarum amoverentur. Deinde exuto erga Regem ſuum obſequio, quod illas in Religione novationes conſequi ſolet, Edenburgum urbem Scotiæ primariam exturbato præſidio Regio, aliaque nonnulla oppida invadunt, ac ſuis copiis communiunt. Denique contra Regem qui cum parva Anglorum & Hibernorum manu ad fines Scotiæ advolaverat, armati conſiſtunt, haud dubie in aciem deſcenſuri, ſi Rex vim feciſſet: Sed ille tum quidem arma abſtinuit, ſeu majores turbas veritus, ſeu quod ſperaret rem conditionibus tranſigi poſſe. Igitur Rex indictis Scoticis comitiis Londinum reverſus eſt, cura Regii exercitus Thomæ Farfaxio commendata. Hæc Scotorum rebellio paulatim Anglos in ſocietatem traxit, qui ſuperantibus numero Puritanis, à multo tempore hanc occaſionem ad res novandas exſpectabant. Incenſi non modo his contra ſe decretis, ſed etiam odio Religionis Catholicæ, quæ à Rege Carolo, in gratiam Reginæ, multo liberius atque indulgentius, quam ipſi cuperent, habebatur. 1639. Atque id hujus belli initium fuit, quo dein univerſa Britannia graviſſime afflicta eſt.

Belli continuatio inter Hiſpanos & Gallos.

Magno interim ardore Hiſpanos & Gallos inter bellum gerebatur. Dux Condæus collecto apud Narbonam exercitu recta inde Catalauniam petiit. Ibi res quoque ad ſeditionem ſpectabant, magnitudine tributorum, & hibernantium militum injuriis. Neque ſatis ut ipſi exiſtimabant, audiebantur harum rerum remedium ab aula Madritana poſtulantes. Nihil eorum latebat Condæum, itaque donec ad maturitatem defectio perduceretur, ad fines eorum duxit obſeſſo mox Salceſio oppido, quod Cattalauniam à Gallia Narbonenſi diſterminat. Inde Schonbergium Mareſcallum ad vicina oppida cum parte exercitus dimittit. Ipſe magnis viribus Salceſium oppugnans loco quidem potitur. Sed mox dein in Sabaudiam revocatus, Hiſpanis recuperandi ejus occaſionem dedit. Impoſuerat abiens Condæus Eſpinonium cum valida manu, omnique ad tolerandam obſidionem apparatu inſtruxerat. Sed Hiſpani cœptæ ſemel rei acerrime inſiſtentes, etſi ab internis ſimul atque externis hoſtibus premerentur, tandem fame obſeſſos ad deditionem cogunt, bis magna clade rejectis Gallis, qui commeatum in urbem inferre nitebantur. Paulo ante quam hæc in Hiſpania gererentur non minore felicitate, Octavius Piccolomineus Theonis villam in agro Luzemburgenſi obſidione liberavit, cæſis magna clade Caſtilionio & Fecquierio, Mareſcallis, qui Legiones Gallicas ducebant, Fecquierius magna nobilium parte interfecta in poteſtatem victorum pervenit. Sed Caſtilionius recentibus inde copiis, quibus Rex ipſe aderat, confirmatus, Heſdinum, validum Arteſiæ oppidum felicius expugnavit, non ſine aliqua Hiſpanorum clade ſemel atque iterum hoſtilium caſtrorum oppugnationem nequicquam tentantium. Per idem tempus Regis Galliarum mater durantibus adhuc inter illam & Regem filium ſimultatibus ex Flandria in Hollandiam; inde Regali magnificentia excepta in Angliam, ad Henricam Reginam, filiam conceſſit. Ubi triennium fere commorata, invaleſcentibus indies civilibus diſcordiis, rurſus in Hollandiam, atque inde Coloniam

Diedenhoven. 1639.

Agrippinam, ubi haud multo post diem extremum obiit, profecta est.

Res Suedicæ in Imperio.

Porro in Imperio collapsus Suecorum res fortuna aliquantulum erexit. Nam Bannerius initio veris, confirmata cum Saxoniæ inferioris circulo neutralitate. Albim connivente Luneburgico transmittit, atque inde in Saxoniam ac Thuringiam effusus præmisso Coningsmarkio in ipsos Franconiæ fines minitabundus ducit. Tum Marchiam Brandeburgicam per Diversos Duces, in quos adveniens paulo ante è Suecia supplementum distribuerat, percurrit, variaque ibidem loca Landsbergam, Francofurtum, Rattenaviam, Havelbergam, & Brandeburgum alia deditione, alia minis & terrore, pleraque celeritate & astu recuperat. Ipse cum majore exercitus parte Saxoniam invadit. Salisium Cæsareanum Ducem, cum septem legionibus in hiberna euntem, profligat ac Ducem ipsum capit. Inde Naumbergum, Weissenfeldam, Zeitzam, Eylenburgum, Grimmam, Altenburgum, Suickaviam, Chemnitium, ac multa alia minora oppida in potestatem redigit. Sed in Misniam porro progressus dum Freidbergam, Saxonicorum Ducum monumentis claram urbem, eodem impetu occupare nititur, resistentibus intra Cæsarianis & Saxonicis, cum non modica suorum clade strenue repellitur. Brevi hanc ignominiam vindicavit Bannerius, cæso apud Chemnitium, quo exercitum à Friberga retraxerat, Marazinio altero Cæsareano duce, cum magna legionum parte, quas ille è vicina Silesia Bohemiaque tumultuarie collegerat; Pervenerunt in manus Suecorum hac victoria, signa equestria, quadraginta, pedestria duodecim, dein machinæ bellicæ supra viginti, cum impedimentis, atque apparatu militari non contemnendo. Hæc victoria Bannerio Bohemiam, quo sedem belli transferre decreverat, facile aperuit. Igitur retentata Fridberga cum iterum rejiceretur, ne unius loci non magno auctario, majorum rerum occasiones elaberentur, relicta illa Pirnam subjugare instituit, qua præter arcem potitus, præmisso Stalhansio non infimi nominis tribuno, in fines Bohemiæ exercitum producit. Stalhansius Leutomeritium, ipse paulo post cum reliquo exercitu adveniens Brandisium occupat, cæsis iterum octo legionibus, quas ad impediendum transitum illum Gallasius Praga submiserat. Inde ferox successu ad ipsa Pragæ mœnia victorem exercitum minitabundus ducit, & dispositis loco idoneo tormentis urbem verberare instituit, misso tibicine qui deditionem postularet. Sed hæ minæ erant, ac vanum oppugnationis terriculamentum. Neque id ignorabat Comes Schlickius Regius in urbe Vicarius. Itaque rebus omnibus ad defensionem optime ordinatis hostis conatum strenue prævertit. Bannerius quoque apud urbem prævalidam haud diu desedit, sed retractis Brandisium copiis cum dies aliquot curationi corporum dedisset, rursum per universam Bohemiam grassatus nunc Raconitium, aut Pilsam, nunc Budovitium, aut Reginogradecium, aliaque loca tentando arma & terrorem circumtulit. Cæterum ne latius progrederetur, imminens hyemis ac subinde Melchior Comes Hatzfeldius objectis Cæsareis Legionibus impedivit. Stephanus Palfyus, Comes & Ungaricæ militiæ Marescallus cum parva Ungaricorum Equitum manu, incautius hostibus illatus, interficitur septem vulneribus confossus, sed corpus ductoris, Ungari magna vi victoribus extorsere. Ferunt inter hæc Bannerium has pacis conditiones Cæsareis ducibus obtulisse, primum ut universalem amnestiam per Imperium, & provincias proprias publicaret, tum ut omnia in eum statum, uti ante hoc bellum anno 1617. fuerant reponeret; eo facto Suecos exercitum ex Imperio reducturos, retentis tantum Pomeraniæ maritimis locis, securitatis ac compensationis causa. Sed Cæsar magis sollicitus quomodo ingruentes hostes ac suis paulatim cervicibus

1639.

Saxoniam & Misniam.

1639.

Lotich. tom. 2. lib. 10. cap. 5.

cibus imminentes ejiceret, quicquid prope & procul auxiliorum fuit conquirit; novos delectus per provincias hæreditarias instituit, tum collectas undique copias in Bohemiam propere convenire jubet. Illis omnibus novum ducem (quoniam Gallasius excusata valetudine, missionem petebat) imponit fratrem suum Archiducem Leopoldum; atque ei evocatum è Belgio Octavium Piccolominæum cum exercitu adjungit, cujus consilio monitisque bellum administraret. His fere per hyemem actis brevi exercitus ad triginta millium numerum accessit.

Archidux Leopoldus fit Generalissimus.

Mors variorum. Obiere eodem anno Cæsaris filius Philippus Augustinus & Antonius Episcopus Viennensis, idemque Abbas Cremiphanensis, vir doctrina atque usu rerum celeberrimus, & Joannes Philippus Dux Saxo Altenburgicus.

1640. *Archiducis Leopoldi gesta.* Archidux Leopoldus dubio adhuc vere cum exercitu progressus, Reginogradecium, oportunam Bohemiæ urbem, ac paulo ante à Suedicis captam, subita vi recuperat. Præsidiarii sexcenti fere, ut se victoris arbitrio permitterent, coacti. Inde ad repurgandam reliquam Bohemiam profectus non magna vi Suecos expellit, excepto Leitomeritio, Brandisioque, quæ etiam oppida anno superiore interceperant, Bannerius paulum in limitaneis Bohemiæ montibus & circumpositis sylvis moratus donec impedimenta & prædam præmitteret, (quorum partem tamen aut corrupit incendio, aut Cæsareanis insequentibus invitus reliquit,) se in Misniam recepit. Mox inde etiam ab insequente Archiduce repulsus, in Thuringiam Erphordiam usque recessit. Cæterum in recessu illo non perfunctoriam cladem accepit, oppressa magna pars selectissimorum equitum, qui ad extremi agminis præsidium relicti, remorari cursum insequentium nitebantur. Sed Bannerium fugientem Dux Longevillanus cum Gallicis & Vinarienſibus copiis, item Hassici & Luneburgici, (quorum dux diu ambiguus adhuc Leopoldo accessurus sperabatur) in tutum recepere. Ira omissa spe persequendi porro hostis, tot recentibus auxiliis confirmati, Archidux Leopoldus apud Salam fluvium consedit, capto loco castris oportuno quem Piccolomineus delegerat. Illuc quoque Bannerius confirmato exercitu accessit, & collatis aliquamdiu castris, cum utroque mutuus metus à committendo prælio abstineret, prior Bannerius inopia commeatuum discessit. Consilium illi erat subita aggressione intercipere Legiones Bavaricas, quæ ductu Mercii in Franconia separatim ab exercitu Cæsaris tendebant. Sed cura ducis intenta erant omnia, & Archidux Bavaricis subsidio obviam profectus non eos modo, sed etiam Godefridum Comitem Gelehnium, cui superiore anno Cæsar Rheni provinciam attribuerat, ad se recepit. Jamque æstas in proclivi erat, neque elici Bannerius poterat, ut æquo loco potestatem prælio decernendi faceret. Ita annus sine magno fructu extractus est. De hibernis acerrimis velitationibus certatum. Ea Cæsariani in agro Brunsvicensi, utpote hostili provincia malebant, datumque negotium Comiti Hatzfeldio, ut expugnaret Huxterium: Qua re celeriter perfecta, Bannerius animadverso hostium consilio, cum omni exercitu apud Mundam Visurgim transmittit, occupatoque omni eo tractu, & collibus insessis cum universis copiis sese transituris opponit. Ita hoc aditu excluſi Cæsariani per amicas provincias hiberna sibi circumspicere coacti sunt. Sueci quod optabant, agrum Brunsvicensem & vicinas illi regiones obtinuere.

1640. *Comitia Ratisponensia.* Porro inter flagrantium bellorum incendia, non omissa hoc anno, uti & alias semper reducendæ pacis consilia. Nam etsi jam diu ante Coloniæ & Lubeccæ ejus præludia agitarentur, tamen parum admodum profectum fuerat. Igitur Cæsar media æstate comitia Ordinum Imperii Ratisponam edixit. Atque eo

ipsemet cum magno aulico comitatu mense Junio profectus, sua præsentia Proceres Imperii ut pro communis patriæ salute diligenter in medium consulerent, plurimum accendit. Cæsarem haud multo post secuta est Augusta, postquam Viennæ felici puerperio filium enixa esset Leopoldum Ignatium Josephum. Porro initio comitiorum ad congregatos ibidem Proceres nomine Cæsaris peroravit Guilielmus Marchio Badensis, & tria maxime puncta in deliberationem proposuit, quæ etiam Cæsar literis ad singulos datis, copiose expressserat. Primum erat, qua via finito tandem cruentissimo bello pax & tranquillitas in Imperium reduceretur; Tum si obtineri ea non posset, quibus porro mediis bellum administrari debeat; Denique quoniam judiciorum cursus plurimum turbatus aut impeditus fuerit, quomodo is in priorem statum reponi possit, ut cuilibet sine ullo personarum respectu jus reddatur. Præterea ut majore cum fructu hi tractatus perficerentur indulsit Cæsar, ut illi etiam Principes Ordinesque Imperii adessent, qui adhuc hostibus Imperii conjuncti, bellum adversus Cæsarem gerebant, ut auditis singulorum querimoniis de communi omnium consilio satisfieret. Cæterum tractatio illa in annum usque insequentem perducta est, de cujus fine ibi commemorabitur.

1640. Res Hispanica. bellum Sabaudicum.

Infelix hic annus Hispanis fuit non cladibus modo atque amissione urbium, sed duorum insuper regnorum defectione. Flagrabat tum in Italia bellum Sabaudicum, hac maxime causa, quod Victor Dux Sabaudiæ tutelam filii sui Caroli Emanuelis moriens testamento commendaverat conjugi suæ, Galliarum Regis sorori. Præteritis fratribus Mauritio Cardinale, & Thoma Principe Sabaudiæ, qui ad se curam pupilli Principis pertinere affirmabant. Ita ad arma perventum, Principes à Rege Hispaniarum, Vidua à fratre Galliæ Rege auxilium accepit. Igitur anno superiore Gubernator Mediolanensis infestis armis Pedemontium invadens Astium, Villam, Crescentinum, Meruam, Pontesturam aliaque loca expugnat; Principes vero Sabaudi Inuream, Nicæam & alias urbes maritimas occupant; maxime vero Princeps Thomas Taurinum caput regionis ac sedem ducum urgebat. Quod diu frustra tentatum, tandem auxilio oppidanorum adjutus nocte intempesta, disjectis Pyloclastro portis, intercepit. Cæterum hoc anno Rex Galliarum, sorori viduæ Comitem Arcourtium cum valido exercitu, auxilio submisit. Qui Hispanorum strage expeditionem suam orsus. Gubernatorem Mediolanensem, Casalium obsidentem, magna clade profligat, capto omni castrensi atque impedimentorum apparatu. Inde ad obsidendum Taurinum conversus, profligatis aliquoties Hispanis, commeatum inferre laborantibus, tandem in potestatem redigit, & solenni pompa viduam Principem eo reduxit. Eadem fortuna Dux Castilionius in Artesia urbem Atrebatum validam imprimis ac præmunitam, post longam & difficilem obsidionem in conspectu Hispanici exercitus, intercepit. *1640. Arras.*

Defectio Catalaunica & Lusitana.

Inter hæc longe graviori, adeoque intestino bello Hispania conflictari cœpit, amissis uno anno duobus maximis Regnis Catalaunia ac Lusitania. Catalauni hybernantium militum injurias, ac tributorum frequentiam jam diu querebantur. Itaque his (uti existimabant) malis excitata multitudo arma corripuit, Barcinone imprimis, quæ est Catalauniæ metropolis, omnia magno tumultu commiscentur. Regium præsidium ex urbe, hibernantes milites è tota patria exturbati. Prorex cum tantum audaciam immissis lictoribus compescere niteretur, primum quidem vi multitudinis expulsus, ac dein reversus nihil remissa ferocia cum præcipuis consiliariis interficitur. Alii dein regiarum partium; & primores quique eodem exemplo aut necati à furentibus, aut exuti bonis atque in exilium compulsi sunt. Post hæc

ærarium

ærarium regium in prædam cessit. Denique (quod est omnis fere rebellionis perfugium) desperatione veniæ ad vicinum Galliæ Regis auxilium confugiunt, electo in Principem Duce Andegavense Regis Galliarum filio, hoc anno in lucem edito, ac trium mensium infantulo. Ita Rex Galliarum Barcinonenses atque eorum exemplo omnes Catalaunos in fidem ac patrocinium recepit. Hoc successu animati Lusitani eisdem ex causis maturatam jam diu defectionem Olysippone ordiuntur interfecto Vasconcello Secretario,& Regiarum partium primario ministro. 1640. Inde novum sibi regem eligunt Joannem Ducem Braganciæ, qui ab Emanuele Rege Lusitaniæ genus ducebat, affinitate regii sanguinis & magnitudine opum inter Magnates Hispaniæ prævalidum. Neque deerant, qui exosam jam diu Hispanicam potentiam his defectionibus imminui gauderent, maxime Galli Hollandique, qui submisso liberaliter bellico apparatu, atque omni armorum genere Catalaunios Lusitanosque instruxêre.

Mors variorum. Obiere per idem tempus apud Regiomontem in Borussia Georgius Guilielmus Elector Brandeburgicus, cui in paternis ditionibus, uti & septemviratu successit filius Fridericus Guilielmus. Constantinopoli Amurathes I-V. Imperator Turcarum anno ætatis tertio supra trigesimum, relicto successore Ibraïmo fratre, ac primo ejus nominis. Viennæ Joannes Ludovicus Comes Isolanius, Legionum Croatarum in exercitu Cæsaris Dux, & Pragæ Gualterus Deverox tribunus Hibernice Legionis & percussor Wallensteinii.

Terræ motus in Germania. Præter alia quæ hoc anno prodigia nunciata sunt, mense Aprili, universum Belgium, & magnam partem Germaniæ, repentinus terræ motus concussit, eo majore metu mortalium, quod ejus generis prodigium in Germania insolitum est.

1641. Initio sequentis anni Bannerius, postquam paucis mensibus in agro Brunsvicensi exercitum refeciſſet, magnis itineribus per Thuringiam Misniamque in Palatinatum superiorem ad disturbanda comitia contendit, occupatoque mox Chamo, Glatavia, Sulsbachio aliisque locis ad ipsa Ratisponæ mœnia, ubi Cæsar ac Proceres Imperii congregati erant, minitabundus ducit. Fama est potuisse Ratisponam intercipi, si Bannerius omissis populationibus quas in Franconiam, Sueviamque late extenderat, universi exercitus vires uni urbi impendisset. Ita datum spacium Cæsari, ut se validiori præsidio communiret, & quidquid ubique legionum erat, ex hibernis ad signa evocaret. Mox versa fortuna Schlangius cum flore equitatus Suedici apud Neoburgum oppidum haud procul sylva Bohemica confidens repente à Piccolomineo ac Mercio circumvenitur. Nulla erat erumpendi copia. Itaque cum omnibus suis, (quatuor millia erant) in potestatem Cæsareanorum pervenit. Quibus amissis, Bannerius, qui cum reliqua exercitus parte Chamum insidebat, ne & ipse eodem victoriæ cursu opprimeretur; summa celeritate in Bohemiam atque inde se in Misniam propripuit. Ibi eum Vinarienses copiæ excepere. Cæterum antequam ad eas perveniret, præmentibus undique à fronte, à lateribus, atque à tergo Cæsareanis, in tantas angustias compulsus est, ut nulla esset amplius ratio evadendi, si fortunæ suæ Cæsariani institissent. Porro Sala fluvius fugientes protexit, obstititque insequentibus ne ultra progederentur. Bannerius, in illa fuga morbum neque initio lethalem contraxit, quem cum ille ut homo militaris parvi faceret, nihil intermissis profectionibus, cæteriisque muniis consuetis, quantum vires permittebant, tandem vi ejus indies augescente Halberstadium delatus XIII. Calend. Junias, moritur. Rogatus ante mortem quem exercitui suo successorem commendaret, Leonardum, Dorstensohnium nominavit,

Sueci irrumpunt in Palatinatum superiorem.

Bannerius moritur.

1641.

vit, qui in Suecia erat, ejus dein judicium Regni Sueciæ Senatores ratum habuere. Sed antequam novus Dux adveniret, tres interim regendo exercitui præpoſuit, *Letich. & Merc.* Adamum Phulium, Carolum Guſtavum Vrangelium, & Arfurtum Wittebergium. Ferunt ſuperiore anno cum Bannerius in Bohemiam expeditionem faceret, auditam à vigilibus vocem, incertum unde emiſſam, repetentis iterum, atque iterum, *Abi Bannere*, *Abi*. Id tum quidem infauſtæ expeditionis omen tractum, ſed non multo poſt obiiſſe uxorem ejus, atque ipſum è Bohemia dein expulſum, eodem prope in loco morbo tentari cæpiſſe, ubi ea vox excepta ſit.

Hohentweilam ſeſſa. Per idem tempus variæ per Imperium urbes diverſo eventu tentatæ ſunt. Hohentweilam, validum ſitu & munitionibus munimentum, Otto Chriſtiophorus Sparrius rei tormentariæ Præfectus cum Cæſareis & Bavaricis Legionibus tota prope æſtate circumſedit, cæterum natura loci ac virtus defendentium ſupra conatum Cæſareanorum fuere. Ita Sparrius, etſi nullo optimi Ducis munere neglecto, ineunte hyeme neceſſitate coactus, re infecta, exercitum lacerum inde & multis cladibus imminutum reduxit. Hohentweilæ fortiter defenſæ gloriam non minore fama æmulatus eſt Joannes Reuſchenbergius Wolffenbeu- *Et Wolffenbeutelium.* telii gubernator. Eam urbem non validam minus, quam copioſo apparatu inſtructam, Dux Luneburgicus, Haſlique jam diu obſederant, acceſſere ad extremum Vinarienſes, neque quidquam, quod expugnandis urbibus ingenioſa mortalium crudelitas invenit, intermiſſum eſt. Tandem cum nihil proficeretur, exemplo Pappenheimii alveus fluvii qui urbem interfluit inferne obſtruitur. Ita curſu amnis intercepto omnis aquæ vis circum atque intra urbem collecta, creſcente in dies inundatione, jam pene ſubmerſiſſet ignium & ferri victoris, niſi in tempore auxilium adfuiſſet. Ita urbs *Gorlicium.* periculo exempta. Contrarium plane exitum ſortitæ ſunt, Gorlicium in Luſatia inferiore, & Dorſtena in Weſtphalia, non invalidæ civitates; Gorlicium Elector Saxoniæ cum Cæſareanis aliquot Legionibus ſub Goltzio, & Goldackero tribunis poſt acerrimam oppugnationem tandem ad deditionem compulit. Dorſtenam Melchior Hatzfeldius, *Et Dorſtena.* etſi probe præſidio ac munimentis communitam exacta tandem æſtate, in fidem & poteſtatem accepit, atque Electori Colonienſi reſtituit. Inde porro in Thuringiam progreſſus Heldrungam, Mansfeldiamque atque alia nonnulla loca recuperat.

Interea Ratiſponæ frequenti Proce- *Receſſus Imperii Ratiſponæ 1641.* rum Imperii conventu poſtquam diu de publicis neceſſitatibus deliberatum fuit, omnium conſiliorum ſumma in hæc fere capita componitur. Primo omnium ad inteſtina Imperii diſſidia tollenda decretum, ut univerſalis Amneſtia publicaretur. Deinde ut cum Regnis Galliæ Sueciæque ſeparatis conventibus Monaſterii, & Oſnabrugæ in Weſtphalia tractaretur, ut gravamina Religionis, quæ hucuſque tantis tumultibus non exiguam cauſam dederint, per utriuſque Religionis deſignatos amice componantur. Ut *1641.* tranſactio Paſſavienſis, & ex illa conſtituta pax Religionis Auguſtæ anno 1555. ſanctè ſervetur. Denique ut cauſa Palatiniana quam Cæſar ex generali Amneſtia excluſam voluit, ſeparatis etiam tractatibus ageretur, & poſtquam ad felicem exitum perducta fuerit, receſſibus Imperialibus inſereretur. Præterea quoniam adhuc exigua pacis ſpes apparebat, de promovendo porro ac continuando bello actum eſt, proviſumque imprimis ut hiberna atque hoſpitia militaria pro Imperiali exercitu, juxta belli neceſſitatem ex æquo & bono deſcriberentur. In qua re quoniam hactenus graviſſimæ querimoniæ delatæ ſint, neque ſingulis ex æquo ſatisfieri poſſit, cum neceſſario vicinæ hoſtibus provinciæ plus patiantur. Ita conventum eſt ut provinciæ liberæ, iis quæ hibernis atque hoſpitiis gravantur, alio convenienti ſubſidio ſuccurrant,

rant, ut quantum fieri quidem possit, inter omnes Ordines Circulosque ejusmodi incommodorum æqualitas servetur. 120 Monat, noch dem Romer Zug. Tum ut imminuto Ducum, atque inutilium Præfectorum numero Legiones compleantur, eumque in finem ordinatæ, & communi omnium statuum consensu approbatæ centum & viginti pensiones menstruæ intra quinque mensium spacium persolvendæ, illo ubique valore, ut Thalerus Imperialis, ad floreni Rhenensis & triginta crucigerorum precium, non carius, viliusque computetur. Ad illas autem pensiones colligendas generalis Imperii Quæstor, germanus ipse, atque Imperio subjectus constitueretur. Additæ his contributionibus aliæ centum & viginti pensiones intra anni unius spacium solvendæ. Deinde de disciplina militari salubriter ordinatum, 1641. ut in delicta militum præfecti ipsorum serio animadvertant, ut nulla itinera aut profectiones instituantur, nisi præmonitis prius Directoribus circulorum, per quos iter faciendum est. Neque hac in parte quicquàm amicitiæ aut gratiæ dandum, ut uno Statuum præterito, alter gravetur. Itinera autem ibi necessario instituenda sunt, ut sine maleficio, & incommodo Provincialium, quantum fieri potest, fiant, Præfecti militum curabunt. Prohibitum præterea ne hostibus diribitoria concedantur, Neve cum iis neutralitates Imperio noxiæ ineantur. Ne commercia & negotiationes cum iisdem boni privati causa, in publicum detrimentum cedant. Multa dein ac varia in disciplinæ militaris correctionem constituta sunt. De reformatione Judiciorum Imperialium, quod erat tertium punctum propositionis Cæsareæ, quoniam tempus comitiorum in annum usque excurrerat, nihil actum; sed decretum ut anno insequenti ad Calendas Maii ea super re, certorum Principum conventus Spiram aut Francofurtum ab Electore Moguntino ediceretur; sanctionibus dein Imperii inserendum, quicquid illi pro reductione Justitiæ decrevissent. Denique quoniam Belgio Hispanico vicini Ordines quærebantur sibi contra sanctiones Imperii in cursu justitiæ à tribunali Bruxellensi sæpenumero vim fieri, promisit Cæsar effecturum se apud Regem Hispaniarum, ac fratrem ejus Cardinalem Infantem, Belgii Gubernatorem, ne quid deinceps privilegiis Imperii abrogaretur. Creati sunt in iisdem comitiis Sacri Romani Imperii Principes, atque ad publicas sessiones admissi, Itelius Fridericus Hohenzolleranus, Joan- 1641. nes Antonius Dux Cromavius, & Princeps Eggenbergicus, & Wenceslaus Dux Lobkovitius. Ita peracto finitoque conventu illo Cæsar deducente magna Procerum Imperii corona Viennam regressus est.

Per idem tempus in Anglia Carolus Rex, cum ad componendam Scotorum *Res Anglicanæ.* rebellionem, procerum regni conventum indixisset, quod illi Parlamentum vocant, se atque regnum ipsum in multo majores turbas impulit, Anglorum plerisque utpote Puritanis, in idem Religionis fœdus cum Scotis, consentientibus, Parlamentum autem Anglicanum in duos ordines, seu ut ipsi vocant Domos dividitur, Superior ex magnatibus Regni constat, quales sunt Principes, Comites, Barones, quos illi Sir & Lort, nuncupant. Inferior Consules & Legatos civitatu complectitur, atque hi in eo conventu universum populum repræsentant. Prioris summa est authoritas, condit leges, decernit, judicat, damnat, quæ tamen omnia vim non habent, nisi Regis confirmatio accesserit. Atque ipsius est evocare & dimittere hunc conventum. Cæterum Rex cum initio triennalem hunc conventum esse voluisset, tandem consensit ut tam diu permaneret, donec turbæ omnes consopitæ essent. Quæ res plane authoritatem Regis pessundedit. Postquam enim Parlamentum illud, ita stabilitum est, ut etiam Regis voluntate dissolvi non posset, Parlamentarii, prævalentibus suffragiis eorum qui Scoticarum partium erant, absque ullo

reſpectu Regiæ dignitatis fœdus Scoticum approbant; Catholicos intra decem ab urbe Leucas prohibent. Sacerdotes ad pœnas ab Eliſabetha Regina ſancitas revocant. Thomam Wentwort Comitem Straffordiæ, ac Hiberniæ Proregem, ad ſupplicium capitis condemnant, Wilhelmum Laudium Archiepiſcopum Cantuarienſem alioſque nonnullos regiarum partium in carceres conjiciunt; Inde in Reginam, quod à Catholicis pro Rege ſubſidium pecuniarium collegiſſet, quæſtionem inſtitui decernunt. Tum ad ſui cuſtodiam ſatellitium armatum, cujus ante nullum exemplum habuerant, conſtituunt. Epiſcopos omni gradu ac poteſtate dejiciunt. Vectigalia ac portoria ad ſe trahunt. Præfectos portuum atque arcium præcipuarum in ſua verba adigunt. Denique Regem ipſum ut latæ in Hiberniæ Proregem ſententiæ ſubſcribat, compellunt. Ita Comes Straffordiæ indicta plane cauſa, negataque per Juriſconſultos ſui defenſione menſe Maio Londini, in extructo ad id theatro ſecuri percutitur. Poſt hæc ad apertiora paulatim diſſidia deventum eſt, Et Rex omnia ex arbitrio Parlamenti ſine ullo authoritatis ſuæ reſpectu agi videns Londino in loca ſecuriora exceſſit. Regina quoque per ſpeciem deducendæ in Hollandiam filiæ ſuæ Mariæ, quam Guilielmo Orangii Principi deſponſaverat, tumultibus excedens ſecuritati ſuæ conſulit. Atque in hunc modum inter Regem & Parlamentum Anglicanum belli ſe initium habuit.

Res Belgicæ & Gallicæ. In Gallia præter externa bella etiam interni tumultus extitere. Ludovicus Comes Soiſſonius cum Bullionio & Guiſio aliiſque ex Gallica nobilitate adverſus Regem arma conjunxerat, quibus 1641. auxilio ſubmiſſus Lambojus, dum apud Sedanum conjunctis viribus confligitur, Dux Regis Galliarum Caſtilionius funditur non exigua ſtrage; Sed mors Soiſſonii victoriam partium corrupit, Bullionius & Guiſius à Rege in gratiam recepti ſunt. Lambojus inde à Cardinale Infante in Belgium revocatur. Ibi uno atque eodem anno Aria bis obſeſſa ſemel à Gallis Duce Caſtilionio, atque iterum ab Hiſpanis, Ductore Franciſco de Melo, bis quoque expugnata & recepta eſt. Interim Ferdinandus Cardinalis Belgarum Gubernator, ac Regis Hiſpaniæ frater, Bruxellis menſe Novembri moritur. Præfuit Belgio per annos ſeptem, atque illud ex præſcripto Fratris magna ſapientiæ & fortitudinis fama inter duos utrinque hoſtes Gallos & Hollandos feliciter gubernavit. Secutus illum eſt haud multo poſt Magnus Ordinis Teutonici Magiſter, Stadian, exercitatæ prudentiæ Princeps, atque ex intimo Cæſaris conſilio. Deceſſere eodem anno ex hac vita Georgius Brunſvicenſis & Luneburgicus, & Arnhemius Saxonicarum copiarum diu præfectus. *Mors Cardinalis Infantis & aliorum, &c.*

Inſequens annus, qui fuit hujus ſæculi ſecundus & quadrageſimus, Cæſari & 1642. Catholicorum Principum partibus, ubique prope infauſtus extitit. Nam initio ejus Comes Gebrianus Vinarienſium, & Eberſteinius Haſſicarum copiarum duces, qui diu in agro Fuldenſi, & Monaſterienſi hoſpitia habuerant, impetrato ab Hollandiæ Ordinibus tranſitu, apud Veſaliam Rhenum tranſmittunt, atque inde in agrum Colonienſem ad capienda hiberna cum omni exercitu infeſti irrumpunt, occupata mox Ordinga, deinde Linna, inferioris Archidiœceſis oppidis, Elector Colonienſis haud ignarus eorum quæ ab adverſariis parabantur, Hatzfeldium ex ſuperiore Germania, è Belgio Lambojum cum ſuis copiis evocaverat. Lambojus ad Moſam ſubſtitit, donec Vinarienſes Rhenum tranſire, nunciatum eſt. Tum in agrum Kempenſem caſtra produxit, atque ibi apud ageres limitaneos duplici foſſa, & trabali aditu præmunitus, obſervare conſilia hoſtium conſtituit; & ſi tentarent, prohibere irruentes, donec cum reliquo exercitu Hatzfeldius adventaret, qui partem copiarum apud Andernacum Rhenum traduxerat, & per diverticula quo Patriæ *Cædes Lamboji in agro Kempenſi.* Landgewehr.

triæ parceretur; lentius appropinquabat. Sed Vinarienſes Haſſique ut ſubſidium præverterent, celerato apud Linnam militari conſilio, cunctatione omni ſepoſita Lambojum aggredi conſtituunt. Ea re ordinata Comes Gebrianus cum paucis turmis equitum, & ducentis ſelectis peditibus prægreſſus, in munitiones illas agrarias impetum facit. Sed quoniam Lambojani numero ſuperabant, facile rejectus eſt. Interim tota acies campo Anthoniano appropinquabat. Tum Gebrianus, dato ad invadendum ſigno, cum omni robore exercitus Lambojanos adortus, etſi acerrime reſiſterent, tandem vi ac multitudine ſuorum loco depulit, aggereſque cum peditibus ſupergreſſus ſuæ poteſtatis fecit. Mox adhibiti foſſores, qui diſturbatis aggeribus, ac completis foſſis viam equitatui complanarent. Ibi multo atrociore impetu prælium reſtauratum eſt. Sed Lambojo maxime obſtabat, quod legiones ſuas nimis quam oportebat temere,
1642. tam propinquo hoſte, per hoſpitia diſpoſuerat, neque advocandi ſuos in tempore, neque ordinandæ aciei copiam haberet. Ita Lambojani legionatim & quaſi per manipulos cæſi, inſigni clade profligantur. Cecidere ad duo fere millia. Lambojus ipſe in tanta neceſſitate nullum ſtrenui ducis officium prætermittens, cum præcipuis tribunis, & tribus millibus gregariorum in manus hoſtium pervenit. Capta ſigna militaria centum quadraginta ſex, tormenta compeſtria ſex, dein impedimenta, & apparatus bellici magna vis. Poſt hæc Præfectus Equitum Vinarienſium Roſa cum tribus millibus equitum ad perſequendos fugitivos profectus, haud procul Juliaco duo millia, quæ ad Hatzfeldium properabant, nova clade profligat. Ita Lambojanus exercitus hoc duplici infortunio, amiſſo item ductore, & præcipuis tribunorum, plane aut deletus aut diſſipatus fuit. Hæc igitur clades longa pace divitem patriam, atque adhuc intactam hoſti aperuit; inopemque exercitum abunde auxit. Additus cladi terror inflammatione villarum pagorumque, quos profugientes paſſim coloni relictis omnibus deſerebant. Porro Hatzfeldius intellectis quæ acciderant, jam ſolus hoſtibus inferior, magna celeritate copias jam Rhenum tranſgreſſas revocavit, atque in alteram ripam transpoſuit. Vinarienſes proſequendæ victoriæ intenti, relicta à tergo Kempena ſtatim Noveſio victorem exercitum admovent. Urbs illa antiquis & recentibus obſidionibus percelebris, & non ſemel laudatæ fortitudinis famam promerita, nunc ſive metu conſternata, quod cæſo exercitu nullam amplius liberationem exſpectabat, ſive decepta hoſtium fraude & blanditiis multa ac ſpecioſa promittentium, vix unius diei jaculatoriam oppugnationem perpeſſa dedit ſe victorum arbitrio, excluſo etiam rejectoque præſidio militari, quod Elector Colonienſis laborantibus in tempore obtulerat. Nempe dum ſecuritati & libertati ſuæ inconſulta anxietate nimium proſpicere nititur, utramque amiſit; ſedes dein hoſtium facta, ex qua reliqua patria oppugnaretur. Kempena neque munitionibus, neque civium numero Noveſio par, poſt octo dierum oppugnationem in poteſtatem oppugnantium conceſſit. Huleradium dein & Marcodurum aliæque in eo diſtrictu arces eundem caſum ſubiere. Apud Lechenium hæſit impetus victorum. Id ignobile quidem, ſed valido præſidio ac fortibus viris communitum oppidum, poſtquam ſeptimanas aliquot a rem obſidionem egregie pertuliſſet, tandem adventu Cæſarei & Bavarici exercitus liberatur. Is ductu Comitum Hatzfeldii Wahliique Rhenum ponte navali apud Coloniam tranſgreſſus, poſitis munitiſque caſtris apud Sonſam conſedit. Ita Vinarienſes & Haſſi, cum aliquamdiu apud Grevenbruchum conſtitiſſent, in ſua demum apud Ordingam caſtra compulſi ſunt. Sub idem tempus Joannes Verdanus ex Gallica captivitate cum Guſtavo

Noveſium & aliæ urbes capiuntur. 1642.

Hornio permutatus, magno militum gaudio in castra ad Sonsam pervenit.

Coadjutor Colonienſis eligitur, &c.

Inter hæc Elector Colonienſis Ferdinandus Dux Bavariæ, non magis de liberanda ab hostibus patria, quam adsciscendo in partem curarum socio sollicitus, ut sibi Coadjutor daretur à Collegio Metropolitano obtinuit. Duo in eam spem studio & æstimatione Canonicorum proponebantur. Franciscus Dux Lotharingiæ, ejus Collegii Decanus; atque Episcopus Virdunensis; & Maximilianus Henricus Dux Bavariæ, Electoris ex fratre Nepos; uterque & splendore familiæ, & dignatione virtutum eo fastigio dignus. Sed posterior cum numero suffragiorum viciſſet Coadjutor designatus, & dein à summo Pontifice ut mos habet, confirmatus est. Porro media æstate Franciscus Hatzfeldius Herbipolensis & Bambergensis Episcopus, ac Franciæ Orientalis Dux repentino catharto super mensam extinguitur, magno luctu provincialium, quibus his difficillimis temporibus præclare præfuit. Uni duo à Collegiis Cathedralibus sublecti sunt, Herbipoli Joannes Philippus ex illustri Schouborniorum familia, Bambergæ Melchior Otto ex Baronibus Voit de Sairburg, uterque sapientia atque usu rerum insignis Princeps.

1642.

Regis Galliarum mater moritur.

Sub idem tempus Maria Medicæa Ludovici XIII. Regis Galliarum mater Coloniæ Ubiorum, quo se post diuturnum in Belgio exilium, dein varias in Hollandiam & Brittanniam profectiones quietis causa paulo ante contulerat, moritur, pie, atque ut decebat Christianam Principem. Nam & filio felicem consiliorum exitum, & orbi Christiano optatam pacem multis cum lacrymis paulo ante mortem precata est; ignovitque omnibus & singulis qui eam hactenus variis machinationibus persecuti fuerant, Filia fuit Francisci Ducis Hetruriæ & Joannæ Austriacæ Ferdinandi I. Cæsaris filiæ. Anno sæculari millesimo sexcentesimo Henricus IV, Galliæ ac Navarræ Rex eam in matrimonium accepit; dimissa Margareta Valesia, cum qua Henrico sterile, & discors, tum quoque impedimento consanguinitatis invalidum matrimonium fuerat. Anno dein hujus sæculi decimo solenni apparatu apud oppidum S. Dionysii Regina Galliæ inaugurata, postridie Regem maritum manu sicarii interfectum amisit. Quinque ex Henrico proles habuit, Ludovicum XIII. natum anno 1601. Isabellam 1602. Philippo IV. Regi Hispaniarum nuptam. Christinam 1606. Victoris Amedæi Ducis Sabaudiæ uxorem, Gastonem Ducem Aurelianensem 1608. & Henricam Mariam 1609. quam supra Carolo Angliæ Regi in matrimonium datam memoravimus. Rege interfecto Maria curam regni, & tutelam filii novennis in se suscepit. Qua in administratione, ut fit, multorum odia incurrit. Maxime quod homine externo Marchione Ancræo, quem ad summos honores prætermissis indigenis extulerat, pene unico & solo consultore ad Regni gubernationem utebatur. Crevitque adeo indignatio Procerum Galliæ, hanc externi hominis potentiam detestantium, ut ferme omnes secessionem ab aula facerent, bellumque haud obscure molirentur; donec Ludovicus filius necato Ancræo, & uxore ejus capitis damnata ipse suis auspiciis Rempublicam cœpit gerere, Matre Blesas relegata. Quæ subinde revocata, cum prævalentibus apud Regem aliis ipsa jam spernerētur, Bruxellas in exilium sponte concessit. Reginæ Cardinalis Richelius, qui ejus potentiæ maxime obstabat, haud diu superstes fuit; eodem quippe anno mense Decembri Lutetiæ Parisiorum vita excedens. Is validissimus in animo Regis fuit, & maximorum negociorum primarius minister. Nemo ea ætate magis regnandi artibus aut prudentiæ politicæ fama excelluisse creditus est, ut propterea etiamnum ex præscripto consiliorum ipsius res Gallicanas administrari multis pronum sit suspicari. Matrem & Cardinalem Rex Ludovicus mense Maio anno

1610.

1625. *pag.* 84.

1642.

1600.

1642. *Piasec. pag.* 205.

anno insequente secutus est, eodem plane die quo ante annos tres & triginta patrem ejus Henricum IV. sicarius interfecerat. Porro Cardinali Richelio in Regiorum consiliorum arcana Julius Mazarinus itidem Cardinalis succesſit, intimus Richelii, & studio ipsius ad maxima quævis provectus.

Res Germanicæ. At nihilo inde melius res Catholicorum in Germania habuere. Nam initio fere anni Coningsmarchius Halberstadium & Aschersiebiam inter in Saxonia quatuor Cæsarianas Legiones inopinato adventu oppressit. Inde depulsos non sine clade ab obsidione arcis Mansfeldianæ Cæsarianos tota prope Saxonia exegit. Coningsmarchium majoribus viribus secutus est Leonardus Dorstensohnius Suedico exercitui in locum Bannerii præpositus. Adventum ipsius clara de cœlo prodigia insignem fecere. Nam mense Januario supra Wolfenbeutelium visus est in cœlo globus igneus terribili fulgore conspicuus, qui ab occasu in ortum descendens, edito horribili fragore, instar ingentis tonitrui momento disparuit. Sed per Saxoniam inferiorem ac supra ipsa Suedica castra visus est insigni claritate cruentus ensis, cum annexa virga, cujus acies versus Marchiam Brandeburgicam protendebatur

Dorstensohnius Generalis Suecorum.

1642. Dorstensohnius lustrato exercitu, punitoque tribuno Seckendorphio, qui cum Cæsarianis Ducibus colludere arguebatur, repente decursa Saxonia, in Lusatiam ac dein Silesiam perrupit. Et Glogoviam majorem cum toto exercitu circumsedit. Magnam vim frumenti, bellicique apparatus Cæsareani in hanc urbem comportaverant, ex eaque tueri Silesiam, & prohibere porro hostem constituerant, Præerat urbi cum firmo præsidio Augustus Mauritius Baro de Rotauw, qui cum oblatas à Dorstensohnio liberales conditiones aspernaretur, & locum sibi commissum virtute atque omni ope defendere niteretur, Dorstensohnius omni mora damnata cum toto exercitu urbem invadit. Ac

Invadit Glogoviam.

tanta vis oppugnantium fuit, ut uno atque eodem die caperetur. Cæsi præsidiarii prope omnes, & magna civium pars. Urbs ipsa hostilem in modum direpta est. Inde multæ aliæ minores urbes eundem casum subiere, atque ab ipsa prope Uratislaviæ mœnia via populantibus facta. Ita velificante undique fortuna cum nemo adhuc obsisteret ad subigendam porro Sueidniciam præmisso Coningsmarchio movit. Erat iis locis præsidio Franciscus Albertus Dux Lauenburgicus. Is cum septem fere millibus Cæsareanorum adventanti hostili exercitui, ut diximus, cum delecta manu præeuntem facile repulit ad suos, incensusque eo successu cum fugientem avidius persequeretur, incidit in Dorstensohnium, qui cum reliquis copiis haud procul tendebat. Ibi commisso acri prælio Dux à superantibus numero hostibus funditur, amisso peditatu, omnibusque fere impedimentis & signis militaribus. Atque ipse in manus victorum lethali vulnere saucius pervenit. Ex quo intra paucos dies Sueidniciæ, quo ad curam deportatus fuerat, mortem obiit. Ita Sueidnicia primo, dein Nassa Episcopi Uratislavienſis sedes ac tota propemodum Silesia à Dorstensohnio subacta est. Flexo inde in Moraviam itinere multa minora oppida, arcesque & Olomucium, quæ Moraviæ Metropolis est, alia vi, alia deditione expugnat, magna ubique præda potitus. Brinnam inde validis munitionibus firmatam, strenua quidem, sed irrita ad extremum obsidione tentavit. Porro omni Moravia Silesiaque hostiliter direptis, & firmo præsidio communitis, quæ conservare decreverat, in Saxoniam regreditur, Lipsiamque quæ Electoris Saxoniæ præsidio tenebatur cum omni exercitu circumsidet. Ea res excivit Cæsareanos. Igitur Archidux Leopoldus, & octavius Picolomineus Dux Amalphitanus, contractis quicquid ubique virium erat, Electori Saxoniæ in auxilium properant. De quorum adventu mox certior factus Dorstensohnius omissa Lipsia

Fundit Cæsarianos apud Sueidnitz.

Iterum apud Lipsiam.

adventantibus obviam procedit. Ita eodem prope loco, quo ante decennium Rex Gustavus cum Tillio conflixerat, acri prælio & pari fortuna inter infestas utrimque acies certatum est, Nam Cæsareani magna vi ac virtute coorti, cum aliquoties Suecos loco pepulissent, ad extremum victi ipsi & loco pulsi victoriam hostibus cessere. Equitatus magna pars fuga evasit. Pedites plerique cum magno numero impedimentorum, & tormentis quadraginta duobus omnique reliquo apparatu castrensi in potestatem hostium pervenere. Qua re ad votum perpetrata Dorstensohnius ad obsidionem Lipsiæ revertit. Quæ aliquot dein dies magna vi oppugnata, cum cæsis auxiliis nulla amplius spes liberationis esset, se in manus hostium tradidit. Cives præsidium Suedicum recipere, & direptionem urbis ingenti pecunia redimere coacti sunt. At Archidux Leopoldus, accepti incommodi culpam fugæ aliquorum imputans, in eos ad terrorem cæterorum gravitate delicti severe animadvertere constituit. Tenebatur eo crimine præcipue legio Joannis Georgii Madlonii quæ consistente adhuc acie, & reliquis gnaviter pugnantibus prima omnium propudiosa fuga prælio excesserat. Itaque hunc in modum de fugitivis supplicium sumptum est. Præsente Archiduce, Picolomineo, aliisque primariis exercitus Cæsarei ducibus, Rockezanæ in Bohemia ubi tum stativa erant, sex Legiones quæ rem strenue gesserant, in armis præsto esse jussæ sunt. Dein evocata Legio Madlonica, atque in medium à reliquis sex accepta. Mox à supremo rerum capitalium quæsitore, fugæ & destituti exercitus insimulata, ac graviter reprehensa est. Simul jussi omnes ex ea Legione arma ad pedes Piccolominei deponere. Signa à circumstantibus militibus fracta ac direpta sunt. Dein Quæsitor pauca præfatus cur Legionem illam ex albo Cæsarei exercitus deleri oporteret, hanc in inermes sententiam pronunciat. Turmarum quidem Ductores eorumque Vicarios pœna gladii; Signiferos vero & reliquos inferiorum Ordinum præfectos suspendio plectendos, atque ad eandem pœnam ex grægariis decimum quemque, antiquo more, sorte legendum. Postridie igitur de reis supplicium sumitur, Concessitque Archidux deprecantibus, ut commutato pœnæ modo, à suismet commilitonibus more militari sclopetorum jaculationibus confoderentur: uno alteroque conservatis qui rem alias præclare gesserant. Chiliarcha ipse Madlonius in custodiam datus, inspecta dein diligentius atque examinata causa, anni insequentis initio Pragæ capite plexus est. Ad hunc modum punitis sontibus, ac firmata disciplina militari ad restaurandum exercitum animum intendit, & mox ex agro Colonienſi Comites Hatzfeldium & Wahlium evocat. Atque id eo proclivius factum, quoniam Vinarienses quoque & Hassos (adversus quos illi tota æstate prope Sonsam castra locaverant) inopia commeatuum & pabuli trans Rhenum compulerat. Igitur Hatzfeldius recepto ex itinere Marcoduro mense Novembri festinatis itineribus in superiorem Germaniam contendit. 1642.

Hispanorum & Gallorum Gesta.

Eodem anno Galli in Catalaunia adjuti, rebellantium viribus cæsis haud procul Barcinone Hispanicis copiis Colibram vi cepere. Perpinianum valida ad amnem Thetim urbs sex fere mensium obsidionem fortissime sustinuit. Denique vi oppugnantium, sed magis penuria commeatuum ac fame ad deditionis necessitatem compulsa est. Perpiniani exitium Salsulas, propugnaculum ejus oræ adversus Gallos munitissimum, in eundem casum impulit. Ante triennium fere initio seditionis Catalaunicæ à Gallis interceptum & mox iterum amissum, nunc denuo victoribus cessit. Erat tum in provincia Narbonensi Galliæ Rex, (nam hæc adhuc ante mortem ejus acciderunt) quo Propor sua præsentia Gallis audaciam & virtutem, Catalauniis spem 1642.

spem atque animum injiceret. At in Flandria longe alia fortuna Gallos excepit. Nam Franciscus Melo post mortem Cardinalis Infantis Belgarum Gubernator cum viginti quinque millium instructissimo exercitu & triginta majoribus tormentis castra movens Atrebatum validam Artesiæ urbem circumsedit, omnibusque ad obsidionem expeditis, repente converso cursu Lendium invadit, atque inde Bassæam contendens, eam urbem post justæ oppugnationis infractum laborem in suam potestatem redigit. Inde cum toto exercitu in Picardiam movens, haud procul Castelleto oppido; quod est prope fontes Schaldis in Veromanduis exercitum Gallicanum in quo erant duodecim millia, justa acie profligat. Capta Gallorum duo millia ac totidem fere in acie cæsa. Ea clades Catalaunicæ victoriæ gaudium plurimum imminuit. Sed neque partes Hispanicas admodum juvit, dum Melo, omisso victoriarum cursu, regredi & vires exercitus ad observandos Mosæ transitus, prohibendosque inde Vinarienses per agrum Colonienſem dominantes opponere cogitur.

Varia. Sub idem tempus Varsaviæ in Polonia Philippus Wilhelmus Palatinus Neoburgicus, Juliæ, Cliviæ ac Montium Dux in magno Procerum Poloniæ concursu, ac Rege ipso Vladislao præsente, Annam Catharinam Regis sororem in matrimonium accepit. Stocholmiæ in Suecia, Christina Regis Gustavi Adolphi filia solenni ritu Regina Sueciæ coronata est. In Anglia gliscentibus porro inter regem & Parlamentum discordiis res paulatim ad apertum bellum processit, & Rex non minus quam Parlamentarii, corrasa unde poterat pecunia, se omni modo ad arma ac vim comparare incipiunt. Sed Regis multo erat deterior conditio. Nam præter paucos Catholicos, qui tamen arctissime habebantur, nemo fere Regiis actionibus favebat. Plebs ipsa Londinensis ersi ingenio nationis insolentissima, tamen à Parlamentariis adversus Regem incitabatur, unde ejus authoritas quotidie imminuta, & tantum non extincta est. Contra Parlamentarii præcipua Regni vectigalia ad se trahebant, mandabantque Classium ac portuum præfectis ne deinceps dicto Regis sed decreto Parlamenti audientes essent, utque hæc omnia securius exequerentur, adscripserunt ad sui custodiam, more regio, satellitium armatum, cujus rei nullum ex antiquitate exemplum habebant. Denique cum Rex his de causis Londino excessisset, ubi amplius commorari salva majestate non poterat, neque ullis Parlamenti precibus ut reverteretur induci posset, crevit simultas. Quæ dein auctis suspicionibus multo magis invaluit, quod Rex filiam suam primogenitam Mariam Wilhelmo Principi Orangio, Henrici Friderici filio, annorum fere septendecim in matrimonium daret, quæ hoc demum anno à Regina Matre in Hollandiam deducta est. Id enim matrimonium Parlamentarii eo solum spectare arbitrabantur, ut Rex externa auxilia ad se in ordinem redigendos conquireret. Quare & ipsi arma sumpserunt, adjunctoque sibi per publicum decretum antiquo Reipublicæ milite, novos delectus faciunt, iisque cum summo Imperio Comitem Essexiæ præficiunt. Qua in re cum non omnes ut fit inter se consentirent, quidam etiam non probarent in tam manifesta & extrema discrimina Rempublicam præcipitari, multi è Senatu Regio, nonnullæ etiam civitates atque oppida apertiore studio ad partes Regias transeunt. Unde Parlamentarii maxime qui Puritanæ sectæ erant, quo societatem suam firmius constabilirent, anno insequente, palam in Templo S. Margarethæ, præmissa concione exhortatoria in fœdus Scoticum conjurant. Tum amoti omnes è curia ac sessione Parlamentaria qui jurare recusabant, quique aut causæ Regiæ, aut Religioni Catholicæ favere existimabantur. Quibusdam etiam munera publica abrogata. Alii qui partes

Piasec. pag. 625.

1642.

1642. *Res Anglicanæ.*

tes

tes Regias liberius defendebant cuſtodiis traditi. Epiſcopi omnes poteſtate atque authoritate exuti, juſſique eo deinceps titulo abſtinere, neque interea legationibus variorum Principum pro reconciliatione nitentium, quicquam effectum. Propterea quod authores tumultuum, præcipuè Comes Eſſexius à Rege crimine Majeſtatis poſtulati, deſperata venia omnem ſecuritatem ſuam in continuanda defectione reponerent. Jam enim cœptum eſſe facinus, quod laudari non poſſet, niſi perfectum, neque perfici poſſet, niſi unius partis exitio. Sic enim exiſtimabant nullam poſſe eſſe tantam Regis patientiam, qui non priori poteſtati reſtitutus, reſumeret aliquando iras, & ſe data commoditate cum magno eorum malo ulciſceretur. Ita ad apertum bellum atque arma ventum eſt.

1642. *Præliminaria pacificationis Germanicæ.*

Inter hæc tandem aliquando quod multos jam annos Lubecæ atque Hamburgi tractatum fuerat, de pacificationis Germanicæ loco & modo conventum eſt, præſtititque ea in re utilem operam toti Germaniæ Rex Daniæ, qui extra bellantium partes poſitus, ut aliquando ad compoſitionem veniretur enixe laboravit. Ita igitur Hamburgi inter Conradum Luzovium Cæſaris, Claudium Memmium Regis Galliæ, & Joannem Salvium Reginæ Sueciæ Legatos res eſt compoſita. Principio placuit ut urbes ad hunc conventum Oſnabruga & Monaſterium in Weſtphalia deſignarentur. Quæ interea neutrarum aut mediarum partium erunt, & deducto omni externo præſidio, proprio milite aut per cives ſuos ſtationes & cuſtodias obibunt; Legatos quarumcumque partium, eorumque res & bona fideliter tuebuntur, atque ea de re fidem & cautionem ſcripto præſtabunt, Ac ſi quid ab iis pro bono publico poſtulatum fuerit, id prius non exequentur quam collegio Legatorum indicatum fuerit. Oſnabruga retinebit jura ac privilegia ſua. Et ubique inſtituta tractatio pro una atque eadem habebitur. Via & itinera inter utramque urbem pro commodo ultro citroque commeantium ſecura reddentur. Et ſi quis locus intra dictas urbes medius pro privato congreſſu aut communicandis conſiliis placuerit, is eadem ſecuritate, iiſdemque immunitatibus gaudebit. Literæ, annona, aliaque huic conventui neceſſaria tuto hinc & inde ſine cujuſquam damno aut injuria perferentur. Denique ſi quod Deus prohibeat, inſtituta pacis tractatio ſine ullo fructu diſſipetur, Oſnabruga & Monaſterium in illum ſtatum, in quo nunc ſunt, reſtituentur. Ita tamen ut poſt diſſolutum conventum, adhuc per ſex ſeptimanas proxime ſequentes beneficio neutralitatis gaudeant. Securitas commeatuum pro Legatis Regum & Principum ad hunc conventum obeundum intra bimeſtre utrimque expedietur & dabitur. Et ne extraditio eorundem commeatuum propter longinquitatem locorum deſideratæ tractationi moram ponat, ea per Legatos Regis Daniæ, ad eam formulam quæ jam præſcripta eſt, expedietur. Et ex parte quidem Cæſaris dabitur liber commeatus pro Legatis Reginæ Sueciæ, pro Oratore Gallico, pro domo Palatina, Brunſvicenſi, Lunæburgica, Haſſo, Caſſelana, ac denique pro omnibus Statibus Imperii Regno Sueciæ confœderatis; viciſſim Regina Sueciæ dabit commeatum pro Legatis Cæſaris, Electorumque Moguntini & Brandeburgici, Rex Galliæ pro Legatis Cæſaris & Regis Hiſpaniæ eorumque fœderatis, pro Legatis Electoris Colonienſis, & Electoris Bavariæ, viciſſim Cæſar & Rex Hiſpaniarum dabunt ſecurum commeatum pro Legatis Regis Galliarum, pro Oratore Suedico, pro Legatis Sabaudiæ, Electoris Trevirenſis, Ordinum fœderatorum Belgii, Caroli Ludovici Comitis Palatini, ejuſque fratrum. Ducum Brunſvicenſium, Ameliæ Eliſabethæ Landgraviæ Haſſiæ, & denique pro omnibus Ordinibus Imperii Regno Galliæ confœderatis. Poſt hæc dies inchoando conventui inſtitutus

1641. 15/25 *Dec.*

1642.

institutus est vigesimus quintus Martii anni quadragesimi secundi; qui tamen deinde ob intervalli brevitatem aliaque impedimenta subinde enascentia in undecimum Julii anni quadragesimi tertii commutatus est.

1643. *Res Suedica.* Interea Stocholmiæ in publico Procerum Sueciæ conventu, de promovendo porro bello Germanico, & in quas conditiones pax ineunda esset, deliberabatur. Renovatum ibi fœdus cum Regno Galliæ, conventumque ut Sueci Westphaliam Saxoniamque & proprias Cæsaris provincias; Galli tractum Rheni, & annexas illi Regiones bello impeterent. Urgendum ut Germania in illum statum, quo ante bellum Bohemicum anno 1618, fuerat, reponeretur. Provincias ac civitates, arcesque, quas quisque occuparet, ad belli finem posslideret. Cum Cæsare ejusque sociis nulla pax aut conventio, nisi ex consensu utriusque partis iniretur. Regina Sueciæ triginta peditum & sex equitum millia, totidem Regina Galliæ durante bello in Germania aleret. Adhæc Regina Galliæ præter ducenta Imperialium millia quæ ex anno 1633, adhuc debebat, singulis deinceps annis quadraginta millia persolveret. Denique si alterutram partem bello impeti accideret, mutuo sibi auxilio ad decennium adessent. Atque interim bellum strenue progrediebatur, nam Dorstensohnius post cæsos anno superiore apud Lipsiam Cæsareanos, & tentatam frustra obsidione Fribergam, metuens iis quæ in Silesia atque Moravia occupaverat locis, iterum eo iter atque exercitum hibernis Saxonicis recreatum convertit. Statim adventu ipsius depulsi Olomucio Cæsareani. Et ille receptis ad se veteribus præsidiariis, novos recentesque imposuit: commeatu præterea, & omnibus ad vim sustinendam necessariis confirmat. Inde magna ubique præda potitus in Silesiam recessit, atque ad id ipsa Vratislaviæ suburbia movens, ea expilat incenditque, propterea quod cives commeatum & pecuniam pro exercitu postulanti negaverant. Porro Coningsmarchius in Saxonia à Dorstensohnio relictus, Halberstadium & alia loca ibidem, pulsis Saxonicis Cæsareisque, in potestatem suam redigit. Inde transmisso Albi generalem vigiliarum præfectum Cracovium, quem Gallasius (cui iterum summam rei militaris Cæsar imposuit) in Pomeraniam distrahendis hostium viribus emiserat, collatis contra castris profligatum ex Pomerania abigit: Recuperatis Camino aliisque locis quæ Cæsareani haud magno præsidio custodita, primo adventu facile interceperant.

Interim Vinarienses duce Comite Gebriano, relicto, ut supra diximus, agro Colonienſi, cum brevibus hibernis copias refeciſſent, per saltum Thuringensem in Franconiam infesti irrumpunt, occupatisque ibidem locis immunitis, & magna præda asportata, in agrum Wurtenbergicum, & Marchionatum Badensem effusi, novo ex Gallia supplemento, quod Dux Anguiensis adduxerat, confirmantur. Porro nihil ab iis tota æstate memorabile peractum, nisi quod levibus velitationibus, inter ipsos Bavaricosque, variante interdum, ut fit, fortuna, certatum. Sed mense Novembri Comes Gebrianus Rotweilam obsidere aggressus, dum dirigendis in urbem tormentis post corbes vimineos assistit, minori machina (quas falconettas vocant) petitus, brachium amittit. Quo ex vulnere post paucos dies in capto oppido victor vivere desiit. Mortem ducis inopinata exercitus clades secuta est. Etenim capta Rotweila dum hostium securi in propinqua oppida Legiones distribuunt, repente supervenientibus Cæsareanis Bavaricisque & Lotharingicis copiis, quæ se summo silentio, & magna celeritate conjunxerant, sine ullo prælio oppressi atque intercepti sunt. Dutlingæ juxta Danubium primaria erat statio Vinarienſium. Haud procul inde tormenta & bellicum omne instrumentum deposuerant, appositis qui præsidio essent. His omnibus exploratis Cæsareani

Gesta Vinarienſium.

Comitis Gebriani mors.

1643.

præmisso Joanne Verdano, Dutlingam cum maxima exercitus parte subito circumveniunt, tanto silentio, atque hostium ignoratione, ut jam cum omnibus copiis ante urbem consisterent, priusquam de adventu eorum hostes quicquam resciviſſent. Pars exercitus Danubium vado transgressa, (nam Dutlinga haud multum abest à fontibus Danubii) occurrentem cum aliquot Legionibus Rosam, qui hostium adventum ex propinqua statione audiverat, primo impetu absterret, atque in fugam conjicit. Ita facile potiti Dutlinga, reliquas hostium stationes, ut inter se composuerant, aggressi, divisos ad deditionem compellunt. Pauci cum Rosa supremo Equitum Præfecto fuga evasêre. Reliqui omnes summi infirmique, ad hæc pecuniæ & apparatus bellici magna vis, sine ullo sanguine in potestatem victorum pervenêre. Rotweila dein paulo ante à Vinariensibus capta, per Mercium Bavaricum Ducem recuperata est.

Clades Vinarienſium.

Res Belgicæ inter Gall. & Hisp.

Cæterum in Belgio duplici clade hic annus infaustus Hispanis extitit. Rocroam cum valido exercitu obsidebat Franciscus Melo, jamque obsessos ad extrema perduxerat, adeo ut deditio in singulas horas expectaretur. Cum ecce Ludovicus Dux Anguiensis, necessitatis suorum admonitus, contractis omnibus copiis laboranti oppido in auxilium occurrit. Inclinante jam in vesperam die in conspectum amicæ urbis atque hostilium castrorum venit. Quanquam autem nox immineret, exercitusque ab itinere fessus esset, tamen liberandæ urbis cupidine castra Hispanica aggreditur. Sed immodica cupiditas gravi clade expiata est. Repulsus igitur modicum ocium curandis corporibus concessit. Postridie vix dum albescente aurora, confirmatis copiis multo majore impetu Hispanos aggreditur. Neque tunc audentem fortuna destituit. Fusi fugatique Hispani memorabili clade. Comes Fontanus oblatam ab hostibus vitæ gratiam constanter repudians cladi suæ immori maluit. Comes Joannes Ritbergicus septem vulneribus saucius in potestatem hostium pervenit. Capta impedimenta, & militare instrumentum omne. Equitatus maxima pars cum Duce Albuquercio, qui iis præerat, maturata fuga insequentes evasit. Hac victoria potitus Anguiensis Theonis villam in agro Lucemburgensi munitissimum oppidum cum victrice exercitu circumsedit, & secundo postquam obsederat mense, magna suorum strage ad deditionem compellit. Sexcenti præsidiarii qui ex mille & quadringentis superfuerant liberi Lucemburgum dimissi sunt. Anguiensis quinque Legiones Gallorum, & quatuor centurias Helvetiorum præsidio imposuit.

Clades Hisp. ad Rocroam.

Paulo ante quam hæc in Belgio gererentur, novum repente bellum exortum est in Italia, inter Pontificem Urbanum VIII, & Odoardum Farnesium Ducem Parmensem. Ejus hoc initium fuit. Parmensis Ducatum Castri quem à sede Apostolica jure fiduciario obtinet, multo ære alieno contra leges fiduciæ suæ obligaverat. Id improbavit Pontifex, mandavitque Parmensi ut ditionem illam omni debito liberaret. Quod cum hic negligeret, Pontifex ditionem Castri, aliasque possessiones ejusdem Ducis quæ Romæ in Potestate Pontificis erant, æstimari, atque ex iis æs alienum exsolvi jubet, Hanc injuriam uti censebat Parmensis, armis ulcisci statuit. Itaque composito fœdere cum nonnullis Italiæ Principibus, cum infesto exercitu ditiones pontificias ingressus bellum molitur, quod multis ultro citroque cladibus biennio fere gestum, paulò ante mortem Pontificis componitur. Parmensii Ducatus Castri quæque alia edicto Pontificio ablata fuerant, reddita.

1643. *Bellum Parmenſe.*

Anno insequente quadragesimo quarto, moritur Pontifex Urbanus VIII, mense Julio, Pontificatus sui anno primo supra vigesimum, ætatis septuagesimo septimo, Vir omni literarum genere, & humaniorum maxime artium exculti-

1644. *Mors Urbani VIII. Pont.*

tissimus. Vacavit sedes dies quadraginta octo, intra quos Joannes Baptista Cardinalis Pamphilius, Romanus, suffragiis Cardinalium sublatus Innocentii X. nomen accepit. Is summis antea muneribus, & diversis in Hispaniam Legationibus egregie perfunctus, etiamnum Ecclesiæ Catholicæ summa cum laude, & longo omnium desiderio præsidet.

Bellum Sueco-Danicum.

Sub finem anni superioris Suedici exercitus Dux Leonardus Dorstensohnius nihil minus exspectantibus Danis, neque denunciato ante bello. repente conversis è Germania armis in Daniam irrupit, adeo festinatis itineribus, ut intervallo quindecim dierum è Marchia Brandeburgica in Holsatiam cum maxima parte exercitus movens centum fere milliaria germanicà conficeret. Itaque Kyla primum ad maris Balthici aditum, dein Christianopolis, Flensburgum, Itzehoa, Bredenburgum, aliæque in eo tractu urbes, vi, dolo, aut deditione, uno velut impetu interceptæ atque occupatæ. Causæ tam repentinæ irruptionis jactabantur, quod Rex Daniæ octo naves Suedicas fretum Selandicum transeuntes attinuisset. Quodque cum Duce Moscorum Michaële Frederovicio iniisset societatem regno Sueciæ invisam semper suspectamque, misso ad hoc in Moscoviam filio Voldamaro, qui novo fœderi stabiliendo Ducis illius filiam in Matrimonium acciperet. Præterea quod magnam pecuniæ summam numerasset Cracovio Chiliarchæ Cæsareo, cum qua Cracovius superiore anno conscriptis militibus omnem Pomeraniam tum præsidio Suedico vacuam, diu infestam impune habuisset. Additæ causæ nonnullæ, quibus Sueci Regem Daniæ Cæsareanis partibus studere, & multa in sui perniciem occultis machinationibus moliri crederent. 1644. Cæterum quicquid id sit, Rex inopinato hostium adventu turbatus, mox Legatos suos Monasterium promovendæ pacis Germanicæ missos, revocat. Inde communire se, & scribere milites, atque omni ope ad vim hostium prohibendam comparare instituit. Sed jam Dorstensohnius in Jutlandiam penetraverat, cæsis mille & quingentis Danicis militibus, qui illi apud Coldingam temere occurrerant. Inde ut Danicæ vires distraherentur Gustavus Hornius cum alio octo millium exercitu Scaniam è Suecia ingressus Elsinburgum, Coronam, Lundonum, Christianopolim, summa vi expugnat, ac totam facile Scaniam in potestatem redigit. Neque terra tantum sed mari etiam & classibus res agebatur. In quo etsi Dani maximas vires conferrent & Rex ipse classi suæ magna æstatis parte adesset, summaque cura & consilio omni administraret, tamen Succi prosperiore fere fortuna utebantur expugnataque & spoliata insula Bornholmia, ad extremum classem Danicam apud Femeram insulam nacti, magno Danorum damno quod ad duodecies centena Imperialium millia æstimatum est, cædunt ac toto mari profligant. Ita æstas inter oppugnantes defendentesque varia fortuna & multis cladibus extracta est, magno Suedici exercitus incremento, qui se in prædivite patria, & rerum omnium affluentissima, rebus ad militiam sustentandam necessariis abunde instruxere. Cæterum bellum impetu ceptum pari celeritate desiit. Anno insequenti, Electoris Brandeburgici, & Hollandinorum Ordinum cura, pax restituta est.

Gesta Cæsareanorum, & bellum Transylvanicum.

Flagrante bello in Dania Cæsari ocium fuit recuperandi sua per Moraviam Silesiamque, quæ Dorstensohnius superiore anno occupaverat. Et cæteræ quidem urbes quia minores facilius receptæ sunt. Olomucium & Gloggovia quia valido præsidio communita erant ad reditum Dorstensohnii obsidionem toleravere. Sed Cæsarem, ne omnes in unam rem vires conferret novus repente hostis ad distrahendos exercitus compulit. Is 1641. erat Georgius Ragotius Transylvaniæ Princeps haud dubie à corona Sueciæ concitatus, ut illi eo liberius contra

Danum bellum gererent. Sed causas Ragotsius præferebat, libertatem Ungariæ violatam, quodque Cæsar multa contra pacta & conventa superiorum temporum immutaret. Itaque cum exercitu septuaginta millium in Ungariam progressus Cassoviam & alia nonnulla loca invadit. Ejus impetum Comes Bucheimius cum parte Cæsarei exercitus, & firma manu Ungarorum dimissus, etsi numero multo inferior, tamen diu egregie sustinuit. Adeoque anno insequente ad pacem compulit, quam eo proclivius Cæsar accepit, quo majore cura viribusque bello Suedico insisteret. Etenim Dorstenſohnius nondum perfecta Danica pace, at valido prius præsidio communitis, quæ in Holsatia & Jutlandia occupaverat locis, improviso erumpens, Gallasium qui in confinibus Holsatiæ castra fixerat, invadit pellitque. Inde Magdeburgum usque fugientem, obtrito fere omni peditatu, & magna parte impedimentorum capra insequitur. Ibi Gallasius aliquamdiu circumsessus; relicto illic valido præsidio, depositisque tormentis & reliqua parte impedimentorum, cum eo qui supererat equitatu, & paucis peditibus ægre in Bohemiam evasit.

Externa. In Hispania diem extremum obiit Isabella Regina Hispaniarum, Henrici IV. Regis Galliarum filia, anno ætatis quadragesimo secundo. Sed & in Lithuania Vilnæ Cæcilia Renata Regina Poloniæ ex partu obiit, mense Martio; hæc Ferdinandi III. Cæsaris soror erat, annorum fere trium supra triginta. Inde Rex Vladislaus ad Aloysiam Mariam Niverniæ in Gallia Ducem Caroli Gonzagæ, Mantuæ ac Niverniæ Ducis, filiam animum adjecit, quam sibi anno insequenti Parisiis matrimonio copulatam Venceslaus Lescinschius Episcopus Varmiensis, Caspar Dinoffius, & Christophorus Opaliiskius, hic Posnaniæ, ille Pomeraniæ Palatinus, cum magno Polonicæ & Gallicæ nobilitatis comitatu, per Galliam, Flandriam, Hollandiam, Westphaliamque & Pomeraniam Gedanum usque deduxere. Ubi à Fratre Regis Principe Carolo Ferdinando, Episcopo Vratislavienſe, triumphali apparatu excepta, & deinceps Varsaviam devecta est. Ibi mense Martio 1646. ceremoniæ matrimoniales curante Joanne de Torres, Archiepiscopo Andrinopolitano & Summi Pontificis Legato, repetitæ sunt. Sed jam ad annum quadragesimum quartum, unde nos Regia Poloniæ sponsa deduxit, revertamur. Initio ejus anni sub finem mensis Januarii, Stanislaus Conjecpolsius, supremus Dux Polonicæ militiæ, insignem victoriam adversus Tartaros Tauricanos reportavit. Hi enim, rati quod media hyeme, quæ iis in locis est asperrima, fines Poloniæ indiligentius custodirentur, quadraginta equitum millibus collectis apud Oczacoviam, ubi Boristhenes in Pontum effunditur, convenerunt, ut inde in ditiones Polonicas prædatum excurrerent. Qua re cognita per exploratores Conjecpolsius magna festinatione cohortes omnes, etsi multæ earum in remotioribus locis hibernarent, Vinniciam convenire jussit. Is locus est apud Hypanim fluvium qui mediam Podoliam interfluit, haud multum supra Braclaviam. Ibi cum certiora de adventu Tartarorum cognovisset, instructa acie ac peditatu intra carros ac vehicula, recepto, composito agmine versus Achmetoviam progreditur. Hunc muniendi modum Poloni *Tabor* vocant, alius non ita nuper carraginem latine expressit. Atque eo non in acie solum, sed etiam in progressu, hoste jam vicino uti consueverunt. Poloni enim aliæque iis vicinæ nationes cum in campis desertis plerumque bella gerant, magnum numerum curruum Impedimentorumque pro annona & victu aliisque rebus necessariis circumferunt. Hos currus aciei in modum instruunt Duces, atque ordinem in incedendo observare jubent, interque eos calones, lixas, omnemque inutilem turbam cum pedestribus copiis pro arbitrio disponunt, frontem vero ac latera machinis bellicis probe

1644.

1644.

probe communiunt. Quod ita apte ac dextre faciunt, ut non modo per patentes campos, sed per ipsa etiam oppida nihil perturbato ordine inter hanc curruleam aciem, velut continens ac perpetuum vallum secure ac tuto incedant. Ad hunc igitur modum instituto itinere Conjecpolsius, cum ex quotidianis exploratoribus cognovisset hostes quoque Achmetoviam petere, continuo expeditos nuncios dimittit, qui Jeremiam Ducem Visniovecensem inter Corsunum & Boguslaviam subsistentem, cum copiis accerserent, si erant stipendiarii Germani qui anno superiore trans Boristhenem sub imperio Visniovecii adversus 1644. incursiones Tartarorum excubaverant. Postquam ad Achmetoviam perventum est, hostes quoque apparuere. Conjecpolsio consilium erat hosti alias in fugam proclivi addere fiduciam ultro invadendi, ad eamque rem exercitus sui famam ipse imminuebat, contractis copiis quam arctissime poterat, suosque ipse duces pleroque ac milites adventum Visniovecii celaverat. Juvitque fortuna consilium ducis. Nam spissa ejus diei nebula ita cœlum caligine obtexerat, ut utriusque exercitus conspectus utrisque adimeretur. Sed nebula illa Polonos pene in miserabile discrimen projecit. Cum enim Visniovecius per illam caliginem cum subsidiariis adveniens in carriginem Polonicam incidisset, ratus hostilem aciem esse, haud multum obfuit, quin in suos commilitones impetum fecisset. Qui error hostibus tam propinquis haud dubie Polonos in exitium dedisset. Sed Deus avertit discrimen; nam nebula paulatim extenuata aperuit errorem. Tum metu in lætitiam converso statim conjunctis viribus hosti obviam itum est. At Tartari qui se magis ad prædas agendas quam pugnandum paraverant vix inito prælio terga verterunt. Maxima pars in fuga cæsi, non ab exercitu modo insequente, sed à Podolienſibus etiam ac Moldavis, ac demum apud Oczacoviam à Cosaccis Zaporavienſibus, quorum finibus proximi erant. Atque id extremum operum Martialium Conjecpolii fuit, qui biennio post inter Regiarum nuptiarum solemnia, magna apud suos militari gloria, & rerum gestarum fama inclytus vita excessit.

Per idem tempus Bavarici, cæsis ut supra diximus apud Durlingam Vinariensibus, Uberlingam post aliquot septimanarum obsidionem deditione capiunt. Inde Friburgum in Brisgoia eodem duce Francisco Mercio interceptum est. Cæterum hic, dum probe communitis castris considerent, magna Gallorum vi ac virtute oppugnantur. Nunquam alias majore pertinacia certatum. Dux Anguiensis, & Comes Turenius viginti duorum millium exercitum ad vindicandam cladem Durlingensem è Galliis adduxerunt. Itaque Anguiensis depellendi inde hostis percupidus, etsi loco iniquo, tamen numero superior, ac virtuti suorum fidens castra Bavarorum invadi jubet. Semel, atque iterum & tertio cum totius exercitus viribus tentata est oppugnatio, sed tanta semper Gallorum strage, ut nisi multitudine ac numero militum abundassent, haud dubie totius summæ discrimen hac præpropera ferocia sibi ipsis accersivissent. Sex fere millia Gallorum his insultibus ceciderunt, cum Bavarici non ultra mille & ducentos ex suis desideraverint. Bavaricos tamen inopia commeatuum & pabulationis locum relinquere coëgit. Galli lustrato confirmatoque exercitu Germersheimium, Wormutiam, Spiram, Moguntiam atque ipsum Philippiburgum, aliaque minora ad Rhenum loca intercipiunt. Maxima omnium jactura Philippiburgi fuit, arcis ad Rhenum munitissimæ, sed tum ad obsidionem tolerandam apparatu male instructæ. Pari fortuna sed majori detrimento Galli Duce Aurelianensi Gravelingam validam Flandriæ urbem post bimestrem obsidionem, Et Hispani in Catalonia Iserdam 1644. magnis viribus diu multumque oppugnatam recuperant.

1644. *Res Gallorum ac Bavarorum.*

Res Anglicanæ.

In Anglia idem annus Carolo Regi gravi clade infaustus extitit. Eboracum prævalidam urbem Parlamentarii ac Scoti obsederant; ei ut subveniret Rex, Rupertum Principem Palatinum cum triginta millibus auxilio submittit. Neque Parlamentarii detrectarunt certamen. Igitur quatuor ab urbe passuum millibus, Regiis obviam progressi, in certamen descendunt. Duabus ante noctem horis cœpta pugna, in diem posterum duravit, magna imprimis partium pertinacia, donec tandem profligati Regii locum hostibus cessere. Peditum plerique cæsi aut capti. Tormenta, machinæ atque omne bellicum instrumentum in potestatem vincentium pervenit. Neque Eboracum vim obsidionis ultra sustinuit. Rex cum Principe Ruperto filiisque & magna parte Equitum salvus Oxoniam evasit. Sed neque ibi securum fatis perfugium habuit, uti deinceps commemorabitur. Interea Parlamentum Londinense de capite Wilhelmi Laudi Archiepiscopi Cantuariensis inquirebat. Ejus accusationis capita præcipua fuerunt, quod Regi præsentis belli author fuisse crederetur, vimque & authoriratem legum publicarum oppressa Parlamenti potestate convelleret. Tum quod in rem Catholicam æquior cum ministris aulæ Romanæ consilia conferret, & sub specie rituum & ceremoniarum, Romanæ Ecclesiæ doctrinam jam pridem in Anglia damnatam inducere allaboraret. His aliisque de causis maxime quoniam Parlamenti contra Regem consilia non probabat, sententia Judicum ad mortem condemnatus, & palam in foro Londinensi securi percussus est. Cum ipso omne deinceps nomen Episcoporum in Anglia periit.

1645.

1645. *Elect. Trever. restituitur.*

In Germania sub id tempus (1645.) Philippus Christophorus Elector Trevirensis ex decenni apud Cæsarem captivitate, urgentibus Gallicis & Suedicis Legatis qui jam ad tractandam pacem Monasterium atque Osnabrugam convenerant, liber dimittitur: Treviris cedentibus Hispanis Electori restituta est. Secutum exin inter Electorem & Metropolitani Collegii Canonicos graves dissidium. In quod adeo exarsit Elector; ut Canonicos pene omnes urbe pulsos, dignitatibus & præbendis festinata sententia privare niteretur. Sed illi implorato Pontifice ac Cæsare innocentiam suam egregie tutati sunt, ac deinceps paulo ante quam hæc scriberemus in gratiam cum Principe rediere.

Suecorum in Imperio progressus.

At vero Dorstensohnius sub finem anni superioris ex Dania, relicto ibi Vrangelio in Imperium revertens, ut supra diximus, postquam Cæsareanum exercitum duce Matthia Gallasio Magdeburgum primo, ac dein in Bohemia compulisset, obtrito fere aut dissipato omni peditatu, eo intendit, ut rursum in Silesiam, Moraviamque atque adeo ipsam si liceret Austriam perrumperet, liberaretque imprimis Olomucium Metropolim Moraviæ, quam Comes Wallensteinius gravi obsidione jam diu premebat. Igitur Cæsar cum fratre Leopoldo, ac tota aula Pragam profectus, ut eo vicinior exercitibus esset, omnes copias in Bohemiam convenire jubet. Iisque Comitem Melchiorem Hatzfeldium cum imperio imponit. Accessere ab Electore Bavariæ Legiones aliquot sub ductu Reuschenbergii & Verdani. Ità ergo recensito ac confirmato exercitu duci in hostem, ac prælio cum iis experiri Cæsar mandat. Jam Sueci Bohemiam per Circulum Satzensem intraverant, atque haud procul Janckovio, qui vicus distat Tabore tribus fere passuum millibus, consistebant. Hatzfeldius relictis impedimentis partim Tabore, partim Budovitii cum omnibus copiis jussu Cæsaris obviam hosti progreditur. Neque Dorstensohnius abnuit certamen etsi æger ex Podagra, ita ut lectica circumferri per aciem debuerit. Mense igitur Februario acerrimo prælio concursum est. Gotzius qui primam aciem Cæsareanorum ducebat, in ipsa aggressione fortissime dimicans cecidit.

1645.

dit. Neque tamen commilitonum animos conterruit, quo minus strenue pugnaretur. Cæterum inclinante post meridiem sole, cum paulo post ortum ejus prælium cœpisset, ac toto die magnis animis viribusque gereretur, tandem Cæsareanos fortuna distituit. Fusi fugatique magna strage, victoriam Suecicis cessere. Hatzfeldius una cum primoribus tribunorum & maxima parte peditatus, in potestatem victorum pervenit. Capta è gregariis fere quatuor millia, cum tormentis viginti sex, & apparatu militari universo, Verdanus & Reuschenbergius, re desperata, cum majore equitum parte fuga se eripuêre. Et Cæsar audita clade, statim Praga, itinere Ratisponensi Viennam concessit; ut inde repararet exercitum, irruentemque ulterius hostem transitu Danubii prohiberet. Dorstensohnius tam insigni victoria potitus, neque segniter usus, transcursa raptim Moravia Iglaviam primo, dein Cremsium & Steinam aliaque Moraviæ loca nemine jam resistente facile in potestatem redigit. Olomucium quod Comes Wallensteinius jam diu obsederat, fama adventus sui liberat. Inde Brinnam munitissimum totius Moraviæ propugnaculum, quodque unicum iis in partibus restabat, cum toto exercitu aggreditur. Longa illic difficilisque obsidio, atque ad extremum irrita fuit. Ac satis constat plus ibi militum, quam si justa acie depugnatum foret, Dorstensohnio periisse. Interea Cæsari spacium datum reparandi vires, colligendique & conscribendi novum exercitum, quem hosti opponeret.

Bavarici cadunt Gallos. Hanc Cæsareanorum à Suecis acceptam cladem Bavarici in Gallos Vinarienses egregie vindicaverant, si tam continuare victorias quam vincere ipsis facile fuisset. Cum enim Vinarienses ductore Turenio Halam in Suevorum deditione cepissent, atque inde mense Aprili in Franconiam progressi Mergentheimium, Rotlingam, aliaque ad Tubarum loca dispersis hinc inde legionibus uno tempore simul circumsiderent, Mercius Bavaricarum copiarum dux divisos aggredi constituit. Apud Feuchtwangam ille consistebat, quo cum omnes copias convenire jussisset, tertia Maii motis castris summo silentio in hostem duxit; eumque apud Mergentheimium deprehensum improvisus adoritur. Galli quamquam inopinato adventu consternati, tamen primum impetum Bavaricorum egregie excipiunt, atque aliquantum magna virtute sustentant; adeo ut victoria ad eorum partes inclinare videretur, pulso jam ac paulatim recedente 1645. dextro cornu Bavaricorum. At iis Joannes Verdanus, & Tribunus Kolbius cum turmis aliquot equitum subsidio venientes aciem restituere. Tunc versa est fortuna. Vinarienses aggredientium viribus haud amplius pares se in fugam conjiciunt. Capti primarii ordinum Præfecti Smidbergius & Rosa qui nuper in clade Dutlingensi idem captivitatis periculum capta in tempore fuga anteverterat, præterea Vice Comes Motta, cum gregariis fere mille & quinquaginta, omnibusque Impedimentis, & apparatu bellico universo. Murenius cum reliquiis profligati exercitus in Hassiam elapsus, additis ad se Coningsmarckio & Dubadelio Hassicisque copiis brevi ad majorem Bavaris numerum exercitum refecit. Sed Coningsmarckio non multo post in Saxoniam revocato, Dux Anguiensis cum novo è Gallia supplemento subcessit. Is occupata subito Wimpsena, ac toto fere tractu Montano in potestatem redacto, ei cœpit intendere, ut acceptam paulo ante cladem commisso prælio Bavaricis referret. Illis quoque interea è Circulo Westphalico quatuor millia & quingenta Comes Gelehnius auxilio adduxerat. Itaque apud pagum Allersheimium mense Julio facta pugnandi potestate, atrox & cruentum prælium committitur, cum uterque exercitus, alter alterius dextrum cornu in fugam ageret. Sed cum Mercius Bavaricorum Dux prima aggressione cecidisset, Berg-strasz. *Iterum caduntur à Gallis.*

et, eorum quoque acies paulatim inclinari cœpit. Qua re animadversa Anguiensis cohortatus suos nova totius exercitus aggressione, tandem in fugam
1645. impulit. Ibi Comes Gelehnius cum fortissime dimicans diutissime in acie perstitisset, cum præcipuis tribunorum capitur. Neque incruenta Gallis victoria fuit. Dux Anguiensis duobus vulneribus in brachio ac femore saucius, tres insuper equos quibus insederat, amisit. Reliquorum fere cæsorum numerum æquavit fortuna in utroque exercitu. Sed Mercii mors ob claritudinem facinorum & militarem gloriam à Bavaricis maxime deplorata est. Anguiensis interea occupata Nordlinga, dein Dinkelspula, cum Heilbronnam quoque dies aliquot frustra tentasset, exercitum reficiendis viribus in hiberna reduxit. Ejus discessu Bavarici Wimpsenam atque alia nonnulla loca recuperant.

Res Gallorum contra Hisp. Eodem anno in Catalonia Comes Arcourtius à Rege Galliæ Prorex Cataloniæ constitutus, occupata Rosa insigni portu apud mare Gallicum, mox conversō cursu Sicorim fluvium, cum omnibus copiis in conspectu Hispanorum transgreditur, Inde commisso cruento prælio, magna clade Hispanos profligat. Captus Marchio Mortara Dux veteranus, & ducenti ordinum Ductores, plerique omnes ex primaria Hispanorum nobilitate. Andreas Cantelmo cum magna Equitum parte Balaguerium, quod eidem Sicori assidet profugiens, ab Arcourtio obsidetur. Captoque dein oppido tria Hispanorum millia Fonterabiam deducta. In Lotharingia, Motta, præcipua ejus ditionis arx post quinque mensium obsidionem Gallis cessit. In Flandria Dux Aurelianensis cum viginti sex millium exercitu Mardicum cepit, frustra se ad mœnia Dunquerchæ objiciente Piccolomineo. Cæterum Mardicum tan-
1645. to apparatu à Gallis captum, Hispani haud multo post per insidias recepêre, amisso interim à tergo Hulsto oppido ab Hollandis intercepto.

Per idem tempus Michaël Fedorovi- *Varia.*
cius magnus Moscorum Dux, quem illi *Czar* vocant, repentino morbo, incertum an veneno, extinctus est. Successit eidem filius ipsius Alexius Michalovitius, qui mox Comitem Voldamarum, quem pater ejus biennio prope attinuerat, cum honore ac donis libertati pristinæ restitutum dimittit. Atque ita spes omnis Matrimonii ejus evanuit, ea de causa maximè quod Comes Voldamarus ritus Moscorum græcos amplecti, & liberos ex hoc matrimonio natos ad Religionis illius institutum educari nollet. Eodem anno inter Danos Suecosque & Hollandos pax in has conditiones constituta est. Primum ut Rex Daniæ Suedicis Navigiis tam mercatoriis quam militaribus liberum transitum concederet per fretum Danicum, & Balthicum mare, sine ullo portorio atque incommodo transeuntium, eoque privilegio omnes Suedicæ provinciæ gauderent, Finlandia, Estia, Carelia, Ingria, Livonia, Pomerania dein & Vismaria, atque ea libertas è mari Balthico in Albim usque fluvium extenderetur. Privilegia & libertates negotiandi Danorum in Suecia, & Suecorum in Dania, uti ante bellum fuissent, sarta tecta conservarentur. Deinde ut omnia per bellum ablata restituerentur, & Archiepiscopatus Bremensis in manibus ac potestate Suecorum permaneat. Cum Hollandis pactum ut mutua negociatio inter Provincias Fœderatas Belgii & Regnum Daniæ continue- 1645.
tur, ut nulla portoria aut vectigalia intra spacium quadraginta annorum augeantur. Ne ullæ naves visitentur, sed exhibitis legitimis commeatuum literis ejus emporii aut portus ex quo profectæ sunt; ac depenso consueto portorio liberæ deinceps dimittantur, in quemcunque etiam portum pervenerint. Neque ullæ merces qualescunque eæ etiam sint, fretum Danicum transire prohibeantur. Quoniam vero exportatio trabium quernarum è Regno Norvegiæ interdicta est, si quis contra feciſe deprehensus fuerit,

rit, non ultra duplum pretii, quo eas trabes coëmerat, multabitur; Rex nullas naves Belgicas attinebit, nedum iis pro suo commodo utetur, etiam Domino navis consentiente, multo minus nolente Domino, quocunque etiam titulo educet è navibus vectores, operas, tormenta, aut quemcunque apparatum militarem, vel alias qualescunque merces, sed omnes & singulos libere transire ac redire permittet. His ergo conditionibus mutuo consensu probatis confirmatisque, negociatio earum partium renovata est. Interim Elector Saxoniæ cum Dorstenshonio semestres primum, ac dein longiores inducias armorum composuit, eo pacto ne quid contra fidem Cæsari atque Imperio datam admittere cogeretur, utque in militiam Cæsaream tres equestres Legiones è proprio suo exercitu transcriberet; Sueci contra in ditiones Electoris nihil deinceps hostile molirentur, atque ex omnibus locis occupatis, præterquam Lipsiâ decederent.

1645. *Bellum Venetum cum Turcis, Piasec. pag. 604.*

Grave exin bellum Venetæ Reipublicæ & Ordini Melitensi cum Turcarum Imperatore exortum est. Cum enim ante annos paucos Turcis in bellum Persicum aversis Marinus Capello classis Venetæ præfectus repurgando mari Adriatico Jonioque Piratas aliquot Turcicos in portum Apolloniæ, qui litoribus Macedoniæ objacet, estque in ditione Turcarum, persecutus fuisset, in eoque naves illas piraticas & nonnullas etiam mercatorias atque onerarias deprimeret aut exureret, capta magna præda hominum rerumque; Turcarum Imperator Amurathes hanc ad se injuriam pertinere arbitratus, vindicare illam omnibus viribus constituit. Idque illi eo facilius erat quod expugnato Babylone, & compulso ad pacem Persarum Rege glorioſe Constantinopolim revertebatur. Qua re intellecta Veneti primam Turcarum iram pecunia & muneribus placarunt. Sed gliscentibus subinde odiis suspicionibusque hoc demum anno bellum exortum est. Atque ut magis improvisus accederet, Melitam Insulam peti simulabat Turca; quoniam paulo ante Melitenses navigium Turcicum, quo una ex uxoribus Imperatoris Turcarum cum filio parvulo vehebatur, interceperant; captis omnibus vectoribus, atque in servitutem datis. Igitur magnam classem apud littora Græciæ instrui ac convenire jubet, custodito insuper Oratore Veneto, qui Constantinopoli degebat, ne nova consilia emanarent. Melitenses quoque publico edicto omnes sui Ordinis equites per universam Europam convocant, ad commune periculum propulsandum. His rebus ita constitutis, ambigentibus cunctis quorsum tandem tempestas Turcica erumperet, repente illi Cretam Insulam, quæ Venetorum ditionis est, aggrediuntur. 1645. Expugnatoque propugnaculo S. Theodori, quod est ad borealem Insulæ plagam, Caneam portu & munitionibus celebre oppidum terra marique circumsident, ac post bimestrem obsidionem sub finem Augusti mensis intercipiunt. Idque ab iis tanta celeritate ac cura factum est, ut auxilia Venetis submissa à Summo Pontifice, Prorege Neapolitano, Duce Hetruriæ, aliisque Italiæ Principibus, non modo post rem venerint, sed etiam tentata nequicquam recuperatione Caneæ eo anno, irrito inde eventu recesserint. Ita Veneti maritimo simul ac terrestri bello impliciti (nam etiam Turcæ Dalmatiam populabundi incursabant) sese ad novum ac potentissimum hostem propulsandum omni ope communiunt. Haud multo post Romæ Mutio Vitellesco Societatis Jesu præposito Generali, jam pridem defuncto, Vincentius Caraffa sublectus est, ex illustri familia Caraffarum, qui triennio post brevem præfecturam longo sui desiderio glorioſe clausit diem.

Candia.

Anno hujus sæculi quadragesimo sexto Maria Imperatrix mense Maio cum Cæsare ex venatione reversa repentino catharro extinguitur. Ejus mors, quia inopinata, magno luctu aulam 1646. *Mors Imperatricis.*

afflixit. Erat partui vicina; atque ideo proles ex utero jam defunctæ matris exempta, adhuc vivens salutari lavacro expiata est. Nomen ei impositum Maria, cumque statim vivere desiisset, una cum Matre solitis ceremoniis in tumulum illata est. Soror fuit Philippi IV. Regis Hispaniarum, quem eodem anno gravior clades perculit, unici filii repentina amissio. 1645. Is erat Philippus V. sexdecim fere annorum, & in spem tot regnorum genitus, atque haud multo ante Cæsaris filiæ in matrimonium destinatus. Sed immatura mors spem ac destinata avertit. Mense Octobri Sagunti puerilibus papulis cœpit laborare; Qui morbus ita vehemens extitit, ut spacio quatridui magno luctu totius Hispaniæ Regius Princeps è vita tolleretur.

Coronati Ferdinandi IV. in Reg. Boh.

Inter hæc quæ rerum mundanarum vicissitudo est, ut luctui gaudia intercederent, Ferdinandus Franciscus primogenitus Cæsaris Rex Bohemiæ inauguratur. Coronatio Pragæ mense Augusto, præsente Cæsare ipso, in magna Procerum Bohemiæ corona his fere ceremoniis peracta est. Pridie Coronationis, qui fuit dies quartus Augusti, Ordines Regni Bohemiæ in camera Provinciali, quæ in arce est, novo regi juramentum fidelitatis præstiterunt. Inde postero die Cæsar & Rex inaugurandus magno comitatu omnium Ordinum ad templum urbis primarium progressi, Sacro Missæ officio interfunt. Id pro more celebrabat Cardinalis Harrachius, Archiepiscopus Pragensis, adsistentibus illi sexdecim Episcopis ac Prælatis, magnoque numero inferioris ordinis clericorum. Sub ipso Sacro Rex ad pedem summæ aræ in genua provolutus ab Archiepiscopo consueto ritu inungitur ac coronatur. Inde supremus Regni Burggravius ad populum circumstantem conversus, Regem inunctum & coronatum magna voce denunciat. Sacro peracto Rex in solio ad id præparato collocatus aliquot educto ense leviter tactos nobiles creat. 1646. Tum Regio convivio excepti Legati, ac nobilitas omnis in multam usque noctem, quæ artificioso ignium spectaculo, lætoque fragore reboantium tormentorum, summo gaudio traducta est. Sub idem tempus in Halberstadium & Ascherlebiam in pago Hornhausen, multi diversis in locis fontes eruperunt, tanta vi salubrium aquarum (nam sanabantur quotidie usu earum permulti) ut locus ille, glisscente, ut fit, in majus fama, multorum mox millium omnis ætatis, generisque & conditionis hominum adventu celebrari cœperit. Sed ut multi temperato earum usu remedium, ita nonnulli quoque cum immoderata copia eas adhibuissent, exitium sibi ipsis accersiverunt: adeo non in medicamento ipso, sed in modo ejus atque usu vis sanitatis consistit.

Fontes salutares.

Porro in Anglia Regem Carolum fortuna plane destituit, capta ad extremum Oxonia quæ sola adhuc Regio præsidio tenebatur. Inerant fere quatuor millia militum sub Præfecto Thoma Glemhovio, dein nobiles & majorum gentium optimates fere quingenti, cum ipso Rege & duobus Principibus Palatinis Ruperto & Mauritio. At Rex nequaquam se obsideri passus paulo ante adventum Parlamentariorum, quos Thomas Farfaxius cum supremo imperio gubernabat, cum paucis comitibus in castra Scotorum ignoratus profugit. Ita Oxonia Farfaxio deditur. Præsidio, uti libere excederent, permissum. Principes Palatini intra spacium sex mensium ex Anglia jussi excedere: utque intra id tempus Londinum non adirent. Jacobus secundo genitus Regis filius & Dux Eboracensis, Londinum inde quasi per triumphum abductus est, quem Farfaxius, veluti re magnifice & præclare gesta, toto triduo solemni apparatu egit. 1646.

Res Anglicana.

Cæterum in Germania Dorstensohnius post fusos in Bohemia Cæsarianos, & occupatam totam prope Moraviam, uti supra memoravimus, præter unicam Brinnam quæ vim oppugnantis strenue repulit, exercitum in Bohemiam

Res Suedicæ in Imperio.

miam reduxit, atque inde excusata valetudine se suprema militiæ præfectura abdicat, quam quadriennio fere multis insignibusque victoriis nobilitaverat. Dorstenſohnio à Regina & Regni Sueciæ administratoribus successor datus est Gustavus Carolus Vrangelius. Qui educto è Bohemia omni exercitu; captisque in Thuringia hibernis, initio veris cum omnibus copiis Visurgim versus iter contendit. Ibi Hœxteram primo impetu cepit, transmissoque Visurgi Paderbornam, Lemgoviam, Statbergam munitissimum alias locum, sed tum non satis pro ea necessitate provisum intercipit. Interim Archidux Leopoldus cum Melchiore Comite Hatzfeldio, Gelehnio, Reuschenbergio, Verdano & omni Cæsareo Bavaricoque exercitu in Hassiam & Veteraviam progressus, recepto ad se Melandro (quem Westphalicarum copiarum ductorem paulo ante Cæsar atque Elector Colonienſis constituerant) castra apud Ilmenstadium haud procul Nidda fluvio posuit. Quorum adventu intellecto Suedici reducto ex Westphalia exercitu in Hassia prope Kirchainium communitis castris considere. Dein inopia commeatuum ac pabulationis, quæ duo utrisque uno in loco haud diu suppetebant, inter continuas velitationes castra Cæsareorum feliciter transgressi, simulata
1646. in agrum Moguntinum irruptione subito in Franconiam divertunt. Atque ea raptim transcursa. Nordlingam, dein Donaverdam atque alia ad Danubium loca invadunt; Transitoque Danubio Rainam octo dierum spacio expugnant. Inde ad Augustam Vindelicorum cum totius exercitus viribus conversi obsidionem ejus quæ tum non erat sufficienti præsidio instructa, moliuntur. Verum Cæsareani flexo paulum itinere hostem prosecuti, apud Ratisponam Danubium transeunt. Mox Augustæ præsidium immissum, & ne Suedici in Bavariam transgrederentur collatis contra castris abunde provisum. Ita Augusta discrimini exempta est. Sueci inde in Sueviam Helvetiosque recessere. Interim Comes Bucheimius confirmata cum Ragotsio pace, ex Hungaria reversus, Cremsium atque alia ad Danubium loca, quæ Dorstensohnius ante annum ceperat, pari felicitate recuperavit.

Gesta Melandri.

Melander deinde Westphaliarum copiarum Dux, cum suis ex Veteravia à Cæsareano exercitu in agrum Colonienſem digressus, Zonsam oppidum obsidione liberat. Id medio fere intervallo inter Coloniam & Novesium situm Rabenhauptius Novesienſis Præsidii Præfectus, cum idonea Hassorum manu, quos è vicinis præsidiis eduxerat, circumsidebat. Non magis spe potiundi oppidi, quam ut conjunctas in Veteravia Cæsaris vires hoc molimento distraheret: Zonsa à Golesteinio Præfecto fortiter atque egregie defensa, adventu Melandri liberatur. Qui inde in superiorem Diœcesin profectus Euskirchium ejecto Hassico præsidio suis copiis confirmat. Pari virtute, sed majore felicitate, Balduinus Remontius Widenbrugæ Gubernator, recepta à Melandro, & è vicinis oppidis valida manu Paderbornam summo mane subito aggressus, parvo suorum damno etsi bis terve ab insultu rejectus occupat, præsidiariis omnibus aut cæsis aut captis.

Res Gallicæ contra Hispanos.

Inter hæc Galli magnis viribus bellum adversus Hispaniam continuarunt. Princeps Thomas Dux Sabaudiæ mare Thyrrenum, Comes Harcourtius Cataloniam, Dux Aurelianenſis, Anguienſis, & Gassionius Flandriam diversis exercitibus premebant. Sabaudus captis, apud *In Italiâ.* mare Thyrrenum, Telamone, & S. Stephani portubus qui ad Regem Hispaniarum spectant, cum insigni classe & viginti millium exercitu Orbitellium in eodem littore obsidere instituit. Id Carolus Gatta Hispanus validum iis locis propugnaculum strenue defendebat. Et quanquam media æstate, ac summo æstu, tamen continuos hostium insultus indefesso labore sustinuit. Donec classis Neapolitana in subsidium

venit. Hæc enim aliquoties cum Gallis congressa, succedentibus insuper terrestri itinere aliis atque aliis auxiliis, cum semper fere victoriam reportaret, eo adegit Gallos, quorum exercitum crebræ irruptiones, & intensissimus iis locis æstus plurimum imminuerat, ut omissa obsidione satius putarent reliquas copias reficiendi sui causa reducere, atque in Pedemontium collocare. Ita Orbitellium discrimini exemptum est. Sed hoc Gallorum incommodum haud multo post cum reparata classe revertens
1646. aliqua ex parte restituit Mareschallus Melerarius occupato Portu Longone, qui est in Ilua Insula Thyrreno littori objectus, è Regione oppidi Plombini. Quod oppidum & mox eodem impetu in
In Cataloniâ. potestatem Gallorum concessit. In Catalonia Prorex Harcourtius Ilerdam obsidebat munitam imprimis ad Sicorim urbem, ac præpotentem, sed pari eventu cum Orbitellio. Nam post quinque fere mensium obsidionem summis viribus, & magno Gallorum sumptu, detrimentoque continuatam Marchio Leganez cum viginti quinque millium exercitu castra Gallorum adortus, urbem periculo exemit. Galli relictis impedimentis, & machinis bellicis supra sexaginta cum reliquiis suis Balaguerium recessere. Multo sanguine ea victoria constitit Hispanis, quippe hostem munimentis clausum aperto è campo adorientibus. At liberatio oportunæ urbis omni incommodo potior extitit. Porro in Flandria multo dispar fortuna
In Flandriâ. res Hispanicas afflixit. Uni Provinciæ quadraginta millia militum Galli immiserant. Ita Cortracum primo, dein Weinoxberga & Mardicum quod Hispani nuper per nocturnam aggressionem receperant, capta. Quibus in potestatem redactis Dunquercha, quæ caput expeditionis fuerat, circumsideri cepta. Is munitissimus Flandriæ portus est, & solus fere ex quo iis in locis rem maritimam Hispani gerunt. Inerat quatuor fere millium præsidium sub Marchione Ledæo. Sed Dux Anguiensis cum numero militum quorum sanguini nequaquam parcebat, abundaret; Et Hollandi, ne quid externi auxilii adveniret, portum omnem classe sua obsedissent honestis tandem conditionibus urbem cepit. Hollandis felicior lati auxilii, quam propriæ expeditionis successus fuit. Nam Venlona ab ipsis per idem tempus gravi obsidione tentata, tædio rerum male procedentium aut certe propinqua jam pace quæ interim Monasterii cudebatur, irrito effectu omissa est. Haud multo post Elector Brandeburgicus Fridericus Wilhelmus Ludovicam Principis Orangii filiam in matrimonium accepit. Nuptiarum solemnia apud Hagam Comitis mense Decembri solemni apparatu celebrata sunt.

Inter hæc Veneti adversus Turcas bel- *Gesta Venetorum contra Turcas.*
lum terra marique egregie gerebant; sed mari aliquanto felicius quam terra. Nam Turcæ cum magnis opibus prævaleant, utque Venetorum vires distraherent, è Bosnia in vicinam Dalmatiam quæ sub imperio Venetorum est infestas excursiones faciebant, magnumque sæpe hominum numerum in servitutem, multaque pecora, atque alia uti occasio dabat, in prædam ac spolia abducebant. Demum ipse Turcicus Bosniæ præfectus cum selectis duodecim millibus in Dalmatiam irrumpens, Novigradum celebre munimentum, ac quinque fere milliaribus à Zara remotum, seu panico terrore, proditione intercepit. Sed re apud Zaram examinata Martinus Strichius Novigradensi præsidio præpositus festinatæ deditionis pœnas capite luit. Neque Turcæ excursiones illas impune faciebant. Nam Zarenses Venetorum præsidiarii, etsi numero ac viribus impares, tamen gnari locorum, adjunctisque sibi agrestibus & colonis, sæpe numero è latebris atque abditis viarum incautos adorti recuperabant præ- 1646.
das, multosque prædatorum aut neci dabant, aut ubi spes lytri esset, in prædam secum ac servitutem abstrahebant. At

Thomas

Thomas Moreſini Venetæ claſſis in Ægeo præfectus rem maritimam multo feliciùs adminiſtravit. Nam initio veris cum fretum Helleſpontiacum obſervaret, fuſis centum onerariis Turcicis quæ multo commeatu onuſtæ ex Apollonia & Alexandria Conſtantinopolim petebant, iterum menſe Junio cum claſſe Turcica congreſſus eandem duobus præliis profligavit, ac toto Archipelago exegit, cæſo ſupremo claſſis illius præfecto & reliquis in fugam aut ſervitutem datis. Sed Turcæ damno illo brevi recuperato, menſe Octobri, cum majori claſſe ad Cretam inſulam reverſi, Caneam quæ interim à Venetis obſidebatur, liberant, neceſſarioque commeatu communiunt. Inde Rethimnum oppidum ſeptem à Canea milliaribus diſſitum, fuſo exercitu Venetorum vi atque armis ad deditionem cogunt. Capta ibidem tormenta bellica ſupra centum, cum magna copia commeatuum atque inſtrumenti militaris.

Retimo.

1647. *Seditio ingens Neapolitana.*

Sequitur nunc annus hujus ſæculi quadrageſimus ſeptimus, quem à Neapolitana rebellione, quæ modicis initiis multo omnium atrociſſima erupit, ordiemur. Urbs Neapolis poſtquam cum univerſo regno in Auſtriacam Regum Hiſpaniæ poteſtatem conceſſit, initio inſtar equi indomiti clementer admodum habita eſt, & perquam liberaliter inſignibus privilegiis donata, præcipue a Ferdinando Rege, & Carolo V. Cæſare, ſub quibus modica tributa, adeoque plebi tolerabilia Regibus ſuis ſub donativi nomine pendebant. Hæc deinceps lapſu temporis ut fit intemperanter aucta, accedente importunitate exactorum, gravia eſſe cœperunt, maxime illa quæ publicæ annonæ, ac rebus ad victum neceſſariis imponebantur. Quo tributi genere cum univerſus populus, tum vero infima plebs, quæ in diem vivit, cujus eſt Neapoli magnus numerus, imprimis premebatur. Sed res huc uſque intra querimonias conſtiterat. Verum poſtquam anno ſuperiore pro novo Regio donativo novum vectigal imponi cœpit in poma atque olera ſimileſque hortenſes fructus; querelæ multitudinis liberius erupere. Jamque reluctabantur quidam pendere, & ſe exactoribus opponebant. Sed horum contumacia à vigilantibus præfectis paucorum ſupplicio tum quidem caſtigata ac compreſſa eſt. Donec hoc anno nihil ceſſantibus publicis querimoniis repertus eſt homo abjectus atque ex infima plebe, qui ſe liberatorem patriæ profiteretur, & negocium abrogandorum vectigalium in ſe ſuſciperet. Is fuit Thomas Agnellus (Maſaniellum vulgo contracto nomine vocabant) juvenis audax & temerarius, qui vili officio in foro piſcario fungebatur, ſed lingua promptus, vitæque contemptor, adeoque concitandis ſeditionibus perquam idoneus. Accidit autem per illos dies ut Maſaniello piſces quos ad forum venales deportabat, juſſu Præfecti rerum forenſium auferrentur, propterea quod tributum de iis perſolvere recuſaret. Ea res magis magiſque jam impulſum hominem irritavit. Igitur quotidie circumibat fora, & tabernas vendentium, ibique ſingulos hortabatur ne tributum penderent. Idque jam non clam, ſed propalam & per emiſſarios ſuos ac ſodales faciebat, jactabatque ſæpenumero ſe propediem effecturum ut vectigalia omnia tollerentur. Nemo erat è prudentioribus cui author ille ad tantam rem efficiendam par videretur, quidam etiam ridebant hominis vanitatem, magno ejus malo brevi, ni deſiſteret, caſtigandam. Et ille ne præveniretur ordiri aliquando deſtinatum opus cogitans, die ſeptima Junii quæ fuit Dominica, prodit in forum cum parva manu puerorum, cui ſe identidem alii atque alii è plebe adjungebant. Orta ibidem rixa inter eos, qui poma ex vicinis pagis venalia deportabant, & miniſtros vectigalium, adeo ut Præfectus fori Andreas Anaclerius ad comprimendum tumultum accurreret. Ille aliquantum multitudini adverſatus, tandem jactu pomorum aliorumque

1646.

1647.

que fructuum è foro propellitur : abitque inde ad Proregem Ducem de Arcos de plebeina insolentia, sibique illata injuria conquesturus. Sed nihil eo territa multitudo, magis cumulabatur, non in forum modo sed in compita etiam atque angiportus, eratque una omnium vox, remissior primo, dein consensu singulorum alacrior atque audacior, ut vectigalia abrogarentur. Interim Masaniellus qui adhuc in foro cum manu sua versabatur, in proximam ibi mensam consurgens magna voce ad populum concionatur. Summa orationis ejus erat, ut se multitudini Ducem profiteretur, sponderetque hunc ipsis diem pendendis vectigalibus supremum fore, si modo ab iis non deseratur, quod tamen si accideret, se ex honesta morte quam pro patria oppetere decrevisset, solatium capturum. 1647. Ea oratione finita cum jam præparatos sibi multitudinis animos haberet, domunculas omnes & tabernas in quibus vectigalia pendi consueverant subjecto igne incendit. Deinde adit Proregem ipsum, atque abrogationem vectigalium, adeoque exemplum privilegiorum Ferdinandi Regis & Caroli V. Cæsaris exposcit, ostentata vi, nisi postulatis suis satisfieret. Prorex cum frustra blando sermone animos furentium pacare niteretur, tum quidem impetum projectis aliquot aureis nummis devitavit. Sed jam numerus eorum ad quinquaginta millia excreverat. Postero autem die alterum tantum in armis apparuit. Tum suffragio multitudinis, quoniam nemo nobilium ad id munus haberi poterat, delectus est Masaniellus, qui cæteris cum summo imperio, veluti Dictator, præesset. Mirum est, neque scio an res fidem apud posteros habitura sit, urbem inter Italicas potentissimam, quæque ægre Regis Hispaniarum imperium toleraret, tam repente hominis privati atque, abjectissimi ex infima plebe jugum subisse, ut illi non in jubendo tantum authoritas, sed in exequendo etiam arma, ministri, auxilium ad manus atque ad nutum essent. Masaniellus igitur primo omnium ut sibi in armis universi præsto essent edixit. Deinde pretium ac modum pani cæterisque eduliis constituit; tum quod pridie exorsus fuerat, omnes ædiculas per suburbia ac reliquam civitatem ubi vectigalia solvebantur cum omnibus literis, rationariis, mercibusque exurit. Inde ad domos ac palatia eorum qui exigendis vectigalibus præpositi erant, tanquam qui sanguine & sudore 1647. pauperum crevissent, conversus, bona eorum in publicum prolata Vulcano tradit; alibi domos ipsas cum pecunia, ac suppellectile subjecto igne accendit. Idque tanta severitate ut nemo vel rem etiam minimam igni subtrahere, aut in suos usus avertere sub pœna capitis ausus fuerit. Si quis autem vel feciset contra edictum aut jussibus ipsius, minus obsequens fuisset, vix dato spacio quo animum ad mortem compararet, statim puniebatur. Quæ res & promptissimum illi obsequium, & magnum sui terrorem conciliabat. Neque illa in re ulli hominum generi parcebat. Cum enim quarto post exortum hunc tumultum die Dux Matalonius ac frater ejus Josephus Caraffa quingentos fere equites, qui omnes Proscripti erant, (vulgo Banditas vocant) ad interficiendum Masaniellum ac præcipuos turbarum authores submisissent, re explorata, non modo comprehendi equites illos, atque è vestigio trucidari; sed inquiri etiam in Ducem Matalonium diligenter jussit, ac dein fratrem ejus, Josephum Caraffam latebris extractum haud dubie exquisito supplicio neci dedisset, nisi furiosa plebs impetum ejus prævertisset. Caraffæ enim in ipsa via qua ad forum trahebatur caput, à lanione quodam grandi cultro abscissum, atque ex oblonga pertica suspensum quasi in triumpho ad Masaniellum deductum est. Quod ille crudeli sarcasmo irrisisse, & fluentem adhuc cruore barbam per ludibrium contrectasse dicitur. Id facinus in magnum metum omnem nobilitatem conjecit. Maxime 1647. autem

autem Prorex timebat, quia vulgo hujus rei conscius habebatur, ne suo in capite hæc fabula finiretur. Neque res vacabat discrimine. Nam Masaniellus jam edixerat, ne quid eduliorum in Castellum, in quo Prorex erat, importaretur; utque omnes eo pertingentes canales quamprimum destruerentur. In tanta igitur rerum omnium perturbatione Cardinalis Philomarini, urbis Archiepiscopus magnam comprimis diligentiam adhibuit, uti populum compesceret. Cum enim per omnes Ecclesias exposito ubique venerabili Sacramento universales preces indixisset, ipse se furentibus immiscuit, atque ante omnia cum Masaniello, à quo omnis populus dependebat, diligenter atque impense egit, ut res tandem ad quietem deduceretur. Populi postulata erant, abrogatio omnium vectigalium, quæ post Privilegia Ferdinandi Regis, & Caroli Cæsaris irrepsissent: atque eorundem Privilegiorum extraditio. Deinde omnium quæ per hunc tumultum facta essent, condonatio, ac perpetua oblivio. Quæ si promitterentur; spondebat Masaniellus se abdicato imperio populum ad sua dimissurum. Erant preces armatæ. Neque ullum remedium reperiebant Prorex atque Archiepiscopus multitudini diutius obsistendi: nisi se atque regnum in extremum exitium conjicere maluissent. Igitur tradita Masaniello privilegia, & cætera quæ petebantur, liberaliter promissa, adjectum his ab Archiepiscopo, menstruum donarium pro Masaniello, ducentorum coronatorum, quod tamen ille recusavit. Pace perfecta Masaniellus ab Archiepiscopo ad Proregem deducitur. Ibi omnibus corroboratis ad populum regressus, quæ acta fuerant, pronunciat: simulque ut modeste ac pacifice inter se agerent, se-
1647. vere edicit. Arma autem retineri voluit, donec ab aula Hispanica, eorum quæ acta fuissent confirmatio adveniret. Hæc præcipua unius fere hebdomadæ acta sunt, nam singula enumerare instituti nostri brevitas non permittit. Hic sane admirari licet vicissitudinem rerum humanarum; & quam levibus fundamentis fortunæ atque opes regum nitantur. Si enim ex potentioribus aliquis ad res tanto tumultu perturbatas accessisset, quid illi facilius fuisset, tam prona omnium in se voluntate, quam occupare imperium? ipse iterum eodem fortunæ lusu ab alio extrudendus atque evertendus. Sed revertamur ad propositum. Masaniellus, re ut putabat, egregie perfecta in delirium actus est. Sunt qui potione id illi procuratum asserant; alii multitudine atque insolentia negociorum, quodque eo octiduo somnum ac cibum vix cepisset, evenisse arbitrantur. Cæterum ut ut sit, cum homo delirus imperium non deponeret, sed multa etiam præposteræ, ac superiorum dierum edictis contraria juberet, designaretque, apud suosmet in odium venit, atque à quatuor nobilibus hac occasione in tempore usis interficitur. Caput à Lanione cultro abscectum, & oblongæ perticæ impositum, reliquus truncus à scurris aliquot per publicas plateas palam tractus, diu spectaculo fuit. Hunc exitum habuit Masaniellus decimo post die quam rebellionem captaverat; repente ex imo ad summum favore vulgi elatus, & mox eadem levitate è summo in miserabile exitium dejectus, Rex sesqui-hebdomadarius. Morte Masanielli statim respiravit nobilitas, quæ Manliano ejus imperio oppres- 1647.
sa in singulas prope horas supremam perniciem exspectabat. Verum sublato authore cum nihilominus causa perseveraret, turbæ non quievere. Nam plebs adhuc armata postulatis suis æque pertinaciter insistebat. Contra Nobilitas tandem aliquando animos resumens, utpote ad quos magna portio publicorum vectigalium pertingeret, adibant Proregem, suosque clientes & familiares concitabant, docebantque hanc inexcusabilem vulgi insolentiam malo domandam. Ita res paulatim in civile bellum conversa est, dum divisis inter se partibus plebs urbem,

Prorex

Prorex cum nobilitate arcem ac portum tuetur. Populo nihil nisi Dux deerat, qui cum authorirate atque imperio gubernaret. Igitur submissus haud multo post è Gallia Dux Guisius, magno triumpho atque applausu accipitur. Ejus adventu firmata multitudo diu partes suas adversus Proregem defendit. Cæterum [illegible] eunte paulatim belli tædio, amor & obsequium erga Regem rediit. Data venia pœnitentibus, receptique in gratiam nomine Regis à Joanne Austriaco, ad quietem se composuere. Dux Guisius deprehensus è fuga in potestatem Hispanorum pervenit. Nunc ad res Germanicas revertor.

Res Germanicæ.

Initio anni hujus Vrangelius, (quem Bavariæ aditu excluſum in Sueviam, atque inde in Helvetios irruptionem fecisse memoravimus) occupatis faucibus Brigantinis, dein Menavia insula in lacu Acronio, mox quoque ad obsidendam Lindaviam, quamvis media hyeme, animum adjecit. Præerat urbi Maximilianus Wilibaldus Comes Wolffeggius. Is intellecto hostium consilio, nulla in re officio suo defuit. Nam præparatis omnibus quæ sustinendæ obsidioni necessaria erant, septingentos præterea, qui ex agrestibus in urbem confugerant, armat, immiscetque præsidiariis, quorum erant fere quingenti, reliquam turbam bello inutilem, ad fodiendum ministrandumque militantibus accingit. Ipse omnibus consilio & exemplo adest. Ita urbs, etsi ignitorum missilium lapidumque injectu die noctuque graviter impugnaretur; post duorum tandem mensium obsidionem hostibus sponte recedentibus conservata est. Vrangelius porro re cum Helvetiis composita, transmisso rursum Danubio, in Franconiam concedens Sueinfurtum expugnat. Inde cum Bavaro atque Electore Colonienſi inducias armorum pactus, in Bohemiam

Armistitium Bavaricum.

movet, atque in ipso conspectu Cæsareani exercitus Egram difficili sane & cruenta obsidione in potestatem redigit. Inducias Bavaricæ, de quibus tunc variæ erant hominum sententiæ, die quarto decimo mensis Martii Ulmæ inter Legatos supremorum belli præfectorum Sueciæ & Galliæ, nec non Electoris Bavariæ, his fere conditionibus compositæ sunt. Primum ut vis hostilis atque arma inter partes pacisentes quiescerent. Utraque Bavaria cum Palatinatu Electori Bavariæ pro exercitu suo libera permitteretur. Atque hic Suecis Memmingam & Uberlingam, contra illi Bavaro Rhainam, Donaverdam, Wembdingam & Mundelheimium traderent. Augusta deducto omni externo præsidio in libertatem suam reponeretur. Bavarus copias 1648.
suas à Cæsareano exercitu revocaret, neque deinceps, salva tamen fide atque obligatione quam Cæsari atque Imperio debeat, societatem armorum jungeret cum hostibus Sueciæ ac Galliæ. Idem præstabunt Elector & Coadjutor Colonienſis, si his induciis gaudere voluerint, atque ex oppidis ditionum suarum Cæsareana præsidia, ubi ea sunt, educi curabunt. Ubi vero id efficere nequiverint, permittent, ut vi atque armis à Suecis ejiciantur. Quæ tamen loca occupatores Dominis restituent, nisi forte aliter ratio belli, ac conditio temporis expoſcat. Contributiones in ditionibus Electoris Colonienſis quas Landgravia Hassiæ exigit, legati ad id quamprimum deputandi ad tolerabilem modum reducent. Si universales induciæ, aut pax communis concludatur huic in omnibus obtemperabitur, atque ad eam promovendam omnes serio ac sedulo incumbent. Constituta insuper alia, de securitate commerciorum, de pœna delictorum militarium, de ratihabitionibus Principum, cautumque ut si Elector Colonienſis in has inducias non consentiat, tamen quæ cum Electore Bavariæ constitutæ sunt, salvæ atque illæsæ permaneant. His ita pactis confirmatisque Vrangelius uti diximus in Bohemiam movit. Bavarus recensere exercitum suum, ac per provinciam in hospitia disponere instituit. Cæterum ea res magno mox dissidio Cæsarem ac Bavarum collisit. Nam Cæsar publicato edicto

copias

copias Bavaricas, ut pote ſibi atque Imperio ſacramento addictas, quaſque ipſe magnis impenſis aluiſſet, revocabat, atque ut in ſua caſtra ac ſigna tranſirent hortabatur, transgreſſumque Joannem Verdanum ſupremum equitatus Bavarici præfectum, cum Sporckio, ac paucis aliis magno honore ac
1648. muneribus affecerat. Contra Bavarus hunc exercitum ad ſe proprie pertinere affirmabat, ſibi juramento obſtrictum, ſuis ſumptibus ſuſtentatum, ſuis etiam auſpiciis ac ductu, licet pro commodo Cæſaris atque Imperii gubernatum. Propterea ſevere ac ſerio edicebat, nequis avocanti Cæſari pareret; poſtquam autem de tranſitu Verdani aliorumque, & quantum ille commilitonum animos ad transgrediendum ſollicitaſſet, certis nuncus accepit; multo impenſius ad retinendos in obſequio nutantes milites laboravit, conſtitutis ſeveriſſimis pœnis in transgreſſores, atque in ipſius Verdani caput decem millibus imperialium, ſi quis eum neci dediſſet, erat enim utrobique in diſcrimine. Quippe Cæſarem hac ſeparatione armorum plurimum offenderat; & ne Sueci hanc tranſitionem ſecus quam acciderat, atque adeo connivente ipſo evenire interpretarentur, metuebat. Quo facto & Cæſarem inimicum, & Suecos Galloſque multo quam antea infenſiores hoſtes erat habiturus. Accedebat, ſi totus exercitus ipſius ad caſtra Cæſaris tranſiviſſet, ipſe omni præſidio nudatus cujuſcunque injuriæ obnoxius fuiſſet. Igitur Suecos quamprimum Galloſque quicquid ageretur admonuit, ac ne de ſe quicquam ſiniſtri ſuſpicarentur ſeſe de hoc tranſitu prolixe purgavit. Cæterum inducia tanta cura, tantoque opere initio ſervatæ, paulatim refriguêre, ac demum gravibus de cauſis ab ipſomet Electore Bavariæ renunciatæ ac repudiatæ ſunt. Inter has cauſas præcipua erat, quod negocium pacis Monaſterii atque Oſnabrugæ cœptum, ac jam aliquo uſque productum
1647. longe quam antea difficilius procedebat. Cum enim ad tollendas animorum acerbitates, atque adeo feſtinandas pacis conditiones, inducias Bavarus feciſſet, affirmantibus Suedicis Legatis etiam antequam ratihabitio harum induciarum ex Suecia adveniſſet, pacem univerſalem concluſam iri, contra tamen accidit. Nam & Sueci in tractatione pacis duriora poſtulabant, palamque jactabant niſi hæc aut illa, quæ à Catholicis nulla ratione iniri poterant, admitterentur, ſe bello finem non facturos. Poſtulabant adhæc pro ſua tantum militia viginti milliones thalerorum Imperialium, quos ſoli ordines Catholici Cæſari dependerent. Ad hæc in ſenatu ac ſeſſione Principum Imperii ſæcularium, quem locum Dux Bavariæ à multis jam annis obtinuerat, ipſi eo exturbato primum locum ac ſuffragium petebant. Cumque id ipſorum poſtulatum Bavarus acriter impugnaret, ac pro honore & dignitate ſua ſtudioſe niteretur, adeo non continuêre iracundiam, ut illi novum bellum minitarentur. Adhæc Conings-marckius ditiones Electoris Colonienſis in Weſtphalia infeſtabat, expugnando Vechtam atque alias arces, quæ Cæſareano præſidio tenebantur, neque eas Electori ex pacto reſtituebat. Jam vero de contributionibus Haſſicis nihil remittebatur, neque Landgravia ratihabitionem ſuam uti conventum fuerat, mittebat, adeo ut de voluntate ejus parum conſtaret. His aliiſque de cauſis Bavarus decima quarta Septembris miſſis literis Vrangelio inducias renunciat: & mox Memmingam quam ſupra Suecis tradiderat, circumſidere inſtituit. Qua poſt ſeptimanas aliquot in poteſtatem redacta, Nordlingæ pari modo vis illata eſt. Erat Vrangelius cum induciæ renunciarentur in Bohemia occupataque Egra ut ſupra diximus poſitis caſtris 1647.
contra Cæſareanos conſidebat. Cæſar ipſemet præſens in caſtris defuncto Gallaſio in ſuprema belli præfectura Melandrum ſubſtituit. Atque is Suedici exercitus vires egregia virtute ſuſten-

tavit. Ac cessit alia res qua nulla oportunior per id tempus Cæsari accidere poterat, seditio Vinariensium: Quæ defectu stipendiorum orta, eousque prorupit, ut depositio palam obsequio, reverentiaque à signis Gallicis discederent, ac militiam detrectarent. Crevitque contumacia postquam Turenius, qui ductor eorum fuerat, desperata secedentium reconciliatione, reliquam exercitus partem, quæ sub obsequio remanserat, in refractarios immisit. Sed illi se contra vim probe muniverant; tum vero cognito Gallorum consilio, transfugium in partes Cæsaris minati, à Coningsmarckio tandem bimestri stipendio placati & excepti sunt. At Vrangelius renunciatis uti diximus induciis, ne à duobus exercitibus opprimeretur, evocato ad se Coningsmarkio è Bohemia excessit. Quem Melander cum majore utriusque exercitus parte insecutus in Hassiam irrupit, ac Marpurgum expugnat. Arx tamen propugnante tribuno Stauffio in potestate Hassiorum permansit. Ex qua multa Cæsareanis damna illata sunt. Nam Hassus cognita domo, in qua Melander diversabatur, septem tormenta illuc dirigi, & explodi uno impetu jussit. Neque res periculo caruit. Melander & Marchio quidam Badensis muri & tabularum dissilientium fragmentis graviter sauciantur. Porro urbs cum sine arce retineri non posset spoliata & deserta est. Atque exercitus per Franconiam in hyberna dispositus.

Seditio Vinariensium.

Inter hæc filius Ferdinandus IV. Posonii in magna Regni Procerum corona Rex Hungariæ consuetis ceremoniis inauguratur. Mense Julio ea coronatio peracta est, neque quicquam ex usitata alias pompa iniquitas temporum detraxit. Obiere sub idem tempus Anselmus Casimirus Elector atque Archiepiscopus Moguntinus; Henricus Princeps Orangius, & Christianus V. Princeps Daniæ, atque ad coronam illam destinatus, dum in Saxoniam curandæ valetudinis ergo ad thermas proficiscitur. Moguntino Joannes Philippus Episcopus Herbipolensis, ex illustri Schonborniorum familia suffectus est. Orangio in præfectura militari Provinciarum Fœderatarum, cæterisque Patris muneribus Wilhelmus filius subrogatur. In principatum ac spem Regni Daniæ fratri successit Fredericus alter Daniæ filius atque Archiepiscopus Bremensis. Sed filio Christiano pater Christianus IV. haud diu superstes fuit, mense Februario anni insequentis vita excedens: atque ita Regnum Friderico III. delatum est.

1647. *Coronatio Ferd. IV. Reg Ung.*

JOAN.

JOAN. CLUV. EPITOMES HISTORIARUM

LIB. XIII.

APPENDIX.

1648. *Gesta Suecorum in Bavaria.*

SEquitur annus hujus sæculi quadragesimus octavus, compositâ tandem Belgica & Germanica pace memorabilis. Sed initia ipsius crudeli adhuc bello, & infestis ubique armis personuere. Etenim Vrangelius in agro Brunsvicensi & Mindensi refectis per hyemem militibus necdum ineunte vere, per Hassiam in Franconiam ac Palatinatum contendit. Ubi recepto ad se cum septem millibus Turenio, mense majo apud Lavingam Danubium transmittit. Inde in postremum Cæsareanorum agmen qui haud procul Augusta tendebant, præmisso Coningsmarckio invectus, feliciter pugnavit. Cæsareani cunctantibus Bavaricis in fugam compulsi sunt. Melander Dux Cæsareanorum initio prælii laborantibus suis auxilio accurrens, duobus vulneribus confoditur, atque inde Augustam deportatus eodem adhuc die extinguitur. Ejus casu perculsus exercitus transmisso propere Lyco in interiorem Bavariam recessit. Ita Vrangelius pro voto suo aditu Bavariæ potitus, raro jam obsistente, eodem prope loco quo Rex Gustavus Adolphus Lycum fluvium transit. Inde expugnata Frisinga, & superata Isara, totius intra Oenum Bavariæ potitur, paucis oppidis exceptis, in quæ Elector Bavariæ peditatum suum tempestive immiserat. Oeni transitum apud Muldorfium diu frustra tentavit; magna semper suorum clade ab excubantibus in adversa ripa Bavaricis rejectus. Porro ductor Bavaricorum Justus Maximilianus Comes Gronsfeldius ad reddendas præfecturæ suæ rationes ex castris Ingolstadium revocatus est. Illi vulgo nupera Cæsareanorum clades, quasi auxilium in tempore distulisset, imputabatur. Melandro Cæsar Octavium Piccolomineum Ducem Amalphitanum in præfecturam Imperialis exercitus substituit. Qui cum auxiliis Bohemicis & Joanne Verdano in Bavariam profectus, collatis contra castris, licentiam hostium sua virtute ac vigilantia brevi compescuit.

Coningsmarckius occupat arcem Pragensem.

Dum hæc in Bavaria geruntur Coningsmarckius, post cæsum apud Augustam Melandrum in superiorem Palatinatum regressus, varia ibi loca atque arces, nullo impediente occupat. Inde in vicinam Bohemiam excurrens Glattaviam & Falckenaviam in potestatem redigit; Cum autem potissimas Cæsaris vires in Bavariam dimissas esse cognovisset, & Pragam haud magno præsidio obtineri, capiundæ urbis eum cupido incessit. Idque eo facilius existimabat, quod Pragenses ob paucitatem copiarum suarum sibi haud magnopere metuentes, solutius agebant. Neque Coningsmarckius vi & palam ob inopiam virium aliquid valebat. Itaque ad insidias conversus est. Quæ illi prospere evenerunt. Praga metropolis Bohemiæ, ob magnitudinem in tres civitates dividitur, Parvam, Novam & Veterem; Parva est in sinistro latere Multaviæ fluminis, cui pons ex

quadrato saxo impositus illam cum urbe Veteri conjungit. Nova nunc cum Veteri ita commixta est, ut una urbs esse videatur, quanquam olim suis muris ac limitibus circumscripta fuerit. Igitur Coningsmarckius ex Erfurdia, Lipsia, Egra, adsumptis mille ac ducentis peditibus, una cum equitatu suo vigesima sexta die Julii, præter omnium opinionem Parvam urbem atque arcem Regiam summo mane aggreditur, & priusquam præsidiarii ad arma concurrerent, occupatis præcipuis stationibus in potestatem redigit. Capti ibidem præcipui ex nobilitate Bohemica, & quidam quod initio restitissent interfecti. Urbs militi præter paucas domos in prædam concessa: quæ sane opulenta admodum & præpinguis extitit. Comes Coloredius præsidii præfectus cum jam domus ejus ab hostibus obsideretur, ægre per posticam & pontem in urbem Veterem evasit. In quam cum perveniisset omnia subito tumultu ac strepitu perturbata deprehendit. Sed mox excusso panico terrore expediri arma, aditusque Veteris & Novæ urbis una cum ripa Multaviæ quæ hosti objecta erat, diligenter observari jubet. Sub vesperum Comes Bucheimius cum suis copiis laborantibus auxilio accurrit. Tum omnes stationes novo milite confirmantur. Civibus quoque, & studiosæ juventuti quæ armis ferendis erat idonea, sua loca assignata sunt, quæ adversus hostem tuerentur. In quibus defendendis tanta omnium alacritas ac fortitudo extitit, ut ad initium mensis, Novembris tolerata obsidione, hostium conatus atque insultus irritos reddiderint. Nam initio Coningsmarckii & Wirtembergii qui ex Silesia propere advenerat, impetus facile sustinebant. At vero, postquam quarta Octobris Carolus Gustavus Comes Palatinus, & Suedicæ militiæ supremus Imperator, cum novo è Suecia supplemento advenit, magnis viribus oppugnati sunt, Sed omne intra obsessorum virtutem periculum fuit. Nam etsi perpetua tormentorum verberatione muri major pars ad passus fere sexcentos dejecta esset, crebroque insultus, cuniculique & aggressiones fierent, tamen magno animo conatibus adversariorum obviam itum est. Ita ad initium mensis Novembris protracta obsidio tandem nuncio conclusæ pacis absolvitur. Reliquitque incertum fortuna; an virtus oppidanorum, pertinaciæ oppugnantium tandem cessisset. In urbe enim, etsi alacritas & vigor civium militumque supererant, tamen pulvis tormentarius cæteraque sustinendæ obsidioni necessaria deficiebant: quæ res maturare deditionem poterat. Contra hostes crebris aggressionibus magna detrimenta patiebantur, & quatuor fere millia ex suis amiserant; Jamque erat in propinquo cum auxiliariis Cæsareanis Martinus Maximilianus Baro de Goltz, qui ex Provinciis Austriacis, & vicinis præsidiis manum idoneam Pragensibus subsidio adducebat. Cæterum mihi hoc non sine providentia divini numinis evenisse videretur, ut Bohemia ejusque metropolis Praga, quæ olim sua defectione gravissimo huic triginta annorum bello initium dedit, eadem nunc cognito errore ac mutato proposito, sua fide & constantia eidem bello finem imponat, atque ita prius delictum hac velut pœnitentia emendet. 1648.

Gesta Lamboii in Westphalia & agro Coloniensi.

Dum hæc in Bohemia geruntur Lambojus copiarum circuli Westphalici Dux apud Geisecam Westphaliæ urbem Erneneestum Landgravium Hassiæ commisso modico prælio cædit, capitque. Inde oppugnationem ejus oppidi, quo se Hassicæ aliquot legiones ex fuga receperant, exorsus alieno tempore, & die imbribus fœdo, adeoque solo lubrico & instabili, cum insigni clade repellitur. Sed felicius deinde Westphalia in agrum Juliacensem transgressus Bredenbendam arcem haud procul Linnichio apud Ruram amnem, quæ præsidio Hassico obtinebatur, circumsidet, & post quinque septimanarum obsidionem ad deditionem compellit, Arx

ne

ne deinceps receptaculum hoſtium eſſet, neve ipſe imponendo præſidium, ſuas vires diſtraheret, disjectis muris diruitur. Poſt occupatam Bredenbendam Lambojus exercitum ſupra Bonnam reducit; atque ibi data modica quiete, & accerſitis novis auxiliis, repente peditatu navigiis impoſito equitibus juxta ſequentibus, Sonſam appellit. Quod oppidum medium eſt inter Coloniam ac Noveſium. Ibi expoſito peditatu ac machinis militaribus, unius diei requie militibus conceſſa in Haſſos ducit: qui inter Grevenbrugam & Wevelinghoviam apud Erftam amnem caſtra firmaverant. Igitur Lambojus decima quarta menſis Junii ſummo mane in Haſſios impetum facit. Et principio quidem profligato aliquoties hoſtium equitatu ſecundo prælio utebatur. Cæterum poſtquam ſublato pontis Haſſis in fugam inclinantibus, Erftam tranſeundi poteſtas ablata eſt, repente illi majore impetu coorti Cæſareanos in fugam conjiciunt. Ita peditatus magna pars & tormenta undecim amiſſa ſunt. Sed neque victores ipſi incruentam hanc victoriam habuere. Captus à Legione Holſteiniana Comes quidam à Weida, Vicetribunus in Legione prætoria Haſſorum; cum quatuor turmarum Ductoribus, & octo vexillis, dein gregariis & minorum ordinum, præfectis fere trecentis. Satis conſtat ita afflictum equitatum Haſſicum fuiſſe, ut neque proferre inde caſtra, neque inſequendo hoſtes promovere victoriam potuerint. Porro Lambojus ex omnibus Weſtphaliæ præſidiis refecto celeriter peditatu, paulo ſupra Noveſium caſtra locat. Interim Haſſi, novis ex Haſſia ſupplementis, Equitum præſertim, quorum penuria laborabant confirmati, Marcodurum expugnant. Atque inde Weſtphaliam transgreſſi ſubſequente Lambojo, Paderbornam valido præſidio communitam ſiniſtra circumſident. Ibi tandem concluſa Monaſterii pax finem armis atque hoſtilitati impoſuit.

1643.

Pax univerſalis concluditur.

Menſe Octobri die vigeſima quarta, quod tot omnium Germanorum votis expetitum fuerat, pax illa Monaſterii ſubſcripta eſt, & poſtridie per omnes vicos ſolenni pompa publicata. Id nuncium eo majore gaudio univerſam Germaniam affecit, quia paulo ante inter Regem Hiſpaniarum & Confœderatos Belgii Ordines per Legatus eorundem de pace Belgica convenerat. Conditiones utriuſque pacis, quoniam prolixæ ſunt, neque eas fas fuit in compendium contrahere, candidus lector ſequenti libro reperiet. Nunquam alias præſtantioribus viris Monaſterium atque Oſnabruga abundarunt. Quorum plerique toto quinquennio, quo de pace illa actum eſt, incredibiles labores ac tædia pertulerunt. Ex parte ſummi Pontificis adfuit Fabius Chiſius Epiſcopus Neritonenſis, & ſedis Apoſtolicæ Legatus, qui tamen quoniam multa in præjudicium Religionis Catholicæ neceſſario admiſſa ſunt, ſemper paci fortiter contradixit. Ex parte Reipublicæ Venetæ Aloyſius Contarenus patricius & Senator Venetus, antehac in Gallia, Anglia, atque apud aulam Othomannicam Legatus ordinarius, qui medius inter partes conciliatoris munus egregie adminiſtravit. Nomine Cæſaris adfuere Maximilianus Comes de Trautmansdorf, Eques aurei velleris, & ſupremus aulæ Cæſariæ præfectus, is tamen neque initio neque fini interfuit. Dein Joannes Ludovicus Comes de Naſſau Hademar, & Eques aurei velleris, Joannes Maximilianus Comes à Lambergh, Burgravius Stiriæ, ambo ex interiore Cæſaris conſilio, Henricus Craen, & Iſaac Volmar juriſconſulti, & conſiliarii Aulæ Imperialis. Nomine Regis Hiſpaniarum adfuere Caſparus de Bracamonte & Guſman, Comes de Penneranda, Lopeſius Zapata Comes de Walthor: Joſephus de Beggaim, Epiſcopus Sylvæducenſis, atque Electus Archiepiſcopus Cameracenſis, qui duo Monaſterii diem extremum obiere: Didacus Saviedra Eques ordinis S. Jacobi, & poſtre-

1643.

mo Antonius Bruin Juriſconſultus, omnes Regii conſiliarii. Ex parte Regis Galliarum aderant Henricus de Orleans, Dux de Longeeville, & Princeps Regii ſanguinis: Claudius de Meſmes, Comes de Avaux, antehac ad Rempublicam Venetam, Regeſque Sueciæ & Poloniæ Legatus: Abel Servien Comes de la Roche, conſiliarius Regius: & Joannes de la Barde, Baro de Marolle: Nomine Regni Sueciæ Joannes Comes Oxenſtirna, Baro in Kymitho; Joannes Adler Salvius, ambo Regii conſiliarii, & Scherinus de Roſenhan, Gubernator Oſtrogothiæ. Pro regno Luſitaniæ, Franciſ-
1648. cus de Andrada, & Ludovicus Peecita de Caſtro, ambo ex interiore conſilio, & alias ad Regem Magnæ Britanniæ, atque in Hollandiam & Galliam Legati. Pro Electore Moguntino, Hugo Eberhardus Comes à Scarffenſtein, Eccleſiarum Metropolitanæ Trevirenſis & Moguntinenſis, & Cathedralis Wormatienſis Canonicus: Henricus Bramſer Baro de Rudesheim; Nicolaus Georgius Reigersperger, Eques & Vice-Cancellarius: Joannes Adamus Krebs, & Petrus Braum Juriſconſulti. Pro Electore Colonienſi, Franciſcus Guilielmus Epiſcopus Oſnabrugenſis: Theodorus Adolphus de Reck, Præpoſitus Paderbornenſis: Arnoldus de Landsbergh: Theodorus Hermannus à Merfelt, Cancellarius Monaſterienſis, & Petrus Buſchman Juriſconſultus & Cancellarius Paderbornenſis. Pro Electore Treverenſi, Hugo Fredericus ab Eltz, Canonicus Moguntinenſis & Trevirenſis: Joannes Anetanus Cancellarius: Joannes Theodoricus Bruwerius Officialis, & Hermannus Adolphus Scherer Juriſconſultus. Pro Electore Bavariæ, Georgius Chriſtophorus, Baro de Haſlang, Aulæ Bavaricæ Mareſcallus: & Joannes Adolphus Krebs Juriſconſultus. Pro Electore Saxoniæ, Joannes Erneſtus Piſtorius, & Joannes à Leuberen Conſiliarii intimi. Pro Electore Brandenburgico, Joannes Comes de
1648. Sain & Witgenſtein: Joannes Fredericus de Lewen, Baro de Schonfelt, Fredericus ab Heiden, Joannes Portmannus, Petrus Fritz, & Joannes Fromholt Juriſconſulti. Pro Electore Palatino, Joannes Streuff, & Joachimus Camerarius Conſiliarii. Pro Duce Sabaudiæ, Claudius Chabor, Marchio S. Mauritii alias in Angliam & Galliam Legatus: & Franciſcus Bileſſia Juriſconſultus. Pro Duce Mantuano, Franciſcus Nerlius, Comes Valderii, & Hieronymus Comes Sannazarius & Senator Montisferrati. Pro magno Duce Hetruriæ, Athanaſius Rudolphus ejus in Aula Cæſarea Orator. Pro Fœderatis Belgii Provinciis, Bartholdus à Gendt: Joannes à Matenes: Adrianus Pauw: Joannes de Knuyt: Gothardus à Rheede: Franciſcus Donia: Guilielmus Ripperda, & Adrianus Klandt: Præter hos cæterorum Imperii Principum, Comitum, Baronum, & Civitatum liberatum Legati magno numero adfuere. Pace igitur perfecta mox ad omnes exercituum præfectos nuncii de eâ miſſi ſunt, juſſumque ab armis abſtineretur. Deinde de miſſione militum, conferendaque pecunia, & reſtituendis oppidis, cæteriſque quæ in inſtrumento pacificationis ſancita erant, efficiendis, ſerio agi cæptum eſt. Eam in rem nova conventio, Norimbergam inſtituta eſt inter ſupremos exercituum præfectos, & Legatos primariorum Principum. Quid ibi tranſactum fuerit Lector ſequenti libro poſt inſtrumenta pacis inveniet. Quoniam vero ea tractatio præter omnium opinionem tardius procedebat, principio placuit, ut exercitus per omnes Imperii provincias diſtribuerentur. Obtigerunt in ea diviſione Imperiali exercitui Bohemia cæteræque hæreditariæ Cæſaris provinciæ. Bavarici per Bavariam & vicina loca diſtributi ſunt. Sueci per reliquos imperii circulos viritim aut manipulatim in Hoſpitia per pagos atque oppida diſpoſiti. Paucæ urbes Imperiales hoc militarium hoſpitiorum onus pecunia redemerunt.

Sub idem tempus Vladiſlaus IV. Polo- 1648.
niæ *Varia.*

niæ Rex, rebus humanis excessit, eo majore regni damno, quod paulo ante Duce Bogdano Chmielnicio ortum à Cosaccis bellum, obitu Regis in manifestam defectionem erupit. Fœdum id atque atrox interregnum immanitate Cosaccorum fuit. Qui adscitis in societatem Tartaris Præcopensibus Boristhenem transgressi magnis cladibus provincias Polonicas implevere. Nam cæso apud Constantinoviam Polonico exercitu, ad ipsa prope Varsaviæ mœnia populabundi excurrebant. Eo magis ad novi Regis electionem properatum, quæ demum mense Novembri felicibus auspiciis peracta est. Creatus igitur consensu omnium Joannes Casimirus Vladislai frater, quem ante annos paucos ex Societate Jesu assumptum, Pontifex Cardinalem fecerat. Sub hæc comitia regni celebrata sunt, auditique Legati Cosaccorum qui cum alia atque alia peterent, quæ in Regni Poloniæ ac nobilitatis gravissimum præjudicium cederent, neque interim ab armis desisterent, merito rejecti sint; Decretum deinde in eos bellum, constituta pecunia, auxiliaque quibus gereretur, & administratio ipsius Regi permissa. Quod quomodo deinceps gestum sit, in sequentibus compendio memorabitur. Mense Julio ejusdem anni Ferdinandus III. Imperator, ad secundas nuptias transivit, ducta in matrimonium Maria Leopoldina patrui sui Leopoldi Comitis Tyrolensis, & Claudiæ Principis Hetruriæ filia. Breve id matrimonium Cæsari fuit. Augusta anno insequente, mense Augusto postquam filium enixa esset, eodem adhuc die, magno Aulæ totius luctu, fato repentino extinguitur; incertum incuriane obstetricum, an occulto puerperii morbo. Infanti nomina data Ferdinandus Carolus Josephus. Cæsar, ne præsentia funeris ægritudinem animi intenderet, de consilio Medicorum Vienna Eberstorphium recessit. Exequias solennibus ceremoniis præsente Eleonora Augusta, vidua, Episcopus Viennensis peregit.

Inter hæc magnæ Britanniæ Rex Carolus civilium motuum intestina dissidia suo sanguine aut finivit, aut incepit. Nam capto uti ante memoravimus Oxonio, cum Rex ad castra Scotorum desperata omni defensione profugisset: Scoti accepta pecunia Regem Anglicanæ militiæ primoribus tradiderunt; ea lege ut honestis cum illo conditionibus transigerent, eumque in regnum & dignitatem reponerent. Rex ab exercitu Anglicano, ejusque supremo præfecto Thoma Farfaxio summo honore acceptus est. Atque inde apud Vectem Insulam, in arcem Caresbroch in custodiam datus. Ibi cum initio magnifice, & proxime libertatem haberetur, paulatim tamen arctius ac difficilius haberi cœpit. Interim Londini in Parlamento Regio de restitutione ipsius & conditionibus pacis agebatur. Quæ dum fere ad exitium perductæ essent; repente primores Militiæ in quorum potestate Rex erat, nihil minus quam restitutionem ejus desiderantes, tractationi huic intercedunt, oblatoque libello quem multis in Regem criminationibus referserant, vocari illum in jus & cognosci de criminibus ipsius postulant. Summa accusationis erat, intestina atque atrocis belli invidia; quod ille contra leges patrias, quibus etiam Reges tenerentur, temere & crudeliter contra innocentes subditos suscepisset, nulla alia de causa nisi ut vim atque authoritatem Parlamenti opprimeret, quo ipse quasi freno solutus in opes atque animos subditorum dominaretur. Hinc suæ potentiæ stabiliendæ graves contributiones exegisse, per Episcopos novas ceremonias ac ritus Papisticos induxisse in Ecclesias; Germanos equites, pedites Hibernos per urbes atque oppida velut in præsidiis collocasse: In Hibernia Catholicorum delectus habuisse: A Rege Daniæ aliisque externis arma, equos, auxilium petivisse: sollicitasse exercitum Anglorum, Scotorumque pretio; Illius urbem Londinum diripiendam, his quatuor provincias Aquilonates regno Scotiæ adjun-

1649. *Res Anglicanæ. supplicium Regis.*

1649.

adjungendas promisisse, si ad Parlamenti exitium secum conspirarent. Cæterum cum ad libellum à Parlamento non responderetur, Farfaxius & Cromvellius Anglicani exercitus supremi, cum exercitu Londinum advolant, occupataque urbe quotquot factioni eorum adversabantur è Parlamento ejiciunt, novosque inde senatores, & suarum partium substituunt. Independentes plerosque, & Regiæ gubernationis osores. Ex his deinde & militiæ anteſignanis novum Justitiæ tribunal constituitur quod de Rege cognosceret. Ita instituta actio, in qua reus ab accusatoribus judicaretur, quæ quem exitum habitura esset, jam facile erat omnibus divinare. Nihil interim Scotici, aut confœderati Belgii, aliorumque Principum Oratores ne ad differendum quidem judicium valuere. 1649. Rex ad novum tribunal citatus, adductusque Londinum per custodias militares, dum respondere ad objecta, Judicesque illos agnoscere dedignatur, festinata sententia tanquam Tyrannus & hostis patriæ, qui nefario bello Rempublicam petivisset, ad supplicium capitis condemnatur. Triduum comparando ad mortem animo Regi datum est. Quo exacto, nona Februarii die anno millesimo sexcentesimo quadragesimo nono damnatus Rex in ferale & sanguinarium theatrum, quod palam ante Palatium Regium exstructum visebatur, armatis legionibus circumdatum producitur, atque ibi à duobus larvatis lictoribus, more Anglicano securi percutitur. Pauca ad circumstantes in theatro prolocutus est. Testatus sibi innocenti vim fieri, remittere tamen noxam adversariis suis, & precari Deum, ut morte sua tranquillitas regno redeat. Professus deinde est se in ea Religione & Ecclesia mori quam Rex Jacobus, pater ejus ordinavisset, quamque ipse semper defendendam suscepisset. Mirum est duravisse Anglorum oculos in tam atrocis spectaculi immanitatem, cum omnium nationum, etiam maximè barbarorum animis, inditus sit amor in Reges & Principes suos, ac quasi congenitus, quorum non modo majestatem inviolabilem, sed etiam opibus & sanguine subditorum strenuè propugnatam, omnes omnium gentium historiæ testantur. Hunc exitum habuit Carolus Primus ejus nominis Rex Magnæ Britanniæ, inter tragicæ fortunæ exempla omnibus retro sæculis memorandus. Natus est sub initium anni sæcularis MDC. Patre Jacobo VI. Scotiæ atque 1649. Angliæ Rege; matre Anna Friderici II. Regis Daniæ filia Anno MDC XXV. post mortem Jacobi regna patris adeptus est, duxitque in uxorem Henricam Mariam Henrici IV. Regis Galliarum filiam cum qua fœcundum illi & stabile matrimonium fuit. Filios duos natu majores ex Anglia, ingravescentibus indies turbis, securitatis causa, in Galliam ad matrem remisit. Illi erant Carolus Princeps Walliæ, & Jacobus Dux Eboracensis, filia major Principi Orangio, ut supra retulimus, in matrimonium collocata est. Duo adhuc præterea, ex liberis, ni fallor, in Anglia post mortem Patris remansere. Porro trucidato Rege, in bona ejus amicosque ne ultores supererent, pari crudelitate sævitum est. Duo filii Carolus & Jacobus eorundem judicum decreto hostes patriæ denunciati, & regno perpetuum abstinere jussi sunt. Dux Hamiltonius, Comes Hollandiæ, My-lord Cappelius, aliique Regiarum partium, qui in potestate judicum erant, securi percussi. Regia dein gubernandi ratio sublata, edictumque sub mortis pœna ne de reducenda ea ageretur. Denique ut apud populum speciosum Imperii nomen, res vero ipsa, ac potentia penes paucos factionis Principes esset, Superior Domus, quæ primum Parlamenti membrum constituit, atque ex Proceribus Regni constat, per edictum tollitur; abrogata illi deinceps omni

Mutatio status.

Mutatio status.

omni authoritate consulendi, definiendique. Ita summa imperii ad inferiorem Domum, quæ capita populorum, ac Legatos Civitatum complectitur, devoluta est. Ex his delecti quadraginta constituendæ, gubernandæque novæ Reipublicæ. Id consilium Status appellatum
1649. est, ejusque Princeps constitutus est Olivarius Cromvellus, in exercitu Anglicano Legatus Farfaxii. Multa mox ad arbitrium ipsorum, in Ecclesiastico ac Politico statu commutata. Fractum sigillum regium. Insignia ejus dejecta. Bona ac thesaurus regius in fiscum redacta. Cusa nova moneta cum hoc titulo: *Respublica Anglicana.* Editum deinde in vulgus scriptum nomine Parlamenti, quo causæ reddebantur quare punitus Rex, & Domus Parlamenti major abrogata esset, & quantum deinceps Reipublicæ interesset, non ab uno, sed à populo gubernari. Quibus omnibus expeditis Cromvello expeditio in Hiberniam decernitur. Farfaxius ad promovenda novi Regiminis auspicia Londini relictus. Ordinata in bellum Hibernicum centum & quinquaginta millia librarum Sterlingarum, quarum singulæ quinos fere thaleros Imperiales, aut paulo amplius faciunt. Cum hac pecunia & decem millium exercitu, magnoque numero Nobilium, Regia pene magnificentia Cromvellus in Hiberniam profectus est. Et felix illi pri-
Res Hiberniæ. ma hæc expeditio fuit. Nam Marchio Ormundus Catholici & Regii exercitus Dux uno alteroque prælio profligatus campo excessit. Inde Dublinum quod caput illius expeditionis fuerat, obsidione liberat. Id oppidum est inter primaria Hiberniæ, Archiepiscopatu, & Palatio Regio insigne, situ imprimis amœno ac permunito, juxta fluvium Lissium, haud procul mari quod Angliam atque Hiberniam interfluit Atque id jam diu Ormundus circumsederat. Quod si tum quidem Angli amisissent, facile potuissent tota Insula prohiberi. Est
1649. enim illuc ex Anglia in Hiberniam trajectus procommodus, & statio navibus præsertim militaribns tutissima. Regio vero omnis rerum necessariarum copia abundat, præterquam lignorum, in quorum vicem carbone fossili, quem eo ex Anglia naves deferunt, utitur. Itaque adfuit periclitantibus in tempore Cromvellus: secutæque liberationem Dublini urbes permultæ; aliæ vi, aliæ deditione; aliæ etiam ne vim experirentur sponte desperato omni auxilio in potestatem Anglorum concedebant. Cæterum Scotos hæc ab Anglis in Regem suum instituta actio gravissime offendit, nam renunciata confestim pace, & si bello infelice utebantur, cæso captoque duce eorum Marchione Hamiltonio, tamen non deserendum Regem, sed propugnandum omni ope decrevere. Postquam vero res eo perducta est, ut è manibus hostium eripi non posset, ipsi eodem prope tempore quo de capite Regis Londini agebatur, convocato Edenburgi concilio, Carolum filium Regem renunciant. Legatosque mox in Hollandiam expediunt, ubi tum Carolus Princeps Walliæ morabatur, qui eum ad capessendum regnum, & vindicandam Patris injuriam hortarentur. Carolus audita Patris morte Regium titulum mox usurpavit. Inde Brædæ cum Legatis Scoticis diu colloçutus præeuntes illos tandem in Scotiam subsecutus est, feliciterque eo appulit paulo post quam Montrosius Regiarum copiarum Dux Edenburgi capitis supplicio afficeretur.

In Scotia Caroli filius Rex proclamatur.

Dum hæc in Britannia geruntur Elector Colonienſis Ferdinandus, idemque Princeps & Episcopus Leodienſis, urbem Leodium jam diu rebellem ac refractariam vi atque armis ad officium compulit. Cum enim, ut supra indicavimus plebs sine ulla reverentia Principis Consularia comitia invasisset, res eo demum per licentiam paucorum perducta est, ut excussa omni erga Principem obedientia, sese in libertatem asserere, aut certe alterius dominationi subjicere

Leodium ab Elect. Colon. ad obsequium redegitur.

niteretur, nam & Legatos in Galliam miserant, & à fœderatis Belgii Ordinibus auxilium crebro ac sollicite petebant. Jamque Consules & Magistratus ejecto supremo Justitiæ tribunali Regalia Principis usurpabant, sibique in cives Jus vitæ ac necis arrogabant, aliaque multa quæ supra potestatem ipsorum erant, impune & ferociter designabant. Princeps nihil intermittebat ut res lenibus remediis componeretur. Ad extremum cum nullis rationibus quicquam proficeret, ipse eo proficisci, & rem turbatam sua præsentia ad tranquillitatem reducere constituit. Id factum anno superiore, mense Julio, quo Princeps una tantum equestri, & altera pedestri cohorte ad sui corporis custodiam comitatus Bonna Visetum, quod haud procul Leodio distat, contendit. Ibi celebratis Ordinum Comitiis, evocatisque Canonicis Cathedralibus, (quorum tamen pauci cum Decano Ægidio à Bocholts nescio quam ob causam evocanti Principi paruere,) de statu perturbato, & reducenda Patriæ tranquillitate deliberavit. Interim electi sunt novi Consules Petrus Wilmar cerevisiarius, & Waltherus Hennet Pharmacopæus. Ea electio cum de more Principi significari deberet, nihil ejusmodi factum, contra vero ingruente jam nocte, festiva machinarum explosione velut de Principe triumphatum est. Visum nihilominus Ordinibus patriæ optimum tranquillitatis remedium præsentiam Principis fore. Nam ita esse ingenia Leodiensium, ut quam præfracti & contumaces in absentes Principes sint, tam prompto obsequio præsentes reverantur. Igitur Princeps die decima Augusti, comitante sola equestri custodia, & aliquot Patriæ nobilibus, ac majore Scabinorum numero, Viseto Leodium discedit pacato agmine, Præmisso in urbem Cancellario qui Consules de adventu suo doceret. Cum ad pagum Herstallium, qui Brabantinæ ditionis est, atque ad Principem Orangium spectat perveniisset, adferuntur literæ ex urbe à Cancellario ad Principem scriptæ, quibus nunciabat, Consules ei significatum velle, directa esse in Principem ac comitatum ejus tormenta bellica si urbi appropinquaret, vim insuper trium aut quatuor millium armatorum emittendam, ut venientem aditu prohibeant. Proinde monebat Cancellarius ulterius ne progrederetur, seque ac suos evidenti periculo, & urbem ultimis casibus ne exponeret. Urbem totam esse in armis, per omnes vicos & compita discurrere veluti furiosos, maximeque tumultuari apud portam qua Princeps intraturus sit, auditæ ibidem impune voces mortem atque omnia extrema Principi & comitatui ejus comminantium. Nunciatum præterea, navigium onerarium, quod vehendis Principis impedimentis adversa Mosa præmeaverat, in conspectu civitatis regredi & descendere jussum, nisi expilari mallet. Princeps ad ea immotus nihilominus perrexit præmisso interim exconsule Visetense Maretio qui certiora referret. Is male à custodibus portarum habitus atrociora ex vero retulit. Simul adferuntur aliæ literæ à Cancellario quibus priora confirmabantur, non portas modo, sed & animos Leodiensium Principi clausos. Jamque initium cædis ab egressis Leodiensibus factum fuerat. Tum Princeps tanto rebellium furori cedendum ratus, converso itinere Visetum rediit. Et mox Hujum conventum Ordinum Patriæ edixit; atque eo Capitulum Leodiense, cui ipse in urbe adesse prohiberetur transtulit. Huic autem Translationi Decanus & pauci Canonici cum Magistratu urbano refragabantur. Decanus haud multo post ex vulnere femori casu inflicto moritur. In cujus defuncti locum à Capitulo jam diviso ac dissidente duo eliguntur, Maximilianus Henricus Coadjutor Colonienſis, & Arnoldus à Leeraedt, hic à paucis qui Leodii remanserant, & Translationi Capitulari adversabantur, ille

1649.

1649.

à majore

à majore ac saniore parte, quæ evocantem Principem Hujum secuta fuerat. Post hæc Princeps Bonnam reversus est.
1649. Magistratus vero Leodiensis ac pauci refractarii in sua porro contumacia pergebant. Itaque Princeps cum nullis amplius rationibus, aut lenibus remediis locus esset, habito consilio cum Capitulo Cathedrali, & ordinibus Patriæ, vi eos ad officium compellere decrevit. Atque ad eandem rem Coadjutorem Colonienſem, ac jam etiam Decanum Leodiensem. Hujum cum paucis copiis sub Cratzio, Vossio & Schrotzio Tribunis præmisit. Venit is Hujum hoc anno mense Julio, publicatoque edicto nomine principis veniam anteactorum omnibus concedit, exceptis quinque aut sex è magistratu, & paucis eorum consortibus, cum autem iis multitudo parum commoveretur, tribunis negotium datum ut arces aliquot circa urbem occuparent, ex iisque consilia & actiones oppidanorum observarent. Interim prope erat dies Divo Jacobo Apostolo sacer, quo annua creandorum Consulum comitia celebrantur. Is dies jam ab annis aliquot magno tumultu agitatus fuerat, dum studia Civium pro hac aut illa parte nitentium in diversa trahuntur. Itaque nonnulli spem conceperant motus alicujus in civitate ab iis qui sub obsequio Principis remanebant, usuris forte propinquo subsidio militarium copiarum. In eam rem intentus Tribunus Schrotzius, ipse patria Leodiensis, & ingenii suorum gnarus eo die copias instructa acie è munitionibus suis in conspectum civitatis educit. Atque ibi aliquot horas consistens spem ex propinquo audentibus ostentabat. Sed Leodienses in objectas copias è tormentis bellicis acriter fulminabant. Qua clade quinque equi & duo equites discerpti sunt. Cum autem aliqui ad pellendos inde hostes erupissent, ii ita excepti sunt, ut tota urbe terrorem spargerent inter hæc tamen electio processit. Creati sunt Consules Boville, & Jacobus Hennet, frater Wilhelmi qui anno superiore Consulatum gesserat, urbis partes sequebatur totus fere tractus litoralis Mosæ, qui Hujum ac Leodium interjacet, ac dein quatuor pagis propinquiores urbi qua Germaniam respicit, Sancti Remacli, Jupilia, Fleron, & Chainée. Crebris interim eruptionibus licet infaustis, & cum aliqua semper erum- 1649.
pentium clade, contumaciam indies majorem testabantur Leodienses, & vana subsidiorum spe, quæ in proximo esse fingebant, credulæ plebi illudebant; Dimisso iterum Perottio in Galliam qui festinationem auxiliorum sollicitaret. Sed Baro de Wagnee Bullionensis Ducatus Gubernator à Principibus præmissus missionem Perottii irritam effecit. Neque enim Rex ac Regina Galliæ cognita Leodiensium in Principem suum irreverentia, ac manifesta rebellione dignos Duxerant, quibus auxilium impenderent. Sed hæc callide Consules dissimulabant; aut quia nihilominus sperabant se aliquid exoraturos, continuo plebem spe auxiliorum brevi affuturorum sustentabant. Nulla interim facta mentione quomodo cum Principe in gratiam redirent, aut pacem ac tranquillitatem Patriæ reducerent. Interim Generalis vigiliarum præfectus Otto Christophorus Sparr, cum Circuli Westphalici copiis, & duobus mortariis, ac duodecim tormentis bellicis, omnique necessario apparatu jussu Principis advenit. Et nona Augusti die Viseti cum Coadjutore Maximiliano Henrico, ac cæteris tribunis collocutus, senatum militarem habuit. Ibi decretum, quoniam nullum alias remedium superst, ut arma in Rebelles expedirentur. Atque ut initium fieret à pagis urbi circumpositis, sine quibus ad ipsam perveniri non possit. Id negotium Generalis Sparrius præfectus expeditionis in se suscepit. Qui receptis ad se Cratzio & Schrotzio tribunis ac trecentis 1649.
quos illi adduxerant, equitibus; reliquis

cum Tribuno Voſſio trans Moſam relictis, cum omnibus copiis ſuis quæ erant paulo ſupra tria millia, & quingentos, Pago Fleronio appropinquavit. Is erat dies Auguſti decimus. Præmiſit autem tibicinem qui obſequentibus veniam offerret. Sed illi Caduceatorem hunc male acceptum pago ejiciunt. Tum Sparrius haud amplius cunctandum ratus tormenta aliquot, in pagum explodi juſſit, ac ſimul peditatui aggreſſionem imperat. Qua re feliciter peracta pagum incendit, ruſticis aut cæſis aut fuga ſalutem quærentibus. Atque eodem adhuc die ſub veſperam ad alterum pagum Jupiliam caſtra movit, juxtaque illum in vicino colle cum omnibus copiis quietus conſedit. Tum quia nox imminebat inopportuna aggredientibus, tum ut videret quantum animi ſupereſſet Jupilienſibus, è vicini incendii ſpectaculo ſuam ſi perſeverarent fortunam æſtimaturis. Poſtridie miſit Sparrius in pagum Sacerdotem ex Monaſterio Caphenſi haud procul inde diſſito, qui ſe ad id munus obtulerat, putabarque ſe effecturum ut oblata venia ab armis diſcederent. Jupilienſes Sacerdotem apud ſe ſine ullo reſponſo retinuere; Quod dum Sparrius præſtolatur repente nunciant excubitores venire ex urbe multas copias auxilio Jupilienſibus. Erat inter has Conſul ipſe Jacobus Hennet. Igitur Sparrius expeditis tormentis pagum à peditatu invadi, equites vero circumgredi illum jubet. Ibi acris initio pugna committitur. Sed pervicit virtus militum. Pagani rejecti, quique iis auxilio ex urbe venerant ſeſe omnes in fugam
1649. conjiciunt. Qui à circumgreſſis pagum equitibus excepti, magna ſtrage funduntur, ac ſi omnis equitatus adfuiſſet, pauci ſane ad urbem incolumes revertiſſent. Cecidere in univerſum fere quadringenti, atque inter cæteros Conſul ipſe, Qui relicto equo dum in ipſius Pagi anguſtiis, & occultiore aditu ſalutem quærit, à militibus deprehenſus interimitur. Apud hunc reperta eſt Clavis Argentea, inſigne Conſulatus, bono utique omine victorum, potituros brevi etiam urbe, cujus clavem jam præcepiſſent. Jupilia dein cæſis inquilinis etiam incenſa eſt. Poſt hanc cladem reliqui pagi depoſitis armis ſponte ad obedientiam rediere. Memorabile fuit hoc infortunium Leodienſium. Quia in pervigilium Divi Laurentii incidit, quo die ante annum Principem ſuum cum inſigni contumelia aditu urbis prohibuerant. Ac Jupilienſes in eo præterea peccaverant, quod eodem die primi omnium pulſu campanarum, ſocios pagos ad ſumenda arma, & reſiſtendum Principi concitaverant. Interim Comes Itelius de Merode, & Baro Lindanus juſſu Principis ex obſequentibus Pagis, & Condroſiis manum Provincialium adduxere; ii fere erant tria millia. Et opportune admodum adveniebant, quia Sparrius propter paucitatem ſuorum, qui in varia præſidia diſtrahebantur ad ſummam rei nihil adhuc efficere poterat. Ipſe tamen duodecima Auguſti motis jupilia caſtris urbem verſus ad Cænobium Carthuſianorum contendit; ac emiſſis quadringentis peditibus Suburbium Amercour ad ipſas uſque portas incendio devaſtat. Eo die Timpaniſta oppidanus literas à Magiſtratu ad Tribunum Schrotzium in caſtra attulit; quarum hæc erat ſententia: Mirari ſe ſatis non poſſe cur ipſe Patriam ſuam manifeſto bello adortus ſit, cui bello neque ipſi, neque ulli mortalium cauſa à ſe data ſit. Ita- 1649.
que petere ut hujus inſtituti ſui rationes edere non gravetur, quo ſuper iis cum vicinis Regibus ac Principibus conferre atque eos hujus controverſiæ arbitros poſtulare ac conſtituere poſſint. Deinde rogabant, ut Conſulem quem captum eſſe exiſtimabant in libertatem reſtitueret. Ad ea Sparrius interjectis paucis diebus ſic reſpondit: vidiſſe ſe literas quas ad Schrotzium dederint, & quoniam ipſe caput expeditionis ſit, hoc iis tribuni nomine reſpondere; Cauſam illati belli eſſe irreve-

reverentiam ipſorum, & inexcuſabiles contumelias quas Principi ſuo intulerint. Inter quas vel ea maxima ſit quod illum anno proxime ſuperiore, die S. Laurentii ſacro, pacato, & modico comitatu venientem ingreſſu urbis armati prohibuerint. In qua inobedientia & rebellione ita progrediuntur, ut nulla hactenus clementia, aut æquis rationibus ad officium revocari potuerint. Itaque ſibi negotium datum eſſe, quoniam nullum amplius remedium ſuperſit, vi atque armis eos ad debitum obſequium compellere, atque ejus rei initium feciſſe ſe occupatis duobus pagis Fleronio & Jupilia; iiſque, quia oblatam Principis ſui veniam præfracte recuſaverant, incendio deletis. In qua re, vindicante haud dubie juſto Numine, æquam cauſam triumphaſſe, & alterum ex Conſulibus ipſorum interfectum eſſe. Quoniam vero Princeps, qua eſt inſigni erga ſuos clementia, gratiam vi atque armis præferat, ideo rogare ſe atque horrari eos, ut quam primum ad officium redeant.
1649. Quod ſi facere detrectent, conteſtari ſe Deum, atque omnes mortales, quæ deinceps mala atque incommoda ſint eventura non ſibi ſed ipſis imputanda eſſe.

Poſt hæc Sparrius quomodo urbi magis magiſque appropinquaret omni conatu intendit. Itaque relicto apud Cænobium Carthuſianum Tribuno Schrotzio & Barono Lindano, cum reliquis copiis apud Viſerum Moſam tranſgreditur, ut ab ea etiam parte vim oſtentaret. Tria ibi erant ſuburbia S. Leonardi, S. Walburgis & Aurotanum, quæ ut in poteſtatem redigeret Sparrius laborabat. Interim legati ex civitate ad Coadjutorem Maximilianum Principem venêre, quorum anteſignanus erat Jardinus, unus ex iis qui ante annum in Galliam miſſi fuerant. Qui expoſitis poſtulatis ſuis apud Baronem Grosbechium Archidiaconum Condroſii & Cancellarium Leodienſem, etſi apparebat iis Principem aſſentiri non poſſe, tamen publice auditi ſunt. Eratque eorum hæc ſumma, Ut ab actionibus utrinque ceſſaretur, utque miles leuca Bannali excederet. Deinde ut de arbitris, Fidejuſſoribus & de legatis, deque loco ubi pro communi civitatis & patriæ ſalute tranſigendum eſſet, conveniretur. Ad ea Princeps Maximilianus reſponderi juſſit; arma adverſus rebelles neceſſario ſumpta, & ceſſatura quamprimum ii ad officium redierint. Si in contumacia perſeveretur nihil de vi remitti poſſe: Principis Clementiam, ejuſque ad æquas tranſactiones pronam voluntatem ſuperiorum temporum acta teſtari. Cujus verba, & manus, & ſigilla pro cautione fidejuſſoria ſufficere debuerint. 1649. At quia tam projecta fuerit Magiſtratui Principis ſui authoritas; ut venienti portas occluſerint, non aliam ſibi relictam tranſigendi poteſtatem, quam ut in reparationem injuriæ illius porta ad S. Walburgem tradatur, quæ eſſet oportuna tractatui, & ne facile vis inferri poſſet, ſecuritatem præſtaret. Cum vero inſtarent Delegati ut ſaltem tridui induciæ concederentur, (Neque enim cum ejuſmodi reſponſo apud feroces ſuorum animos vitam revertentium in tuto fore) oſtenſæ ſunt iis literæ quibus ab externis enixe auxilium efflagitabant, quæ quoniam non viderentur eorum eſſe, qui in gratiam recipi deſiderarent, cum hac properatione ad ſuos dimiſſi ſunt. Interim Sparrius, occupato Cænobio S. Ægidii in monte ſito, crebro urbem atque aditus illius fulminantibus machinis infeſtabat. Atque inde ruſticorum foſſorum indefeſſa opera adjutus aggeribus urbi appropinquat ad partem uſque Aurotani Suburbii, ubi deinde & Cænobio Wilhelmitarum potitus eſt. Denique & Cænobio S. Laurentii vis admota. Quod cum oppidani magno animo defenderent; tamen ad extremum virtuti militum ceſſerunt. Porro Magiſtratus ac potiores civium cum viderent rem ſerio

agi, atque urbem quotidie periculo propiorem fieri, tandem de deditione agere constituunt. Igitur vigesima octava Augusti tribunus Jamar cum nonnullis aliis ex civitate ad Sparrium mittitur, ut impetrato ab eo libero commeatu Principem Maximilianum Hujum adirent, cum eo de deditione acturi, Sparrius Legatus, respondit: Rem eam moram
1649. non ferre. Apud se minore temporis compendio transigi posse, qui una cum Canonico Tabolet super ea re potestatem à Principe accepisset. Itaque datæ iis viginti quatuor horarum induciæ intra quas communicato cum suis consilio ad se redirent. Interim Sparrius tormenta in suggestus efferri, atque omnia ad aggressionem necessaria, si forte Legati remanerent, diligenter instituit. Postridie redeunt Legati, atque urbem dedunt, tribus tantum personis ab universali venia exclusis. Interim dum de deditione agitur, Bartholomæus Rolandus superiorum annorum Consul, ex iis qui acerrime Principi restiterant, atque authores occludendarum portarum fuerant, fugam meditabatur, adsumpto in socium tibicine Hollandico, cui filiæ suæ matrimonium Rolandus promiserat. Sed Deo visum non fuit, ut præcipuus seditionis author condignas pœnas effugeret. Itaque, licet mentito habitu, & militis Trajectensis speciem præ se ferens, deprehensus ab equitibus qui urbem cingebant, atque ad Sparrium in castra perductus est. In urbe vero concidentibus plane factiosorum animis Waltherus Hennet, superioris anni Consul, à globo civium correptus, atque in vincula conjectus est. Peracta transactione eodem adhuc die sub vesperum Sparrio duæ portæ S. Walburgis & Martini, Schrotzio vero ab altero urbis latere porta Amercour traditur. Princeps Maximilianus de omnibus rebus celerrimis nunciis edoctus, ultima Augusti, comitante Landgravio Darmstadio, & idoneo armatorum præsidio stipatus urbem triumphabundus ingressus est, atque ad palatium ab acclamante plebe deductus. Inde triduo 1649.
post, Capitulum & supremum Justitiæ tribunal Auro Leodium reduxit. Tum edictum publicavit ut cuilibet gratia Principis Electoris non excepta, fas esset redire ad sua: Milites vero, retento tamen apud urbem, ad corporis sui custodiam sufficienti præsidio, per vicinos pagos in hospitia distribuit, ut assignato singulis diario ab agendis prædis, & populationibus abstineretur. Post hæc Princeps Elector audita deditione Leodium iter instituit. Pridie vero quam urbem ingrederetur de Consule Hennet palam in foro supplicium sumptum est, idque propterea, quoniam ferociter juraverat se vivo non futurum ut Princeps in urbem intromitteretur. Caput ejus à cervicibus reciśum, Portæ S. Leonardi quam Principi Consul occluserat, impositum fuit. Eadem pœna haud multo post Bartholomæus Rolandus, etsi multis deprecantibus, commune Rebellionis crimen expiavit. Tum Elector convocato Ordinum conventu statum Civitatis ac patriæ ordinare aggressus est. Numerataque Sparrio pecunia eum cum exercitu in Germaniam remisit, retentis apud se bis mille peditibus, & equitibus fere ducentis. Adjecit deinde animum ad corrigenda Comitia Consularia, à quibus nempe tota mali labes profluxerat. Ac primum Consuli Boville, magistratus munere confirmato, Collegam addidit Wanzoulle, qui pridem à factiosis in vincula conjectus, & dum urbs deditur, ab iisdem exemptus libertati pristinæ restitutus fuerat. Deinde Comitia à tribubus plebeis ad Senatum transtulit cum hac moderatione; ut ex viginti duobus quos Princeps vel ejus concilium nominaret, unum; atque ex totidem qui à Commissariis nominarentur, alterum Consulem eligerent. Plebs ademptum Comitiorum jus non nisi inani rumore questa est. Consules vero ac primores Civitatis Principi gratias egere. Judicia

dicia autem Conſularia ac Juratorum, quæ veteri more intra civitatem certis limitibus ac perſonis continebantur, jam vero ab aliquot annis factioſis Conſulibus promiſcue ultra præſcriptos limites, per totam Provinciam, atque in perſonas exemptas, temere ac violenter exercita fuerant, Princeps Scabinis Leodienſibus, & Collegio triginta duumvirum ordinario reſtituit ac tranſcripſit. Dignum ratus, ut qui alienum invaſiſſent, ſuo etiam jure exciderent. Publicato inde edicto præteritorum veniam omnibus indulſit, exceptis cædibus & rapinis, quæ per hos tumultus contra jus & fas commiſſæ eſſent. De quibus certos extra ordinem Judices cum Statibus Patriæ nominavit, qui cognoſcerent & controverſias finirent; idque intra menſem, & remota omni provocatione. Poſtremo quoniam Elector in ſenium vergebat, ut huic etiam Eccleſiæ de Coadjutore provideretur, ſicut Coloniæ jam factum fuerat, impenſe deſideravit, eo magis quo turbatior Reipublicæ ſtatus, & genius civitatis turbis obnoxius certum ac potentem ſucceſſorem poſtulare videbatur. Igitur indicta hunc in finem electio decima nona menſis Octobris ad votum Principis feliciter ſucceſſit Renunciatuſque Coadjutor Princeps Maximilianus, Henricus factam in ſe electionem ratam habuit. Rebus in hunc modum compoſitis Elector relicta Principi Coadjutori Eccleſiæ & Reipubl. cura Bonnam reverſus eſt. Hunc exitum habuit rebellio Leodienſis, quæ ſane niſi in tempore oppreſſa fuiſſet, multorum in eam oculis directis, magnis aliquando motibus Imperium, licet jam pacatum, quaſſatura videbatur.

1649.

Sub initium hujus anni Joannes Caſimirus Rex Poloniæ in magno Procerum conventu Cracoviæ ſolennibus ceremoniis inauguratus eſt. Ac deinde ducta in matrimonium ex diſpenſatione ſummi Pontificis, defuncti fratris vidua Aloyſia Maria, animum ad bellum contra Coſaccos ac Tartaros appulit. Illi enim à morte Vladiſlaï Regis variis cladibus regnum vexaverant, & jam inter oppida Zbaras & Zborovo ductore Boguslao Chmielnicio poſitis caſtris conſidebant. Fama eſt trecenta millia fuiſſe. Adverſus quos cum ſtipendiario milite Rex profectus, tanto hoſtium numero haud ſane par, egregie tamen ac fortiter impetum Barbarorum ſuſtinuit. Menſe Auguſto acri & cruento prælio certatum eſt, in quo virtus Polonorum maxime enituit. Nam cincti undique & circumventi à multitudine Barbarorum, ita eorum vim atque impetum excepere, ut Barbari ingenti ſuorum ſtrage perculſi, non modo infauſtam aggreſſionem deſeruerint, ſed etiam ad petendam pacem animum adjecerint. Data pax poſtulantibus, eo pronius quia Rex curſum victoriæ proſequi non poterat, ob paucitatem ſuorum, atque hoſtium multitudinem, qui licet cladem aliquam paſſi eſſent: tamen id detrimentum minus ſentiebant; atque identidem novis copiis confirmabantur. Igitur pax in has fere conditiones componitur. Primum Rex privilegia Coſaccorum antiqua confirmat, ac numerum eorum ad quadraginta millia reducit; cujus numeri congruum indicem Præfectus ipſorum quotannis conficiet, & Regi exhibebit, omnibus inquilinis ab utraque ripa Boriſthenis atque inde ſuper Viniciam, & Braclavium, & Janpollam uſque ad Tyram fluvium, liberum erit huic Coſaccicæ militiæ nomen dare, cujus præfecturam Rex confert ac confirmat Boguslao Chmielnicio, una cum Satrapia Czerin, ibi deinceps erit ſtatio ejus militiæ prima, ac ſedes prætoria. Deinde concedit Rex veniam omnium ante actorum, & Coſaccos in fidem & gratiam recepit; Atque ii deinceps Regi & Reipublicæ obedientes erunt. Milites cæteri ſtipendiarii non imponentur præſidio aut hoſpitio iis civitatibus in quibus Coſacci ſunt. Neque in iiſdem judæi permittentur. Græcorum Religio, eccleſiæ, & bona eorum perma-

1649. *Res Poloniæ.*

permanebunt in eo ſtatu, in quo huc uſque fuerunt. Et Metropolita ſive Archiepiſcopus Kiovienſis Græcæ Eccleſiæ addictus in Comitiis Regni ſeſſionem ac ſuffragium habebit. In Palatinatibus Kiovienſi, Braclavienſi, & Czernichovienſi conferet Rex omnes dignitates & munia iis ſolis qui Religionem Ruſſorum profitentur. Denique ut hæc omnia in proximis Regni comitiis confirmentur, ad quæ reliqua diſſidia Religionis, & nonnulla alia poſtulata remiſſa ſunt. Ita confirmata ad tempus pace Chmielnicius præſtito Regi Juramento fidelitatis exercitum ſuum in Voliniam ulteriorem reduxit.

1649. *Res Venetorum & Turcarum in mari Ægeo.*

Fama eſt Coſaccis in id bellum multa Turcas auxilia promiſiſſe, ſed quo minus ſtarent promiſſis ſeditione domeſtica & bello Veneto impeditos. Nam anno ſuperiore cum interfeciſſent, primo magnum Vizirium, dein Imperatorem ipſum, atque in locum ejus filium Mahometem ſexdecim annos natum ſubſtituiſſent, res eorum in maximis turbis verſabantur, atque eas augebat indies Sultana, primaria Imperatoris Turcici uxor, fœmina magni animi, atque ingentium ſpirituum. Huc accedebant curæ belli Veneti, quod per id tempus infeliciter gerebatur. Cum enim Veneti toto prope anno fauces Helleſpontiacas obſiderent, atque ibi vicinum omne mare infeſtum redderent, ut omnis prope aditus exituſque in Ægeum pelagus navigiis Turcicis præcluderetur: Turcæ ut vires hoſtium diſtraherent, evocarunt claſſem Africanam, quam anno ſuperiore maximis ſumptibus inſtruxerant. Cujus adventu nunciato, Veneti relicto apud Helleſpontum Jacobo de Riva cum aliquot navium præſidio Africanæ claſſi in occurſum properarunt: Quorum diſceſſu cognito claſſis Conſtantinopolitana, quæ circumvallata in faucibus Helleſponti hæſerat, ventum ſecundum nacta non animadvertentibus Venetis erupit, & Smirnam verſus vela fecit. Riva poſtridie ubi diſceſſiſſe hoſtium claſſem intellexit, inſequi eam inſtituit; ac primum apud Inſulam Scio; deinde circa Eubœam fruſtra inveſtigans, demum haud procul Smirna urbe, in portu Foggiano deprehendit. Diſtat is portus Smirna duobus paſſuum millibus; atque ibi ſe Rhodiorum aliquot triremes, & ſeptem naves Africanæ conjunxerant. Explorata hoſtium ſtatione Riva in ipſo aditu portus aciem inſtruxit, atque ex omnibus navigiis ſuis in claſſem Turcarum fulminavit. Quinque naves eo impetu in profundum demerſæ ſunt. Inter hæc autem una longe maxima reliquarum quæ magnam vim pulveris nitrati, & globorum pyrobolarium vehebat, ignem concepit. Quod animadvertens Nauta Venetus, contempto mortis periculo, una cum Centurione navali Jacobo Santorinio deſiluit in mare; & ardenti navigio per ignem & aquam adnatans anchorarios funes aſcia interſcindit, Illis ſine incommodo renatantibus ad ſuos navigium vento ac flammis impulſum in claſſem Turcarum fertur, & proxima quæque navigia eodem incendio involvit. Ea clade tota pene Turcarum claſſis deleta eſt, magna cum ſtrage vectorum, quos aut violentia ignis, aut dum illum fugiunt, aqua abſumpſit. Pauci natando in propinquum littus evaſere. Turcæ damnum illud ad vicies centena millia aureorum æſtimarunt. Porro Reſpublica Veneta actis per omnia templa Deo ſolemnibus gratiis, ſex millia aureorum inter pauperes diſtribuit. Præfectum vero Claſſis Jacobum de Riva, & imprimis Sanctorinium, tum alios Navarchos pro ſuo quemque merito inſignibus donis honoravit. 1649.

Mors Epiſcopi Ratiſponenſis.

Obiit per idem tempus Albertus ex proſapia Dominorum de Doringh, Epiſcopus Ratiſponenſis anno, ætatis ſeptuageſimo primo, quorum triginta ſex in ea dignitate inter multas moleſtias & varios caſus cum laude explevit. Alberto

berto succeſſit Franciſcus Guilielmus Epiſcopus Oſnabrugenſis. In Hollandia novæ Anglicanæ Reipublicæ Legatus Doctor Iſaac Doriſlaer, paulo poſt quam Hagam advenerat, à ſex larvatis in hoſpitio ſuo interfectus eſt. Fuit ille ex iis qui Regem Carolum ad mortem damnarunt. Percuſſores tamen ipſius, etſi acriter inquiſitum fuerit, deprehendi non potuere. Nunc ad annum quinquageſimum progredior.

Cades Legati Anglicani.

1650. Sub ejus initium filia Cæſaris Maria Anna, Sponſa Hiſpanica, Madritum triumphali apparatu ingreſſa eſt. Hæc anno ſuperiore Regi Hiſpaniarum Viennæ deſponſata feliciter tandem confecto itinere in Hiſpaniam appulit. Magna ubique pompa, præcipue in ditionibus Hiſpanicis excepta. Sed reliquorum omnium magnificentiam facile vicit majeſtas aulæ Hiſpanicæ, quippe ubi Rex ipſe præſens aderat. Igitur ubi dies ingreſſui deſtinatus illuxerat, omnes plateæ, quæ ad palatium Regium ducebant aureo ac ſerico panno exornatæ, intertextis ubique gemmis fulgere conſpiciebantur. Ad introitum ac capita platearum erectæ erant quatuor magnæ, & quadraginta minores Pyramides ex quibus quatuor arcus Triumphales pendebant, inſigni opera ac magno artificio conſtructi. Æſtimatum hoc opus ſexaginta quatuor millibus aureorum. Sponſam præcedebant Magnates Hiſpanici, ac tota fere aula quam Rex obviam miſerat, omnes auro argentoque fulgidi. Poſt hos Sponſa Regia inter Principes Matronas, & pulcherrimum chorum illuſtrium virginum, ſublimi ac generoſo equo vehebatur. Ejus latera ſtipabant duo currus exquiſitiſſimis Muſicis & Comœdiis referti, quos bini Leones, ac totidem Aquilæ trahebant. Hi omni linguarum ac carminum genere Sponſæ laudes, & felix Epithalamium canebant. Hoc comitatu deductam Rex cum filia in aditu Palatii amantiſſime excepit. Inde dies aliquot nuptialibus epulis tradu-

Sponſæ Hiſpanicæ ingreſſus Madritanus.

1650.

cti. Longe alia facies per idem tempus in aula Gallica fuit, quam inteſtini diſſidii labes, & magnarum diſcordiarum ſemina in magnum aliquando malum eruptura invaſerant. Cum enim Rex adhuc ſub matris tutela degeret, atque illa in gubernatione Regni externorum conſiliis plurimum uteretur, indigenarum ut fit, facile odium in ſe concitavit. Quod eo uſque proceſſit ut tres Principes Regii ſanguinis, duo Condæi fratres, & Dux Longevillanus, cum inimicitias apertius, quam fas eſt apud Magnates, præferrent, juſſu Regis ac Reginæ in cuſtodiam dati ſint. Ea res magnas turbas concivit, propter clientelas & copiam amicorum, quibus illi Principes per univerſum Regnum abundant. Accedebat quod Condæus multis magniſque victoriis Rem Gallicam ſtabiliviſſet: Et Longevillanus ante biennium pacem Germanicam, tam utilibus pro Gallia conditionibus promoverat, ut propterea non carcere ſed præmio digni viderentur. Sed Regina enumeratis quæ in eos liberaliter contuliſſet, cauſam cuſtodiæ edito in vulgus ſcripto, publicavit. Cujus ſumma hæc fuit, Regis & Reipublicæ intereſſe ut in acta Principum diligentius inquireretur. Nunciata Principum captivitate, multi qui partes eorum tuebantur aulam deſeruere. Inter quos Comes Turenius cum parte exercitus ad Archiducem Leopoldum conceſſit, poſtquam Stenaviam atque alia nonnulla loca in fide Principum confirmaſſet. Vulgo captivitatis hujus author habebatur Julius Mazarinus Cardinalis, qui initio Februarii cum Rege & Regina in Normanniam profectus, atque ibidem Rhotomagi exquiſito apparatu exceptus, provinciam illam in fide & obſequio retinuit. Inde in Burgundiam contendens aliquot ibi oppida atque arces quæ Principum partes pertinacius tuebantur, vi atque armis ad officium compulit. Burdegala quoque acerrime reſiſtebat. Nam eo uxor Condæi cum filio Duce Anguienſi clam pro-

Turbæ inteſtinæ in Gallia.

1650.

fugiens miſerationem apud Parlamenac Cives commoverat. Itaque illa in defenſionem accepta arma capiunt. Erat in urbe Dux Bullionenſis, & præſidium quatuor fere millium. Contra quos Cardinalis & Mareſcallus Melerajus cum exercitu progreſſi, tranſito Garumna fluvio, ſuburbium à S. Severino dictum vi capiunt. Sed ex eo iterum majore oppidanorum vi expulſi, poſitis prope urbem caſtris conſiſtunt. Tandem inter continuas velitationes, interventu Parlamenti Pariſienſis, res in has conditiones componitur. Primum data Burdegalenſibus venia anteactorum, dein præfectura ejus Provinciæ non Duci Eſpernonio, ſed fratri Regis unico Duci Andegavenſi, atque ipſius Legato Mareſcallo Schombergio, aut Marchioni Lucano attributa. Principi Condææ, & Duci Bullionenſi permiſſum, ut illa cum filio Neracum, hic cum uxore & filiabus ex Pariſienſi cuſtodia dimittendis Turenium in ſecuritatem concederent. Duci Bullionenſi pro jure quod in Sedanum prætendit, numerabuntur duodecies centena millia librarum, quæque cum ipſo vivente Rege Ludovico XIII. Acta & conventa ſunt, ad exitium deducentur. Burdegalenſes arcem Regiam nuper deſtructam non tenebuntur reficere. Provincia Gaſconia & civitas Burdegala toto ſexennio ab omni tributo Regio in compenſationem damni hoc bello illati liberabitur. Utque hæc conventa firmiter obſerventur, Parlamentum Pariſienſe & Dux Bullionenſis promittent & cavebunt. His peractis Rex & Regina menſe Octobri Burdegalam ingreſſi Regia pompa ac magnificentia excepti ſunt. 1650.

Res Germanicæ. Conventus Norimbergenſis diſſolutio.

Dum hæc in Gallia fiunt Norimbergæ omnibus quæ ad pacificationis Germanicæ conſummationem pertinebant, peractis, conventus ille diſſolutus eſt. Porro antequam legati diſcederent exquiſitiſſimis epulis, & non alias uſitato triumphalium ignium apparatu, felicem pacificationis exitum celebravêre. Reſtituta ſimul loca, & pecuniæ ex pacto numeratæ. Ita tandem aliquando poſt triginta annorum graviſſimum bellum pax poſtliminio reducta eſt, quæ ut nationi Germaniæ felix & diuturna ſit, faxit is à quo omne bonum procedit Deus optimus Maximus. Quid in hoc conventu decretum ſit, poſt inſtrumenta pacis lector reperiet.

Res Sueodicæ; Coronatio Reginæ.

Carolus Guſtavus Comes Palatinus qui conventui Norimbergenſi præſens interfuerat, eo diſſoluto in Sueciam profectus eſt, ad Coronationem Regiam quæ Stocholmiæ in adventum ipſius apparabatur. Venit ille in Sueciam ſub finem Septembris, & menſe inſequenti Coronatio Reginæ ab Archiepiſcopo Upſalienſi in generali conventu Ordinum totius Regni magna ſolennitate peracta eſt. Poſt hæc Proceres de re publica deliberarunt. Imprimis vero actum de matrimonio Reginæ, in cujus ſpem jam diu deſtinabatur Carolus Guſtavus Palatinus. Sed Regina cœlibatum matrimonio prætulit, atque id palam apud Ordines ſolenni conteſtatione profeſſa eſt. Ita Palatino communibus Procerum ſuffragiis, principatus Sueciæ hæreditarius, & ſucceſſio Regni delata, factumque ſuper hac re decretum. Cui Palatinus adſenſit addita voluntatis ſuæ teſtificatione, quæ actis Regni Comitialibus inſerta eſt, in hanc fere ſententiam: Nos Carolus Guſtavus, Suecorum, Gothorum, & Wandalorum electus Princeps hæreditarius, Comes Palatinus Rheni, notum facimus; Cum Regina Sueciæ Chriſtina, ejuſque Regni Senatores atque Ordines, nobis & liberis noſtris maſculis Principatum & ſucceſſionem Regni hujus hæreditariam publico decreto contulerint, neceſſarium duximus ſuper ea re animi noſtri ſententiam declarare. Primum gratias agimus Reginæ pro hoc & cæteris beneficiis quæ nobis per omnem vitam liberaliter contulit, illam pro Domina & Regina noſtra agnoſcimus, cujus 1650.

jus sit imperare, nostrum autem parere & obsequi, atque ideo illi omnem debitam fidem, observantiam, atque obedientiam promittimus; in gubernatione Regni, cum Regina nobis promiserit, nihil se contra nostram voluntatem, ac conditionem nobis mandaturam, promittimus vicissim nos vivente 1650. ac gubernante Regina nihil eorum quæ ad publicam regni salutem pertinent, ut bellum, pacem, fœdera atque alia ejusmodi magni momenti, & gubernationem concernentia, tractaturos aut decreturos, nisi id fiat de voluntate & consensu Reginæ, & cum consilio Senatorum Regni, idque ad præscriptum & mandatum Regiæ Majestatis. Porro ne regnum dividatur, neque liberi nostri nunc aut deinceps quicquam ex eo postulabimus, sed quod Regina atque Ordines Regni, nobis, conjugique & liberis nostris in dotem & sustentationem ex facultatibus ærarii Regii decreverint, eo contenti erimus; Bona vero privata, si qua nobis aut liberis nostris obvenerint, ea possidebimus eo jure & libertate, qua cæteri Nobiles suis utuntur, atque ea quæ illi titulo eorum præstant, nos quoque & liberi nostri præstabimus. Si post obitum Reginæ nobis ditio aliqua extra Regnum offeratur, eam non aliter acceptabimus quam ne extra Sueciam sedem ac domicilium transferre necesse sit. Matrimonium, cum inire decretum nobis fuerit, cum Regina & Senatoribus regni communicabimus, neque ejusmodi inibimus, quod Reginæ aut Regno officiat. Conjugem vero non ducemus quam quæ immutatæ Confessionis Augustanæ sit, atque in ea liberos quoque nostros educabimus. Cum ad Regni administrationem pervenerimus, illud ex Regii senatus Consilio, juxta Jus Suedicum, & Regni constitutiones gubernabimus. Omnes & singulos Regni Ordines & subditos in exercitio & usu Augustanæ confessionis tuebimur, prout illa in Upsalienſi Concilio recepta & confirmata est. Cui-libet suum jus, privilegia, libertatem 1650. sarta tecta conservabimus, ac ne cuivis aut injuria inferatur cavebimus; Reginam viduam Mariam Eleonoram amore omni & honore debito prosequemur, quæque à filia Regina collata sunt, permittemus & confirmabimus. Denique præstabimus omnia, quæ in testamento Regis Gustavi I. atque in unione ab hæreditariis Principibus pro salute Regni exiguntur, quæque antecedentes Sueciæ Reges, ex juramento & obligatione præstare obstricti fuerunt, exceptis iis quæ his comitiis immutata sunt. Postremo hæc omnia quæ nos promisimus, ac præstare parati sumus, liberi quoque nostri & hæredes deinceps promittent & præstabunt. Hæc est declaratio Palatini, quæ vigesima die Octobris Regni Ordinibus exhibita, actis comitialibus inserta fuit. Conventus quoque post paucos dies dissolutus est.

Supra diximus de Electore Trevirensi, quod ex captivitate Viennensi redux, cum Canonicis Metropolitanis, & Ordinibus Patriæ in grave dissidium inciderit; quod eo usque processit, ut Canonici Treviros relinquere, & se Coloniam recipere debuerint, relicto ibidem uno alteroque qui partes Principis sequebantur. Elector cum absentes edicto citasset, neque illi comparerent, excommunicat eos, præbendisque & dignitatibus suis spoliat. Illi summi Pontificis ac Cæsaris opem implorant, cæterisque Ecclesiasticis Imperii Principibus causam suam commendant. Nihilominus pergit Elector, omniaque ad arbitrium suum constituit. Denique ex paucis qui remanserant, quosque ipse nominaverat, novis Canonicis coacto Capitulo, Coadjutorem sibi eligi permittit Philippum Ludovicum Baronem de Reiffenbergh. Ea electione improbata cæteri Canonici adjuti aliquot copiis Cæsareis atque Hispanicis civitatem Trevirensem, & denique ipsam arcem, in qua erat Elector, capiunt; & Consiliarios ejus præcipuos *Compositio Trevirensis.*

in cuſtodiam abducunt ; Cæterum ut majoribus malis occurreretur placuit Cæſari & conventui Norimbergenſi ut res ſine tumultu & turbis arbitrio Imperii decideretur. Datum ergo negocium Moguntino & Colonienſi Electoribus , & deinde Epiſcopo Bambergenſi, qui re diligenter per legatos ſuos examinata tandem hoc anno vigeſima tertia menſis Auguſti ſic pronunciant : Primum ut vigore Pacificationis Monaſterienſis oblivioni traditis quæ hactenus perperam ac violenter acta ſunt , benevolentia atque obſervantia inter Electorem, & Canonicos atque Ordines patriæ renoventur. Ut reſtituantur omnes in eum ſtatum in quo ante hos motus fuerunt ; imprimis Elector, deinde Canonici, ac tum ordines & ſtatus Patriæ ; ut decretum de non invocando aliena auxilia Calendis Aprilis proxime factum confirmetur ; ut Electori permittatur adminiſtratio atque imperium nunc & deinceps in conſiliarios ſuos , & præfectos militares , ipſoſque milites & cæteros miniſtros qui ſicut Electori, ita & Capitulo Metropolitano, eodem plane juramento fidelitatis obſtricti erunt : ut omnes qui occaſione horum motuum profugerunt, in priſtinum locum & honorem reponantur , & captivi ex cuſtodia dimittantur ; cumprimis autem duo Electorales miniſtri Procancellarius Graſs , & Conſiliarius Moelbaum, jam è cuſtodia liberati, ſi in muniis ſuis permanſuri ſunt, ut tam Electori quam Capitulo, ſicut alii miniſtri de fide & obſequio caveant : ut electio Philippi Ludovici Baronis de Reiffenberg in Coadjutorem, ut pote Paci Monaſterienſi , Conſtitutionibus Imperii, & ſtatutis provincialibus contraria ; item Collatio Præpoſituræ Metropolitanæ, omniaque inde dependentia, vana atque irrita ſint. Et ipſe Reiffenbergius titulo & prætenſione Coadjutoriæ deinceps abſtineat , ſub pœna violatæ pacis, impoſito illi deſuper ſilentio perpetuo. Ut Capitulo relinquatur jus vetus eligendi tam Archiepiſcopum quam Coadjutorem & Præpoſitum , ſicut & conferendi cæteras præbendas & dignitates. Ut aboleantur introductæ novationes, injuriæ, violentiæ, atque inter hæc cumprimis Satrapæ Zellenſis Philippi Jacobi de Waldrech poſtrema captivitas, & expreſſa lytri obligatio. Ut norma & Regula Electoralis obligationis, ſit Capitulatio Archiepiſcopalis , cujus vigore Elector teneatur , in gravibus negociis quæ cum patriæ periculo conjuncta ſunt, cum Capitulo Metropolitano communicare, & ſine ejus conſilio in hujuſmodi rebus nihil ſtatuere aut attentare. Ut reducatur forma vetus Judiciorum aulicorum , præſertim Confluentini & Trevirenſis, remotis atque abolitis noviſſime contra morem Patriæ introductis Commiſſionibus , Parlamentis atque aliis hujuſmodi, ex quibus magna judiciorum, ac Juriſdictionum confuſio exorta eſt. Ut reſtituantur Capitulo Metropolitano , 1650.
ejuſque Collegis, prælaturæ, dignitates, prebendæ, decimæ, penſiones, cæterique proventus, imprimis Pagi in Satrapia Grimburgh, Domus & Satrapia Hunolſtein, Communitas Mertzigh & Sahrgaw , quæ ad Archidiœceſin ſpectantia, Elector ſine libero Capituli conſenſu , ad Fidei commiſſum Soteri , eum tranſtulit. Ut reſtituantur in bona, præbendas & mobilia Joannes Wilhelmus Huſman ex Namediis, Præpoſitus , Hugo Fridericus ab Eltz ſupremus Choriepiſcopus, Wolfgangus Fridericus à Koppenſtein Archidiaconus , Emmericus à Metternich Scholaſticus, & Domini à Leijen. Ut in futuris contributionibus Imperialibus , Provincialibus & Cameralibus , permittantur Ordinibus Patriæ ſui conventus , & libera in iis ſuffragia , ac conſuetæ diſpoſitiones circa modum & formam tributa colligendi , denique in iiſdem conventibus decernendi & dirigendi , juxta morem & privilegia Ordinibus conceſſa, ſalvo jure ſupremo Principis

cipis, ut inter dissidentes ipse authoritatem & judicium suum interponat. Ut nova vectigalia, vino, frumento cæterisque commerciis imposita, & extraordinaria ministeria tollantur, atque in eo subditis parcatur. Ne numerus Judæorum contra præscriptum ordinem augeatur, receptis autem jus & justitia, quemadmodum Christianis, sine differentia administretur. Ut munimenta in civitate Trevirensi, & Berncassel sine consensu Capituli exstructa diruantur, atque in hunc usum adhibita ædificia publica, viæ, atque horti antiquis possessoribus restituantur. Denique ut quibuscunque per hos motus vis atque injuria illata est, quorum nonnulli in instrumento hujus pacificationis nominantur, ii omnes in pristinum locum, & possessiones antiquas reponantur, sine dolo & fraude. His ita constitutis pax inter Electorem, Capitulum, atque Ordines Patriæ confirmata est. Post hæc Canonici Metropolitani ad novi Coadjutoris Electionem processerunt, vicitque multitudine suffragiorum Carolus Casparus à Leyen, omnibus animi donis ad eam dignitatem commendatus.

JOAN. CLUV. EPITOMES HISTORIARUM

LIB. XIV.

APPENDIX.

1650. *Jubilæum Romæ celebratur.*

ROMÆ hoc Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo solennitas Jubilæi ex omnibus orbis terræ provinciis magno concursu celebrata est. Inchoavit eam celebritatem de more pridie natalis Christi summus Pontifex, aperta porta Basilicæ D. Petri, quæ propter hoc aurea vocatur. Et olim quidem singulis sæculis, postea anno quinquagesimo, nunc vero propter brevitatem vitæ humanæ anno quinto & vigesimo, venerabili ritu in magno Cardinalium, Principum atque Oratorum numero aperitur. Præmittit autem Pontifex in omnes mundi partes diplomata, quibus fideles Christiani ad salutandam Principem Ecclesiam, cæterarum omnium matrem ac magistram, benigne invitantur, atque ut id majore alacritate fiat, plenam peccatorum condonationem id iter suscipientibus, ac designatas per urbem Ecclesias statis diebus visitantibus concedit. Itaque annus ille Religiosis Catholicorum peregrinationibus plurimum celebratur. Enituitque imprimis Cardinalium ac cæterorum Italiæ Principum eximia erga Peregrinos liberalitas ac benevolentia. Et quamquam inter 1650.
Reges Hispaniæ Galliæque bellum magnis viribus agitaretur, tamen Pontifex Principesque providerant, ut tutum ac commodum iter proficiscentibus præstaretur. Publicatum est eodem anno diploma Pontificis, quo damnat pacificationem Germanicam has ob causas præcipue, quod in ea pace multæ Ecclesiæ, earumque bona perpetuo concedantur à Catholicis, quodque institutus sit E-

lectoratus octavus in favorem Caroli Ludovici Comitis Palatini, cujus institutio, quemadmodum & dispositio bonorum Ecclesiæ sine consensu Summi Pontificis fieri non possit, neque debeat.

Mors Ferd. Electior. Colon.

Eodem anno Ferdinandus Elector Colonienſis decima tertia Septembris diem extremum clausit, Aruspergæ in Westphalia, quo se paulo ante recreationis causa contulerat. Princeps omnium virtutum, imprimis vero pietatis beneficentiæ ac continentiæ laude cumulatissimus. Natus est Anno 1577. ex Wilhelmo Duce Bavariæ, & Renata Francisci I. Ducis Lotharin. filia; Ad Electoratum dein & Ecclesiam Colonienſem Anno 1612. post mortem Ernesti Patrui admotus est, quam una cum quatuor Episcopatibus Leodiensi, Monasterienſi, Hildesheimienſi, & Paderbornenſi, per annos fere octo & triginta, in gravissimo illo Germanico bello constantissime gubernavit. Successit Ferdinando Patruo ex fratre Alberto Nepos Maximilianus jam pridem Coadjutor in tres Ecclesias, Colonienſem, Leodienſem, & Hildesheimienſem. Qui Patrui funere Arnsperga Coloniam adducto, & exequiis in Basilica Metropolitana sollenniter peractis, postridie (26 Octobris (in frequentissimo Ordinum Patriæ conventu veteri ritu inauguratus est. Monasterii suffragiis Capitularium & omnium nobilium statuum applausu in Episcopum ejusdem Ecclesiæ evectus Christophorus Bernardus ex Baronibus de Gahlen, Paderbornæ vero Theodorus Adolphus von der Reck, uterque solemnibus Ceremoniis inaugurati sunt.

Introniſatio Max. Henr. Elect. Col. Monaſt. Paderbor.

Res Anglicanæ & Scotiæ.

In Scotia, Carolus II, Regis Caroli interfecti filius ad capessendum Regnum, ut supra diximus evocatus, initia ejus haud sane læta habuit. Primum enim internis Procerum ac vulgi dissentionibus conflictatus, ab Anglis quoque gravem cladem accepit. Illi quippe dejectis statuis Jacobi avi ipsius, & Caroli parentis, quæ Londini in propylæo templi S. Pauli apprime eleganter & magnifice sculpta visebantur, affectisque supplicio qui Novæ Reïpublicæ adversari credebantur, aut in exilium pulsis, non modo spem illi omnem ad regni aditum intercluserant, sed etiam vi atque ope quantum maxima poterant persequebantur. Postquam igitur auditum est, eum in Scotiam advenisse: missus est adversus Scotos Oliverius Cromvellus cum exercitu 20000 hominum, qui mense Augusto lustratis copiis apud Musselburgum concedit, haud procul à Scotis qui inter Edenburgum & Letham, sub præfectura Davidis Leslæi castra ceperant. Cum aliquamdiu mutuus utrosque metus continuisset, primi Scoti morarum impatientes majore animo quam viribus Anglos invadunt, medio ferè spacio inter Hadingtoniam & castrum Dunbar, quem locum explicandæ aciei, audito Scotorum adventu Cromvellus præceperat. 1659.

Magno ea Scotis audacia stetit, nam pulsi fugatique memorabili clade, amissis impedimentis, atque omni bellico apparatu, capta peditum magna parte, pauci qui evaserant Sterlinum profugiunt. Cromvellus insigni victoria potitus omnes mox copias Sterlino admovit, ratus in ea perturbatione sibi rebus gerendis tempus idoneum fore. Ubi ad sustinendam vim obstinatos cognovit, omissa difficili obsidione reductoque exercitu, Leithem atque Edenburgum per deditionem cepit. Hæc est Metropolis Scotiæ, in qua Reges commorari ut plurimum solent, atque adeo infelici sane Regis omine in Anglorum potestatem pervenit. Nihilominus Rex, qui interim Jonstoniæ erat, reparatis quantum licebat viribus, initio anni insequentis 11 Januarii, in solenni Procerum Scotiæ conventu, Schonæ, ubi Scotorum Reges coronari solent, Regno inauguratur. Inter quas ceremonias è numero Procerum Robertus Duglassius Regi præparata oratione gratulatus, eundem ad ultionem paternæ

næ necis ex sententia omnium cohortatus est. Quibus peractis Rex comitantibus Proceribus Schona Jonstoniam deducente toto exercitu perrexit. Ac dein reliquam hyemis partem ordinandis Regni negociis, instaurandisque copiis cum consilio Procerum exegit.

Res Gallicæ. Galliam interea, quo minus Regi Angliæ auxilia subministraret, intestina dissidia turbabant. Nam datis in custodiam Principibus Regii sanguinis, ut supra dixi, duobus Condæis, & duce Longævillano, Turenius rebus non fidens cum suis copiis ad Archi-Ducem Leopoldum Wilhelmum transgressus est, conjunctisque cum eo viribus Capellam primo, dein Retelium vi occupat. Quibus valido præsidio firmatis Castrum Porcini ubi commodus est Axonæ fluminis trajectus, invadit; superatoque Axona in Campaniam pro-
1650. gressus Rhemos Campaniæ metropolim ad dandam pecuniam, & subministrandam exercitui alimoniam metu adigit, cæso interim apud oppidulum Fimam Hocquincourtio Peronæ Gubernatore, qui cum sex Legionibus in insidiis collocatus Marchionem Plessi-Praslæum, ut se cum eo conjungeret præstolabatur. Illa clade quinque vexilla, & ducentos equites Galli amisere præter tracentos fere, qui in potestatem Hispanorum pervenere. Hoc incommodo perterriti Galli, simul metu ne Hispani Rhemos, aut Catalaunum, aut aliam validam urbem peterent; copias omnes campo eductas in urbes hosti proximas præsidio imponunt. Ita Marchio de la Ferté in suburbium Rhemorum cum aliquot millibus concedit, Marescallus Plessi Praslæus Feram, Generalis Legatus Rosa Laudunum, Hocquincourtius ad S. Quintinum, Marescallus Villaquierius Atrebatum, alii alio concedunt, Captivi quoque Principes in securiorem custodiam, & Thesaurus Regius Parisiis ad S. Dionysium in tutum comportatus est. Inter hæc Archidux Leopoldus misit Parisios tibicinem cum literis ad Ducem Aurelianensem patruum Regis de pace, quibus in Parlamento palam perlectis Aurelianensis postridie cum responso Baronem Venderonium ad Archiducem remittit, quique de tempore, loco, & personis ad hanc pacificationem assumendis sententiam Archiducis cognosceret. Ille audito Venderonio summopere gavisus placere sibi ostendit, ut locus inter Rhemos & Rhethelium medius deligatur, quo ipse & Aurelianensis ambo in persona conveniant, ac de pace vel induciis colloquantur. Ad id renunciandum Gabriel Toletanus una cum Venderonio Parisios mittitur. Re ad concilium relata cum Galli locum alium mallent, decretum, ut Nuncius Apostolicus, atque Orator Venetus rogarentur, qui una cum Comite Memmio ad Archiducem profecti cum 1650.
eo agerent de loco tractatuum à castris Hispanicis remotiore, ac simul exquirerent, quid quantumque potestatis Archidux à Rege Hispaniæ haberet, de pace cum iis componenda. Omnium ergo animis in spem novæ pacificationis erectis cum nihilominus hostilitas non cessaret, & tractationum præambula in longum producerentur. Archidux ne tempus frustra consumeret, motis apud Fimam castris, ubi fere per mensem substiterat, partem copiarum ad obsidendum Mosonium dimittit; quod est apud Mosam parvum quidem, sed permunitum oppidum. Ipse cum reliquo exercitu apud vicum Vendii juxta Axonam flumen consedit. Mosonium à Carolo V. olim, & deinceps ab aliis irrito hactenus eventu tentatum, summa fortitudine oppugnantibus restitit. Donec Archidux misso Comite Fonsaldania cum quinque millibus ac vim obsidentium auxit. Igitur mense Novembri in potestatem Hispanorum concessit; Præsidiariis permissum ut more militari explicatis vexillis cum omnibus impedimentis ac

duo-

duobus tormentis à tradito oppido excederent. Post Mosonium Donchery quoque uno infra Sedanum milliari, Hispanis cessit. Archidux igitur omnibus præsidio firmatis, reliquo exercitu in hyberna dispositio Antverpiam sub finem mensis Novembris rediit, re bene feliciterque gesta. Actisque Deo solemniter gratiis nomine Regis Hispaniarum, initio mensis Decembris Marchionem Sfondratum, Comites Buquoium, & Schwartzenburgicum, Equites aurei velleris creavit, consuetis cæremoniis, præsentibus ex eo Ordine Collegis aliis duodecim. Dum hæc in Campania & Picardia ab Archiduce geruntur Rex Galliæ cum Cardinale Mazarino re apud Burdigalam com-
1650. posita ut supra dictum est Parisios revertit. Et quanquam cepta jam hyeme tempus erat rebus gerendis haud sane idoneum, tamen recuperandi Retelii spes & cura inceſſit. Collectis igitur copiis & numerata parte stipendiorum eo Cardinalis cum præcipuis Ducibus mittitur. Neque res caruit successu. Urbs opinione celerius recepta; & Mareschallus Turenius, qui cum undecim millibus Hispanicis & Lotharingicis copiis auxilio venerat, fusus fugatusque. Captus in ea pugna Gubernator Mosonii Stephanus de Gamarra, Legatus Generalis, & Comes de Lanau equitatui Germanico præfectus. Cecidere è præcipuis Philippus, ex Comitibus Palatinis, Electoris Heidelbergensis frater, qui legioni Equitum Lotharingicorum præfuit, è Gallis vero Vicecomes Corvallius, & Chiliarcha Plessæus, Mareschalli Plessæi filius. Impedimenta Turenii omnia in potestatem victorum pervenere, & signa militaria fere quadraginta, quæ Parisiis in Basilica D. Virginis in victoriæ monumentum suspensa sunt. Per idem tempus Hispani de Gallis in Italia & Catalonia quoque triumpharunt. Hic Marchio Mortara recuperatis diversis Cataloniæ locis mense Octobri Tortosam validam urbem ad Hebrum cum omnibus copiis circumsedit, qua ad initium Decembris producta, cum nulla subsidii spes obsessis affulgeret, fugatis à Duce Albuquercio quinque navibus Gallorum auxiliariis, urbs in fidem ac potestatem Hispanorum redit. 1650. At in Italia vel potius appositio Italiæ Tyrrheno mari Joannes Austriacus cum Comite Ognate Prorege Neapolitano, Portum Longum, qui est in Elbâ insula, è regione Plumbini, duobus fere miliaribus à continenti abjunctus, difficili ac laboriosa obsidione à Gallis recepit. Reperta ibidem magna annonæ vis atque omnis generis apparatuum militarium, quæ in biennium fere obsidionem toleraturis sufficere potuissent. Igitur actis Deo gratiis, & portu omnibus necessariis provisio, divisis inter se navibus Austriacus Panormum in Siciliam, Prorex Neapolim rediit. Ibi militibus, quorum fere decem millia, aut ferro hostium, aut æstu ac orta inde contagione interiere, quies ac stipendium data.

Sub finem Novembris duo Electorales Saxoniæ Principes Christianus & Mauritius, filii Electoris matrimonio conjuncti sunt, cum duabus itidem sororibus Christiana, & Sophia Hedwige, Ducibus Slesvici & Holsatiæ. Eæ nuptiæ Dresdæ in Saxonia per multos dies magna pompa peractæ sunt. Mense insequenti Augustæ Taurinorum in Pedemontio Ducis Sabaudiæ filia Adelheidis Ferdinando Mariæ filio Electoris Bavariæ natu majori desponsata est, internuncio Maximiliano Comite Curtio, qui splendidissimo comitatu illuc Monachio profectus ceremoniis desponsationis nomine Electoralis Principis præfuit. Eodem anno Ludovicus sextus Landtgravius Hassiæ Darmstattanus in matrimonium accepit Gottorpii in Holsatia Mariam Elisabetham Friderici Ducis Holsatiæ & Schlesvici filiam. Mense Octobri Christina Sueciæ Regina in solenni ordinum Regni conventu Stocholmiæ *Matrimonia diversorum.*

holmiæ ab Archi-Episcopo Upsaliensi coronata est. Obiere eodem anno Wilhelmus Princeps Orangius, relicta gravida vidua quæ octiduo post filium enixa est Wilhelmum Henricum: in Polonia magnus regni Cancellarius Christophorus Ossolinsky, undecim annos ea dignitate cum laude functus. Parisiis Dux Angolismentis Caroli noni Regis Galliarum filius, anno ætatis suæ octogesimo octavo: & Princeps Condæa, mater Principum captivorum: & Claudius Memmius Comes de Avaux nuper ad pacem Monasterienſem, ac alias ad varios Europæ Principes, Regni Galliæ Legatus.

1651. *Matrimonium Cæsaris.* Ad initium anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi, Cæsar Ferdinandus matrimonium cum Eleonora Duce Mantuana, quod sub finem anni superioris publicatum Viennæ fuerat, contraxit, misso Johanne Maximiliano Comite de Lamberg, qui Sponsam Imperatoriam ex Italia in Germaniam deduceret. Cæsar adventanti obviam profectus, apud Neukirchium excepit; inde eodem adhuc die sub vesperam Neostadium progressi postridie consuetis Ecclesiæ ceremoniis, & sacris precationibus, ab Episcopo Viennensi, conjuncti sunt, fuit hæc dies ultima Aprilis, & Dominica quarta post Pascha. Triduo dein nuptialibus hilaritatibus exacto, Cæsar cum nova Conjuge Viennam reversus, solenni ibidem pompa, à tota aula, & præsentibus variorum Europæ Principum oratoribus, ac Ordinibus Provinciarum exceptus est. Omnibus Viennæ peractis Palatinus Neoburgicus Wolffgangus Wilhelmus, ad tertium quoque Matrimonium exemplo Cæsaris progressus est, ducta in Conjugem Franciſca Maria Egonis Comitis Furstenbergii filia. Cui VII. Idus Maji ad vicum Dormagen obviam profectus post aliquot horarum colloquium eodem vesperi 1651. cum nova Sponsa Dusseldorpium rediit.

Cæterum mense insequenti, pacata jam omni Germania, & in nuptiales hilaritates effusis Principum aulis animisque, cum ocio & quieti Germaniæ nuperæ Pacificatione satis provisum putaretur, repente novi belli initium ab Electore Brandeburgico in ditionem Montensem hostiliter ingresso, coortum est. Quod quia subito extitit ac deinde mox compositum, variis hominum sermonibus celebratum fuit, paulo altius, ex iis quæ palam literis edita sunt, pro instituti mei brevitate repetendum duxi. Guilielmus Dux Juliæ, Cliviæ, & Montium, Comes Marchiæ & Ravensbergæ, cum Anno 1546. Ratisponæ in Matrimonium duxisset Mariam Ferdinandi I. Cæsaris filiam, duo à Carolo V. Cæsare privilegia impetravit, quæ & deinceps à successoribus confirmata sunt, Primum, ut, si Dux Guilielmus ex Maria Conjuge nullos hæredes masculos susciperet, aut susceptı sine hæredibus masculis ex hac vita excederent, omne jus ditionum ac provinciarum ad filias ex Guilielmo & Maria genitas devolveretur, aut si nulla earum superstes esset, ad earundem legitimos Masculos hæredes. Deinde ut dictæ ditiones omnes, apud unum tantum universalem Dominum ac successorem indivisæ permanerent, more apud Principes Germaniæ, & plerosque externos ad firmandum potentiæ robur hactenus observato.

Bellum Brandeburgicum.

Jus successionis unde petendum.

* Dux igitur Guilielmus ex hoc matrimonio duos filios & quatuor filias suscepit. Filiorum natu major Carolus Fridericus maximæ spei princeps, Anno 1577. in ipso ætatis flore Romæ ante patrem extinctus est. Alter filius Joannes Wilhelmus, patri Guilielmo Anno 1592. defuncto in ditionibus paternis successit. Cum autem esset infirma plerumque valetudine, nullos liberos genuit ex utroque matrimonio, quod illi primum cum Jacoba Badensi, deinde Antonia Lotharinga fuit. Atque ita anno hujus sæculi nono

* 1651. *Duo filii Ducis Guilielmi.*

I.

II.

defunctus, ditiones suas variis Principibus appetendas reliquit. Sed vi privilegii Cæsarei hæreditas earum ad sorores ipsius, & filias Guilielmi spectabat. Harum prima ac natu maxima fuit Maria Eleonora Alberto Friderico duci Borussiæ in matrimonium elocata, quæ obiit Anno 1608. ante fratrem Joannem Guilielmum, neque ullos hæredes masculos reliquit, sed tantum unicam filiam Annam, quæ postea nupsit Joanni Sigismundo Electori Brandeburgico, qui est avus moderni Electoris Friderici Wilhelmi. Atque hinc jus suum in has provincias derivant Brandeburgici. Altera Sororum ac natu secunda fuit Anna in matrimonium data Philippo Ludovico Comiti Palatino, quæ fratris funeri superstes, & hærede masculo Wolffgango Wilhelmo ornata, proxima omnium ad has ditiones videbatur, tertia fuit Magdalena nuptui data Joanni Bipontino, ex quo etiam filios & hæredes masculos suscepit. Quarta fuit Sybilla nupta Carolo Marchioni Burgoviæ, cujus jura Palatinus Neoburgicus ad se certis pactionibus transtulit. Igitur, ut ad rem veniamus, cum Anno 1609. Dux Joannes Wilhelmus sine liberis, ut supra memoravimus è vita excessisset, aliis jus suum scripto asserentibus, Wolffgangus Wilhelmus Palatinus Neoburgicus nomine Matris, Ernestus Marchio Brandeburgicus nomine Fratris Electoris, Joannis Sigismundi ejusque conjugis, possessionem vacantium provinciarum adierunt, inito pacto Tremoniæ, ultima Maii, ut dictas provincias pariter administrarent donec de jure cujusque, aut amice conventum, aut disceptatum judicio foret. Eodem tempore de Religione, ejusque exercitio Ordinibus Patriæ binis litteris; die 14 Julii Duisburgi, & 21 Julii Dusseldorpii, ita cautum & provisum fuit, ut Romana Catholica, & aliæ Christianæ Religiones, sicut passim per Imperium Romanum, ita & in his provinciis, prout de facto in publico usu, & exercitio sunt, sic deinceps continuentur, permittantur, & defendantur, nec quisquam in conscientia aut exercitio tum vigente turbetur, aut molestetur. Cum autem tum temporis solius fere Catholicæ Religionis exercitium publicum, in singulis ditionum locis esset, exceptis paucis in quæ sub extrema tempora Ducis Guilielmi, ejusque filii contra jussa Principum, Magistri novarum Religionum irrepserant, factum est, ut conniventia, & æmulatione novorum Principum, quorum alter erat Reformatæ, alter Augustanæ Religionis, novi Magistri certatim contra pacta & promissa superiora introducerentur. Postquam vero Palatinus Neoburgicus relicta Augustana Confessione, Catholicæ Romanæ Ecclesiæ veritatem agnovit, ejusque fidem publice Anno 1614. Dusseldorpii professus est, ducta in matrimonium Magdalena Ducis Bavariæ filia, eo etiam cœpit intendere, multoque quam antea diligentius; ut, quod promissum conventumque initio fuerat, Catholicæ Religionis exercitium, in iis locis ubi antea fuisset sancte observaretur, dimissis ejectisque, qui contra pacta hactenus introducti fuerant, aut deinceps irrepere conabantur. Atque id eo magis quod in pactis nuptialibus tam Borussicis quam Neoburgicis, quibus Ducis Guilielmi filiæ elocatæ sunt, & unde jus suum utrique in has provincias deducunt, expresse cautum & conventum fuit; ut si forte harum ditionum hæreditas ad supra memoratas filias perveniret, nihil in iis circa Religionem innovaretur, sed ubique antiqua & vera Catholica Religio sine omni obstaculo sancte coleretur, & retineretur. At vero Brandeburgici contra existimabant non obstare pactis nuptialibus, nec sponsioni Ordinibus datæ, si aliarum etiam Religionum quæ in Imperio usitatæ sint cultores introducerentur, modo id sine damno atque injuria Catholicorum fieret, & illi inter hos quiete & pacate

4. *Filia.*
I.
II.
III.
IV.
Reversales.
Quomodo cautum Religioni.
1653.
Controversia de sensu Reversalium.

cate vivant, quinimo ita consuli tranquillitati, non minus animorum & conscientiæ, quam patriæ & rei totius publicæ, cum indecorum sit, & à dignitate Principis alienum, nullum ei in suis provinciis, suæ Religionis exercitium licere, quæ sola Religionis unica sit, cujus paritas & concordia amorem illis & reverentiam subditorum conciliet. Hæc igitur sententiarum diversitas crevit inter Principes possidentes, postquam Provincias inter se partiti sunt, quantum enim Brandeburgici, pro usu Religionis promiscuo ubique introducendo laborabant, tantum contra nitebatur Palatinus, ut unitatem & decus solius Catholicæ juxta pacta & conventa conservaret. Hæc contentio eo usque processit, ut Status Ordinum Hollandiæ se immiscerent, atque ad Neoburgicum à proposito deterrendum, per vicinarum urbium Rheinbercæ & Orsoyæ præsidia, parochos & Religiosos quotquot possent ex Ducatibus Montensi & Juliacensi captivos abducerent, duraque & diuturna aliquot annorum custodia detinerent, in qua etiam nonnulli mœrore atque miseria consumpti sunt, innoxii plane, extraque aleam & controversiam positi, ex quo fiebat ut plerisque Catholicis parœchis metu diffugientibus, eorum subditi diu divini cultus exercitio carerent, multique interea infantes sine baptismo, adulti sine confessionis & Eucharistiæ Sacramentis, cum æternæ etiam salutis periculo ex hac vita discederent. Igitur Neoburgicus ut se suosque his difficultatibus expediret, post missas ultro citroque literas & Legationes, cum supremo Electoris Brandeburgici Camerario Burgstorffio anno 1647. die octava Aprilis super Religione ejusque exercitio, ita Dusseldorpii transegit. Ut Ecclesiæ, eorumque bona, & proventus iis restituerentur, qui ea anno 1609. possedissent; exercitium vero Religionis, extra Ecclesias, tam publicum quam privatum ad illum modum haberetur quo anno 1612. qualibet anni parte fuisset. Ea dein transactio ab Electore confirmata est, missique ab utroque Principe deputati Duisburgum executionem dictæ transactionis ordiuntur. Cæterum hic rursum hæsit actio, quoniam Brandeburgici à promiscuo Religionis usu nolebant recedere, idque vigore primorum Reversalium, quibus neque vellent, neque possent derogare, cum è contra Neoburgici contenderent huic transactioni necessario insistendum, quæ velut in temperamentum ac moderamen assumpta esset dictorum Reversalium, de quorum sensu hactenus inter Principes conveniri non potuerit. Ita re infecta discessum est. Neoburgicus autem, cum haud multo post universalis Germaniæ pacificatio ad exitum deducta esset, quoniam particulares transactiones non procedebant, ad illius observantiam confugit, ac pro Restituenda Religione, ejusque exercitio assumpsit Annum 1624. in ejus pacificationis instrumento generaliter præscriptum, ex emplo reliquorum Principum qui illud jam passim per Imperium auspicabantur. Inter hæc Elector Brandeburgicus hoc Anno 1651. Mense Aprili cum Electore Saxoniæ paucos dies in arce Liechtenburgh collocutus Cliviam profectus est, præmissis aliquot copiis quas è præsidiis suis deduxerat & aliis subsequi jussis, quibus omnibus Ottonem Christophorum Sparrium imposuerat; eæ erant fere in universum quatuor millia. Cliviæ mense Junio die 15. nomine Electoris mandatum publicatum est, & mox aliquot locis in Ducatibus Montensi ac Juliacensi affixum, ad eorundem Ducatuum Ordines & inquilinos in hanc sententiam. Primo significabat Elector venire se in has provincias, ut juxta pacta & promissa à majoribus suis inita, privilegia & libertatem earundem, adversus varias Palatini Neoburgici injurias in pristinum locum & vigorem restituat, atque ad hoc uno sibi atque altero loco occupato opus esse, ubi pedem figat.

Hollandi se immiscent.

Nova transactio super Religione.

Dissipatur. 1651.

Neoburgicus confugit ad Pacificationem Monasteriensem, Elect. Brand. cum copiis venit in Ducatum Clivien-sem.

Ejus edictum contra Neoburgicum.

figat. Quare neminem debere id secus quam ipse sentiat interpretari, cum sui propositi sit, nihil aliud quærere quam
1651. Dei gloriam, patriæ salutem, & Justitiam quam omnibus & singulis sine respectu Religionis juxta fœdera & transactiones superiorum annorum velit impartiri. Deinde mandabat omnibus horum Ducatuum præfectis & inquilinis, ne deinceps ullas contributiones Palatino Neoburgico decernant, aut exsolvant, nullum ei subsidium consilio vel facto præstent, sed se solum suosque hæredes & successores respiciant, ac observent. Ad extremum comminatur, si quis huic edicto obniti, aut Palatinum Neoburgicum quovis modo juvare perseveraverit, se eum ablatis omnibus Privilegiis pro hoste ac rebelle habiturum. Hoc edicto ut diximus evulgato miles Electoris eodem die arcem Angermondam hostili incursione, multoque Pyrobolarium globorum injectu vi aggressus est, cæsis primo impetu aliquot civibus & inquilinis, deinde cum arx fortius quam ipsi speraverant, resisteret, expilato vico, ac templo adjacente, vicina loca eodem impetu populabundi pervadunt. Atque in templo pagi Mulchem, non contenti illud expilasse, infantem qui è matris brachiis pendebat diviso capite interficiunt. Inde ad pagum Pempelfurt in conspectum Dusseldorpii atque ipsas fere munitiones progressi Villam Principis abductis inde omnibus armentis & pecoribus quantum per tempus licuit despoliant, additis comminationibus se propediem majore cum exercitu, viribusque affuturos. Interea Elector purgandi sui causa ad Cæsarem misérat Joachimum Fridericum Baronem de Blumenthal, qui impetrato accessu has actionis Brandeburgicæ contra Palatinum causas exposuit: Primum querebatur Neoburgicum ex ditionibus
1651. Juliacensibus, in quarum fruitionem à Majoribus Electoris nullo suo jure sed solo pacis amore admissus sit, fere alterum tantum possidere, quantum Elector obtineat, eoque semper intendere, ut suam ipse paulatim portionem augeat, Electoris contra minuat ac concerpat. Transactionem quæ Anno 1619. inter parentem Electoris & Neoburgicum facta sit, nunquam observare voluisse, sed Comitatum Ravenspergensem multos annos contra dictam Transactionem, pro se totum retinuisse & possedisse, sensisse id graviter Electoris parentem, & vindicaturum etiam fuisse, nisi tum bello Germanico implicatus, & continuis Neoburgici promissionibus in spem erectus cogitationes eas divertisset. Ex his saits apparere Neoburgicum nunquam veram pacem, & concordiam cum Brandeburgicis colere, neque in hac causa sententiam Judicis exspectare voluisse, Idque adhuc manifestius patere ex nuperrima transactione quæ Anno 1647. inita sit, quam ipse, & si omnia inibi clarissime ac simplicissime explicata sint, nihilominus in idoneis objectionibus convellat, atque Electorem exagitet. Proferri posse qui jurejurando confirmaturi sint, audivisse se dicentem Neoburgicum, quod conventionem provisionalem imposterum nollet observare; & nuper etiam ad aliquem ex ipsiusmet Electoris Consiliariis dicere ausum, brevi velle se cum Electore strenue decertare. Ejus rei initium feciisse exigendo sedibus suis Augustanæ ac Reformatæ Religionum Cultores, eosque acribus ac severis edictis persequendo, contra quam in provisionali Conventione cautum sit, atque adeo occasionem & causam dedisse Unitarum Provinciarum Ordinibus, vicem talionis in sacerdotes Catholicos 1651.
exercendi quos Elector ex eorum manibus vix eripere potuerit, ac nunc periculum sit, ne per has Neoburgici actiones, in priores, ac fortasse graviores calamitates incidant. Exploratum Electori esse, ad invadendas suas ditiones Neoburgicum nihil aliud exspectare, quam ut ipse è Brandeburgica in Prussiam proficiscatur, ut absentem opor-

Initium hostilitatum.

Elector purgat se Cæsari & accusat Neoburgicum.

oportunius adoriatur. Notam esse ipsius cum Duce Lotharingiæ singularem amicitiam, cujus copiæ haud dubie in ditionibus Neoburgici præterita hyeme, hybernaturæ fuissent, nisi quid aliud interveniisset. Electorem diversis è locis certiorem fieri, Neoburgicum cum vicinis Ecclesiasticis Principibus eum in finem clandestina colloquia habuisse, ac fortasse confœderationem, nisi jam confecta sit, conficere tamen voluisse. Ac præter hæc manifesta satis hostilis animi inducia ex literis colligi quas Neoburgicus ad Electorem miserit, in quibus illum more inter Principes insolito mendaciorum insimulet. Postremo Juniorem etiam Neoburgicum audacter atque aperte denunciasse, ne unicum quidem pedem terræ Electorem è ducatu suo Clivensi retenturum. Has ob causas conficiebat Legatus Brandeburgicus, ut ad suarum ditionum defensionem in tempore respiceret, atque imminenti tempestati mature præverteret, omnino Electori necessarium fuisse. Petebat itaque ne Cæsar sinistri aliquid de actione Electoris suspicaretur, sepositio omni affectu cognationis ac Religionis Catholicæ, quam Elector inviolatam
1651. plane illæsamque, juxta pacta & conventa conservaturus sit. Deinde ut ipsum Neoburgicum ad æquam mentem, & sana consilia reducat: ac vicinos Principes ne se huic negotio immisceant clementer admoneat ac dehortetur. Ad has querelas Cæsar sexto post die respondit non videri ejus momenti, ut propterea ad majorem Provinciarum ruinam & vastitatem Elector Neoburgicum hostiliter invadat, atque exin novo per Imperium Romanum bello occasionem injiciat. Satis provisum esse constitutionibus Imperii ac nupera pacificatione, quomodo hujusmodi controversiis ac difficultatibus vel jure vel amica compositione obviam iri debeat. Itaque Electorem recte atque ordine facturum, si Legibus Imperii, uti & literis dehortatoriis quas ad eum mi-

Responsum Cæsaris.

serit, pareat, copias ex provinciis Neoburgici deducat, & reponat omnia in eum statum in quo antea fuerint, controversias vero arbitrio Commissariorum, qui à se Anno, 1649. nominati atque ab ipsis acceptati sint, finiri ac componi sinat. In eandem sententiam scripsit Electori paulo copiosius, atque à vi & hostilitate serio dehortatur. Eodem die mandatum dat ad Ordines & subditos Ducatuum Juliæ & Montium, abrogato edicto Brandeburgico, ut in fide atque officio erga Palatinum Neoburgicum maneant, donec causa aut via Juris aut amica compositione terminata fuerit.

Neoburgicus refutat accusationem Brandeburg.

At vero Palatinus Neoburgicus nihil minus cogitans quam ut armis impeteretur atque adeo rem serio agi videns, palam de vi atque injuria sibi illata, edito scripto protestatus. Quæ vero Electoris nomine adversus se vulgata fuerant contrario scripto refutavit. Inde ad repellendum inopinum bellum plane imparatus vicinorum Principum auxilia respexit, misso Philippo Wilhelmo in Belgium ad Archi-Ducem Leopoldum, & Carolum Ducem Lotharingiæ, ut inde auxilium sollicitaret, & Francisco Egone Comite Furstembergio Choriepiscopo Colonienſe, cujus sororem paulo ante in matrimonium acceperat, Viennam ad Aulam Imperialem, qui Cæsarem de omnibus edoceret, & contra injustam vim opem posceret. Accusationem vero Brandeburgicam cum prius apud Cæsarem purgasset, evulgato dein scripto in hunc modum confutavit. Ut pleraque omnia negaret, ac temeritatem imprimis Legati Brandeburgici coargueret; qui aures Cæsaris tam falsis criminationibus implere non erubuisset, nam primo dixisset se nullo suo jure, sed solo pacis amore in fruitionem Juliacensium, non modo falsum esse, sed ejus contrarium omnino verum, Idque ex actis in hac causa apud Aulam Cæsaris ventilatis apparere, in quibus clarissime deductum sit, se priorem, vacantium provinciarum pos-

seſſionem cœpiſſe, atque in communionem eàrundem amore pacis Brandenburgicos admiſiſſe, nihilque hactenus atque etiamnum magis optare, quam ut res tandem Judicio finiretur, quod Brandeburgici haud dubie ex diffidentia cauſæ ſemper protraxiſſent. Tranſactionem quæ anno 1629. inter parentem Electoris ac ſe facta ſit, ſanctiſſime obſervaſſe, neque de Comitatu Ravenſpurgenſi plus obtinuiſſe quam duas ſatrapias, reliquis duabus Electori relictis, ac ſi fortaſſe quoad hunc Comitatum omnia ad amuſſim obſervata non fuiſſent, in quo ipſe extra culpam eſſet; tamen de
1651. eo, Anno 1647. Electori ita ſatisfactum, ut propterea movendi belli cauſam non habeat. Tranſactionem autem anni vigeſimi noni primum omnium evertiſſe Electorem Modernum, cum ſtatim poſt obitum parentis Anno 1647. quem-admodum & nunc, validas copias in ducatum Montenſem immiſit, prope ipſam urbem Duſſeldorpium, in conſpectum ſuum atque ita oſtentata vi ad novam ineundam Tranſactionem ſe induxerit, non ſine magno ſuo incommodo, damnoque. Quam tamen neque nunc obſervet, immiſſis denuo copiis quæ omnia undique hoſtiliter populentur. Quare quod apud Cæſarem accuſetur quod Tranſactiones violet, neque paci ſtudeat, nec judicialem hujus cauſæ eventum exſpectare velit, in eo vim ſibi atque injuriam à Legato Electoris fieri. Magiſque hæc in Electorem dici poſſe, qui nulla probabili, ac plane indicta cauſa, ſibi innocenti ac nihil minus metuenti contra omnia humana ac divina Jura, contra publicas Imperii conſtitutiones, ac nuperam Pacificationem, bellum inferat, ſuaſque ditiones hoſtilem in modum populetur ac devaſtet. Reliqua accuſationis capita de minis ac ſuſpectis confœderationibus, de occultis machinationibus & conſiliis, de ejectione omnium eorum qui Reformatæ vel Auguſtanæ Religionis ſunt, & quæ ſequuntur, quoniam vana ac falſa ſint, atque Electori ab hominibus malevolis impoſita, indigna duxit ad quæ reſponderet. Quæ tamen ſi vera eſſent non propterea Electori fas fuiſſe, ſibi ipſi jus dicere, atque illud continuo armis & ferro perſequi.

Apparatus Neoburgici ad defenſionem.

Inter hæc Neoburgicus per omnes ditiones ſuas militem conſcribit, quibus Joannem Baronem Reuſchenbergium propoſuit, & reverſus è Brabantia Princeps Philippus Wilhelmus partem copiarum Lotharingicarum adduxit. Illi collatis caſtris Ratingam inter & Duſſeldorpium conſedere; adverſus Brandeburgicos, qui haud procul inde apud oſtium Angeræ in Rhenum influentis, locum ceperant. Ibi inter crebras ut fit velitationes tandem Colloquio Principum pacificatio cœpta, ac dein per Legatos Cæſaris Melchiorem Comitem Hatzfeldium, ac Joannem Anetanum Imperialis Aulæ Conſiliarium ad exitum perducta eſt Cliviæ, 11 Octobris in hunc modum. Primum ut controverſia Religionis ejuſque exercitii quæ inter Electorem & Neoburgicum intercedit examinetur ac decidatur per Commiſſarios Cæſaris jam pridem nominatos, ſcilicet Epiſcopum Monaſterienſem, & Ducem Brunſwicenſem, iiſque bini adjungatur ex parte quidem Electoris, Auguſtus Dux Anhaltinus, & Ludovicus Henricus Comes Naſſoviæ, ex parte vero Neoburgici, Epiſcopi Paderbornenſis & Oſnabrugenſis; Qui communicato inter ſe conſilio, auditis utriuſque partis rationibus diſquirent an ſtatus Religionis in his ditionibus ad obſervantiam anni 1624, juxta Pacem Monaſterienſem, an vero ad annum 1609. juxta pacta & conventa Principum proviſionalia, reducendus ſit, & ſi qui idem hoc poſtremum viſum fuerit, quomodo ea pacta intelligenda atque explicanda ſint. Quod ſi autem propter ſuffragiorum paritatem Commiſſarii nihil poſſint ſtatuere, Imperator adhibitis aliquot in conſilium Proceribus Imperii pari ex utraque Religione numero, vel in proximis 1651.

Pacificatio.

Co-

Comitiis per eosdem totam controversiam decidet ac determinabit, eique judicio sine ulteriori contradictione stabitur, vi nuperæ publicæ pacificationis: interim vero omnia restituentur in eum statum in quo ante hos motus fuerunt, nec quisquam ob Religionem turbabitur. Deinde Neuter alteri imposterum sub quocunque etiam prætextu bellum inferet, idque sub pœna violatæ pacis, & amissionis omnium Jurium, quæ quisque in has ditiones prætendit, sed controversias deinceps orituras ad amicam compositionem aut judicialem sententiam remittet. Denique dimittentur utrimque captivi, & copiæ, præter eas quæ ad Custodiam corporis, aut locorum præsidia necessariæ sunt, neque cuiquam fraudi erit alterutri partium per hos motus consilio, vel ope adfuisse. Reliqua autem quæ statum politicum concernunt ita permanebunt, ut diversis transactionibus inter Principes conventum fuit, sine præjudicio tamen ac fraude omnium, qui successionem Juliacensem prætendunt. His ita peractis ac consignatis, statim ab armis discessum est.

Res Gallicæ. Principes captivi liberantur.

In Gallia initio hujus anni decretum fit à Parlamento Parisiensi ut Principes captivi, qui interim apud portum Gratiæ, quæ est arx ad hostium Sequanæ munitissima, detinebantur, è custodia liberarentur. Utque Cardinalis Mazarinus intra spacium quindecim dierum, cum omnibus qui ipsi adessent externis, è Regno excederet. Id jam diu egerant, quibus ejus apud Reginam potentia, invidiosa erat. Facto igitur decreto, cui sine certo vitæ periculo obniti non posset, noctu mutatis vestibus Parisiis egressus in Normanniam iter instituit; Cum ad Pontem Arcuatum perveniisset, intelligit Senatum Rotomagensem simile in se decretum fecisse, & jam Caletes in armis esse ut se transitu prohiberent. Igitur inde ad Portum Gratiæ profectus ut Principibus de liberatione gratularetur, ac se purgaret, animadversa omnium haud dubia offensione, ac simul publicato ibidem decreto Rotomagensi, in Picardiam abiit, atque inde per ditiones Hispanicas addito commeatu ac præsidio, in Archiepiscopatum Colonien-sem concessit, fixo interim domicilio Brulæ, in arce Archiepiscopi. Ita intestinis Galliæ dissidiis consultum videbatur. Principes è Custodia liberati Regem ac Reginam adeunt, atque ut major reconciliationis fiducia esset, offertur Condæo præfectura Aquitaniæ, renunciante ultro Espernonio, cujus imperium Burdigalenses præfracte satis detrectabant, ac nisi præfecturam deponeret, novos motus minabantur. Interim Rex ætatis annum quartum decimum ingressus è tutela Reginæ matris excessit. Id factum est mense Septembri Parisiis in Curia supremi Senatus, præsentibus omnium Ordinum proceribus, ac toto Regio Senatu, Ducibus item Aurelianense, Andegavense, Eboracense, ac Regina Angliæ, Regis Matertera. Ubi Rex actis breviter gratiis Reginæ matri, quod per tot annos Regnum magna cura ac labore administrasset, in præparato ad id solio collocatur, ac functiones Regias orditur. Primum omnium absolutus est Condæus absens, nam ipse ne actioni huic interesset, ante paucos dies Parisiis excesserat. Deinde confirmatum est quod de discessu Cardinalis Senatus decreverat. Collata etiam aliquot beneficia inter Magnates, atque inter cætera cura Sigilli Regii demandata supremo Senatus Præsidii Archiepiscopo Tholosano: Porro Condæus in Aquitaniam provinciam suam profectus, conciliatis sibi Burdigalensium animis, novas copias conscribit. Multi illum ex Aula & Nobilitate secuti, quorum favore atque opibus cum totam Aquitaniam, Santoniamque ac vicinas urbes in partes suas pertraxisset, apparebat eum haud dubie novum bellum moliri. Rex Duci Aurelianensi, ac Senatui Parisiensi negocium dat placandi Condæi, ut depositis armis in Provincia sua quietus consisteret. Ubi id impetrari non potuit, expeditis etiam

Rex Galliæ fit majorennis.

1651.

Cardinalis è Gallia proscribitur.

1651.

Condæus armat.

etiam armis Condæum crimine Majestatis condemnat, & relicta Lutetia Pictaviam concedit; revocato ad se propere Cardinale, qui interea aliquot copias in hunc eventum conscripserat. Sub finem igitur anni Cardinalis cum exercitu in Galliam revertitur, multum obtestante Senatu Parisiense, ut decreto in Cardinalem lato insisteretur. Ita divisum in factiones florentissimum Regnum suis se ipsum viribus conficit. Ego hinc, eventu fatis permisso, in proximam Britanniam enavigo.

Cardinalis revocatur.

Res Anglica.

Rex Carolus initio anni hujus ut supra diximus Schonæ in Scotia coronatus, omne tempus præparationibus bellicis absumpsit. Ut primum autem per anni tempus licuit, instructo exercitu in campum processit, adversus Oliverium Cromvellum, qui utriusque Regni limites dispositis ubique validis copiis obsidebat. Ibi minutis quotidie præliis certatum plerumque fere cum clade Scotorum. Igitur veritus Rex ne suum ipse exercitum quotidianis detrimentis attereret, maluit bellum in Angliam transferre, ut opem ex propinquo audentibus ostentaret; nam erant adhuc permulti qui novæ Reipublicæ offensi, Regi clam favebant, utque Angliam ingrederetur hortabantur. Erat id consilium generosum, atque utile etiam si primis tantum initiis fortuna adfuisset. Igitur Rex hac spe, frustra obnitentibus iis quos ad prohibendum Cromvellus disposuerat, cum toto exercitu Angliam ingressus est mense Septembri, appulitque sine ullo incommodo Vigornium, quæ urbs statim in potestatem ejus concessit. Inde quia locus non erat aut commeatu instructus, aut ad defensionem idoneus recta Londinum iter facere cogitavit. Jamque ibi trepidabatur. Sed dum Vigornii paucos dies ad reficiendos milites à labore itineris fatigatos commoratur, consilium ejus Cromvellus prævertit. Is enim collectis omnibus copiis, quantis potuit itineribus Regem insecutus, apud Vigornium adoriri constituit. Alluit urbem flumen Sabrina juxta quod Regii castra ceperant. Nihilominus pontem facere, & transire Cromvellus instituit. Ibi atrox & cruentum prælium fuit, inter transeuntes Anglos, & repellentes Scotos, quibus Rex ipse spectator atque hortator aderat. At vero postquam frustra resistentibus Scotis Angli flumen superarunt tanta vi in Regios impetum faciunt, ut illi desperata re, & confusis ordinibus de vita tantum ac salute solliciti in urbem confugerent. Quos insecuti victores Angli eadem nocte urbem cum omnibus qui inerant capiunt. Eorum decem millia fuisse memorant Relationes Londinenses, inter quos fuere præcipui ex Nobilitate Scotica Regem ad hoc bellum secuti. Cæsorum tria fere millia traduntur, atque inter hos Dux Hamiltonius, qui ex acie saucius relatus, ac dein capta urbe in potestatem hostium perveniens postridie ex vulneribus decessit, in hoc felix, quod maturata morte securim Anglicam evasit. Rex dum urbs capitur per aversam portam sub noctem cum globo equitum erupit, ac multum per incerta atque avia vagatus, relictis sociis, quorum fidem merito in rebus tam arctis suspectabat, assumpto unico magnate Scotico se occuluit, diuque ignoratus ubi locorum esset, tandem transmisso mari Britannico Diepam, inde Rhotomagum atque Parisios salvus appulit mense Octobri. Fama est, cum ab equitibus divertit, ascendisse in arborem opacam, atque ibi delituisse toto triduo, inde cum magnate illo iniisse in castra hostium, muratis vestibus, ac dein Londinum habitu famuli cubicularii. Ibi à matrona nobili, ac fida exceptum, deductumque per flumen Thamesin ad mare, ex quo non sine periculo in Galliam enavigaverit. Vidisse Londini quomodo de se victo Anglia triumphaverit, spectasse & legisse edicta, quibus præmia prodentibus, supplicia opem aut perfugium sibi præbentibus decernebantur. Cæterum hæc victoria novam Angliæ Rempublicam stabilivit,

1651.

Regis fuga & periculum.

1651.

Worcester.

Rex cæditur à Cromvellio.

Cleaned & Oiled

January 1957